

24-6

20-1-1

20-1-1
A
35
82

2 400 40 **Galbra** MADE IN SPAIN



11-11297

BIBLIOTHECAE  
HOMILIARVM  
ET SERMONVM  
PRISCORVM ECCLE-  
SIÆ PATRVM  
TOMVS TERTIVS.

IN QVO EVANGELIORVM, QVAE A SECUNDA DOMINICA POST  
Pascha vsque ad Domini Aduentum tam diebus Dominicis, quam quibusdam alijs festis vel  
etiam ferialibus diebus occurrentibus proprium Euangelium eo tempore habentibus, in  
sacrofancto Missæ officio leguntur, prout in Missali Romano ex decreto Concilij  
Tridentini restituito habentur, expositiones, nec non plurimæ ipsdem  
diebus accommodatæ conciones continentur.

LAVRENTII CVM-DII Itali primùm opera collectus, & post eius obitum à Fr. GERARDO  
MOSANO Dominicano Germano ad finem vsque perductus.

ACCESSERE ETIAM EISDEM IMPRATORIBVS BREVI  
in margine scholia, quibus vel hereses nostri temporis à Præstis Patribus iugulatæ  
ostenduntur, vel si quid ipslem Patribus excidit, quod minus communi  
Ecclesiæ consensu receptum est, modestè corriguntur.



DE LA LIBRERIA  
DEL REAL COLEGIO MAYOR  
Reunido de Santa Cruz, y  
Santa Catalina.  
E. C. N.



L V G D V N I,  
EX OFFICINA IVNTARVM.  
M. D. LXXXVIII.

Cum priuilegijs Cæsareæ Maiestatis, ac Christianissimi Galliarum Regis.



TYPOGRAPHVS LECTORI.

**Q**UAMVIS præclarum hoc Bibliotheca Homiliarum opus, multa Sanctorum Patrum dicta complectatur, quæ doctissimi & sapientissimi verbi Dei interpretes copiose diserteque pertrahentes in suarum concionum progressu poterunt explicare: hoc tamen ei nobis deesse visum est, quod cum omnes ferè Patrum Homiliae ex ipsorum iustis voluminibus magna ex parte depromptæ sint, & sola contextus Euangelici expositione contentæ, nihil præmij loco contineant, quo concionator aliquis se in suorum auditorum animos insinuare possit. Quare ut hoc in isto opere deliquam pro mea virili parte compensarem, visum est in huius tomi initio ex libro optimi concionatoris Didaci Stellæ de modo concionandi caput unum excudere, quo ille optimam exordiendarum concionum rationem & methodum tradere conatus, multum eis conferre poterit, qui in inveniendis suarum concionum, quas hic habent depromptas, exordio plurimum elaborant. Huius autem latinitatem, quod durior visa sit, nos mollire curauimus, quod tibi huius capituli lectio & incundior, & acceptior, simulque facilius esse possit. Vale.

RATIO CONCIONVM ORDIENDARVM EX CAP. XX. LIB. DE MODO CONCIONANDI DIDACI STELLÆ DE PROMPTA.

**N**ON immeritò sanè mos ille concionum exordiendarum à recentioribus est repudiatus concionatoribus, quo nō ita pridem boni satis verbi Dei præcones utebantur, qui in ipso suæ ad populū orationis initio in duo triaue capita seu partes sermonem suum semper distinguebant: hoc enim & ab omni ratione & à rhetorica artis præceptionibus alienum est, nec à Sanctis concionatoribus Augustino, Gregorio Magno, Gregorio Theologo, Ambrosio, Chrysostomo, & Origene factitatum. Porro optimus ut equidem sentio, concionum ordiendarum modus est, & auditoribus gratissimus, & ad attentionem comparandam aptissimus, cum Euangelicus concionator, eleganti aliqua ex facris profanisque scriptoribus desumpta sententia, ex aliquove communi Aristotelis, vel alterius Philosophi celebri axiomate & pronunciato, concioni suæ initium dat, modò illud suo Euangelio, quod quidem explicandum suscepit, optimè quadret atque conueniat. Cæterum duæ sunt rationes, quibus boni concionatores apta suarum concionum exordia excogitare ac inuenire possunt. Prima est Euangelistæ verba, quæ ante nostrum Euangelium leguntur, cum nostri Euangelij verbis optimè connectere, & ad ea aliquam Scripturæ vel Philosophi sententiam rectè applicare. Quod ut planius fiat, duobus id tribusue exemplis explicabo.


Sit exempli gratia, concionatori hoc Euangelium ad explicandum propositum, Confiteor tibi Pater, Domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc à prudentibus & sapientibus, &c. quod quidem in officio communi Sanctorum Apostolorum habetur, & in die festo D. Matthiæ & Sancti P. N. Francisci celebritate, aliisque diebus anni in Missa dici solet: huius igitur Euangelij exordium potest esse eiusmodi. Hæc est Philosophi non obscura sententia, Actus agentium naturalium à subiecta sibi materia, in quam imprimuntur omnino pendere: non enim (ut ille ait) nisi in materiam dispositam & aptam possunt recipi. Videmus solem exorientem, splendore suo vniuersam terram irradiantem & illustrantem: cuius radij dum in lutum feruntur, illud indurant, dum verò ceræ frustulum aliquod attingunt, illud liquefaciunt, ac molliunt. Vnde autem hi aded inter se contrarij effectus ab vna eademque causa producuntur, nisi ex ipsius recipientis diuersa dispositione & proprietate? Hoc enim est ceræ quasi natium & peculiare, sole liquefieri, ut luto durari, & quodam modo lapidescere. Quare vnus idemque solis calor, in res diuersimodè affectas impressus, diuersos quoque in iisdem producit effectus. Quod autem de habitudine corporū à nobis est dictum, illud sanè in animis quoque nostris locum habere experimur. Quid enim causæ est, cur diuini verbi præcones animos fidelium variè afficiant, aliisque ad meliorem frugem reuocent, alios verò minime ad resipiscenciam perducant, nisi varia animorum auditorum suorum affectio & dispositio? quorum alij quidem ad audiendum Dei verbum confluunt, ut possint emendationis vitæ & correctionis morum præcepta deuotè percipere, vnde hinc gementes plorabundique discedunt: alij verò supercilio elato tumidi atque superbi, dum ad captandam alicuius pietatis famam, vel ad concionatorem subannandum huc veniunt, iidem profus qui erant, vel etiam

etiam scelestiores, peioresque discedunt. Quod porrò iam fieri hic inter nos nunc cernimus, idem etiam Christi tempore fieri solitum ex Euāgelio discimus. Nam cum ad eū audiendum plurimi vndique confluerent, non omnes tamen eodem animo, simplici nimirū & candido, nec eadem mente ac volūtate, eius conciones frequentabant. Nonnulli enim signorum causa spectandorum, & quæ antea non intellexerant audiendi animo ad eum veniebant: alij verò, ut erant Pharisei, quò aliquam haberent eius carpenti occasionem: pauci denique salutis suę desiderio eum comitari consueuerant. Quemadmodum igitur eorum animi variè affecti erant: sic Christi Domini nostri verbum varios in eorum motus ciebat, & alios quidem ad frugem meliorem reducebat, qui videlicet piè attentèque eum audiebant, alij verò eum neque dicentem capere poterant, neque mira operantem admirabantur, qui profectò, propter animi suam nequitiam duri obstinatèque permanebant. Quod cum redemptor noster animaduertet, & altera ex parte duritiam malitiãque istorum deploraret, & ex parte altera de aliorum profectu & bonitate collataretur, ad Patrem suum oculis manibùsque, ut animo totus conuersus, in hæc verba prorupit: *Confiteor tibi Pater Domine celi & terræ.*

Quod si eum super Euangelium, quod in dominica 21. post Pentecosten legitur, sermonem habere contingat, tunc certè pro exordio concionis hæc verba Dauidis, *Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine*, licebit ei assumere, totumque suum sermonem ad has duas virtutes penè referre. Sic ergo suum sermonem optimè exordietur. Mundus hic vniuersus duabus quasi maximis columnis, iustitia nimirum & misericordia innititur & sustentatur, Deusque mitissimus his duabus maximè virtutibus res humanas omnes moderatur & tēperat. Vbi verò hæc & nonnulla alia ad has duas virtutes spectantia dixerit, tunc ad Euāgelium eas adapret, & quomodo Dei quidem misericordia in eo seruo eluceat, qui decē millium talentorum debitor erat, ostēdat: & vicissim ut ipsius iustitia in eundem sese exeret, demonstrat cum in eum seruum tam horrēdam atrocēque pronunciarit sententiam, qui proximo suo benignè, admissa in se errata indulgere contempsit. Hoc ferè modo suas conciones D. Chrysostomus, & ferè alij omnes veteres Patres quas in vetus & nouum testamentum, atque in Acta Apostolorum, & D. Paulum ediderunt exordiri consueuerunt.

Alter autem concionum rectè decentèque exordiendarum modus is ferè est, quo præco Euangelicus antequam ad ipsius Euangelij, de quo dicturus est verba accedat, summam quasi totius doctrinæ Euangelicæ, quæ ex eo Euangelio colligi potest, cōficit, & paucis explicat. Hoc autem isto exemplo, quo fiat illustrius declarabo. Sumamus propositum esse concionatori Euangelium illud, quod in octaua Dominica post Pentecosten habetur, populo explicare: sic ergo tunc exordiri suam concionem rite poterit. Euangelium, de quo sumus hodie no die verba facturi, præclara sanè documenta, fidei que præcepta valde vtilia eleganter difertèque continet. In eo enim Christus Dominus ac magister noster, in parabola in primis lepida & iucunda nobis ob oculos subijcit, vitæ huius tempus, ad benè merendum opportunum esse, & ad salutem æternam consequendam necessariò esse impendendum, sicque bonis operibus intendendum, vt firmissimum in cælis habitaculum nobis in omnem præparare valeamus æternitatem. Monet nos etiam & instruit, pios erga alios & misericordes nos exhibere, & quod magis cordi nobis esse debet, beatitudinis præmium non bonis verbis, sed præclaris & eximiis operibus comparari. Nam villicus ille, malè administratæ rei herilis reus, non secum ita locutus est: *Bone Deus, quid dicam: sed quid faciam*: sicque suæ miseræ calamitatique non bonis verbis: sed operibus prospexit, atque consuluit. Habet in super hoc sacrosanctum Euangelium multa alia præclara vtiliaque ad hanc vitam optimè transigendam documenta quæ quidem in ipsius concionis progressu explanabimus: nunc verba ipsius attendamus, quæ sic habent: *Homo quidam erat dives qui habebat villicum, &c.* Simili exordiendi genere dicendique caractere D. Chrysostomus vti sæpe solet, vt cum in 13. Homilia in Genesim, postquam tali vsus esset præfatione sic ait: *Videamus nunc quid nos doceat beatus ille Moses, & accepit, inquit, Dominus Deus hominem quem formauit.* Hæc ille.

CATHO



CATHOLICA EORVM  
EVANGELIORVM, QUÆ SIN-  
GVLIS DIEBVS DOMINICIS ET ALIIS DIEBVS  
PROPRIVM EO TEMPORE EVANGELIVM  
habentibus in Missa leguntur secundum usum & ordinem Missalis  
Romani nuper à Pio V. restituti, à Dominica in Albis  
vsque ad Aduentum, ex antiquis patribus  
desumpta explicatio.

DOMINICA IN OCTA-  
VIS PASCHAE.  
IOAN. 20.



<sup>a</sup> Hoc in ipso die resurrectionis.  
N illo tempore. Cum esset <sup>a</sup> sero die illo, vna sabbathorum,  
& <sup>b</sup> fores essent clausæ, vbi erant discipuli congregati pro-

pter metum Iudæorum: <sup>c</sup> venit Iesus, & stetit in medio, & dixit eis: Pax vobis. Et cum hoc dixisset, ostendit eis <sup>d</sup> manus & latus. Gauisi sunt ergo discipuli viso domino. Dixit ergo eis: <sup>e</sup> iterum: Pax vobis. <sup>f</sup> Sicut misit me pater, & ego <sup>h</sup> mitto vos. Hæc cum dixisset, <sup>i</sup> insufflauit, & dicit eis: Accipite spiritum sanctum. Quorum <sup>k</sup> remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta erunt. Thomas autem vnus ex discipulis duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis quando venit Iesus. Dixerunt ergo ei alij discipuli: Vidimus dominum. Ille autem dixit eis: Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam. Et post dies octo iterum erant discipuli eius intus, & Thomas cum eis. Venit Iesus ianuis clausis, & stetit in medio, & dixit eis: Pax vobis. Deinde dicit Thomæ: Infer digitum tuū huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum: & noli esse incredulus, sed fidelis. Respondit Thomas, & dixit: dominus meus, & Deus meus. Dicit ei Iesus: Quia vidisti <sup>l</sup> me Thomas, <sup>m</sup> credidisti: Beati qui non viderunt, & crediderunt. Multa quidem & alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc. Hæc autem scripta sunt, vt credatis, quia Iesus Christus est filius Dei: & vt credentes vitam habeatis in nomine eius.

Bibl. Hom. tom. 3. A GLOSSA

**E**rgo esset. Hoc ipso in die resurrectionis factum est, in quo quinquies Iesus apparuit. Primò Mariæ Magdalena: secundò eidem cum aliis curreti nunciare discipulis volentibus, terriò Petro, quartò Cleophae & socio eius, quintò discipulis ianuis clausis praedictis duobus iam reuersis. *Ostendit eis.* Post resurrectionem in corpore suo dominus duo contraria ostendit. & palpabile eiusdem naturæ ut formet ad fidem, & incorruptibile alterius gloriæ ut inuitet ad præmiû. *Di. ergo e. ite. Pax.* Pacem offert, qui propter pacem venit: iterat, ut monstret per suum sanguinem esse pacificatâ quæ in caelis sunt & quæ in terra. *Acci. spi.* Aug. In terra datur spiritus ut diligatur proximus: è cælo datur spiritus, ut diligatur Deus. *Quorum re. pe.* Ecce charitas, quæ per spiritum sanctum infundit cordibus eorum. Qui participes sui sunt, peccata dimittit: eorum qui non sunt, tenet. Et ideo postquam dixit: Accipite spiritum sanctum, continuò subiicit: *Quorum re. pec. Tho. an. ex.* Non casu, sed diuina dispositione defuit Thomas & audita non credit: unde palpandum se ei dominus præbuit, quia eius dubitatione & facta sibi probatione nulli relinquitur iâ dubitare. *Qui di. Di.* Didymus, id est, geminus quia dubius Thomas, id est, abyssus: quia dubitatio profundius nouit. *Resp. dit.* Videbat & tangebatur hominem: & super hoc Deum credebat iâ remota dubitatione, & confitebatur quem nō videbat. *Quia vi.* Nō ait tetigisti, sed vidisti: quia visus quodammodo generale sensus est qui de aliis quatuor dici solet. Forſitan non fuit ausus tangere: sed aspiciendo tantum, seu etiam tangendo credit. *Beati.* Commendat fidem gētium: sed præterito virtutem, ut qui quod erat futurum, in sua prædestinatione nouerat iam factum. *Mul.* Quasi in fine libri concludit: Multa quidē & alia fecit quæ præ sua multitudine non sunt scripta. hæc autem quæ fecit Iesus & ante resurrectionē & post, dicit se scripsisse, ut fidē astruat quæ vita habeatur. Deinde tamen narrat quomodo se manifestauit Iesus ad mare Tyberiadis. Et in captura piscium commendauit ecclesiæ sacramentum, qualis futura est in vltima resurrectione. Ad quod cōmendandū valet, quod quasi finis libri interpositus est, ut esset etiam sequentur narrationis quali præmiû: quod ei faceret quodammodo eminentiorem locum.

CATENA AVREA  
in idem Euang.

**C**hry. Audiētes discipuli quod Maria annuntiavit, consequens erat ut aut discredere, aut credentes dolerent, quoniam eos nō reputauit dignos sua visione. Hæc igitur recogitantes, neque per vnam diem dimisit pertransire, sed ex eo quod sciebant iam suscitatum esse, videre sitientibus & timidis existentibus cum sero factum esset ipsis astitit. unde dicitur: *Cum ergo sero esset die, &c.* Bed. In hoc infirmitas apostolorum monstratur, qui fortibus clausis intus congregati residerent propter timorem Iudæorum, quorum metu fuerat prius dispersi. *Venit Iesus & stetit in medio.* Ideo

autem sero apparuit, quia consequens erat, tunc maximè eos timidos esse. The. Vel quia praestolabatur ut omnes conuenirent. Ostiis verò clausis, ut ostendat quia eodem modo resurrexit adiacente lapide super monumentū. Aug. in ser. Pas. Nonnulli autem de hac re ita mouentur, ut penè periclitentur afferentes contra miracula diuina prauidicia ratiocinationum suarum. Sic enim disputant: Si corpus erat, si hoc surrexit de sepulchro quod pepedit in ligno: Quomodo per ostia clausa intrare potuit? Si comprehendis modum non est miraculum: vbi defecit ratio, vbi est fidei ædificatio. Au. su. Io. Moli quidem corporis vbi diuinitas erat ostia clausa non obstituerunt. Ille quippe non eis apertis intrare potuit quo nascente virginitas matris inuolata permāsit. Chry. Sed mirabile est qualiter phantasma eum non æstimauerunt, sed hoc fuit, quia mulier præueniens in eis multâ fidem operata est. Sed & ipse per visum manifestum se eis ostendit, & voce eorum influentem mentem firmavit. unde sequitur: *Et di. eis: Pax vobis.* Id est ne tumultuemini. In quo etiam commemorat verbum quod ante crucē dixerat: Pacem meâ do vobis: & rursus: In me pacē habebitis. Gre. Et quia ad illud corpus quod videri poterat fides inuentium dubitabat, ostendit eis procius manus & latus. unde sequitur: *Et cum hoc dixisset, &c.* Clauui enim manus fixerant, lancea latus aperuerat. Ibi ad dubitantium corda sanada vulneta sunt seruata vestigia. Chry. Et quia ante crucem eis dixerat: Iterum videbo vos & gaudebit cor vestrū, hoc opere impletur. unde sequitur: *Gauiſi sunt, &c.* Aug. 1. de. q. d. Claritas qua iusti fulgebunt sicut sol in regno patris sui, in Christi corpore cum resurrexit ab oculis discipulorum potius abscondita fuisse quàm defuisse: credēda est, non enim eam ferret humanus atque infirmus aspectus, quando ille à suis ita deberet attēdi ut possēt agnoscei. Chr. Vniuersa autem hæc eos ad fidem certissimâ inducebant, quia verò prælium inexpugnabile habebant ad Iudæos, rursus eis pacem annūtiat. unde sequitur: *Dixit eis er. ite. Pax vobis.* Bed. Iteratio confirmatio est, sine ideo repetit quia gemina est virtus charitatis, vel quia ipse est qui fecit vtraque; vnum. Chry. Simul quoque demonstrat crucis efficaciam per quam soluit omnia tristitia & contulit omnia bona: & hoc est pax. Mulieribus autem supra annuntiatum est gaudium, quia in tristitiis illud genus erat, & hanc suscepit maledictionem dicente domino: In dolore paries. Quia ergo vniuersa prohibentia sunt destructa & directa sunt omnia de reliquo: subdit: Sicut mi. me pater, &c. Greg. Pater quidem filium misit qui hunc pro redemptione generis humani incarnari constituit. Itaque dicitur: *Sicut mi. me pa. &c.* Id est ea charitate vos diligo, cum inter scādālū persecutorum merito qua me charitate pater diligit quem venire ad tolerandas passiones fecit. Aug. Equalem autem patri filium nouimus, sed hic verba mediatoris agnoscimus. Medium quippe se ostendit dicēdo. Ille me: & ego vos. Chr. Sic igitur eleuauit eorum animum & ab his quæ facta sunt, & à dignitate mittentis, & non adhuc deprecatio ad patrem fit: sed sua anthoritate dat eis virtutem. unde sequitur: *Hæc cum di. in. is. & eis, acci. spi. sanctum.* Aug. 1. de. tri. Flatus ergo ille corporeus substantia spiritus sancti non fuit, sed demonstratio per congruam significationem non tantum à patre, sed etiam à filio

filio procedere spiritum sanctum. Quis enim demumissimus diceret alium fuisse spiritum quem sufflans dedit, & alium quem post ascensionem suam misit? Gregos. Cum autem prius in terra discipulis datur: postmodum de cælo mittitur, nisi quod duo sunt præcepta charitatis, dilectio videlicet Dei & dilectio proximi: in terra datur spiritus, ut diligatur proximus: ex cælo datur spiritus ut diligatur Deus: sicut ergo vna est charitas & duo præcepta, ita vnus est spiritus & duo data, prius à consentiente domino in terra: postmodum datur ex cælo, quia proximi amore dicitur qualiter præueniri debeat ad mortem Dei. Chrysol. Quidam autem dicunt quoniam non spiritus dedit sed aptos eos ad susceptionem spiritus per insufflationem construxit. Si enim angelum videns Daniel excessum mentis passus est, quid ineffabilem illam gratiam suscipientes passi essent nisi discipulos suos primitus instruxisset? Nequaquam autem quis peccabit dicens tunc suscepisse eos quando potestatem spiritualis gratiæ, non vt mortuos suscitent & miracula faciant, sed vt dimittant peccata: unde sequitur, *Quorum remisistis, &c.* Aug. Ecclesiæ charitas quæ per spiritum sanctum diffunditur in cordibus nostris participum suorum peccata dimittit: eorum autem qui non sunt eius participes tenet. Ideo postquam dixit, *Accipite spiritum sanctum:* continuò de peccatorum remissione & retentione subiicit. Greg. Scindum verò est quod hi qui prius spiritum sanctum habuerunt, vt ipsi innocentes viuerent, & in prædicatione quibusdam prodesse: idcirco hunc post resurrectionem domini patenter acceperunt, vt prodesse non paucis sed pluribus possent. Liber ergo intueri: illi discipuli ad tanta onera humilitatis vocati ad quantum culmen gloriæ sint producti. Ecce non solum de seipsis sicuti sunt, sed etiam principatum superni iudicij sortiuntur vt vice Dei quibusdam peccata retineat, quibusdam verò relaxent, horum nunc in ecclesiâ episcopi locum tenent: & soluendi ac ligandi autoritatem suscipiunt qui gradum regiminis sortiuntur. Grandis honor, sed graue pondus istius est honoris. Durum quippe est vt qui nescit tenere moderamina vitæ suæ iudex fiat vitæ alienæ. Chry. Sacerdos enim etiam propriam bene dispensauerit vitam: aliorum verò non cum diligentia curam habuerit, cum perniciosus in gehennam vadit. Scientes igitur periculi magnitudinē multam tribuit eis deuotionem, & etiam si non valde nobiles fuerint: non autem iustum est ab his qui in principatu subiiciuntur iudicari, & si vita eorum fuerit valde detrahebilis, in nullo lædens in his quæ sunt eis commissâ à Deo. Non enim facerds sed neque angelus aut archangelus operari aliquid potest in his quæ sunt data à Deo. Sed pater & filius & spiritus sanctus omnia dispensant. Sacerdos autem suam linguam & manum tribuit. Non enim iustum esset vt propter alterius malitiâ circa symbola nostræ salutis lædi eos qui ad fidem veniunt. Omnibus autem discipulis congregatis solus Thomas deficiebat à dispersione quæ iam facta erat: unde dicitur, Thomas autem vnus ex 12. &c. Alcu. Didymus Græcè: Latine geminus: propter dubium cor in credendo: Thomas abyssus: quia altitudinem diuinitatis certa fide penetravit. Grego. Non autem casu gestum est vt electus ille discipulus tunc de-

esset. Egit namque miro modo superna clemētia vt discipulus dubitans dum in magistro suo vulnera palpatet carnis, in nobis vulnera sanaret infidelitatis. Plus enim nobis infidelitas Thomæ ad fidem quàm fides credentium discipulorum profuit, quia dum ille ad fidem palpando rediit: nostra mens omni dubitatione postposita in fide solidatur. Bed. Quærit autem potest quare hæc enāgelista tunc Thomam defuisse dicat eum: Lucas scribat quod duo discipuli eutes in Emmaus reuerſi in Hierusalem inuenerunt vndecim congregatos: sed datur intelligi quoddam fuisse interuallum quod ad horam Thomas egressus sit, & Iesus veniens in medio eorum stetit. Chry. Sicut autem simpliciter & qualitercūque credere facilitatis est: ita multum inuestigare est crassissima mentis, propter hoc Thomas accusatur. Apostolis enim dicentibus quoniam vidimus dominum non credit, non tantum illis discredens, quantum rem pures impossibilem esse: unde sequitur, *Dixer. er. ei alij disci. vi. do. Ille au. di. eis: Nisi vi. in. ma. eius fixu. clauo. & mi. digi. mem. in lo. clauo.* Alijs enim crassior existens eam quæ est per sensum crassissimum, scilicet tactum quærebat fidem: & neque oculis credebat: unde non sufficit eum dicere: *Nisi videro:* sed addidit: *Et misero digi. &c.* Et post dies octo iterum erant discipuli eius intus, &c. Chry. Considera dominatoris clementiam, qualiter & pro vna anima ostendit seipsum vulnera habentem & accedit vt saluet vnum & nimirum discipuli annuntiantes digni erāt fide & ipse promittens. Sed tamen quia solus Thomas quæsiuit neque hoc eum priuauit Christus: non autem statim ei apparet, sed post dies octo vt in medio à discipulis admonitus accendatur in maius desiderium & fidelior fieret in futurum: unde dicitur, *Et post dies octo ite. erant discipuli eius intus & Tho. cum eis. Venit Ies. in. clau.* Aug. in se. pas. Quæris à me & dicit: si per ostia clausa intrauit, vbi est corporis modus? & ego respondeo: si super mare ambulauit, vbi est corporis pondus, sed fecit illud dominus, tanquam dominus: nunquid igitur quia resurrexit, destitit esse dominus? Chry. Astat itaque Iesus & non expectabat à Thomæ interrogari: sed vt ostendat quoniam cum loquebatur ad discipulos aderat: eisdem verbis vsus est. Et primò quidem increpat vel improperat: unde sequitur, *Deinde di. Thomæ: infer. digitum, &c.* secundò autem erudit, dicens: *Et noli esse incre. sed fidelis.* Vide quoniam infidelitatis erat ambiguitas, antequam spiritum sanctum acciperent, postea autem non, sed firmi erant de reliquo. Dignum autem est quærare qualiter corpus incorruptibile typos habebat clauorum, sed ne tumultueris: condescensionis enim erat vt discerent quoniam ipse erat qui crucifixus fuerat. Aug. de symb. Postea autem si vellent de corpore suscitato & clarificato omnem maculâ cuiuslibet cicatricis abstergere, sed sciebat quare cicatrices in suo corpore referuaret. Sicut enim demonstrant Thomæ non credenti nisi tangeret & videret, ita etiam inimicis suis vulnera demonstraturus est sua, non quod eis dicat sicut Thomæ: *Quia vidisti, credidisti:* sed vt conuincens eos veritas dicat: Ecce hominem quem crucifixisti, videtis vulnera quæ infixisti, agnoscitis latus quod pupugisti, quoniam per vos & propter vos apertum est: nec tamen intrare voluistis. Aug. 22. de ciu. Dei, Nescio autem quomodo etiam

## GLOSSA ORDINARIA

in superius Euang.

**C**um ergo esset. Hoc ipso in die resurrectionis factum est, in quo quinquies Iesus apparuit. Primò Mariæ Magdalena. secundò eidem cum aliis curreti nunciare discipulis volentibus, terriò Petro, quarrò Cleophae & socio eius, quintò discipulis ianuis clausis praedictis duobus iam reuersis. *Ostendit eis.* Post resurrectionem in corpore suo dominus duo contraria ostendit. & palpabile eiusdem naturæ ut formet ad fidem, & incorruptibile alterius gloriæ ut inuitet ad præmiu. *Di. ergo e. ite. Pax.* Pacem offert, qui propter pacem venit: iterat, ut monstret per suum sanguinem esse pacificata quæ in caelis sunt & quæ in terra. *Acci. spi.* Aug. In terra datur spiritus ut diligatur proximus: è caelo datur spiritus, ut diligatur Deus. *Quorum re. pe.* Ecce charitas, quæ per spiritum sanctum infundit cordibus eorum. Qui participes sui sunt, peccata dimittit: eorum qui non sunt, tenet. Et ideo postquam dixit: Accipite spiritum sanctum, continuo subiicit: *Quorum re. pec. Tho. an. ex.* Non casu, sed diuina dispositione defuit Thomas & audita non credit: vnde palpandum se ei dominus præbuit, quia eius dubitatione & facta sibi probatione nulli relinquatur iâ dubitare. *Qui di. Di.* Didymus, id est, geminus quia dubius Thomas, id est, abyssus: quia dubitatio profundius nouit. *Respōdit.* Videbat & tangebatur hominem: & super hoc Deum credebat iâ remota dubitatione, & confitebatur quem nō videbat. *Quia vi.* Nō ait tetigisti, sed vidisti: quia visus quodammodo generale sensus est qui de aliis quatuor dici solet. Forſitan non fuit ausus tangere: sed aspiciendo tantum, seu etiam tangendo credit. *Beati.* Commendat fidem gētiū: sed præterito vritur, ut qui quod erat futurum, in sua prædestinatione nouerat iam factum. *Mul.* Quasi in fine libri concludit: Multa quidē & alia fecit quæ præ sua multitudine non sunt scripta. hæc autem quæ fecit Iesus & ante resurrectionē & post, dicit se scripsisse, ut fidē astruat quæ vita habeatur. Deinde tamen narrat quomodo se manifestauit Iesus ad mare Tyberiadis. Et in captura piscium commendauit ecclesiæ sacramentum, qualis futura est in vltima resurrectione. Ad quod cōmendandū valet, quod quasi finis libri interpositus est, ut esset etiam sequentur narrationis quali præmiū: quod ei faceret quodammodo eminentiorem locum.

## CATENA AVREA

in idem Euang.

**C**hris. Audiētes discipuli quod Maria annuntiavit, consequens erat ut aut discredere, aut credentes dolerent, quoniam eos nō reputauit dignos sua visione. Hæc igitur recogitantes, neque per vnam diem dimisit pertransire, sed ex eo quod sciebant iam suscitatum esse, videre stentibus & timidis existentibus cum sero factum esset ipsis astitit. vnde dicitur: *Cum ergo sero esset die, &c.* Bed. In hoc infirmitas apostolorum monstratur, qui foribus clausis intus congregati residerent propter timorem Iudæorum, quorum metu fuerat prius dispersi. *Venit Iesus & stetit in medio.* Ideo

## GLOSSA ORDINARIA.

autem sero apparuit, quia consequens erat, tunc maximè eos timidos esse. The. Vel quia praestolabatur ut omnes conuenirent. Ostiis verò clausis, ut ostendat quia eodem modo resurrexit adiacente lapide super monumentū. Aug. in ser. Pas. Nonnulli autem de hac re ita mouentur, ut penè perclitentur afferentes contra miracula diuina prauidicia ratiocinationum suarum. Sic enim disputant: Si corpus erat, si hoc surrexit de sepulchro quod pepēdit in ligno: Quomodo per ostia clausa intrare potuit? Si comprehendis modum non est miraculum: vbi defecit ratio, ibi est fidei ædificatio. Au. su. Io. Moli quidem corporis vbi diuinitas erat ostia clausa non obstiterunt. Ille quippe non eis apertis intrare potuit quo nascente virginitas matris inuolata permāsit. Chry. Sed mirabile est qualiter phantasma eum non æstimarunt, sed hoc fuit, quia mulier præueniens in eis multā fidem operata est. Sed & ipse per visum manifestum se eis ostendit, & voce eorum influentem mentem firmavit. vnde sequitur: *Et di. eis: Pax vobis.* Id est ne tumultuemini. In quo etiam commemorat verbum quod ante crucē dixerat: Pacem meā do vobis: & rursus: In me pacē habebitis. Gre. Et quia ad illud corpus quod videri poterat fides inuentium dubitabat, ostendit eis protinus manus & latus. vnde sequitur: *Et cum hoc dixisset, &c.* Clauum enim manus fixerant, lancea latus aperuerat. Ibi ad dubitantium corda sanāda vulnerum sunt seruata vestigia. Chry. Et quia ante crucem eis dixerat: Iterum videbo vos & gaudēbit cor vestrū, hoc opere impletur. vnde sequitur: *Gauiſi sunt, &c.* Aug. 1. 1. de. q. d. Claritas qua iusti fulgebunt sicut sol in regno patris sui, in Christi corpore cum resurrexit ab oculis discipulorum potius abscondita fuisse quā defuisse: credēda est, non enim eam ferret humanus atque infirmus aspectus, quando ille à suis ita deberet attēdi ut possēt agnoscei. Chr. Vniuersa autem hæc eos ad fidem certissimā inducebant, quia verò prælium inexpugnabile habebant ad Iudæos, rursus eis pacem annūtiat. vnde sequitur: *Dixit eis er. ite. Pax vobis.* Bed. Iteratio confirmatio est, siue ideo repetit quia gemina est virtus charitatis, vel quia ipse est qui fecit vtraque vnum. Chry. Simul quoque demonstrat crucis efficaciam per quam soluit omnia tristitia & contulit omnia bona: & hoc est pax. Mulieribus autem supra annuntiatum est gaudium, quia in tristitiis illud genus erat, & hanc suscepit maledictionem dicente domino: In dolore paries. Quia ergo vniuersa prohibentia sunt destructa & directa sunt omnia de reliquo: subdit: Sicut mi. me pater, &c. Greg. Pater quidem filium misit qui hunc pro redemptione generis humani incarnari constituit. Itaque dicitur: *Sicut mi. me pa. &c.* Id est ea charitate vos diligo, cum inter scādālū persecutorum merito qua me charitate pater diligit quem venire ad tolerandas passiones fecit. Aug. Equalem autem patri filium nouimus, sed hic verba mediatoris agnoscimus. Medium quippe se ostendit dicēdo. Ille me: & ego vos. Chr. Sic igitur eleuauit eorum animum & ab his quæ facta sunt, & à dignitate mittentis, & non adhuc deprecatio ad patrem fit: sed sua anthoritate dat eis virtutem. vnde sequitur: *Hæc cum di. in. i. &c. eis. acci. spi. sanctum.* Aug. 1. 1. de tri. Flatus ergo ille corporeus substantia spiritus sancti non fuit, sed demonstratio per congruam significationem non tantum à patre, sed etiam à filio

filio procedere spiritum sanctum. Quis enim demumissimus diceret alium fuisse spiritum quem sufflans dedit, & alium quem post ascensionem suam misit? Grego. Cū autem prius in terra discipulis datur: postmodum de caelo mittitur, nisi quod duo sunt præcepta charitatis, dilectio videlicet Dei & dilectio proximi: in terra datur spiritus, ut diligatur proximus: ex caelo datur spiritus ut diligatur Deus: sicut ergo vna est charitas & duo præcepta, ita vnus est spiritus & duo data, prius à consistentē, domino in terra: postmodum datur ex caelo, quia proximi amore dicitur qualiter præueniri debeat ad mortem Dei. Chrysol. Quidam autem dicunt quoniam non spiritū dedit sed aptos eos ad susceptionem spiritus per insufflationem construxit. Si enim angelum videns Daniel excessum mentis passus est, quid ineffabilem illam gratiam suscipientes passi essent nisi discipulos suos primitus instruxisset? Nequaquam autem quis peccabit dicens tunc suscepisse eos quodam potestatem spiritualis gratiæ, non ut mortuos suscitent & miracula faciant, sed ut dimittant peccata: vnde sequitur, *Quorum remisistis, &c.* Aug. Ecclesiæ charitas quæ per spiritum sanctum diffunditur in cordibus nostris participum suorum peccata dimittit: eorum autem qui non sunt eius participes tenet. Ideo postquam dixit, *Accipite spiritum sanctum:* continuo de peccatorum remissione & retentione subiicit. Greg. Scindum verò est quod hi qui prius spiritum sanctum habuerunt, ut ipsi innocentes viuerent, & in prædicatione quibusdam prodesse: idcirco hunc post resurrectionem domini patenter acceperunt, ut prodesse non paucis sed pluribus possent. Liber ergo intueri: illi discipuli ad tanta onera humilitatis vocati ad quantum culmen gloriæ sint producti. Ecce non solum de seipsis sicuti sunt, sed etiam principatum superni iudicij sortiuntur ut vice Dei quibusdam peccata retineat, quibusdam verò relaxent, horum nunc in ecclesia episcopi locum tenent: & soluendi ac ligandi autoritatem suscipiunt qui gradum regiminis sortiuntur. Grandis honor, sed graue pondus istius est honoris. Durum quippe est ut qui nescit tenere moderamina vitæ suæ iudex fiat vitæ alienæ. Chrysol. Sacerdos enim etiam propriam bene dispensauerit vitam: aliorum verò non cum diligentia curam habuerit, cum perniciosus in gehennam vadit. Scientes igitur periculi magnitudinē multam tribuit eis deuotionem, & etiam si non valde nobiles fuerint: non autem iustum est ab his qui in principatu subijciuntur iudicari, & si vita eorum fuerit valde detrahebilis, in nullo lædens in his quæ sunt eis commissā à Deo. Non enim sacerdos sed neque angelus aut archangelus operari aliquid potest in his quæ sunt data à Deo. Sed pater & filius & spiritus sanctus omnia dispensant. Sacerdos autem suam linguam & manum tribuit. Non enim iustum esset ut propter alterius malitiā circa symbola nostræ salutis lædi eos qui ad fidem veniunt. Omnibus autem discipulis congregatis solus Thomas deficiebat à dispersione quæ iam facta erat: vnde dicitur, Thomas autem vnus ex 12. &c. Alcu. Didymus Græcè: Latine geminus: propter dubium cor in credendo: Thomas abyssus: quia altitudinem diuinitatis certa fide penetravit. Grego. Non autem casu gestum est: ut electus ille discipulus tunc de-

esset. Egit namque miro modo superna clemētia ut discipulus dubitans dum in magistro suo vulnera palparet carnis, in nobis vulnera sanaret infidelitatis. Plus enim nobis infidelitas Thomæ ad fidem quā fides credentium discipulorum profuit, quia dum ille ad fidem palpando reduecit: nostra mens omni dubitatione postposita in fide solidatur. Bed. Quærit autem potest quare hic euāgelista tunc Thomam defuisse dicat eum: Lucas scribat quod duo discipuli eūtes in Emmaus reuerſi in Hierusalem inuenerunt vdecim congregatos: sed datur intelligi quoddam fuisse interuallum quod ad horam Thomas egressus sit, & Iesus veniens in medio eorum stetit. Chrysol. Sicut autem simpliciter & qualitercūque credere facilitatis est: ita multum inuestigare est crassissima mentis, propter hoc Thomas accusatur. Apostolis enim dicentibus quoniam vidimus dominum non credit, non tantum illis discredens, quantum rem pures impossibilem esse: vnde sequitur, *Dixer. er. ei alij disci. vi. do. Ille au. di. eis: Nisi vi. in ma. eius fixu. clauo. & mi. digi. memu. in lo. clauo.* Aliis enim crassior existens eam quæ est per sensum crassissimum, scilicet tactum quærebat fidem: & neque oculis credebat: vnde non sufficit eum dicere: *Nisi videro:* sed addidit: *Et misero digi. &c.* Et post dies octo iterum erant discipuli eius intus, &c. Chrysol. Considera dominatoris clemētiā, qualiter & pro vna anima ostendit seipsum vulnera habentem & accedit ut saluet vnum & nimirum discipuli annuntiantes digni erāt fide & ipse promittens. Sed tamen quia solus Thomas quæsiuit neque hoc eum priuauit Christus: non autem statim ei apparet, sed post dies octo ut in medio à discipulis admonitus accendatur in maius desiderium & fidelior fieret in futurum: vnde dicitur, *Et post dies octo ite. erant discipuli eius intus & Tho. cum eis. Venit Iesus. clau.* Aug. in se. pas. Quæris à me & dicis: si per ostia clausa intrauit, vbi est corporis modus? & ego respondeo: si super mare ambulauit, vbi est corporis pondus, sed fecit illud dominus, tanquam dominus: nunquid igitur quia resurrexit, destitit esse dominus? Chrysol. Astat itaque Iesus & non expectabat à Thomæ interrogari: sed ut ostendat quoniam cum loquebatur ad discipulos aderat: eisdem verbis vnus est. Et primò quidem increpat vel improperat: vnde sequitur, *Deinde di. Thomæ: infer digitum, &c.* secundò autem etudit, dicēs: *Et noli esse incre. sed fidelis.* Vide quoniam infidelitatis erat ambiguitas, antequam spiritum sanctum acciperent, postea autem non, sed firmi erant de reliquo. Dignum autem est quærare qualiter corpus incorruptibile typos habebat clauorum, sed ne tumultueris: condescensionis enim erat ut discerent quoniam ipse erat qui crucifixus fuerat. Aug. de symb. Postea autem si veller de corpore suscitato & clarificato omnem maculā cuiuslibet cicatricis abstergere, sed sciebat quare cicatrices in suo corpore reseruaret. Sicut enim demonstrat Thomæ non credenti nisi tangeret & videret, ita etiam inimicis suis vulnera demonstraturus est sua, non quod eis dicat sicut Thomæ: *Quia vidisti, credidisti:* sed ut conuincens eos veritas dicat: Ecce hominem quem crucifixistis, videtis vulnera quæ infixistis, agnoscitis latus quod pupugistis, quoniam per vos & propter vos apertum est: nec tamen intrare voluistis. Aug. 22. de ciu. Dei, Nescio autem quomodo etiam



sc afficimur amore martyrum, beatorum, ut velimus in illo regno in eorum corporibus videre, vulnerum cicatrices quæ pro Christi nomine pertulerunt: & fortasse videbimus; non enim deformitas in eis, sed dignitas erit: & quædam quamuis in corpore non corporis sed virtutis pulchritudo fulgebunt: nec ideo tamen si aliqua martyribus amputata & ablata sunt membra, sine ipsis membris in resurrectione erunt mortuorum: quibus dictum est: Capillus capitis vestri non peribit. Sed si hoc decebit in illo nouo seculo, ut in iudicia gloriosorum vulnerum in illa immortalis carne cernantur ubi membra ut præciderentur percussa vel secta sunt: ibi cicatrices, sed eisdem membris redditæ non perditæ apparebunt. Quamuis igitur omnia quæ acciderant corpori vitia tunc non erunt, non sunt tamen appellanda vitia, sed virtutis iudicia. Gregor. in hom. Palpandam autem carnem dominus præbuit, quam clausis ianuis introduxit, quæ in re duo mira & iuxta humanam rationem valde sibi contraria ostendit: dum post resurrectionem corpus suum incorruptibile: & tamen palpabile demonstrauit. Nam & corrupti necesse est quod palpatur, & palpatis non potest, quod non corrumpitur, & incorruptibile ergo se & palpabile demonstrauit, ut profecto post resurrectionem esse ostenderetur corpus suum & eiusdem naturæ & alterius gloriæ. Greg. 13. mor. Corpus etiam nostrum in illa resurrectionis gloria erit quidem subtile per effectum spiritualis potentia, sed palpabile per veritatem naturæ: non autem sicut Eutychius scripsit impalpabile: & ventis aëreque subtilius. August. Videbat autem Thomas, tangebatur hominem, & confitebatur Deum quem non videbat neque tangebatur: sed per hoc quod videbat atque tangebatur, illud iam remota dubitatione credebat: vnde sequitur, Respondit Thomas, & dicit: Dominus meus, &c. Theoph. Qui prius infidelis fuerat post lateris tactum, optimum se theologum ostendit. Nam duplicem naturam vitamque hypostasim Christi edisseruit: dicendo enim, Dominus meus, humanam naturam: dicendo vero, Deus meus, diuinam confessus est, & vnum eundem Deum & dominum. Sequitur: Dicit ei Iesus: Quia vidisti me credidisti. Aug. Non ait tetigisti me sed vidisti me, quoniam generalis quodammodo est sensus visus: nam & per quatuor alios sensus nominari solet velut cum dicimus, Audi & vide quàm bene sonet, olfact: & vide quàm bene oleat, gusta & vide quàm bene sapiat, tange & vide quàm bene calcar: vnde & hic dominus dicit, Infer. digitum tuum huc, & vide manus meas. Quid aliud ait, quàm tange & vide? ne namque ille oculos habeat in digito, ergo siue intueudo, siue etiam tangendo hoc ait, Quia vidisti me credidisti, quamuis dici possit non ausum fuisse discipulum tangere: cum se offerret ille tangendum. Gregor. Sed cum Apostolus dicat: fides est substantia sperandarum rerum argumentum non apparentium, profecto liquet, quia quæ apparent iam fidem non habent, sed agnitionem. Dum ergo vidit Thomas: cum palpauit: cur ei dicitur: Quia vidi, me credidisti. Sed aliud vidit: aliud credidit, hominem vidit, & Deum confessus est. Lætificat autem valde quod sequitur: Beati qui non viderunt, & crediderunt. In qua sententia nos specialiter significati sumus, qui eum quem carne non vidimus, mente retinemus, si tamen fidem no-

stram, operibus sequimur. Ille enim verè credit, qui exercet operando quod credit. Aug. Præteriri autem temporis vsus est verbis tanquam ille qui id quod erat futurum in sua nouerat prædestinatione iam factum. Chryf. Cum ergo aliquis nunc dixerit: vitam in temporibus illis fuisse: & vidissem Christum miracula facientem: excogitet, Beati qui non viderunt, & crediderunt. Theoph. Exprimat autem & hinc discipulos, qui nec plagas clauorum, nec latus palpates crediderunt. Chryf. Quia verò Ioannes pauciora aliis euangelistis dixerat, subiungitur: Multa quidem & alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorum suorum quæ non sunt scripta in libro hoc, sed nec alij omnia dixerant, sed quæ erant sufficientia attrahere ad fidem audientes. Mihi autem videtur hic dicere ea quæ post resurrectionem sunt signa, & ideo dicit in conspectu discipulorum suorum, cum quibus solis post resurrectionem conuersatus est: deinde ut discas quoniam non solum discipulorum gratia signa fiebant: induxit, Hæc autem scripta sunt, ut credatis quia Iesus est Christus filius Dei, communiter ad humanam naturam loquens. Et ut ostendat quoniam ut non illi qui creditur, sed nobis ipsis velle est credere, subdit: Et ut credentes vitam habeatis in nomine eius, id est per Iesum. Ipse autem est vita.

S. IO. CHRYSOSTOMI  
Episcopi Constant. in Superius  
Euang. Hom. 1.

Cum par esset discipulos id intelligentes, vel non credere mulieri, vel, si crederent, ægrè ferre, quod ipsi quoque eum videre digni non fuerint haberi, eis in Galilæa se appariturum pollicetur, & ne propterea ægrè ferrent, ne diem quidem remoratus est: sed in desiderium trahens, & quod iam scirent resurrectisse, & quod à muliere audierant, desiderantibus, & timentibus, quod desiderium augebat, vespere illius diei magna cum admiratione adstitit. Et cur hac hora? Quoniam credibile erat eos magis formidare. Sed id mirandum est, quod phantasma eum non fuit suspicati. Clausis enim foribus, & repensit est ingressus: sed profecto à Maria præmoniti, fidem confirmarant, præterea certa, & mansueta specie se eis obtulit. Die autem non venit, ut omnes congregarentur, valde enim timebant, nec ositium pullauit, sed repente adstitit, Et ostendit latus, & manus, simul autem & voce fluctuantem animum confirmauit, inquiens: Pax vobis. hoc est, nolite perturbari: & verbi ante passionem ad eos habiti meminit: Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis. Et item: In me pacem habete, in mundo tribulationem habebitis. Causa sunt ergo discipuli, viso domino. Vides re sermonem domini confirmari? quod enim ante passionem dixerat: Iterum videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis: hoc nunc impleuit, per hæc omnia in certissimam eos fidem adduxit: nam, cum bellum implacabile cum Iudæis haberent, pacem eis dicit, ut pacem bello consolationem afferat. Hoc verbum primum post resurrectionem dixit, ideo Paulus semper, gratia, inquit, & pax. Mulieribus lætiam dicit, quia in mœrore erant, & primum lætiam ceperunt. Vicissim ergo viris propter bellum,

Ex Hom. 8, in Io.

Rom. 1. & 1. Cor. 1. & Cor. 1.

lum, pacem, mulieribus propter mœrorem lætiam annunciat: & molestias omnes dissoluens, crucis merita colligit, quæ sunt pax: quoniam omnia sublata sunt impedimenta, & trophæum clarissimum statuit, & omnia meliora facta sunt: Inde inquit. Sicut misit me pater, & ego mitto vos. Nullum habetis impedimentum, & propter ea, quæ iam facta sunt, & propter meam vos mittentis dignitatem. Quare hoc dicit? Eorum animos erigit, & suam proponit auctoritatem, siquidem suum eis relicturus erat ministerium: & cum nondum rogasset patrem sua eis auctoritate potestatem præbet. Insuper inquit, & dixit: Accipite spiritum sanctum: Quorumcumque remiseritis peccata, &c. Quemadmodum enim rex præfectos mittens, ut in carcerem reos intrudant, ut liberent, potestatem præbet: ita Iesus discipulos dimittens, hac munit auctoritate. Quomodo ergo, inquit, nisi ego abiero, ille non veniet: at nunc spiritum dat? quidam dicunt, non dedisse spiritum, sed idoneos ad eum accipiendum per insufficientem reddidisse. Nam, si Daniel, viso angelio, perterritus est, quid illis arcanam illam gratiam accipiendo vsu visentis, nisi prius eos Iesus præparasset: ideo inquiunt: Non dixit, accipitis, sed accipite spiritum sanctum. Non tamen quisquam erraret, si tunc eos potestatem quandam, & gratiam spiritalem, accepisse diceret, non tamen ut mortuos suscitarent, & virtutes ostenderent, sed ut peccata dimitterent: differentes enim sunt gratia spiritus, quare addidit: Quorumcumque remiseritis peccata, remissa sunt: ostendens, quod virtutis genus largiatur. Post quadraginta autem dies, signorum operationem acceperunt, ideo inquit: Accipietis virtutem venientis in vos spiritus sancti, & eritis mihi testes: Per signa scilicet. Est enim inenarrabilis spiritus gratia, & multiplex donum. Hoc autem sit, ut intelligas patris, & filij, & spiritus sancti vnum donum, & vnam esse potestatem, quæ enim patris propria, eadem & filij esse, & spiritus sancti videtur. Quomodo ergo? Nemo venit ad filium, inquit, nisi pater traxerit eum? Sed hoc filij esse ostenditur. Ego, inquit, sum via, nemo venit ad patrem, nisi per me. Vide & hoc idem spiritus esse: Nemo potest dicere dominum Iesum Christum, nisi in spiritu sancto. Et iterum Apostolos aliquando à patre, aliquando à filio, aliquando à spiritu sancto datos ecclesiae, & diuisionem gratiarum patris & filij, & spiritus videmus esse communes. Omnia ergo faciamus, ut spiritum sanctum habere possimus: & qui eius gratiam affecti sunt, eos quantauis reuerentia colamus. Magna enim dignitas sacerdotum. Quorumcumque remiseritis, inquit, remissa sunt peccata. Quamobrè Paulus dicebat: Obedite præpositis vestris, & subiaceat eis, ut maximum habeatis honorem: Tu enim rem tuam curas, quam si bene ordinaris, nulla tibi alia sollicitudo impendet. Sacerdos, si suam vitam disposuerit, tuam autem non diligeret curauerit, eum impiis in gehennam detruderet: & nonnunquam non propriis actionibus, sed nostris damnatis: nisi omnia, quæ ad se spectant, efficiat. Cuius igitur periculi magnitudinem videatis, multa eos benivolentia prosequamini: quod & Paulus significauit, dicens: Ipsi peruigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddiduri: ideo maxime colendi sunt.

Dani. 8.

Act. 1.

1. Cor. 12.

Sacerdotum officij, peccata remitte.

Ibidem.

Quod si eis insultabitis, neque vestra bene disponeatis. Quoad enim bono, & lato animo est gubernator, etiam nauæ securi sunt: sin inuitus his esse cœperit, & molestè ferrè, neque inuicem vigilare, neque artem exercere poterit, & inuitus, molestusque, multis eos malis afficiet: ita & sacerdos si debitum à nobis cultu sibi præstari viderit, rectè nos gubernare poterit: si afficietis mœrore manus eius debilitantes, simul vobiscum fluctibus, etiam si maximi animi sit, obijcietis. Intellige quid de Iudæis inquit Christus, super cathedram Moysi sederunt scribæ & Pharisei, omnia quæcunque dixerint vobis, facite, Nunc non est dicendum, super cathedram Moysi, sed super cathedram Christi sederunt sacerdotes. Eius enim acceperunt doctrinam. Quare Paulus inquit, pro Christo legatione fungimur, tanquam Christo exhortante per nos. Nonne videtis seculi principibus omnes subesse, & sepe genere, vita, & prudentia potioribus deteriores præponi? nihilominus principis, qui eos præposuit, reuerentiam, nihil quales illi sint, cogitant. Quod si homo aliquem constituerit, tantus subit metus, si, Deus quem constituit, despiciamus, maledicimus, innumeris afficimus contumeliis: & cum fratres nostros iudicare prohibeamur, contra sacerdotes linguam acimus. Quoniam hæc digna excusatione, cum in oculo trabem non videmus, festucam proximi oculo acrius censemus? Nescis grauius te tibi iudiciu præscribere, cum ita alij iudicas? Hæc dico, non quod indignos ad sacerdotiu assumi probè, sed miserecens, & lachrymans. Non enim propterea à subditis iudicandi sunt, etiam si male, & vitiose viuunt. Tu autem, si tibi consules, nihil in iis, quæ illis commissæ sunt, offendes. Nam, si animum loqui fecit, & per vatem benedictiones spiritales largitus est, & in muto ore, & lingua immunda Balaam, propter offendentes Iudæos operatus est: multo magis propter vos fideles, etiam si prauis sint sacerdotes, Deus omnia per eos perficiet, & mittet spiritum sanctum: neque enim pura mens propterea propriam puritatem amittit, sed gratia omnia operatur. Omnia enim, inquit, propter vos, siue Paulus, siue Apollo, siue Caphas. Quicquid enim conatur sacerdos, solius Dei donum est: & ubi humanam exercet sapientiam, minor illius gratia apparet. Neque hoc dico, ut pigrius viuamus, sed ne pigre qui vobis præpositi sunt, viuentibus, vos his commissi aliquando mala vobis comparetis. Et quid sacerdotes dico? Neque angelus, neque archangelus quicquam in iis, quæ à Deo data sunt, efficere potest: sed pater, & filius, & spiritus sanctus omnia facit. Sacerdos & linguam, & manus præbet: neque enim iustum est, propter alterius malitiam ad salutem, nostram accedentes offendit: Quibus omnibus confidatis, & Deum timeamus, & eius sacerdotes maiorem in modum veneremur, ut & nostris operibus, & illis honore exhibito, à Deo multam accipiamus remunerationem, gratia, & benignitate domini nostri Iesu Christi, cum quo patri gloria, simul & spiritui sancto, in secula seculorum, Amen.

Vide quanta reuerentia sibi adhibenda fuerit debetibus.

Matth. 23.

1. Cor. 5.

Matth. 7. & Luc. 9.

Lutherane vide.

Num. 22. & sequent.

1. Cor. 3.

EIVSDEM IN IDEM

Homilia 2.

Ex Homil. 26. in Ioan.

**T**homas autem ex duodecim vniuersis, qui dicitur Didymus, &c. Quemadmodum simpliciter, & vt cōtingit, credere facilitatis est: ita præter modum inquirere, & inuestigare, crassissimæ mentis, ideo Thomas accusatur. Dicentibus enim Apostolis: *Vidimus dominum*, non tantum non credidit illis, quantum rei tanquam impossibili diffidens, quod scilicet resurrexerit. Non enim dixit, non credo, sed, *nisi mittam digitum in locum clauorum, non credam*. At quomodo aliis omnibus congregatis, ipse solus absuit? Credibile est ex fuga nodum reliisse. Tu autem, quum discipulum non credentem videas, considera domini clementiam, quomodo pro vna etiam anima vulnera sua ostendit, & vt vnum saluum faceret, apparuit: & cum crassioris esset ingenij, à crassissimo sensuum fidē sibi quærit. Neque enim oculis credebat, quippe qui non tantum dixit, *nisi videro*: sed, *nisi manum mittam*, ne imaginatio putaretur: Atqui discipuli ista annūciantes tunc fide digni erant, atque etiam ipse, qui se resurrexerit pollicitus fuerat. Veruntamen, cum amplius quæreteret, neque his eum priuauit Christus. Et qua gratia ei continuò non apparuit, sed post dies octo? Vt interea à discipulis edoctum, iisdem auditis, in maius traheretur desiderium, & magis in fide confirmaretur. Vnde autem intellexerat latus perforatum? Ex discipulis. Cur alterum credidit, alterum non credidit? Quia hoc mirabilius erat. Et considera quam verè loquantur discipuli, quoniam neque sua, neque aliorum vitia abscondunt, sed quam verissime scribunt. Adstitit ergo iterum Iesus, neque ab illo rogari expectat, neque quicquam tale audit: sed, nihil eo dicente, ipse Iesus primum eius satisfecit desiderio, ostendens superioribus discipulorum verbis affuisse: iisdem enim vsus est, & acrius castigando, & ad futura erudiendo. Nam, quum dixisset ei; *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, &c.* Et noli esse incredulus, sed fidelis. Vides ex incredulitate dubitare? Sed antequam spiritum acciperent, eo autem accepto, perfecti euaserunt: neque in hoc tantum reprehendit, sed in sequentibus. Quum enim ille certior factus ad se rediit, & dixit; *Dominus meus & Deus meus*: (inquit.) *Quia vidisti me, Thoma, credidisti? beati qui non viderunt, & crediderunt.* Hoc enim fidei est, accipere, quæ non videntur. Est enim fides substantia sperandarum rerum, argumentum non apparentium. Hic autem non solum discipulos laudat, sed & qui post illos credituri erant. Atqui, inquit, discipuli viderunt, nihil quæsiuerunt, sed ex sudario statim resurrectioni, priusquam corpus inuenerentur, verè crediderunt. Cum ergo quispiam dicit; *Vellem illis fuisse temporibus, & Christum miracula facientem vidisse, intelligat beatos, qui non viderunt, & crediderunt.* Dignam autem dubitationis est, quomodo corpus incorruptibile formam clauorum acceperit, & mortali manui tangi potuerit: sed hoc te non perturbet, hoc enim permisionis fuit. Corpus enim tam tenue, & leue, vt clausus ianuis ingredereetur, omnij crassitudine carebat, sed vt resurrectio crederetur talem se exhibuit, & vt ipsum crucifixum fuisse, & neminē alium pro eo resurrexisse intelligas, pro-

Feb. 11.

Act. 10.

pterea cum signis crucis resurrexit: & manducauit: quod resurrectionis signum Apostoli plurimi fecerunt dicentes; *Qui cum eo simul manducauimus, & bibimus.* Quemadmodum igitur cum ante passionem super aquis ambularet, aliud à nostra natura corpus illud fuisse non dicimus: ita post resurrectionem videntes id signa clauorum habuisse: non propterea corruptibile dicemus, propter discipulum hæc ita ostensa sunt. *Multa & alia signa* (inquit) *fecit Iesus.* Nam, cum pauciora hic meminisset Euangelista, dicit neque alios omnes omnia collegisse, sed tantum quæ ad faciendam auditoribus fidem erant necessaria. Nam, si omnia, inquit, scriberentur, nec ipsum arbitror mundum capere eos, qui scribendi sunt libros. Vnde constat non ambitionis, sed tantum utilitatis gratia scripsisse: siquidem, qui plura omiserunt, quomodo ad ambitionem scripserunt? Sed cur non omnia transegerunt? Maxime propter rerum multitudinem, præterea & illud considerant, quod qui his non crederent, neque pluribus crederet, qui verò hæc acceperit, non indigeret pluribus ad fidem assequendam. Mihi autem hoc in loco de signis post resurrectionem dicere videtur, ideo inquit; *In conspectu discipulorum suorum.* Sicut enim ante resurrectionem multa fieri oportuit, vt Dei filium esse crederent: ita post resurrectionem, vt surrexisse crederetur: ideo addidit; *In conspectu discipulorum.* Nam, cum his solis post resurrectionem versatus est, propterea dicebat; *Mundus nondum me videt, inde vt cognoscas, discipulorum duntaxat gratia hæc facta esse, prosequitur; Vt credentes vitam æternam habeatis in nomine eius.* Hoc est, per eum: ipse namque vita est.

Sup. 14.

S. AVGVST. EPISCOPI

Hipponensis in superioribus

Euang. Homil. 1.

**C**um esset ergo sero die illa vna sabbatorum, & fores essent clausæ, ubi erant discipuli congregati, propter metum Iudeorum, venit Iesus & stetit in medio, & dixit eis; *Pax vobis: & cum hoc dixisset, ostendit eis manus & latus.* Clauis enim manus fixerat, lancea latus eius aperuerat, ubi ad dubitantium corda sananda, vulnerum sunt seruata vestigia. Moli autem corporis ubi diuinitas erat, ostia clausa non obtulerunt. Ille quippe non eis apertis intrare potuit, quo nascente, virginitas matris inuiolata permanit. *Gausti sunt ergo discipuli, viso domino.* Dixit ergo eis iterum: *Pax vobis.* Iteratio confirmatio est, ipse quippe dat per Prophetam promissam pacem super pacem. *Sicut misit me pater, inquit, & ego mitto vos.* Equalem patri filium nouimus, sed hic verba mediatoris agnoscimus. Medium quippe se ostendit dicendo: *ille me, & ego vos.* *Hæc autem cum dixisset, insufflauit, & dixit eis; Accipite spiritum sanctum.* Insufflando significauit spiritum sanctum non patris solius esse spiritum, sed & suum. *Quorum remisistis, inquit, peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Ecclesie charitas, quæ per spiritum sanctum diffunditur in cordibus nostris, participum suorum peccata dimittit: eorum autem, qui non sunt eius participes tenet, ideo posteaquam dixit; *Accipite spiritum sanctum:* hoc continuo de peccatorum remissione ac detentione subiicit. *Respondit Thomas & dixit; Domi-*

Ex Tractat. 121. in Ioan.

A. sent. di. 18. cap. Nec ideo.

*mus meus, & Deus meus.* Videbat, tangebaturque hominem, & confitebatur Deum, quem non videbat, neque tangebatur. Sed per hoc quod videbat atque tangebatur, illud iam remota dubitatione credebat. *Dicit ei Iesus, quia vidisti me credidisti.* Non ait tetigisti me, sed, *vidisti me:* quoniam generalis quodammodo sensus est visus: nam & per alios quatuor sensus nominari solet: velut cum dicimus, audi & vide, quam bene sonet, olfac, & vide, quam bene oleat, gusta & vide, quam bene sapiat, tange, & vide, quam bene caleat. Vbi que sonuit vide, cum visus proprie non negetur ad oculos pertinere. Vnde & hic ipse dominus: *Infer, inquit, digitum tuum huc, & vide manus meas:* quid aliud ait quam tange, & vide? Nec tamen oculos ille habebat in digito. Ergo siue intuendo, siue etiam tangendo, *quia vidisti me, inquit, credidisti, quamuis dici possit non ausum fuisse discipulum tangere, cum se offerret ille tangendum, non enim scriptum est, & tetigit Thomas: sed siue aspiciendo tantum, siue etiam tangendo viderit, & crediderit, illud quod sequitur, magis gentium fidem prædicat atque commendat. Beati qui non viderunt, & crediderunt.* Præteriti temporis vsus est verbis, tanquam ille qui quod erat futurum, in sua nouerat prædestinatione iam factum. Sed iam sermo iste à prolixitate cohibendus est. Donabit dominus, vt de his, quæ restant alias disputemus.

EIVSDEM IN IDEM

Homilia 2.

Ex Tractat. 121. in Ioan.

**P**ost narrationem rei gesta, in qua Thomas prolatis sibi tangendis in Christi carne vulnerum locis, vidit quod credere volebat, & credidit, interponit hæc Euangelista Ioannes & dicit. *Multa quidem & alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc. Hæc autem scripta sunt vt credatis quia Iesus est Christus filius Dei, & credentes vitam habeatis in nomine eius.* Hoc capitulum velut libri huius indicat finem: sed narratur hic deinde quemadmodum se manifestauerit dominus ad mare Tyberiadis, & in captura piscium commendauerit Ecclesie sacramentum, qualis futura est vltima resurrectio mortuorum. Ad hoc itaque commendandum valere arbitror, quod tanquam finis interpositus est libri, quod esset etiam securæ narrationis quasi procemium, quod ei quodammodo faceret eminentiorem locum.

EIVSDEM IN IDEM

Homil. 3.

Serm. 156. de temp.

**D**igne, fratres charissimi, piis studiis exultemus in Christo sub præsentis solennitate, in qua nobis inferorum dominus diues spoliis reditus est, in qua rediit celsitudo de profundis, lux de tenebris, vita de mortuis. Ecce quantum pro salute ouium perditarum benigna pij pastoris sollicitudo discurrat. Sub vno, eodemque tempore & hominem vsque ad paradisum reuocare dignatur, & mortem vsque ad inferna persequitur, gloriose captiuandam in regno suo, & magnificentius in suis sedibus triumphandam. Ad descensum itaque caelestis domini, profundum

inferi panditur; peregrinum sibi lumen inferni nox æterna miratur. Expanit ergo nox subito non suum mortuum, imo expanit mortem suam. *Apparat enim ille, qui dudum per prophetam suum dixerat. O mors, ero mors tua, ero morsus tuus, inferne.* Et ideo non solum in eo inuenire non potuit quod teneret, sed eos, quos antea retinebat, reuocari ad superos se nolente cōspexit, & quem debitorem suum putabat, exactorem potius expecta est. Et quem quasi captiuum inferni vinculis astringendum esse credebat, quasi liberatorem cum recepta captiuitate redire mirata est: sic quæ descensione hominem iudicauerat, Deū regressione cognouit. Potuerat quidem dominus noster, fratres charissimi, hostem humani generis sola maiestate prosternere sine incarnationis humilitate, sine certamine passionis: sed homo, qui proprio transgressionis crimine tenebatur obnoxius qui per culpam suam incurerat seruitutem, non violentia liberandus fuit, sed misericordia redimendus. Et quia Deus æquitas, & iustitia est, ipse sibi lex est. Et quia homo iudicij, & iuris sui, ac liberi arbitrij præditus voluntate, qui voluntarius ruerat, iniustum erat vt erigeretur inuitus, æquius, & salubrius fuit, vt qui per superbiam à diabolo persuasus fuerat ad mortem, à Deo per humilitatem solidaretur ad vitam. Iusto ergo ordine qui per calliditatem maleuoli serpentis non impulsus, sed seductus fuerat ad perditionem, rursum per sapientiam beneuoli redemptoris non compellitur, sed ducitur ad salutem, vt, qui cum sua voluntate corruisse videbatur, cum sua rursus voluntate repararetur, vt esset virtuti, ac remunerationi locus. Non enim præripuit eum per violentiam suam, sed potius per iustitiam & beneuolentiam solidat & eruit ad vitam: quia benignitas prouocantis etiam meritum desiderat acquiescentis, & dignantissimi medici studium, infirmi requirit assensum. Cuius inestabilem ad emendos nos dignitatem etiam prælens Euangelij lectio declarauit. Ait enim, sicut audistis; *Cū esset sero die illa vna sabbatorum, venit Iesus ianuis clausis, & stetit in medio discipulorum suorum.* Quid mirum, si dominus ad discipulos glorificationis corpus claustris stupentibus introuiserit, qui illius materni pudoris signaculo, ianua mundi huius intrant: Cuius ortum naturæ nesciunt, non dubites si potentiam exercere videas triumphan- Luc. 2.  
tem quem tam stupenda perspicis egisse nascentem. Quid hic respondebunt Iudæi, sepulto domino descendentes, & signantes lapidem cum custodibus? *Quæ cum ita sine, quomodo eum repellere potuit obiectus repaguli, quem non coercuerat pondus sepulchri? Imò quomodo eis obliterata domus excludere potuit, quem in claudere mortis porta non potuit. Quid mirum si substantiam corporis nostri per clausa ostia transmissis sit, cui etiam penetrabilia supernorum, & solis angelis familiare secretum patere cōsuegit? Cui ergo dixissent alij discipuli, vidimus dominum, respondit Thomas & dixit eis; Nisi videro, inquit, in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam.* Quam bona ignorantia, quæ eruditio ignaros, quæ instruxit incredulos. Quam bona infidelitas, quæ seculorum fidei militauit. *Nisi videro, inquit, in manibus eius fixuram clauorum.* Vox ista inquitentis est, non negantis. Dum hoc Matth. 27.

EIVSDEM DE EADEM

Dominica ad competentes. Homil. 4.

dicit, doceri voluit, confirmari desideravit: & ideo ad eum dominus ita ait, *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & asper manum tuam, & mitte in latus meum.* Dum benignū præbet veritas moderata responsum, in Apostolo suo non dubitationis vitium, sed sollicitudinis instruit affectū. Quia ergo illo in tempore tanti mysterij novitas versabatur, merito curiosæ persequutionis non est utilitas exclusa: accedit, quod in his Apostoli verbis mundi utilitas agitur. Vnius interrogatio vniuersitatis est instructio. Ostendit ergo manus, & latus. Necessarium enim erat, vt manifestarum præsens expressio cicatricum crucifixi corporis faceret fidem, quia splendor nouæ lucis pristinā obduxerat veritatem, & cognitionem quodam modo claritas obscurauerat. Quis ergo cicatricibus, respondit Thomas & dixit, *Dominus meus, & Deus meus.* Nouo genere vestigia vulnerum diuinitati perhibent testimonium, quia templum erat Dei indumentum corporis vulnerati. Duas hoc loco in Christo mirare substantias. Fixuram perspicit corporis, & Deum prædicat maiestatis. Vbi sunt, qui dicunt animas nouis, in quibus antea non vixerunt, corporibus induendas? Ecce in resurrectionis autore hoc ipsum video resurrexisse, quod cecidit, & ideo mortui dormire dicuntur, iuxta prophetam, Nunquid qui dormit, non adiciet vt resurgat? Quare mortem somno assimilauit; Quia in vno, eodémque homine, nunquid alter est qui in somno resoluitur, alter vero, qui in eiusdem somni stupore ad vigilandi officia suscitatur? Non vtrique, sed ipsa absque dubio membra euigilasse credenda sunt, quæ dormitionis stupore laxata sunt. Ita mors corporis, quod in puluere confectura susceperit, idem ipsum discussa restituit nec rude, sed rediuiuum vas cognatus spiritus recognoscit. Et propterea mysterium resurrectionis etiam de minimis exponens, ita Apostolus loquitur: resurrectionem grano tritici comparans. Etenim tu, quibd feminas non viuificatur, nisi prius moriatur. Si quando, vt moris est, fruges botri sulcis agricolæ foenerante creduntur, nunquid aliud est quod sepelitur in semina, aliud quod virefcit in germina? Sed singula, quæque corpora non de nihilo, sed sui origine producantur, & recentia de veteribus inuuantur. Cum autem de resurrectione loqueretur Apostolus dicens, Quod feminas non viuificatur, nisi prius moriatur, vides quia mors, quod susceperit, hoc refundit? Et vni quique, inquit, seminum proprium corpus. Non vtrique à genere suo alienum, sed nature suæ proprium, & de materie suæ qualitate reparatum. Reuo cabitur ergo in contubernium pristinum animæ, & corporis vietas, & nullis vnquam seculis dissocianda germanitas. Nostrum est gratia autoris, & redemptionis auctori, vt trad illorum numerum pertinere videamus, de quibus Apostolus dicit: Simul rapiemur obuiam Christo in aëra, & in nubibus, & sic semper cum Domino etiamus. Dignum enim esse iudicauit, vt germana corporis, animæque substantia, cum Christo simul regnet in cælis, & quæ Christo seruauit in terra, tunc cum Christo in terris, & in cælis regnet.

*Psal. 40.*

*1. Cor. 15.*

*1. Thes. 4.*

**P**aschalis solennitas hodierna festiuitate concluditur, & ideo hodie neophytorum habitus commutatur, ita, tamen vt candor, qui de habitu deponitur, semper in corde teneatur. In qua quidem primū nobis agendum est, vt, quia paschales dies sunt, id est, indulgentiæ, ac remissionis, ita à nobis sanctorū dierū festiuitas agatur, vt relaxatione corporum puritas nō obfulceret, sed porius abstinentes ab omni lusu, ebrietate, lasciuia, demus operam sobriæ remissioni, ac sanctæ sinceritati, vt, quicquid modo corporali abstinentia non acquirimus, mentium puritate quaeramus. Ad omnes quidem pertinet sermo, quos cura nostra complectitur: veruntamen hodie terminata sacramentorum solennitas, vos alloquimur nouella germina sanctitatis, regenerata ex aqua, & Spiritu sancto, germen pium, examen nouellum. Flos nostri honoris, & fructus laboris, gaudium, & corona mea, omnes qui statis in domino, Apostolicis verbis vos alloquor, Ecce nox præcessit, dies autem appropinquabit. Abiicite opera tenebrarum, & induite vos arma lucis, sic vt in die honeste ambulemus. Non in commensationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudiciis, non in contentione, & amulatione, sed induimini Dominum Iesum Christum. Habemus, inquit, certiorē propheticum sermonem, cui bene facitis intendentes, tanquam lucernæ in obscuro loco, donec dies luceat, & lucifer oriatur in cordibus vestris. Sint ergo lumbi vestri accincti, & lucernæ ardentes, & vos similes hominibus expectantibus Dominū suum, quando reuertatur à nuptiis. Ecce dies adueniunt, in quibus Dominus dicit, Pusillum, inquit, & non videbitis me, & iterum pusillum, & videbitis me. Hæc est hora de qua dixit, Vos tristes eritis, seculum autem gaudebit: id est, vita ista tentationibus plena, in qua peregrinamur ab eo. Sed iterum, inquit, videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis. Cuius spei tam gratum, & tam gratuitum etiam pignus Sanctum Spiritum accepimus, qui in cordibus nostris inenarrabiles gemitus operatur sanctorū desideriorū. Concepimus enim, sicut ait Esaias, parturiuimus Spiritum salutis. Et mulier cum parturit, ait Dominus, tristitia est illi, quia venit dies eius, sed cum peperit, fit gaudium, quoniam natus est homo in seculo. Hoc est gaudium quod nemo aufert à nobis, quo in æternæ vitæ lucem ex hac fidei conceptione transfundimur. Nunc ergo ieiunemus, & oremus, cum dies parturitionis est. Hoc totum corpus Christi, in toto orbe diffusum, id est, tota hæc agit Ecclesia, & illa vnitas quæ dicit in Psalmo, A finibus terræ ad te clamauit, dum anxietur cor meum. Vnde iam nobis elucet, cur quadragesima instituta sit huius humilitationis solennitas. Qui enim à finibus terræ clamat, cum anxietur cor eius à quatuor orbis terræ partibus clamat, quas frequenter etiam scriptura commemorat, Oriente, & Occidente, Aquilone, & Meridie. Per hoc totum ille decalogus legis, iam non per litteram tantummodo metuendus, sed per gratiam charitatis implendus, inducitur est. Vnde quater multiplicatis

*Sermo 157. de temp.*

*Philipp. 4.*

*Rom. 13.*

*Luc. 12.*

*Ioan. 16.*

*2. Cor. 5.*

*Esai. 26.*

*Ioan. 16.*

*Psal. 60.*

eadis decem, videmus quadraginta compleri. Sed adhuc in labore tentationis cum venia delictorum. Quis enim perfecte implet, Non concupisces? Vnde ieiunandum, & orandum, à bono tamen opere non cessandum. Cui labori merces illa redditur in fine, quæ denarii nomine nuncupatur. Sicut autem ternarius à tribus, quaternarius à quatuor, ita denarius à decem nomen accepit. Qui coniunctus quadragenario, tanquam merces labori redditur. Quinquagenarii numeri figura tempus illius gaudij significat, quod nemo auferet à nobis. Cuius in hac vita nondum perfectionem habemus, sed tamen post solennitatem dominicæ passionis, à die resurrectionis eius per dies quinquaginta quibus ieiunia relaxamus, hoc in dominicis laudibus personante; halileuia celebramus. Nunc itaque in persona Christi, vt non possideamus à satana, exhortor vos, dilectissimi, vt quotidianis, & largioribus elemosynis, frequentioribus orationibus Dominum propiciemus. Nunc tempus est, vt vnusquisque abstineat se à non tantum ab illicitis, sed etiam à quibusdam licitis, & orationibus atque ieiuniis vacet. Quamuis & per totum annum certis diebus hoc facere debeat, & quanto crebrius, tanto vtrique melius, quia & qui concessa immoderate appetit, eum, qui concessit offendit. Oratio quippe spiritualis res est, & ideo tanto est acceptior, quanto magis suæ naturæ implet affectum. Tanto magis autem spirituali opere funditur, quanto magis animus, qui eam fundit, à carnali voluptate suspenditur. Quadraginta dies ieiunauit Moyses legis administrator, quadraginta Helias prophetarum excellentissimus, quadraginta ipse Dominus, testimonium habens à lege, & Prophetis. Baptismus ille proponitur. Ioannes enim baptizauit Christum, cum se Christo profiteretur minorem. Christus autē baptizauit Christianū, qui se ostēdit & Ioāne esse maiorē, sicut circūcisione carnis, quāuis eam & Christus accepit, & nemo Christianus accepit. Melius est sacramentū resurrectionis Christi quod ad expoliandam carnalem hanc, veteremque vitā corde circūcideretur Christianus, vt audiat Apostolus, dicentem, sicut Christus surrexit à mortuis per gloriā patris, sic & nos in nouitate vitæ ambulemus: sicut ipsum veteris pascha, quod agni occisione celebrare præceptum est, non ideo quia hoc cum discipulis celebravit Christus, iam melius est pascha nostrum quod immolatus est, Christus. Pertinet enim ad præbendū nobis humilitatis, & deuotionis exemplum, vt illa etiam sacramenta veniens suscipere dignaretur, quibus venturus ipse prænunciabatur: vt hinc ostenderet quāta religione nos oportet accipere hæc sacramenta, quibus iam venisse nunciatur. Non ergo, quia Christus post acceptū baptismum continuo ieiunauit, tanquam regulam obseruationis dedisse credendus est, vt post ipsius Christi baptismum acceptum continuo ieiunare necesse esset: sed planè illo exemplo docuit ieiunandum esse, quādo forte acriore luctamine cum tentatore configitur. Ob hoc enim & Christus, qui sicut homo dignatus est nasci, non respuit sicut homo tentari, vt Christianus magisterio eius instructus, non possit à tentatione superari. Siue ergo continuo post baptismum, siue quolibet interuallo temporis interposito, quādo simile prælium tentationis infertur homini ieiunandum est,

*Exod. 10.*

*Abstinendū & à licitis.*

*Exod. 14. 3. Reg. 19. Mat. 4. Mat. 3.*

*Luc. 2.*

*Rom. 6.*

*1. Cor. 5.*

*Ieiunij virtus.*

vt & caro impleat de castigatione militiā, & anima impetret de humilitate victoriā. In illo ergo dominico exemplo illius causa ieiunij nō. Iordanis tinctio, sed diaboli tentatio fuit. Cur autem nos ante solennitatem passionis domini ieiunemus, & illa ieiuniorum relaxatio quinquagesimæ die perficiatur, hæc ratio est: Omnis, qui recte ieiunat, aut animam suam in gemitu orationis, & castigatione corporis humili, & ex fide non ficta affligit: aut ab illecebra carnis inopia aliqua spiritali veritatis, & sapientiæ delectatione suspensa, ad famem, sitimque sitendam descendit. Interrogantibus Pharisæis, cur discipuli eius non ieiunaret, Nam de illo primo quod habet animæ humilitationē. Non possunt, inquit, lugere filij sponsi, quando cum eis sponfus est; sed veniet hora, quando auferetur ab eis sponfus, & tunc ieiunabunt. De illo autem altero, quod habet epulas mentis, ita consequenter locutus est: Nemo assuet pannum nouum vestimento veteri, ne maior scissura fiat: neque mittunt vinum nouum in vtrēs veteres, ne rumpantur, & vinum effundatur: sed vinum nouum in vtrēs nouos mittunt, & ambo conseruabuntur. Proinde quia iam sponfus ablatu est, vtrique nobis filius illius pulchri sponsi lugendum est. Speciosus enim forma præ filiis hominum, carus diffusa gratia in labiis eius. Inter manus persequētium non habuit speciem, neque decorem, & ablata est de terra vita eius. Et recte lugemus, si flagramus desiderio eius. Beati, quibus licuit eum ante passionem tunc habere præsentem, interrogare sicut vellēt, audire, sicut audire deberent. Illos dies concupierunt videre patres ante aduentum eius, neque viderunt: quia in alia dispensatione fuerāt ordinati, per quos venturus annuntiaretur, non quibus veniens audiretur. De his enim Apostolus loquitur, dicens: Multi iusti, & prophete voluerunt videre, quæ videtis, & non viderunt, & audire, quæ auditis, & non audierunt. In nobis autem illud impletum est, quod idem ipse dicit, Veniet dies, quando desiderabitis videre vnum de diebus istis, & non poteritis. Qui sancti desiderij flamma vritur, quis hic non lugeat, quis non labore in gemitu suo, quis non dicat, Factæ sunt mihi lachrymæ meæ panes die, ac nocte, dum dicitur mihi quodidie, vbi est Deus tuus? Credimus quippe eum iam sedentem ad dexteram patris, sed tamen quandiu sumus in corpore, peregrinamur ab eo, nec de eo dubitantibus, vel negantibus, & dicentibus, vbi est Deus tuus, valemus ostendere. Merito Apostolus eius concupiscebatur dissolui, & esse cum illo: manere autem in carne non sibi optimum dicebat, sed necessarium propter nos: vbi cogitationes mortalium timida, & incertæ prouidentia nostræ, quoniam deprimit terrena inhabitatio sensum, multa cogitantem; inde tentatio est vita humana, super terram, & in hac nocte seculi circuit sicut leo quærens quem deuoret. Non leo de tribu Iuda rex noster, sed leo diabolus aduersarius noster. Ille enim quatuor animalium de Apocalypsi Ioannis figuram in se vno exprimens, natus vt homo, operatur vt leo, immolatus vt vitulus, volauit vt aquila. Volauit super pennas ventorum, & posuit tenebras latibulum suum. Posuit tenebras, & facta est nox, in qua pertransiunt omnes bestię syluæ. Caruli leonum rugientes, tentatores videlicet, per quos diabolus quærit, quæ deuoret. Non quidem

*Matth. 9.*

*Psal. 44. Esai. 53.*

*Matth. 13.*

*Psal. 41. 1. Cor. 5.*

*Philipp. 1.*

*Sapient. 9. Job 1.*

*1. Petr. 5. Apocal. 5. Apocal. 7. Psal. 17.*

*Psal. 103.*

*1. Petr. 5.*



quidem habentes potestatem, nisi in eos, quos receperint: quia & in Psalmo ipso ita sequitur, Quarentes à Deo escam sibi. In tam periculosa, & tentationibus plena huius seculi nocte, quis non timeat? quis non medullis omnibus contremiscat, ne dignus iudicetur, qui deuorandus dimittatur in fauces, tam crudelis inimici? Vnde & ieiunandum, & orandum est, & tanto potius, tanto instantius, quanto propinquius & ipsa dominica resurrectionis solennitate, passionisque celebritate anniuersaria, quodam modo nobis eiusdem noctis memoria resculptur, ne obliuione deleatur, & nos non corpore, sed spiritu dormientes ille rugiens deuorator inueniat. Nam & ipsa dominica passio quid nobis aliud in capite nostro Iesu Christo, quam ipsam virtutem huius tentationem maxime commendauit? Vnde adueniente iam

**Luc. 22.** mortis suae tempore, Petro dixit, Postulauit satanas vexare vos sicut triticum, & ego oraui pro te, ne deficiat fides tua. Vnde & tu conforta fratres tuos. Et plane confortauit nos per Apostolum. Vnde cum his duobus in monte se ostendit. Nos autem quia tam longum ieiunium perpetrare non possumus, ut per tot dies & noctes nihil alimentorum, sicut illi, accipiamus, saltem quantum possumus faciamus, exceptis diebus, per quos certis de causis mos Ecclesie prohibet ieiunare, domino Deo nostro vel quotidiano, vel crebro ieiunio placeamus. Sed nunquid sic à cibo, & potu abstinentia, per tot dies non potest esse continua? Quamquam tempus humiliandae animae quantum potui maxime commendauit, tamen propter hominum errores, qui per vaniloquas seductiones, & prauas consuetudines nobis molestam pro vobis curam inferre non cessant, tacere non possumus. Sunt quidam obseruatores quadragesimae delictiosi potius quam religiosi, exquirētes nouas suauitates, magis quam veteres concupiscentias castigantes, qui pretiosis copiosisque apparatus fructuum diuersorum quorumlibet varietates, & sapores superare contendunt. Vasa in quibus coctae sunt carnes tanquam immunda formidant, & in carne sua ventris, & gutturis luxuriam non formidant. Ieiunant non ut solitam temperando minuant edacitatem, sed ut immoderatam differendo augeant auaritatem. Nam ubi tempus reficiendi aduenerit, optimis mensis tanquam pecora praesepibus irruunt, ventresque distendunt, artificiosis, & peregrinis condimentorum diuersitatibus tantum capiunt manducando, quantum digerere non sufficiunt ieiunando. Sunt etiam qui vinum ita non bibunt, ut aliorum expressionem pomorum, aliisque sibi liquores non salutis causa, sed iocunditatis exquirant, tanquam non sit quadragesima pie humiliationis obseruatio, sed nouae voluptatis occasio. Quantum enim honestius esset, ut qui propter infirmitatem stomachi aquam potare non poterat, vino vstato, & modico sustentaretur. Quid autem absurdius quam tempore, quo caro arctius est castiganda, tantam suauitatem carni procurrere, ut ipsa faucium concupiscentia noller quadragesimam praeterire? Quid inconuenientius, quam diebus humilitatis, quando parum victus omnibus imitandum est, ita viuere, ut si toto tempore sic viuatur, vix possint victum patrimonium sustinere? Caete ista, dilectissimi, cogitate quid scriptum est, Post concupiscentias tuas non eas. Quod saluberrimum praeceptum,

**1. Timot. 5.**  
**1. Pet. 2. 10.**

si omni tempore obseruandum est, quantum amplius his diebus, quando ita turpe est, si cupiditas nostra ad inuirtutes relaxetur illecebras, ut merito culpetur, qui non restrinxerit uirtutes? Praecipue sane pauperum memento, ut, quod vobis parcius viuendo subtrahitis, in caelesti thesauro reponatis. Accipiat esuriens Christus, quod ieiunans minus accepit Christianus. Castigatio uolentis, fiat sustentatio non habentis. Copiosae uoluntatis inopia, fiat necessaria inopia. Copiosa sit etiam in animo placabili, & humili misericors ignoscendi facilitas. Petat veniam, qui fecit iniuriam. Det veniam, qui accepit iniuriam, ut non possideamur à satana, cuius triumphus est dissensio Christianorum. Et haec enim magni lucri elemosyna est, debitum relaxare conseruo, ut tibi relaxatur à domino. Vtrumque opus bonum caelestis magister discipulis commendauit, dicens: Dimitte, & dimitteretur vobis, Date, & dabitur vobis. Memento serui illius, cui omne debitum dominus eius quod donauerat replicauit, quia conseruo sibi debenti centum denarios misericordiam non rependit, quam de talentorum decem millibus quae debebat accepit. In hoc genere operis boni nulla est excusatio, ubi sola uoluntas rota facultas est. Potest quisque dicere, Ne stomachus doleat, ieiunare non possum. Potest etiam dicere, Volo dare pauperi, sed vnde non habeo, aut tantum habeo, ut timeam egere, si dedero. Quamquam & in his operibus excusationes plerique sibi homines falsas faciunt, quas veras non inueniunt: verum tamen quis equidem dicat, ideo non ignoui veniam petenti, quia me ualendo impediunt, aut quia manus, qua porrigerem non fuit? Dimitte ut dimitatur tibi. Cordis hoc opus est, nullum vel carnis suae membrum in adiutorium animae assumitur, ut hoc impleat, quod regatur. Voluntate agitur, uoluntate perficitur. Fac securus, nihil in corpore dolebis, nihil in domo minus habebis. Iam vero, fratres, videte quid malum sit, ut poenitenti fratri non ignoscat, cui praeceptum est, ut inimicum adhuc diligat. Quae cum ita sint, & cum scriptum sit, Sol non occidat super iracundiam uestram, considerate, fratres, utrum Christianus sit dicendus, qui aut his diebus inimicitias non vult finire, quas nunquam debuit exercere.

**Luc. 6. Math. 18.**  
**1. Cor. 13.**  
**1. Pet. 2. 10.**  
**1. Timot. 5.**

EIVSDEM IN IDEM  
Homilia 5.

**L**ectio Euangelica, fratres charissimi, quae nuper auribus nostris insonuit, continet magni miraculum. Quamuis ubique sit dominus, ipsius miraculum continet beneficium, in quo acceperunt discipuli spiritum sanctum. Miraculum est, quod dominus noster Iesus Christus in carne uera intrauerit ad discipulos per ostia clausa. Requiris à me forsitan rationem, & argumentum requiris. Si uera, inquires, caro fuerat quae resurrexit, quo modo ipsa clausis ianuis ad discipulos introiuit? Itane uero, inquires, cuiuspiam capit auditus, quod non obseruat opus, & intrare quicquam limen in corpore potuit? Redde mihi, inquit, rationem. O homo si rationem à me poscis, non erit mirabile. Exemplum quaerit ut, non erit singulare. Credis nempe dominum Christum super aquas maris firmis gressibus ambulasse? Credis

**Sermo 159. de temp.**  
**1. Cor. 13.**  
**1. Pet. 2. 10.**  
**1. Timot. 5.**

Credis utique. Dicis igitur mihi, Si per ostia clausa Christus intrauit, ubi est corporis pondus? Recedant paulisper modus, & pondus. Ille haec fecit, qui nihil impossibile est, Christus qui carne suam potuit de sepulchro producere, non potuit clausis ianuis ad discipulos introire? Quando audis miraculum, serua fidem, non inquirat animus rationem. Hinc est quod & Thomas discipulus ritubauit, nec credidit, sed eum dominus postea confirmauit. Dixerant enim & condiscipuli eius, *Vidimus dominum.* Ille autem, *Nisi uidero,* inquit, *in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in latus eius, non credam.* Sciebat enim clausis in cruce cohaerere, sciebat lancea latus percussum. Haec signa quarebat, ideo non credebat. Manus quarebat, & latus, & dum curiosus exiit in uulnere, mortem incurrerat in fide. O beate Apostole, ante oculos tuos Christus Lazarum potuit suscitare, & ipse non poterat de sepulchro suscitare? Quare loca clauorum, & oblitus es miracula tanta signorum? Nonne ante oculos tuos caecos illuminauit, paralyticos sanauit, leprosum mundauit? Sic perdidisti in triduo memoriam magistri, ut potentiae non crederes Christi? Mors Christi in carne, uita tua debet esse in fide. Vidisti quidem percutientem lancea, sed diuinam non penetrantem potentiam. Ecce iterum uenit dominus, ne periret discipulus, & dicit Thomae, *Infer tuum tuum huc, & uide manus meas, & asser manuum tuam, & mitte in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis.* O pieras saluatoris, quae non dedignatur locum ostendere cicatricis. Respondit Thomas & dixit, *Dominus meus, & Deus meus.* Modo est dominus, & Deus tuus, quia uoluit ut uideres, ne incredulitate animam perderes. Merito ad eum dominus sic loquitur, *quia uidisti me, credidisti beati qui non uiderunt & crediderunt.* Ecce discipulus trepidauit, ecce Ecclesia quod non uidit credidit. Beatum meritum nostrum, fratres, si in Ecclesia catholica teneatur acceptum. Hic accipitur merces, ubi uera tenetur, & cognoscitur fides. Hanc igitur Ecclesiam Christus sua resurrectione constituit, in hac aeterna praemia collocauit. Credite, fratres, ille speret requiem, qui non discesserit à radice, cui est honor, & gloria in secula seculorum, Amen.

**1. Cor. 13.**  
**1. Pet. 2. 10.**  
**1. Timot. 5.**  
**1. Pet. 2. 10.**  
**1. Timot. 5.**

EIVSDEM IN IDEM  
Homil. 6.

**A**diuit charitas uestra, cum sanctum Euangelium legeretur dominum, & saluatorem nostrum Iesum Christum post resurrectionem suam clausis ostiis introisse ad discipulos suos. Magnam miraculum, sed mirari desinis, si Deum cogitaueris. Mirum enim esset, si solus homo hoc fecisset. Refer ad omnipotentiam, non ad phantasiam. Ostiis clausis intrauit, Respondeo tibi, ut scias quia uera caro fuerat, cicatrices tangendo monstrauit. Sed sicut non est, inquis, naturae corporalis per ianuam clausam intrare, sic non est naturae corporalis super fluctus maris ambulare. Intrauit per clausa ostia, respondeo mihi, da mihi soliditatem carnis. Ambulauit super aquas, da mihi & tu pondus carnis. Vis nosse hoc omnipotentiae fuisse? Et Petro dedit. Qui quod uoluit dedit, quod proprium erat, sibi seruauit. Ille enim uiuens per clausas ianuas intrauit, qui

nascendo integritatem matris non uolauit. Ergo, fratres, admirari credamus, credentes obaudiamus, obaudientes speremus promissa, si facimus iussa, quia ut faciamus iussa, ipse adiuuat, à quo speramus promissa. Hodie octauae dicuntur infantium, reuelata sunt capita eorum, quod est indicium libertatis. Habet enim libertatem ista spiritalis natiuitas, propriae autem carnis natiuitas seruitutem. Duae sunt utique hominis natiuitates, nasci & renasci. Nascimur ad laborem, renascimur ad quietem. Nascimur ad miserias, renascimur ad aeternam felicitatem. Nam illi pueri, infantes, paruuli, lactantes, maternis uerbis inherentes, & quantum in eos gratiae referatur nescientes, ut ipsi uidetis, quia infantes uocantur, & ipsi habent octauas hodie. Et isti senes, iuuenes, adolescentuli, omnes infantes. Una quippe illorum infantia pertinet ad uetustatem, altera ad nouitatem. Nam quos uidetis recentes à partu, ueteres nascuntur. Vetus homo noster dictus est Adam, ex quo nascimur: nouus homo Christus, per quem renascimur. Isti ergo & noui sunt, & renati sunt ad aliam uitam, & est in illis, si dici potest, quando nascuntur, noua uetustas. Ecce miscentur hodie fidelibus infantes nostri, & tanquam de nido uolant. Necessè est ergo, ut parturientes eos alloquamur. Sicut enim recolitis, fratres mei, Hirundinum uel domesticorum passerum pullos quando uolare de nido ceperint, matres cum strepitu circumuolant, & uocibus piis testantur pericula filiorum. Scimus ergo multos, qui appellantur fideles, male uiuere, & gratiae quam acceperunt, moribus suis non conuenire, laudare Deum lingua, blasphemare uita. Scimus autem alios inter istos multos tanquam inter multam, & abundantem paleam uelut grana gemetes in tritura, sed spe horrei se collocantes. Duo ista genera hominum scimus esse in Ecclesia. Aream dominicam Ecclesiam nouimus, uentilationem in die iudicii speramus, massam frumenti in resurrectione desideramus, horreum in uita aeterna sumere cupimus. Ibi nulla palea erit, sicut in gehenna nullum granum erit. Nunc ergo, fratres mei, cum sciamus duo ista genera hominum esse in Ecclesia, piorum, & impiorum bonorum, & malorum, timentium, & contententium, quibus coniungantur isti, nescimus. Quod autem uelimus & ipsi sciunt: utrum de illis uota nostra compleantur, humana ignorantia solitudine fatigatur aliquando, & falsis suspicionibus agitur. Ex his dicitur in hac terra, ubi sine tentatione non uiuitur. Admoneo ergo uos, sancta germina, admoneo uos, nouellae in agro dominico plantae, ne de uobis dicatur, quod de uinea domus Israël dictum est, Expectauit ut faceret uuas, fecit autem spinas. Botrum in uobis inueniat, qui botrus pro uobis calcatus est. Uua ferre, bene uiuite. Fructus enim spiritus est, sicut dicit Apostolus, charitas, gaudium, pax, longanimitas, benignitas, bonitas, mansuetudo, fides, continentia, castitas. Quando ad nos uenerit agricola noster, cuius nos operarij sumus, ille, qui intus dat incrementum: nam nos forinsecus plantare nouimus & rigare, sed ait Apostolus, Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed Deus, qui incrementum dat. Qui modo uidet, quomodo audiat, qui modo inspiciat quomodo timeatis, aut iam continere incipiat, cum ad uos ille

**Esai. 5.**  
**Galat. 5.**  
**1. Cor. 3.**



*Philip. 4.* ille agricola venerit, inueniat in vobis, quod dixit Apostolus, Gaudium meum, & corona mea, omnes qui statis in Domino, Fratres, filij dulcissimi, filij charissimi, imitami bonos, caute malos. Scio enim quia venturi sunt ad vos homines mali, & persuasuri vobis violentiam, & dicturi sunt vobis, Quare? Nonne & nos sumus fidelissimi? Scio, inde doleo, inde timeo. Iam tu si dixeris constanter: frater, nec te vellem facere quod facis, sed si te non possum ducere in bonum meum, vel noli me trahere ad malum tuum, Hominibus istis, vt fieri solet, caput dolebit: Dicturus est tibi vicinus tuus, aut vicina, Est hic incantator, est hic remediator, & nescio vbi mathematicus. Tu dicis, Christianus sum, non licet mihi. Et si ille dixerit tibi, quare? Nonne ego Christianus sum? Tu dicturus es, Sed ego fidelis sum. Et ille tibi, Et ego baptizatus sum. Fiunt angeli diaboli, membra Christi. Quia ipsum possidet inimicus, trahere quatit & alium. Inueniat vos paratos, qui ista vobis pręparauit. Ideo loquor, ideo contestor, ideo non taceo, ideo vestimenta mea excutio, ideo in tribunali Dei mei excusatum me habeo. Dicam Deo meo, Domine, non tacui, Domine, talentum, quod mihi dedisti, non abscondi, sed erogavi, Hoc poterit mihi dicere, Serue nequam, tu dares, ego exigerem. Ecce, Domine, dedi, tu exige. Et si forte vos vetus titillauerit consuetudo, habetis, quem interpellatis. Maior est adiutor quam oppugnator. Ideo gemitis, ideo oratis, ideo dicitis, Ne nos inferas in tentationem. Obseruare illud etiam, fratres mei, quod supra dicitis, Dimitte nobis debita nostra: vt faciatis, quod sequitur, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Eleemosynam facis, eleemosynam accipis. Ignoscis, ignoscetur tibi. Erogas, erogabitur tibi. Deum audi dicentem, Dimitte, & dimittetur vobis, Date, & dabitur vobis. In mente habere pauperes. Omnibus dico, Facite eleemosynas, fratres mei, facite, & non perdetis. Deum credite. Non solum dico vobis, nō perditis quod facitis cum pauperibus: sed planē dico vobis, hoc solum non perditis, cętera perditis. Ecce videamus si exhilaratis pauperes hodie, horrea ipsorum vos estis, vt det vobis Deus, vnde detis, & dimittat quod forte peccatis. Includite eleemosynam in cordibus pauperum, & ipsa pro vobis exorabit Dominum, cui est honor, & gloria in secula, &c.

EIVSDEM IN IDEM  
*Homilia 7.*

*Ser. 161. de temp.* Retinet sanctitas vestra, fratres, superiorem tractatum, in quo scripsimus sanctum Thomam Apostolum ad confirmandam fidem omnium, post resurrectionem dominici corporis membra palpasse, & ad repellendam ambiguitatem vniuersorum, vulnerum eius cicatrices scrutari voluisse. Non enim propter se tantum hoc operatus est beatus Apostolus, sed quod sibi gessit, cunctis proficit. Cum suam enim exercuit sollicitudinem, fidem omnium confirmauit. Quis enim ex hoc dubiter redisse a mortuis saluatore, cuius post inferos pręsentiam agnoscat oculus, attingeret manus, digitus perscruteretur? Quamuis

igitur modicę fidei homo quamuis imbecillis ingenij Christianus, nunquam sollicitudinem suam inquisitioni Thomę equiparare potuisset. Nunquam enim post agnitionem, ac conuersionem loquela ausus esset petere, vt etiam tactu Christum perscruteretur in Christo, & in ipso homine, quem cerneret, hominis corpus inquireret, & resurrectionem eius non tam mirabilię gloria crederet, quam passionis iniuria comprobaret. Thomas ergo cum esset sanctus, fidelis, & iustus, hæc omnia solcite requisit: non quod ipse aliquid dubitaret, sed vt omnem suspicionē incredulitatis excluderet. Nam succurrat illi ad fidem propriam vidisse quem nouerat, sed nobis operatus est, vt tangeret, quem videbat: vt, si forte diceremus delusos esse oculos, non possemus dicere manus illius fuisse frustratas. In resurrectionis enim manifestatione de aspectu ambigi potest, de tactu non potest dubitari. Constat enim veritatis ipsius testimonio redisse ab inferis saluatorem. Quis non spem suam in Christo collocet? Quis non fidem suam ponat in domino, vt, dum illum credit ab inferis, ipse resurgat a mortuis? Dicit beatus Apostolus, Si enim mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit. Quia ergo surrexit Christus, suscitabuntur & mortui: quia resurrexit Dominus, & seruuli reuiuiscunt. Ipse enim est, sicut ait Apostolus, primogenitus ex mortuis. Sicut enim est apud superiores idem primogenitus in multis fratribus, ita & ab inferis est primogenitus ex defunctis. Primogenitus autem dicitur quis, ex eo quod secutus alius primus gignitur. Primogenitus ergo Christus vocatur ex mortuis, quod primum illum ex inferni tenebris in lucem resurrectionis partus ediderit. Partus enim dicendus est, vbi permutatione quadam anima tartari legibus moritur, vt reditio corporis sui renascatur. Natiuitas enim resurrectionis apud superiores, mors quadam inferiorum est. Vnde ipsa mors mortem quodammodo patitur, dum ei inuitę defunctorum multitudo subtrahitur. Nam sic beatus Apostolus dicit, Nouissima autem inimica destruetur mors. Et iterum, Absorpta est mors in victoria. Cum ergo absumitur mors in victoria, defensionis quadam lux internitione destruitur. Defensionis autem patitur, cum potestas eius cunctis resurgentibus vacuatur. Videamus autem quid sit quod ait, Mortem in victoria esse consumptam. Consumpta est planē mors in victoria sua, dum Christum inferni legibus subiiciens, ipsa secum eum vincit, obruit. In eo enim, in quo illū quem se superasse credebat possedit, ab eo victa est, cū resurrexit. Totam ergo fidem nostram in resurrectionis gloria collocare debemus, & in futura magis vita sperare de Domino. Sic enim ait sanctus Apostolus, Si in hac vita tantum in Christo speramus, miserabiliores sumus omnibus hominibus. Miser ergo est, qui in hac tantum vita sperat in Domino. Miser planē est, quia cito spes eius subducitur, dum cito hæc breuis vita finitur. Nam spes illius caduca efficitur, dum tēporali trāsitu dulcedinis eius voluptas elabitur. De tali enim spe dicit Apostolus, Spes autem, quę videtur, non est spes. In futura igitur vita speremus in domino, quę solida est, atque perpetua, vt non miserabiliores cunctis hominibus, sed meliores esse possimus.

EIVSDEM

EIVSDEM IN IDEM  
*Festum Homil. 8.*

*Ex lib. 50. sollicitarum Hom. 20.*

*1. Petri. 2.*

*Nimium est excusatio.*

*1. Cor. 15.*

*Colof. 1.*

*1. Cor. 15.*

*Matth. 10. Matth. 19.*

*1. Cor. 15.*

*Matth. 19.*

*Rom. 8.*

Omnium quidem aures, & mentes, quos cura nostra complectitur, solliciti pastoris sermo compellat, Veruntamen ad vos proprie nunc dirigitur, quorum recens infantia spiritalis generationis sacramentorum cunabulis insignitur. Vobis enim maxime per Apostolum Petrum sic diuinum blanditur eloquium. Deposita ergo, inquit, omni malitia, & omni dolo, & adulatione, & inuidia, & detractione, tanquam modo nati infantes rationabile, & innocens lac concupiscite, vt in illo crescatis in salutem, si gustatis, quia dulcis est Dominus: proinde quia gustatis, nos testes sumus. Nos vobis hanc suauitatem nutricis officio ministramus. Agite itaque ad sanctę instar admoniti infantię, deponite malitiam, dolū, adulationem, & inuidiam, & detractionem, hanc innocentiam sic tenere debetis, vt eam crescendo nō amittatis, Quid est malitia, nisi nocēdi amor? Quid est dolus, nisi aliud agere & aliud simulare? Quid est adulatio, nisi fallaci laude seductio? Quid est inuidia nisi odium felicitatis alienę? Quid est detractio nisi mordacior quam veracior reprehensio? Malitia malo delectatur alieno. Inuidia bono cruciatur alieno. Dolus duplicat eor. Adulatio duplicat linguam, Detractio vulnerat famam. Huius autem vestrę innocentia sanctitatis, quoniam filia est charitatis, non gaudet super iniquitate, congaudet autem bonitati. Simplex vt columba, & sic astuta vt serpens, non studio nocendi, sed nocentem cauendi. Ad hanc vos exhortor. Talium est enim regnum cęlorum, humilium scilicet, hoc est spiritaliter paruulorum. Non contemnatis, non abhorreatis. Magnorum est enim ista pusillitas, superbia vero fallax infirmorum est magnitudo, quę vbi mentem possederit, erigendo deicit, instando euacuat, distendendo dissipat. Humilis esse non potest nocens, superbus esse non potest innocens. Humilitatem illam loquor, quę non vult periculis rebus excellere, sed æternū aliquid veraciter cogitat, quod non suis viribus, sed alienis ad vitam perueniat. Hęc malum cuiusquam velle non potest, quo nequaquam bonum eius augetur. Porro autem superbia continuo parit inuidiam. Quis vero sit inuidus, qui non ei malum velit, cuius bono cruciatur? Ergo & inuidia parit consequenter malitiam, vnde procedit & dolus, & adulatio, & detractio, & omne opus malum, quod pari nolis ab alio. Pia itaque humilitate seruata, quę in scripturis sanctis, sancta probatur infantia, secuti eritis de immortalitate beatorum. Talium est enim regnum cęlorum. Porro qui superbus in homines non est, multo maxime aduersus Deum contumax esse non debet, quoniam si non est alicui faciendum quod quisque ab alio pari non vult, & nullus hominum vult inobediētem pari cum qui suo iuri subditus fuerit, quanto magis cauedum est, ne in Deum quisquam talis existat, qualem in se existere hominem non vult. Fallunt proinde animas suas, qui sufficere existimant si quod sibi fieri nolunt, nulli hominum faciant, seseque vita luxuriosa ira corrumpunt, vt Deo facere conentur, quod sibi fieri ab homine nolunt. Neque enim volūt a quoquo perverti domum suam, qui in seipis domum Dei miserabili cęcitate peruer-

tunt, surdi aduersus Apostolum clamantem, Nescitis quia templum Dei estis, & spiritus Dei habitabit in vobis? Si quis autem templum Dei corrumpit, corrumpet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos, Nemo se fallat. Qui ergo se putant sanare circa alios homines innocentiam suam, cum sibi ita nocent vt Deo careant habitatore & punitur vltore? Hinc etiam fit vt per noxias voluptates lapsi & effusi, non solum templa Dei esse desinant, verum etiam ruinę fiat, in quibus habitāt mala dęmonia, quibus supplicare & quę colere incipiat. Frāctque illis, vt dictum est, posteriora deteriora prioribus. Vnde vos semine immortalis regeneratos, sicut superius propter maliciosas nocendi cupiditates, quibus sit hominibus quod oderunt: ita postea propter turpes & illicitas carnis delectationes & nefaria sacrilegia quibus homines nocere hominibus non videntur, non eis faciēdo quod nolunt, sed Deo non obediendo, cui cūcta sunt subdita, ipsi dominorum domino faciunt, quod sibi à seruis suis fieri nolunt: idem ipse Apostolus Petrus loquitur dicens, Christo ergo passio per carnem, & vos eadē cogitatione armamini. Qui iam mortuus est carne, desinat peccare, vt iā non hominum desideris, sed voluntate Dei reliquum in carne viuat. Sufficit enim præteritum tempus voluntates gentium cōsummasse in libidinibus, & voluptatibus, & comestationibus, potatione, & nefandis idolorum seruitutibus. Sufficit enim præteritum tempus luteis operibus peccatorum, tanquam Aegyptiorum dominationi seruuisse. Iam mare rubrum baptisma scilicet Christi sanguine consecratum vos traiecit, Aegyptios interemit, nihil de peccatis præteritis tanquam de insequentibus a tergo hostibus formidetis. De cetero cogitate vitę huius eremum perire, & ad terram promissionis supernam Hierusalem, terram viuentium peruenire, ne verbi Dei contemptu tanquam manna fastidio, corda vestra velut ora interiora desipiant, ne cibos concupiscentes Aegyptios de alimentis cęlestibus marmittetis: ne fornicemini sicut quidam illorum fornicati sunt: & ne tentetis Christum sicut quidam illorum tentauerūt. Si vobis fidem gentilium stentibus amaritudo aliqua resistentium velut aquarum illarum quas Israel nō potuit bibere occurrerit, imitata domini patientia velut iniecto crucis ligno dulcescant. Si tentatio serpentina inuomderit, conspecta illius exaltatione serpentis, tanquam mortis in carne domini victę, atque triumphatę, eodem crucis medicamento sanetur. Si aduersarius Amalechira iter intercludere, atque impedire conabitur, pro reuerentissima extensione brachiorum eiusdem crucis indicio superetur. Veri & germani estote Christiani: nolite imitari nomine Christianos, opere vanos. Iterum dico, & sæpe dicendum est, Sufficit præteritum tempus voluptates gentium cōsummasse. Detestamini & auersamini canes conuersos ad vomitum suum, detestamini, & auersamini mundatam, & vacantem domum, quod nequiores alij septem spiritus adduntur, vt sint nouissima hominis peiora quàm erant prima: vos vestrum mundatorem tenere habitatorem. Pręcipientes enim rogauimus, ne in vacuum gratiā Dei recipiatis. Sufficit præteritum tempus voluntates gentium cōsummasse. Audite & Apostolum Paulū, Humanum dico

*1. Cor. 5.*

*Luc. 11.*

*1. Petri. 4.*

*Exod. 16.*

*1. Cor. 10.*

*Exod. 15.*

*Numer. 21.*


*Exod. 17.*

*1. Petri. 4.*

*1. Petri. 2.*

*Luc. 11.*

*1. Corin. 2.*





17  
 ritus imprimat, Paulus ad eos scribens, qui ad  
 observationes legales relapsi fuerant, aperte o-  
 stendit: filio, quos iterum parturio, quousque  
 Galat. 4. Christus in vobis formetur: formari autem in ho-  
 mine Christus non potest aliter, quam participa-  
 tione sancti spiritus per euangelicam vitam. Ut  
 ergo in primitiis renouatæ naturæ hominum ad  
 incorruptibilitatem, & gloriam, & imaginem Dei  
 spiritum suum Christus in discipulos immittit: &  
 ad hoc ut intelligamus fontem, & largitorem ip-  
 sum spiritus esse, hac enim de causa dicebat: om-  
 nia, quæ habet pater, mea sunt: habet autem pa-  
 ter ex seipso, & in seipso spiritum suum: habet igitur  
 etiam spiritum filius in seipso, cum sit patri  
 consubstantialis, & ex ipso naturaliter natus, &  
 omnia genitoris in seipso naturaliter habet. Multa  
 vero etiam alia tempore suo generaliter factus  
 pollicitus est: quæ tamen ex parte antea fecit,  
 ut credamus, vere ipsam vniuersaliter quoque fa-  
 cturum. Prædixit omnes se mortuos suscitaturum:  
 venit enim hora, inquit, quando mortui audient  
 vocem filij Dei, & procedent, qui bona fecerunt,  
 in resurrectionem vitæ, qui vero mala egerunt, in  
 resurrectionem iudicij: idque facile se facturum  
 ostendens, dicebat: ego sum resurrectio, & vita.  
 Verum, quoniam rei magnitudo fidem excede-  
 bat, præuenit vtiliter, antequam resurrectionis  
 tempus Lazarum, & viduæ filium, & Iairi puel-  
 lam suscitauit. Et ad hæc illud addidit glorio-  
 sissimam sanctorum resurrectionem futuram: tunc  
 enim, inquit, iusti fulgebunt sicut sol in regno pa-  
 tris sui, quod ut firmiter crederetur, præuenit, &  
 in monte hanc gloriam discipulis monstrauit.  
 Transfigurauit enim seipsum coram Petro, Iaco-  
 bo, & Iohanne: & effulsit facies eius ut fulgor,  
 & vestes eius candorem niuis fuerunt assecutæ.  
 Quemadmodum igitur hæc quamuis tempore  
 suo facturus sit, quasi tamen arrhabonem ge-  
 neraliter rei futuræ, non nihil fecit ex parte,  
 ut generalia credantur. Eodem arbitror modo,  
 cum se missurum ad omnes spiritum dixerit,  
 posteaquam ad patrem ascenderit, primitias ta-  
 men pollicationis, & quasi arrhabonem nobis  
 in discipulis dedit. Multis, iustisque de causis,  
 ut iam diximus. Acceperunt igitur spiritum san-  
 ctum discipuli, quando insufflauit, & dixit;  
 Accipite spiritum sanctum; nunquam enim dixisset,  
 qui mentiri nescit, nisi dedisset. In die vero pente-  
 costes expressiorem operationem gratiæ, manife-  
 stationemque habitantis in eis spiritus habuerunt.  
 Apparuerunt enim in eis linguæ igneæ, non gra-  
 tiæ, sed operationis potius, & sermonis initium  
 significantes. Scribitur enim, quia cæperunt lo-  
 qui variis linguis, prout spiritus sanctus dabat  
 eloqui illis. Audis quia loqui, non sanctificari  
 cæperunt; & quia linguarum distributio in eis  
 facta est, spiritu, qui erat in ipsis, id operante.  
 Et, sicut de cælo vocem emisit pater, & testimo-  
 nium perhibens filio dixit; hic est filius meus dile-  
 ctus, in quo mihi complacui; ipsum audire:  
 quod ad audientium fidem factum est (organica  
 enim nostris auribus vox incidit, diuinitus facta)  
 sic in apostolis, linguis igneis, & sono spiritus  
 vehementis gratiam eis datam manifestauit, &  
 spiritus sancti descensum in homines significa-  
 uit. Quid autem etiam id ipsum loco signi Iudæis  
 datum sit, facile intelliges, si recordaberis ore  
 prophético diuinitus fuisse prædictum, in loque-

Ioan. 16.

Ioan. 5.

Ioan. 11.

Luc. 7.

Math. 13.

Math. 17.

Act. 2.

Mat. 3.

la enim, inquit, alterius labij, & in lingua altera  
 loquetur ad populum istum, & non crederet, ut  
 igitur credamus discipulos vere sancti spiritus  
 fuisse participes, & gratia Christi coronatos, ad  
 veritatis expositionem merito sufficere: idcirco  
 apostolatus gloria desuper decoratis linguæ  
 igneæ apparuerunt. Satis iam, ut arbitror, pro-  
 posita quæstio patet: Verum, quoniam illud  
 præcipuo nobis studio est, ne scandalum fratru-  
 bus vniquam nonnullorum malignitate fiat, illa  
 modo dicamus, quibus futura forsitan loquacitas  
 repelletur. Inueniemus enim paulo post scriptum;  
 quia Thomas, qui dicebatur Didymus non erat cū  
 discipulis, quando venit Iesus. Quomodo igitur,  
 dicit quispiam, si tunc aberat, quando Christus  
 sufflans dixit, accipite spiritum sanctum, spiritus  
 ipse participes factus est? Dicimus igitur, virtu-  
 tem spiritus ex intentione dantis Christi in om-  
 nes discipulos pertransisse; non enim quibusdā,  
 sed omnibus discipulis dedit. Quare liberalitate  
 dantis non solum præsentis, sed etiam absentis  
 apostoli spiritum sanctum acceperunt. Quod  
 autem non violenta, sed tuta, veraque ista ratio  
 sit, autoritate sanctæ scripturæ monstrabimus.  
 Iussit Deus quondam Moysi septuaginta seniores  
 Iudæorum eligere: dixit autem de spiritu, qui  
 erat in Moysi, ablaturum se, atque imposturum  
 in illis. Cum vero duo Heldad, & Medad de lxx.  
 seniorum numero in Synagoga remansissent, ac spi-  
 ritus omnibus illis septuaginta immisissus fuisset,  
 prophetabant quidē, qui erant cum Moysi, pro-  
 phetabant autem etiam illi duo qui aberant. Io-  
 suæ vero mysterij virtutem ignorans, ac secundum  
 Dathan, & Abiron facere illos putans, rogabat  
 Moysen, ut Heldad, & Medad à prophetando  
 vèteret. Tunc diuinus ille vir operationem spiri-  
 tus intelligens, respondit; quid æmularis pro  
 me? quis tribuat ut omnis populus propheteret,  
 & det eis dominus spiritum suum? Vides quo-  
 modo rationem Iosue Moyses reiecit. Vtinā enim  
 inquit, vniuerso populo spiritus daretur. Quod  
 tempore suo futurum tamen est; quando Chri-  
 stus ut in primitiis eorum, qui suscepturi sunt,  
 discipulis sufflans dicit; Accipite spiritum sanctum.  
 Non ergo, licet abfuerit Thomas, à participa-  
 tione spiritus decidit, cum de numero esset eo-  
 rum, quibus dignitate apostolatus decoratis  
 spiritus debebatur. Spiritu igitur sancto discipu-  
 lis dato, quorum, inquit, remisistis peccata, remit-  
 tuntur eis: quorum vero retinueritis, retenta sunt, &  
 certe solius veri Dei est, ut possit à peccatis ho-  
 mines soluere. Cui enim alij præuaricatores le-  
 gis liberare à peccato licet, nisi legis ipsius au-  
 thori? Sic enim etiam in rebus humanis fieri cō-  
 spicimus. Quippe nemo leges regum impune  
 reprobat, nisi reges ipsi, in quibus præuaricatio-  
 nis crimen locum non habet; prudenter enim  
 dictum est, impium esse, qui regi dixerit, inique  
 agis. Qua igitur ratione diuinæ naturæ dignita-  
 tem, ac potestatem discipulis suis saluator largi-  
 tus est? quia certe absurdum non est, peccata re-  
 mitti posse ab illis, qui spiritum sanctum in se-  
 ipsis habeant. Nam, cum ipsi remittunt, aut de-  
 tinent, spiritus, qui habitat in eis, per eos remit-  
 tit, & detinet. Erit autem id per eos duobus, ut  
 arbitror modis, primum baptismo, deinde pœni-  
 tentia. Nam aut credentes, & vitæ sanctimonia  
 probatos homines ad baptismum inducunt, &  
 indignos

Esai. 28.

Ioan. 20.

Nom. 11.

Nom. 11.

Proo. 16.

Vides in ec-  
clesia esse au-  
thoritatem vo-  
catorum  
peccatorum per  
vniuersum.

2. Corinth. 2.

Deut. 16.

Nimis indol-  
gens videtur  
excusatio.

Ioan. 16.

Act. 2.

Alludit ad  
dogma Ori-  
genium.

indignos inde diligenter expellunt: aut ecclesiæ  
 filiis peccantibus quidem increpant, pœnitenti-  
 bus autem indulgent. Sicut Paulus olim forni-  
 cantem apud Corinthios in perniciem carnis tra-  
 debat, ut spiritus eius saluaretur; recepitque rur-  
 sus, ne maiore submergeretur dolore. Cum igitur  
 spiritus Christi habitans in hominibus, veri  
 Dei operationem efficiat, quomodo non erit natu-  
 ra Deus, qui naturaliter potestatem diuinæ natu-  
 ræ, ac dignitatem possidet, cum in diuinam  
 legem, eximiam habeat autoritatem. Thomas  
 autem vnus ex duodecim, &c. Non facile creduntur,  
 quæ rationem omnem excedunt, sed solo visu,  
 quasi necessitate quadam approbantur. Idcirco  
 Thomas sapientissimus saluatoris discipulus, res-  
 tantibus de resurrectione Domini cæteris, non  
 credidit, nec legem veritus fuit, quæ iubet in ore  
 duorum, aut trium testium omne verbum stare.  
 Quamuis mihi Thomas videri soleat non infide-  
 litate magis, quam summo marore perturbatus  
 fuisse; quia dominum oculis suis non viderit: pu-  
 tauit enim forsitan, nunquam se in hac vita visurum.  
 Vitam enim esse naturaliter Christum, ac deo  
 mortis imperiū posse destrueri non dubitabat.  
 Nam, qui ab aliis interitum depulsi, quomodo à  
 carne sua non repulsi? Marore igitur, quia ipse  
 quoque non viderit, & læritia singulari affectus,  
 quia surrexisse audiebat, ad infidelitatem delabi-  
 tur, & videre præsentem gliscit, ac ardet, ut de  
 pollicatione illius certior fieret. Audiuit enim  
 dicentem; filioli, modicum, & non videbitis me,  
 & iterum modicum, & videbitis me: & gaudet  
 cor vestrum. Ego autem per dispensationem  
 puto permissum fuisse, Thomam ad infidelitatis  
 crimen incidere; ut nos per exquisitam fidem  
 ipsius, carnem Christi, quæ de cruce pependit,  
 à patre per filium in vitam fuisse reuocatam cre-  
 damus. Si enim dixeris in ore tuo, Paulus ait,  
 quia Dominus Iesus, & credideris in corde tuo  
 quia Deus suscitauit ipsum à mortuis, saluus eris;  
 Non enim natura carnis, vitæ causa facta est, sed  
 operatione diuinæ naturæ peracta res fuit. Quo-  
 niam igitur omnia & sunt, & viuunt ex patre per  
 filium, ideo & templi Christi à Deo scribitur susci-  
 tatum; non quia filius id facere non poterat, sed  
 quia omnia pater per filium facit, virtus enim  
 patris filius est. Discimus ergo ex hac Thomæ du-  
 bitatione, resurrectionis mysterium in hoc cor-  
 pore nostro peragendum, & in Christo primo  
 iam peractum fuisse. Non enim apparitio quæ-  
 dam erat falsa, nec vmbra ad humanam confi-  
 cta figurā, ut nonnulli dicunt, nec spiritale quod-  
 dam corpus, id est, tenue ac ætherium, & aliud præ-  
 ter carnem, ut multi spiritale corpus intelligi cō-  
 tendunt. Et certe, quoniam virtus fidei nostræ, &  
 vniuersa spes post consubstantialis confessionem  
 trinitatis, resurrectionis mysterium respicit, non  
 iniuria exquisitissime conscripta hæc ab euange-  
 lista sunt. Animaduertendum enim est, quia non  
 simpliciter videre dominum Thomas cupit, sed  
 clauorum signa querit; & fixuras, quæ in carne  
 fuerant: sic enim tandem se crediturum asserit,  
 quia Christus vere reuixerit; reuixit autē secun-  
 dum carnem. Quod enim mortuum est, id reuix-  
 isse, & quod cecidit, id surrexisse dicitur. Et post  
 dies octo iterum erant, &c. Miraculose rursus clausis  
 foribus discipulis apparet, & in medio domus pa-  
 riter nunc Thoma præsentem, atque absentem antea,

consistit, ut patet: fidei discipuli morderetur: fere-  
 monæque virtus consueto, pacis bonum audien-  
 tibus donans; ad disciplinam id quoque nostram;  
 ut iam diximus. Animaduerte autem, quia non  
 simpliciter rem enarrauit: sed addidit diligenter,  
 Post dies octo, & omnibus vnus in locum congregatis.  
 Diem igitur octauum dominicum diem esse nec-  
 cesse est. Nam vna sabbatorum cæteris apparuit;  
 id est die dominico. Die postea deinceps octauo,  
 vtrisque connumeratis extremis, congregati rur-  
 sus discipuli, Thoma præsentem, simili modo do-  
 minum vident. Iure igitur sanctæ congregationis  
 diē octauo in ecclesiis sunt: & foribus sublimio-  
 rem modo clausis, visibiliter simul, atque inuisibi-  
 liter Christus omnibus apparet, inuisibiliter qui-  
 dem ut Deus, visibiliter autem in corpore. Præ-  
 ber enim nobis carnem suam tangendam, ut fir-  
 miter credamus quia templum vere suum susci-  
 tant. Quod autem mystice benedictionis com-  
 munitio, resurrectionis Christi quædam confessio  
 est, verbis ipsius probatur, fractum enim panem  
 distribuebat, dicens, hoc est corpus meum, quod  
 pro vobis tradetur: in remissionem peccatorum;  
 hoc facite in meam commemorationem. Partici-  
 patio igitur mysterij vera quædam confessio, &  
 commemoratio est; quod propter nos, & pro no-  
 bis dominus & mortuus sit, & reuixerit, & diui-  
 uina nos benedictione propter hoc replet. Fu-  
 gamus igitur infidelitatem post tactum Christi,  
 & firmi atque stabiles ab omni longe ambigui-  
 tate inuentamur. Recordentur autem studiosi;  
 Magdalenam quidem à tactu Christi prohibi-  
 tam; Noli enim me tangere, inquit, quoniam non-  
 dum ascendi ad patrem. Thomam autem hortat-  
 ur, ut & latus, & clauorum fixuras diligentius  
 tangendo, & manum; aut digitum immittendo  
 perquirat. Quare sic? Dicitur iam in superioribus  
 satis arbitror: sed non est ab re modo quoque bre-  
 uiter referre. Illi enim nondum gratia spiritus  
 sanctificatæ, tangere non licebat. Nam, antequam  
 dominus in cælum ascendisset, descensus spiritus  
 in omnes non fuit: Thomæ autem hoc licebat,  
 quia vna cum aliis spiritum fuit consecutus, ad  
 vniuersum namque discipulorum consortium  
 liberalitate dantis vox illa transiit, accipite spi-  
 ritum sanctum. Sed illud etiam querendum mi-  
 hi videtur: palpauit Thomas latus saluatoris, &  
 ictum militaris lanceæ curiosus pertractauit,  
 clauorum fixuras diligentius vidit. Quomodo igitur  
 (quispiam dicit) in corpore incorruptibili si-  
 gna interitus apparebant? Corporeæ namq; cor-  
 ruptionis manuum, & lateris vulnera, & puctio-  
 nes ferreæ signa sunt. Corpus autem Christi ad  
 incorruptibilitatem reformatum, vna cum cor-  
 ruptione, id est, interitu vniuersa, quæ corruptio-  
 nis sunt, debuit abiecisse. An forsitan claudi in alia  
 quoque vita claudicabunt, aut lusi vno cum oculo  
 resurgent? & quomodo à corruptione penitus  
 humanum genus liberabitur, si, quæ interitum  
 præcedunt, aut consequuntur, nostris corporibus  
 inuisa permanebunt? Non ignoro multa sublimio-  
 ra de hac quæstione à curiosioribus, ac peritis dici  
 posse. Nos autem dicimus nullas corruptionis  
 reliquias, nullum signum, nulla consequentia, vel  
 antecedentia post resurrectionem in hominibus  
 futura. Sed, quod seminat in infirmitate est,  
 resurget in virtute, ut ait Paulus: & quod in inho-  
 noratione seminatum est, resurget in gloria. Quid  
 Bibl. Hom. tom. 3. B 3 autem

Diei dominicæ  
celebratio vna  
de deriuariis.

Math. 26.

Ioan. 20.

1. Cor. 15.



1. Cor. 15. autem est in virtute, atque in gloria resurgere aliud, quam quod omni infirmitate, omniq; corruptionis dedecore, procul depulso, ad sinceram incorruptibilitatem genus humanum rediturum sit. Verum, quoniam ad certiores id fidem Thomas flagitavit, necessatio dominus noster Iesus Christus, ne vllam infidelitatis causam præberet, sic & ipsi, & cæteris apparet, vt illis conducebat, Imo etiã, cum in ipsum cælum ascenderet, cumq; virtutibus, potestatisque superioribus mysterij sui totam seriem declararet, eodem habitu vere illis apparuit, vt non hominem solummodo factum, verum etiam mortuum pro vita nostra crederent. Quod autem sic illis quoque apparuit Esaias testatur dicens, Quis est iste, qui venit de Edom, in cælis vestibus de Bosra? Angeli enim mirantes domini ascensum in cælos, idque magna cum potestate, ita scribuntur dixisse, Sanguine autem tinctum videntes, & mysterium ignorantem, rogant, quare ergo rubrum est indumentum tuum, & vestimenta tua sicut calcantium in torculari? Vina enim nuper in torculari expressa colorem sanguinis referunt. Christus vero ad eos, vt natura Deus intelligatur, ego, inquit, iustitiam loquor, qui autem iustitiam loquitur, id est, docet, quomodo auctor legis non est? & qui legis auctor est, is quomodo Deus non est? Figuras deinde clauorum monstrante Christo, angeli rursus rogant, Quid enim plage istæ in medio manuum tuarum, & dicit, his plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me. Dilectæ enim domus Israel erat, quæ dominum clavis, & lancea petiit. Militum enim temeritas non iniuria Iudæis, qui crucifigere Christum voluerunt, ascribitur. Cum igitur etiam ipsi angelis, non solis verbis contentus, passionis suæ signa ostenderit, vt resurrexisse vere credatur, quid mirum est, si ad corroborandam veritatem fidei lateris vulnus, & fixuras clauorum hominibus monstrauerit? ac præter illud, quod rerum conditio requirit, propter utilitatem nostram passionis notas retinuerit? vt resurrectionis mysterium recte intelligamus, non aliud corpus resurrexisse credentes, quam quod cruciatu mortuum fuit. Respondit Thomas, & dixit ei, &c. Paratissimus autem ad confessionem fuit, qui paulo ante tardior videbatur. Cum enim & clauorum fixuras, & ipsum latus dñs monstrauerit, animus illico Thomæ ab omni ambiguitate liberatus confirmatur. Sed dicit quispiã, quã ob rem per tam minuta rerum signa mens discipulorum ad fidem reducitur? nõne sufficiebat ei ad cognoscendum Christum statura corporis, & faciei lineamenta? Ambiguum hoc certe fuisset: putare namque potuerunt spiritum quendam imaginem sibi Saluatoris assumpsisse, & ad hoc miraculosus per clausas fores ingressus facile inducitur: terrestre namque corpus, latiore secundum suam naturam viam desiderat. Necessario ergo dominus noster Iesus Christus latus nudauit, & vulnera, liporesque carnis ostendit, vt discipulos confirmaret. Nam etsi solus illa verba dixerit Thomas nisi misero manum meam in latus, & digitum meum in fixuram clauorum, non credam, aliorum tamen etiam discipulorum animus turbationis expers omnino non erat, quamuis Thomæ dicerent, vidimus dominum, quod ita esse: Lucas nobis declarat dicens. Cum in medio eorum Christus stetit, dixissetque, pax vobis,

Esai. 63.

Zachar. 13.

Luc. 24.

pertinuisse illos, & spiritum ab eis videri existimasse Christumque illis dixisse, quid turbari estis, & cur cogitationes ascendunt ad corda vestra? videte manus meas, & pedes, quia ego ipse sum: palpate, & videte, quia spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere. Et, cum hæc dixisset, ostendit eis manus, & pedes. Adhuc autem illis non credentibus, & mirantibus præ gaudio, dixit, habetis hic aliquid, quod manducetur? at illi obrulerunt ei partem piscis assi, & fauam mellis, & cum manducasset coram eis, fumens reliquias dedit eis. Vides nõ modo Thomam, verum etiam ceteros animo dubitasse, quibus etiam vulnera corporis non suffecerunt. Vnde alio quoque signo ad fidem illos inducit, quod spiritui nullo modo conuenire potest. Comedit enim allatam sibi partem piscis: quæ res viuo solummodo corpori congruit. Nam, quamuis ab incertu liberatum corpus cibo non indiget, tamen vt vulnera, & fixuras clauorum miraculose retinuit, ita etiam comedit, vt resurrectionis fide stabili fundaret mysterium, & nobis omnibus prouideret. Operatur enim, quæ aliena penitus à natura spiritus sunt. Quomodo enim nudo corpore spiritui cibum conueniret: aut quomodo vulnera inueniret ei, qui nullo modo corporeus est? Quare ne spiritus, aut umbra quedam, & aerium corpus (quod nonnulli spiritale appellant) sed illud ipsum, quod cecidit, surrexisse credatur, corpori nostro conuenientia diligenter retinuit. Præ gaudio autem magis quam infirmitate mentis dubitasse Thomam diximus: quoniam & de aliis dixisse Lucam non ignoramus. Adhuc autem illis non credentibus, & mirantibus præ gaudio. Verum, cum visus omnem dubitationis causam tollat, recte Thomas statim clamauit; Dominus meus, & Deus meus. Nã, qui dominus omnium natura est, & Deus, hunc Deum quoque verum esse necesse est: quod retro etiam vertitur. Nã, qui Deus natura est, iis omnibus necessario imperat. Cũ articulo autem dicitur vtrumque: ne quis nostra, vel angelorum similitudine, sed singulariter ipsum dominum, & ipsum Deum dici existimet. Multi enim & in cælo, & in terra dij, & domini sunt, vt Paulus ait. Singulariter autem Thomas vt Dei veri filium ipsum dominum, & ipsum Deum appellat, quod quæ maius est, cum hæc dicere Saluator discipulum audiret, non increpat, nec repellit, sed laudat, atque complectitur, & ceteros ita predicare hortatur: euntes, inquit, docete omnes gentes, quod vna cum aliis cum Thomas audisset, quid aliud poterat dicere; quam quod ipse credebat? Pater igitur, quia non aliter quam Thomas confessus est, nos quoque cõfiteri dominus vult. Natura enim dominus, & Deus est, etiam postquam hominem assumpsit. Illud etiam animaduerte, quia discipulus, qui pedes, & latus palpauit, ita eum confessus est, vt in duos filios paritus non sit: vnum enim, & eundem dominum Iesum Christum cognouit cum carne. Dicit ei Iesus, quia vidisti me, &c. Magna prouidentia plenus est sermo saluatoris, ris summamque nobis affert utilitatem. Nam, postquam ad certiores orbis fidem perforatum latus, & fixuras clauorum monstrauit, postquam etiam cibum assumpsit non indigens, ne vlla infidelitatis restaret causa, verbis etiam, quid credendum sit, confirmauit. Non enim ignorauit futuros nonnullos, qui resurrectionem

Esai. 63. errore erat. imbuti Origenista.

Luc. 24.

2. Corinth. 8.

Matth. 8.

Luc. 10.

Hoc contra Eusebium dicit, quod naturam omnino inuenit.

Serm. 84.

nem mortuorum non faterentur, quique videre se velle dicerent, palpateque non aliter quam Thomas, recteque se ita facere cõtenderent: quoniam discipulum saluatoris imitarentur. Hunc igitur lapsum depellit Christus his verbis; beatos appellans eos, qui non viderunt, & crediderunt. Nec id iniuria, nulla enim dubitationis causa videnti relinquuntur. Qui autem credit, quod non vidit, sed docentium verbis audiuit, eximie certe cum, in quem credit, honorat. Beati ergo sunt omnes, qui per apostolorum prædicationem crediderunt: illi enim (vt Lucas dicit) oculis mirabilia gerentem Iesum viderunt, & sermonis eius fuerunt ministri: quibus adhibere fidem necesse est, si vitam æternam possident, & in cælis regnare desideramus. Multa quidem, & alia signa fecit Iesus, &c. Quasi repetendo, quæ scripsit, intentionem euangelii manifestat: vt enim credatis, inquit, & credentes vitam æternam habeatis, hæc mihi edita sunt. Plura vero saluatoris signa fuisse dicit quam ab eo conscripta sunt: quæ relicta sunt quia sufficere ista putauit ad persuadendum legentibus: quia Iesus est Christus filius Dei. Hæc quidem euangelista: ego autem non ab re illud dicam. Si euangelij virtus, & miraculorum magnitudo ad persuadendum sufficit: quia virginis filius, qui voce angeli Iesus appellatus est, ipse est qui à scriptura Christus appellatur, & est filius Dei, non vt cæteri, sed singulariter, atq; proprie, etiam posteaquam naturæ humanæ coniunctus est, errant omnino, qui dominum suum negare audent. Nos enim quando naturam verbi consideramus, aliud ab eo natura templum, quod à virgine assumpsit, esse inuenimus. Quando vero vim coniunctionis respicimus, & quantum in nobis situm est) supernaturale hoc mysterium inuestigamus, tunc verbum cum templo suo nouum esse intelligimus, non mutatum quidem in carnem (non enim hoc dicimus, minime namque natura verbi, mutationis susceptibilis est) sed, quia secundum scripturas vnus est Iesus Christus, vnus, inquam, filius, qui ex templo carnis suæ (quod integre naturæ humanæ recipit distinctionem) & ex viuo Dei verbo esse intelligitur. Id in nobis ipsius facile intelligi potest. Est enim vnusquisque nostrum homo vnus, quamuis ex anima, & corpore constemus, quorum vtrumque ab altero ratione naturæ differt.

**PETRI CHRYSOL. EPISCOPI Rauens. in superius Euang. de quinta Christi manifestatione facta discipulis cum abesset Thomas, de qua sexta cum adesset, Sermo.**

**D**iebus quadraginta, quibus post resurrectionem suam Dominus diuerso modo refertur, & creditur suis apparuisse discipulis, haud immerito sermone, iplis lectionibus, ipsis deseruit, & nititur sacramentis, vt Dominicæ passionis mœrorem multiplici resurrectionis indicio perfectum vestræ charitatis conuertat in gaudium: & qui ante per virtutem suam nostro resurrexit in corpore, nunc etiã per fidem nostram resurgat in cordibus. Et cum esset sero die illa vna sabbatorum, &c. Cũ esset sero, sero erat plus mœrore, quam tem-

pore: sero est mœrore, & tristitiæ nubilo mentibus obscuratis. Sero erat. Quia & si crepusculum dederat aliquod resurrectionis indicium, necdum tamen eis dominus resurrexerat plena sui luminis claritate. Vbi erant discipuli congregati propter metum Iudæorum. Magnitudo terroris, & facinoris tanto turbine discipulorum domum simul, & corda coneluserat: & ita totum luminis abdicarat ingressum, vt magis, magisque mœrore sensibus occupatis, cæca noctis augetur offusio. Nulla noctis tenebræ caligini mœrore, & formidinis comparantur: quia nullo possunt aut consolationis, aut consilij lumine temperari. Audi prophetam; Timor, & tremor venerunt super me, & operuerunt me tenebræ. Et cum fores essent clausæ, vbi erant discipuli congregati propter metum Iudæorum: venit Iesus, & stetit in medio eorum. Rogo, cur dubitatur clausi corporis arcanum, & obsecratum tota integritate domicilium virginalis absoluta diuinitas potuisse penetrare, quæ post resurrectionem corporis nostri crassata mysterio, foribus ingreditur, & egreditur clausis: taliq; indicio se totius creaturæ demonstrat auctorem, cui non obstitit, cui deseruit ad omnia creatura? Sed, si conceptum, parumque virginitas excusare suo nescit creatori: si ingressum, egressumque clausa ianua creatori suo non potest denegare: quemadmodum lapis monumenti quamuis magnus, quamuis Iudaica malitia signatus, resurgenti poterat obistere saluatori? Sed, sicut virginitas, & ianua claustris suis fidem faciunt deitatis: ita reuolutus lapis fidem resurrectionis affirmat, qui nõdum resolutus domino suo præparauit egressum, sed nocte fidei præstat, & admittit ingressum. Venit Iesus, & stetit in medio eorum: & dicit eis, pax vobis. Discipulorum corda fidei, & dubitationis, desperationis, & spei, defectus, & magnanimitatis, continui confictus prælia sustinebant: talium ergo cogitationum bella inspector præuidens, secretorum pacem primitus se videtibus reddit, vt, qui taliter ablatum materiam reliquerat cõfrigendi, redditus oculis eorum causam totam certaminis amputaret. Gaudij sunt, inquit, discipuli, viso Domino. Gaudij sunt, quantum post tenebras gratior lux est, serenitas post tempestatem obscura, tantum est acceptius gaudium post mœrorem. Dicit eis iterum, pax vobis. Quid repetitæ pacis largitas ista manifestat, nisi, quia quietem, quam sensibus indixerat singulorum, vult inter eos etiã repetitæ pacis donatione seruari, quos vtique nonmodica habituros esse nouerat in posterum de sua cunctatione certamina: dum vnus se in fide perstitisse iactaret, dubitasse alter mœreret. Vt ergo & arrogantis iactantiam, tumoremq; refecaret, & eius, qui infirmatus fuerat sanaret, & excluderet passionem, causam non discipulis quicquid acciderat pius moderator ascribens, imperio pacis suæ bella nascitura compressit: ne alter alteri impropere, quod ipse, cui totum debebatur, donauerat in futuro. Petrus negat, Ioannes fugit, Thomas dubitat, cuncti relinquunt: quibus nisi pacem suam Christus dedisset; & Petrus, qui primus erat omnium, putaretur inferior: & sequens in debite forsitan tolleretur aduersus primum. Sicut misit me pater, sic & ego mitto vos. Missi sermo non minorat filium, sed declarat: quia non mittentis potestatem hic, sed missi voluit intelligi charitatem: cum dicit, Sicut misit me pater. Non dominus, sed pater. Sic & ego mitto

Psal. 54.

Matth. 26. Marc. 14. Ioan. 20.

mitto vos. Non auctoritate adhuc inbentis, sed toto diligentis affectu: mitto vos ad tolerantiam famis, ad onera vinculorum, ad squalorem carceris, ad perferenda omnia genera poenarum, ad subleuandum cunctis execrabile mortis iugum: quae omnia charitas vique humanis mentibus imperat, non potest. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt. Dedit potestatem remittendi peccata, qui insufflatione sua infudit ipsi cordibus eorum, & largitus est remissionem. Hae, cum dixisset, insufflauit eis, dicens: Accipite spiritum sanctum, &c. Vbi sunt, qui per homines hominibus remitti peccata non posse praescribunt? qui semel diabolica impulsione collapsos opprimunt, ne se erigant? qui languoribus curam, vulneribus crudeli spiritu subtrahunt, negantque medicinam? qui peccatoribus remittendi, & redeundi desperatione impia resultant? Remittit Petrus peccata, & toto cum gaudio suscipit poenitentes, atque omnibus sacerdotibus haec a Deo concessam amplectitur potestatem: qui post negationem, nisi poenitentiam reperisset, a postolatus gloriam, & vitam pariter perdidisset. Et si Petrus per poenitentiam rediit, quis sine poenitentia subsistit? Thomas autem cum audisset a discipulis suis quod vidissent Dominum, respondit: Nisi videro figuram clauorum, &c. Cur Thomas vestigia fidei sic requirit? cur tam pie patientem, tam dure discutit resurgentem? cur ea vulnera, quae manus infixit impia, deuota dextera sic resulcat? cur latus, quod impij militis lancea perforauerat, refodere manus niritur obsequentis? cur dolores persecutorum furoribus irrogatis, famulantis curiositas renouat immitis? cur tormentis dominum, cur poenis Deum, cur caelestem medicum probaturus de vulnere discipulus sic requirit? Cecidit potestas diaboli, patefactus est carcer inferni, disrupta sunt vincula mortuorum, moriente Domino, sunt euulsa monumenta, & resurgente Domino, tora mortis est mutata conditio, ab ipso Domino sacratissimo sepulchro lapis reuolutus est, linteamina resoluta sunt, & resurgens ad gloriae mors fugit, vita rediit, caro amplius casum nescitura, surrexit: & cur tibi solus, Thoma, sola vulnera praesentari ad indicium fidei nimis callidus explorator ex postulas? quid si ista cum aliis abolita fuissent, quod periculum fidei tuae curiositas ista peperisset. Nulla pietatis monumenta, nulla dominicae resurrectionis inueniri aeternas prouidisse documenta, nisi manibus tuis sulcates Iudaica crudelitate exarata sic viscera? Quasi uis, fratres, pietas ista, exegit ista deuotio, ut resurrexisset dominum nec ipsa in posterum dubitaret impietas: sed Thomas non solum cordis sui: sed omnium hominum cutabat incertum: & praedicaturus haec in gentibus, quemadmodum tanta fidei astrueret sacramentum, executor strenuus perquirebat. Certe propheta magis, quam cunctatio fuit. Nam cur talia peteret, nisi a Domino ad indicium resurrectionis suae seruata sola vulnera prophetae spiritu cognouisset? Denique sponte praestitit ceteris, quod iste tardius implorat. Venit, inquit, Iesus, & stetit in medio, & ostendit eis manus, & latus. Nam, qui ingressus fuerat, clausis ostiis, & merito a discipulis spiritus esse putabatur: non aliter ipsum se, nisi ipsa corporis passione, ipsis vulnerum notis, taliter dubitantibus, poterant approbare. Denique venit, & dicit Thoma:

In ecclesia est potestas remittendorum peccatorum.

Matth. 2.0.

Oratoria amplificatio: non enim Christus post resurrectionem dolores illos sensit.

Nimis indiligens accusator.

Infer digitum tuum huc, &c. Ut effundant t, oro orbe iterum te aperiente, haec vulnera fidem, quae aqua in laacrum, sanguinem in omnium precium iam fuderunt. Respondit Thomas & dixit: Dominus meus, & Deus meus. Veniant, & audiant haeretici: & sicut dixit Dominus, non sint increduli, sed fideles: Ecce non solum corpus humanum, sed & poenalis corporis passiones. Deum, & Dominum esse Christum, Thoma vociferante, manifestant. Et verè Deus est, qui uiuit ex morte, resurgit ex vulnere: qui talia, & tanta cum susceperit, uiuit & regnat Deus, per omnia secula seculorum, Amen.

S. GREGORII PAPAE in superius Euang. Homil.

Prima lectionis huius Euangelicae quaestio animum pulsatur, quomodo post resurctionem corpus dominicum verum fuit, quod clausis ianuis ad discipulos ingredi potuit. Sed sciendum nobis est, quod diuina operatio si rationi comprehenditur, non est admirabilis: nec fides habet meritum, qui humana ratio praebet experimentum. Sed haec ipsa redemptoris nostri opera, quae ex semetipsis comprehendere nequaquam possunt, ex alia eius operatione pensanda sunt, ut rebus mirabilibus fidem praebent facta mirabiliora. Illud enim corpus Domini intrauit ad discipulos ianuis clausis, quod uidelicet ad manus oculos per nauitatem suam clauso exit vtero virginis. Quid ergo mirum, si clausis ianuis post resurrectionem suam in aeternum iam victurus intrauit, qui moriturus ueniens, non aperto virginis vtero exiit? Sed quia ad illud corpus, quod uideri poterat, fides interitum dubitabat, ostendit eis protinus manus, & latus, palpandam carnem praebuit, quam clausis ianuis intradixit. Quia in re duo mira, & iuxta humanam rationem sibi valde contraria ostendit, dum post resurctionem corpus suum & incorruptibile, & tamen palpabile monstrauit. Nam & corrupti necesse est, quod palpatur: & palpari non potest, quod non corrumpitur. Sed miro modo, atque inestimabili redemptor noster & incorruptibile post resurrectionem, & palpabile corpus exhibuit, ut monstrando incorruptibile, inuiteret ad pramiu: praebedo palpabile, formaret ad fidem. Et incorruptibile se ergo, & palpabile monstrauit, ut profecto esse post resurrectionem ostenderet corpus suum & eiusdem naturae, & alterius gloriae. Dicit eis: Pax uobis. Sicut misit me pater, & ego mitto uos. Pater filium misit, qui huc pro redemptione generis humani incarnari constituit. Quae uidelicet in mundum venire ad passionem uoluit, sed tamen amauit filium, quae ad passionem misit. Electos uero apostolos Dominus non ad mundi gaudia, sed sicut ipse missus est, ad passiones in mundum mittit. Quia ergo & filius amatur a patre & tamen ad passionem mittitur: ita & discipuli amantur a Domino, qui tamen ad passionem mittuntur in mundo. Itaque recte dicitur: Sicut misit me pater, & ego mitto uos: id est, ea charitate uos diligo, cum inter scandala persecutorum mitto, qua me charitate pater diligit, quem venire ad tolerantias passiones fecit. Quauis mitti etiam iuxta naturam diuinitatis possit intelligi, eo enim ipso a patre filius mitti dicitur, quo a patre generatur. nam

Ex hom. 29. in Euang.

Nam sanctum quoque spiritum, qui cum sit coequalis patri, & filio, non tamen incarnatus est, idem se filius mittere perhibet, dicens: Cum uenerit paracletus, quem ego mittam uobis a patre. Si enim mitti solummodo incarnari deberet intelligi, sanctus proculdubio spiritus nullo modo diceretur mitti, qui nequaquam incarnatus est: sed eius missio, ipsa processio est, quae de patre procedit, & filio. Sicut itaque spiritus mitti dicitur, quia procedit: ita & filius non incongrue mitti dicitur, quia generatur: Hoc cum dixisset, insufflauit, & dicit eis: Accipite spiritum sanctum. Quarendum nobis est, quid est, quod diffunditur spiritum sanctum Dominus noster & semel dedit in terra consistens, & semel caelo praesidens. Neque enim in alio loco datus spiritus sanctus aperte monstratur, nisi nunc cum per insufflationem percipitur, & postmodum cum de caelo ueniens, in linguis variis demonstratur. Cur ergo prius in terra discipulis datur, postmodum de caelo mittitur, nisi quod duo sunt praecipua charitatis, dilectio uidelicet Dei, & proximi? In terra datur spiritus, ut diligatur proximus: de caelo datur spiritus, ut diligatur Deus. Sicut ergo una est charitas, & duo praecipua, ita unus spiritus, & duo data: prius a consistente Domino in terra, postmodum de caelo: quia in proximi amore discitur, qualiter perueniri debeat ad amorem Dei. Unde & idem Ioannes dicit, Qui non diligit fratrem suum, quem uidet, Deum, quem non uidit, quomodo potest diligere? Et ante quidem discipulorum mentibus idem spiritus sanctus inerat ad fidem, sed tamen manifesta datione non nisi post resurrectionem datus est. Unde & scriptum est, Nondum erat spiritus datus, quia Iesus nondum fuerat glorificatus. Unde etiam per Moysen dicitur, Suxerunt mel de petra, & oleum de firma petra. Neque enim quicquam tale iuxta historiam legitur, nisi tota testamenti ueteris series reuocetur: nusquam de petra mel, nusquam oleum ille populus suxit. Sed quia iuxta Pauli uocem, petra erat Christus, mel de petra suxerunt, qui eiusdem redemptoris nostri facta, & miracula uiderunt. Oleum uero de firma petra suxerunt, quia effusione sancti spiritus post resurrectionem eius uigi meruerunt. Quasi ergo infirma petra mel dedit, quando adhuc mortalitatis Dominus miraculorum suorum dulcedinem discipulis ostendit: sed firma petra oleum fudit, quia post resurrectionem suam factus iam impassibilis, per afflationem spiritus domini sanctae uirtutis emanauit. De hoc oleo per prophetam dicitur: Computrescet iugum a facie olei. Sub iugo quippe tenebamur daemoniae dominationis, sed uincti sumus oleo spiritus sancti: Et quia nos gratia libertatis unxit, daemoniae dominationis iugum putruit, Paulo attestante, qui ait: Vbi spiritus Domini, ibi libertas. Sciendum uero est, quod ij, qui spiritum sanctum prius habuerunt, ut & ipsi innocenter uiuerent, & in praedicatione quibusdam prodesse: idcirco hunc post resurrectionem Domini patenter acceperunt, ut prodesse non paucis, sed pluribus possent. Unde & in hac ipsa datione spiritus dicitur: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt. Libet intueri, discipuli illi ad tanta onera humilitatis uocati, ad quantum culmen gloriae sint perducti. Ecce non solum de semetipsis securi sunt, sed etiam alienae obligationis, potestatem

Ioan. 13.

Ioan. 4.

Ioan. 7.

Deut. 32.

1. Cor. 10.

Isai. 10.

2. Cor. 3.

relaxationis accipiunt: principatum superni iudicis fortiuntur, ut vice Dei quibusdam peccata retineant, quibusdam relaxent. Sic sic eos a Deo decebat erigi, qui tantum pro Deo consenserant humiliari. Ecce qui districtum Dei iudicium metuunt, animarum iudices fiunt: & alios damnant, vel liberant, qui semetipsos damnari metuebant. Horum profecto nunc in Ecclesia episcopi locum tenent: ligandi, atque soluendi auctoritatem suscipiunt, qui gradum regiminis fortiuntur. Grandis honor, sed graue pondus istius est honoris. Durum quippe est, ut, qui nescit tenere modera mina uita sua, iudex uita fiat aliena. Et plerumque contingit, ut hic iudicij locum teneat, cui ad locum uita minime concordat: ac proinde saepe agitur, ut vel damnet immeritos, vel alios ipse ligatus soluat. Saepè in soluendis, ac ligandis subditis suae uoluntatis motus, non autem caesuram merita sequitur. Unde fit, ut ipsa haec ligandi, ac soluendi potestate se priuet, qui hanc pro suis uoluntatibus, & non pro subditorum moribus exercet. Saepè fit, ut erga quemlibet proximum odio, vel gratia moueatur pastor. Iudicare autem de subditis digne nequeunt, qui in subditorum causis sua uel odia, uel gratiam sequuntur. Unde recte per prophetam dicitur: Mortificabant animas, quae non uiuunt. Non morientem quippe mortificat, qui iustum damnat, & non uicturum uiuificare nititur, qui reum a supplicio absolvere conatur. Causae ergo pensandae sunt, & tunc ligandi, atque soluendi potestas exercenda: uidentium quae culpa, aut quae sit poenitentia secuta post culpam: ut quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam uisitat, illos pastoris sententia absoluat. Tunc enim uera est absolutio praedicta, cum interni arbitrium sequitur iudicis. Quod bene quadriuanus mortui resuscitatio illa significat, quae uidelicet demonstrat, quia prius mortuum Dominus uocauit, & uiuificauit, dicens: Lazare, ueni foras: & postmodum is, qui uiuens egressus fuerat, a discipulis est solutus, sicut scriptum est: Cumque egressus esset, qui fuerat ligatus in istis, tunc dixit discipulis, Soluite eum, & sinite abire. Ecce illi discipuli iam uiuentem soluunt, quem magister suscitauerat mortuum. Si enim discipuli Lazarum mortuum soluerent, caeteros magis ostenderent quam uirtute. Ex qua consideratione intueudum est, quod illos nos debemus per pastorem auctoritate soluere, quos auctorem magis ostenderent quam uirtute. Ex qua consideratione intueudum est, quod illos nos debemus per pastorem auctoritate soluere, quos auctorem nostrum cognoscimus per suscitantem gratiam uiuificare. Quae nimirum uiuificatio ante operationem reformationis in ipsa iam cognoscitur confessione peccati. Unde & huic ipsi mortuo Lazaro nequaquam dicitur, Reuiuiscite: sed, Veni foras. Omnis quippe peccator, dum culpam suam intra conscientiam abscondit, introitus latet, in suis penetralibus occultatur. Sed mortuus uenit foras, cum peccator nequitias suas sponte confiteatur. Lazaro ergo dicitur: Veni foras: ac si aperte cuilibet mortuo in culpa, diceretur: cur reatum tuum intra conscientiam abscondis? Foras iam per confessionem egredere, qui apud te interius per negationem lateas. Veniat itaque foras mortuus, id est, culpam confiteatur peccator. Venientem uero foras soluatur discipuli, ut pastores Ecclesiae ei poenam debeant amouere quam meruit, qui non erubuit confiteri quod fecit. Haec de solutionis ordine

Episcopi successores apostolorum.

Intelligi potest illud in uerbo, in quod incidit per ecclesiasticos canones, iuris dictionem potestate trasrefere priuatum.

Ioan. 11.

Cauete propter Eusebium, qui ecclesiasticam auctoritatem eneruauerunt, dicunt sacerdotes sancti declarare dimissa peccata, non autem uenientem. Confessio peccatorum.

*Pa. Stovii sen- tentia etiam in iustis timet.*

dine breuiter dixerim, vt sub magno moderamine pastores Ecclesiæ vel soluere studeant, vel ligare. Sed vtrum iuste, an iniuste obliget pastor, pastoris tamen sententia gregi timenda est; ne is, qui subest, & cum iniuste forsitan ligatur, ipsam obligationis suæ sententiam ex alia culpa mereatur. Pastor ergo vel absoluerit indiscretè timeat, vel ligare. Is autè, qui sub manu pastoris est, ligari timeat vel iniuste, nec pastoris sui iudicium temerè reprehendat, ne, & si iniuste ligatus est ex ipsa timidæ reprehensionis superbia, culpa quæ nõ erat, fiat. Sed quia hæc breuiter per excessum diximus; ad expositionem ordinem reuertamur, *Thomas autem vnus ex duodecim, qui dicitur Diligimus nõ erat cum eis, quando venit Iesus.* Iste vnus discipulus desinit, reuersus quod gestu est audiuit, audita credere renuit. Venit iterum Dominus & nõ credenti discipulo lacus palpandum præbuit, manus ostendit, & ostensa suorum cicatrice vulneru, infidelitatis illius vulnera sanauit. Quid fratres charissimi, quid inter hæc animaduertitis? Nunquid casu gestu creditis, vt electus ille discipulus tunc deesset, post autem veniens audiret, audiens dubitaret, dubitans palparet, palpans crederet? Non hoc casu, sed diuina dispensatione gestum est. Egit namque miro modo superna clementia, vt discipulus ille dubitans, dum in magistro suo vulnera palparet carnis, in nobis vulnera sanaret infidelitatis; plus enim nobis Thomæ infidelitas ad fidem, quam fides credentium discipulorum profuit; quia, dum ille ad fidem palpando reducitur, nostra mens omni dubitatione postposita, in fide solidatur. Sic quippe discipulum post resurrectionem suam dubitare permisit, nec tamen in dubitatione deseruit, sicut ante natiuitatem suam habere Mariam sponsum voluit, qui tamen ad eius nuptias non peruenit. Nam ita factus est discipulus dubitans, & palpans, testis veræ resurrectionis, sicut sponsus matris fuerat custos integerrimæ virginitatis. Palpauit autem, & exclamauit: *Dominus meus, & Deus meus.* Dicit ei Iesus: *Quia vidisti me, credidisti.* Cum Paulus Apostolus dicat; Est autem fides sperantiaru substantia rerum, argumentum non apparentiu, profectò liquet, quia fides illarum rerum argumentum est, quæ apparere non possunt. Quæ etenim apparent, iam fidem non habent, sed agnitionem. Dum ergo vidit Thomas, dum palpauit, cur ei dicitur, *Quia vidisti me, credidisti?* Sed aliud vidit, aliud credidit. A mortali quippe homine diuinitas videri non potuit. Hominem igitur vidit, & Deum confessus est, dicens; *Dominus meus, & Deus meus.* Vidèdo igitur credidit, qui cõsiderando verum hominum, hunc Deum, quem videre non poterat, exclamauit. Lætificat valdè, quod sequitur; *Beati qui non viderunt, & crediderunt.* In qua nimirum sententia nos specialiter signati sumus, qui eum, quem in carne non vidimus, mente retinemus. Nos signati sumus; sed si fidem nostram operibus sequimur. Ille etenim verè credit, qui exercet operando, quod credit. Quo contra de his, qui fidem nomine tenus retinent, Paulus dicit, *Constitentur se nosse Deum, factis autem negat.* Hinc Iacobus ait; Fides sine operibus mortua est. Hinc ad B. Iob de antiquo hoste generis humani Dominus dicit; Absorbebit fluuius, & non mirabitur; & fiduciam habet, quod influat Iordanis in os eius. Quid etenim per fluuium de-

*Vera fides cõ- operibus con- sũmpta.*

*Ti. 1.*

*1ac. 2.*

*Iob. 4.*

signatur, nisi humani generis fluxus? Quod videlicet genus ab ortu ad finem defluit, & quasi aqumore, vsque ad competentem terminum ex carnis liquore percurrit. Quid per Iordanem, nisi baptizatorum forma signatur? Quia enim in Iordanis flumine ipse author redemptionis nostræ baptizari dignatus est, rectè Iordanis nomine eorum multitudo exprimitur, qui intra sacramentum baptismatis continentur. Antiquus ergo hostis, generis humani fluuium absorbit, quia à mundi origine vsque ad redemptoris aduentum, vix paucis electis euadentibus, in ventrem suæ malitiæ genus humanum traxit. De quo rectè dicitur; Absorbebit fluuium, & non mirabitur; quia pro magno non habet, cum infideles rapit. Sed graue est valdè quod subditur; Et habet fiduciam, quod influat Iordanis in os eius: quia postquam infideles quosque à mundi origine rapit, adhuc se posse decipere etiam fideles præsumit. Nam ore pestiferæ persuasionis eos quotidie deuorat, in quibus à confessione fidei reproba vita discordat. Hoc ergo, fratres charissimi, tota intentione pertimescite, hoc apud vos sollicita mente cogitate. Ecce paschalia solennia agimus: sed ita viuendum est nobis, vt peruenire ad æternam festam mereamur. Transeunt cuncta, quæ temporaliter festina celebrantur. Curate qui his solennitatibus interestis, ne ab æterna solennitate separamini. Quid prodest interesse festis hominum, si deesse contingat festis angelorum? Umbra venturæ solennitatis est solennitas præsens. Idcirco hanc annuè agimus, vt ad illam, quæ non est annua, sed continua, perducamur. Cum hæc statuta tempore geritur, ad illius desiderium memoria nostra reficitur. Frequentatione ergo gaudij temporalis, ad æterna gaudia mens incalecat & ferueat: vt ex veritate lætitiæ perfruatur in patria, quod de umbra gaudij meditare; in via. Vitam igitur vestram, fratres, morèque componite. Is qui mitis resurrexit ex morte, quam districtus in iudicio veniat, præuidete. Certè in die tremendi examinis sui cum angelis, cum archangelis, cum thronis, & dominationibus, cum principatibus & potestatibus apparebit, caelis ac terris ardentibus, cunctis videlicet elementis in sui obsequij terrore commotis. Hunc ergo tanti pauoris iudicem ante oculos ponite, hunc venturum timeate, vt hinc cum venerit, non timidi, sed securi videatis. Timendus ergo est, ne timeatur. Terror eius nos ad vsum bonæ operationis exerceat, metus illius vitam nostram à prauitate compefcatur. Mihi, fratres, credite, quia tãto tunc erimus securi de eius præsentia, quanto nunc esse satagimus suspecti de culpa. Certè si aliquis vestrum cum suo aduersario causam dicturus, in meo iudicio die crastina esset exhibendus, totam fortasse noctem insomnem duceret, quid sibi dici posset, quid obiectio- nibus responderet, secum sollicita, & æstiuanti mente versaret; ne me inueniret asperum, vehementer metueret; ne apud me appareret noxius, formidaret. Et quis ego; aut quid ego? Nimirum non longè post futurus post hominem vermis: atque post vermen puluis. Si ergo tanta cura pertimescitur iudicium pulueris, qua intentione cogitandum est, qua formidine prouidendum tantæ iudicium maiestatis? Sed, quia sunt nonnulli, qui de resurrectione carnis incerti sunt, & hanc tunc rectius docemus, si etiam cordium vestroru quæ-

*Mat. 7.*

tionibus occultis occurrimus, pauca nobis de ipsa resurrectionis fide loquenda sunt. Multi etenim de resurrectione dubitantes, sicut & nos aliquando fuimus, dum carnem in putredinem, ossaque in puluerem redigi per sepulchra conspiciunt, reparati ex puluere carnem, & ossa diffidit, sicque apud se quasi ratiocinantes dicunt, Quando homo ex puluere reducitur? Quando agitur, vt cinis animetur? Quibus breuiter respondemus, quia longè minus est Deo reparare, quod fuit, quam creasse quod non fuit. Aut quid mirum, si hominem ex puluere reficit, qui simul omnia ex nihilo creauit? Mirabilis namque est, cælum, & terram ex nullis existentibus cõdidisse, & quom ipsum hominem ex terra reparare. Sed cinis attenditur, & in carnem redire posse desperatur, & diuinæ operationis virtus cõprehendi quasi ex ratione quæritur. Qui scilicet hæc idcirco in suis cogitationibus dicunt, quia eis quotidiana Dei miracula ex assiduitate viluerunt. Nam ecce in vno grano paruissimi seminis, later tota quæ nascitura est arboris moles. Constituamus nãque ante oculos cuiuslibet arboris miram magnitudinem: cogitemus vnde oriendo corpit, quæ ad tantam molem crescèdo peruenit. Inueniemus proculdubio eius originem paruissimũ semen. Cõsideremus nunc, vbi in illo paruo seminis grano later fortitudo ligni, asperitas corticis, saporis, odorisque magnitudo, vbertas fructuum, viriditas foliorum. Con- tractatum namque seminis granum non est validum: vnde ergo processit ligni durtia? Non est asperum: vnde asperitas corticis erupit? Non est saporu: vnde in sapor fructibus? Olfactum nil redolet: vnde odor in fructibus fragrat? Nil in se viride ostèdit: vnde folioru viriditas exiit? Cuncta ergo in semine simul latent, quæ tamen non simul ex semine prodeunt. Ex semine quippe producitur radix, ex radice prodit virgultum, ex virgulto oritur fructus, in fructu etiam producitur semen. Addamus ergo, quia & semen later in semine. Quid ergo mirum, si ossa, neruos, carnem, capillosque reducat ex puluere, qui lignum fructus, folia in magna mole arboris, ex paruo quotidie semine restaurat? Cum ergo dubitans animus de resurrectionis potentia rationem quærit, earum rerum ei quæstiones inferendæ sunt, quæ & incessanter fiunt, & tamen ratione comprehendi nequaquam possunt; vt, dum non valer ex visione rei penetrare, quod conspiciet de promissione diuinæ potentia credat quod audit. Illa ergo vobiscum fratres charissimi, promissa cogitate quæ permanent: quæ verò cum tempore transeunt, velut iam dimissa despiciat. Ad huius resurrectionis gloriam, quam in se veritas ostendit, tota intentione festinate: terrena desideria quæ ab authore separant, fugite: quia tanto altius ad conspectum Dei omnipotentis pertingitis quanto mediatorum Dei, & hominum singulariter amatis, qui viuunt, & regnat cum patre, in vnitare spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum, Amen.

**BEDAE VENERABILIS presbyteri eiusdem Euang. expositio.**

*En comment. in Ioan.*

*Pax vobis, & cum hoc dixisset, ostendit eis manus & latus.* Clau enim manus fixerant, lancea

latus aperuerat. Vbi ad dubitantium corda sananda, vulnerum sunt seruata vestigia. moli autem corporis, vbi diuinitas erat, ostia clausa non obstituerant. Ille quippe eis non apertis intrare potuit, quo nascente virginitas inuiolata perman- sit. Dixit ergo eis iterum, *Pax vobis.* Iteratio promissio est. Ipse quippe per prophetam promissio pacem super pacem. *Sicut misit me pater,* inquit, *& ego mitto vos.* Aequalem patri filium nouimus: sed hic verba mediatoris agnoscimus: medium quippe se ostendit dicendo, *Ille me, & ego vos.* *Hac cum dixisset, insufflauit, & dixit eis, Accipite spiritum sanctum.* Insufflando significauit spiritum sanctum non patris solius esse spiritum, sed & suum. *Quorum remisistis,* inquit, *peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.* Ecclesiæ charitas, quæ per spiritum sanctum diffunditur in cordibus nostris, participum suorum peccata dimittit. Eorum autem, qui non sunt eius participes, tenet. ideo posteaquam dixit; *Accipite spiritum sanctum,* hoc continuo de peccatorum remissione subiicit. *Dominus meus, & Deus meus.* Videbat tangebatque hominem, & confitebatur Deum, quem non videbat, neque tangebat. Sed per hoc quod videbat, atque tangebat, illud iam remota dubitatione crederet. dicit ei Iesus; *Quia vidisti me, credidisti.* Non ait, tetigisti me, sed, *vidisti me:* quoniam generalis quodammodo sensus est visus. nam & per alios quatuor sensus nominari solet: velut cum dicimus, *Audi, & vide,* quam bene sonet. Olfac, & vide quam bene oleat. Gustat, & vide quam bene sapiat. Tange, & vide quam bene caleat. Vbique sonuit vide, cum visus proprie non negetur ad oculos pertinere. Vnde & hic ipse Dominus; *Infer,* inquit, *digitum tuum, & vide manus meas.* Et quid aliud ait, quam tange, & vide? nec tamen oculos ille habebat in digito. Ergo siue intuendo, siue etiam tangendo; *Quia vidisti me,* inquit, *credidisti.* quauis dici posset non ausum fuisse discipulum tangere, cum se offerret ille tangendum. Non enim scriptum est, & tetigit Thomas; sed siue aspiciendo tantum, siue etiam tangendo viderit, & crediderit, illud, quod sequitur, magis gentium fidem prædicat, atque commendat; *Beati qui non viderunt, & crediderunt.* Præteritii temporis vsus est verbis, tanquam, ille qui quod erat futurum, in sua nouerat prædestinatione iam factum. *Multa quidem & alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorum suorum, &c.* Hoc capitulum, libri huius indicat finem. Sed narratur hinc deinde quemadmodum se manifestauerit Dominus ad mare Tyberiadis, & in captura piscium commendauerit Ecclesiæ sacramentum, qualis futura est in vltima resurrectione mortuorum. Ad hoc itaque commendandum valere arbitror, quod tanquam finis interpositus est libri, quod esset etiam securæ narrationis quasi proæmium, quod ei quodammodo faceret eminentiorem locum.

**HAYMONIS EPISCOPI Halberst. superioris Euang. expositio.**

*Cum sero autem esse, Id est, vespere, die illo. id est, die quo Dominus surrexit à mortuis: Et fores essent clausæ, id est ostia vbi erant discipuli congregati, propter metum Iudæorum. Quare discipuli*



discipuli metuebant Iudæos? Quia timebant, ne sicut interfecerant magistrum suum Dominum Iesum Christum vocibus suis, ita interficerent eos. *Veni Iesus ianuis clausis*, id est, ostiis. Quædum est, si corpus dominicum post resurrectionem verum fuit, quomodo ianuis clausis, ad discipulos ingredi potuit? Verum utique fuit. Sed quid mirum est, si iam incorruptibilis, impassibilis, & in æternum victurus, clausis ostiis, ad discipulos intravit, qui mortales, passibilis, & corruptibilis ad humanos oculos clauso vtero Mariæ virginis exiit? Non mirum est. Quale tunc fuit corpus post resurrectionem, talia erunt corpora electorum post generalem resurrectionem. Corpus Domini subtile fuit, quia obseratis ianuis, ad discipulos intravit: Et palpabile, id est, quod tangi potuit. Similiter & corpora sanctorum post resurrectionem subtilitatem habebunt, per effectum spiritualis potentia. Vbi namque voluerint, ibi erunt, ibi intrabunt, sed tamen palpabilia erunt per veritatem naturæ. Neque huic rationi, quam dicimus, contrarius videtur sermo beati Pauli apostoli, qui dicit: Caro, & sanguis regnum Dei non possidebunt. Tripliciter accipitur caro in sacra scriptura. Dicitur caro secundum naturam, ut illud Adæ: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Os appellavit Euam, quia de costa eius formata est. Dicitur caro secundum culpam, iuxta illud Pauli apostoli. Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem. Dicitur caro iuxta corruptionem mortalitatis, iuxta illud Psalmistæ. Et recordatus est, quia caro sunt, id est, fragiles, & moribundi. Caro secundum naturam possidebit regnum cælorum. Caro autem secundum culpam, vel secundum corruptionem non possidebit. Manifestat autem Paulus, quum subiungit. Neque corruptio incorruptelam possidebit. *Et dixit eis: Pax vobis.* In natiuitate filij Dei angeli pacem obtulerunt mundo, dicentes. Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Et ipse Deus iturus ad passionem, pacem commendauit discipulis dicens: Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis. Similiter & post resurrectionem pacem illis obtulit, sicut præsens lectio euangelica narrat. Quare hoc? Scimus, quia pax ad reconciliatos pertinet. Quasi diceret discipulis suis. Ideo natus sum temporaliter ex virgine. Ideo crucifixus sum pro salute vestra. Ideo resurrexi mea virtute, ut vos reconciliarem Deo patri meo, à cuius pace, & familiaritate recesseratis, primo homine Adam peccante. *Et cum hoc dixisset*, id est, cum dixisset pax vobis. *Ostendit ei manus, & latus.* Quare ostendit Dominus discipulis suis manus & latus, & non potuit vultum, in quo homo recognoscitur, aut frontem, aut os, aut nares? Quia manus illius clauis ferreis fuerant affixæ cruci, similiter & pedes. Et lancea latus eius fuerat apertum, vnde sanguis, & aqua exiuit. Vulnera in corpore Domini iam erant sanata, cicatrices tantummodo, id est, vestigia vulnerum remanserant, & manent adhuc, & manebunt in æternum. Quare ergo cum cicatricibus vulnerum voluit resurgere? Qui maiora fecit, minora facere non distulit, hoc est, qui regna mortis destruxit, & electos secum ad cælos perduxit, qui se etiam in immortalitatem induxit, iuxta quod apostolus Paulus dicit: Christus

2. Cor. 15.

Gene. 2.

2. Cor. 19.

resurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Signa vulnerum suorum obliterare noluit quatuor ob causas. Primum ut ostendens eandem cicatrices in corpore suo discipulis suis, informaret eos in fide resurrectionis suæ, & crederent eum per verum corpus resurrexisse de sepulchro. Secundum ut ascendens in cælum semper ostenderet Deo patri, quale genus mortis pro nobis sustinuit, & prouocet eum ad misericordiam. Tertium, ut electi, qui quotidie assumuntur in patriam cælestem, videntes eandem cicatrices in corpore redemptoris sui, indefinenter agant ei gratias, iuxta illud Psalmistæ: Misericordias tuas, Domine, in æternum cantabo. Et alibi: confitemini domino quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius. Quartum ut veniens in die iudicij, ostendat impiis Iudæis, quale genus mortis illi intulerint. *Sicut misit me pater, & ego mitto vos.* Misit filij incarnatio eius est. In hoc Deus pater filium misit, quum hunc in vtero virginis Mariæ pro salute generis humani incarnari instituit. Amauit Deus pater filium, quem tamen ad passionem misit in mundum. Similiter & Dominus Iesus Christus amauit discipulos, quos tamen non ad mundi gaudia, sed ad passionem perferendas misit, sicut ipse misit est. Comprobemus hoc, Crucifixus est ipse dominus, Deo patre volente. Crucifixus est Petrus, Deo permittente, decollatus est Paulus, crucifixus est Andreas, quos sequuti sunt martyres, & virginis. *Sicut ergo misit me pater, & ego mitto vos:* quasi diceret, ea charitate, qua me pater dilexerat, quum ad passionem me misit in mundum, ea charitate vos diligo, quum inter scandala persecutorum vos mitto. *Hoc quum dixisset insufflauit, & dixit eis: Accipite spiritum sanctum.* Per hanc insufflationem, quam dedit Dominus Iesus discipulis suis, spiritum sanctum demonstrauit ita à se procedere, sicut à patre. Deus pater à nullo est, Dominus Iesus à solo patre est genitus, spiritus sanctus ab utroque procedit, id est, à patre, & filio. Non fuit illa insufflatio spiritus sanctus, sicut nec ille ignis, qui super discipulos venit decima die post ascensionem Domini ad cælos. Ista insufflatio non est aliud, nisi æter commotus, sicut anhelitus tuus non est pars animæ tuæ, similiter & illa insufflatio non fuit spiritus sanctus. Sed per illam insufflationem & ignem corporeum, designatus est spiritus sanctus incorporatus, qui in cordibus discipulorum à domino mittebatur. Patriarchæ, & Propheta, Abraham, Isaac, & Iacob, Moses, David spiritum sanctum habuerunt, sed tamen occultè, ut innocenter viuerent, rectè crederent, & quibusdam in prædicatione profecerent. Post resurrectionem Domini habuerunt manifestè, & euidenter, ut iam non paucis, sed multis profecerent. Quare non habuerunt eum manifestè, ante resurrectionem, manifestat Ioannes, cum dicit: Nondum erat spiritus datus, subauditur manifestè, ita luculenter, quia Iesus nondum fuerat clarificatus resurrectione. Bis legimus in sancto euangelio discipulis spiritum sanctum à Deo datum. Semel eo die, quo resurrexit à mortuis in terra consistens, & semel post ascensionem in cælo præsidens. Quare hoc? Quia duo sunt præcepta charitatis, dilectio scilicet Dei, & proximi. Sicut vna est charitas, & duo præcepta, id est, dilectio Dei, & proximi, ita vnus spiritus, & duo

Ps. 88. 105. 135.

Act. 2.

2. Cor. 4.

Mat. 16.

Absolutio pre supponit confessionem.

In ecclesia est vnus sacerdotium.

duo data. In terra datur spiritus, ut diligatur proximus, è cælo datur spiritus, ut diligatur Deus. Et primum in terra datur, post modum de cælo mittitur, quia per dilectionem proximi peruenitur ad dilectionem Dei, quia dicente Ioanne euangelista: Qui non diligit fratrem suum, quem videt, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere? *Quorum remisistis*, id est, dimiseritis remittuntur, id est, dimittuntur, eis. Hanc potestatem dimittendi peccata primum dedit Dominus Petro, dicens ante passionem: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & tibi dabo clauis regni cælorum: & quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis. Multi arbitrati sunt propter hoc, quia specialiter dixit dominus: Quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis, hanc potestatem soli Petro datam. Sed manifestum est non solum illi datam hanc potestatem, sed etiam omnibus apostolis. Sicut eidem Petro dixit dominus alibi, Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te, & ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Si autè te non audierit, adhibe tibi vnum, vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum: si autem sic non correxerit, dic ecclesiæ. Et si ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus. Amen dico vobis, quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo. Et quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cælis. Ecce omnibus apostolis dedit hanc potestatem, & in apostolis omnibus prælati ecclesiæ, episcopi, presbyteri, abbates, & quoscunque viderint humiliter confiteri peccata sua, & plangere, soluant eos à peccatis. Quos viderint in pristinis peccatis permanere, & ad humilitatis confessionem non descendere, ostendant eos ligatos in conspectu omnipotentis Dei. Legimus in veteri testamento, sacerdotes potestatem discernendi habuisse inter leprosos, & non leprosos, inter mundos, & immundos: ut, quicunque fuisset leprosus, accederet ad sacerdotem, & ostenderet ei cutem corporis sui, & per iudicium sacerdotis sequestraretur à societate sanorum. Postquam autem per Dei misericordiam, & per officium sacerdotis receperit mundiciam, iterum accederet ad sacerdotes, & per illorum licentiam reciperet intra castra. Illud sacerdotij figuram gerebat veri sacerdotij, quod modò agit in sancta ecclesia. Omnis homicida, & omnis adulter, aut immundus, aut falsus testis, aut rapax, aut reliquis vitiis pollutus, leprosus est. Iste talis necessè est, ut iudicio sacerdotis eiiciatur extra castra, id est, extra societatem sanctæ ecclesiæ, vsque dum dignam penitentiam agat: tamen si viderit sacerdos compunctionem, & afflictionem cordis eius, non debet considerare longum tempus reconciliationis eius, quia scriptum est Psalmo quinquagesimo. Cor contritum, & humiliatum, Deus, non despicies. Sed potius recipiat eum in castra, id est, in societatem sanctæ ecclesiæ, & reconciliet eum ad altare, & communicet corpore, & sanguine domini. Quod demonstrauerat dominus in Lazaro quem suscitauit quattuordecim in monumento. Ille Lazarus, licet iustus fuisset, tamè peccatorem hominem signat, qui iacet sub lapide, hoc est, sub lege mortuus peccato. Sua vocè viuificauit eum Dominus clamans excelsè: Lazare, veni foras. Hæc vox filij Dei signat magnam gra-

tiam illius, qua vocat peccatorem interius per occultam inspirationem, dicens illi: Veni foras, id est, confitere peccata tua sacerdoti. Et quod sanctus Iacobus apostolus dicit: Confitemini alterutrum peccata vestra. Tunc egreditur de sepulchro peccator, quum incipit confiteri quod male gelsit. Præcepit dominus discipulis suis, soluite eum, & finite abire, hoc est, quod hic dicit: *Quorum remisistis peccata, remittuntur eis.* Si discipuli autè soluisent, quàm dominus præcepisset, factorem ostenderent magis quàm virtutem. Similiter & sacerdotes ecclesiæ, quem viderint à domino per afflictionem cordis, & corporis sanatum à peccatis: soluant eum ipsi per suum ministeriū. Sunt modò tales in sancta ecclesia episcopi & sacerdotes, qui damnant innoxios, & criminosos soluunt, de quibus dicit propheta: Mortificabant animas, quæ non moriuntur, & viuificabant, quæ non viuunt. Non morientem quippe mortificat, qui iustum damnat, & non viuentem viuificat, qui peccatorem soluit. Quia illis spiritualiter dicit dominus: Quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cælis, id est, episcopi, & abbatibus. *Thomas vnus ex duodecim, qui dicitur Dydimus.* Dydimus, id est, dubius quia de resurrectione dubitabat. Hic oritur questio, quare Ioannes euangelista dicat non tunc fuisse apostolum Thomam cum cæteris discipulis, quando apparuit eis dominus ad vesperam eo die, quo resurrexit à mortuis: quum secundum Lucam duo illi, quorum vnus erat Cleophas, reuertentes à castello nomine Emaus, venientes in Hierusalem, inuenerunt congregatos vndecim, & eos, qui cum ipsis erant, id est, septuaginta, & sanctas mulieres dicentes, quod surrexit dominus verè, & apparuit Simoni, & ipsi narrabant, quæ gesta erant in via, & quomodo eum in fractione panis cognouerunt: dum hæc loquuntur stetit Iesus in medio discipulorum suorum. Quæ questio hoc modo soluitur, dum illis vndecim loqueretur discipulis, quæ diximus, quod surrexit dominus verè, & apparuit Simoni, & illi duo referent, quæ gesta erant in via, & quomodo cognouerunt eum in fractione panis, subito inde exiit. Thomas forsitan aliqua necessitate compellus: & dum ille exisset, statim venit Iesus ianuis clausis, sicut hæc lectio narrat. *Dixerunt ergo alij discipuli: Vidimus dominum.* Certè postquam resurrexit à mortuis. *Ille autem dixit eis: Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum,* vbi clauis fixi sunt, non credam. Quærendum est, quare dominus voluit dilectum discipulum de sua resurrectione dubitare? Non sine causa. Propter nos gentiles factum est hoc, qui post ascensionem eius ad fidem venimus, per prædicationem apostolorum. Plus enim nobis profuit dubitatio Thomæ, quam certissima fides Mariæ, vel discipulorum. Dum enim legimus in euangelistis illius dubitationem, palpationem, & agnitionem, nulla iam ambiguitas in cordibus nostris residet de resurrectione filij Dei. Sic ergo voluit discipulum de resurrectione sua dubitare, nec tamen in eadem dubitatione permanere: sicut voluit matrem suam temporalem habere sponsum, id est, Ioseph, qui tamen ad eius coitum non peruenit. Ut sicut Ioseph fuit custos integerrimæ virginitatis, ita iste discipulus fieret testis veracissimus resurrectionis. *Infer*

Iacob. 5.

*digitum tuum huc*, id est, mitte digitum tuum in locum clauorum & palpa cicatrices vulnerum meorum, & *affer manum tuam*, & mitte in latus meum, quod lancea fuit apertum. Dicere solent in hoc loco gentiles, id est, infideles, & deridere nos, qui Christiani sumus. Si Deus vester (vt dicitis) cicatrices vulnerum suum non deleuit, qua temeritate putatis, quod vestra corpora incorrupta, & integra possit restaurare post mortem? Quibus respondendum est, quod dominus Iesus cum omnipotens esset, omnia, quaecunque voluit, fecit. Qui maiora fecit, minora super se facere distulit, hoc est, qui claustra mortis destruxit, & electos, qui ibi detinebantur, eripuit, illos, etiam, qui erant in hoc mundo, à diaboli potestate liberauit dicens: Princeps huius mundi, id est, diabolus eiicitur foras de cordibus hominũ: signa vulnerum suorum delere noluit, vt per easdem cicatrices corroboraretur fides discipulorum, & nostra ad salutem. Secundo, vt ascendens in cœlum, quale genus mortis pro nobis sustinuit, ostenderet. Vt si aliquis miles iubente imperatore suo, interit singulare certamen contra hostem regni sui, qui scilicet ibi multa vulnera excipiat in capite, in dorso, in manibus, in ventre: tamen cum victoria reuertitur ad imperatorem suum, refert illi imperator multas gratias & fenatus eius. Deinde committit eum imperator peritissimo medico ad sanandum, & interrogat eum medicus, vis à me sanari, vt cicatrices remaneant in corpore tuo? Ita volo, vt, cum viderint me conciuies mei, agant mihi gratias. Similiter & Dominus Iesus. *Et noli esse incredulus, sed fidelis.* Fides est credere, quod nõ videmus: sicut nos credimus Deum, quem tamẽ non videmus oculis corporeis. Et cognitio est, videre quod credidisti. Diuinitas filij Dei est inuisibilis. Vnde dicit Ioan. Deũ nemo vidit vnquam. Nam Moses amicus Dei voluit videre Deum, dicens: Domine, si inueni gratiam in oculis tuis, ostende mihi teipsum, vt videam te manifeste. Cui dictum est à Domino, Non me videbit homo & viuere potest, id est, homo mortalis non videbit inuisibilitatem meam. Ceire nec ipsi angeli, qui iugiter assistunt Deo, perfecte videre possunt diuinitatem illius maiestatis sicuti est: sed tantum vident, quantum ad salutem eorum proficit. B. Thomas homo erat, hominem Deum videbat: quare ergo dixit: dominus meus & Deus meus? Quia aliud vidit, aliud credidit. Vidit hominem, & credidit Deum: vidit humanitatis naturam, & credidit diuinitatis potentiam, *Quia vidisti, hominem, & credidisti, Deum beatus es, sed & illi Beati, qui non viderunt, & crediderunt.* Beati, qui non viderunt me hominem, & crediderunt. Nos gentiles sumus in hac sententia expressi, qui Deum nõ vidimus incarnatum, & passum, & sepultum, & tamẽ credimus eum verum Deum & verum hominem. Beati ergo sumus, qui in dominum Iesum credimus: si tamen fidem, quam habemus, bonis operibus adornemus, quia fides sine operibus ociosa est. *Beati qui nõ viderunt, & crediderunt.* Quare posuit præteritum tempus pro futuro? Quia omnia quæ hominibus futura videntur, iam in præsentia Dei quasi præterita manent. Hoc modo solet sacra scriptura loqui, iuxta illud Psal. *Foderunt manus meas, & pedes meos, foderunt, pro eo quod foderunt, dinumerauerunt, pro eo quod dinumerabunt.* Et in 1. Psal. *Quare fremue-*

Ioan. 11.

Ioan. 1.

Exod. 33.

Psal. 11.

Psal. 1.

runt gentes, pro eo quod fremunt: astiterunt reges terræ, pro eo quod astabant. *Multa quidem & alia fecit Iesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc*, librum appellat hic volumen quatuor euangelistarum Matthæi, & Lucæ, Marci, & Ioannis. Multa loquutus est dominus, quæ non sunt scripta in libris quatuor euangelistarum, multa miracula patrauit in mundo, quæ similiter non sunt scripta. Quare? vel quia fuit impossibile humanæ fragilitati omnia scribere, vel quia incredibilia viderentur in cordibus humanis. Tanta scripta sunt, quæ ad nostram salutem sufficerent. Vel hæc pauca miracula scripta sunt de eo, vt credatis corde, & confiteamini ore, *quia dominus Iesus Christus est filius Dei.* Christus, qui in lege, & prophetis fuit promissus, & oleo, id est, plenitudine spiritus sancti vnctus, vel repletus, qui requieuit super eum tempore baptismatis in specie columbæ: ipse est filius Dei nõ adoptiuus, sed proprius, iuxta quod apostolus Paulus dixit: Proprio filio suo non pepercit Deus, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Nos sumus filij per adoptionem, ille per naturam Deus, & homo, *vt credentes vitam habeatis in nomine eius.* Quæ merces dabitur nobis, qui credimus in dominum Iesum Christum: Vita æterna. Ipse dominus Iesus Christus, qui iturus ad passionem dixit Deo patri: Hæc est autem vita æterna, vt credant te Deum verum, & quem misisti filium tuum, cum spiritu sancto. Habe fidem, & ipsam fidem bonis operibus externa: Christum habes, qui templum illius est: vnde dicit Paulus apostolus. In interiori homine habitasse Christum per fidem in cordibus vestris. Cum autem dies iudicij aduenerit, & dominus dixerit electis: Venite benedicti patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi: tunc erit amplior vita æterna, quia facie ad faciem Deum videbis. Iam non morieris, sine fine regnabis, vbi erit gaudium sine tristitia, lux indeficiens, beatitudo sine fine mansura. Tunc erit Deus omnia in omnibus.

Luca 3. Rom. 8.

Ioan. 17.

Ephes. 3.

Matth. 25.

1. Cor. 11.

THEOPHYLACTI EPISCOPI *Bulgar. superioris Euang. expositio.*

**C**um ergo esset vespera die illo, &c. Postquam Maria annunciauit hæc discipulis, verisimile erat vel illos non credidisse ei: vel, si crediderunt, doluisse, quod ipsi non fuerint habitus digni idcirco illo die eis assistit stridentibus, propterea quod à muliere audiuerat eum resurrexisse. Quia autem timebant Iudæos, ideo magis videre desiderabant, vt inde esset eis aliquanta consolatio. Assistit igitur vesperi. Expectauit enim, donec omnes congregarentur. Clausæ autem erant fores, vt ostendat, quod ita surrexit supraposito lapide super sepulcrum. Quomodo autem nõ putauerint illum phantasiam, admirabitur quispiã. Mulier prius magna eos fide firmarat, & aliter, mansuetam eis faciem exhibuit, & voce fluctuabundas eorum mentes placauit. Quam autem dixisset: *Pax vobis*, hoc est, ne turbemini: memores eos fecit verbi, quod ante crucem dixerat eis, Pacem meam do vobis. *Gausti autem sunt, viso domino.* Et hoc quoque prædixerat eis ante crucem, dicens, Videbo vos, & gaudebit cor vestrum. Quia

*Quia autem cum Iudæis absque induciis gerebant bellum, iterum dicit, Pax.* Sicut enim mulieribus dixit, Gaudete, eo quod in luctu erant: ita illis pacem dat propter bellum, quod cum Iudæis habebant, & habituri erant. Congruetur illis gaudium, vt moerentibus, & maledictis olim vt in tristitia parant: vobis autem pacem dicit propter pericula prædicationis, interim & crucis bona declarat, quæ pacis sunt. Ideo quia per crucem pax facta, mitto vos ad prædicationem. Consolans autem eos & animans inquit: *Sicut misit me pater, ita & ego mitto vos.* Meum opus inquit, suscipite, & confidite, quod vobiscum sum futurus. Vide autem & auctoritatem, non dixit, obsecro patrem meum, & mittet vos: sed, *mitto vos.* Insufflat autem, & dat eis spiritum sanctum, non perfectum donum patris nunc eis tribuens (hoc enim in Pentecoste daturus erat) sed ad susceptionem spiritus idoneus reddens. *Accipite,* inquit, *spiritum sanctum:* hoc est, estote idonei ad suscipiendum spiritum. Dicendum autem, quod & potestatem quandam, & donum spirituale dedit eis, non vt mortuos suscitant, & virtutes faciant, sed vt remittant peccata. ideo & subdit: *Quorum remisistis peccata, ostendens quod genus spirituum donorum eis dederit, remissionem videlicet peccatorum.* Post assumptionem autem misit spiritum: & signorum & aliorum charismatum virtutem eis largitus est. Digna autem quæstio; Quare non in Galilæa discipulis appareret, sed in Hierusalem, quæ Marcus, & Matthæus dicant promississe eum illis se videndum in Galilæa: Quomodo ergo in Hierusalem apparet? Dicunt igitur quidam, Quid hoc? Non enim dixit, in Galilæa duntaxat videbo vos, in Hierusalem autem non videbo: & ita amplius apparet, & non mendacium. Deinde enim videndum se in Galilæa ab omnibus discipulis, & non à duodecim tantum, sed & à septuaginta promittit. In Hierusalem autem solis duodecim visus fuit. Neque est vlla hic diuersitas. Visus enim est ab omnibus in Galilæa, à duodecim autem in Hierusalem. nam plures visiones fuerunt: vnde alij has, alij illas scriperunt. Fortassis autem de eadem materia tradentibus duobus Euangelistis, implet quæ à priore dicta sunt, posterior. Vide insuper sacerdotum dignitatem, quod diuina sit. Dei enim est, remittere peccata. Sic igitur illi honorandi sunt vt Deus, nam, quæuis indigni sint, quid hoc? Diuinarum donorum ministri sunt, & gratia operatur per eos, sicut & per asinam Balaam loquutus est. non enim in dignitas nostra gratiam prohibet: atque ita, quia per sacerdotes gratia suppeditatur, honorandi sunt. *Thomas autem vnus ex duodecim, qui dicitur Didymus, &c.* Non erat Thomas cum discipulis, verisimile enim, illum ex disgregatione nõdum fuisse congregatum. *Quid autem est, qui dicitur Didymus?* Interpretatio est nominis Thomas. Merito autem meminit interpretationis eius nominis, vt ostendat nobis, quod dubitator quidam, & id vitij à principio habuerit, vt & nomen indicat. Dicentibus autem aliis discipulis de domino, non credit: non illos mendaces existimans, sed resurrectionem impossibilem putans: ideo & arguitur, vt supra modum curiosus. Nam, quemadmodum facile credere, leuitaris est: ita valde oblectari, rusticitatis est crassitudo. Vide enim quomodo neque oculis

Sacerdotes peccata remittunt, neque ex eo, quod indignus aliquis sit, gratiam amittit nec, et honor est de negandum.

dicebat se credere, sed &, nisi misero manum meam, addidit. Vnde autem sciebat latus habuisse locas? Audierat à discipulis. Quare non statim appareret ei, sed post dies octo? vt quum edoceretur à condiscipulis, & iis, qui ea audierant, in maius desiderium accenderetur, & fidelior in futurum fieret. Ostendere autem volens dominus quod & tunc aderat, quando incredulitatis verba cum discipulis tractatit Thomas, non expectauit vt ab eo tale quiddam audiret, sed ipse prior, quæ desiderabat, implet. Etenim verbis iisdem vsus est dicens. Et vide quomodo loquatur primum increpans; *Affer manum tuam:* & dein admonens, *Ne sis, inquit, incredulus, sed credulus.* Vides manifestam ex infidelitate fuisse dubitationem, & frustra quosdam gratificari Thomæ, dicentes, quod data opera, & prudenter non facile crediderit? Nam dominus incredulum vocat. Vide autem quomodo is, qui prius incredulus, tactu lateris verbum optimum indicauit. Duas enim naturas, & vnã hypostasin vnus Christi docuit. Dicendo enim dominum, humanam indicat naturam: nam de hominibus dicitur dominus, sicut, *Domine, si tu sustulisti eum.* Dicendo autem, *Deus meus*, diuinam substantiam ostendit: & ita vnũ, & eundem esse dominum, & Deum, At dominus ostendens nobis quod fidei sit recipere ea, quæ non videntur, dicit: *Beati qui non viderunt, & crediderunt.* Hoc loco discipulos intelligens, qui neque fixuram clauorum, neque latus tetigerat, & crediderunt. Non illos autem solum, sed & eos, qui postea crediderunt. Non prius autem Thomam beatitudine, hoc dixit, sed consolans eos, qui non viderant. *Quia enim multi dicunt, Beati oculi, qui viderunt dominum, solatur eos, quod multo beatus sit non vidisse. Quomodo autem corpus incorruptibile monstratum est habere, & clauorum typos, & humana manu tangibile factum est: Per attemperationem ad illorum infirmitatem facta sunt hæc omnia, quod ingressum clausi ianuis, & ita tenue, ac leue, omnique liberum fuit crassitudine. Et, vt credatur firmiter resurrectio, hæc monstrantur. Et propterea surgit habens signa crucis, & vulnera: quia & quod comedit, non necessitatis erat, sed ad confirmationem resurrectionis comedit: & sicut ante crucem in fluctibus ambulans, non alterius naturæ corpus habuit, ita & nunc palpabile ipsum, & typos habens ostendit. Et quanuis palpabile, & visibile, simul tamen & incorruptibile ipsum circumfert, vt fides confirmetur: & non necessitate, & lege corporis. Omne enim, quod comeditur, in secessum vadit, & alteratur: id quod de Christo non erat dicendum, sed vi quadam inuisibili, & diuina consumebantur edulia, ad confirmationem resurrectionis tantum assumpra. Vide autem quomodo propter vnũ hominem Thomam non dedignatus est ita condescendere dominus, & latus ostendere, vt saluet animam vnã incredulam, ita & nos neque minimum contemnere debemus. *Multa quidem & alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorum suorum, &c.* De quibus signis hic dicit Euangelista? num de iis, quæ ante crucem? Non, sed de iis, quæ post resurrectionem fecit coram discipulis suis. Quæ autem ante crucem, non coram discipulis, sed omnibus faciebat. Atque ita hæc, de quibus nunc dicit Euangelista, post resurrectionem sunt facta. Cum solis enim disci-*

Ioan. 20.

Mat. 14. Mar. 6.





dixit, *In conspectu discipulorum suorum.* Quemadmodum enim ante resurrectionem plurima fieri oportuit, ut crederent eum esse filium Dei: ita & post resurrectionem, ut certiores fierent, quod resurrexisset. Aut etiam sermo communis est: & de iis loquens, quæ ante resurrectionem, & de iis, quæ post eam facta sunt. *Hæc autem scripta sunt, ut credatis, &c.* Non, inquit, ad ambitionem hæc scripsimus: ita enim & alia scripsissemus, quum multa essent: sed ad solam necessitatem, ut credatis, quod hic Iesus est Christus filius Dei, qui à prophetis annunciatus est. *Et ut credentes vitam habeatis in nomine eius.* Hoc est, per eum, nam ipse vita est: vitam, inquam, sempiternam habeatis.



## DOMINICA II POST PASCHA.

IOAN. 10.



**N**illo tempore dixit Iesus Phariseis: Ego sum pastor bonus.

**Bonus pastor** animam suam dat pro ouibus suis. Mercenarius autem, & qui non est pastor, cuius non sunt oues propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oues & fugit. Et lupus rapit, & dispergit oues. Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, & non pertinet ad eum de ouibus. Ego sum pastor bonus, & cognosco meas, & cognoscunt me meæ. Sicut nouit me pater, & ego cognosco patrem: & animam meam pono pro ouibus meis. Et alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient & fiet vnum ouile & vnus pastor.

### GLOSSA ORDINARIA in superius Euang.



**M**ercenarius autem, &c. Mercenarius est qui querit que sua sunt, non que Christi: qui seruit Deo: non propter Deum, sed pro aliqua mercede: qui culpabilis est, & non est filius, sed tamen necessarius & tolerandus. Fur verò semper est cauendus. Propositi verò qui filij sunt, & pastores: & tamē vnus est pastor: quia illi omnes sunt membra illius cuius sunt oues propriæ. *Et lupus ra.* Lupus est vel violentus qui corporaliter vastat, vel diabolus qui spiritualiter dissipat, cui qui non animas ouium, sed sua querit, non occurrit resistendo vel mala arguendo; quod est fugere: quia timor est fuga animi: fugit ne perdat quod diligit. vnde reddes causam fugæ subdit: *Quia mercenarius est,* & non amat oues, sed sua. Pastores autem non dicuntur fugere si cedunt persecutioni, & seruāt se ouium vtilitati: quibus etiā corpore absentes, sunt spiritu præsentis. *Ego sum pa.* Post culpā facti, iterū formā veri pastoris opponit: Ego sum pastor bonus, & animam pono pro ouibus: Quod non ipse vnus fecit, nisi quod omnes sui, & ipse vnus sunt: quia ipse sine illis hoc potuit, illi non sine eo sine quo nihil possunt. *Et ego.* Filij per se agnoscit patrem, nos per illum, sicut alibi: Deum nemo vidit vnquam, nisi vnigenitus qui est in sinu patris, ipse enarrauit. Item nemo nouit filium nisi pater, ne-

que patrem quis nouit nisi filius: & cui filius voluerit reuelare. *Et animam.* Hoc est probatio dilectionis ad patrem, & ad oues. Sic & Petrus tertio confitens amorem, iubetur pascere oues, & pro eis mori. *Pro ouibus.* Pro ouibus domus Israel quæ perierant, ad quas corporaliter missus à quibus non sunt dissimiles ille, quæ sunt de gentibus. vnde dicit: *Oportet me.* quamuis per suos, quia in illis ipse. *Et vo.* Non dicit meorum, quia in ipsis ille loquitur.

### CATENA AVREA in idem Euang.

**A**ugust. Aperuit dominus duas res, quas quodammodo clausas proposuerat. Primò quidem scimus quia ostium ipse est: nunc autem ostendit quia pastor est, dicens: *Ego sum pastor bonus.* Suprà autem dixerat pastorem intrare per ostium, si ergo ipse est ostium quomodo per se ipsum intrat? Sicut ergo ipse per se ipsum nouit patrem, nos autem per illum: sic intrat in ouile per se ipsum, nos autem per ipsum: nos quia Christum prædicamus per ostium intramus, Christus autem se ipsum prædicat, lumen enim & alia demonstrat, & se ipsum. Si autem propositi ecclesiæ qui filij sunt, pastores sunt, quomodo vnus pastor est, nisi quia sunt illi omnes vnus membra pastoris? & quidem qui pastor est, dedit membris suis: nam & Petrus pastor, & cæteri apostoli pastores

stores, & omnes boni episcopi. Ostium verò nemo nostrum se dicit: hoc sibi ipse propriè tenuit, non autem adderet, *Bonus:* nisi essent & pastores mali, ipsi sunt fures & latrones, aut certe ut mercenarij. Greg. in hom. Atque eius bonitatis formam quam nos imitemur adiungit, dicens: *Bonus pastor, &c.* Fecit quod monuit, ostendit quod iussit, pro ouibus suis animam suam posuit, ut in sacramento nostro corpus suum & sanguinem verteret: & oues quas redemerat carnis suæ alimento satiaret, ostensa est nobis de contemptu mortis via, quam sequimur appolita forma cui imprimamur: primum nobis est exteriora nostra misericorditer ouibus eius impendere: postremum verò si necesse sit etiam in mortem animam nostram pro eisdem ouibus ministrare. Quis autem non dat pro ouibus substantiam suam, quando pro his daturus est animam suam? Aug. Non autem solus Christus hoc fecit, & tamen si illi qui fecerunt membra eius sunt, idem ipse vnus hoc fecit, ipse enim potuit facere sine illis, illi sine ipso non poterant. Aug. Omnes tamen pastores boni fuerunt, non solum quia sanguinem fuderunt, sed quia pro ouibus fuderunt: non enim fuderunt elatione, sed charitate. Nam & apud hereticos qui propter iniquitates & errores suos aliquid molestiarum perpessi fuerunt, nomine martyrij se iactant, ut hoc pallio dealbati facilius furetur, quia lupi sunt. Non autem omnes qui corpora sua in passione etiam ignibus tradunt, æstimandi sunt sanguinem fuisse pro ouibus, sed potius contra oues. dicit enim Apo. Si tradidero corpus meum ut ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest. Quomodo autem habet vel exiguum charitatem, qui etiam coniunctus non amat vnitatem, quam dominus commendans noluit multos appellare pastores, sed pastorem vnum, dicens, *Ego sum pastor bonus?* Chryl. Sic igitur de cætero dominus de passione sua disputabat, ostendens, quoniam pro salute fieret mundi, & non inuitus in hanc venit. Deinde rursus ostendit signa pastoris & mercenarij, cum dicit: *Mercenarius autem & qui non est pastor, cuius non sunt oues propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oues, & fugit.* Greg. Sunt enim nonnulli qui dum plus terrenam substantiam quam oues diligunt, merito nomen pastoris perdunt. non enim pastor, sed mercenarius vocatur, qui non pro amore in timo oues dominicas, sed ad temporales mercedes pascit. Mercenarius quippe est, qui pastoris locum tenet, sed lucrum animarum non querit, terrenis comodis in hanc, honore præstationis gaudet. *Aug. de ver. do.* Aliud ergo querit in ecclesia, non Deum querit: si Deum quereret, castus esset, quia legitimum maritum anima Deum haberet: quisquis à Deo præter Deum aliquid querit, non castè Deum querit, Greg. in ho. Verum verò pastor sit, vel mercenarius, cognoscei veraciter non potest, si occasio necessitatis deest, tranquillitatis enim tempore plerunque ad gregis custodiam siccut verus pastor, sic etiam mercenarius stat: sed lupus veniens indicat quo quisque animo super gregis custodiam stabat. Aug. de ver. do. Lupus autem, diabolus est, & qui illum sequuntur. Nam dictum est quod induti quidam pellibus ouium intus sunt lupi rapaces. Aug. su. lo. Ecce lupus ouis gurgur apprehendit, diabolus fidei adulteriū persequit, excommunicandus est, sed excommunicatus

tus inimicus erit, insidiabitur, nocebit cum potuerit: vnde taces, non increpas: lupum venientem vidisti & fugisti, corpore stetit, animo fugisti. *Affectiones enim nostre,* motus animorum sunt: latititia animi, diffusio est, tristitia autem contractio, cupiditas animi progressio, timor animi fuga est. Greg. in hom. Lupus etiam super oues venit cum quilibet iniustus & raptor, fideles quosque atque humiles opprimit. Sed is qui pastor esse videbatur & non erat, relinquit oues & fugit: quia dum sibi ab eo periculum metuit, resistere eius iniustitiæ non præsumit, fugit autem non mutando locum, sed subtrahendo solatium. Sed contra hæc mercenarius nullo zelo accenditur, quia dum sola exteriora commoda querit, interiora gregis damna negligenter patitur: vnde subditur, *Mercenarius autem fugit, &c.* Sola ergo causa est ut mercenarius fugiat, quia mercenarius est. Ac si dicat: Stare in periculo ouium non potest, qui in eo quod ouibus præest, non oues diligit, sed lucrum terrenum querit: & ideo opponere se contra periculum trepidat, ne hoc quod diligit, amittat. Aug. Si autem apostoli pastores fuerunt non mercenarij, quare fugiebant, quando persecutionem patiebantur? & hoc domino dicente, Si vos persecuti fuerint, fugite: pulsemus, aderit qui aperiat. Aug. ad Honor. Fugunt ergo omnino de ciuitate in ciuitatem serui Christi, ministri verbi & sacramenti eius, quando eorum quisquam specialiter à persecutoribus queritur, ut ab alijs qui non ita requiruntur, non deseratur ecclesia. Cum autem omnium, id est, episcoporum & clericorum & laicorum, est commune periculum, hi qui alijs indigent non desiderantur ab his, quibus indigent: aut igitur ad loca munita omnes trāsleant, aut qui habent remanendi necessitatem, non relinquuntur ab eis, per quos eorum ecclesiastica est implenda necessitas. Tunc ergo de locis in quibus sumus premente persecutione, fugiendum est Christi ministris: quando ibi aut plebs Christi non fuerit, cui ministratur, aut potest impleri per alios necessarium ministeriū, quibus eadem non est causa fugiendi. Cum autem plebs manet & ministri fugiunt, ministeriū quæ subtrahitur, quid erit nisi mercenariorum illa fuga dampnabilis, quibus non est cura de ouibus? Aug. su. lo. In bonis ergo nominantur ostium, ostianus pastor, & oues: in malis fures, & latrones: mercenarij, lupus. Au. de ver. do. Diligendus est pastor, cauendus latro, tolerandus mercenarius. Tādip enim est vilis mercenarius, quādiu non videt lupum, furem vel latronem, eum autem viderit fugit. Au. su. lo. Nec enim mercenarius dicere tur, nisi acciperet à conducente mercedem: filij æternam hereditatē patris patienter expectant, mercenarij temporalem mercedem conducti festinanter exoptant, & tamen per linguas vtrorumque diuina Christi gloria diffamatur. Inde ergo laedit, vnde mala facit, non vnde bona dicit: borrum carpe, spinam caue, quia borrus aliquando de radice vitis exortus, pedit in spinis, multi quippe in ecclesia commoda terrena sectantes Christum prædicant, & per eos vox Christi auditur, & sequuntur oues, non mercenarium, sed vocem pastoris per mercenarium. *Ego sum pastor bonus & cognosco oues meas, &c.* Chry. Duos superius malos præmisit dominos: vnum qui furatur & mactat & rapit, alterum qui non prohibet: per illum seditiones insinuant,

per hunc Iudæorum magistros confundens, & non procurantes creditas ones. Sed ab utrisque seipsum Christus distinxit: ab illis quidem qui ad lædendum venerunt in hoc quod dixit: *Veni ut vitam habeant*: ab his qui contemnunt luporum rapinas, ex eo quod pro ouibus animam ponit: & ideo quasi concludens subdit, *Ego sum pa. bonus*. Sed quia superius dixerat quod oues pastoris vocem audiunt, & sequuntur eum: ne quis dicat, *Quid ergo dicis de his qui tibi credunt?* consequenter subdit: *Et co. oues meas, &c.* Quod & Paulus ostendit dicens: Non repellit dominus plebem suam quam præsciuit. Gregor. in hom. Ac si aperte dicat: diligo oues meas, & ipsæ me diligentes obsequuntur: qui enim veritatem non diligit, adhuc minimè cognouit. Theo. Hinc autè differentiam mercenarij & pastoris eliciēs. Nam mercenarius ignorat oues, quia rarè visitat eas, pastor verò cognoscit oues proprias tanquam erga eas sollicitus. Chr. Deinde ut nō æstimes parem mensuram cognitionis Christi & ouium, consequenter subdit: *Sicut no. me pa. & ego co. patrem*, quasi dicat. Ita certissimè ipsam scio, sicut ipse me. hic ergo est par cognitio, ibi non: nam sequitur, *Et ani. po. pro ouib. meis*. Gregor. in hom. Ac si aperte dicat: In hoc constat, quia cognosco patrem: & cognoscor à patre, quia animam meam pono pro ouibus meis, id est, ea charitate qua pro ouibus meis morior, quantum patrem diligam ostendo. Chry. Hoc etiam dicit ostendens quod nō est erroneus, quia & apostolus quando seipsum voluit ostendere verum esse magistrum, contra pseudoapostolos induxit rationem periculis & mortibus. Thom. Seductores enim non exposuerunt animam suam pro ouibus, sed sicut mercenarij deseruit illos qui eos sequebantur, dominus autem vt nō caperetur dixit: *Sinite hos abire*. Greg. Quia verò non solum Iudæam, sed etiam gentilitatem redimere venerat, adiungit: *Et alias oues habeo quæ non sunt ex hoc ouili*. Aug. de. v. d. Loquebatur enim primò de ouili de genere carnis Israel: erant autem alij de genere fidei ipsius Israel, extrà erant adhuc in gentibus, erant prædestinati, nondum congregati. Non ergo sunt de hoc ouili, quia nū sunt de genere carnis Israel, sed erunt de hoc ouili: nam sequitur, *Et il. opor. me, &c.* Chry. Ostendit utrosque dispersos & pastores non habentes. Sequitur: *Et vocem meam audient*. Ac si dicat: *Quid miramini si hi sunt me secuturi & vocem meam audient*, quando alios videbitis me sequentes, & vocem meam audientes? deinde & futuram eorum prænuñciat vnionem, vnde subdit: *Et fiet vnum ouile, &c.* Greg. in ho. Quasi ex duobus gregibus vnum ouile efficit, quia Iudæicum & gentilem populum in sua fide coniungit. Theo. Idem namque omnibus est baptisimi signaculum: vnus pastor verbum Dei. Attendant ergo Manichæi, quoniam vnum ouile, & vnus pastor est noui & veteris testamenti. Aug. Quid ergo est: Nō sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israel, nisi quia præsentiam suam corporalem non exhibuit nisi populo Israel: ad gentes autem non perrexit ipse, sed misit. Chry. Hoc autem verbum oportet, quod hic positum est, non necessitatis est demonstratiuum, sed eius quod omnino fiet.

S. IO. CHRYSOSTOMI

*Episcopi Constant. in superius Euang. Hom. 1.*

**E**go sum pastor bonus. Hic iam passionem infrenuat, quod pro mundi salute moriturus est, neque inuitus. Inde iterum ad pastoris, & mercenarij parabolam venit. *Bonus enim pastor animam suam ponit pro ouibus, &c.* Hic suam paternam æquiparat potestati. Siquidem pastor ipse est, & cuius propriæ sunt oues, & lupus venit, & rapit eas. Hoc illi faciebant, ipse contra. Et enim, cum comprehensus est, inquit; Sinite hos abire, vt impleteretur sermo: quia nemo ex ipsiis perijt. Hoc in loco potest & spiritalis lupus intelligi, quem non sinit vt oues auferat. Hic non modò lupus, sed & leo est. Nam aduersarius noster diabolus, inquit tanquã leo rugiens circuit quærens quem deuoret: hic idem & serpens, & draco; ambulabitis enim super serpentes, & scorpiones. Quare vos hortor, dilectissimi, sub pastoris nostri custodia in paciscis maneamus. Manebimus autem, si vocem eius audierimus, si ei nos parebimus, si alienum non sequemur. Ea quænam vox est? Beati pauperes, beati mundo corde, beati misericordes. Hoc pacto sub pastore manebimus, & lupus ingredi non poterit; & si ingredetur, detrimentum acciperet, pastorem namque ad eò non amantem habemus: vt animam suam pro nobis traderet. Cum enim & possit, & amet, quid impedit ne liberemur? Nihil sanè, nisi nosmetipsi deficiamus, quod quomodo accidat, audi ipsam dicentem, Non potestis duobus dominis seruire, Deo, & mammonæ: cui si seruiemus, grauissimæ subiciemur tyrannidi. Omni enim tyranno grauior est pecuniarum cupiditas, Nullam enim voluntatem habet, sed curas, inuidiam, insidias, odia, calumnias, & innumera virtutis impedimenta: defidiam, luxuriam, auaritiam, ebrietatem, quæ liberos penitus in seruitutem redigunt, & numulariis peiores efficiunt: & non hominum tantum, sed grauissimorum affectuum, & morborum animæ seruos. Hic multa audet, quæ neque Deo neque hominibus placent, veritus ne quis hanc sibi auferat seruitutem. O amarum seruitium, o diabolicam potestatem! Hic omnium affectuum molestissimus est, cum tantis malis deuincti gaudeamus, & catenas libèter amplectimur, & tenebrarum carcerem habitantes, in lucem prodire nolumus: sed malis inhæremus, malis oblectamur. Quare de nobis minimè sperandū est, vt respiscamus, qui peiori quàm qui metalla effodiūt, conditione sumus. Miserè enim sine vlla mercedis spe laboramus. Et quod grauius est, Si quis nos à captiuitate liberare vellet, non pateremur, sed ægrè ferremus, & indignaremur: in hoc nihil ab inanis differentes, in aliis tamen tanto miseriore, quod nolumus ab infania liberari. Nunquid propterea in hunc mundum venisti? Num propterea homo factus es, vt æs, & aurum accumules? Non ideo te ad suam finxit Deus imaginem, sed vt sibi placeas, vt futura bona cōsequaris, vt cum angelis psallas. Quid hanc reuicis cognationem? Quid inhon-

Ex Hom. 1. in Ioan.

Inf. 18.

1. Pet. 5.

Matth. 5.

Ibid. 8.

EIVSDEM IN IDEM

*Homilia 2.*

inhonestum te, & ignobilè, hac salutari necessitudine reddis: necessitudinem dico spiritalem. Fame ille tabescit, tu copia rumperis: frater nudo corpore oberrat, tu vestes vestibus addis, quæ à teneis consumuntur: & quanto satius foret, vt his egenorum corpora tegerentur, quæ si hoc pacto consumerentur, illa te cura absoluerent, & futuram tibi vitam largirentur. Quod si non placet, consumptas tandem cōfer in pauperes, qui rectè eas norunt excutere: etenim Christi corpus, quauis arca honorabilius est, & securius, quippe quod non tantum illas custodit, & incorruptas conseruat, sed pulchriores efficit. Arca nonnunquam cum vestibus direpta magno te afficit dāno: quæ pauperibus damus custodienda, & neque morte amittentur, neque seris, aut vestibus indigent, non seruorum vigilia, nulla huiusmodi cautione omnibus insidiis libera sunt, & custodira reponuntur, vt credibile est, & quod commendantur in cælis. Nulli enim malitiæ locus ille peruius est. His nos à monitionibus nunquam cessamus, neque vos vnquam paretis, causa quod pusilli sumus animi, & terrenis inhiamus, & deorsum trahimur: immo absit, vt vos omnes damnem, tanquam incurabiliter ægrotetis. Nam, si diuitiis ebrij his admonitionibus aures obstruunt, pauperes saltem attendere poterunt. Et quid hæc ad pauperes, inquit? neque enim aurum habet, neque tot vestimenta, sed panem tantum, & aquam frigidam. Sed & duos obolos, & pedes, vt visitare possint infirmos, linguam etiam vt sermone consolentur vulneratum, domum præterea, vel tegetem, vt hospitem accipiant, habent. Nō enim innumera talèta à pauperibus, sed diuitibus exigimus. Quod si ad pauperum ostium dominus noster venerit obolum ab eo accipere, hoc modo non pudebit, sed maiora quam à multa dantibus accepisse profitebitur. Quot hic adstantium illo tempore fuisse optarent, quo Christus in carne terram peragravit, vt cum eo versati essent, & cōuixissent? Ecce nunc hoc nobis magis licet vocare eum ad prandium, possumus & cum eo viuere, & magis proficere. Eorum namque, qui cum eo viuabant, nonnulli perierunt, vt Iudas & huiusmodi, eorum autem, qui eum in domū suam aduocant, & domum, & mensam communicant, vnusquisq; maximè laudabitur, & gratiæ his habebitur. Venite, inquit, benedicti patris mei; possidete præparatum vobis regnum à constitutione mundi. Esuriui enim, & dedistis mihi māducare: sitiui, & dedistis mihi bibere: peregrinus erā, & suscepistis me: infirmus, & visitastis me in carcere erā, & venistis ad me. Quamobrem, vt audire hoc mereamur, vestiamus nudum, colligamus hospitem, cibum demus esurienti, sitienti porum, infirmos, & carcere deuinctos visitemus: vt spe bona veniam consequamur peccatorum, & illorum bonorum, quæ omnem sensum excedunt, siamus participes: quæ vrinam omnes consequamur, gratia, & benignitate domini nostri Iesu Christi, cui gloria, & imperium, in secula seculorum, Amen.

**E**go sum pastor bonus, & cognosco oues meas, &c. *Ex hom. 19. in Ioan.* Magnum quiddam, dilectissimi, magnum, inquam, est ecclesiæ prælatio, & quæ multa indiget sapientia, & fortitudine: qualem Christus proposuit: vt nunquam oues deseramus, vt lupo generosè resistamus. Hæc enim inter pastorem est, & mercenarium differentia. Alter propriæ, contemptis ouibus; alter, sua contempta, ouium semper salutem inuigilat. Pastoris ergo exemplo demonstrato, deceptores duos meminit, furem maculantem, & rapientem oues, & mercenarium permittentem, neque defendentem commissas. Per illum Theudam, & eius assertores, per hunc Iudæorum magistros signat, qui nullam curam commissis ouibus adhibebant; quod superiori tempore Ezechiel his verbis insectatus est; *Væ pastoribus Israël, nōne pascebant semetipsos? nōne greges pascebantur à pastoribus? sed illi cōtrarium faciebant, quod maxime malitiæ genus est, pluribus rationibus: idcirco inquit; Neque quod abiectum erat, reducebant, neque quod perierat, quærebant; neque contractam alligabant; neque infirmum consolidabant: quoniam se, non gregem pascebant. Idem & Paulus significat. Omnes quæ sua sunt quærent, non quæ Christi Iesu. Et iterum; Nemo, quod suum est, quærat, sed proximi vnusquisque. Verū ab utroque dissidet Christus, cum illis, qui in peccatis erant, diceret, propterea venisse, vt vitam haberent, & abundantius haberent: his autem, qui oues à lupis rapi negligebat, se propter eas animam ponere, ne oues perirent. Nam quod Iudæi ipsum interimere vellent, non propterea destitit à doctrina, neque credentes tradidit, sed persistit, & pertulit mortem, ideo frequenter inquit; *Ego sum pastor bonus*. Quæ cum nullo nisi testimonio viderentur, quod enim poneret animam suam, non multum post se mōstratum est, quod autem vitam haberent, & abundantius haberet, post huius vitæ migrationem futurum erat, alterum ab altero confirmat. Hoc est, quia dat animam quod det etiam vitam: quod & Paulus dicebat; Si enim, cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filij eius: multo magis reconciliati, salui erimus. Et iterum, Qui etiam proprio filio non pepercit, sed pro omnibus nobis tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit? Sed qua gratia nunc quoque eum non accusant, vt superius; Tu de teipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum. Quoniam sæpenumero eos silere coegerat, & à signis maiorem de se opinionem cōcitarat. Inde ne quis ad illam particulam; *Et oues vocem eius audiunt, & sequuntur eum*: diceret, quid ad non credentes? audi quid addit; *Et cognosco oues meas, & cognoscent me meæ*. Quod & Paulus his verbis significauit: Non expulit Deus populum suum, quem prædestinauit. Et Moses; Cognouit Deus, qui erant sui: hæc est, quos prædestinauit. Ne autem similiter & cognoscere, & cognosci crederes: *Cognosco*, inquit, *oues meas, & cognoscent me meæ*, non tamen æqualiter. Aqualis est patris, & filij cognitio, vt inquit: *Sicut cognoscit me pater, & ego cognosco patrem*. Quod nisi sensisset,*

Ex. 34.

Phil. 1.

1. Cor. 2. 10.

Rom. 5.

Ibid. 8.

Supr. 5. & 9.

Rom. 11.

2. Tim. 2.

lensisset, cur ita dixisset: cum enim nonnuquam multitudini se connumerasset, & non more hominis cognoscere putaretur, inquit; *Sicut novit me pater, & ego cognosco patrem.* Tam certo ipsum scio, ut ipse me. Propterea inquit: Nemo cognoscit filium, nisi pater, & patrem, nisi filius: discretam quandam cognitionem indicans, qualem nemo alius habet. *Ego pono animam meam.* Hoc frequenter dicit, ut omnis deceptionis tollatur suspicio. Nam & Apostolus, quum se verum magistrum ostenderet, & falsos confundere apostolos vellet, pericula, & mortes adduxit in medium. In plagis supra modum: in mortibus frequenter. Dicendo enim, Lux sum, & vita: superbiam apud stultos arguere videbatur, velle autem mori, nullam invidiam, nullum livorem concipiebat. Propterea hoc in loco, non dicunt eum de se testimonium perhibere, & verum non esse: hoc autem verbo multam curam, atque diligentiam indicat. *Etenim alias oves habeo* (inquit) *quæ non sunt de hoc ovili, & illas oportet me adducere.* Ecce iterum hoc verbum oportet: non necessitatis esse, sed futurum omnino significativum, quasi dicit, quid admittamini, si me hæc securus, & vocem meam auditura sunt? cum & alias me sequi & vocem meam audire videritis, tunc maiorem in modum admirabimini. Neque te perturbet quod dicit; *Quæ non sunt ex hoc ovili.* Differentia enim in lege duntaxat, ut inquit Paulus: Neque circumcisio aliquid valet, neque præputium. *Et illas oportet me adducere.* Utrosque dispersos, & mixtos, neque habentes pastorem, hos videt, atque illos, nondum bono adueniente pastore. Inde futuram eorum cognitionem prædicit; *Et erit unum ovile.* Quod iterum Paulus his verbis significavit: Ut duos cõdat in semetipso in vnum novum hominem.

## S. AVGVST. EPISCOPI

*Hipponensis in superius  
Evang. Homil. 1.*

**L**oquens dominus Iesus ovis suis, & præsentibus, & futuris, quæ tunc aderant, quia erant ibi iam oves eius, erantque quæ futurae erant eius oves: Item præsentibus, & futuris, & illis & nobis, & quotquot etiam post nos fuerint oves eius, quis ad eas missus esset, ostendit. Omnes ergo audiunt vocem pastoris sui dicentis: *Ego sum pastor bonus.* Non adderet bonus, nisi essent pastores mali: sed pastores mali ipsi sunt fures, & latrones, aut certe ut multum mercenarij. Omnes enim hic personas, quas posuit, requirere, distinguere, nosse debemus: aperuit enim iam duas res dominus, quas quodammodo clausas proposuerat. Iam scimus quia ostium ipse est, scimus quia pastor ipse est: fures, & latrones qui sint, in hesternâ lectione patefactum est. Hodie autem audiimus mercenarium, audiimus & lupum, heri nominatus est & ostiarius. In bonis ergo ostium est & ostiarius, pastor & ovis: in malis fures & latrones, mercenarij, lupus. Ostium dominum Christum accipimus ipsum pastorem, ipsum ostiarium: quia enim hæc duo ipse exposuit, ostiarium nobis reliquit querendum: & quid ait de ostiario? Hinc, inquit, ostiarius aperit: cui aperit? Pastori. *Quid aperit pastori? Ostium.* Et quis est ipsum ostium? Ipse pastor. Nunquid si dominus Christus non exposuisset, non ipse di-

xisset, Ego sum pastor, & ego sum ostium: auferet quisquam nostrum dicere, quod ipse Christus sit & pastor & ostium? Si enim diceret, ego sum pastor: & non diceret, ego sum ostium: quæsitivi eramus, quis esset ostium, & forte aliud putantes ante ostium remansuri, gratia illius, & misericordia nobis exposuit pastorem, seipsum dixit, exposuit ostium, seipsum dixit, ostiarium querendum nobis reliquit: quæ nos dicturi sumus ostiarium? Quemlibet invenierimus, cavendum est, ne maior existimetur quam ipsum ostium: quia ostiarius in domibus hominum maior est ostio. Ostiarius enim ostio, non ostium præponitur ostiario, quia ostiarius ostium, non ostium custodit ostiarium. Non audeo dicere aliquem ostio maiorem: audiui enim iam quid sit ostium, non me lateret, non sum dimissus coniecturæ meæ, non mihi humana est relaxata suspicio, Deus dixit, veritas dixit, mutari non potest quod immutabilis dixit. Dicam ergo in huius profunditate quæstionis quid mihi videatur: eligat unusquisque quod placeat, pia tamen sentiat, sicut scriptum est. Sentite de domino in bonitate, & simplicitate cordis querite illum. Ostiariū forte ipsum dominū debemus accipere: multo sunt enim inter se diversa in rebus humanis, pastor & ostiū, quàm ostia & ostiū, & tamen dominus & pastor se dixit, & ostiū: cur ergo nō intelligamus ipsum & ostiarium? Si enim consideremus proprietates, dominus Christus nec pastor est, sicut consuevimus nosse & videre pastores, nec ostium est, non enim eum faber fecit: si autem secundum aliquam similitudinem & ostium & pastor est, audeo dicere & ovis est: ovis nempe sub pastore est, tamen ille & pastor est: & ovis ubi est pastor? Ecce hic habes, lege Euāgelij: *Ego sum pastor bonus*: ubi est ovis? Interroga prophetam: Sicut ovis ad immolandum ductus est: ubi est agnus? Interroga amicū sponsi: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Adhuc aliquid secundum istas similitudines mirabilis sum diciturus: agnus enim & ovis & pastor, inter se amica sunt: contra leones autē a pastoribus oves custodiri solēt, & tamen de Christo cum sit ovis & pastor, legimus dictum: vicit leo de tribu Iuda. Hæc omnia, fratres, secundum similitudines accipite, non secundum proprietates. Solemus videre pastores sedere supra petram, & inde commissa sibi pecora custodire. Vtique melior pastor quàm petra, super quam sedet pastor, & tamen Christus & pastor, & petra. Totum hoc secundum similitudinem: proprietatem autē si querās a me: In principio erat verbum, & verbum erat apud Deū, & Deus erat verbum: si querās a me proprietatem, filius unicus de patre in æterno ab æterno genitus, & equalis gignenti, per quem facta sunt omnia, cum patre incommutabilis, & accepta forma hominis non mutatus, ex incarnatione homo, filius hominis, & filius Dei. Hoc totum, quod dixi, non similitudo, sed res est: non ergo pigeat nos, fratres, secundum quasdam similitudines ipsum accipere ostium, ipsum ostiarium: quid est enim ostium? Quo intramus: quis est ostiarius? Qui aperit: quis ergo se aperit, nisi qui seipsum exponit? Ecce dominus dixerat ostium, non intellexeramus: quando non intelleximus, clausum erat, qui aperuit ipse est ostiarius: nulla est ergo necessitas aliquid aliud querere, nulla necessitas, sed fortasse est voluntas: si est voluntas, noli exor-

bitare

bitare, noli a trinitate discedere: si personam aliquam queris ostiarij, spiritus sanctus occurrat: nō enim dedignabitur ostiarius esse spiritus sanctus, quādo ipsum ostium esse dignatus est filius: vide ostiarium, forte spiritum sanctum ipse dominus discipulis suis de spiritu sancto dicit: ipse vos docebit omnem veritatem. Ostium quid est? Christus: quid est Christus? Veritas. Quis aperit ostiū, nisi qui docet omnem veritatem? De mercenario autem quid dicimus? Non in bonis hic commemoratus est. *Pastor bonus*, ait, *animam suam dat pro ovibus suis: mercenarius & qui non est pastor, cuius non sunt oves propria, videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit, & lupus rapit, & dispergit oves.* Non hic bonam personam mercenarius gerit, & tamen in aliquo utilis est: nec mercenarius diceretur, nisi acciperet a conducente mercedem: quis est ergo iste mercenarius, & culpabilis, & necessarius? Hic vero, fratres, luceat nobis ipse dominus, ut & mercenarios intelligamus, & mercenarij non simus. Quis est ergo iste mercenarius? Sunt quidam ecclesiæ præpositi, de quibus Paulus Apostolus dicit: *Sua querentes, non quæ Iesu Christi: quid est sua querentes? Non Christum gratis diligentes, non Deum propter Deum querentes, temporalia commoda sectantes, lucris inhiantes, amatorum ab hominibus apperentes: hæc quando amantur a præposito, & propter hæc servitur Deo, quisquis est talis, mercenarius est, inter filios se non computat: de talibus enim & dominus dicit: Amen dico vobis, perceperunt mercedem suam: audi de Timotheo sancto quid dicat Apostolus. Paulus: *Spe ro autē in domino Iesu, Timotheū cito me mitte re vobis, ut & ego bono animo sim, cum cognovero quæ circa vos sunt: neminem enim habeo tam vnam animam, qui germane de vobis sollicitus sit, omnes enim sua querunt, non quæ Iesu Christi. Inter mercenarios pastor ingemuit, quæsiuit aliquem, qui synceriter diligeret gregem Christi, & circa se in eis, qui cum illo eo tempore fuerant, non invenit: non enim in ecclesiâ Christi tunc præter Paulum Apostolum, & Timotheum nemo erat, qui germane de grege sollicitus esset, sed contigerat ut eo tempore, quo Timotheum misit circa se, alium de filiis non haberet, sed soli mercenarij cum illo essent, sua querentes, non quæ Iesu Christi: & tamen ipse germane de grege sollicitus, maluit filium mittere, & inter mercenarios remanere. Invenimus & mercenarios, non eos discutit nisi dominus, qui cor inspicit, ipse discutit, tamen aliquando intelliguntur a nobis, non enim frustra dixit ipse dominus etiam de lupis, ex fructibus eorum cognoscetis eos, multos interrogant tentationes, & tunc apparent cogitationes, multi autem latent. Habet ovile domini præpositos, & filios, & mercenarios. Præpositi autē qui filij sunt, pastores sunt, si pastores sunt, quomodo vnus pastor, nisi quia sunt isti omnes vnus membra pastoris, cuius sunt oves propriae? Nam & ipsi membra sunt ipsius vnus ovis, quia sicut ovis ad immolandum ductus est. Audite autē, quia & mercenarij necessarii sunt: multi qui ipse in ecclesiâ commoda terrena sectantes, Christum tamen prædicant, & per eos vox Christi auditur, & sequuntur oves non mercenarium, sed vocem pastoris per mercenarium. Audite mercenarios ab ipso domino demonstratos: Scribæ, inquit, & Pharisei cathedram Moysi sedent, quæ**

dicunt, facite, quæ autem faciunt, facere nolite: quid aliud dixit, nisi per mercenarios vocem pastoris audite? Sedendo enim cathedram Moysi, legem Dei docent, ergo per illos Deus docet: sua vero illi si velint docere, nolite audire, nolite facere: certe enim tales sua querunt: non quæ Iesu Christi. Nullus tamē mercenarius ausus est dicere populo Christi, tua quære, nō quæ Iesu Christi: qui enim male facit, non prædicat de cathedra Christi, inde lædit, unde male facit, non unde bona dicit, botrum carpe spinam caue. Bene quia intellexistis, sed propter tardiores dicam hoc idem planius, quod modo dixi, botrum carpe, spinam caue, cum dominus dicat: Nunquid colligunt de spinis vuam, aut de tribulis ficus? Verum est omnino, & tamen etiam verum ego dixi, botrum carpe, spinam caue, quia botrus aliquando de radice vitis exortus, pendet in sepe, crescit palmes, inseritur spinis, & portat fructum spina nō suum: non enim spinam vitis attulit, sed spinis palmes incubuit: noli interrogare nisi radices, quare radices spinæ, extra inuenies a vite: quare originem vuæ, vitis hanc protulit ex radice. Cathedra ergo Moysi vitis erat, Phariseorum mores spinæ erant: doctrina vera per malos palmes in sepe. Botrum inter spinas caute lege, ne, dum quæris fructum, laceres manum: & cum audis bona dicentem, ne imiteris mala facientem, quæ dicunt facite, legite vuas: quæ autem faciunt, facere nolite, caute spinas: etiam per mercenarios vocem pastoris audite, sed nolite esse mercenarij, cum sitis membra pastoris: ipse autem Paulus Apostolus sanctus qui dixit: Neminem habeo, qui germane de vobis sollicitus sit, omnes enim sua querunt, non quæ Iesu Christi: alio loco inter mercenarios, filiosque distinguens, videte quid dixerit: *Quidam per invidiam, & contentionem, quidam vero & per bonam voluntatem Christum prædicant: quidam ex charitate, scientes quia in defensione Euāgelij positus sum, quidam vero & per contumaciam Christum annuntiant non caste, existimantes tribulationem suscitari vinculis meis. Isti mercenarij erant. Paulo Apostolo inuidebant: quare inuidebant, nisi quia temporalia requirebant? Sed quid adiungat attendite: quid enim? Cum omni modo, siue occasione, siue veritate Christus annuncietur, & in hoc gaudeo, sed & gaudebo. Veritas est Christus, veritas a mercenariis occasione annuncietur, veritas a filiis veritate annuncietur. Filij eternam hæreditatem patris patienter expectant: mercenarij temporalē mercedē cõducetes, festinantes exoptant. Mihi humanam gloriam, cui mercenarios inuidere video minuat, & tū per linguas mercenariorū & filiorum diuina. Christi gloria diffametur, eū siue occasione, siue veritate Christus annuncietur. Vidimus qui sit etiā mercenarius: quis est lupus, nisi diabolus? Et quid dicitur est de mercenario? *Cum viderit lupum venientem fugit, quia non sunt eius oves propria, nec ei cura est de ovibus.* Nunquid talis erat Apostolus Paulus? absit. Nunquid talis Petrus? absit: nunquid tales ceteri Apostoli, excepto Iuda filio perditionis? absit. Pastores ergo illi? Planè pastores: & unde vnus pastor? Iam dixi pastores, quia membra pastoris illo capite gaudebant, sub illo capite concordabant, vno spiritu in vnus corporis compage vivebant, ac per hoc omnes ad vnum pastorem*

Luc. 10.

2. Cor. 11.  
Sup. 8. & 14.1. Cor. 7.  
Galat. 5.

Sapient. 1.

Phil. 1.

Math. 6.  
Phil. 2.Esa. 53.  
Ioan. 1.

Apost. 5.

1. Cor. 10.

Ioan. 1.

Math. 5.

Esa. 53.

Math. 23.

Math. 7.

Philipp. 2.

Philipp. 1.



pastorem pertinebant. Si ergo pastores, non mercenarij, quare fugiebant quando persecutionem patiebantur? Expone nobis, o domine, vidi in Epistola fugientem Paulum, per murum in sporta submissus est, ut manus persecutis eaderet: non ergo illi cura fuit de ouibus, quas lupus veniente, deserebat? Fugit plane, sed eas pastori in caelo sedenti orationibus commendabat: se autem vilitati earum fugiendo seruabat, sicut quodam loco ait; Manere in carne necessarium duxi propter vos. Ab ipso namque pastore omnes audierant: si vos persecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam. Hanc nobis quaestionem dominus dignetur exponere. Domine, tu dixisti eis, quos fideles pastores esse vtiue volebas, quos tua membra esse formabas, si vos persecuti fuerint, fugite. Iniuriam ergo illis facis, quando reprehendis mercenarios, qui vident lupum venientem, & fugiunt: rogamus indices nobis, quid habeat altitudo quaestionis: pulsemus, aderit qui aperiet se, ostiarius ostij quod est ipse: quis est mercenarius? Qui vidit lupum, & fugit, qui sua quaerit, non quaerit Iesu Christi. Peccantem non libere audeat redarguere. Ecce nescio quis peccauit, grauiter peccauit, increpandus est, excommunicandus est: sed excommunicatus inimicus erit, infidiabitur, nocebit cum potuerit, iam ille qui sua quaerit, non quaerit Iesu Christi, ne perdat quod sectatur, humanae amicitiae commoditatem, & inimicitiarum humanarum incurrat molestiam, tacet, non corripit: ecce lupus ouis guttur apprehendit, diabolus fideli adulterium persuasit: tu races, non increpas, o mercenarie lupum venientem vidisti, & fugisti. Respondet forte & dicit, ecce hic sum, non fugi: fugisti, quia tacuisti: tacuisti, quia timuisti. Fuga animi timor est, corpore sterili, spiritu fugisti: quod ille non faciebat, qui dicebat, Et si corpore absens sum, spiritu vobiscum sum: quomodo enim spiritu fugiebat, qui etiam corpore absens, fornicatores literis arguebat? Affectiones nostrae motus animorum sunt: letitia, animi diffusio: tristitia, animi contractio: cupiditas, animi progressio: timor animi fuga est: diffunderis enim animo, cum delectaris: contrahearis animo cum molestaris: progredieris animo, cum appetis: fugis animo, cum metuis. Ecce vnde ille mercenarius viso lupo dicitur fugere. Quare? Quia non ei cura de ouibus. Quare non est ei cura de ouibus? Quia mercenarius est. Quid est, mercenarius est? Temporalem mercedem quaerit, & in domo in aeternum non manebit: sunt adhuc haec quaerenda, & discutienda vobiscum, sed onerare vos non est consilij: dominica enim cibaria conferuis ministramus, in pascuis dominicis oues pascimus, & simul pascimur: sicut non est negandum quod necessarium est, sic non est cor infirmum pabuli multitudine praegravandum: non sit ergo molestum charitati vestrae, quia omnia, quae hic adhuc discutienda arbitror, hodie non discunt, sed iterum nobis in nomine domini diebus reddendi sermonis, eadem lectio recitabitur, & diligentius illo adiuuante tractabitur.

### EIVSDEM IN IDEM Homilia 2.

2a Tract. 47.  
in Ioan.

Qui sermonem domini Dei nostri non solum libenter, sed etiam diligenter audistis, promissio-

nis nostrae proculdubio meministis. Ipsa quippe lectio Euangelica & hodie lecta est, quae lecta fuerat proximo dominico die. Propterea quoniam in quibusdam necessitatibus immorati, non potuimus omnia discutere, quae vestris sensibus debebamus. Proinde quae iam dicta, atque tractata sunt, hodie non quaerimus, ne ad huc eadem repetendo, ad illa quae nondum dicta sunt, peruenire minime permittamur. Nostis iam in nomine domini qui sit bonus pastor, & quemadmodum pastores boni membra sint eius, & ideo pastor sit vnus. Nostis quis sit mercenarius ferendus, quis lupus, & fures, & latrones cauendi, quae sint oues, quod sit ostium, quo & oues ingrediuntur, & pastor quomodo sit intelligendus ostiarius: nostis etiam quoniam quisquis non per ostium intraverit, fur est, & latro, nec venit nisi ut furetur, & occidat, & perdat. Haec omnia dicta, sufficienter quantum existimo pertractata sunt: hodie debemus dicere, quantum adiuuat dominus, quoniam ipse Iesus Christus saluator noster, & pastorem se esse dixit, & ostium, & pastorem bonum dixit intrare per ostium: quomodo ipse per seipsum intrat? Si enim nemo pastor bonus est, nisi qui per ostium intrat, & ipse est praecipue pastor bonus, & ipse est ostium, intelligere non possum nisi & ipsum per seipsum ad oues suas intrare, & vocem suam illis dare ut sequantur eum, easque intrantes, & exeuntes pascua inuenire, quod est vita aeterna. Cito ergo dico, ego quaerens intrare ad vos, id est, ad cor vestrum, Christum praedico: si aliud praedico, per aliam partem conabor ascendere. Christus itaque michi ianua est ad vos, per Christum intro, non ad parietes vestros, sed ad corda vestra. Quid est per Christum intro? Christum in me libenter audistis. Quare Christum in me libenter audistis? Quia oues Christi estis, sanguine Christi coparati estis, agnoscitis precium vestrum, quod non a me datur, sed per me praedicatur. Ille quippe emit, qui preciosum sanguinem fudit: preciosus sanguis est illius sine peccato, fecit tamen ipse etiam suorum sanguinem preciosum, pro quibus dedit sanguinis precium: nam si suorum sanguinem non faceret preciosum, non diceretur: Preciosa in conspectu domini mors sanctorum eius. Itaque etiam quod ait: Pastor bonus animam suam ponit pro ouibus, non ipse vnus fecit, & tamen si illi qui fecerunt, membra eius sunt, idem ipse vnus hoc fecit. Ipse enim potuit facere sine illis, ipsi sine illo vnde potuerunt, cum ipse dixerit: sine me nihil potestis facere: Hinc autem ostendimus quod & alij fecerunt, quia ipse Apostolus Ioannes, qui hoc quod audistis Euangelium praedicaui, in Epistola sua dixit, sicut pro nobis animam suam posuit, sic & nos debemus animas pro fratribus ponere. Debemus dixit, debitores nos fecit, qui primus exhibuit: ideo quodam loco scriptum est, Si sederis cenare ad mensam potentis, sapienter intellige, quae apponuntur tibi, & mitte manum tuam, sciens quia talia te oportet praeparare. Mensa potentis quae sit nostris, vbi est corpus, & sanguis Christi, qui accedit ad talem mensam, praeparat talia. Et quid est, praeparat talia? Quomodo ipse pro nobis animam suam posuit, sic & nos debemus ad edificandam plebem, ad asserendam fidem, animas pro fratribus ponere: ideo Petro quem facere volebat pastorem bonum, non in ipso Petro, sed in corpore suo ait, Petre

Joan. 11. Petre amas me: Pasce oues meas: hoc semel, hoc iterum, hoc tertio, vtiue ad eius tristitiam: & cum tantum interrogasset dominus quantum interrogandum esse iudicauit, ut ter confiteatur qui ter negauerat, & ei suas oues pascendas tertio commendasset: ait illi, Cum iunior esses, cingebas te & ambulabas vbi volebas, cum autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quod tu non vis. Et exposuit Euangelista quid dominus dixerit: hoc autem, inquit, dixit, significans qua morte clarificaturus esset Deus. Ad hoc ergo pertinet, pasce oues meas, ut ponas animam tuam pro ouibus meis, iam illud quod ait, Sicut nouit me pater & ego agnosco patrem. Quis nescit hoc? Ipse enim agnoscit patrem per se, nos per illum, quia ipse per se cognoscit, nouimus, quia & nos per illum etiam hoc nouimus, quia & hoc per illum nouimus: ipse enim dixit: Deum nemo vidit vnquam, nisi vnigenitus filius qui est in sinu patris ipse enarrauit: ergo & nos per ipsum, quibus enarrauit. Item alibi ait: Nemo nouit filium, nisi pater, neque patrem quis nouit nisi filius, & licui voluerit filius reuelare: sicut ergo ipse per se nouit patrem, nos autem per illum nouimus patrem, sic intrat in ouile per semetipsum, & nos per ipsum. Ostium dicebamus per Christum nos habere ad vos: quare? Quia Christum praedicamus: nos Christum praedicamus, & ideo intramus per ostium. Christus autem Christum praedicat, quia seipsum praedicat, & ideo pastor per seipsum intrat. Lumen cum alia monstrat quae videntur in lumine, nunquid alia quo alio indiget ut monstretur? Lumen ergo & alia demonstrat & seipsum. Quaecumque intelligimus, intellectu intelligimus, & ipsum intellectu, vnde nisi intellectu intelligimus? Nunquid sic oculo carnis & alia vides & ipsum? Quamuis enim videant homines oculis suis, non tamen vident oculos suos. Oculus carnis alia videt, se non potest: intellectu autem & alia intelligit, & seipsum: quomodo intellectus videt se, sic & Christus praedicat se: si praedicat se, & praedicando intrat ad te, per se intrat ad te & ad patrem. Ipse est ostium, quia non est qua veniatur ad patrem nisi per ipsum: vnus enim Deus & vnus mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus. Verbo multa dicuntur, haec ipsa quae dixi, vtiue verbo dixi: si velim dicere & ipsum verbum, vnde dico nisi verbo? Ac per hoc per verbum & alia dicuntur, quae non sunt quod verbum & ipsum verbum dici non potest: nisi per verbum adiuuante domino exemplis abundauimus. Tene te ergo quomodo dominus Iesus Christus, & ostium sit, & pastor: ostium pandendo se, pastor intrando per se. Et quidem, fratres, quod pastor est, dedit & membris suis: nam & Petrus pastor, & Paulus pastor, & caeteri Apostoli pastores, & boni Episcopi pastores. Ostium vero nemo nostrum se dicit, hoc sibi ipse proprium tenuit, qua intrant oues. Denique Paulus boni pastoris implebat officium, quando Christum praedicabat, quia per ostium intrabat: vbi oues indisciplinatae coeperunt facere schismata, & alia ostia sibi ponere, non qua intrarent, & congregarentur, sed qua erraret ut diuiderentur dicentes: Alij, ego sum Pauli: alij, ego sum Cephae: alij, ego Apolloni: alij, ego Christi: expauescens ad eos qui dixerunt ego sum Pauli, tanquam clamans ad oues, miserere, quaeritis: non sum ostium: inquit

Paulus, inquit, pro vobis crucifixus est, aut in nomine Pauli baptizati estis? Qui vero dicebat: Ego sum Christi, intenerunt ostium. De vno autem ouili & vno pastore, iam quidem assidue soleris audire: multum enim commendauimus vni ouile praedicantes vnitatem, ut per Christum omnes oues ingrederentur, & Donatum nulla sequeretur, veruntamen vnde hoc proprie dixerit dominus ad ipsos, satis apparet: loquebatur enim apud Iudaeos, missus autem fuerat ad ipsos Iudaeos, non propter quosdam immani odio pertinaces & persequentes in tenebris, sed propter quosdam in ipsa gente quas dicit oues suas, de quibus dicit: Non sum missus nisi ad oues, quae perierunt domus Israel: nouerat etiam eas in turba fursum, & prauidebat in pace credentium: quid est ergo, Non sum missus nisi ad oues, quae perierunt domus Israel: nisi quia praesentiam suam corporalem non exhibuit nisi populo Israel? Ad gentes non perrexit ipse, sed misit: ad populum vero Israel & misit & venit ipse, ut qui contemnebant, maius iudicium sumerent, quia etiam praesentia est illis exhibita. Ipse dominus ibi fuit, ibi marem elegit, ibi concipi, ibi nasci, ibi sanguinem fundere voluit, ibi sunt vestigia eius, modo adorantur vbi nouissime stetit, vnde ascendit ad caelum: ad gentes autem misit: sed forte aliqui arbitrantur, quoniam non ipse ad nos venit, sed misit ad nos, non nos audisse vocem ipsius, sed vocem eorum quos misit. Absit. Pellatur ista cogitatio de cordibus vestris, & in his quos misit ipse erat. Ipsum Paulum audi quem misit: ad gentes enim praecipue Paulum misit Apostolum: & ait ipse Paulus terrenus non de se, sed de illo: An vultis accipere experimentum eius, qui in me loquitur Christus? Audite & ipsum dominum: Et alius oues habeo, id est, in gentibus: Quae non sunt de hoc ouili: id est, de populo Israel: Oportet me & illas adducere. Ergo per suos, non per alteros adducit: adhuc audi, Et vocem meam audient. Ecce & per suos ipse loquitur, & per suos quos mittit vox eius auditur: Vt sit vnus ouile, & vnus pastor. De duobus istis gregibus tanquam duobus parietibus factus est lapis angularis. Ergo & ostium est & lapis angularis, omnia per similitudinem, nihil horum proprie. Iam enim dixi & commendavi vehementer, Ephes. 2. & qui capiunt sapiunt, immo qui sapiunt capiunt, & qui nondum intellectu sapiunt, fide teneant, quod intelligere nondum possunt. Per similitudinem Christus multa est, quae per proprietatem non est: per similitudinem & petra est Christus, & ostium est Christus, & lapis angularis est Christus, & leo est Christus. Quam multa per similitudines, & alia, quae commemorare longum est: si autem proprietates discutias rerum, quas videre consueuisti, nec petra est, quia durus, & sine sensu non est: nec ostium, quia faber eum non fecit: nec lapis angularis est, quia non est ab structore compositus: nec pastor est, quia custos ouium quadrupedum non est: nec leo est, qui fera non est: nec agnus est, quia pecus non est: omnia ergo ista per similitudinem: quid ergo proprie? In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Quid de homine qui apparuit? Et verbum caro factum, & habitauit in nobis.

Bibl. Hom. tom. 3.

D EIVS-

EIVSDEM IN IDEM

Homil. 3.

Serm. 49. de verb. domini in Euang. ioh. viii.

**N**on ignorat fides vestra, charissimi, & ita vos didicisse nouimus, dicente magistro de celo, in quo spem vestram posuistis, quia dominus noster Iesus Christus, qui iam pro nobis passus est, & resurrexit, caput est ecclesie, & est corpus eius ecclesia, & in eius corpore vnitas membrorum, & compago charitatis tanquam sanitas existit. Quicumque autem in charitate frigerit, infirmatur in corpore Christi. Sed potens est ille, qui exaltauit caput nostrum, etiam infirma membra sanare, dum tamen non nimia impietate præcidantur, sed hæreant corpori, donec sanentur. Quicumque enim adhuc hæret corpori, non desperatæ sanitatis est, quod autem præcisum fuerit, nec curari, nec sanari potest. Cum ergo ille sit caput ecclesie, & sit corpus eius ecclesia, totus Christus caput, & corpus est. Resurrexit iam ille. Caput ergo habemus in celo. Caput nostrum interpellat pro nobis. Caput nostrum sine peccato & sine morte, iam propiciat pro peccatis nostris Deum, vt & nos in sine resurgentes & immutati in gloria cœlestem, sequamur caput nostrum. Quod enim est caput, ibi sequatur & cætera membra. Sed dum hic sumus, membra sumus, ne desperemus, quia secutura sumus caput nostrum. Videte enim, fratres, dilectionem illius capitis nostri. Iam in celo est, & hic laborat, quando hic laborat ecclesia. Hic Christus esurit, hic sitit, nudus est, hospes est, infirmatur, in carcere est. Quicumque enim hic patitur corpus eius, se dixit pati: & in sine segregans ipsum corpus suum ad dexteram, & reliquos, à quibus modo conculcatur, segregans ad sinistram, dicitur est his, qui sunt ad dexteram, Venite benedicti patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi. Quibus meritis: Esuriui enim & dedistis mihi manducare, &c. Sic exequitur tanquam ipse accepisset, vsque adeo vt illi non intelligentes, respondeant & dicant, Domine, quando te vidimus esurientem, hospitem, & in carcere? Et dicit eis, Cum vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Sic etiam in nostro corpore caput sursum est, pedes in terra sunt, tamen in aliqua constipatione, & coarctatione hominum, quando tibi aliquis pedem calcatur, nonne dicit caput, calcas me, nec caput tuum nec linguam tuam quisquam calcavit, Sursum est, in tuto est nihil ei mali contingit, & tamen quia per connexionem charitatis vnitas est à capite vsque ad pedes, nõ se inde lingua separauit, sed dixit, Calcas me, cum eam nemo contigerit. Quo modo ergo lingua, quam nemo contigit, dicit, Calcas me? Sic Christus caput quod nemo calcatur, dixit, Esuriui, & dedistis mihi manducare. Et illis, qui hoc non fecerunt, dixit, Esuriui & non dedistis mihi manducare. Et quo modo conclusit? Sic, Ibunt illi in combustionem æternam, iusti autem in vitam æternam. Cum ergo nunc loqueretur dixit se esse pastorem, dixit se esse & ianuam. Vtrumque ibi habes, & ego sum ianuam, & ego sum pastor. Ianua est in capite, pastor est in corpore, Dicit enim Petro, in quo vno format ecclesiam, Petre amas me? Respondit, Domine amo. Pasce oues meas. Et tertio, Petre amas me? Contristatus est Petrus, quod eum ter-

Matth. 23.

Ioh. 10.

tio interrogauit quasi ille qui videbat conscientiam negatoris non videbat fidem contentis. Nouerat illum semper, nouerat illum & quando se Petrus ipse non nouerat. Tunc enim se non nouerat, quando dixit, Tecum ero vsque ad mortem, & quam esset infirmus nesciebat. Quomodo plerunque reuera & infirmis contingit, vt ægrotus nesciat quid cum illo agatur, medicus autem sciat: cum ille ægritudinem illam patiatur, medicus non patiatur. Magis dicit medicus quid agatur in altero, quam ille qui ægrotat quid agatur in seipso. Petrus ergo tunc infirmus, dominus autem medicus. Dicebat se habere vires quas non habebat. Ille autem tangens venam cordis eius, dicebat quod ter eum esset negaturus. Et ita factum est quomodo prædixit medicus non quomodo præsumpsit ægrotus. Ergo post resurrectionem suam dominus interrogauit eum non nesciens, quo ille animo confiteretur amorem Christi, sed vt trina confessione amoris, deleteret trinam negationem timoris. Ergo hoc dominus exigit à Petro, Petre amas me? Quasi quid mihi dabis, quid mihi præstabis, quia amas me? Quid erat præstaturus Petrus resurgenti domino & eunti in cœlum, atque sedenti ad dexteram patris? Quasi diceret, hoc mihi dabis, hoc mihi præstabis, si amas me, vt pascas oues meas, Per ianuam intres, non per aliam partem ascendas: audivisti enim cum Euangelium legeretur. Qui intrat per ianuam, pastor est, qui autem ex alia parte ascendit, fur est & latro. Et dissipare quærit & spargere & tollere. Quis est qui intrat per ianuam? Qui intrat per Christum. Quis est ille qui imitatur passionem Christi? Qui cognoscit humilitatem Christi, vt, cum Deus factus sit homo pro nobis, cognoscat se homo non esse Deum, sed hominem. Qui enim Deus vult videri cum sit homo, non imitatur illum qui cum Deus esset homo factus est. Tibi autem non dicitur esto aliquid minus quam es: sed, cognosce quid es. Cognosce te infirmum, cognosce te hominem, cognosce te peccatorem, cognosce te quia ille iustificat, cognosce quia maculosus es. Appareat in confessione tua macula cordis tui, & pertinebis ad gregem Christi: quia confessio peccatorum inuitat medicum sanaturum, quomodo in ægritudine qui dicit, Sanus sum, non quærit medicum. Nunquid non ad templum ascenderat Pharisæus ille & Publicanus? Ille de sua sanitate gloriabatur, ille vulnera sua medico ostendebat: dicebat enim ille, Deus, gratias tibi ago, quia non sum sicut Publicanus iste: Gloriabatur super alterum. Ergo si Publicanus ille sanus esset, inuideret illi Pharisæus, quia non haberet, super quem extolleretur. Quomodo ergo venerat qui sic inuidebat? Non erat vti que sanus. Et cum se sanum diceret, non descendit curatus. Ille autem ad terram oculos deiiciens, & non audens in cælum attollere, percutiebat pectus suam dicens, Propicius esto mihi peccatori. Et quid dicit dominus? Amen dico vobis, quia descendit iustificatus de templo Publicanus magis quam Pharisæus. Quia omnis qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur. Qui autem se exaltant per alteram partem voluit ascendere ad ouile. Qui autem se humiliant per ianuam intrant ad ouile. Ideo de illo dicit intrat, de illo ascendit. Qui ascendit videtis, quia alta petit, non intrat, sed cadit, ille autem qui se sub-

Luc. 22.

Ioh. 10.

Luc. 18.

Luc. 18.

23. 4. 4. Tres.

Philipp. 1.

Matth. 23.

Ephes. 2.

Ioh. 10. Luce. 5.

Can. 29.

Matth. 10.

mittit vt per ianuam intret, nec cadit, sed pastor est. Sed tres personas dixit dominus, & debemus illas inuestigare in Euangelio pastorem, mercenarium, & furis. Cum legeretur puto quod animaduertistis: designauit pastorem, designauit mercenarium, designauit furem. Pastorem dixit animam suam ponere pro ouibus suis, & intrare per ianuam. Furem dixit ascendere per aliam partem. Mercenarium dixit lupum vel furem si videat fugere, quia non est illi cura de ouibus. Mercenarius est enim non pastor. Ille intrat per ianuam, quia fur est. Ille videns eos qui volunt tollere oues, timet & fugit, quia mercenarius est, quia non est illi cura de ouibus: Mercenarius est enim. Si inuenerimus tres istas personas, inuenit sancti vestra & quos diligatis, & quos toleretis, & quos caueatis. Diligendus est pastor, tolerandus est mercenarius, cauendus est latro. Sunt homines in ecclesia, de quibus dicit Apostolus, qui ex occasione euangelizant, quærentes ab hominibus commoda sua, siue pecuniaria, siue honorum vel laudis humanæ. Quomodo libet volentes accipere munera euangelizant, & non tam salutem eius quærent, quod annunciant, quam commodum suum. Ille autem, qui audit salutem ab eo, qui non habet salutem, si ei crediderit, quem ille annunciat, neque in illo spem posuerit, per quem illi annunciat salus, qui annunciat habebit detrimentum, cui annunciat, habebit lucrum. Habes dominum dicentem de Pharisæis, Cathedram Moyfi sedent. Non eos solos significabat dominus, quasi vero eos qui crederent in Christum ad Iudæorum scholam mitteret, vt ibi discerent quemadmodum iter sit ad regnum cœlorum? Nonne ideo dominus venit, vt instrueret ecclesiam, ipsosque Iudæos bene crederet, & bene sperantes, & bene diligentes segregaret tanquam frumeta à paleis, & faceret vnum parietem circuncisionis, cui coniungeretur alius paries ex præpicio gentium, quibus duobus parietibus de diuerso venientibus esset ipse lapis angularis? Nonne ergo idem dominus de duabus istis plebibus in vno futuris dixit, Habeo & alias oues, quæ non sunt ex hoc ouile? Loquebatur autem Iudæis, Oportet me, inquit, & eas adducere, vt sit vnus grex, & vnus pastor. Ideo duæ naues crant, vnde vocauerat discipulos, duas personas plebis significabant, quando miserunt retia & leuauerunt tantam vim, & tantum numerum piscium, ita vt penè retia rumpentur. Et onerauerunt, inquit duas naues. Duæ naues significabant vnam ecclesiam, sed de duabus plebibus factam, coniunctam in Christo, quoniam de diuerso venientem. Hoc significant etiam duæ vxores habentes vnum virum Iacob, Lia & Rachel. Has duas significant etiam duo cæci, qui sedebant iuxta viam quos dominus illuminauit. Et si aduertatis scripturas, in multis locis inuenietis significari duas ecclesias, quæ non sunt duæ, sed vna. Ad hoc enim valet lapis angularis, vt ex duobus faciat vnam. Ad hoc valet ille pastor, vt de duobus gregibus faciat vnum. Ergo dominus docturus ecclesiam & habiturus scholam suam præter Iudæos, sicut videmus modo, nunquid credentes in se ad Iudæos missurus erat vt discerent? Sed nomine Pharisæorum & Scribarum significauit quosdam in ecclesia sua futuros, qui

dicerent & non facerent: Se autem figurauerat in persona Moyfi. Etenim personam eius gerebat Moyfes, & velum ante se ideo ponebat, quando loquebatur populo, quia quando illi in lege carnalibus gaudiis, & voluptatibus dediti erant, & regnum terrenum quærebant, velamen positum erat contra faciem eorum, ne viderent Christum in scripturis. Ablato enim velamine, posteaquam passus est dominus, visa sunt secreta templi. Ideo cum in cruce penderet, scissum est velum templi à summo vsque deorsum: & aperte dicit Apostolus Paulus, Cum autem transieris ad Christum, auferetur velamen. Qui autem non transierit ad Christum, quauis legat Moysem, velamen positum est super cor eius sicut dicit Apostolus. Cum ergo præfiguraret quosdam tales futuros dominus in ecclesia sua, quid ait? Scribæ & Pharisæi cathedram Moyfi sedent, quæ dicunt facite, sed quæ faciunt facere nolite. Quando illud audiunt clerici mali, quod in ipsos dicitur, volunt pervertere istam sententiam. Nunquid non si illis liceret, deleterent illam de Euangelio? Quia vero delere illam nõ possunt, pervertere illam quærunt. Sed adest domini gratia, & misericordia, nec sinit eos facere, quia circumsēpsit veritate sua omnes sententias suas, & liberauit: vt quisquis inde aliquid præcidere voluerit, aut inducere male legendo, vel interpretando, ille, qui cor habet, quod præcisum est iungat scripturæ, & legat superiora vel inferiora, & inueniet sensum quem volebat ille male interpretari, Quid ergo putatis istos dicere de quibus dicitur, Quæ dicunt facite? Quia reuera à sanis laicis dicitur. Laicus enim qui vult bene viuere, cum attenderit clericum malum, quid sibi dicit? Dominus dixit, Quæ dicunt facite, quæ faciunt facere nolite. Ambulabo viam domini, non sequar istius mores. Audiam ab illo, non verba ipsius, sed Dei. Sequar Deum, sequatur ille cupiditatem suam: Quia si voluero apud Deum sic me defendere vt dicam, Domine vidi male viuentem illum clericum tuum, & ideo male vixi: nonne mihi dicitur est, Serue nequam non à me audieras, Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt facere nolite? Malus autem laicus infidelis, non pertinens ad gregem Christi, non pertinens ad frumentum Christi, qui tanquam palea in area tolleratur, quid sibi dicit quando cœperit illum arguere verbum Dei? Exi: Quid mihi loqueris? Ipsi episcopi, ipsi clerici non illud faciunt, & me cogit vt faciam. Quærit sibi non patronum ad causam malam, sed comitem ad peccatam. Nam nunquam eum ille defensurus est in die iudicij, quencunque malum voluerit imitari. Quomodo enim diabolus omnes, quos seducit, non seducit cum quibus regnet, sed cum quibus damnatur: Sic omnes qui sequuntur malos, comites sibi ad gehenam quærunt, non patrocinia ad regna cœlorum. Quomodo ergo pervertunt isti hanc sententiam, quando illis dicitur male viuentibus, merito dictum est à domino, Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt facere nolite? Rectè dictum est, inquit. Dictum est enim vobis, vt quæ dicimus faciatis, quæ autem nos facimus vos nõ faciatis. Nos enim offerimus sacrificium, vobis nõ licet. Videte versutias hominũ. Quid dicam mercenariorum? Nam si pastores essent, ista nõ dicerent. Ideo dominus vt os illis clauderet, secutus est, & dixit. Cathedram Moyfi sedet, Quæ dicunt

Matth. 27.

2. Cor. 3.

Matth. 23.

Matth. 23.

cunt facite, quæ autem faciunt facere nolite. Dicunt enim & non faciunt. Quid est ergo, fratres? Si de sacrificio diceret offerendo, diceret, dicunt & non faciunt, faciunt enim sacrificium Deo. Offerunt, quid est quod dicunt, & non faciunt? audi quid sequatur, Alligant enim onera gravia & importabilia, & imponunt ea super cervices hominum, quæ ipsi vno digito nolunt attingere. Aperite exprobrauit, descripsit, & ostendit, Sed illi quando sic volunt pervertere sententiam, ostendunt quia nihil querunt in ecclesia nisi commoda sua, nec Evangelium legerunt. Si enim nossent ipsam paginam, & totum legisent, nunquam hoc dicere auderent. Sed apertius attendite, quia habet tales ecclesia. Ne quis dicat nobis prorsus de Pharisæis dixit, de Scribis, de Iudæis dixit, Nam tales non habet Ecclesia. Qui sunt ergo illi, de quibus dominus dicit, Non omnis qui mihi dicit, domine domine, intrabit in regnum celorum? Et addidit, Multi dicent mihi in illa die, domine domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus, & in nomine tuo manducauimus & bibimus? Nunquid in nomine Christi Iudæi faciunt ista? Certum est, manifestum est, quia de his dicit, qui nomen Christi habent, Sed quid sequitur? Tunc dicam illis, Nunquam vos cognoui. Recedite à me omnes qui operamini iniquitatem. Audi Apostolum gementem de talibus. Dicit alios annunciare Evangelium per charitatem, alios per occasionem: de quibus dicit, Annunciant Evangelium non recte. Rem rectam, sed ipsi non recti. Quod annunciant rectum est, sed qui annunciant non sunt recti. Quare non est rectus? Quia aliud querit in Ecclesia, non Deum querit. Si Deum quereret, castus esset, quia legitimum maritum anima Deum habet. Quisquis à Deo præter Deum aliquid querit, non caste Deum querit, Videte, fratres, si vxor amet maritum, quia diues est, non est casta. Non enim maritum amat, sed aurum mariti. Si autem maritum amat, & nudum amat, pauperem amat. Si enim propterea amat, quia diues est, quid si, quomodo sunt casus humani, proscribarur, subito egens remaneat? Renunciat illi forte, quia quod amabat non maritus erat, sed res eius. Si autem vere maritum amet, etiam pauperem plus amat, quia cum misericordia amat. Et tamen, fratres, Deus noster nunquam pauper esse potest, diues est, ipse fecit omnia, cælum & terram, mare & angelos. Quicquid videmus, quicquid non videmus in cælo, ipse fecit. Sed tamen non diuitias amare debemus, sed eum qui fecit illas: Non enim tibi promisit nisi se, Inueni aliquid pretiosius, & hoc dabit. Pulchra est terra, cælum, & angeli, sed pulchrior est, qui fecit hæc. Qui ergo annunciant Deum, amantes Deum, qui annunciant Deum propter Deum, pascent oues, & non sunt mercenarij. Ipsam castitatem exigebat dominus noster Iesus Christus, quando dicebat Petro, Petre amas me? Quid est, amas me? Castus es. Non est cor tuum adulterum. Non tua queris in ecclesia, sed mea. Si ergo talis es, & amas me, pasce oues meas. Non enim eris mercenarius, sed eris pastor, Illi autem non caste annunciabāt, de quibus gemit Apostolus. Sed quia dicit, Quid enim? Dum omni modo siue occasione, siue veritate Christus annuncietur, permisit ergo esse mercenarios. Pastor veritate Christum annunciat,

Math. 7.

Philipp. 1.

Joan. 11.

Philipp. 1.

mercenarius occasione Christum annunciat, aliud querens. Tamen & ille Christum annunciat, & ille Christum; audi vocem pastoris Pauli, Siue occasione, siue veritate Christus annuncietur. Ipse pastor voluit habere mercenarium, faciunt enim ubi possunt, vtilis sunt quantum possunt. Quando autem ad alios vsus, quærebat Apostolus cuius vias imitarentur infirmi, Misi vobis, inquit, Timotheum, qui vos commonefaciat vias meas. Et quid ait? Misi pastorem, qui vos commoneret vias meas: id est, quia quo modo ego ambulo, & ipse ambulat. Et mittens pastorem, quid ait? Neminem enim habeo tam vnanimem, qui syncre affectione pro vobis sollicitus sit. Nonne cum illo erant multi? Sed quid sequitur? Omnes enim sua querunt, non quæ sunt Christi Iesu: id est, ego vobis pastorem mittere volui, nam multi mercenarij sunt, sed non oportuerat vt mercenarius mitteretur. Ad alias res & negotia peragenda mittitur mercenarius, ad illas autem, quas tunc volebat, pastor erat necessarius. Et vix inuenit vnum pastorem inter multos mercenarios, quia pauci pastores, multi mercenarij. Sed quid dicitur de mercenariis? Amen dico vobis, perceperunt mercedem suam. De pastore autem, quid ait Apostolus? Quisquis autem mudauerit se ab huiusmodi, erit vas in honorem sanctificatum, & vtile domino ad omne opus bonum paratum semper. Non ad quasdam res paratum, & ad quasdam non paratum, sed ad omne opus bonum paratum. Hæc de pastoribus dixi. De mercenariis autem iam diximus. Mercenarius quando videt lupum insidiantem ouibus fugit. Hoc dominus dixit, Quare? Quia non est ei cura de ouibus. Tandiu est ergo vtilis mercenarius, quandiu non videt lupum, quandiu non videt furem, & latronem. Cum autem viderit, fugit. Et quis est de mercenariis, qui fugit de Ecclesia, quando videt lupum aut latronem? Abundant lupi, abundant latrones. Ipsi sunt qui ascendunt: per alteram partem ascendunt. Qui sunt isti qui ascendunt? Qui de parte Donati volunt deprædari oues Christi. Ipsi per alteram partem ascendunt, non per Christum intrat, quia non sunt humiles. Quia superbi sunt, ascendunt. Quid est ascendunt? Extolluntur. Vnde ascendunt? Per alteram partem. Vnde de parte dici volunt, qui in vnitatem non sunt de altera parte sunt, & de ipsa parte ascendunt, id est, extolluntur, & volunt tollere oues. Quomodo ascendunt, videte, Nos inquit, sanctificamus, nos facimus iustos. Ecce quod ascenderunt: Sed qui se exultat humiliabitur. Potens est dominus Deus noster, humiliare eos. Lupus autem diabolus est, insidiatur vt decipiat, & qui illum sequuntur: nam dictum est, quod sint induti quidem pellibus ouium, intrus autem sunt lupi rapaces. Si viderit mercenarius aliquem peccare, aut sentire secundum perniciem animæ suæ, aut aliquid facere sceleratum, & obscœnum, & tamen quia videtur haberi alicuius momenti in ecclesia, vnde sibi sperat commoda, nõ reprehendit, mercenarius est. Et cum videt hominem perire in peccato, videt illum sequi lupum, videt illius guttur trahi morsu ad supplicium: non illi dicit, Peccas, non illum obiurgat, ne perdat commoda sua. Hoc est ergo, cum viderit lupum fugit: non illi dicit, Sceleratè facis. Non corporis, sed animæ hæc fuga est. Quem vides corpore stare, fugit animo, cum videt peccatorem & non dicit illi,

Philipp. 1.

Math. 6.

2. Timoth. 2.

Joan. 10.

Luc. 14.

Math. 7.

\* Alias imò nunquam nos, sed Deus corripit.

illi, peccas, cum etiam cõsiliu cum illo habet. Fratres mei, nunquid non ascendunt aliquando aut presbyter, aut Episcopus: & non dicit aliud de superiori loco, nisi ne rapiantur res alienæ, ne fraudes fiant, ne scelera admittantur? Non possunt dicere aliud, quia cathedrâ Moysi sedent, & ipsa loquitur de illis non ipsi. Quid est ergo, nunquid colligunt de spinis vvas, aut de tribulis ficus? Et omnis arbor ex fructu cognoscitur. Pharisæus potest bona loqui? Pharisæus spina est. Quomodo de spina lego vvas? quia tu domine dixisti, Quæ dicant facite, quæ autem faciunt, facere nolite. De spinis me iubes vvas decerpere, cum dixeris, Nunquid colligunt de spinis vvas? Respondet tibi Deus, Non iussi te de spinis vvas legere, sed vide & attende bene, Forte vt fieri solet vitis cum circumgyrat per terram, inuoluta sit in spinis. Nam aliquando inuenimus illud fratres mei, vitem positam super caricem, quia ibi habet sepem spinosam, extendit palmite suos, & inserit in sepem, extendit in spinas botros, & qui videt, botrum carpit, non tam de spinis quàm de vite quæ circumplexa est spinis. Sic ergo illi spinosi sunt, sed sedendo in cathedra Moysi, inuoluit eos vitis, & pendunt ad eos botri, id est, verba bona, & bona præcepta. Tu lege vvas, nõ te pungit spina, quãdo legis, Quæ dicunt facite, sed quæ faciunt facere nolite. Pungit autem te spina, si quod faciunt facis. Vt ergo legas vvas, & non inhæreas spinis, quæ dicunt facere debetis, sed quæ faciunt nolite facere. Facta ipsorum spinæ sunt, verba ipsorum vva est, sed de vite, id est, de cathedra Moysi. Fugiant ergo isti, quando vident lupum, quando vident latronem. Hoc autem inciperã dicere, quia de loco superiore non possunt dicere isti, nisi, bene facite. Nolite periurare, nolite fraudare, nolite aliquem circumuenire. Aliquando autem sic viuunt, vt de tollenda villa aliena, cum episcopo consiliu habeatur, & petatur ab illo tale consiliu. Aliquando nobis contigit, experti dicimus, nam non crederemus. Multi à nobis consilia mala petunt, consilia mentiendi, circumueniendi, putantes quia placeant talia nobis. Sed in nomine Christi, si domino placet quod dicimus, nullus talis nos tentauit, & inuenit quod volebat in nobis. Quia si vult ipse qui nos vocauit pastores futuros nõ mercenarij. Sed quid ait Apostolus? Mihi minimum est vt à vobis iudicer aut ab humano die, sed neque ego memetipsum iudico. Nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum. Qui autem iudicat me, dominus est. Non ideo bona est conscientia mea, quia vos illam laudatis. Quid enim laudatis quod non videtis? Ille laudet qui videt. Ille etiam corrigat, si quid ibi videt, quod eius oculos offendit, quia & nos non dicimus perfecte nos sanos, sed tundimus peccus nostrum, & dicimus Deo, Propitius esto, ne peccem. Tamen puto, coram illo enim loquor, nihil aliud à vobis querens nisi salutem vestram. Et geminus plerique in peccatis fratrum nostrorum, & vim patimur, & torquemur animo, & aliquãdo corripimus illos: Imò nunquam non corripimus, testes sunt oes qui recordantur quod dico, quotiens sunt à nobis correpti fratres peccatè, & vehementer correpti. Modo consiliu nostrum tracto cū sanctitate vestra. In nomine Christi plebs Dei estis, plebs catholica estis, membra Christi estis. Non estis diuifi ab vnitatem. Communicatis mem-

Math. 7.

Math. 13.

1. Cor. 4.

bris Apostolorum, communicatis memoriis sanctorum martyrum diffusorum per orbem terrarum, & pertinētis ad curam nostram, vt rationem bonam de vobis reddamus. Tota autem ratio nostra quæ est, scitis, Domine scis quia dixi, scis quia non tacui, scis quo animo dixi, scis quia fleui tibi cum dicerem, & non audiret. Ipsa puto quod integra ratio nostra est. Securos enim nos fecit spiritus sanctus per Ezechielem prophetam. Nostri enim ipsam lectionem de speculatore. Fili, ait, hominis speculatorem posui te domus Israëli. Si me dicente ad impium: Impie morte morieris: non dixeris: hoc est, ego enim tibi dico vt dicas: si non annunciauēris, veneritque gladius, & tulerit eum, id est; quod minatus sum peccatori: ille quidem impius in impietate sua morietur, sanguinem autem eius de manu speculatoris requiram. Quare? Quia non dixit. Si autem speculator viderit gladium venientem, & cecinerit tuba vt fugiat, & non se obseruauerit, id est, non se correxerit, vt non eum inueniat in supplicio quod minatur Deus, veneritque gladius, & tulerit aliquem, ille quidem impius in iniquitate sua mortuus est, tu autem (inquit) animam tuam liberaisti. Et in illo loco Evangelij quid aliud dicit seruo, cum diceret: Domine, sciebam te molestum siue duru hominem, quia metis vbi non seminasti, & colligis vbi non sparxisti, & timens abij, & abscondi talentum tuum in terra, ecce habes quod tuum est. Et ille, Serue, inquit, nequam & piger, magis quia me sciebas molestum & durum esse, merere vbi non seminasti, & colligere vbi non sparxisti, ipsa auaricia mea debuit te docere, quia lucrum quero de pecunia mea? Qportuit te ergo vt dares pecuniam meam numulariis, & ego veniens cum vsuris exegissem meum. Nunquid dixit, dares vt exigeres? Nos ergo, fratres, damus, veniet ille qui exigat. (Orate vt paratos suos inueniat.)

Ezech. 33.

Luc. 19.

EIVSDEM IN IDEM Homilia 4.

**A**vdiamus dominum Iesum commendantem nobis boni pastoris officium. In qua commedatione admonuit nos vique, vt intelligi datur, bonos esse pastores. Et tamen ne intelligeretur peruerso modo multitudo pastorum, Ego sum, inquit, pastor bonus. Et vnde sit pastor bonus, consequenter ostendit, Pastor, inquit, bonus animam suam pro ouibus ponit. Mercenarius autem, & qui non est pastor, videt lupum venientem, & fugit, quia non est ei cura de ouibus, mercenarius enim est. Pastor ergo bonus Christus. Quid Petrus? Nonne bonus pastor? Nonne & ipse animam suam pro ouibus posuit? Quid Paulus? Quid cæteri Apostoli? Quid eorum tēpora consequentes beati Episcopi martyres? Quid etiam iste sanctus Cyprianus? Nonne omnes pastores boni, non mercenarij, de quibus dicitur, Amen dico vobis, perceperit mercedem suam? Omnes ergo isti pastores boni, non solum quia sanguinem fuderunt, sed quia pro ouibus fuderunt: Non enim fuderunt elatione, sed charitate. Nam & apud hæreticos qui propter iniquitates, & errores suos aliquid molestiarum perpessi fuerint, nomine martyrij se iactant, vt hoc pallio dealbati facilius furerent, quia lupi sunt, Si autem vultis scire in quo numero habendi sunt, pastores boni.

Serm. 50. de Vir. animi.

Joan. 10.

Math. 6.

Inuicit Donatistas, qui à catholicis primis et pibus puniti fuerant.



bonum Paulum Apostolum audite: Quoniam nō omnes qui corpora sua in passione etiā ignibus tradunt, estimandi sunt sanguinem fuisse pro quibus, sed potius contra oves. Si linguis hominum loquar, & angelorum, charitatem autem nō habeam, factus sum velut ærumentum sonans, & cymbalum tinniens. Si sciero omnia sacramenta, & habuero omnem prophetiam, & omnem fidem ita ut montes transferam, charitatem autem nō habeam, nihil sum. Magna ergo res est, postremo fides montes transferens. Illa quidem magna sunt, sed si ego hæc sine charitate habeam, inquit, non illa, sed ego nihil sum. Sed adhuc istos non tetigit, qui falso martyrij nomine in passionibus gloriantur. Audite ut eos tangat, imō ut trāsfordiat. Si distribuero, inquit, omnia mea pauperibus, & tradidero corpus meū ita ut ardeam, iam ipsi sunt. Sed vide quid sequitur. Charitatem autem non habeam, nihil prodest. Ecce venit ad passionem, ecce venit & ad corporum incensionem, & tamē nihil prodest, quia charitas deest. Adde charitatem, profunt omnia. Detrahe charitatem, nihil profunt cetera. Quale bonum est charitas ista, fratres? Quid preciosius, quid luminosius, quid firmitus, quid vtilius, quid securius? Multa sunt Dei dona, quæ tamen habent & mali, qui dicturi sunt, Domine in nomine tuo prophetauimus, in nomine tuo dæmonia eiecimus, in nomine tuo virtutes multas fecimus. Nec respōdebit ille, Non fecistis. Non enim in conspectu tanti iudicis addebunt mentiri, aut iactare quæ nō fecerunt. Sed quia charitatem non habuerunt, respōdebit omnibus illis, Non noui vos. Quomodo autem habet vel exiguam charitatem, qui etiam conuictus non amat vnitatem? Hanc dominus vnitatem commendans pastoribus bonis, non commendans pastores bonos, noluit multos appellare pastores. Neque enim, ut dixi, iam non erat pastor bonus Petrus, Paulus, Apostoli, ceteri, posteriores sancti Episcopi, beatusque Cyprianus? Omnes hi pastores boni, & tamē ille pastoribus bonis non commendauit pastores bonos, sed pastorem bonum. Ego sum, inquit, pastor bonus. Interrogemus dominū qualicunque sensu, & humillima disceptatione cum tāto patrefamilias colloquamur. Quid dicis domine bone pastor? Tu enim bonus pastor qui bonus agnus: Idem pastor & pascua, idem agnus & leo. Quid dicis? Audiamus, & adiua ut intelligamus. Ego sum, inquit, bonus pastor. Quid Petrus? Aut non pastor aut malus? Videamus si non pastor. Amas me? Tu ei dixisti domine, Amas me: & respondit, Amo. Et tu ei, Pisce oves meas. Tu domine interrogatione tua, firmamento oris tui, amatorem fecisti pastorem. Pastor est ergo, cui pascendas oves credidisti. Ipse commendasti, pastor est. Videamus iam vtrum non bonus. Ipsa id interrogatione & respōsione eius inuenimus. Quæstisti vtrum amet te, Respondit, Amo. Vidisti cor, quia verum respondit. Non est ergo bonus, qui amat tantum bonum? Vnde illa respōsio ex intimis prolata visceribus, vnde ille Petrus testes oculos tuos habens in corde suo, contristatus quod eum non solum semel, sed iterum & tertio interrogasti, ut trina confessione amoris, delectet trine peccatum negationis? Vnde ergo contristatus quod sæpe interrogatus esset ab eo qui sciret quod interrogabat, & donauerat quod audiebat?

1. Cor. 13.

1. Cor. 13.

Matth. 7.

Joan. 21.

Joan. 21.

Vnde contristatus, talia verba retulit, Domine, tu scis omnia, ipse nosti quoniam te amo. Itane illa talia confitens, imō proficiens mentiretur? Veraciter ergo respondit, amorem tuum, & de intimo corde protulit amantis vocem. Tu autem dixisti, Bonus homo de bono thesauro cordis sui proferat bona. Ergo & pastor & bonus pastor, nihil quidē ad potestatem, ac bonitatem pastoris pastorum, sed tamen etiam ipse & pastor & bonus, & ceteri tales pastores boni. Quid est ergo quod pastoribus bonis commendas vnum pastorem, nisi quia in vno pastore doces vnitatem? Et exponit aperius ipse dominus per ministerium nostrum, ex ipso Evangelio commemorans charitatem vtriusque, & dicens, Audite quid commendauit, Ego sum pastor bonus, dixi, quia omnes ceteri, omnes pastores boni membra mea sunt. Vnum caput, vnum corpus, vnus spiritus. Ergo & pastor ipse est pastorum, & pastores multi sunt vnus pastoris, & oves cū pastoribus sunt sub pastore. Quid sunt hæc nisi quod dicit Apostolus? Sicut enim corpus vnum est, & membra habet multa, omnia autem membra corporis cum sint multa, vnum est corpus, sic & Christus. Ergo si sic & Christus, merito Christus in se habens omnes pastores bonos, vnum commendat, dicens, Ego sum pastor bonus. Ego sum, vnus sum, mecum in vnitatem omnes vnum sunt. Qui extra me pascit, contra me pascit: Qui mecum non colligit, spargit. Ergo audite ipsam vnitatem vehementius commendatam, Habeo, inquit, alias oves, quæ non sunt de hoc ouili. Loquebatur enim primo ouili de genere carnis Israel. Erant autem alij de genere fidei ipsius Israel, & extra adhuc erant in gentibus. Erant prædestinati, nondum congregati. Hos nouerat, quos prædestinauerat, nouerat qui redimere sanguine suo fuso venerat. Videbat eos nondum videntes eum, nouerat eos nondum credentes in eum. Habeo, inquit, alias oves, quæ non sunt de hoc ouili, quæ non sunt de genere carnis Israel, sed tamen non erunt extra hoc ouile, quia oportet me adducere eas, ut sit vnus grex & vnus pastor. Merito huic pastori pastorum amata eius, sponsa eius, pulchra eius, sed ab ipso pulchra facta, prius peccatis foeda, post indulgentiam, & gratiam formosa, loquitur amans, & ardens in eum, & dicit ei, Vbi pascis? Et videte quemadmodum quo affectu hic erigatur amor spiritualis. Melius isto multo affectu delectantur, qui aliquid ex huius amoris dulcedine gustauerunt. Illi hoc bene audiunt, qui amant Christum. In ipsis enim hoc, & de ipsis cantat ecclesia in canticis canticorum. Qui amant Christum, quasi foedum & solum formosum, Vidimus enim eum, inquit, & non habebat speciem neque decorem. Talis in cruce apparuit, talem se spinis coronatus exhibuit, foedum & sine decore, quasi amissa potentia, quasi non filium Dei. Talis visus est cæcis. Ex persona quippe Iudæorum hoc dixit Esaias, Vidimus eum & non habebat speciem, neque decorem: quando dicebatur, Si filius Dei est, descendat de cruce. Alios saluos fecit, seipsum non potest. Et percipientes clamor in caput, dicebant: Prophetiza nobis, Christe, quis te percussit? non habebat speciem, neque decorem. Talem Iudæi videbatis, Quia cæcitas ex parte Israel facta est, donec plenitudo gentium intraret, donec aliæ oves venirent. Quia ergo cæcitas

Matth. 11.

1. Cor. 12.

Matth. 12.

Cant. 1.

Esai. 13.

Marc. 13.

Matth. 26.

Rom. 11.

citata facta est, ideo decorum sine decore vidistis. Si enim cognouissetis, nunquam dominum gloria crucifixissetis. Fecistis autem quia non cognouistis. Et tamen ille, qui vos quasi foedus tolerauit, pro vobis formosus orauit, Pater, inquit, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt, Si enim sine decore, quid est quod amat ista, quæ dicit, Annuncia mihi, quem dilexit anima mea? Quid est quod amat, quid est quod ardet, quid est quod tantum ne ab illo aberret timet? Quid est quod tantum delectatur in ipso, cui sola pœna est esse sine ipso? Quid esset vnde amaretur, nisi formosus esset? Verum quomodo illa sic amaret, si ille illi sic appareret, quomodo cæcis persequentibus, & quid faciant nescientibus? Qualem ergo illa amauit? Speciosam forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis. Ergo de ipsis labiis tuis annuncia mihi, quem dilexit anima mea. Annuncia mihi, quem dilexit anima mea. Annuncia, inquit, mihi, o quem dilexit non caro mea, sed anima mea. Annuncia mihi vbi pascis, vbi cubas in meridie, ne forte siam sicut opera super greges sodalium tuorum: Obscurum videretur. Obscurum sanctuarium thalami sacri mysterium est: ipsa enim dixit, Introduxit me rex in cubiculum suum. Talis cubiculi hoc secretum est. Sed vos qui ab isto cubiculo profani non estis, audite quod estis, & dicit cum illa, si amatis cum illa. Amatis autem cum illa, si estis in illa. Dicit omnes & tamen vna dicat, quia vnitatis dicit, Annuncia mihi quem dilexit anima mea. Erat enim illis in Deum vna anima, & cor vnum. Annuncia mihi vbi pascis, vbi cubas in meridie, Quid significat meridies? Magnum feruorem, magnumque splendorem. Ergo notum fac mihi qui sint sapientes tui, Spiritu feruentes, doctrina fulgentes: Dexteram tuam notam fac mihi, & eruditos corde in sapientia. Ipsis inhæream in corpore tuo, ipsis facier, enim ipsis te fruar. Dic mihi. Ergo annuncia mihi vbi pascas, vbi cubas in meridie, ne incurram in eos qui alia de te dicunt: Aliud dicunt, aliud de te sentiunt: Alia de te credunt, alia de te prædicant. Et greges suos habent, & sodales tui sunt, quia de tua mensa viuunt, & mensæ tuæ sacramenta pertractant. Sodales enim dicti sunt quod simul edant, quasi simul edales. Tales exprobrantur in Palmo, Si enim inimicus super me magna locutus fuisset, abscondissem me vtrique ab eo. Et si hic qui oderat me super me magna locutus fuisset, absconderem me vtrique ab eo: tu vero vnanimis meus, dux meus, & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos, in domo Dei ambulauimus cum consensu. Quare contra domum domini modo cum dissensu, nisi quia ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis? Ideo o tu quem dilexit anima mea, ne in tales incidam sodales tuos, sed quales fuerunt sodales Sampson, non seruantes amico fidem, volentes eius corrumpere uxorem. Ergo ne in tales incurram, ne siam super eos, id est, incidam in eos velut opera, velut latens, & obscura, non velut in monte constituta. Annuncia ergo mihi, o quem dilexit anima mea, vbi pascis, vbi cubas in meridie, qui sint sapientes, & fideles in quibus maxime requiescis, ne forte sicut latens incurram in greges nō tuos, sed sodalium tuorum. Nam tu Petro non dixisti, Pisce oves tuas: sed pisce oves meas. Respondeat ergo amata huic pastor bonus, & speciosus for-

1. Cor. 2.

Luce 23.

Cantic. 1.

Psal. 44.

Cantic. 1.

Act. 4.

Psal. 89.

Psal. 54.

Joan. 2.

Cantic. 1.

Joan. 21.

ma præ filiis hominum respondeat ei, quam formosam fecit ex filiis hominum. Audite quid respondeat, intelligite, cauete quod terret, amate quod monet. Quid ergo respondit? Quam non blande, sed blandiciis severitatem reddit. Corripit ut constringat, ut seruet. Nisi cognoueris temetipsam, inquit, o pulchra inter mulieres: quantumlibet enim sint alia pulchræ donis viri tui, hærefes sunt, ornatu nō visceribus pulchræ sunt foris, extrinsecus nitent, nomine iustitiæ se dealbāt: omnis autem pulchritudo filia regis intrinsecus. Nisi ergo cognoueris temetipsam quia vna es, quia per omnes gentes es, quia casta es, quia colloquia peruerso malorum sodalium corrumpi non debes. Nisi cognoueris temetipsam, quia recte mihi desponsauit ille virginem castam exhibere Christo, recteque mihi te ipsam exhibeas, ne malis colloquiis, sicut serpens Euam seduxit astucia, sic & tui sensus corrumpantur à castitate mea. Nisi ergo talem cognoueris temetipsam, exi. Tu exi. Aliis enim dicturus sum, Intra in gaudium domini tui. Tibi non dicam, intra, sed exi, ut sis inter eos qui ex nobis exierunt, exi tu. Sed nisi cognoueris temetipsam, tunc exi. Si autem cognoueris temetipsam, intra. Si autē nō cognoueris exi tu in vestigiis gregū, & pascce hœdos tuos in tabernaculis pastorum. Exi in vestigiis non gregis, sed gregum: & pascce nō sicut Petrus oves meas, sed hœdos tuos in tabernaculis non pastoris, sed pastorum: non vnitatis, sed dissensionis. Non ibi posita vbi est vnus grex & vnus pastor. Confirmata est, edificata est, amata fortior est facta, parata mori pro viro, & viuere cum viro. Hæc verba quæ commemorauimus de sanctis canticis canticorum, de sponsi & sponsæ epithalamio quodam, spirituales enim nuptiæ sunt, in quibus nobis magna castitate viuendum est, quia ecclesiæ concessit Christus in spiritu, quod mater eius habuit in corpore, ut & mater & virgo sit. Hæc vero verba Donatistæ accipiunt ad sensum suum peruersum multo aliter. Et quemadmodum, non tacebo, & quid eis respondeatis, adiuaute domino, quantum potero, breuiter admonebo. Cū eos vrgere cœperimus, luce vnitatis ecclesiæ diffusæ toto orbe terrarum, & poposcerimus ut ostendant ipsi de scripturis aliquid testimonium vbi Deus prædixit in Africa futuram ecclesiam, quasi perditis cæteris gentibus; hoc solent testimonium in ore habere & dicere, Africa in meridie est. Interrogans ergo, inquirunt, ecclesia domini vbi pascat, vbi cubet, respondet ille, in meridie: ut quasi vox interrogantis sit, Annuncia mihi quem dilexit anima mea, Vbi pascis? Vbi cubas? Et vox quasi respondentis, In meridie: hoc est, in Africa. Si ergo quæ interrogat, ecclesia est, & dominus vbi pascat, respondet in Africa, quia in Africa erat, ecclesia quæ interrogat non erat in Africa. Annuncia, inquit, mihi quem dilexit anima mea, vbi pascis, vbi cubas: & respōdit ille cuidam ecclesiæ præter Africam, In meridie, In Africa cubo, in Africa pascito, quasi te non pascio. Porro si quæ interrogat, ecclesia est, quod nullus ambigit, quod nec ipsi contradicunt, & audiunt nescio quid de Africa, hæc ergo quæ interrogat præter Africam, & quia ecclesia est, est præter Africam ecclesia. Ecce accipio in meridie esse Africam, quanquam magis in meridie sub sole medij dici Ægyptus quam Africa. Illic autem

Cantic. 1.

Psal. 34.

2. Cor. 11.

Matth. 25.

Cant. 1.



in Aegypto quomodo pastor est iste, qui norunt agnoscunt: qui non norunt, requirant quàm magnum illic gregem colligat, quantam numero sitatem sanctorum atque sanctorum habeat contentum penitus mundum. Grex ille tantum creuit, vt etiam inde superstitiones expulerit. Vt ergo omittam quomodo inde omnem idolorum superstitionem, quæ illic valida fuerat, credendo fugauerit, accipio quod dicitis ô sodales mali, accipio profus, assentio Africam in meridie esse, & Africam significatam in eo quod dictum est, Vbi pascis, vbi cubas in meridie. Sed & vos equitatem attendite, adhuc ista verba sponsæ esse nondum sponsi. Adhuc sponsa dicit, Annuncia mihi quem dilexit anima mea, vbi pascis, vbi cubas in meridie, ne forte sicut operata fiam. Surde, cæce, si in meridie vides Africam, quare in operata non intelligis feminam? Annuncia mihi dicit quem dilexit anima mea. Vtique virum alloquitur cum dilexit, quomodo si diceret, Annuncia mihi quem dilexit anima mea, intelligeremus sponsum hæc loqui ad sponsam. Sic cum audis, Annuncia mihi quem dilexit anima mea, vbi pascis, vbi cubas, illuc adde: ad hæc huius verba pertinent, & quæ sequuntur in meridie. Quæro vbi pascas in meridie, ne forte fiam sicut operata super greges sodalium tuorum. Audio profus, accipio de Africa quod intelligis in meridie ipsa significata est. Sed Ecclesia Christi sicut intelligis transmarina alloquitur sponsum suum, timens errorem incidere Africanum. O quem dilexit anima mea, annuncia mihi, doce me. Audio enim in meridie, id est, in Africa duas esse partes, immo multas concisiones. Annuncia ergo mihi vbi pascis, quæ oues ad te pertinet, quod ouile illic me iubet amare, cui me debeo sociare ne forte siã velut operata. Illudunt enim quasi latenti, insulant quasi perditæ, quasi nusquã alibi existenti. Ne ergo quasi operata quasi latens fiam super greges sodalium tuorum Donatistarũ, Maximinianistarum, Rogatistarum cæterarumque pestium extra colligentium, & ideo spargentium, rogo te, annuncia mihi, si illic pastorem meum requiram, vt non in gurgitem rebaptizationis incurram. Hortor vos, obsecro vos per sanctitatem talium nuptiarum, amate hanc Ecclesiam, estote de tali ecclesia, estote talis ecclesia, amare pastorem bonum virum tam pulchrum, neminem fallentem, neminem perire cupientem. Orate & pro dispersis ouibus, veniant & ipsi, cognoscant & ipsi, ament & ipsi, vt sit vnus grex, & vnus pastor.

**PETRI CHRYSOL. EPI-**  
*scopi Rauens. in superius Euang.*  
*de bono Pastore, Sermo.*

**Sermo. 10.** **V**bi vernalis auræ tempus annuos ouium cœperit partus aperire, vbi per campos, prata, vias cœperit fecundi gregis germina copiosa dispergere, pastor bonus seponit catus, & discursu anxio teneros quærit, legit, colligit fetus, atque eos collo, humeris, vlnis, lætus vector imponit, vt saluos omnes perferat, & totos perducatur ad caulas. Sic nos, fratres, vbi, quadragessimæ aridente verno, Ecclesiasticum gregem videmus fundere vberes partus, tractatus nostri cantus, & consueti sermonis epulas seponetes, totam curam in col-

ligendo, & comportando cœlesti germine anxij gravissimo labore dependimus. Sed, quia agnos redditos gregi, & totos intra Christi videmus esse iam septa, diuinos lætissimi reuocamur ad cantus, dominici vobis cibi exultatione tora vitalis copias apponentes, vt, quos socios senserimus in labore, participes in gaudiis habere possimus. Et, quia præfatio hæc nostra pastoris boni fecit, & intulit mentionem, de ipso, qui solus bonus, solus pastor, solus pastorum pastor est, tota sermonis nostri, & tractatus repletur, & habeatur intentio. *Pastor, inquit, bonus, animam suam ponit pro ouibus suis.* Fortem facit vis amoris, quia nil durum, nil amarum, nil graue, nil lethale, cõputat amor verus. Quod ferrum, quæ vulnera, quæ pœnia, quæ mortes amorem præxalant separare perfectum? Amor impenetrabilis est lorica, respuit iacula, gladios excutit, periculis insultat, mortem ridet, si amor est, vincit omnia. Sed quæramus, vtum sit ouibus commoda mors ista pastoris, quæ defuit oues, quæ lupis tradit inermem pecus, quæ sic charum gregem ferinis morsibus derelinquit, diræptioni dat, & exponit morti: sicut ipsius pastoris Christi probatur ex morte. Ex quo nãque posuit ipse animam suam pro ouibus suis, seque iudaico furore permisit occidi, oues eius gentilium velut prædonum diripiuntur incursum; mactandæ in carceribus velut latronum clauduntur antris, à persecutoribus quasi sæuientibus lupis sine cessatione laniantur, ab hæreticis quasi ab extraneis canibus rabido dente carpuntur. Hoc Apostolorum peremptus probat chorus; hoc martyrum toto orbe diffusus clamat sanguis, hoc Christianorum membra data bestis, consumpta ignibus, demersa fluminibus, patenter demonstrant: quod vti que totum sicut mors intulit, ita vita potuit prohibere pastoris. Ideo pro te pastor amorem morte probat, quia, cum videat, ouibus imminere discrimen, cum gregem defendere non possit; maualt mori, antequam mali de suis ouibus quid videat. Sed quid facimus, quia vita mori non poterat, nisi voluisset? datori animæ animam quis tollere potuisset nolenti? dicente ipso, *Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam: nemo tollit eam a me.* Ergo mori voluit, qui se cum mori non posset, permisit occidi. Quæramus ergo huius quæ vis, quæ ratio sit amoris, quæ huius causa mortis, quæ huius sit vtilitas passionis. Est planè vis certa, vera ratio, causa lucens, vtilitas tanti sanguinis peraperta: nanque pastoris vna ex morte virtus emicuit singularis: pastor pro ouibus morti, quæ ouibus imminerebat, occurrit, vt auctore mortis diabolus, nouo ordine captus caperet, victus vinceret, puniret occisus, & ouibus, moriendo, viam vicendæ mortis aperiret. Nam & diabolus, dum in hominem tendit, profluit in Deum, dum in reum sæuit, incurrit in iudicem, inuenit supplicium, dum ingerit pœnam, ipse accipit, dum dat sententiam, & viuens mortalium pastu mors moritur, dum deuorat vitam, absorbens reos mors, absorbetur, innocentiæ dum deglutit auctorem, & perit mors ipsa, quæ perdebat omnes, dum omnium perimere vult salutem. Ergo tali formam præcessit oues pastor, pastor ab ouibus non recessit, nec illas dedit lupis, sed tradidit lupos illis, quibus donauit suos elidere sic prædones, vt occisæ vincerent, laniatæ resurgerent, sanguine suo tinctæ fulgerent regali

regali purpura, niueo vellere perlucere: sic bonus pastor pro ouibus cum posuit animam, non amisit, & oues taliter tenuit, non reliquit, nec destituit oues taliter, sed inuitauit, quas per mortales campos, per iter mortis, vitalia vocauit, & perduxit ad pascua. Sed dicit aliquis, quando hæc erunt? Ecce interim oues, id est, Apostoli, prophetae, Martyres, & Confessores iacent sepulti, discerpti toto sparguntur in orbe, inuolunt sanguine, teris clauduntur sepulchris. Et quis dubitat, quod resurgant, viuant, regnent occisi martyres, quando Christus illis resurrexit, viuunt, & regnant occisus? Audi vocem pastoris huius; Quæ meæ vocem meam audiunt, & sequuntur me. Neesse vt, quæ sunt ad mortem securæ, sequantur ad vitam, quæ ad contumeliam comitatæ sunt, comitentur ad honorem; & sint participes gloriæ, quæ passionis participes extiterunt. Vbi sum, inquit, ego, ibi erit & minister meus. Vbi? vti que super cælos, vbi Christus est ad dexteram Dei sedens. Homo, non te turber fides, sed te longior nõ fatiget: quia certa tibi res est, quæ in ipso ubi rerum seruatur auctore. Mortui, inquit, estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo: cum autem uerum apparuerit Christus vita vestra, tunc & vos cum illo apparebitis in gloria. Laborans messor, quod in semine non videt, videbit in messe, & quod in sulco deflet, gaudebit in fructu.

**S. GREGORII PAPAE**  
*in superius Euang. Homil.*

*Est Hom. 14. in Euang.*

**A**vdistis, fratres charissimi, ex lectione euangelica eruditionem vestram: audistis ex lectione euangelica periculum nostrum. Ecce enim is, qui nõ ex accidenti dono, sed essentialiter bonus est, dicit, *Ego sum pastor bonus.* Atque eiusdem bonitatis formam, quam nos imitemur, adiungit, dicens, *Bonus pastor animam suam ponit pro ouibus suis.* Fecit quod monuit, ostendit quod iussit. Bonus pastor pro ouibus suis animam suam posuit, vt in sacramento nostro corpus suum, & sanguinem verteret, & oues quas redemerat, carnis suæ alimento satiaret. Ostensa nobis est de contemptu mortis via, quam sequamur, apposta est forma, cui imprimamur. Primum nobis est, exteriora nostra misericorditer pro ouibus eius impendere. Postremum verò, si neesse sit, etiam mortem nostram pro eisdem ouibus ministrare. A primo autem hoc minimo peruenit ad postremum maius. Sed cum incomparabiliter longè sit melior anima, qua viuimus, quàm terrena substantia, quam exterius possidemus: qui non dat pro ouibus substantiam suam, quando pro his daturus est animam suam? Et sunt nonnulli, qui, dum plus terrenam substantiam, quàm oues diligunt, merito nomen pastoris perdunt, de quibus protinus subditur; *Mercenarius autem & qui non est pastor, cuius non sunt oues propria, videt lupum rementem, & dimittit oues & fugit.* Non pastor, sed mercenarius vocatur, qui non pro amore intimo oues dominicas, sed ad temporales mercedes pascit. Mercenarius quippe est, qui locum quidem pastoris tener, sed lucra animarum non quærit, terrenis commodis inhiat, honore praelationis gaudet, temporalibus lucris pascitur, impensa sibi ab hominibus reuerentia lætatur. Istæ sunt et-

enim mercedes mercenarij, vt pro eo ipso, quod in regimine laborat, hic quod quærit, inueniat, & ab hæreditate gregis in posterum alienus existat. Vtrum verò pastor sit, an mercenarius, cognosci veraciter non potest, si occasio necessitatis deest. Tranquillitatis enim tempore plerumque ad gregis custodiam, sicut verus pastor, sic & mercenarius stat: sed lupus veniens indicat, quo quisque animo super gregis custodiam stabat. Lupus etenim super oues venit, cum quilibet iniustus, & raptor fideles quosque, atque humiles opprimit. Sed is, qui pastor esse videbatur, & non erat, relinquit oues, & fugit: quia, dum sibi ab eo periculum metuit, resistere eius iniustitiæ non præsumit. Fugit autem, non murando locum, sed subtrahendo solatium. Fugit, quia iniustitiam vidit, & tacuit. Fugit, quia se sub silentio abscondit. Quibus bene per prophetam dicitur; Non ascendisti ex aduerso, neque opposuisti murum pro domo Israel, vt stareis in prælio in die Domini. Ex aduerso quippe ascendere, est quibuslibet potestatis præuic agentibus rationis libera voce contraire. Et in die Domini pro domo Israel in prælio stamus, ac murum opponimus, si fideles innocentes contra peruersorum iniustitiam ex iustitiæ autoritate vindicamus. Quod quia mercenarius non facit, cum venientem lupum viderit, fugit. Sed est alius lupus, qui sine cessatione quotidie non corpora, sed mentes dilaniat, malignus videlicet spiritus, qui caulas fidelium insidians circumit, & mortes animarum quærit, de quo lupus mox subditur; *Et lupus rapit; & dispergit oues.* Lupus venit, & mercenarius fugit: quia malignus spiritus mentes fidelium in tentatione dilaniat, & is qui locum pastoris tener, curam sollicitudinis non habet. Animæ pereunt, & ipse de terrenis commodis lætatur. Lupus rapit, & dispergit oues, cum alium ad luxuriam pertrahit, alium in auaritiam accendit, alium in superbiam erigit, alium per iracundiam diuidit, hunc inuidia stimulat, illum fallacia supplantat. Quasi ergo gregem lupus dissipat, cum fidelium populos diabolus per tentationes necat. Sed contra hæc mercenarius nullo zelo accenditur, nullo feruore dilectionis excitatur: quia, dum sola exteriora commoda requirit, interiora gregis damna negligenter patitur. Vnde & mox adiungitur; *Mercenarius autem fugit quia mercenarius est, & non pertinet ad eum de ouibus.* Sola ergo causa est, vt mercenarius fugiat, quia mercenarius est. Ac si aperte diceretur: Stare in pericula ouium non potest, qui in eo quod ouibus præest, non oues diligit, sed lucrum terrenum quærit. Dum enim honorem amplectitur, dum temporalibus commodis lætatur, opponere se cõtra periculum trepidat, ne hoc quod diligit, amittat. Sed, quia redemptor noster culpas sicuti pastoris innotuit, iterum formam cui debeamus imprimi ostendit, dicens; *Ego sum pastor bonus.* Atque subiungit; *Et cognosco meas,* hoc est, diligo: *& cognoscent me meæ.* Ac si patenter dicat: diligentes obsequuntur. Qui enim veritatem non diligit, adhuc minimè cognouit. Quia ergo audistis fratres charissimi, periculum nostrum, pensate in verbis dominicis etiam periculum vestrum. Videte, si oues eius estis, videte, si eum cognoscitis, videte, si lumen veritatis scitis. Scitis autem dico, non per fidem, sed per amorem. Scitis dico, non ex creduli

ex credulitate, sed ex operatione. Nam idem ipse qui hæc loquitur, Ioannes Euangelista testatur, dicens, Qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non custodit, mendax est. Vnde & in hoc loco protinus Dominus subdit, *Sicut nouit me pater, & ego agnosco patrem: & animam meam pono pro ouibus meis.* Ac si aperte dicat, In hoc constat, quia & cognosco patrem, & cognoscor à patre, quia animam meam, pono pro ouibus meis: id est, ea charitate, qua pro ouibus morior quantum patrem diligam, ostendo. Quia uero non solum Iudæam, sed etiam gentilitatem redimere uenerat, adiungit, dicens, *Et alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili: & illas oportet me adducere, & uocem meam audient, & fiet unum ouile, & unus pastor.* Redemptionem nostram, qui ex gentili populo uenimus, Dominus aspexerat, cum se adducere & alias oues dicebat. Hoc quotidie aspicitis, fratres, fieri, hoc reconciliatis gentibus factum hodie uidetis. Quasi ex duobus gregibus unum ouile efficit, quia Iudaicum, & gentilem populum in sua fide coniungit, Paulo attestante, qui ait, Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum. Dum enim ad æternam vitam ex utraque natione simplices eligit, ad ouile proprium oues deducit, de quibus profecto ouibus rursus ait, *Oues meæ uocem meam audiant, & ego cognosco eas, & sequuntur me, & ego uitam æternam do eis.* De quibus & paulo superius dixit, Per me si quis introierit, saluabitur: & ingreditur, & egredietur, & pascua inueniet. Ingreditur quippe ad fidem, egredietur uero à fide ad speciem, à credulitate ad contemplationem: pascua autem inueniet in æterna refectioe. Oues ergo eius pascua inueniet, quia quisquis illum corde simplici sequitur, æternæ uiriditatis pabulo nutritur. Quæ autem sunt istarum ouium pascua, nisi interna gaudia semper uirentis paradisi? Pascua nanque electorum sunt uultus præfens Dei, qui, dum sine defectu conspicitur, sine fine mens uitæ cibo satiarur. In istis pascuis de æternitatis satiæ lætati sunt, qui iam laqueos uoluptuosæ temporalitatis euaserunt. Ibi hymnicum angelorum chori, ibi societas supernorum ciuium, ibi dulcis solennitas à peregrinationis huius tristi labore redeuntium. Ibi prouidi prophetarum chori, ibi iudex Apostolorum numerus, ibi innumerabilem martyrum uictor exercitus, tanto illic lætior, quanto hic durius afflictus: ibi confessorum constantia præmij sui perceptione consolata. Ibi fideles uiri, quos à uirilitalis sue robore uoluptas seculi emollire non potuit. Ibi sanctæ mulieres, quæ cum seculo & sexum uicerunt. Ibi pueri, qui hic annos suos moribus transeuerunt. Ibi senes, quos hic & ætas debiles reddidit, & virtus operis non reliquit. Quæramus ergo, fratres, hæc pascua, in quibus cum tantorum ciuium solennitate gaudeamus. Ipsa nos lætantium festiuitas inuitet. Certè sicubi populus nundinas celebraret, si ad alicuius Ecclesiæ dedicationem deuinciata solennitate concurreret, festinaremus omnes simul inueniri, interesse unumquique fatigaret, graui se damno afflictum crederet, si solennitatem communis lætitiæ non uideret. Ecce in caelestibus electorum ciuium lætitia agitur, vicissim de se omnes in suo conuentu gratulantur: & tamen nos ab amore æternitatis repidi, nullo desiderio ardemus, interesse tantæ solennitati non querimus: priuamur gaudiis, & læti

Ecce & olim ecclesiæ uiriditas celebratur.

sumus. Accendamus ergo animum, fratres recalcet fides in id, quod credidit, inardescant ad superna nostra desideria: & sic amare, iam ire est. Ab internæ solennitatis gaudio nulla nos aduersitas reuocet: quia & si quis ad locum propositum ire desiderat, eius desiderium quælibet uia asperitas non immutat. Nulla nos prosperitas blandiens seducat, quia stultus uiator est, qui in itinere amœna prata conspiciens, obliuiscitur ire, quod tendebat. Toto ergo desiderio ad supernam patriam animus anhelet, nihil in hoc mundo appetat, quod constat, quia citius relinquit: ut, si caelestis pastoris ueraciter oues sumus, quia in uia delectatione non figimur, æternis pascuis in peruentione fatiemur, præstante Domino nostro Iesu Christo, qui uiuit, & regnat cum patre in unitate spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum, Amen.

## BEDÆ VENERABILIS

presbyteri eiusdem Euang. expositio.

Sequitur de boni pastoris perfectione sententia domini, & de mali pastoris fuga, quæ mercenarij nominat. *Ego sum, inquit, pastor bonus, &c.* Loquens dominus Iesus ouibus suis & præsentibus, & futuris, quæ tunc aderant, quia erant ibi iam oues eius, erant, quæ futuræ erant oues eius, & in præsentibus, & futuris, & illis, & nobis, & quotquot etiam post nos fuerint oues eius, quàm suas amet, ostendit. Omnes ergo audient uocem pastoris sui dicentis, *Ego sum pastor bonus.* non adderet: *bonus*, nisi essent pastores mali. Sed pastores mali ipsi sunt fures, & latrones, aut certe, ut multum, mercenarij. Omnes enim hic personas quas posuit, requirere, distinguere, nosse debemus. Aperuit enim uiam ad duas res dominus, quas quodammodo clausas posuerat. Iam scimus quia ostium ipse est: scimus quia pastor ipse est. Fures, & latrones qui sint, prior sententia patefactum est. Nunc autem audiuimus mercenarium, audiuius & lupum, nominatus est & ostiarius. In bonis ergo ostium est, ostiarius, pastor, & oues: in malis fures, & latrones, mercenarius, & lupus. Ostium dominum Iesum Christum accipimus, pastorem ipsum. Ostiarium nobis querendum reliquit. & quid ait ad ostiarium? *Hic, inquit, ostiarius aperit.* Cui aperit? pastor, quid aperit pastor? ostium, & quis est ipsum ostium? ipse etiam pastor. Diuersa sunt nomina, pastor, ostium, ouis, unum aliquid significantia. Nam ipse domini uerba paulo ante audiuimus; *Ego sum ostium, & hic modo lectum est nobis. Ego sum pastor.* qui etiam ab amico sponsi agnus nominatur, sicut in hoc præfenti Euangelio audiuimus; *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* de quo multo ante propheta prædixit; *Tanquam ouis ad occisionem ductus est.* quanuis totum corpus suum, oues illius intelligantur. Potest & ille ostiarius intelligi, quia nemo ingreditur vel egreditur, nisi eo aperiente, qui habet clauem Dauid: qui aperit, & nemo claudit: claudit, & nemo aperit. Non ergo pigeat nos secundum quandam similitudinem ipsum ostiarium accipere, quem & ostium. Quis est ostiarius, nisi qui aperit? Quis aperit, nisi qui se exponit dicente ipso; *Ego sum uia, ueritas, & uita.* Si forte tibi uoluntas est aliam querere

Ex commentu in Ioan.

Ioan. 1.

Esai. 53.

Apo. 3.

Ioan. 14.

Ioan. 16.

1. Pet. 5.

re personam ostiarij, spiritus sanctus est, de quo ipse dominus discipulis suis ait; Ipse docebit uos omnem ueritatem. Ostium quidem Christus, Christus quidem ueritas. Quis aperit ostium, nisi qui docet omnem ueritatem? Dum dominus boni pastoris opus ostendere uoluit, seipsum proposuit in exemplum dicens, Bonus pastor animam suam ponit pro ouibus suis. Fecit quod monuit, ostendit quod iussit. Animam suam posuit pro ouibus suis. Ostensa est nobis de contemptu mortis uia, quam sequamur, appositam formam, cui imprimamur. Primum nobis est, exteriora nostra misericorditer ouibus suis impendere: postremum uero, si necesse sit, etiam mortem nostram pro eisdem ouibus ministrare. Qui non dat pro ouibus substantiam suam, quando pro his daturus est animam suam? Expositiuimus, ut magis domino docente intelleximus, quis sit pastor, quis ostiarius, quis ostiarius, quæ etiam & oues: nec non qui sint fures, & latrones, cognouimus: sed modo de mercenario, & lupo consideremus, de quibus ipse dominus dixit; *Mercenarius autem, & qui non est pastor, &c.* Non pastor, sed mercenarius uocatur, quia non pro amore intimo oues dominicas, sed ad temporales mercedes pascit. Mercenarius quippe est, qui locum quidem pastoris tenet, sed lucra animarum non querit, terrenis commodis inhiat: honore prælationis gaudet: temporalibus lucris pascitur: impensa sibi ab hominibus reuerentia lætatur. Iste sunt etenim mercedes mercenarij, ut pro eo ipso, quod in regimine laborat, hoc quod querit inueniat, & ab hæreditate gregis in posterum alienus existat. Lupus enim super oues uenit, cum quilibet iniustus & raptor fideles quoque, atque humiles opprimit. Sed is, qui pastor esse uidebatur, & non erat, relinquit oues, & fugit: quia, dum sibi ab eo periculum metuit, resistere eius iniustitiæ non præsumit. Fugit autem non mutando locum, sed subtrahendo solatium. Fugit, quia iniustitiam uidit, & tacuit. Fugit, quia se sub silentio abscondit. Sed est alius lupus, qui sine cessatione quotidie non corpora, sed mentes dilaniat, malignus uidelicet spiritus, qui caulas fidelium insidians circuit, & mortes animarum querit: de quo lupo mox subditur, *Et lupo rapit, & dispergit oues.* Lupus uenit, & mercenarius fugit, quia malignus spiritus mentes fidelium in tentatione dilaniat: & is, qui locum pastoris tenet, curam sollicitudinis non habet. Animæ pereunt, & ipse de terrenis commodis lætatur. Lupus rapit, & dispergit oues, cum alium ad luxuriam pertrahit, alium in auaritiâ accendit, alium in superbiam erigit, alium per iracundiam diuidit, hunc inuidia stimulat, illum in fallacia supplantat. Quasi ergo gregem lupo dissipat, cum fidelium populum diabolus per tentationes necat. sed contra hæc mercenarius nullo zelo acceditur, nullo seruore dilectionis excitatur: quia dum sola exteriora commoda requirit, interiora gregis damna negligenter parit. vnde & mox adiungitur, *Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, &c.* Sola ergo causa est, ut mercenarius fugiat, quia mercenarius est: ac si aperte diceretur, Stare in periculo ouium non potest, qui in eo quod ouibus præest, non oues diligit, sed lucrum terrenum querit. Dum enim honorem amplectitur, dum temporalibus commodis lætatur, opponere se contra periculum trepidat, ne quod dili-

git amittat. Sed quia redemptor noster culpas facti pastoris innotuit, iterum formam, cui debeamus imprimi, ostendit, dicens, *Ego sum pastor bonus.* atque subiungit, *& cognosco meas.* hoc est diligere: & cognosco me meas. Ac si patenter dicat, diligentes obsequuntur. Vnde mox subiunxit, *Sicut nouit me pater, & ego cognosco patrem, &c.* Ac si aperte dicat, in hoc constat, quia & cognosco patrem, & cognoscor à patre, quia animam meam pono pro ouibus meis: id est, ea charitate, qua pro ouibus morior, quantum patrem diligam, ostendo. Quia uero non solum Iudæam, sed etiam gentilitatem redimere uenerat, adiungit, *Et alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, &c.* Redemptionem nostram, qui ex gentili populo uenimus, dominus aspexerat, cum se adducere & alias oues dicebat. Hoc quotidie fieri, fratres, aspicitis, hoc reconciliatis gentibus factum hodie uidetis. Quasi ex duobus gregibus unum ouile efficit, quia Iudaicum, & gentilem populum in sua fide coniungit, Paulo attestante, qui ait; Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum. Dum enim ad æternam vitam ex utraque natione simplices eligit, ad ouile proprium oues deducit, de quibus profecto ouibus rursus dicit; *Oues meæ uocem meam audiant, &c.* De quibus & paulo superius dicit; Per me si quis introierit, saluabitur, & ingreditur & egredietur, & pascua inueniet. Ingreditur quippe ad fidem, egredietur uero à fide ad speciem, à credulitate ad contemplationem. Pascua autem inueniet in æterna refectioe. Oues ergo eius pascua inueniet, quia quisquis illum corde simplici sequitur, æternæ uiriditatis pabulo nutritur. Quæ autem sunt istarum ouium pascua, nisi æterna gaudia sempiternè uirentis paradisi? Pascua nanque electorum sunt uultus præfens Dei: qui dum sine defectu conspicitur, sine fine mens uitæ cibo satiarur.

Ephes. 4.

## HAYMONIS EPISCOPI

Halberst. superioris Euang. expositio.

*Ego sum pastor bonus.* Loquens dominus ouibus suis tam præteritis, quàm & præsentibus & futuris, id est, & eis quæ iam crediderant in eum: & quæ tunc temporis credebant, & quæ postmodum credituræ erant, ait; *Ego sum pastor bonus.* Sicut dicitur dominus Iesus per similitudinem ouis & agnus, & petra & leorita dicitur per similitudinem pastor, non quod ipse oues, id est, ueraces pauerit, sicut pastores faciunt in agris: sed quod pascua uitæ æternæ præbet creditibus in se. Quæ sunt illa pascua? In subsequentiis dicendum est. Leo appellatur dominus in sacra scriptura propter fortitudinem, ut illud, *Ecce uicit leo de tribu Iuda.* Ouis dicitur, ut illud *Esaiæ*: *Tanquam ouis ad occisionem ducetur.* Agnus ut illud *Ioannis Baptistæ*: *Ecce agnus Dei.* Petra ut illud *Pauli*, *Petra autem erat Christus.* *Ego sum pastor bonus,* quasi diceret, nullus alius. Sic uidentur ista uerba domini sonare, quasi nullus sit alius bonus pastor, nisi ipse. Nunquid non boni pastores fuerunt sancti Apostoli? Dicitur est Petro à domino: *Pasce oues meas.* Et Paulus, & ceteri apostoli, Augustinus, Hieronymus, Gregorius? Fuerunt utique. Sed dominus Iesus Christus essentialiter, id est, substantialiter, naturaliter est bonus pastor: bonitatem quam habet non ab alio, sed à seipso habet.

Apo. 3.

Esai. 53.

bet. Apostoli autem, & ceteri ex accidenti dono fuerunt boni pastores: bonitatem, quam habuerunt non à seipsis, sed à Deo Iesu Christo acceperunt. Ipse est caput omnium electorum, & omnes electi sunt membra eius. Omnia autem membra corporis, à capite vegetantur. Similiter, & sancti apostoli à capite suo Iesu Christo, qui est pastor pastorum: acceperunt ut boni pastores essent. Dum dominus omnipotens opus boni pastoris innotescere voluit, semetipsum in exemplum posuit dicens, *ego sum pastor bonus*. Non diceret, *ego sum pastor bonus*, nisi & essent pastores mali: de quibus ipse alibi dicit. Super cathedram Moysi sederunt scribae, & Pharisei. Omnia quaecunque dixerint vobis, seruate, & facite, sed opera eorum nolite facere. De quibus Paulus, Sua quærentes, non quæ sunt Iesu Christi. *Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis*. Animam suam, hic debemus accipere præsentem vitam. Animam suam, id est, vitam præsentem, dedit dominus pro electis suis. Primum pastor ecclesie debet ouibus suis impendere exteriora bona, id est, victum, & vestimentum: deinde, si necesse sit, ipsam animam ponere, sicut dominus Iesus fecit. Sed cum magna distantia sit inter temporalem substantiam, qua corpus sustentatur, & animam, qua viuificatur: qui non tribuit in pace Christi ouibus temporalem substantiam, quomodo in persecutione daturus est animam suam? Nullo modo. *Mercenarius autem, & qui non est pastor, cuius non sunt oues propriae, videt lupum venientem, & dimittit oues, & fugit*. Mercenarius dicitur à mercede temporali. Habent homines in domo sua filios, habet seruos, habent mercenarios: filij seruiunt patribus amore intimo, qui credunt se in hereditate eorum successuros. Serui seruiunt eis propter timorem, quia timeant flagellari ab eis. Mercenarij seruiunt eis propter mercedem temporalem. Istos tres ordines possumus inuenire in sancta ecclesia. Sunt pastores, qui quasi filij diuino amore præsent ouibus suis dominicis, & fideliter illius ministrant bona temporalia & spiritualia, id est, doctrinam, & exemplum sanctitatis, ut hereditatem patriæ celestis consequi mereantur. Et sunt pastores, qui quasi serui ob metum gehennæ, seruiunt Deo, & prædicant suis subiectis, ut præcepta Dei obseruent, quatenus & ipsi pœnas æternas euadant: & hoc bonum est. Sunt etiam pastores qui quasi mercenarij non requirunt gaudia æterna de ouibus sibi commissis, sed potius lucra terrena. Honorati ab hominibus cupiunt, diuitias terrenas congregant, propinquos suos diuites, & honestos, & nobiles, & potentes efficiunt. Mercenarij sunt, quia pro terrenis commodis præsent hominibus seu ouibus dominicis. Sed tamen aliquando necessarii sunt, quia christiana consuecunt, spiritum sanctum tribuunt per impositionem manuum. *Mercenarius autem, & qui non est pastor, quia non pascit oues dominicas, cuius non sunt oues propriae, sed Christi, videt lupum venientem*. Dupliciter possumus hic intelligere lupum. Primum per lupum intelligitur quilibet iniustus, raptor, comes, aut vicecomes, aut vassalus dominicus: qui gregem Christi iniuste opprimit, & more luporum substantiam eius diripit. Quid facit ille, qui præest, episcopus, aut sacerdos, aut abbas, aut prælatus, aut præpositus, cum talia viderit perpeti oues suas? Fugit. Quomodo fugit, qui episcopatum suum non de-

relinquit? Fugit non mutando locum, sed subtrahendo solatium. Non dat adiutorium plebi suæ, qualiter liberetur à prædonum deuastatione. Fugit, quia sub silentio se abscondit. Fugit, quia iniustitiam vidit, & tacuit. Fugit, quia dum sibi aliquid aduersi ab eo venire metuit, resistere eius iniustitiæ non præsumit: timet illum animam contra se mouere, & aliquid periculum sibi ab eo inferri: & ideo non audet eius contradicere voluntati. Quid faciat ille raptor, cum pastor fugit? *Lupus rapit, & dispergit oues*, cum alium interficit, alium occidit, alium spoliat, alterius equum auferit, alterius uxorem polluit, alterius domum incendit, & cætera peccata, quæ diuina lex prohibet. Est alius lupus, qui sine cessatione, non corpora sed mentes dilaniat, malignus, scilicet, spiritus: qui leo appellatur, dicente Petro Apostolo: Aduersarius vester diabolus tanquam, leo rugiens circuit, quærens quem deuoret: cui resistite fortes in fide. Ille incessanter circuit congregationes monachorum, canonicorum, & sanctorum monialium, honorum coniugarum, ut aliquæ protrahat ad ruinam. Istius aduentum debet prædicare pastor ecclesie suis subditis, ut nullo modo consentiant suis malignis suggestionibus. Si hoc non fecerit, id est, si non dixerit ouibus suis, caute aduentum diaboli, ut non vos decipiat, quasi tunc fugit: quia diabolus videt super gregem suum incumbere, & non eis prædicat. Quid facit ille lupus, id est, diabolus? *rapit & dispergit oues*. Quia alium ad luxuriam pertrahit, alium ad avaritiam incendit, alium in superbiam erigit, alium in homicidium mittit, in adulterium, in falsum testimonium, in rapinam, in furtum, in inuidiam, & cætera his similia. *Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est*, id est, ouibus dominicis, non pro mercede Dei, sed pro mercede temporali præest. *Et non pertinet ad eum de ouibus*, id est, non est illi cura de ouibus: non querit lucrum animarum, nullo zelo accenditur ad liberandum gregem suum de impugnatione diaboli. Non pertinet, id est, non habet curam, & sollicitudinem de ouibus sibi commissis. Tale quid legimus de Iuda in pascione dominica, dixit autem hoc non, quia ad eum pertinebat de egenis, id est, non erat illi cura de pauperibus. *Ego sum pastor bonus*. Postquam dominus culpas huius pastoris notauit, iterum formam cui debemus imprimi ostendit, cum subdit: *Ego sum pastor bonus*. Repetitio sermonis, confirmatio est operis. Quasi diceret: Me sequimini, me sectamini, non mercenarios istius seculi, non falsos pastores. *Et cognosco meas*, id est, diligo oues, meas, *Et cognoscut me mea*, id est, obsequuntur mihi, diligentes. Cognoscere Dei eligere est. Vnde scriptum est: Nouit dominus qui sunt eius, id est, eligit. Et ipse ad Moysen: Noui te, id est, cognosco te ex nomine. Ac si diceret: Non te generaliter, ut ceteros scio: sed velut vnum specialiter eligo. *Sicut nouit me pater*, id est, diligit, & ego agnosco patrem, id est, diligo: quia vnus substantiæ est filius cum patre, & spiritu sancto, sicut ipse dicit in Euangelio: Ego, & pater vnus sumus. *Et animam meam pono pro ouibus meis*, ac si diceret: In hoc constat, quia & diligo patrem, & diligor à patre, quia pro ouibus meis pono animam meam. Dum enim pro ouibus patris morior, quantum patrem diligam ostendo. In tantum dilexit filius Dei oues suas, id est, prædestinatos ad vitam æternam, ut pro illis de-

deponeret ad tempus animam suam; id est, vitam præsentem. Dicit in hoc loco B. August. Securè pascant oues Christi, licet pastores sui eas derelinquant in necessitate, licet substantiam temporalem non illis tribuant, sed in aliorum vltus conuertant: tamen dominus Iesus Christus verus pastor diliger eas, & vitam æternam dabit eis. *Et alias oues habeo*, redemptionem nostram, qui de gentili populo venimus ad fidem, dominus aspexerat: cum se & alias oues adducere dicebat. Habuit namque ex Iudæis oues, de quibus dicit: Nō sum missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israëli. Sed plures habuit de gentibus. *Et alias oues habeo quæ non sunt ex hoc ouili*, id est, nō sunt ex genere patriarcharum, & prophetarum, nō sunt ex stirpe Abraham, Isaac, & Iacob, & illas oportet me adducere. Quomodo duxit dominus gentiles ad fidem? Per prædicationem apostolorum, quibus dominus dixit: Euntes in vniuersam mundum, prædicatē euangelium omni creaturæ. Illi autem profecti prædicauerunt, vbiq; domino cooperante, & sermonem confirmante, sequentibus signis, id est, in omnibus gentibus. Antē defecit eis terra quam lingua, id est, prædicauerunt, vbiq; domino cooperante. Vnde Deus erat cooperatores illorum. Prædicabat Paulus, Christus prædicabat per os eius. Vnde ipse dicit, An experimentū queritis eius, qui in me loquitur Christus? Prædicabat Petrus, Christus prædicabat. *Et vocem meam audient*. Quæ est vox Christi? Vox apostolorum, quia quicquid sancti apostoli loquuti sunt, dominus loquutus est per ora illorum. *Et vocem meam audient*: id est, præceptis meis obediunt: & fiet vnum ouile: id est, vna sancta ecclesia ex populo gentili, & Iudaico congregata: & vnus pastor, dominus Iesus Christus. Quare pastor? Quia pascua vitæ æternæ dabit electis suis. Ipse enim est pax nostra, qui fecit vtraque vnum, id est, & Iudaicū ex parte, & gentilem populum in sua fide coniunxit, & fecit vnam sanctam ecclesiam. De his ouibus electis dixerat dominus superius. Si quis per me intrauerit, id est, si quis in societate sanctæ ecclesie per baptismum venerit: ingredietur ad fidem, & egredietur à fide ad speciem, ut quod credit, videat, & pascua inueniet. Quæ pascua? Pascua semper virentis paradisi, quæ semper virent, & nunquam siccantur. Quæ sunt gaudia virentis paradisi? Vultus Dei omnipotentis patris, & filij & spiritus sancti. Visio sanctæ trinitatis erit æterna facietas electorum: vbi nullus esuriat, neque sitiet, ipso domino dicente: Qui credit in me, non esuriat, neque sitiet amplius.

## INCERTI SVB NOMINE

*Eusebij Episcopi Emissemi superioris  
Euangelij expositio.*

**E**GO (inquit) sum bonus pastor. Audite hoc pastores, & à me vno pastore boni pastores esse discite. Bonus enim pastor est, qui animam suam dat pro ouibus suis. Hæc est definitio boni pastoris. hoc ego feci: hoc & vos facite, si necesse fuerit. Maiorem enim dilectionem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis. *Mercenarius autem, & qui non est pastor, cuius non sunt oues propriae, videt lupum venientem, & dimittit oues, & fugit*. Bonus pastor fuit Iacob, bonus pastor

& Moyses, bonus pastor erat & David, qui pro tuendis ouibus, vris & leonibus (quauis puer esset adhuc) se obicere non timebat. Nam & leonem & vrsam ipse interfecit: sicut ad Saul loquens ipse testatur. Illi enim vrsi, & illi leones, vitia & malignos spiritus, hæreticos & schismaticos significabant, contra quos nunc ecclesie pastores pugnant & dimicant. Non erat ille mercenarius, qui dimissis ouibus fugeret, & luporum impetus formidaret. Ille igitur bonus pastor, hunc pastorem optimum significabat, qui modo in hoc euangelio loquitur, dicens, *Ego sum pastor bonus*. Vis videre etiam ipsum David boni pastoris definitionem, quæ hic describitur, adimplese? Cum enim angelus in populū decessisset, & euaginato gladio multos interfecisset, morti se ipsum obiciens clamauit, dicens, Ego sum qui peccavi, ego iniquè egisti qui oues sunt, quid fecerunt vertatur obsecro manus tua contra me, & contra domum patris mei. Dicat itaque noster David, (filius autem illius David, sed fortior quam ille David): Ego sum pastor bonus. Quod autem pastorem se dominus dicit, dignatio est, nō promotio: inclinatio est, non dignitatis alicuius aliqua sublimitatio. Sed nō dedignetur se pastorem dicere, qui pastoris officium, iniurias, & labores non est dedignatus subire. Ipse enim est, de quo propheta ait, Sicut pastor gregem suum pascet, & in brachio suo congregabit agnos, & in sinu suo leuabit, fœtas ipse portabit. Cui autem non videatur iniuriosum esse, vt agnos, & oues fœtas, & fordidas in sinum congreget, & super humeros portet? Tales tamen erant oues Christi, tales prius erant omnes Christiani, quos ipse suo sanguine lauit, & aquis baptismatis mundauit, & propriis humeris ad pascua reportauit. Sed dicat idem propheta qualis secundum diuinitatem sit, qui secundum humanitatem tantū humiliare se voluit. Quis (inquit) mensus est pugillo aquas, aut caelos palmo ponderauit? quis appendit tribus digitis molem terræ, & librauit in pondere montes, & colles in statera? Ipse (inquit) qui pastoris iniurias sustinuit, ipse est qui cœlum, & terram fabricauit: ipse est, qui pugillo metitur aquas, qui pluuia guttas, & stellarum numerum nouit, ipse est qui virtute omnipotentis trinitatis quasi trium digitorum operatione librauit in pondere montes & colles in statera. Ipse in medio firmamenti terram stabiliuit, quæ suis librata ponderibus, cum nullum habeat fundamentum, nusquam tamen cadere potest. Denique ipse est qui in pondere, & numero & mensura omnia fecisse legitur. Per certum enim pondus, & certum numerum, certamque mensuram omnia fecisse legitur. Certum enim pondus & certum numerum, certamque mensuram omnibus posuit, vltra quæ extendere se nulla valet creatura. Tot igitur erunt homines, quot ipse disposuit: eius pondus, grauitatem, & fortitudinem eius virtutis, sapientiæ, honoris, dignitatis quantitatem, & mensuram vnusquisque habebit, quam ipse ante tempora habere disposuit. Ideo enim & ventis pondus dedit legitur, quia angelicis potestatibus, & iustorum animabus, grauitatem eam, & fortitudinem tribuit, quam superbæ leuitas à proprio statu mouere non posset. Hanc autem grauitatem, & hoc pondus ille non habuit, qui superbæ leuitate eleuatus dixit, In cœlum ascendam, super astra Dei

Bibl. Hom. tom. 3. E exaltabo

exaltabo solum meum. In voluntate igitur tua, domine, universa sunt posita, & non est, qui possit tua resistere voluntati. Sequitur: *Mercenarius autem, & qui non est pastor, cuius non sunt oves propriae, videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit.* Mercenarius enim est ille episcopus, qui in pascendis & regendis ovis sola temporalia, & transitoria quaerit: qui non amore caelestis patriae, sed pro lucro, & mercede temporalium rerum, oves dominicas pascit. Et iste quidem apud Deum pastor non est, etsi ab hominibus pastor dicatur. Hic autem non habet oves proprias, sed mercede conductas. Si enim eius propriae essent, diligeret ut proprias, & se pro eis periculis obicere non dubitaret. Sed videt lupum venientem, videt diabolum, eiusque satellites imminentes (satellites namque diaboli, haeretici, & schismatici sunt, omnesque deceptores) & dimittit oves, & fugit. Dimittit utique non auxiliando, veritatem non praedico, constantiam, & patientiam non admonendo, & haeresi non resistendo. Vnde per Ezechielem a domino dicitur, Non ascendisti ex adverso, neque opposuisti murum pro domo Israel, ut staretis in praedio in die domini. Omnia enim haec verba murus quidam sunt, quibus ab haereticis oves ecclesiae defenduntur. His lupus pellitur, his vincitur & fugatur. *Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, & non pertinet ad eum de ovis.* Non enim fugeret, si mercenarius non esset: non fugeret, si pro amore & charitate, & non pro mercede serviret: perfecta enim charitas foras mittit timorem. Et ideo quidem fugit, quia non pertinet ad eum de ovis. *Ego sum pastor bonus, & cognosco meas, & cognoscent me meae.* Novit enim dominus qui sunt eius. Cognoscere autem Dei, diligere est. Vnde & quibusdam in iudicio dicturus est, Amen dico vobis, nescio vos: alioquin, qui omnia scit, quomodo ignorare aliud potest? Quod igitur ait, *Et cognosco meas, & cognoscent me meae,* tale est, ac si diceret, diligo meas, & diligo a meis. Sed quomodo cognosco? Vis audite quomodo: Sicut novit me pater, & ego agnosco patrem. Sic (inquit) cognosco, id est, diligo meas, & diligo a meis, sicut diligo patrem. Vnde & in sequentibus ait, Sicut dilexit me pater, & ego dilexi vos. Itemque, Non pro his rogo tantum, sed pro eis, qui credituri sunt per verbum illorum in me, ut omnes unum sint sicut & tu pater in me & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint. *Et animam meam pono pro ovis meis.* Nisi enim eas dilexisset, animam pro eis non posuisset. *Et alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili: & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet unum ovile & unus pastor.* Hoc est enim quod apostolus ait, Ipse est pax nostra, qui fecit utrumque unum. Iunxit enim duos parietes: unum ex circumcisione, & alterum ex praepitio venientem. Iudaeis loquebatur dominus, quibus se Gentiles iungere promittebat, ut ex duobus populis una domus edificaretur, & una ecclesia consterneretur. Facta est igitur pax inter Iudaeos & Gentiles: unum est ovile, unus est pastor, unam legem tenent, unum Deum adorant, & unius pastoris vocem sequuntur. Hos autem duos ovium greges, hos duos ecclesiae parietes, Moyses quoque significavit, qui ex decem cortinis (iubente domino) tabernaculum fieri praecipit. Erant autem quinque cortinae in pariete uno, ansulis hiacyinthinis sibi mutuo coniun-

Intellige, quod Deus non sit gratus, ne in se vincat, ut impingatur, qui ob quodlibet peccatum mittit auctoritatem affirmat.

ctae. Erant autem & aliae quinque in pariete altero, simili modo sibi mutuo confortes. Quinque vero & quinque, id est, duo parietes aurei circularis sibi invicem iungebantur: ex quibus videlicet duobus parietibus unum tabernaculum constrebat. Omnes autem cortinae opere plumario contextae erant, pulchraeque varietate distinctae. Haec autem quid significant, in Exodo exposuimus.

THEOPHYLACTI EPISCOPI Bulgar. superioris Euang. expositio.

**E**go sum pastor ille bonus, &c. Insuper & de passione dixerit, ac inquit, *Animam meam pono pro ovis:* Declarans, quod non inuoluntarius sed voluntarius ad passionem accedat. Pono enim significat nemo rapit ex me eam, sed ego eam depono. Notat autem & saepe commemoratos seductores. Illi (inquit) non posuerunt animam pro ovis, sed reliquerunt eos, qui ipsos sequuti sunt, mercenarii enim fuerunt. Ipse autem dominus est diverso, quem comprehensus est, inquit, Si igitur me queritis, Sinite hos abire, ut impleatur iermo, quod nullus ex ipsis perierit, idque sic argentibus Iudaeis, ut nulli lupi in oves magis saeviant. Nam cum gladiis, inquit, & lignis venerunt comprehendere illum. Potes & hic intelligere per lupum spirituales inimicum, quem & leonem scriptura nominat, & scorpionem & serpentem: qui rapere quidem oves dicitur, quando per mala opera quaedam deorat: dispergere autem, quando per malas cogitationes confundit animam: qui & fur merito dicitur, furans per malas cogitationes, macians per consensum, perdens per opus. Confertur enim malitiae cogitatio furto, consensus autem in malam concupiscentiam diabolicae maciationi, opus autem malum perditioni. Et hoc est forte, quod *fur non venit, nisi ut furetur, & mactet, ac perdat.* Dominus enim contraria, quam fur ille, facit: dat divinam vitam sanctificans nos, & cogitatione & per aduentum bonorum desideriorum, & corpora per bona opera, & quidem etiam abundantius dat, ut etiam alijs prodesse possimus docendi gratia, profectus & regno caelorum ut abundantiori quadam remuneratione nos praemiat. Sic igitur est pastor bonus, sed non mercenarius, ut Iudaeorum principes, negligentes scilicet populum, & ad solam mercedem recipiendam spectantes. non enim quaerebant utilitatem ex Aegypto, sed turpe lucrum. *Et cognosco oves meas, &c.* Etiam hoc loco agnosces differentiam pastoris, & mercenarii. Nam mercenarius quidem nescit oves, quod contingit, quia non saepe illas inuisit: nam, si saepe inuiseret, cognosceret illas. At pastor qualis dominus, cognosceat suas oves quia cura illarum agit: & rursus cognoscitur ab illis, quos visitatione dignatur, propter consuetudinem agnoscentiam suam curatorem. Vide autem, quod primus ille nos cognoscit, deinde nos illum. Neque aliter potest cognosci Deus, nisi cogniti fuerimus ab illo. Etenim primum ipse familiaris factus est nobis, carne factus homo: deinde nos illi familiares facti sumus per deificationem, recepta gratia. Volens autem ostendere, quod increduli indigni sint, qui cognoscantur a Deo, quia re vera

Deus nos prius venit, non nos eum.

1. Timoth. 2.

Solof. 3.

2. Tim. 1.8.

1. Pet. 5. Psal. 90. Genes. 5.

Mat. 3.4.

re vera oves non sunt, dixit, & cognosco meas oves, & cognoscor ab eis: iuxta id, Cognovit dominus eos qui sunt eius. Porro, ne quis putet, quod sicut homo cognoscat, subdit dicens; *Sicut cognoscebat me pater, & ego cognosco patrem,* quasi diceret, ita evidenter illum scio, sicut ipse me. Saepem autem ponit, *Animam meam pono pro ovis.* Declarans quod non sit impostor. Dicere enim; Lux sum, & vita, apud insipientes inflationis esse videbatur. Dicere autem; Mori volo, nullam invidiam habet, sed magnam potius curam indicat, quam exhibere volebat lapidantibus. Caeterum, quum dicit, *Et alias oves habeo,* de gentibus dicit. *Non sunt ex hoc ovili.* quod sub lege: neque enim gentes lege concluduntur. *Et illas quoque oportet me congregare.* Disperse sunt enim & haec, & illae non habentes pastorem. Nam & qui inter Iudaeos melius sapiebant, & ad credendum propensiores erant, pastore carebant: & multo magis Gentiles. Oportet igitur & illas, quae ex Gentibus, congregare. Verbum autem, *oportet,* hoc loco non est necessitatis, sed plane eventus significativum. *Et erit unum ovile, & unus pastor.* In Christo enim Iesu non est Graecus, neque Iudaeus, neque vlla differentia. Unus enim character omnibus, unum sigillum baptismatis, unus pastor, verbum Dei, & Deus. Confundantur Manichaei, qui vetus testamentum abiiciunt. Audiant, quod & unum ovile, & unus pastor.

EVTHYMII ZIGABONI superioris Euang. expositio.

**E**go sum pastor bonus. Verus. Superius namque ostium appellavit seipsum propter causam ibi dictam: hic autem pastorem, tanquam ea, quae pastoris sunt, praestantem, quae praetermittentes pastores Iudaeorum reprehenduntur per prophetam Ezechiel: de quibus paulo post dicemus: Praeter ea etiam tanquam sermonibus artus pascendi, ad supernam congregans mansionem. In aliis quoque locis ovis vocatur Agnus, ac Victimam, & Pontifex, aliisque mille nominibus, iuxta varios dispensandi modos. *Pastor bonus animam suam ponit pro ovis.* Rursum ea ponit, quae tum pastorem, tum mercenarium designent. *Mercenarius autem & qui non est pastor, &c.* Interpretatur quis dicatur Mercenarius, is videlicet, cuius non sunt oves propriae. Lupus vero anagogice is est, qui perdit, & qui de malo gloriatur, ac diabolus, qui etiam Leo dicitur, Draco, Serpens, Scorpium, Aspex, ac Basiliscus, multisque alijs nominibus, iuxta illius varias malitiae versutias. *Mercenarius vero fugit, quia mercenarius est, &c.* Nam ubique propriam quaerit salutem, aliorum negligens: qui autem vere pastor est, contrarium

facit, propriam negligens, ovium quaerit salutem. Duos itaque posuit corruptores, seu vultures: eum videlicet, qui venit, ut furetur, & mactet, ac perdat: alterum vero, qui videt lupum venientem, & deserit oves, ac fugit. Per primum quidem Theudam, ac Iudam insinuans: per secundum autem Iudaeorum magistros, eorum curam non habentes, qui sibi concrediti erant, imo gregem potius prodentes. Quod etiam illis exprobratur, ut dictum est, per prophetam Ezechiel dicentem, O pastores Israel, num pastores seipos pascit? nonne oves ipsas pascit? pastores? Deinde opera quoque pastoris recitet, quae praetermittenda: quia neque errantem ovem reducebant, neque perditam requirebant, neque contritam alligabant, neque debilem curabant: quia seipos, non oves pascabant. De vtriusque ergo quae dixit, seipsum in exemplum constituit. De primis quidem in eo quod se ait venisse, ut vitam habeant, & abundantius habeant: de secundis vero in eo quod animam suam ponat pro ovis. Siquidem, ex hoc quod animam suam ponat pro ovis, confirmat etiam, quod venerit, ut vitam habeant, & abundantius habeant. Dicit enim & Paulus; Si quum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filii eius, multo magis reconciliati salvi erimus. Et rursus; Qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis tradidit illum, quomodo non cum illo omnia nobis donabit? *Ego sum pastor bonus.* Et quomodo non dixerunt illi quod & prius, Tu de teipso testimonium perhibes? Quia tunc responsum acceperant, quae ipsorum ora etiam deinceps obturaret. *Et cognosco meas.* Per praescientiam tanquam Deus. Ait enim Moses; Noverit dominus, qui sint eius. Et Paulus; Non repulit dominus populum suum, quem praesciuit. *Et cognoscor a meis.* Per veram cognitionem tanquam ab intelligentibus. Nam eum cognoverunt a testimonio Ioannis, ab operibus ipsius, & a testimonio patris, de quibus supra praedictum est. Ostendens autem cognitionem suam ab illorum cognitione longe differentem, suam aequavit cognitioni patris, dicens; *Sicut cognoscebat me pater, & ego cognosco patrem.* Cognitionem dicit eam, quae secundum naturam est, de qua etiam apud Mattheum dicit; Nemo cognoscebat filium nisi pater, neque patrem quisquam cognoscebat nisi filius. *Et animam meam pono pro ovis.* Animam meam pono, relinquo, morior pro ovis, ut pote pro meis: seductor vero nequaquam mori eligit pro iis, qui a se seducuntur. *Et alias oves habeo quae non sunt ex hoc ovili.* Ovili Moisaicae legis: dicit autem de gentibus. *Illas quoque oportet me adducere.* Congregare sub meam pascendi doctrinam. *Et vocem meam audient.* Obedient, parebunt. *Et fiet unus grex.* Ex Iudaeis & Gentibus congregatus. *Unus pastor.* Horum & illorum, Christus.

Roma. 5. Roma. 8.

2. Tim. 2. Roma. 11.

Supra. 5.

Matth. 11.





# DOMINICA III. POST PASCHA.

P A S C H A.

I O A N. 16.



**L** Nillo tempore dixit Iesus discipulis suis, <sup>a</sup> Modicum, & iam nō videbitis me: & iterum modicum, & videbitis me: quia vado ad patrem.

<sup>b</sup> Quia obscure dixit.

<sup>b</sup> Dixerunt ergo ex discipulis eius adinuicem: Quid est hoc quod dicit nobis: Modicum & nō videbitis me, & iterum modicum & videbitis me: & quia vado ad patrem? Dicebant ergo: Quid est hoc quod nobis

<sup>c</sup> In hoc ostendit se Deum, cum sine verbis eorum intellexit dubitationem.

dicit, modicum? Nescimus quid loquitur. <sup>c</sup> Cognouit autem Iesus, qui volebant eum interrogare, & dixit eis: De hoc quæritis inter vos, quia dixi: Modicum, & non videbitis me: & iterum modicum, & videbitis me. <sup>d</sup> Amen amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit. Vos autem

<sup>d</sup> Exponit quod dixerat, scilicet se moriturum & resuscitandum.

contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in <sup>e</sup> gaudium. Mulier cum parit tristitiam habet, quia venit <sup>f</sup> hora eius. Cum autem peperit <sup>g</sup> puerum, iam non

<sup>e</sup> In resurrectione & ascensione.

meminit pressuræ propter gaudium: quia natus est homo in <sup>h</sup> mundum. <sup>i</sup> Et vos igitur nunc quidem tristitiam habetis. <sup>k</sup> Iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & <sup>l</sup> gaudium vestrum nemo tollet à vobis.

<sup>f</sup> Patiendi vel parurien di.

<sup>g</sup> Non feminam, sed masculum, quia ad fructum eternæ contemplationis cunctæ actiones referuntur, non ad molliem huius seculi.

<sup>h</sup> Id est, in vitam eternam.

<sup>i</sup> Ad prætium iudicium.

<sup>k</sup> Post tristitiam videtur impugnatore remunerabo.

<sup>l</sup> Quia gaudium ipsorum Christus est, qui iam non moritur.

## GLOSSA ORDINARIA

in superius Euangelium.



**M** O D I C U M: Dixerat supra sine modicum, ad patrem vado: & iam nō videbitis me. vbi visus est aperte loqui, nec quidquam quesierunt. Nunc autem determinans quando iturus sit, id est, paulo post, & quomodo, scilicet per passionem: dicit, modicum, quod antequā impleteretur penitus fuit obscurum. Modicum, Id est, paruum tempus restat vsque ad hoc quoddam patiari, & claudari sepulchro, & iterum paruum tempus vsquequo me videatis resuscitatum. Vel paruum tempus est, id est, triduum, quo clausus non videbo. Et iterum paruum, id est, quadraginta dies, quo resuscitatus videbor. Quia vado. Hoc est, quia tempus est vt deposita mortalitate humanam naturam cælis inferam. Vel spiritualiter illis quibus loquebatur dicit: Modicum & non. Et ad hoc refertur: Quia vado, &c. nō ad illud: Iterum modicum, &c. quod vniuersæ promittit ecclesiæ. Dicit ergo modicum: non quia mortuus ab eis non erat videndus donec surgeret: sed quia eundo ad patrem, facturus erat, vt non eum vltius mortalem viderent: quod fecit postquam surrexit & ascendit in cælum. Omnibus autem communiter dicit: Iterum modicum & non: id est, totum tempus vsque ad finem seculi: Et videbitis me: æterna visione: Quia

plora. Me occiso, de quo inimici gaudebunt. Similiter plorant omnes boni in ærumnis huius seculi: sed mudi amatores gaudent. Boni autem comparantur patienti, quæ genuit in partu, sed lætatur de fructu: & plus gaudet de aduentu futuræ prolis, quam tristis est de præsentis dolore.

## CATENA AVREA

in idem Euang.

**C** H R Y S O S T. Postquam dominus discipulos reuelauit per ea, quæ de spiritu sancto promissit, rursus eorum oppressit sensum dicens. Modicum & iam non videbitis me. Hoc autem facit vt affuefaciat eos per tristitiam auditionem, bene ferre suam separationem: eam enim quæ dolet animam & à tristitia multa detinetur, nihil ita consuevit quietare: vt quæ tristitiam parient verba reuoluta continue. Beda. Dicit enim Modicum & iam non videbitis me, quia tentus est nocte illa à Iudæis, & in mane crucifixus est, sepultus ab humanis est seclusus obtutibus. Chrysof. Si vero quis diligenter scrutabitur hoc consolationis est dicere Quoniam ad patrem vado. Hoc enim est ostendere quod non perierit, sed mors eius translatio sit: & aliam consolationem eis imposuit cum adiecit. Et iterum modicum & videbitis me: ostendens quoniam & redibit & in paucis erit separatio, & continua quæ cum eis coexistentia. Aug. Hæc

Hæc autem verba domini obscura erant discipulis antequam id quod dicit esset impletum. vnde sequitur: Dixerunt ergo ex discipulis eius adinuicem, quid est hoc quod dicit nobis, Modicum & non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me, quia vado ad patrem. Chrysof. Hoc autem non intelligebant, aut propter tristitiam quæ amouebat à mente eorum ea quæ dicebantur, aut propter immanifestationem eorum quæ dicebantur, idcirco videbatur eis duo contraria ponere non existentia contraria. Si enim videbimus te aiunt, quomodo vadis, si verò vadis, qualiter te videbimus? propterea dicunt. Quid est hoc quod dicit nobis Modicum, nescimus quid loquitur. Aug. Nā in præcedentibus quia non dixerat Modicum, sed dixerat. Ad patrem vado, aperte illis visus est loqui. Nunc ergo quod illis tunc obscurum fuit & mox manifestum est, iam nobis vtique manifestum est. Post paululū enim passus est, & nō viderunt eum: rursus post paululū resurrexit & viderunt eum. dicit autē. Et iam non videbitis me, quia scilicet mortalem Christum vltius non viderent. Alcu. Vel aliter: Modicum tempus est futurum quo non videbitis me, id est illud triduum quo in sepulchro quieuit: & iterum est modicum futurum tempus quo videbitis me, id est illi xl. dies: in quibus eis sapius post passionem suam vsque ad tempus ascensionis suæ apparuit, & ideo illo modico tempore videbitis me. Quia vado ad patrem, quia non semper in terra corporaliter sum mansurus sed per humanitatem quam assumpsit ascensus in cælum. Sequitur: Cognouit autem Iesus quia volebant eum interrogare & dixit eis. De hoc quæritis inter vos, quia dixi vobis Modicum & non videbitis me. Amen amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos. Ignorantiam ipsorum pius magister intelligens secum dum illorum dubitationem respondit, quasi expositurus quid esset quod dixit. Aug. Quod si accipi potest, quia contristati sunt discipuli de morte domini: & confestim de resurrectione lætati. Mundus autem quo nomine significati sunt inimici à quibus Christus occisus est, tunc itaque lætati sunt occiso Christo: quando sunt discipuli contristati. vnde sequitur, Mundus autem gaudebit, vos autem contristabimini: sed tristitia vestra vertetur in gaudium. Alcu. Sed & cunctis fidelibus conuenit hic sermo domini, qui per lacrymas pressuræque præsentis, ad gaudia æterna contendunt. Flentibus autem iustis mundus gaudet, quia in præsentem delectentur, alterius vitæ nulla gaudia sperantes. Chrysof. Deinde ostendens quoniam tristitia parit gaudium, & quoniam tristitia breuis. Lætitia vero infinita est: ad exemplum venit mundanum dicens. Mulier cum parit tristitiam habet, quia venit hora eius. Cum autē peperit puerum, iam nō meminit pressuræ propter gaudium: quia natus est homo in mundum. Aug. Ista similitudo ad intelligendum non videtur esse difficilis: quoniam comparatio eius in promptu est eodem ipso exponente cur dicta sit. Nam sequitur. Et vos igitur nunc quidem tristitiam habetis. Iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum. Parturitio quippe tristitiæ: partus autem gaudio comparatur, quod tunc magis esse consuevit quando non puella, sed puer nascitur. Quod vero subdit. Et gaudium vestrum nemo tollet à vobis, quia gaudium ipsorum ipse Iesus est, significat quod ait apostolus. Christus resurgens ex mortuis iam non

moritur. Chrysof. Significat etiam prædicto exemplo quoniam soluit ipse mortis pressuras & nouum hominem regenerans esse fecit, & non dixit quoniam non erit ei tribulatio: sed neque meminit eius, tantum est quod succedit gaudium, ita erit & sanctis. Et non dixit. Quoniam natus est puer, sed, quoniam homo: occulte suam resurrectionem insinuans. Aug. Vel de futuris visione & gaudio quæ superius dicta sunt melius existimo intelligi. Modicum & iam non vide me. Modicum enim est hoc totum spacium, quo præsens peruolat seculum. ideo nanque addidit. Quia vado ad patrem. Quod ad superiorē sententiam referendum est, vbi ait. Modicum & iam non videbitis me. Non ad posteriorem, vbi ait. Modicum & videbitis me. Eundo quippe ad patrem facturus erat vt eum viderent. illis ergo ait, Modicum & iam non videbitis me. Qui enim tūc corporaliter videbant, quia iturus erat ad patrem & eum deinceps mortales visuri non erant: qualem cum ista loquebatur videbant. quod vero addidit. Et iterum modicum & videbitis me: vniuersæ promittit ecclesiæ. Hoc autem modicum longum nobis videtur, quoniam adhuc agitur. Cum finitum fuerit: tunc sentiemus quā modicum fuerit. Alcu. Mulier autem sancta ecclesia est, propter fecunditatem bonorum operum, & quia spirituales Deo filios generat. Hæc mulier dum parit, id est dum in mundo virtutum profectibus insitit, dum vndique tentatur & affligitur, tristitiam habet de hoc, quia venit hora eius vt patiar, quia nemo carne suam odio habuit. Aug. Nec tamen in huius gaudij parturitione sine gaudio tristes sumus. sed sicut apostolus ait: Spe gaudentes, quia & ipsa mulier parturiens cui comparati sumus, plus gaudet de mox futura prole quā tristis est de præsentis dolore. Alcu. Sed cum peperit, id est cum deuictis laborum certamine ad palmam peruenerit, iam non meminit pressuræ præcedentis propter gaudium perceptæ retributionis, quia natus est homo in mundum. Sicut enim mulier nato in hoc mundo homine lætatur: ita ecclesia nato in vitam eternam fidelium populo exultatione repletur. Beda. Nec nouum debet videri si natus dicatur qui ex hac vita migrauerit. Sicut enim consuevit nasci dicitur, cum quis de vtero matris procedens in hanc lucem ingreditur, ita potest natus appellari qui solutus à vinculis carnis ad lucem æternam sublimatur. vnde sanctorum solennia, non funebria, sed natalitia vocantur. Alcu. Quod autem dicit Iterum videbo vos, id est, assumam vos ad me ipsum. Vel iterum videbo vos, id est iterum videndus apparebo: & gaudebit cor vestrum. Aug. Hic enim rotius laboris sui fructum ecclesia nūc parturit desiderando, tunc est paritura carnendo. Et ideo masculum quoniam ad istum fructum contemplationis cuncta officia referuntur actionis, solus enim liber est qui propter se appetitur, non refertur ad aliud, huic seruit actio. Ad hoc enim refertur quicquid bene agitur: ibi est finis qui sufficit nobis, æternus igitur erit. Neque enim finis nobis sufficit, nisi cuius nullus est finis. De hoc igitur quod sufficit nobis, restitit me audiuimus: Gaudium vestrum nemo tollet à vobis.

S. IO. CHRYSOSTOMI  
Episcopi Constantin. in superius  
Euangel. Homil.

Ex Homil.  
78. in Io.

**M**odicum, & non videbitis me, &c. Dolentem, & tristitia affectum animū, nihil adeo deicere solet, quam anxii sermones eum frequenter angentes. Quid ergo Christus cum dixerit; Vado & iam non loquar vobiscum: eadem repetit; Modicum, & iam non videbitis me, & vado ad eum qui me misit. Cum eos ad se per spiritus sancti sermonem rediisset, tunc iterum eos percussit, ne efferentur. Cur hoc facit? eorum animum experitur, & probatione reddit, & vt in calamitatibus æquo animo discessum suū & generosè perferant assuefacit. Qui enim audiendo id animo volutabant, rem ipsam postmodum facile laturos credibile erat. Quod si quis diligentius inuestigaret, hoc ipsum consolatio est, quod dicit ad patrem ire. Erat enim argumentum quod non periret, sed mors eius translatio esset ad patrem, & aliā intulit consolationem: non enim tantum dicit; Modicum, & non videbitis me, sed prosecutus est; Modicum & videbitis me: se rediturum, & post breuē separationē perpetuū futurum significans: quod non intellexerunt. Vnde & non immerito quispiam admirari posset, quomodo sæpenumero idem audientes, adhuc perinde ac si nihil audissent, dubitant. Quare ergo nō intellexerunt? Aut propter tristitiam, vt arbitror: ipsa enim in omnium quæ audierant obliuionem adduxerat: vel propter verborū obscuritatem, vt contraria locutum arbitratetur. Si videbimus te, inquiunt, quomodo vadis? si vadis, quomodo videbimus? Ideo dixerunt, se quid loqueretur, ignorare. Quod enim abiturus esset, propterea eos arguit, quod non intelligerent. Nā, cum vellet de morte doctrinā eis persuaadere, inquit; Amen amen dico vobis, quia plorabit is, & flebitis vos. Quod mortem, & crucē significabat. Mundus autem gaudebit. Quum enim quia cupiebant, facile ad credendum adducerentur, quod non moretur, tamen audientes, quod moeretur, quid sibi vellet: Modicum illud, dubitauerunt, inquit; Plorabit is, & flebitis, sed tristitia vestra conuertetur in gaudium. Et vt ostenderet post tristitiam gaudium secuturum, naturale adducit exemplum. Mulier cum parit, & tristitiam habet. Qua parabola in calamitatibus propheta vsi sunt: quasi dicat; Dolores capietis sed quales partus, qui lætitiæ causa sunt. Simul & resurrectionem confirmat, indicans abitū suum perinde esse, ac si ex vtero matris in lucem prodeat: quasi dicat, Nolite admirari, si per hanc tristitiam ad optima vos ducam: nam & mater in pariendo sic per tristitiam trāsit. Significat autem hic & mysteriam quoddam, quod mortis dolores soluerit, & nouam hominem regenerari fecerit. Neque dixit tantam tristitiam transituram, sed, magnitudine lætitiæ succedente, nihil eius penitus remansurum: ita erit sanctis. Atqui non propterea gaudet mulier, quia venit homo in mundum, sed quod filium peperit. Nam, si id esset, nihil prohiberet, quin quæ nō pariant, aliis parientibus, gauderent. Qua ergo gratia sic inquit; Quia ad hoc solam adduxit exemplum: vt breuem tristitiam perpetuum gaudium secuturum: & se ad vitam trāsferrī, & magnū malorum lucrū ostend-

deret. Et non dixit, Peperit filium: sed, Quia venit homo in mundum. Vbi suam significat resurrectionem, & non morti illi, sed regno parturiendum. Ideo non dixit, quia natus est filius, sed homo. Et vos nūc quidem tristitiam habebitis: iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum. Inde quod non amplius morietur, inquit, Et gaudium vestrum nemo tollet à vobis.

S. AVGVST. EPISCOPI  
Hipponensis in superius  
Euang. Homil.

**H**ec domini verba vbi ait, Modicum & iam non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me, quia vado ad patrem: ita obscura erāt discipulis antequam id quod dicit, impletum esset, vt querentes inter se quid esset quod diceret, omnino se faterentur nescire. Sequitur enim Euangelium: Dixerunt ergo ex discipulis eius adiuuicem, Quid est hoc quod dicit nobis, Modicum & non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me, quia vado ad patrem? Dicebat ergo: quid est hoc quod dicit modicum? Nescimus quid loquitur. Hoc enim est quod eos mouebat, quia dixit, modicum & nō videbitis me, & iterum modicum & videbitis me. Nam in præcedentibus quia non dixerat, modicum, sed dixerat, ad patrem vado, & iā non videbitis me: tanquā aperte illis visus est loquutus, nec inter se de hoc aliquid quæsierūt: nūc ergo quod illis tūc obscurū fuit, & mox manifestū est, iā nobis vtrique manifestatū est: post paululum enim passus est, & non viderunt eū, rursus post paululum resurrexit, & viderūt eum: illud autem quod ait, iam non videbitis me, quia isto verbo, id est, iam intelligi voluit, quod cum vltimus non viderit, ibi exposuimus quomodo accipiendum sit, vbi dixit: De iustitia arguet mundum spiritus sanctus, quia ad patrem vado, & iam non videbitis me, quia scilicet mortalem Christum vltimus nō viderūt. Cognouit autem Iesus, sicut in sequenti Euangelista dicit, quia volebat eum interrogare, & dixit eis: de hoc quæritis inter vos, quia dixi modicum & non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me. Amen amen dico vobis, quia plorabit is & flebitis vos, mundus autem gaudebit, vos autem contristabimini: sed tristitia vestra vertetur in gaudium. Et hoc sic accipi potest, quia contristati sunt discipuli de morte domini, & confestim de resurrectione lætati: mundus autē, quo nomine significati sunt inimici, à quibus Christus occisus est, tunc vtrique lætati sunt, occiso Christo, quando sunt discipuli contristati: mundi quippe nomine malitia potest mūdi huius intelligi, id est, hominum mundi huius amicorum, vnde Iacobus Apostolus in Epistola sua dicit: Quicumque voluerit amicus esse huius seculi, inimicus Dei constituitur: quibus inimicitias Dei factum est, vt nec eius vnigenito parceretur: deinde subiungit, & dicit: Mulier, cum parit, & tristitiam habet, quia venit hora eius, cum autem peperit puerum, &c. Nec ista similitudo ad intelligendum viderit esse difficilis, quoniam comparatio eius in promptu est, eodem ipso exponete cur dicta sit. Parturicio quippe tristitiæ; partus autem gaudii comparatur, quod tunc maius esse consuevit, quando non puella, sed puer nascitur: quod vero ait, gaudium vestrum nemo tollet à vobis: quia gaudii ipsorum ipse Iesus significatus est, quod & ait Aposto-

Tract. 101.  
in Ioan.

Supra tract.  
95.

Iacob. 4.

\* alias parti.

Roma. 6.

lus: Christus resurgens à mortuis, iam non moritur, & mors ei vltra non dominabitur. Hucusque in isto Euangelij capitulo vnde hodie disputauimus, velut facilia intellectu omnia cucurrerunt, acrior necessarius est in his, quæ sequuntur intentio: quid est enim quod ait, Et in illo die menon videbitis quicquam? Hoc verbum quod est rogare nō solum petere, verum etiā interrogare significat: & Græcū Euangelij, vnde hoc translātū est, tale habet verbū quod vtrunq; possit intelligi, vt hæc ambiguitas nec inde soluat, quanquā etsi solueretur, non ideo nulla quæstio remaneret. Dominum etenim Christum postquam resurrexit, & interrogatum legimus, & rogatum: nam interrogatus est à discipulis ascensurus in cælum, quando præsentaretur, & quādo regnum esset Israel: cum vero iam esset in cælo, rogatus est à sancto Stephano, vt spiritum eius acciperet: & quis audeat vel cogitare, vel dicere, in cælo sedentem Christum rogandum non esse, & in terra manentem rogatum fuisse: rogādum non esse immortalem, rogari debuisse mortalem: Immo, charissimi, rogemus eum, vt nodū quæstionis huius ipse dissoluat, iucendo in cordibus nostris ad videnda quæ dicit: puto enim quod ait: Iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis: non ad illud tempus esse referendam quo resurrexit, eisque suam carnem cernendam, tangendamque monstrauit, sed potius ad illud iam vnde dixerat: Qui diligit me, diligetur à patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo me ipsum illi: iam quippe resurrexerat, iam se illis in carne monstrauerat. Iam sedebat ad dexteram patris, quādo dicebat idem ipse Apostolus Ioannes, cuius est hoc Euangelium, in Epistola sua: Dilectissimi, nunc filij Dei sumus, & nondum manifestum est quid erimus: scimus, quia, cum manifestum fuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eū, sicuti est. Ista visio non vitæ huius est, sed futuræ, non temporalis, sed æternæ. Hæc est autem vita æterna, dicente ipsa vita, vt cognoscant te, inquit, vnum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. De hac visione, & cognitione dicit Apostolus: Videmus nunc per speculum in enigmate, tunc autem facie ad faciem: nunc scio ex parte, tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum: nunc totius laboris sui fructum Ecclesia parturit gemendo, tunc paritura lætando: nunc parturit desiderando, tunc paritura cernedo: nunc parturit orando, tunc paritura laudādo, & ideo masculinum, quoniam ad istum fructum contemplationis cuncta officia referuntur actionis: solus est enim liber, quoniam propter se appetitur, & non referatur ad aliud; huic seruit actio: ad huc enim referatur quicquid bene agitur, quia propter hunc agitur, ipse autem non propter aliud, sed propter se metipsum tenetur & habetur. Ibi enim finis qui sufficit nobis, æternus igitur erit, neque enim nobis sufficit finis, nisi cuius nullus est finis. Hoc inspiratum erat Philippo, quando dicebat: Domine ostēde nobis patrem, & sufficit nobis. In qua ostensione se promisit & filius dicens: non credis quia ego in patre, & pater in me est? De hoc itaq; quod sufficit nobis, rectissime audimus, gaudium vestrum nemo tollet à vobis: de his etiam, quæ superius dicta sunt, melius exilimo intelligi. Modicum & iam non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me. Modicum est enim hoc totum spatium, quod præsens

peruolat seculum: vnde dicit idem ipse Euangelista in Epistola sua, nouissima hora est: ideo nanque addidit, quia vado ad patrem: quod ad priorem sententiam referendum est, vbi ait, modicum & iam non videbitis me: non ad posteriorem vbi ait, & iterum modicum & videbitis me. Eundem quippe ad patrem, facturus erat vt eum non viderent: ac per hoc non ideo dictum est, quia fuerat moriturus, & donec resurgeret, ab eorum conspectibus recessurus, sed quod esset iturus ad patrem: quod fecit posteaquam resurrexit, & cum eis per quadraginta dies conuersatus ascendit in cælum: illis ergo ait: Modicum & iam non videbitis me, qui eum corporaliter tunc videbant, quando iturus erat ad patrem, & cum deinceps mortalem visuri non erant, qualem cum ista loqueretur videbant: quod vero addidit, & iterum modicum & videbitis me, vniuersa promisit. Ecclesiæ, sicut vniuersa promisit, \* Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi. Non tardat dominus promissum, modicum & videbitis eum, vbi iam nihil rogemus, nihil interrogemus, quia nihil desiderandum remanebit: nihil querendum latebit. Hoc modicum longum nobis videtur, quoniam adhuc agitur, cum finitum fuerit, tunc sentiemus quam modicum fuerit: non ergo sit gaudium nostrum quale habet mundus, de quo dictum est, mundus autem gaudebit: nec tamen in huius desiderij parturitione sine gaudio tristes simus, sed sicut ait Apostolus, Spe gaudentes, in tribulatione patientes: quia & ipsa parturiens cui comparati sumus, plus gaudet de mox futura prole, quam tristis est de præsentis labore. Sed huius sermonis iste sit finis: habent enim quæstionem molestissimam, quæ sequuntur, nec breuitate coartanda sunt, vt possint commodius, si dominus voluerit, explicari.

1. Ioan. 2.

Acto. 7.

\* al. ad Rom. Ies. Math. 28.

Rom. 12.

S. CYRIL. EPISCOPI  
Alexandr. superioris Euang.  
expositio.

**M**odicum, & iam non videbitis me, &c. Cum per spiritum suum, quæ opus erant, reuelaturum se dixerit; passionis suæ occultis mentionem fecit. Post enim illam in cælum ascendens spiritum immisit. non enim conuersari eum apostolis carne poterat, eum ad patrem ascendere. Enigmatica vero vitur oratione, ne discipulorum matorem augeat, multa propter eius absentiam, & grauissima pericula timentium. Quamobrem etiam aptissime resurrectionis consolationem adiecit dicens; Modicum, & iam non videbitis me; & iterum modicum & videbitis me. Mors enim in ianuis iam erat, propter quam discipuli videre ipsum non poterant: quousque, inferis spoliatis, & umbrarum portis portractis, templum suum suscitasset. Tunc enim rursus ad discipulos rediit, & esse cum eis semper pollicitus est. Nam, et si abest corpore, patri pro nobis apparet, ac à dextris eius sedens, habitat tamen in sanctis per spiritum: neque patitur (vt dixit) illos orphanos esse. Parno igitur admodum iam interiecto: ad passionem tempore, Modicum, inquit, & non videbitis me; debebat enim morte paramper occultari: & rursus modicum & videbitis me; triuus enim reuixit: cum etiam spiritibus prædicasset. Sic enim plena misericordia ostenditur; si non solum viuus

1. Ioan. 15.

in hoc mundo, verum etiam morte oppressis, & in tenebrosis recessibus abyssi sedentibus dimissionem prædicauerit. Animaduertendum autem est: quia de passione, modicum, & non videbitis me, dixit: & de resurrectione rursus; & iterum modicum & videbitis me. Cum vero, quia vado ad patrem, subiecerit, tacuit, quod sequebatur: non enim quanto tempore ibi manebit, aut quando rursus descendet, significauit. Quamobrem? non est nostrum, cognoscere tempora, vel momenta, quæ pater (vt ipse alibi dixit) in sua posuit potestate. Dixerunt ergo ex discipulis eius, &c. Non intelligentes discipuli inter se colloquuntur, quid illud modicum sit, dubitantes: præuenit tamen Christus interrogationem eorum opportunissime, ostendens corda se hominum vt Deum cognoscere. Quid enim latere potest eum, cui omnia nuda sunt? qui ad quendam sanctorum dicit: Quis est iste, qui me consilium celat? cunque verba in corde contineat, celare me arbitratur, ita vndique ad fidem eos corroborat. Cognouit autem Iesus, &c.

Act. 1.

Job. 42.

Matth. 27.

Rom. 6.

Curiosius quærere volentibus præueniens, exposuit verborum suorum sensum, quæque illis imminébant, vt præmeditatione molliora fierent, apertius dixit. Quando ergo dixit, vos à Iudæis me captum, cæsum, & crucifixum videbitis, tunc plorabit, flebitisque amare; mundus autem, id est, mundi voluptatibus inhiantes gaudebunt. Sgnificat autem hic sordidam Iudæorum multitudinem, & scribarum, pharisæorumque impias catervas: qui aduersus caput suum crucifixum deridentes, modo dicebant; si filius Dei es, descende de cruce nunc: & credemus: modo, qui destruis templum Dei, & in tribus diebus restituis, salua te ipsum. Sic ergo mundo faciente, atque dicente, inquit; magna vos mæstitia exagitabimini, sed non longo hic mæror tempore perdurabit: ad gaudium enim conuertetur tristitia vestra. Nam, cum triduum resurrexero, omnem vestram abstergam lachrymam, & ad gaudium sempiternum reducam: viuut enim semper Christus, & mors per eum destructa est; contraria vero mundus omnia patietur, perpetuos cruciatus subiturus. Nam, sicut Christo secundum carnem mortuo, mærore sancti, mundus autem lætitia est affectus: sic consequenter, destructa morte, suscitatoque saluatore, mæror sanctorum in gaudium, & lætitia mundi in tristitiam conuertetur. Mulier, cum parit, tristitiam habet, &c. Consolationis vim varia oratione ante oculos ponit, perspicuaque similitudine ad ferendos illos hortatur dolores: quorum exitus ingens, & perpetuum erit gaudium. Fructus igitur acerbæ, inquit, amaræque pressuræ, puer est, sed, si dolorem partus mulier fugerit, ac ideo nuptias recusaret, nunquam eo animum gaudium afficeretur, quod procreatione oritur filiorum. Similiter, ait, vobis quoque accidet: gaudebitis enim, cum mirabilem mundo, atque incorruptibile natum conspexeritis puerum: & hoc gaudium nullus vnquam à vobis auferet, Semel enim mortuus (vt ait Paulus) non amplius moritur. Stabile igitur, & perpetuum gaudium est: nec id iniuria, Nam, si Christi mors mæstitiam credentibus attulit, quis gaudium tollet nostrum, cum sciamus viuere illum semper, & spiritalia nobis bona largiri? Sed à sanctis quidem gaudium auferri non potest: ablatum autem ab his statim post resurrectionem fuit:

qui crucifixerunt eum. Nam, qui morte illius gaudebant, illis necessario per resurrectionem mæror inferitur.

BEDÆ VENERABILIS

presbyteri eiusdem Euang. expositio.

Modicum, & iam non videbitis me, &c. Hæc ita obscura erant discipulis, antequam id quod dicit, esset impletum, vt quærentes inter se quid esset quod diceret, omnino se nescire faterentur: sequitur enim euangelium, Dixerunt ergo ex discipulis eius ad dominum, &c. Hoc enim est quod eos mouebat, quia dixit, modicum, & non videbitis me. Nam in præcedentibus quia non dixerat modicum, sed dixerat, ad patrem vado, & iam non videbitis me: tanquam aperte illis visus est locutus, nec inter se de hoc aliquid quæsierunt. Nunc ergo quod illis tunc obscurum fuit, & mox manifestatum est, iam nobis vtique manifestum est: post paululum enim passus est, & non viderunt eum. Rursus post paululum resurrexit, & viderunt eum. Illud autem quod ait; iam non videbitis me, quia isto verbo, id est, iam, hoc intelligi voluit, quod eum ulterius non viderent, ibi exposuimus quomodo accipiendum sit, vbi dixit; De iustitia arguet mundum Spiritus sanctus, quia ad patrem vado, & iam non videbitis me: quia scilicet mortalem Christum ulterius non viderent. Cognouit autem Iesus, sicut sequens euangelista dicit, quia volebant eum interrogare, &c. Et hoc sic accipi potest, quia contristati sunt discipuli domini de morte domini, & confestim de resurrectione lætati sunt. Mundus autem, quo nomine significati sunt inimici, à quibus Christus occisus est, tunc vtique lætati sunt occiso Christo, quando sunt discipuli contristati. Mundi quippe nomine militia potest mundi huius intelligi, id est hominū mundi huius amicorum. Vnde Iacobus Apostolus in Epistola sua dicit: Quicunque voluerit amicus esse seculi huius, inimicus Dei constituetur. Quibus inimicus Dei factum est vt nec eius vnigenito parceretur. Deinde subiungit & dicit; Mulier cum parit, tristitiam habet, &c. Nec ista similitudo ad intelligendum videtur esse difficilis, quoniam comparatio eius in promptu est, eodem ipso exponente cur dicta sit. Parturitio quippe tristitiæ, partus autem gaudio comparatur: quod tunc maius esse consuevit, quando non puella, sed puer nascitur. Quod vero ait; Gaudium vestrum nemo auferet à vobis: quia gaudium ipsorum est ipse Iesus, significatum est quod ait Apostolus, Christus surgens à mortuis, iam non moritur, mors ei vltra non dominabitur. Hucusque in isto euangelij capitulo, vnde hodie disputamus, velut facili intellectu omnia cucurrerunt. Ac rior necessaria est in his, quæ sequuntur, intentio. Quid est enim quod ait; Et in illo die me non rogabitis quicquam? Hoc verbum quod est rogare, non solum petere, verum etiam interrogare significat: & Græcum Euangelium vnde hoc translatum est, tale habet verbum, quo vtunque possit intelligi; vt hæc ambiguitas nec inde soluat: quanquam & si solueretur, non ideo nulla quæstio remaneret. Dominum enim Christum, posteaquam resurrexit, & interrogatum legimus, & rogatum. Nam interrogatus est à discipulis ascensus in cælum, quando

Ex comm. in Ioan.

Job. 4.

Rom. 6.

Act. 1.

Act. 7.

1. Ioan. 3.

1. Cor. 13.

1. Ioan. 1.

quando præsentaretur, & quando regnum esset Israel. Cum vero esset in cælo, rogatus est à sancto Stephano, vt spiritum eius acciperet. Et quis audeat vel cogitare vel dicere in cælo sedentem Christum rogandum non esse, & in terra manentem rogandum fuisse? Rogandum non esse immortalem, rogari debuisse mortalem? Immo, charissimi, rogemus eum, vt nodum quæstionis huius ipse dissoluat, lucendo in cordibus nostris ad videnda quæ dicit. Puto enim quod ait; Iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis, non ad illud tempus esse referendum quo resurrexit, eisque suam carnem cernendam tangendamque monstrauit, sed potius ad illud vnde iam dixerat; Qui diligit me, diligetur à parte meo, & ego diligam eum, & manifestabo meipsum illi. Iam quippe resurrexerat, iam se illis in carne monstrauerat, iam sedebat ad dexteram patris, quando dicebat idem ipse Apostolus Ioannes, cuius & hoc euangelij est, in epistola sua, dicens; Nunc filij Dei sumus, & nondum manifestatum est, quod erimus: scimus quia cum manifestatum fuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Ista visio, non vitæ huius est, sed futuræ: non temporalis, sed æternæ. Hæc est vita æterna, dicente ipsa vita, vt cognoscant te, inquit, vnum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. De hac visione, & cognitione dicit Apostolus, Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc scio ex parte, tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum. Hunc totius laboris sui fructum ecclesia hunc parturit desiderando, tunc est paritura cernendo. Parturit gemendo, paritura lætando. Parturit orando, paritura laudando: & ideo masculum, quoniam ad istum fructum contemplationis cuncta officia referuntur actionis. Solus enim est liber, quia propter se appetitur: non refertur ad aliud: huic seruit actio. Ad hunc enim refertur quicquid bene agitur, quia propter hunc agit. Ipse autem non propter aliud, sed propter seipsum tenetur & habetur. Ibi ergo finis, qui sufficit nobis: æternus igitur erit. Neque enim nobis sufficit finis, nisi cuius nullus est finis. Hoc inspiratum erat Philippo quando dixit; Domine, ostende nobis patrem, & sufficit nobis. In qua ostensione promittit & filius, dicens; Non credis quia ego in patre, & pater in me est? De hoc itaque quæ superius dicta sunt, melius existimo intelligi; Modicum, & iam non videbitis me: & iterum modicum & videbitis me. Modicum est enim hoc totum spatium, quo præsens peruolat seculum. Vnde dicit ipse Euangelista in epistola sua; Nouissima hora est. Ideo namque addidit, quia vado ad patrem: quod ad priorem sententiam referendum est, vbi ait; Modicum, & iam non videbitis me: & iterum modicum, & videbitis me. Eundo quippe ad patrem, facturus erat vt non eum viderent. Ac per hoc non ideo dictum est, quia fuerat moriturus, & donec resurgeret, ab eorum aspectibus recessurus, sed quod esset iturus ad patrem; quod fecit posteaquam resurrexit, & cum eis per xl. dies conuersatus, ascendit in cælum. Illis ergo ait; Modicum, & iam non videbitis me, qui eum corporaliter tunc videbant, quia iturus erat ad patrem, & eum deinceps mortalem visuri non erant, qualem cum ista loqueretur videbant. Quod vero addidit; Et iterum modicum, & videbitis me: vni-

uersæ promittit Ecclesiæ, sicut vniuersæ promittit: Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi. Non tardat dominus promissum: modicum, & videbitis eum: vbi iam nihil rogemus, nihil interrogemus, quia nihil interrogandum remanebit, nihil quærédum latebit. Hoc modicum, longum nobis videtur, quoniam adhuc agitur: cum finitum fuerit, tunc sentiemus quam modicum fuerit. Non ergo sit gaudium nostrum, quale habet mundus, de quo dictum est; Mundus autem gaudebit. Nec tamen in huius desiderij parturitione sine gaudio tristes simus, sed, sicut ait Apostolus, spe gaudentes, in tribulatione patientes: quia & ipsa parturiens, cui comparari sumus plus gaudet de mox futura prole, quam tristes est de presenti dolore.

Matth. 18.

Rom. 12.

Matth. 16. Marc. 14. Luca 12. Ioan. 18. Act. 1.

EIVSDEM IN IDEM

Homilia.

Æta domini & saluatoris nostri promissa, fratres charissimi, læto cordis audita percipere debemus, sed ulaque intentione persistere, quatenus ad hæc peringere mereamur. Quid est enim quod merito lætius audiatur, quæ perueniri posse ad gaudium quod nunquam possit auferri? Notandum autem quod tota lectionis huius euangelicæ series illis conuenit, qui eam præsentem audierunt à domino: pars autem illius etiam nobis, qui post passionem & resurrectionem dominicam ad fidem venimus, aptissime congruit. Quod ergo ait, Modicum & iam non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me, quia vado ad patrem. Ad illos specialiter pertinet, qui eius discipulatu prædicantis in carne adherere, & post tristitiam passionis visa resurrectione & ascensione eius lætificari meruerunt. Nam quia hæc illa qua tradebatur nocte locutus est, modicum erat, id est, eiusdem noctis & diei sequentis tempus, vsque ad horam qua illum non videre inciperent. Tentus enim nocte illa à Iudæis, & in crastinum crucifixus cū sero factum esset repositus est de cruce, & intra septa sepulchri ab humanis seclusus obrutibus. Et iterum modicum erat, vsque dum illum viderent; resurrexit enim à mortuis die tertia, & apparuit eis in multis argumentis per dies quadraginta. Quare autem modicum esset vt non viderent eum, & iterum modicum vt viderent annectit causam, dicens; Quia vado ad patrem. Ac si aperte dicat: Ideo post modicum à vestris aspectibus in monumento claustris abscondor, & iterum post modicum destructo mortis imperio vobis intuentus appareo, quia tempus est vt expleta dispensatione assumptæ mortalitatis cum resurrectionis triumpho, iam reuertar ad patrem. Potest & aliter intelligi quod ait, Modicum & iam non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me. Modicum quippe tempus futurum erat quo eum non viderent, illud scilicet triduum, quo erat quierurus in monumento. Et iterum modicum erat futurum quo viderent eum, illi videlicet dies quadraginta, in quibus eis post passionem suam læpius vsque ad tempus ascensionis apparuit. Quod autem subiunxit, Quia vado ad patrem, iuxta huc sensum, ad illud specialiter respicit quod præmisit; Et iterum modicum & videbitis me. Ac si aperte diceret: Propterea me resuscitatū à mortuis modico

dico tempore videbitis, quia non semper in terra corporaliter mansurus, sed per humanitatem quam assumpsi, iam sum ascensus in cœlum. Hæc quidem verba domini ut diximus, illis specialiter qui eius resurrectionem videre potuerunt conveniunt. Quod vero illis quærentibus exponendo subiungit, *Amen amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit. Vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium.* & ipsorum, & totius ecclesiæ statui congruit. Plorabant quippe & flebant amatores Christi cum illum comprehendere ab hostibus, ligari, ad concilium duci, damnari, flagellari, derisui haberi, ad ultimum crucifigi, lanceari, & sepeliri viderent. Gaudebant mundi amatores, quos ob iniustas cogitationes mundum vocat dominus, cum morte turpissima condemnarent illum, qui gravis erat eis etiam ad videndum. Contristabantur discipuli posito in morte domino, sed agnita eius resurrectione, tristitia illorum versa est in gaudium, visa ascensionis potentia, iam maiori gaudio sublevari laudabant & benedicebant dominum, ut Lucas evangelista testatur. Sed & cunctis fidelibus hic sermo domini convenit, qui per lachrymas pressurasque præsentis ad gaudia æterna pervenire contendunt. Qui merito in præsentibus plorant, flent, & tristes sunt, quia nec dum valent videre quem diligunt. Quia quoad sunt in corpore, peregrinari se à sua patria & regno cognoscunt, quia per labores & certamina ad coronam sibi perveniendum esse non dubitant. Quorum tristitia vertetur in gaudium, cum finito agone vitæ huius bravium vitæ perennis accipiunt, de quo dicitur in psalmo: *Qui seminant in lachrymis, in gaudio metent. Flentibus autem & contristatis fidelibus, mundus gaudet, quia iure in præsentibus quaecunque gaudium habent, qui alterius vitæ, vel nulla esse gaudia sperant, vel se ad hæc pertingere posse desperant. Quod tamen potest intelligi, quia cruciatis occisisque martyribus, ad tempus se prævaluisse gaudebant. Sed non post multum illis in occulto coronatis, ipsi pœnas perfidie suæ simul & homicidij subibant æternas. Quibus divina increpatione recte dicitur per prophetam: Ecce servi mei lætabuntur, vos autem confundemini. Ecce servi mei exultabunt in læticia, vos autem clamabitis præ dolore cordis vestri, & præ contritione spiritus ululabitis. Sequitur: *Mulier cum parit, tristitiam habet, quia venit hora eius.* Mulierem dicit sanctam ecclesiam, videlicet propter fecunditatem bonorum operum, & quia spiritalis Deo filios gignere nunquam desinit. De qua & alibi dicitur: Simile est regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ sata tria, donec fermentaretur totum. Mulier quippe fermentum accepit, cum ecclesia vim supernæ dilectionis & fidei domino largiente consecuta est. Abscondit hoc in farinæ sata tria, donec fermentaretur totum, cum Asia, Europa, & Africa partibus verbum vitæ ministravit, donec omnes terrarum termini regni cœlestis amore flagrarent. Ad huius aulicis membra se pertinere signabat, qui recedentibus quibusdam à castitate fidei, tristis aiebat: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Ad huius se membra pertinere testantur, qui cœlestibus desideriis ac-*

Sapient. 2.  
Luc. 24.  
Sapient. 2.  
Luc. 24.  
2. Cor. 5.  
Psalm. 125.  
Epsia. 65.  
Matth. 13.  
Luc. 13.  
Galat. 4.

centi, in conditoris sui laude proclamabant. A timore tuo domine concepimus & parturivimus, & peperimus spiritum. Hæc mulier cum parit, tristitiam habet, quia venit hora eius. Cum autem pepererit puerum, iam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum. Quia nimirum sancta ecclesia quamdiu in mundo spiritualium virtutum profectibus inquit, nunquam mundi tentationibus exerceri desistit: at cum devicto laborum certamine ad palmam pervenerit, iam non meminit pressuræ præcedentis propter gaudium perceptæ retributionis. Non sunt enim condignæ passionis huius temporis ad superententiam gloriam, quæ reuelabitur in nobis. *Non meminit, inquit, pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum.* Sicut enim mulier nato in hunc mundum homine lætatur, ita ecclesia nato in vitam futuram fidelium populo, digna exultatione repletur, pro qua eius nativitate multum laborans & gemens, in præsentibus quasi parturiens dolet. Nec novum debet cuiquam videri si natus dicatur, qui ex hac vita migraverit. Quomodo enim consuevit nasci dicitur, cum quis de vtero matris procedens hanc lucem egreditur, ita etiam rectissime potest natus appellari, qui solutus à vinculis carnis ad lucem sublimatur æternam. Unde mos obtinuit ecclesiasticus, ut dies beatorum martyrum siue confessorum Christi, quibus de seculo transferunt, natales vocemus, eorumque solennia non funebria, sed natalitia dicantur. Sequitur, Dominus exponens ipse paradigma quod de muliere proposuit. *Et vos igitur nunc quidem tristitiam habetis, iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* Quod de ipsis quidem discipulis facile intelligitur, quia tristitiam habuerunt passo ac sepulto domino: sed peracta resurrectionis gloria, gaudii sunt viso domino. Et gaudium eorum nemo tollit ab eis, quia & si postmodum persecutiones pro Christi nomine ac tormenta passi sunt, libenter quæque adversa ferebant: imò omne gaudium existimabant cum in tentationes varias inciderent, Denique cæsi à principibus sacerdotum, ut scriptum est, ibant gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati. Gaudium eorum nemo tollit ab eis, quia talia patiendi pro Christo meruerunt regnare sine fine cum Christo. Sed & omnis ecclesia per huius vitæ labores & angustias, ad æterna cœlestium tendit præmia gaudiorum, attestante Apostolo: quia per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. Quod autem ait, *Iterum videbo vos, & gaudebit cor vestrum.* Videbo vos dixit, eripiam vos ab adversariis, coronabo vos victores, me vos decertantes semper vidisse probabo. Quando enim non videret suos maxime pressuris circumventos, cum quibus se ipse omnibus diebus seculi manere promissit: Sed morientibus inter tormenta fidelibus, arbitrabantur eos tortores diuino carere præsidio, dicentes: Vbi est Deus eorum? Vnde quidam ex his circumseptus ærumnis aiebat: *Vide domine afflictionem meam, quoniam erectus est inimicus.* Quod est aperte dicere: Quoniam inimicus insequens cervicem superbæ contra tuos humiles atollit, tuo nos auxilio conditor omnipotens subleua, te victis ac repulsis

2. Cor. 11.  
Rom. 11.  
Matth. 5.  
Iacob. 1.  
Act. 5.  
Act. 14.  
Matth. 28.  
Psalm. 78.  
Thre. 1.

repulsis hostibus nostros semper agones vidisse, tibi hos placuisse eomproba. Vider itaque electos post tristitiam dominus, cum eorum patientiam damnato impugnatore remunerat. Potest & ita intelligi quod ait, iterum autem videbo vos, quasi diceret: iterum vobis videntibus appareo, quomodo dixit Abraham: nunc cognovi, quod timeas dominum, pro eo ut diceret: nunc cognoscere homines feci, quod timeas Deum, qui hætenus nesciebant, quod apud me semper habui certum. Si ergo, charissimi, salubri tristitia nunc afficimur, si iuxta hortationem Apostoli spe gaudentes, in tribulatione existimus patientes, si nostra errata, si miseria proximorum debita lamentatione deflemus, videbit nos iterum dominus, id est, videndum se nobis ostendat in futuro, qui quondam nos videre, fidei suæ nobis agnitionem largiendo dignatus est. Videbit ut coronet, qui quondam vidit ut vocaret. Videbit & gaudebit cor nostrum & gaudium nostrum nemo tollet à nobis; quia hæc est vera & unica merces eorum, qui secundum Deum contristantur de perpetua eius visione gaudere. Quam profecto mercedem promissit ipse sublimiter cum ait: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Quam desiderabat ardentem Propheeta cum dicebat: sitiit anima mea ad Deum vivum quando veniam & apparebo ante faciem Dei: quam se Apostolus cum suis similibus, accepturum esse gratulatur, qui certaminum suorum conscius, confidenter protestatur dicens: videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem: quæ nos quoque & fideliter quæret, & veraciter apprehendere debemus donec ipse certantium auxiliator, & vincetium remunerator videatur, Iesus Christus Dominus noster, qui vivit & regnat cum patre in unitate spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum, Amen.

HAYMONIS EPISCOPI  
Hilberst. superioris Euang. expositio.

**M**odicum & iam non videbitis me. Sciens redemptor discipulorum animos perturbandos ex sua passione, & morte: læpissimè antè quàm patereret, prædixit eis & passionis suæ pœnam, & resurrectionis suæ gloriam: ut, cum viderent eum pati, sicut prædixerat, resurrectionem etiam non dubitarent, sicut promiserat. Quia facilius, & levius tolerari possunt ea adversa, que antè præsciuntur, quàm ea, quæ subito, & insperate eveniant. *Modicum, & iam non videbitis me.* Hæc verba specialiter ad apostolos pertinent, qui ea ex ore domini audierunt, & postmodum impleta viderunt. Modicum fuit illud tempus, quo dominus iacuit sepulchro, quando non viderunt eum sancti Apostoli. Sexta feria fuit crucifixus hora sexta, & hora nona emisit spiritum, ad æsperscente die positus est in sepulchro, & iacuit ibi illa nocte, & sequenti die, & iterum sequenti nocte: die dominica diluculo resurrexit à mortuis. Vnde Psalm. dicit ex persona filij: Exurgam diluculo. Quare dixit, & iam non videbitis me: quasi iam ultra non essent visuri: cum iam post resurrectionem manducaverunt & biberunt eum eo, quod Petrus Apostolus dicit: Nos, qui manducavimus, & bibimus cum illo, post quàm resur-

rexit à mortuis: ita soluitur hæc quæstio. *Modicum, & iam non videbitis me,* hoc est, non iam videbitis me mortalem, corruptibilem, sicuti hætenus soluti estis videre: sed immortalem, incorruptibilem, & impassibilem. *Et iterum modicum, & videbitis me.* Per primum modicum sicut diximus, intelligitur ille vnus dies, & duæ noctes, quibus dominus quieuit in sepulchro. Per secundum modicum possumus intelligere quadraginta dies, quibus dominus in multis argumentis se visibilem discipulis exhibuit, manducans, & bibens cum illis, intrans, & eiciens. *Et iterum modicum & videbitis me.* Quare? *Quia vado ad patrem.* Ac si diceret: Tempus est, ut expleta passione, sepultura, resurrectione à mortuis, cum triumpho, hoc est, cum victoria mortis, reuertar ad patrem, qui me incarnari constituit. *Dixerunt ergo discipuli ad invicem: Quid est hoc, quod dicit nobis: Modicum, & non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me, quia vado ad patrem?* Quare non intelligebant discipuli verba de sua passione, & morte? Quia intantum credebant eum esse verum Deum, ut non putarent omnino, quod potuisset mori. Sciebant namque eum reuerturum ad patrem, qui cum misit, sed ita quod posset mori, qui Deus erat, minime credebant. Et ideo quoadocunque loquebatur illis de sua passione & morte; parabant enim parabolicè loqui: & aliud intelligendum esse in verbis illius, quam sonabant. Sed quod istis præ amotis magnitudine abscondebatur, Iudæi præ nimietate invidiæ facile ad vnum verbum notum fiebat. *Dicebant ergo: Quid est hoc, quod dicit nobis, modicum? Nihil est aliud quam repetitio sermonis.* Hanc consuetudinem habet Ioan. Evangelista, ut nihil breuiter dicat. *Cognovit ergo Iesus, quod volebant eum interrogare.* Quia Deus est, cogitationes hominum videbat, hoc Deo proprium est, ut cogitationes hominum contempletur. *De hoc quæritis inter vos,* id est, de hoc habetis altercationem, *quia dixi modicum, & iam non videbitis me? Ego ostendam vobis.* Amen amen dico vobis, id est, verum verum dico vobis. *Quia plorabitis, & flebitis vos, mundus autem gaudebit.* Plorabant, & flebant amatores Christi, scilicet sancti Apostoli, & ceteri credentes, cum viderent Dominum Iesum Christum ab hostibus comprehendi, ligari velut latronem & ad concilium duci ad domum Annæ, & Cayphæ, flagellari, conspui, spineam coronam super caput eius imponi, derisui haberi, damnari, moti, ac sepeliri. Contra gaudebant mundi amatores, & ridebant, scilicet Scribæ, & Pharisei, quando Dominum flagellabant, deridebant, occidebant, quia gravis eis etiam ad videndum erat. Sed quid factum est? Tristitia Apostolorum versa est in gaudium, & læpita Phariseorum versa est in tristitiam. *Mundus autem gaudebit.* Tripliciter accipitur mundus in sacra scriptura. Dicitur mundus vniversitas, quæ constat ex cælo, & terra. Et accipitur in bonam partem, ut ibi: Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, id est, electos. Et alibi: Intantum dilexit Deus mundum, id est, electos, ut filium suum unigenitum daret pro mundo. Mundus etiam accipitur in malam partem, ut hic: *Mundus autem gaudebit,* id est, mundi amatores. Et idem Ioannes evangelista in principio libri sui. Et mundus enim non cognovit, id est, mundi amatores Iudæi, quos

1. Cor. 16.  
1. Cor. 5.  
Ioan. 1.



ipse in plebem peculiarem sibi elegit. *Vos autem contristabimini*, scilicet de morte mea. *Sed tristitia vestra vertetur in gaudium*. Completum est hoc post resurrectionem, sicut ideo Ioan. euangelista dicit. Gausi sunt discipuli, viso Domino. Manducantes cum illo post resurrectionem lætati sunt. Videntes eum ascendere in cælum lætati sunt, iuxta quod Lucas dicit: *Quia regressi in Hierusalem à morte Oliæti, vnde Dominus ascēderat in cælum, erant quotidie laudantes, & benedicentes Dominum Deum. Quantum namque fuerunt discipuli tristiati de domini passione, tantum fuerunt lætati visa eius resurrectione. Et quantum fuerunt scribæ, & pharisæi lætati, gloriosi, & gausi de eius morte, tantum sunt tristes effecti, audita eius resurrectione. Vnde & magnam pecuniam dederunt militibus annunciantibus resurrectionem Domini, precantes, ne alicui denuntiarent, quod resurrexisset à mortuis. Congruit & hoc totius sanctæ ecclesiæ statui. Plorant namque electi peccata sua præterita, vt veniam à domino consequi mereantur. Descent etiam peccata aliorum per compassionem, sicut flebat beatus Paulus, Corinthios, qui post fornicationem, & immunditiam non egerunt penitentiam. Vel ideo plorant, & flent, quia differunt à regno, non statim ascendunt ad patriam cœlestem, vbi volunt, dicentes cum Psalmista. Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est, id est, prolongatio mea. Similiter & reprobi, quos ob infirmas terenasque cogitationes & ob infima desideria dominus mundum appellat, tripliciter lætantur in præsentī seculo. Gaudent in argento, in auro, in vestibus, in gemmis preciosis, in pulchritudine vxorum, in multitudine filiorum, in obsequiis subditorum. Gaudent etiam, quia vel non putant aliam vitam, nisi istam miseram, & caducam, qua vntur in præsentī: vel quia desperant, se pettingere posse ad eam. Vel ideo gaudent, quia desperant, se pettingere posse ad eam. Sed tristitia electorum, quam habet in hoc seculo, vertetur in æternæ beatitudinis lætitiā, cum ab hac miserrima vita mortem carnis fuerint abstracti, & in cœlesti sede collocati. Lætitia verò impiorum vertetur in tristitiā, cum ab hoc seculo migrauerint, & in pœnis perpetuis positi fuerint. *Mulier cum parit, tristitiā habet*. Aliud est parere, aliud est parturire. Parere est, quando mulier foetum, quem habet in vtero, emittit ex vulua sua. Parturire est parire velle, & non posse, quando scilicet mulier periclitatur ob difficultatem partus, sicut periclitata est Rachel. Parturio dicimus, parere volo: sicut lectorio legere volo, esturio edere volo. *Mulier cum parit*, id est, parere vult, & non potest, *tristitiā habet, quia venit hora eius*, id est, passionis eius. *Cum autem peperit puerum, iam non meminit pressuræ propter gaudium*, id est, non recordatur tribulationis, quam perpessa est in natiuitate pueri. *Quare? Quia natus est homo inmundum*. Et hoc secundum literam. Secundum spirituales intelligentiam, mulierem appellat dominus sanctam ecclesiam propter fecunditatem bonorum operum. Bona opera dicuntur filij. Vel quia spirituales domini filios gignere non desinit baptizando, docendo, confirmando, ad vitam æternam trahendo, verbo, & exemplo. Hæc mulier, id est, hæc sancta ecclesia tristatur modò in electis, dolet, & affligitur, vt per lachrymas, &*

per præsentē labores ad gaudia æterna valeat peruenire. *Quum autem peperit puerum*, id est, cum sancta ecclesia iustum, & fortem populum miserit ad patriam cœlestem per mortem carnis. *Iam non meminit pressuræ, præcedentis, propter gaudium*, perceptæ retributionis, *quia natus est homo in mundum*: quia non sunt condignæ passionis huius temporis, ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Sicut consueo more nasci dicitur, qui quis egreditur de vtero matris ad hanc lucem visibilem: sic non inconuenienter nasci dicitur, quisquis de hac tenebrosa, & criminosa vita per mortem corporis ad vitam sublimatur æternam. Vnde mos inoleuit in sancta ecclesia, vt dies, quibus sancti Dei exierunt à præsentī seculo, non dies mortis, sed dies natiuitatis appellentur. Natalis sancti Petri, natalis sancti Pauli, non vocatur mortale, sed natale. Et dignum est, quia tunc mortui sunt mundo, & nati sunt in cœlo. *Vos igitur nunc tristitiā habetis*. Ad quod pertineat præmissa parabola, dominus manifestat, quum subiungit: *Et vos (inquit) tristitiā habetis*. Hæc verba loquutus est Dominus ea nocte, qua traditus est à discipulo. Tristes erant sancti apostoli, quia iam imminabat Domini traditio, & passio. Iam dixerat illis, vnus vestrum me traditurus est, & qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet, ideo tristes erant. Et vos nunc in præsentia tristitiā habetis, quia dixi vobis quia tradendus sum, & moriturus. *Iterum autem videbo vos*: post resurrectionem. *Et gaudebit cor vestrum*: de mea resurrectione. *Et gaudium vestrum nemo tollet à vobis*. Gaudium quod sancti apostoli habuerunt de dominica resurrectione, ascensione, aduentu spiritus sancti, nemo tulit ab eis: non quilibet persecutor, non diabolus, non Nero. Neronem dico pro omnibus persecutoribus. Petrus negauit dominum ante passionem ad vocem vnus ancillæ, post resurrectionem confortatus à domino imperator totius mundi Nero non potuit eum cōpellere, vt Deum negaret. Licet enim flagellati fuissent, vt in actibus apostolorum legimus, quādo ibant gaudentes à conspectu concilij, licet crucifixi fuissent vt Petrus, decollati vt Paulus, vstulati vt Laurentianus, tamen in spe resurrectionis, & in spe gaudij sempiterni, semper mente quiescebant. Hoc quantum ad apostolos pertinet. Cæterum verò possumus hæc verba ad electos referre. Tristantur modò electi, & affliguntur à malis hominibus & à malignis spiritibus, à stimulis propriæ carnis, ab incommoditatibus terrenis. *Quare tristantur electi? Quia non sunt adhuc vniti capiti suo domino Iesu Christo. Quum illi fuerint iuncti in cœlesti gloria, eorum mœror vertetur in gaudium & lætitiā sempiternam. Iterum autem videbo vos*. Videt dominus modò electos in præsentī seculo laborantes, & protegit, ne forte superentur ab hostibus. Iterum autem videbit eos, id est, videndus eis apparebit, quum abstraxerit eos à laboribus præsentis vitæ, & collocauerit eos in cœlesti sede. *Et gaudium vestrum nemo tollet vobis*. Quod erit gaudium in regno cœlorum? Quod nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se. B. August. dicit: *Quod gaudium sanctorum Christus est, ipse est vita æterna, quia dixit ad patrem: Hæc est autem vita æterna, vt credant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Vt te*

Deum

Deum patrem, & me filium, quem misisti, cum sancto spiritu credant vnum Deum verum esse. Viso sanctæ trinitatis patris, & filij, & spiritus sancti, erit lætitiā sanctorum. Cum viderint dominum Iesum Christum regnantem cum patre, & spiritu sancto in claritate deitatis suæ, maius gaudium quam illud habere non poterunt. *Et gaudium vestrum nemo tollet à vobis*. Nullus scilicet aduersarius, non Nero, non diabolus, non erit ibi scisso mentium, sed pura concordia sanctorum, non aduersitas corporis, non debilitas mentis, cuncta mala deerunt, & omnia bona aderunt. Ad quæ nos indiuidua trinitas peruenire faciat, cui est honor, & gloria in secula seculorum, Amen.

## EVSEBII EPISCOPI

*Emisseni superioris Euang.  
expositio.*

Modico enim tempore in sepulchro dominus iacuit, quo eum discipuli videre non potuerunt. Et iterum modico tempore post resurrectionem eum viderunt: quia (vt Lucas ait) per dies quadraginta apparuit eis, loquens de regno Dei. Et hoc est quod ait, *Modicum, & iam non videbitis me: & iterum modicum, & videbitis me*. Sed quare modicum? *Quia ad patrem vado*. Si enim ad patrem non iuisset, non modico, sed multo tempore eum vidissent. Hoc autem discipuli non intelligentes, dicebant, *Quid est hoc quod dicit nobis modicum, & non videbitis me, & iterum modicum, & videbitis me, &c.* Sciebant enim discipuli quod ad patrem dominus iret, quia iam multoties hoc eis nunciauerat. Vnde & modò superius ait, *Vado ad eum, qui misit me, & nemo ex vobis interrogat me, quo vadis? Et ideo nemo me interrogat modò, quo vadis, quoniam certissime scitis quia ad patrem vado. Hoc igitur solum erat quod apostoli intelligere non poterant, & hoc solum discere cupiebant, quid illud modicum significaret, quo eum & viderent & non viderent. De hoc quaeritis inter vos, quia dixi modicum, &c.* Hæc est igitur expositio, sed obscura: & tale est, ac si diceret, *Modò quidem non intelligitis, quid significet, modicum, & non videbitis me, sed me post modicum mortuo, & sepulchro, vestrisque ab oculis sublato, quando pro morte mea plorabitis, & flebitis, quando & mundi amatores, scribæ videlicet, & pharisæi de mea morte gaudebant, tunc utique intelligetis quid significet modicum, & non videbitis me. Intelligetis etiam quid significet illud quod sequitur, & iterum modicum, & videbitis me, quando me die tertia resurgente, tristitia vestra vertetur in gaudium. Gausi sunt enim discipuli, viso domino. Vnde & Psalmista, *Ad vesperum (inquit) demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia. Mulier cum parit, tristitiā habet: quia, &c.* Sic (inquit) fiet vobis, sicut fit mulieri prægnanti, & parturienti: quæ quidem cum parit, tristitiā habet, quia mortis horam timer aduenisse: sed tanta lætitiā sequitur post partum, vt totius illius tristitiæ & pressuræ non recordetur, propter pueri natiuitatem. Sic igitur & apostoli quando pariebant, quando prædicabant & baptizabant, quando per fidem adoptionis filios generabant, tunc quidem tristitiā habebant, quia moriendo pa-*

ricbāt. Pariebant vtique: vt apostolus ait, *Filioli mei, quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis. Itemque, Nam etiam multos paganos habeatis, sed non multos patres: in Christo Iesu per euangelium ego vos genui. Hoc autem significabat Rachel, quæ pariendo mortua est. Vnde & filium moriens vocauit Benoni, id est filium doloris mei. Pariebant igitur apostoli in dolore, quia propter hunc talem partum occidebantur, & cruciabantur, multos dolores, multaque angustias patiebantur. Beatus iste partus, quata soboles tam nobilium filiorum vbi que gentium germinauit. De hac quoque muliere prægnante & pariente Ioannes apostolus in Apocalypsi loquitur, dicens, *Et signum magnum apparuit in caelo, mulier amicta sole, & luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim, & in vtero habens cruciatur, vt pariat. Hæc enim mulier, Ecclesia est, quæ solis pulchritudine, & splendore circumamicta, multos suæ claritatis lumine ad sese & post sese attrahit amatores. Sole namque vestitur, quatenus soli iustitiæ placeat. Induite (inquit apostolus) nouum hominē, qui secundum Deum creatus est. Est & luna sub pedibus eius. Luna enim propter defectionem, sui que mutabilitatem, mundum istum significat. Vnde quia Iericho interpretatur luna, homo ille, qui de Hierusalem veniebat, in Iericho descendisse à domino narratur. Habet igitur Ecclesia lunam sub pedibus, quoniam cuncta terrena & transitoria & mutabilia despiciens & pro nihilo ducens, sola cœlestia concupiscit. Coronam verò in capite portat, duodecim stellis quasi duodecim margaritis ornatam. Hæc enim corona apostolorum duodenus numerus intelligitur. Isti enim vicerunt, isti Ecclesiam coronauerunt, isti primi milites in capite positi quasi stellæ in Ecclesia fulgent. Et in vtero habens cruciatur, vt pariat. Multos enim in vtero habet, multos quotidiē filios parit Ecclesia: non tamen sine cruciatu quodā, atque dolore. Vnde & in hoc euangelio dominus ait, *Mulier cum parit, tristitiā habet, quia venit hora eius*. Et apostolus, *Filioli mei, quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis. Matres tamen in persecutionis tempore pariendo Ecclesia cruciatus patiebatur. Ideo enim sancti occidebantur, quoniam parere cupientes, ad baptismum alios inuitabant. Ibi enim parit Ecclesia, ibi legitimos filios generat. Et visum est aliud signum in caelo: & ecce draco magnus rursus, habens capita septem, & cornua decem, & in capitibus suis septem diademata, & cauda eius trahebat tertiam partem stellarum cæli, & misit eas in terram. Draco iste magnus & rufus, diabolus est, qui in specie serpentis primum hominem decepit. Et tunc quidem propter sanguinem martyrum, quem fundere non cessat, rufus apparet. Hic autē septem capita habere perhibetur, septem videlicet principalia, quæ de matre superbia exorta sunt: ex quibus quasi principis omnia alia vitia oriuntur. Hæc autem sunt vana gloria, inuidia, ira, tristitia, auaritia, ingluuius, luxuria. Decem verò cornua, omnia alia vitia sunt, quæ ab his capitibus deriuantur. Quæ quoniam multa sunt, eum numerum ponere voluit, in quo omnes numeri continentur. Non enim progreditur numerus ultra decem: sed ipse in se***

Bibl. Hom. tom. 3.

F

reuolutus

reuelutus omnes alios numeros complet. Quid igitur cornua decem, nisi cornua multa? Habet autem in capribus suis septem diademata, quia pro vnoquoque vitio suam portat coronam. Quoties enim per inuidiam vincit, toties per inuidiam coronatur. Sic & in aliis. Possunt autem septem capita, septem hæresiarum; & decem cornua, decem reges intelligi, qui in tempore antichristi non solum falsis prædicationibus, verum etiam tyrannica potestate sanctam Ecclesiam affligent. Et cauda eius trahebat tertiam partem stellarum cæli, & misit eas in terram. Quid enim per caudam, nisi eius deceptionem intelligimus? Cauda igitur eius, id est ipsius caliditatis & hæreticæ prauitatis deceptio, tertiam partem stellarum cæli, multos videlicet, qui in Ecclesia fulgere videbantur, trahebat, & misit eos in terram: vt non iam cælestia, sed sola terrena, & transitoria diligerent. De hac autem tertia parte iam sæpissime dictum est: quæ quoniam neque in prælatorum, neque in subiectorum numero continetur; hæreticos, & falsos Christianos eam significare diximus. Et draco stetit ante mulierem, quæ paritura erat, vt cum peperisset, deuoraret filium eius. Et peperit filium masculum, qui rectorus erat omnes gentes in virga ferrea. Et raptus est filius eius ad Deum, & ad thronum eius. Et mulier fugit in solitudinem, vbi habet locum paratum à Deo, vt ibi pascant illam diebus mille ducentis, sexaginta. Semper enim ecclesiæ filii diabolus insidiatur. Non enim magnopere de alijs curam habet. Sunt enim esca eius electæ. Et secundum illud propheticum, fiduciam habet, vt influat Iordanis in os eius. Neminem enim ita persequitur, quemadmodum ecclesiæ filios, & aqua baptismatis regeneratos. Hoc est enim quod dicit, Vt cum peperisset, deuoraret filium eius. Quod autem ait, Et peperit filium masculum, singularem pro plurali posuit. Nullum filium nisi masculum parit Ecclesia. Nam etiam multas filias habeat, solæ illius sunt, quæ non molliorem muliebrem, sed virile, & masculinum robur obtinere nituntur. Nam neque masculi propter sexum, sed propter fortitudinem, & constantiam filij eius esse dicuntur. Tales autem in virga ferrea regunt, tales vitia, & malignos spiritus superant, tales imperio forti, & insuperabili Dei populum per rectam viam incedere docent. Et raptus est filius ad Deum, & thronum eius. Quotidie namque Ecclesiæ filij ad Deum rapiuntur, quotidie ad thronum eius ab angelis deferuntur, atque ab ipsius faucibus deuorare cupientis, sæpissime præda subtracta, gaudens, & triumphans cælos ascendit. Mulier autem in solitudine fugit, quoties malorum vitans consortia, ad mentis secretum, ad Dei contemplationem sancta Ecclesia sese confert. Vnde & scriptum est, Ecce elongaui fugiens, & mansi in solitudine. Ibi quoque locum habet à Deo paratum. Sed quomodo paratum? Vis audire quomodo? Vt ibi pascant illam diebus mille ducentis sexaginta. Sed qui sunt, qui eam pascunt, nisi sacra volumina scripturarum? Lege Esaiam, & ipse te pascet. Lege & alios prophetas, & ibi pascua inuenies nullis delicijs comparanda. De quibus dicitur, Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocauit. Per dies autem mille ducentos sexaginta, omne tempus, in quo antichristus regnabit, intelligimus. Regnabit enim (sicut scriptum est) per tempus,

& tempora, & dimidium temporis: id est, per tres annos, & dimidium, in quibus sancta ecclesia verbi Dei pane nutrita, nullatenus ab eo superari poterit. Sequitur: *Iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* Quando enim eos non videat, qui semper, & vbi que omnia videt? De illa igitur visione dicit, quæ æterna est, & finem non habet, quæ semper in gaudio est, cuius læticia, & beatitudo auferri non potest. Vnde & ait, *Et gaudium vestrum nemo tollet à vobis.*

## THEOPHYL. EPISCOPI

*Bulgar. superioris Euang. expositio.*

**P**usillum, & non videtis me, &c. Quare Christus recessum & mortem suam in memoriam eis reducit, quamuis magis occultanda videantur? Mentem eorum exercebat, & probatiorem efficiebat: propterea semper commemorans tristitia, affuecit illos, & ad expectationem illorum prouehit. Igitur sic hoc loco; *Pusillum, & non videtis me*, dicens, ad triste statim addidit lætiam quiddam; *& iterum pusillum, & videbitis me, & ad Deum vado*, qui vos iuuare potest: & non pereat: sed transeo; & ad paruam quidem tempus secessus erit, postea autem perpetuo conuertabor vobiscum. Illi quidem non intellexerunt: vnde admiratur quispiam, quomodo non agnouerint, quæ dicebat. Videtur ergo vel tristitia mentem eorum adeo inuasisse, vt abijcerent dictorum memoriam, vel propter obscuritatem verborum euenit, ne intelligerent. Ideo Iesus videtur eis contraria quædam dicere. Nam si quidem videbimus te, quo vadis? si autem vadis, quomodo videbimus te? Videtur enim hæc ænigmata esse. *Cognouit autem Iesus, quod vellet interrogare se, &c.* Postquam vidit discipulos non intelligere dicta, eo quod granati erant mœrore, inculcat eis manifestum de morte sua, vt affueti verbis, etiam re ipsa eam fortiter ferrent. Etenim, inquit, *plorabitis, & lamentabimini vos*, propter mortem, ac crucem: *mundus autem gaudebit*, hoc est, Iudæi mundana sapientes gaudebunt, eo quod interemerint me inimicum ipsorum. *Sed tristitia vestra in gaudium vertetur*, quemadmodum Iudæis quoque suum gaudium in mœrorem cedet, quando post meam resurrectionem nomen meum glorificabitur. Potes autem & mundi gaudium, non Iudæorum gaudium intelligere, quod gauisi sunt, mortuo domino, sed saltem mundi, vt sit sensus dictorum: Vos quidem mœrore afficiamini, sed hæc mea passio, propter quam vos estis tristes, mundi totius gaudium, & salus erit. Insuper & exemplum commune addit mulieris, & partuum. Hac autem parabola, & prophetæ vsi fuerunt, dolore partus ingenti excellentiam mœroris significantes. Tale autem quiddam dicit; Apprehendent quidem vos dolores mœstitudinis, sed dolor ille causa efficitur partus. Interea confirmat & sermonem de resurrectione, & ostendit mori simile esse ei, qui à vulua in lucem prodit. Ne enim admiremini, quod per tantam tristitiam, ingressuri sitis in gaudium, quia & mater per mœrorem in partu ad hoc venit, vt sit mater. Insinuat autem hoc loco & mysticum quiddam, quod ipse solueat dolores mortis, & nouum hominem nasci fecerit, posthac non corruptendum; neque mortalem,

valem, qui est ipse dominus. Vide enim quomodo non dixerit, quod posthac non recordetur anxietatis; quia natus est ei puellus: sed, *Quia natus est homo in mundum.* Hoc enim non frustra ita dixit, sed volens cum emphasi, & tacite insinuare, quod ipse sit ille natus homo, & incorruptibilis Iesus dominus noster. Igitur exemplum mulieris parietis non per omnia quæras adaptare iis, quæ circa Iesum acciderint. Sed tantum, vt ostendatur, quod temporalis sit dolor, & magnus lucrum doloris, & resurrectionis, partus ad vitam, & regenerationem: alia autem ad exemplum non alludant, & merito. Parabola enim, si per omnia seruetur, non est parabola, sed illud ipsum, quod per parabolam signatur. Et hoc loco intelligimus per dolorem parientis, tristitiam apostolorum; & per gaudium consolationem resurrectionis: & iterum per solutionem dolorum parientis, descensum ad infetos; & per natiuitatem, resurrectionem primogeniti ex mortuis. Porro non vltra signatur infernus per matrem, non enim gauisus est infernus, sed apostoli gauisi sunt gaudio, quod nullus abstulit ab eis. Tunc enim gaudebant, quando pro nomine Domini aspergebantur conuicti. Insuper dicendo; *Gaudium vestrum nemo tollet à vobis*, ostendit, quod vltra non moriatur, sed perpetuo viuens, illis incorruptibilis gaudij sit author futurus.

## EVTHYMII ZIGABONI

*superioris Euang. expositio.*

**P**usillo tempore, & non videbitis me. Sub terra sepultum. *Et rursum pusillo tempore, & videbitis me.* Vbi à mortuis resurrexero. *Quia ego abeo ad patrem.* Passionem mysterium appellat vbi que transitum, ostendens quod non multo tempore morti erit subiectus. Itaque, postquam læta de altero paracletico promissit, rursus tristitia inducit, idque frequenter & fecit iam, & facit, lætis tristitia permiscens, vt hinc quidem consoletur deiectos, hinc vero stantes exerceat. Nam, qui in verbis horren-

da primum meditati fuerant, ea postmodum in rebus tolerabilius latenti erant. *Dixerunt ergo quidam ex discipulis eius inter se, Quid est hoc quod dicit nobis, Pusillo tempore, &c.* Siquidem parabolam eis videbatur aliquam etiam hic dicere, Forassis autem & tristitiæ vehementia insensibilitatem hanc eis iniecerat; & qui frequentor hæc audierant, sic affecti erant, quasi nihil vnquam horum audissent. *Cognouit ergo Iesus, quod volebant eum interrogare, &c.* Deinde quod quærebant interpretatur. *Plorabitis, & lamentabimini vos.* Non videntes me, sub terra videlicet sepultum. *Mundus vero gaudebit.* Mali scilicet, tanquam à me liberati. *Vos autem contristabimini.* Ad aliquod tempus. Vide autem quomodo dixerit; *Plorabitis, & lamentabimini*, ac contristabimini: ad tolerantiam amplius eos exercens, per continuationem eorum, quæ mœrore afficiat. *Sed tristitia vestra vertetur in gaudium.* Quum me iterum videbitis ex mortuis resuscitatum. Deinde ponit etiam vulgare, ac certissimum exemplum de gaudio, quod mœrorem à medio tollit. *Mulier, cum parit, tristitiam habet, quia venit hora eius.* Tempus laboriosum dolorum, *Quum autem pepererit puerulum, &c.* Quemadmodum breuis ille mœror, qui mulieri in partu laboranti prouenit à partus doloribus, magnum parit de edita prole gaudium: ita quoque vobis temporalis de morte mea mœror, perpetuum generabit de resurrectione mea gaudium. *Et gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* Nemo à vobis, auferet: tunc enim non amplius moriatur, nec deinceps me priuabimini. Quomodo autem de muliere dixit, quod gaudet, quia natus est homo in mundum: quum non propterea gaudeat, sed quod sibi natus sit puerulus? Hoc dixit, quoniam ab initio dixit Deus; *Crescite, & multiplicamini ac replete terram*: & in primis quidem homo nascitur in mundum: ex consequenti vero etiam ad obsequium parentum. Simul autem & mysticum quiddam hinc significatur, quod Christus per mortem genitus, quasi per quendam veterum, & solutus mortis doloribus natus sit nouus homo in mundum nouum: primogenitus ex mortuis in regnum cælorum.



## DOMINICA IIII. POST PASCHA.

IOAN. 16.

**I**n illo tempore dixit Iesus discipulis suis. <sup>a</sup> Vado ad eum qui me misit: & nemo ex vobis inter rogat <sup>b</sup> me, <sup>c</sup> quo vadis. <sup>d</sup> Sed quia hæc loquutus sum vobis, <sup>e</sup> tristitia implebit cor vestrum. Sed ego veritatem dico vobis: expedit vobis, vt <sup>f</sup> ego vadam. Si enim non abiero, paracletus non veniet ad vos. Si autem abiero, mittam eum ad vos. Et cum venerit ille, <sup>h</sup> arguet mundum.

<sup>a</sup> Et ideo opus est prædicare de illo.

<sup>b</sup> Iturum à vobis.

<sup>c</sup> A nobis.

<sup>d</sup> Id est, me iurum à vobis.

<sup>e</sup> Cum non dum consolationem spiritus intus habeatis, qua melius me intus visuri estis, doletis me corporalibus oculi subtrahi.

<sup>f</sup> Vt spiritus ille iam me noscatis, & carnaliter iam me nosse desistatis, ne verbo carne factio quasi laetæ contenti sitis.

<sup>g</sup> Si carni qua alij

<sup>h</sup> Per vos qui modo timidi.

<sup>i</sup> Quod habet mundus. <sup>k</sup> Quam non imitatur. <sup>l</sup> Quod non timet. <sup>m</sup> Exponit quod dixerat. <sup>n</sup> Arguit.

dum de <sup>i</sup> peccato & de <sup>k</sup> iustitia, & de <sup>l</sup> iudicio. De <sup>m</sup> peccato <sup>n</sup> quidem, <sup>o</sup> Hoc specialiter ponit, quia hoc manente, cetera manent; hoc discedente, cetera remittuntur.

quia non <sup>o</sup> crediderunt in me. De iustitia vero: quia ad patrem vado, & iam non <sup>p</sup> lam talem non videbitis, & Paulus enim & Stephanus postea viderunt eum, sed iam alium. <sup>q</sup> Futuro. <sup>r</sup> Foras missus, iudicio ignis referuatus.

<sup>p</sup> videbitis me, <sup>q</sup> iudicio autem, quia princeps huius mundi iam <sup>r</sup> iudicatus est. <sup>s</sup> Quia nemo habet discernere. <sup>t</sup> Quia nondum venit spiritus.

Adhuc multa <sup>s</sup> habeo vobis dicere, sed non <sup>t</sup> potestis portare modo. Cum autem <sup>v</sup> Intus sine sono, sic fit & aliis sanctis: aliae: deducet in omnem veritatem, vt deducit in d. in v. t. <sup>x</sup> Saluti necessariam.

tem venerit ille spiritus veritatis <sup>v</sup> docebit vos omnem <sup>x</sup> veritatem. Non enim <sup>y</sup> Non solum quae futura in tempore, sed magis aeterna, quorum amore inflammar.

loquetur a semetipso, sed quaecumque audiet <sup>y</sup> loquetur, & quae ventura sunt <sup>z</sup> Patre a quo ego.

annunciabit vobis. Ille me clarificabit: quia de <sup>z</sup> meo accipiet, & annunciat vobis.

GLOSSA ORDINARIA  
in superius Euang.



**M** A D O ad eum. Ita palam, vt nemo interroget quod visu corporali cernat. Viderunt enim in nube ascendente certi de gloria, qui prius praedicta passione que fuerant: domine quo vadis? *Si enim*. Non quod positus in terra non posset dare, sed quia illi non sunt idonei accipere, nisi eum secundum carnem desistant nosse. *Si autem*. Mentibus vestris sic raptis ad caelestia, aderit spiritus simul pater & filius. Spirituales enim ex carnalibus facti, capacius fuerat trinitatem habituri, sicut promissum erat. Vobiscum sum vsque ad consummationem seculi. Et ad eum veniemus & mansionem apud eum faciemus. Nunquam enim intelligenda est separatio: & si sigillatim loquatur scriptura de personis. Opus enim erat sic trinitatem insinuari. *Ille arguet*. Non quod filius non arguat, sed quia spiritus dabit eis charitatem & pellat timorem, vt sit eis libertas arguendi. Aug. Arguitur de peccato qui in Christum non credit. Arguitur & de iustitia eorum qui credunt. Ipsa enim fidelium comparatio, infidelium est vituperatio. Credant igitur homines in Christum ne arguantur de peccato infidelitatis quo omnia tenentur. Transeant in numero fidelium, ne arguantur de iustitia eorum quos iustificatos non imitantur. Caveant futurum iudicium, ne cum mundi principe iudicentur quem iudicatum imitantur. *Et de iustitia*. Non de sua, sed de credentium iustitia mundus arguitur, quorum comparatione damnatur. Vnde non ait: Non videbit me mundus: sed non videbitis me, vos apostoli. Contra infideles qui dicunt, quomodo credemus quod non videmus? Est vera iustitia credere quod non videtur: vt qui viderunt hominem, crediderunt Deum. Et cum per ascensionem forma hominis subtracta est visibus, tunc ex omni parte impletum est. Iustus ex fide vivit. *Et iam non videbitis me*. Id est, nunquam videbitis me tale vt modo, id est, mortalem iudicandum, sed glorificatum iudicem. Et hoc est iustitia fidei, de qua Apostolus: Et si nouimus Christum secundum carnem, sed iam non nouimus, quam quia mundus ab istis non vult accipere, arguitur. *De iustitia*. quia si damnatum illum sequuntur, cum eo damnantur: & ne sibi credant parci, terrentur supplicio illius superbi. *Om. 76.* Promittit quod totum facturus est

Act. 1. supra 13.

Math. 28. supra 14.

Abac. 2.

1. Cor. 5.

spiritus, non quod in hac vita totum compleatur. *A semet.* Aug. Quia non est a seipso, quia solus pater de alio non est. Nam & filius de patre natus est, & spiritus de patre procedit: & tamen & filius & spiritus aequalis patri est. Sed quaecumque audiet loquetur, audiet ab eo a quo procedit. Audire illius scire est, idem est & esse. A quo illi ergo est essentia, ab illo audientia, id est, scientia, quae non est aliud quam essentia, &c. De sempiternitate, proprie dicitur est, secundum nos bene dicitur: fuit, erit. Fuit, quia nunquam defuit. Erit, quia nunquam deerit. Est, quia semper est. Non praeteriit, quasi qui non maneat. Non orietur, quasi qui non erat. Cum ergo nostra loquutio per tempora varietur, de eo vere dicuntur verba cuiuslibet temporis: quia nullo tempore defuit, deest vel deerit. Et ideo non mirum si audiet, dixit de eo qui audiuit & audit, id est, semper sciuit, scit & sciet. *Ille me*. quia spirituales faciendo vos declarabit, quo modo patri filius est aequalis, quem secundum carnem vt hominem nouerat, vel timorem tollendo faciet vos gloriam meam annunciare toti mundo: quae non mihi, sed hominibus proficit. *De meo*. Non quod spiritus sit minor filio. Cur autem hoc dixit, explanat: Omnia haec, mea sunt. propterea dixi, quia de meo accipiet. Ergo de patre accipit spiritus, vnde accipit filius: quia in hac trinitate de patre natus est filius, de patre procedit spiritus. Qui autem de nullo natus est, de nullo procedit, pater est solus.

CATENA AVREA  
in idem Euang.

**E** T nunc vado ad eum qui misit me, &c. Chrysoft. Quia discipulos nondum perfectos tristitia impugnabat, eos dominus increpando dirigit, dicens, *Et nunc vado ad eum qui me misit & ne ex vobis interroget me quo va.* Audientes enim quoniam qui interficiet vos, opinabitur se obsequium praestare Deo: ita crediderunt vt nihil ei loquerentur. Et ideo subditur, *Sed quia haec lo sum vobis.* Non parua autem est haec mitigatio scire eos: quonia sciuerat dominus tristitia eorum superabundantiam, & propter desertionem eius, & propter mala quae didicerant se passuros, & nesciebant si possent viriliter ferre. Aug. Vel quia superius interrogauerunt eum quod esset iturus & responderat eis se iturum quod ipsi tunc venire non possent, nunc ita

ita se promittit iturum vt nullus eorum quod vadat interroget. Et hoc est quod dicit, *Et nemo ex, &c.* Eunt enim in caelum non verbis quaesierunt, sed oculis deduxerunt. Videbat autem dominus quid sua verba in eorum cordibus agerent, spirituales quippe nondum interius habentes consolationem quam per spiritum sanctum fuerant habituri, id quod exterius in Christo videbant, amittere metuebant: & quia se amissuros esse illo vera denunciate dubitare non poterant, contristabatur humanus affectus, quia carnalis desolabatur aspectus: vnde sequitur, *Sed quia haec lo sum vobis.* Nouerat autem ille quid eis potius expediret, quia visus interior ipse est melior quo eos desolatus erat spiritus sanctus: vnde subdit, *Sed ego veritatem, &c.* Chry. quasi dicat: Et si millies contristemini, oportet vos audire, quia me recedere vobis, confert. Quid autem confert ostendit subdens, *Si enim non abiero, &c.* August. 1. de trin. Haec autem dixit non propter inaequalitatem verbi Dei, & spiritus sancti sed tanquam impedimento esset praesentia filij apud eos; quo minus veniret ille qui minor non esset, quia non semetipsum exinanivit sicut filius formam serui accipiens. Oportebat ergo vt auferretur ab eorum oculis forma serui quam intuentes hoc solum Christum esse putabant quod videbant: vnde sequitur, *Si autem abiero, &c.* August. Numquid autem hic positus eum non poterat mittere, quem scimus super eum baptizatum venisse, atque mansisse: imo vero a quo scimus eum nunquam separabilem fuisse. Quid est ergo, *Si non abiero para non redit vos?* nisi non possetis capere spiritum quandiu secundum carnem nosse persistitis Christum. Christo autem discedente corporaliter non solum spiritus sanctus, sed & pater & filius illis affluit spiritualiter. Greg. 8. mo. Ac si aperte diceret, *Si ad intentionis vestrae oculis corpus non subtrahat, ad intellectum vos inuisibilem per consolatorium spiritum non perduco.* Aug. de ver. do. Hanc autem habitudinem spiritus paracletus attulit, vt ab oculis carnis forma serui remotaquam de virginis utero accepit, in ipsa Dei forma in qua patri equalis, etiam cum in carne dignatus est apparere permansit, purgata mentis facie ostendere. Chry. Quid autem hic dicunt, qui non conuenientem de spiritu sancto habent opinionem? Nunquid expedit dominatorem abire, & seruum accedere? Quae autem sit utilitas aduenientis spiritus ostendit, cum subditur: *Et cum venerit ille arguet, &c.* Aug. Numquid autem Christus non arguit mundum? an forte quia Christus in Iudaeorum tantum gente locutus est, mundum non videtur arguisse. Spiritus autem sanctus in discipulis eius toto orbe diffusus, non vnam gentem intelligitur arguisse, sed mundum. Sed quis audeat dicere quod per discipulos Christi arguat mundum spiritus sanctus, & non arguat Christus cum clamaret apostolus, An experimentum quaeritis eius, qui in me loquitur Christus? Quos itaque arguit spiritus sanctus vtique & Christus. Sed dixit ille, *arguet mundum*, quasi dicat: Ille diffundet in cordibus vestris charitatem. Sic enim timore depulso arguendi habebitis libertatem, Exponit deinde quod dixerit dicens: *De peccato quidem, quia non crediderunt in me.* Hoc enim peccatum quasi solum praeter ceteris posuit, quia hoc manente cetera detinentur, & hoc discedente cetera dimittuntur.

Aug. de ver. do. Sed multum interest, vtum quisque credat ipsum esse Christum & vtum credat in Christum: nam ipsum esse Christum & demones crediderunt. Ille vero credit in Christum: qui & sperat in Christum, & diligit Christum. Aug. super Ioan. Arguitur ergo mundus de peccato, quia in Christum non credit: & arguitur de iustitia eorum qui credunt. Ipsa quippe fidelium comparatio, infidelium est vituperatio. De iustitia vero quia ad patrem vado. Et quoniam ista vox infidelium esse consuevit, quomodo credimus quod non videmus? Ideo credentium iustitia sic oportuit diffiniri. *Quia ad patrem vado, & iam non videbitis me.* Beati enim qui non vident & credunt. Nam & qui viderunt Christum, non in eo laudata est fides eorum quia credebant quod videbant, id est filium hominis: sed quia credebant quod non videbant, id est, filium Dei. Cum vero & ipsa forma serui subtracta eorum esset aspectibus, tunc ex omni parte impletum est. Iustus ex fide vivit. Erit itaque nostra iustitia de qua mundus arguitur, quoniam in me quae non videbitis crederis. Et quando me videbitis, quoniam tunc sicut ero videbitis me, non quod sum vobiscum modo, id est, non videbitis mortalem, sed sempiternum. Dicendo enim: *iam non videbitis me.* velut nunquam eos de cetero visuros Christum praenunciauit. Aug. de ver. do. Vel aliter. Illi non crediderunt: ipse ad patrem vadit, illorum ergo peccatum, ipse autem iustitia. Quod enim ad nos venit: misericordia est: iustitia vero quod ad patrem vadit secundum illud apostoli. Propter quod & Deus exaltauit illum. Sed si solus vadit ad patrem quid nobis prodest? An ideo solus quia Christus vnus est cum omnibus membris suis tanquam caput cum corpore suo. Arguitur ergo mundus de peccato in eis qui non credunt in Christum. Et de iustitia in eis qui resurgunt in membris Christi. sequitur: *De iudicio autem quia princeps mundi huius iam iudicatus est, id est, diabolus princeps iniquorum, qui corde non habitant nisi in hoc mundo quem diligunt.* Hoc autem ipso quo foras missus est iudicatus est, & de hoc iudicio mundus arguitur, quia frustra de diabolo quaeritur, qui non vult credere in Christum quem iudicatum, id est, foras missum: & propter nostram exercitationem foras expugnare permissum non solum viri: sed etiam mulieres & pueri & puella martyres vicerunt. Augustin. super Ioan. Vel iudicatus est: quoniam iudicio ignis aeterni irreuocabiliter destinatus est. Et de hoc iudicio mundus arguitur: quoniam cum suo principe iudicatur quae superbum atque impium imitatur. Credant atque homines in Christum, ne arguantur de peccato infidelitatis suae quo peccata omnia derinentur. Transeant in numerum fidelium ne arguantur de iustitia eorum quod iustificatos non imitantur. Caveant futurum iudicium, ne cum mundi principe iudicentur quem iudicatum imitantur. Chry. Vel aliter. *Arguet mundum de peccato*, id est, omnem eorum excusationem abscedet: & ostendet eos peccasse non credentes in me: dum videbunt spiritus sancti donationem ineffabile inuocato me fieri. August. de quaest. no. & ve. te. Hoc etiam modo spiritus sanctus de peccato arguit mundum, quia in nomine saluatoris qui reprobatus est a mundo virtutes operatus est. Saluator autem referuata iustitia, non trepidauit reverti ad eum qui se miserat. *Bibl. Hom. tom. 3. F 3 & per*

& per id quod regressus est probavit se inde venisse. vnde sequitur: *Et de iustitia: quid ad patrem vado.* Chry. id est, ire ad patrem erit argumentum quod irreprehensibilis agebam vitam, ut non possint adhuc dicere: quoniam hic homo peccator est; & non est ex Deo. Rursus quoniam expugnauit aduersarium: nequaquam autem peccator existens expugnasset. Non possunt dicere quod demonium habeo, & quod seductor sum. Quonia autem condēnatus est propter me: scient quod conuulcabant eum postea: & quod resurrectionem meam manifeste scient non enim me valuit detinere. Aug. de quaest. vere. & no. testa. Videntes etiam demones animas de inferis ire ad caelos: cognouerunt iudicatum esse principem huius mundi ut reus factus in causa saluatoris quae tenebat amitteret. Haec quidem ascendente saluatore visa sunt: sed superueniente in discipulis spiritu sancto, palam aperteque manifesta sunt. *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo, &c.* Theop. Quia supra dixerat dominus: *Expedit vobis ut ego vadam: iam hoc amplificat dicens: Adhuc multa habeo vobis dicere: sed non potestis portare modo.* Aug. Omnes heretici audiencias figmentorum suorum, quas maxime exhorret sensus humanus: hac occasione euangelice sententiae colorare conantur: quasi haec ipsa sint, quae tunc discipuli portare non poterant, & ea docuerit spiritus sanctus, quae palam docere atque praedicare spiritus erubescit immundus: sed alia sunt mala quae portare non potest qualiscumque pudor humanus. Et alia sunt bona, quae portare non potest paruus sensus humanus. Ista sunt in corporibus impudicis: illa remota sunt a corporibus vniuersis. Quis autem nostrum audeat eorum se dicere iam capacem: quae illi capere non valebant? ac per hoc nec a me expectanda sunt ut dicantur. Sed dicit aliquis: sic multi possunt quod tunc non poterat Petrus, sicut multi possunt martyrio coronari: quod tunc non poterat Petrus: praesertim iam misso spiritu sancto: qui tunc nondum erat missus. Sed nunquid ideo scimus, quae sunt, quae dicere voluit, absurdissime enim mihi videtur dici tunc non potuisse portare discipulos, quae de altissimis rebus inuenimus in apostolicis litteris, quae postmodum scripta sunt: nec ea dominus dixisse narratur. peruersarum quidem sectarum homines ferre non possunt, quod in scripturis sanctis de fide catholica reperitur, sicut nos ferre non possumus sacrilegas eorum vanitates. Quid enim est ferre non posse: nisi a quo animo non habere? Quid autem fidelis vel etiam catechumenus antequam spiritum sanctum baptizatus accipiat, non a quo animo legit atque audit, etiam si non intelligit ea quae post ascensionem domini scripta sunt: Dicit autem aliquis. Nihilne spirituales viri habent in doctrina quod carnalibus taceant & spiritualibus eloquantur? Nulla quidem necessitas est, ut aliqua secreta doctrinae taceatur fidelibus paruulis, seorsum dicenda maioribus: sed spirituales spiritualia carnalibus non omnino taceant propter catholicam fidem, quae omnibus praedicanda est: nec tamen sic edisserant ut volentes ea percipere ad intelligentiam non capacibus facilius fastidire faciant in veritate sermonem: quam in sermone, percipi veritatem. Non ergo in his domini verbis nescio quae secreta suscipimus, quae cum dici a docente possint: portari a discipulo non

sint. Sed ea ipsa quae in doctrina religionis in quorumlibet hominum notitia dicimus si velle nobis christus dicere: sicut ea dicit angelis suis, qui nam homines portare possent etiam si essent spirituales, quales adhuc apostoli non erant? Nam utique quicquid de creatura sciri potest, minus est ipso creatore: & quis eum tacet? quis autem viuens in hoc corpore possit omnem cognoscere veritatem, cum dicat apostolus, Ex parte scimus. Sed quia spiritum sanctum sit, ut ad ipsam quoque plenitudinem veniamus, de qua idem dicit apostolus. Tunc autem facie ad faciem. Non quod est in hac tantum vita dominus nobis promisit dicens. *Cum autem venerit ille spiritus veritatis: docebit vos omnem veritatem, vel deducet vos in omnem veritatem,* quo verbo intelligimus eius nobis plenitudinem in vita alia referuari. Ipse autem spiritus sanctus & nunc docet fideles quanta quisque potest capere spiritualia, & in eorum cordibus desiderium maius accendit. Didy. Vel hoc dicit quod auditors verborum eius nondum fuerant omnia consecuti, quae postea pro nomine eius sufferre poterant, sed aliqua tradens eis illa, quae maiora erant in posterum ditulit, quae tunc non poterant nisi primitus in capite nostro magisterium, & forma crucis praerit. Adhuc etiam typo legis & umbrarum, & imaginibus seruientes non poterant veritatem, cuius umbram lex portabat inspicere. *Cum autem venerit spiritus veritatis, diriget vos in omnem veritatem.* Sua doctrina & institutione vos transferens a morte literarum ad spiritum viuificantem, in quo solo omnis scripturae veritas posita est. Chrysost. Quia ergo dixerat, Nunc non potestis portare: tunc autem poteritis. Et quoniam spiritus sanctus ducet vos in omnem veritatem, ne hoc audientes maiorem spiritum sanctum existiment: subiungit. *Non enim loquetur a semetipso, sed quaecumque audiet, loquetur.* Aug. Simile est hoc ei quod de ipso dixit. Non possum a me ipso facere quicquam, sed sicut audio iudico, sed illud secundum hominem posse accipi dicimus. Cum igitur spiritus sanctus nulla susceptione cuiusquam creaturae creatura sit factus: quomodo de illo hoc intelligendum est? Sic itaque debemus accipere, ut intelligamus non eum esse a se ipso. Nam filius de patre natus est; & spiritus sanctus de patre procedit. Quid autem illic interstit inter procedere, & nasci: & longum est describere, & temerarium diffinire. Audite autem illi scire est, scire vero esse. Quia ergo non est a se ipso, sed ab illo a quo procedit, a quo illi est essentia: ab illo scientia, ab illo igitur audientia. Semper itaque audit spiritus sanctus, quia semper scit: ab illo ergo audit audit & audiet: quo est. Didy. Ait ergo. *Non loquetur a semetipso.* hoc est, non sine me, & sine meo & patris arbitrio: quia non ex se est, sed ex patre & me est. Hoc enim ipsum quod subsistit & loquitur, a patre & a me illi est. Ego veritatem loquor, id est, inspiro quae loquor siquidem spiritus veritatis est. Dicere autem & loqui in trinitate non secundum consuetudinem nostram accipiendum est, sed iuxta formam incorporalium naturarum, & maxime trinitatis quae voluntate suam inserit cordibus credentium: & eorum, qui audire eum sunt digni. Loqui ergo patrem, & audire filium eiusdem naturae in patre & filio consensuque significatio est, Spiritus vero sanctus qui est spiritus veritatis, spiritusque

spiritusque sapientiae, non potest filio loquente audire, quae nescit, cum hoc ipsum sit quod profertur a filio, id est, procedens veritas a veritate, consolator manans a consolatore. Deus de Deo spiritus veritatis procedens. Denique ne quis illum a patris, & filij voluntate, & societate discerneret scriptum est. *Sed quae audiet, loquetur.* Aug. 3. de tri. Non autem hinc efficitur ut minor sit spiritus sanctus, secundum hoc enim dictum est quod de patre procedit. Aug. super Ioan. Nec moueat quod verbum futuri temporis positum est. Illa quippe audientia sempiterna est, quia sempiterna scientia. In eo autem quod sempiternum est, sine initio & sine fine cuiuslibet temporis verbum ponatur: quamuis enim natura illa immutabilis non recipiat finem & erit, sed tantum est: non tamen mendaciter dicimus fuit & est & erit: fuit, quia nunquam defuit: erit, quia nunquam deerit: est, quia semper est. Didy. Per spiritum etiam veritatis futurorum sanctis viris scientia certa conceditur. Vnde & propheta hoc eodem repleti spiritu pronuntiabant, & quasi presentia intuebantur, quae erant deinceps secutura. vnde sequitur, *Et quae veniunt annuntiauit vobis.* Beda. Constat quia multi spiritus sancti gratia repleti, quae ventura erant, agnouerunt. Sed quia multi variis coruscant virtutibus, nec tamen quae ventura sunt, agnoscerent, potest hic ferre sic accipi. *Quae ventura sunt, vobis annuntiabit.* id est, gaudia vobis caelestis patriae ad memoriam reducet. Ventura vero apostolis nuntiavit mala, scilicet, quae pro confessione Christi erant passuri: & bona quae pro eiusdem malis erant percepturi. Chry. Eleuauit igitur per hoc eorum mentem, cum ad nihil ita audire sit humanum genus, ut ad sciendum futura ab hac igitur eos eruit sollicitudine, ostendens quoniam futurura eis pericula praedicet, ut non incidant non obseruantes. Deinde ostendens quoniam dixerit omnem veritatem, in quam spiritus sanctus adducet: subiungit: *Ille me clarificabit.* Aug. Quia scilicet diffundendo in credentium cordibus charitatem, spiritualesque faciendo declarauit eis qualiter patri filius esset aequalis quem secundum carnem prius tantummodo nouerant, & hominem sicut homines cogitabant. Vel certe: quia per ipsam claritatem fiducia repleti & timore depulsi, annuntiauerunt hominibus Christum, ac sic fama eius diffusa est toto orbe terrarum. Quod enim facturi erant in spiritu sancto, hoc eundem spiritum dixit esse facturum. Chry. Et quia dominus dixerat Magister vester vnus est Christus, ut & spiritus sanctus suscipiatur ab eis: subiunxit. *Quia de meo acci. & annuntiauit vobis.* Didy. Accipere hic ut diuinae naturae conueniat intelligendum est, quomodo enim filius dans non priuatur his quae tribuit, neque cum damno suo impartitur alijs, sic & spiritus sanctus non accipit quod ante non habuit. Si enim prius quod non habebat accepit, translatio in alium munere vacuus largitor effectus est. Sic igitur spiritum sanctum a filio accipere id quod suae naturae fuerat cognoscendum est: & non aliam dantem & accipientem, sed vnam significat substantiam. Siquidem & filius eadem a patre suscipere dicitur, in quibus ipse subsistit. Neque enim quid aliud est filius exceptis his, quae ei dantur a patre, neque alia est spiritus sancti substantia praeter id, quod datur a filio. Aug. Non autem propterea sicut quidam heretici putauerunt, minor est

filio spiritus sanctus, quia filius accipiat a patre, spiritus sanctus a filio, quasi quibusdam gradibus naturarum. Vnde ipse quaestionem soluens cur hoc dixerit explanat dicens. *Omnia, quae habet pater, mea sunt propterea dixi vobis quia de meo accipiet: & annuntiabit vobis.* Didy. quasi dicat. Licet a patre procedat spiritus veritatis: tamen quia omnia quae habet pater mea sunt, & ipse patris spiritus meus est, & de meo accipiet. Caue autem ne cum ista dicuntur, patres rem esse aliquam possessionem, quae a patre habeatur, ac a filio, verum quae habet pater iuxta substantiam, id est, aeternitatem, immutabilitatem, bonitatem, haec eadem habet & filius. Procul hinc ab sint Dialecticorum tendiculae: dicunt enim, Ergo & pater est filius. Si autem dixisset. Omnia quae habet Deus mea sunt, haberet occasione impietatis conuulsi. cum vero dixerit. *Omnia quae habet pater, mea sunt,* patris nomine se filium declarauit, paternitatem qui filius erat non usurpauit, quauis & ipse per adoptionis gratiam multorum sanctorum sit pater. Hila. 8. de tri. Non ergo in incerto dominus reliquit vtrum ex patre an ex filio spiritus patetris esse putetur, a filio enim accepit quod ab illo mittitur: & a patre procedit. Et interrogo vtrum id ipsum sit a filio accipere quod a patre procedere? Certe id ipsum atque vnum esse existimabitur a filio accipere: quod si acciperet a patre. Cum enim ait. Omnia quae habet pater sua esse, & idcirco dixit de suo accipiendum esse, docet etiam a patre accipiendum, a se tamen accipi, quia omnia quae patris sunt sua sunt. Non habet haec vnitas diuersitatem, nec differt a quo acceptum sit quod datum a patre, datum referatur a filio.

## S. IO. CHRYSOSTOMI Episcopi Constantin. in superioribus Euang. Hom.

**H**aec autem ab initio vobis non dixi, quia vobiscum <sup>Hom. 77.</sup> <sup>in Ioan.</sup> eram, &c. Magna tristitia vis, & multa nobis opus est fortitudine, ut ei affectui generose resistamus, & vtilitatem inde, superfluis abiectis, consequamur. Cum enim vel nos, vel proximi peccant, tunc tristandum est: cum autem in humanos casus incidimus, inuicem tunc tristitia. Quae cum discipulos nondum perfectos oppugnaret, considera quomodo eos perteredos arguit Christus. Cum enim multi de hoc interrogassent: nam & Petrus dixit: <sup>Sup. 13.</sup> <sup>Sup. 14.</sup> <sup>Ibidem.</sup> Quod vadis? Thomas; Nescimus quod vadis, & quomodo poterimus viam scire? Et Philippus, ostende nobis patrem: tunc audientes Extra synagogam vos facient, & odio habebunt vos: & Qui interficit vos, arbitratur obsequium se praestare Deo: ita animo desecerunt, ut ne loqui quidem possent, quod exprobrans eis Iesus, inquit, <sup>1. Corinth. 2.</sup> *Sed quia haec locutus sum vobis, tristitia impleuit cor vestrum.* Cuius nimietas grauis est, ad mortem viam parat: ideo Paulus dicebat; Nequando abundantiori tristitia absorbeatur talis. <sup>Matt. 10.</sup> *Haec ab initio vobis non dixi,* inquit: Quare ab initio non dixi? Ne quis diceret a se penumero contingentibus coeactum esse. Et quid rem tam difficilem aggredieris? Sciebam inquit ab initio, & non quod ignorarem tacuit, sed quia vobiscum eram. Et hoc hominis iterum more: quasi dicat; Quia intuto eratis; & licitum erat interrogare, cum volebatis,



lebatis, & in me totum bellum verrebatur, & superfluum erat hæc à principio dicere, hoc ergo tunc non dixit. Nónne duodecim aduocans, inquit, quoniam ad principes, & reges ducemini, & flagellabunt vos in synagogis? Quomodo ergo inquit, ab initio non dixisset? Quoniam verbera, & expulsionès prædixerat, non tamè quòd mors eorum videretur experenda, vt obsequium arbitratentur: hoc enim præ omnibus eos perterere poterat: siquidem tanquam impij, & periti homines erant iudicandi. Præterea illud dicendum est, quòd tunc quidam quæ à gentibus passuri erant, dixit; Nunc verò quæ à Iudæis, & per excessum maximè, & quòd prope esset, admonuit. Sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia impleuit cor vestrum. Non parua hæc consolatio, quòd sciret quanta tristitia afficerentur, & quòd relinquerentur à Christo, & quòd multa essent passuri. Formidabant enim, an forti ea animo essent toleraturi. Quare autem postea non dixit, cum acceperunt spiritum sanctum. Vt iam satis confirmatos intelligeres. Nam, si nondum accepto spiritu sancto, metu superati non resisterunt, considerata quales futuri essent gratia repleti? Quòd si tunc constanter perseuerassent, spiritui ad scribendum esset: nunc verò ipsorum voluntatis fructus, & manifestum eorum in Christum amoris augmentum apparuit, cum adhuc gratia nudi essent. Sed ego veritatem dico vobis, expedit vt ego vadam. Ecce quomodo iterum eos consolatur, Non ego ad gratiam loquor, inquit, sed licet maiorem in modum contristemini, quod expedit, audiendum est. Vos, vt ad eum velletis, vsus aliud postulat. Diligentiam autem est? cum vtilitatem cognoscit, eam non prætermittit, vt ea dilecti priuentur. Si ego non abiero, paracletus non veniet ad vos. Quid hic dicunt, qui de spiritu non rectè sentiunt? Expedit dominum abire, & venire seruum? Vides quanta sit spiritus dignitas? Si abiero, mittam eum ad vos. Et quid hoc vtilitatis? Cum venerit, arguet mundum: hoc est, non impunè hoc facient, si venerit. Sufficiens enim erunt iam facta eis silentium indicere: cum autem per illum & hæc fient, & doctrina perfectior, & signa maiora subsequenter, multò magis damnabuntur, cum tanta viderint, in nomine meo fieri, ex quo manifestior mea fiet resurrectio. Siquidem non possent dicere me fabri filium esse, cuius patrem, & matrem cognoscant: at cum me mortem soluere, malitiam, & demones fugare, vitia naturæ emendare, immensam spiritus plenitudinem mittit, & hæc omnia nominis mei inuocatione fieri, intuebuntur, quid dicent? Testimonium perhibuit de me pater, & perhibet spiritus: & quamuis à principio testificatus sit, tamen & nunc testificabitur. Illud autem verbum, Arguet de peccato: hoc est, omnem auferet excusationem, & sine venia peccasse demonstrabit. Et de iustitia, quia ad patrem vado, & iam non videbitis me: hoc est, quia irreprehensibiliter vixi, cuius signum est, quod vado ad patrem. Nam cum frequenter Iudæi Christum accusarent, quòd à Deo non esset, & propterea peccatorem, & legis transgressorem dicerent: hinc omnis calūnia amouebitur, Nam, si opinio quòd à Deo non sim, me transgressorem ostendit, cum spiritus me illuc abeuntem, neque ad horam, sed permanentem ostenderit: hoc enim per eam peccatulam, iam non videbitis me, significatur. Quid-

Sano intellectu hæc accipienda sunt, nam loquitur, cum spiritu sancto, non sine nobis agit, & nos cur non sine gratia spiritus aliquid operamur.

nam dicent? Animaduerte his duobus omnem malam suspicionem auferri. Neque enim peccator miracula facere, neque esse apud Deum perpetuò potest, quare non possunt me amplius peccatorem, & à Deo non esse, dicere. De iudicio autem, quia princeps huius mundi iam iudicatus est. Iterum hoc in loco de iustitia verba facit, quia aduersarium superauit. Neque enim peccatori possibile esset, quòd nemo iustorum hominum valuit: quòd autem propter me iudicatus est, scient, quia eum in posterum pessundabunt, & resurrectionem meam manifestè videbunt, quòd iudicantis eum est: neque enim valuit me superare. Nam, cum dicant, quòd daemonium habeo, quòd deceptor sum, omnia hæc falsa deprehenduntur. Non enim illum vicissem, si peccato essem obnoxius: nunc & iudicatus est, & eiecitus. Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. Expedit ergo vt vadam. Siquidem tunc portabitis, cum abiero. Et quid? Maior ne te spiritus est, cum nunc non possumus, illo autem adueniente, portabimus? Num maior illius, & perfectior efficacia est? Minimè, mea etenim dicit, ideo inquit. Non enim loquetur à semetipso, sed quacumque audiet loquetur, &c. Cum dixisset, ille vos docebit omnia, & suggeret, & in tribulationibus vos consolabitur, quod ipse non fecit: & expedit me abire: & nò potestis portare modò, tunc autem poteritis, & docebit omnem veritatem, ne, his auditis, maiorem illum arbitrentur, & in vltimam impietatem incidere, propterea à se accepturum dicit: hoc est, quæ ego dixi, & ipse dicit. Illa verò particula; Nihil à seipso loquetur: nihil contrarium, nihil aliud quam se locuturum significat. Quemadmodum enim de se locutus inquit; A meipso non loquor: id est, nihil præter patris voluntatem, ita & de spiritu; De meo accipiet: hoc est, quæ ego & scio, & cognosco, vna enim mea, & spiritus scientia. Et quæ ventura sunt, annuntiabit vobis. Hoc eorum animos excitauit. Ad nullam enim rem tam cupidum est humanum genus, quàm ad futura cognoscenda. Ideo frequenter interrogabant, quòd iret, quæ esset via: quàm sollicitudinem tollit, cum annuntiatum omnia spiritum pollicetur, ne incauti errarent. Ille me clarificabit. Quomodo? In nomine meo virtutem dabit. Cum enim aduenient spiritu maiora signa essent ostensuri, ideo iterum æqualitatem indicat, inquit; Ille me clarificabit: & quomodo? Omnem veritatem dicit: etenim hoc ipsum testificatur, quod docebit veritatem. Ipse enim Iesus, & quia carnem indutus erat, & quia de seipso dicere discipuli non putabant, & quia nondum manifestè resurrectionem norant, cum imbecilliores essent, & propter Iudæos, ne tanquam legis transgressorem punitum arbitrentur, frequenter nihil de se magnū locutus est, neque aperit à lege discessit, & quum nondum confirmati essent discipuli, & multi credituri, etiam à peccatis purgandi essent, alij de seipso dicerent, meritò de se magna loqui abstinent: ne eius stultitiæ, sed audientium imbecillitati adscriberent. Ideo quum dixerit; Docebit vos omnem veritatem subdidit; Non loquetur à semetipso. Quòd enim doctrina spiritus non indigeat, audi Paulum: Quæ Dei sunt, nemo nouit, nisi spiritus Dei. Et quemadmodum spiritus hominis non ab alio discit, ita & spiritus sanctus. De meo accipiet: hoc est, in nullo à me dissentiet. Omnia quacumque habet pater, mea sunt.

Supra 14.

1. Cor. 2.

sunt. Quum ergo mea sint illa, & ille à patre dicit, de meo dicit. Sed cur non venit spiritus ante Christi discessum? Quia nondum, maledictò sublatò, neque soluto peccato, sed omnibus adhuc pena obnoxius, nò venisset. Oportet, inquit, inimicitias prius dissolui, & reconciliari vos Deo, inde tunc donum illud accipere. Sed cur, inquit, mittam eum? hoc est, ad eius vos acceptionem præparabo. Quomodo enim, qui vbique est, mittitur? Præterea & personarum differentiam ostendit, quum duas ponit: & quum ita inseparabiliter se habeant, vt spiritum complectantur & colant, suadet. Poterat enim & ipse hæc facere, sed propterea spiritum miraculis clare permittit, vt eius intelligeretur dignitate. Sicut enim pater, quæ sunt, producere potuit, filius autem ea facere dicitur, vt eius potentiam intelligamus: ita & hoc. Et ideo ipse carnem accepit, spiritui operationem referauit: & ita his silentium imposuit, qui inenarrabilis benignitatis materiam, in impietatis argumentum accipiunt. Cum enim dicant, propterea filium incarnatum, quoniam inferior erat patri: dicemus ad illos; Quid de spiritu dicitis? Non accepit carnem, neque propterea filium maiorem assereris. Ideo in baptisate trinitas accipitur. Etenim pater totum facere potest, & filius, & spiritus sanctus: sed cum nemo de patre, sed de filio, & spiritu dubitaret, in initiatione accipitur, vt in communicatione societatis illorum arcanorum bonorum, & dignitatis communicationem intelligamus. Nam, quòd filius per seipsum possit, quæ in baptisate cum patre potest spiritus sanctus, manifestè illinc patet. Iudæis enim dicebat, vt sciaris, quia potestatem habet filius hominis in terra dimittendi peccata. Et iterum; Vt filij lucis sitis: & Ego vitam æternam do eis. Et postmodum; Vt vitam habeant, & abundantius habeant. Videamus & spiritum hoc idem facere. Vbi namque? Vnicuique autem manifestatio spiritus datur ad vtilitatem. Qui ergo hæc exhibet, etiam magis peccata dimittit: & iterum; Spiritus est, qui viuificat, & viuificabit per inhabitantem spiritum in vobis: & Spiritus vita per iustitiam. Et iterum; Si spiritu ducimini, non estis sub lege. Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis. Et tunc quicquid faciebant, præsentem spiritu, miraculis plena erant. Et ad Corinthios scribens Paulus inquit; Sed abluti estis, sed sanctificati estis, in nomine domini nostri Iesu Christi, & in spiritu Dei nostri. Cum ergo de patre multa audissent, & filium multum operatum viderent, nihil autem manifestè de spiritu scirent, ipse miracula facit, & perfectam inducit cognitionem. Sed, ne propterea maior existimaretur, ideo, vt iam dixi, inquit; Quacumque audiet, loquetur: & quæ ventura sunt, annuntiabit. Nam, si hoc esset, quomodo non absurdum sit, si tunc auditurus, & propter discipulos? Neque enim tunc debebat secundum vos scire, nisi propter audituros. Et quid hoc dicto absurdus? Præterea quid erat auditurus? nónne hæc omnia dixerat per prophetas? Sine enim de solutione legis docendus erat, dictum est; siue de Christo, & eius diuinitate, & de eius incarnatione, etiam dicta erant. Quid apertius ad hæc dicendum, & quæ ventura sunt, annuntiabit? Hic maximè eius dignitatem ostendit, cum Deo maximè proprium sit, futura prædicere. Quòd si ab aliis

1. Mar. 2.

Sup. 12. 2. bid. 10.

1. Cor. 7.

Rom. 8. 2. bidem.

1. Cor. 6.

intelligeret, in nullo prophetas excederet: sed hæc certam ad Deum cognitionem ostendit, quòd nil aliud loqui posset. Quòd autem dicit; De meo accipiet: siue de gratia, quæ in meam carnem aduenit, siue de eadem quam ego habeo cognitione, non tanquam indigeat: neque quod ab alio discat, sed quòd vna & eadem cognitio est. Et quare non aliter dixit? Quoniam nondum de spiritu audierant. Quare vnum tantum adnititur, vt credatur & accipiat ab eis, & non scandalizetur. Nam, cum dixisset; Vnus est magister vester Christus: ne persuasi non esse illi credendum putarent; vna est, inquit, & mea, & illius doctrina: quæ ego docturus eram, ipse dicit. Nolite aliam illius doctrinam arbitrari: etenim illa mea sunt, & meam gloriam augent. Vna est patris, & filij, & spiritus sancti voluntas: ita & nos esse vult, inquit; Vt sint vnum, sicut ego & in vnum sumus. Nihil enim concordia, & mutua voluntati æquiparandum. Vnus enim multiplex est. Si enim concordēs sint duo, vel decem, non amplius erit vnus, sed ex vno vnusquisque sit decapulum, & inuenies in decem vnū, & in vno decem. Et si inimicum habeant: qui vnum aggreditur, ferè decem aggreditur, ita imperatur. Non enim ab vno tantum, sed à decem impetitur. Indiget vnus, sed non est in egestate: maiore enim ex parte, hoc est, nouem abundat, & pars, quæ indiget, vt puta minor maiore exuperante obtegitur. Singuli eorum viginti manus habent, & oculos viginti, & totidem pedes. Non enim suis tantum oculis videt, non suis pedibus sustentatur, non suis operatur manibus, sed & amicorum. Decem animis spirat: non enim ipse sibi tantum curæ est, sed & illis, quòd si centum essent, idem contingeret, & virtus augetur. Ecce dilectionis excellentia, quo pacto vnum insuperabilem, & multiplicem reddat, & vnus in multis simul locis, & in Perside, & Romæ esse possit: & quòd natura non potest, dilectio potest: & pars eius hic, pars illic est, vel potius totus vtrobique. Et si quis mille, vel duo millia amicorum haberet, considera in quantam ille potestatem ascenderet. Animaduerte quantum capiat augmentum dilectio: hoc enim mirum est, vt mille vnus efficiatur. Cur ergo tantas nobis vires, tantam securitatem non cõparamus? hoc diuitiis omnibus, hoc bonæ valetudini, hoc ipsi vitæ præstat, hoc æquanimittatis materia. Quousque vno, & quibus dilectionem circumscribemus? Considera econtrariò: Sit qui nullum amicum habeat: quod vltimè est amentia (fatuus enim dicit, non est mihi amicus) huiusmodi vir quam vitam viuere? Quamuis enim ditissimus sit, quamuis omni copia, & delitiis abundet, quamuis innumera bona possideat, omnibus caret. Sed non in amicis ita vsu venit, sed & pauper diuitibus ditior est: & quæ in se pro se dicit non audebit, amicus dicit: & quæ sibi præstare non poterit, alius & id & longè maiora præstabit, hoc pacto & voluptatis, & securitatis materiam inueniet. Neque enim est, vt malè accidat, qui tot satellitibus custoditur: neque regij corporis custodes tam diligentes sunt suo muneri obsecundo, vt amici amico. Illi namque necessitate, & metu custodiunt, hi beneuolentia & dilectione, quæ metu longè potentior est: & ille custodes suos metuit, hic illis magis quàm sibi ipsi fidit, & idcirco nullius timet insidias. Has ergo merces nobis comparemus; pauper, vt paupertatis eas solatium

Math. 23.

latiū habeas: diues, vt diuitias tueatur: princeps, vt securē dominetur, subditus, vt benignius sibi princeps conciliet. Hoc mansuetudinis fundamentum: nam & fera illa asperiores sunt, & feruiores, quæ non gregatim viuunt. Propterea ciuitates habitamus, fora habemus, vt inuicem conuerseremur: quod Paulus iubet, inquit; Non derelinquentes congregationem suam: Nihil enim peius solitudine, & locis inaccessis. At inquit; Quid monachi montium cacumina habitantes? Neque illi sine amicis sunt, sed multitudinis tumultus refugium: amicos autem, & certo amoris vinculo sibi deuinctos habent, vt hoc assequantur, secedunt. Nam, cum rerum actiones, plurimas concipiant contentiones: ideo è medio secedentes quàm diligentissimè dilectionē colunt. Et quid si quis solus sit, inquit, & innumeros haberet amicos? Equidem, si fieri posset, velim, & vt etiam simul versari liceret, iam firma maneat amicitia. Neque enim locus amicos facit. Multos habet laudatores, qui non laudarent, nisi amarent. Et ipsi rursus pro vniuerso mundo orant: quod maximæ dilectionis est argumētū. Ideo in mysteriis inuicem osculamur, vt multi vnum efficiamur, & communes pro non initiatis preces effundimus, & pro infirmis, & terræ, & maris, & vniuersi orbis fructibus sacrificamus. Vides dilectionis vim in orationibus, in mysteriis, in admonitionibus? hoc omnium bonorū causa est. Si hoc diligenter complectemur, & præsentia rectè disponemus, & regnum consequemur: gratiā & benignitate Domini nostri Iesu Christi, cum quo patri gloria, simul & Spiritui sancto, in secula seculorum, Amen.

Feb. 10.

Ecce apparet in liturgijs Gratia.

Ex Tract. 94. in Iohan. 10. 10. 11.

Act. 7.

S. AVGVST. EPISCOPI  
Hipponensis in superioribus  
Euang. Homil.

**N**unc autem vado ad eum, qui me misit, & nemo, inquit, ex vobis interrogat me, quo vadis? Significat dominus Iesus sic se iturum, vt nullus interrogaret, quod palam fieri visu corporis cernerent: nam superioribus interrogauerunt eum discipuli, quod esset iturus, & responderat eis se iturum, quod ipsi tunc venire non possent. Nunc vero ita se promittit iturum, vt nullus eorum, quod vadit, interroget. Nubes enim suscepit eum quando ascendit ab eis, & euntem in cælum non verbis quæsierunt, sed oculis deduxerunt. Sed quia hæc locutus sum vobis, inquit, tristitia implebit cor vestrum. Videbat vtiq; quid illa sua verba in eorū cordibus agerēt, spiritalem quippe nondum interius habentes consolationem, quam per spiritum sanctum fuerant habituri, id quod exterius in Christo videbāt, amittere metuebāt; & quia se amissuros esse illum vera denunciante dubitare non poterant, contristabatur humanus affectus, quia carnalis desolabatur aspectus. Nouerat autem ille quid eis potius expediret, quia visus interior ipse est vtiq; melior, quo eos consolaturus fuerat spiritus sanctus, non cernentium corporibus ingesturus corpus humanum, sed seipsum credentium pectoribus infuturus: denique adiungit, Sed ego veritatem dico vobis, expedit vobis vt ego vadam, si enim non abiero, paracletus non veniet ad vos, si autem abiero, mittam eum ad vos, tanquam diceret, expedit vobis vt hæc

forma serui auferatur à vobis, caro quid est factum verbum habito in vobis, sed nolo me carnaliter adhuc diligatis, & isto lacte contenti semper infantes esse cupiatis, Expedit vobis vt ego vadam, si enim non abiero, paracletus non veniet ad vos: Si alimta tenera, quibus vos alui, non subtraxero, solidū cibum non esurietis: si carni carnaliter hæseritis, capaces spiritus nō eritis: nam quid est, si non abiero, paracletus non veniet ad vos? Nunquid hic positus, eum nō poterat mittere? Quis hoc dixerit? Neq; enim vbi ille erat, iste inde recesserat, & sic venerat à patre, vt non maneret in patre. Postremo quomodo eum etiam hic constitutus nō poterat mittere, quem scimus super eum baptizatum venisse, atque mansisse, imò vero à quo scimus eum nunquam separabilem fuisse? Quid est ergo, si non abiero, paracletus non veniet ad vos: nisi nō potestis capere spiritū, quādiū secūdum carnem persistitis nosse Christum? Vnde, ille inquit, qui iam ceperat spiritum: Et si noueramus, inquit, secundum carnem Christum, sed nunc iam non nouimus: Etiam ipsam quippe carnem Christi non secundum carnem nouit, qui verbum carnem factum spiritualiter nouit. Hoc nimirum significare voluit magister bonus dicens: Si enim non abiero, paracletus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos. Christo autē descendente corporaliter, nō solum spiritus sanctus, sed & pater, & filius illis affuit spiritaliter: nam si ab eis sic abcessit Christus, vt pro illo non cum illo in eis esset spiritus sanctus, vbi est eius promissio dicentis, Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi, & veniemus ad eum ego & pater, & mansionem apud eum faciemus, cum & spiritum sanctum ita se promiserit esse missurum, vt cum eis esset in æternum, ac per hoc cum ex carnalibus vel animalibus essent spirituales futuri, profecto & patrem & filium & spiritum sanctum capacius fuerant habituri. In nullo ergo credendus est esse pater sine filio & spiritu sancto, (aut pater & filius sine spiritu sancto, aut filius sine patre, & spiritu sancto), aut sine patre & filio spiritus sanctus, aut pater & spiritus sanctus sine filio, sed vbi eorum quilibet vnus, ibi trinitas Deus vnus. Oportebat autem ita insinuari trinitatem, vt, quamuis nulla esset diuersitas substantiarum, sigillatim tamen commendaretur distinctio personarum, vbi eis, qui recte intelligunt, nunquam videri potest separatio naturarū: quod autem legitur. Et cum venerit ille, arguet mundum de peccato, & de iustitia, & de iudicio: de peccato quidem, &c. Tanquam solum sit peccatum non credere in Christum, & tanquam ipsa sit iustitia non videre Christum, & tanquam ipsum sit iudicium, quod princeps huius mundi, hoc est, diabolus, iudicaturus est, valde latebrosus est, nec isto sermone coarctandum, ne fiat obscurius breuitate, sed alio potius, quantum dominus adiuuerit, explicandum.

EIVSDEM IN IDEM  
Homilia 2.

**P**romittēs dominus missurum se spiritum sanctum: Cum venerit, inquit, ille arguet mundum de peccato, & de iustitia, & de iudicio. Quid est hoc? Nunquid nam dominus Christus non arguit mundum de pecca

Math. 3.

2. Cor. 5.

Math. 2. Iohan. 14.

Tract. 95. in Iohan. 10. 11.

de peccato, cum ait, Si non venissem, & locutus eis fuisset, peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent de peccato suo: Sed ne quis forte dicat hoc ad Iudæos proprie pertinere, non ad mundū: nōne alio loco inquit, Si de mundo essetis, mundus quod suū erat diligeret? Nunquid non arguit de iustitia, vbi ait, Pater iuste, mundus te non cognouit? Nunquid non arguit de iudicio, vbi se ait sinistris esse dicturum, Ite in ignē æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius? Et multa alia reperiantur in sancto Euāgelio, vbi de his Christus arguit mundū: quid est ergo quod tanquam proprie tribuit hoc spiritui sancto? An forte quia Christus in Iudæorum gente tantum locutus est, mundum non videretur arguisse, vt ille intelligatur argui, qui audit argumentum? Spiritus autem sanctus in discipulis eius toto orbe diffusus, non vnam gentem intelligitur arguisse, sed mundum: nam hoc illis ait ascensurus in cælum, Non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ pater posuit in sua potestate, sed accipietis virtutem spiritus sancti superuenientis in vos, & eritis mihi testes in Hierusalem, & in tota Iudæa, & in Samaria, & vsque ad fines terræ: hoc est, arguere mundum. Sed quis audeat dicere quod per discipulos Christi arguit mundum spiritus sanctus, & non arguat ipse Christus, cum clamet Apostolus, An vultis experimentum accipere eius, qui in me loquitur Christus? Quos itaq; arguit spiritus sanctus, arguit vtiq; & Christus. Sed quantum mihi videtur, quia per spiritum sanctum diffusenda erat charitas in cordibus eorū, quæ foras mittit timorē, quo impediri possent, ne argueret mundum qui persecutionibus fremebat auerēt, propterea dixit, ille arguet mundum, tanquam diceret, ille diffusor in cordibus vestris charitatem, sic enim timore depulso, arguendi habebitis libertatem. Sæpe autem diximus inseparabilia opera esse trinitatis, sed sigillatim commendandas fuisse personas, vt non solum sine separatione, verum etiam sine confusione & vnitas intelligatur, & trinitas: exponit deinde quid dixerit de peccato, & de iustitia, & de iudicio: De peccato quidem, inquit, quia non crediderunt in me. hoc enim peccatum quasi solum sit præ cæteris posuit, quia hoc manente cætera detinentur, & hoc discedente cætera remittuntur. De iustitia vero, inquit, quia ad patrem vado, & iam non videbitis me. Hic primo videndum est, si recte quisque arguitur de peccato, vtrū recte arguatur, & de iustitia. Nunquid si arguendus est peccator propterea, quia peccator est, arguendum putabit quisquam & iustum propterea quia iustus est? Absit. Nam & si aliquando iustus arguitur, ideo recte arguitur, quia scriptum est, Non est iustus in terra, qui faciat bonum & non peccet: quocirca etiam cum iustus arguitur, de peccato arguitur non de iustitia: quoniam & in illo quod legitur mundus arguendus est de iustitia, nisi de iustitia credentium? Arguitur itaq; de peccato, quia in Christum non credit, & arguitur de iustitia eo-

Iohan. 17. Math. 25.

Act. 1.

4. Cor. 13.

Rom. 5. I. Iohan. 4.

Act. 7.

rum qui credunt: ipsa quippe fidelium comparatio, infidelium est vituperatio, hoc & ipsa expositio satis indicat: volens enim aperire quid dixerit, de iustitia vero, inquit, quia ad patrem vado, & iam non videbitis me: non ait, & iam non videbunt me: de quibus dixerat, quia non credunt in me, sed peccatum quid vocaret exponens, de illis locutus est, dicens, quia non credunt in me: exponens autem quam dixerit iustitiam, de qua dixit, mundus arguitur, ad ipsos quibus loquebatur, se conuertit atque ait, Quia ad patrem vado, & iam non videbitis me. Quapropter mundus de peccato quidem suo, de iustitia vero arguitur aliena, sicut arguuntur de lumine tenebræ: Omnia enim, quæ arguuntur, ait Apostolus, à lumine manifestantur. Quantum enim malū sit eorum, qui non credunt, non solum per seipsum, verum etiam ex bono potest eorum apparere, qui credūt. Et quoniam ista vox infidelium esse consuevit, quomodo credimus quod non videmus: Ideo credentium iustitiam sic oportuit definiri, quia ad patrem vado, & iam non videbitis me: beati enim qui non vident & credunt. Nam & qui viderunt Christum, non in eis laudata est fides eorum, quia credebant quod videbant, id est, filium hominis, sed quia credebant quod non videbant, id est, filium Dei. Cum vero & ipsa forma serui subtracta eorum esset aspectibus, tunc vero ex omni parte impletum est, iustus ex fide viuunt, est enim fides, sicut in Epistola quæ ad Hebræos est definitur, sperandarum substantia, & conuictio rerum, quæ non videntur. Sed quid est, iam non videbitis me? non enim ait, ad patrem vado, & non videbitis me, vt tēporis interuallū quo non videbitur, significasse intelligeretur, siue breue, siue longum, tamen vtiq; terminatum: sed dicendo, iam non videbitis me, velut nunquam de cetero visurus eos Christum veritas prænuuciauit? Hæcne iustitia est, nunquam Christum videre, & in eum tamen credere, cum propterea laudetur fide ex qua iustus viuunt quoniam credit quem modo nō videt Christum, se aliquando esse visurum? Postremo secundum hanc iustitiam, nunquid dicturi sumus Paulum Apostolum non fuisse iustum, consistentem se Christum vidisse post ascensionem eius in cælum, de quo vtiq; iam tempore dixerat, iam non videbitis me. Nunquid secundum hanc iustitiam iustus non erat gloriosissimus Stephanus, qui cum lapidaretur, ait, Ecce video cælum apertum, & filium hominis stantem ad dexteram Dei? Quid ergo est: Ad patrem vado, & iam non videbitis me: nisi quomodo sum, cum vobiscum sum? Tunc enim adhuc erat mortalis in similitudine carnis peccati, qui esurire poterat atque sitire, fatigari atque dormire: Hunc ergo Christū, id est, talem Christum cum transisset de hoc mundo ad patrem, non erant iam visuri, & ipsa est iustitia fidei, de qua dicit Apostolus: Et si noueramus Christum secundum carnem, sed nūc iam non nouimus. Erit itaque, inquit, vestra iustitia qua mundus arguetur, quia vado ad patrem, & iam non videbitis me, quoniam in eum, quem non videbitis, credetis in me, & quando me videbitis quod tunc ero, non videbitis me, quod sum vobiscum modo, nō videbitis me humilē, sed excelsum: non videbitis mortalem, sed sempiternum: non videbitis iudicandum, sed iudicaturum, & de hac fide vestra, id est, iustitia vestra, arguet

Eph. 5.

Iohan. 20.

Abac. 2. Rom. 1. Feb. 11.

\* al. sperantium.

1. Cor. 15.

Act. 7.

1. Cor. 5.

arguet spiritus sanctus incredulum mundum. *Arguet etiam de iudicio, quia princeps huius mundi iudicatus est. Quis est iste, nisi de quo ait alio loco, Ecce venit princeps mundi, & in me nihil inuenit: id est, nihil iuris sui, nihil quod ad eum pertineat, nullum scilicet omnino peccatum? Per hoc enim est diabolus princeps mundi, non enim cæli & terræ & omnium quæ in eis sunt est diabolus princeps, qua significatione intelligitur mundus, vbi dictum est, Et mundus per eum factus est: sed mundi est diabolus princeps, de quo mundo ibi cōtinuo subiungit atque ait, Et mundus eum non cognouit, hoc est, homines infideles, quibus toto orbe terrarum mundus est plenus: inter quos gemit fidelis mundus, quem de mundo elegit, per quem factus est mundus, de quo ipse dicit, Non venit filius hominis vt iudicer mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum. Mundus eo iudicante, damnatur, mundus eo subueniente, saluatur, quoniam sicut arbor foliis & pomis, sicut area paleis, & frumentis, ita infidelibus & fidelibus plenus est mundus. Princeps est ergo mundi huius, hoc est, princeps tenebrarum harum, hoc est, infidelium, de quibus eruitur Ephes. 5. mundus quibus dicitur, Fuiſtis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Princeps mundi huius de quo alibi dicit, Nunc princeps mundi huius missus est foras: vtiq; iudicatus est, quoniam iudicio ignis æterni irrevocabiliter destinatus est. Et de hoc itaque iudicio, quo princeps iudicatus est mundi, arguitur à spiritu sancto mundus, quoniam cum suo principe iudicatur, quem superbi, atque impium imitatur. Si enim Deus, sicut dicit Apostolus Petrus, peccantibus angelis non pepercit, sed carceribus caliginis inferi retrudens tradidit in iudicio puniendos seruari, quomodo non à spiritu sancto de hoc iudicio mundus arguitur, quando in spiritu sancto hæc loquitur Apostolus? Credat itaque homines in Christum, ne arguantur de peccato infidelitatis suæ, quo peccata omnia derinentur. Transcant in iudicium fidelium, ne arguantur de iusticia eorum, quos iustificatos non imitantur. Caueant futurum iudicium, ne cum mundi principe damnentur, quem indicatum imitantur. Etenim ne sibi existimet parci superbia dura mortalium, de superbiorum supplicio terrenda est angelorum.*

**EIVSDEM IN IDEM**  
*Homilia 3.*

*In isto sancti Evangelij capitulo, vbi dominus ait discipulis suis, Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. Prieus quærendum illud occurrit, quomodo superius dixerit, Omnia quæ audini à patre meo, nota feci vobis: & hic dicit, adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. Verum illud quomodo dixerit, quod nondum fecerat tanquam fecerit, sicut ea quæ futura sunt Deum fecisse Propheta testatur dicēs, Qui fecit, quæ futura sunt, iam cū ipsa verba tractarem, vt potuimus, exposuimus. Nunc ergo quæ ista sint quæ Apostoli tunc portare non poterant, vultis forsitan scire. Sed quis nostrum audeat eorum se dicere iam capacem quæ illi capere non valebant? Ac per hoc nec à me expectanda sunt vt dicantur, quæ forte non caperem, si mihi*

ab alio dicerentur: nec vos ea portare possētis, etiam si ego tantus essem, vt à me isto quæ vobis altiora sunt audiretis. Et fieri quidem potest, vt sint in vobis aliqui ad ea capiendam iam idonei, quæ alij capere nondum valent, & si non omnia: de quibus magister ille Deus dicebat, *Adhuc multa habeo vobis dicere*, tamen eorum fortasse nonnulla? Sed quænam sint ista quæ ipse non dixit, temerarium est velle præsumere & dicere: nam & mori pro Christo nondū erant idonei tunc Apostoli quibus dicebat, Non potestis me sequi modo. Vnde primus eorum Petrus, qui hoc iam se posse præsumperat, aliud expertus est quàm putabat: & tamen postea & viri & mulieres, pueri & puellæ, iuvenes & virgines, senes cum iunioribus innumerabiles martyrio coronati sunt, & paucæ inuentæ sunt oves, quod tunc quando ista dominus loquebatur, nondum poterant portare pastores. Nunquid ergo debuit illis omnibus dici in illo tentationis articulo, quod certare vsque ad mortem pro veritate oportebat, & pro Christi nomine; vel doctrina sanguinem fundere: nunquid, inquam, debuit eis dici, *Quis vestrum audeat idoneum martyrio se putare, cui Petrus idoneus nondum fuerat, quando eum os ad os ipse dominus instruebat? Sic itaque dixerit aliquis, non debere dici populis Christianis audire cupientibus: quæ sint, de quibus dominus tunc dicebat, Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo: si Apostoli nondum poterant, multo minus vos potestis: quia forte sic multi possunt audire, quod tunc nondum poterat Petrus: sic multi possunt martyrio coronari, quod tunc nondum poterat Petrus, præsertim iam missio spiritu sancto, qui tunc nondum erat missus, de quo cōtinuo subiungit atque ait, Cum autem venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Sic vtiq; demonstrans illos, ideo quæ habebat dicere, portare non posse, quia nondum ad eos venerat spiritus sanctus. Ecce concedamus vt ita sit multos ea modo portare posse iam missio spiritu sancto, quæ tunc eo nondum missio, non poterant portare discipuli. Nunquid ideo scimus, quæ sint, quæ dicere noluit, quæ tunc sciremus, si ab eo dicta legeremus, vel audissemus? Aliud est enim scire, vtrum à nobis vel à vobis portari possint, aliud autem scire quæ sint, siue portari possint, siue nō possint. Quæ cum ipse tacuerit, quis nostrum dicat ista vel illa sunt: aut si dicere audeat, vnde probat? Quis enim est tam vanus aut temerarius, qui cum dixerit etiam vera quibus voluerit, quæ voluerit, sine vlllo testimonio diuino affirmet ea esse, quæ tunc dominus dicere noluit? Quis hoc nostrum faciat, & non maximam culpam temeritatis incurrat, in quo nec prophetica, nec apostolica excellit auctoritas? Nam profecto si eorum aliquid legissemus in libris canonica auctoritate firmatis, qui post ascensionem domini scripti sunt, parum fuerat hoc legisse: nisi illic id etiam legeretur hoc ex eis esse, quæ tunc dominus noluit discipulis suis dicere, quia non poterant illa portare: tanquam si verbi gratia, ego dicerem illud quod legimus in huius Evangelij capite, In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum, hoc erat in principio apud Deum, & alia quæ sequuntur, quoniā postea scripta sunt, nec ea dominum Iesum dixisse narratum est, cum hic esset in carne, sed hæc vnus ex Apostolis*

stolis eius ipso ac spiritu eius sibi renelante conscripserit, ex his esse, quæ noluit tunc dominus dicere, quia ea discipuli portare non poterant, quis me audiat tam temere ista dicentem? Si autem vbi hoc legimus, ibi hoc etiam legeremus, quis non tanto Apostolo crederet? Sed id quoque mihi videtur absurdissime dici, ea tunc non potuissent portare discipulos quæ de inuisibilibus, & altissimis rebus inuenimus in apostolicis literis, quæ postmodum scriptæ sunt, nec ea dominus quando cum illis visibiliter erat, dixisse narratur: cur enim ea tunc ferre non poterant, quæ nunc in eorum libris quis non legat, quis non ferat, etiam si non intelligat? Nonnulla quidem homines infideles in scripturis sanctis, & non intelligunt, cum legunt, vel audiunt, & lecta, vel audita ferre non possunt: sicut Pagani, quod per eum, qui crucifixus est, factus est mundus: sicut Iudæi, quod filius Dei sit, qui eo modo quo ipsi celebrat sabbatum soluit: sicut Sabelliani, quia trinitas est pater, & filius, & spiritus sanctus: sicut Arriani, quia æqualis est patri filius, & patri, ac filio spiritus sanctus: sicut Photiniani, quia non homo tantum similis nobis, sed etiā Deus Deo patri æqualis est Christus: sicut Manichæi, quod Christus Iesus, per quem liberati sumus, nasci in carne, & de carne dignatus est: & cæteri omnes peruersarum, ac diuersarum sectarum homines, vtiq; ferre nō possunt, quicquid in scripturis sanctis & in fide catholica reperitur, quod contra eorum profertur errores, sicut nos ferre non possumus sacrilegas eorum vanitates, & infanias mendaces. Quid enim ferre nō posse, nisi æquo animo non habere: Sed omnia, quæ post ascensionem domini canonice veritate, atque auctoritate conscripta sunt, quis fidelis vel etiam catechumenus, antequam spiritum sanctum baptizatus accipiat, non æquo animo legit, atque audit, etiam si nondum scire oportet intelligit? Quomodo ergo aliquid eorum, quæ post ascensionem domini scripta sunt, non possent ferre discipuli, etiam nondum sibi missio spiritu sancto, cum omnia nunc ferunt catechumeni nondum accepto spiritu sancto: quia et si non eis fidelium sacramenta produntur, non ideo sit quod ea ferre non possunt, sed vt ab eis tanto ardentius concupiscantur, quanto eis honorabilius occultantur. Quapropter, charissimi, non à nobis expectetis audire, quæ tunc noluit dominus discipulis dicere, quia nondum poterant illa portare, sed potius in charitate proficite, quæ diffunditur in cordibus vestris per spiritum sanctum, qui datus est vobis, vt spiritu feruentes, & spiritualia diligentes, spiritalem lucem, spiritalemque vocem, quam carnales, & animales homines ferre non possunt, nō aliquo signo corporalibus oculis apparente, nec aliquo sono corporalibus auribus instrepente, sed interiore conspectu, & auditu nosse possitis. Non enim diligitur, quod penitus ignoratur, sed cum diligitur quod ex quantum lacuque parte cognoscitur, ipsa efficitur dilectione, vt melius, & plenius cognoscatur. Si ergo in charitate proficiatis, quam diffundit in cordibus spiritus sanctus, docebit vos omnem veritatem: vel sicut alij codices habent, *deducet vos in omni veritate*: vnde dictum est, Deduc me, domine, in via tua & ambulabo in veritate tua. Sic fiat vt non à doctoribus exterioribus illa discatis, quæ noluit dominus tunc dicere, sed sitis omnes docibiles Dei, vt

ea ipsa, quæ per lectiones, atque sermones extrinsecus adhibitos didicistis, & credidistis de natura Dei non corporea, nec loco aliquo inclusa, nec per finita spacia locorum, quasi mole distenta, sed vbique tota, & perfecta, & infinita, sine notis colorum, sine figuris lineamentorum, sine notis literarum, sine serie syllabarum, ipsa mente conspiciere, ac percipere valeatis: ecce dixi aliquid quod forte inde sit, & tamē accepistis, & non solum ferre potuistis, verum etiam libenter audistis. Sed si ille magister interior, qui cum adhuc discipulis exterius loqueretur ait, *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo*, velle nobis id quod de incorporea Dei natura dixi, intrinsecus ita dicere, sicut sanctis angelis dicit; qui semper vident faciem patris, nondum ea portare possemus: proinde quod ait, *Docebit vos omnem veritatem*. Vel, *deducet vos in omni veritate*: non arbitror in hac vita in cuiusquam mente posse compleri: quis enim viuens in hoc corpore quod corrumpitur & aggrauat animam, possit omnem cognoscere veritatem, cum dicat Apostolus, Ex parte scimus. Sed quia per spiritum sanctum fit, vnde nunc pignus accepimus, vt ad ipsam quoque plenitudinem veniamus, de qua idem dicit Apostolus, Tunc autem facie ad faciem, & nunc scio ex parte, tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum: non quod in hac tantū vita, sed totum quod vsque ad illam perfectionem futurum est, nobis dominus promisit per charitatem spiritus dicēs, *Docebit vos omnem veritatem: vel, deducet vos in omni veritate*. Quæ cum ita sint, dilectissimi, moneo vos in charitate Christi, vt seductores caueatis impuros, & obscenæ turpitudinis sectas, de quibus ait Apostolus, Quæ autem occulte sunt ab istis, turpe est & dicere: ne cum horrendas immunditias docere ceperint, quas humanæ aures qualescunque sint, portare non possunt, dicant ipsa esse, quæ dominus ait, *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo*: & per spiritum sanctum afferant fieri, vt possint illa immunda, & nefanda portare. Alia sunt mala, quæ portare non potest qualiscunque pudor humanus, & alia sunt bona, quæ portare non potest paruus sensus humanus. Ista sunt in corporibus impudicis, illa remota sunt à corporibus vniuersis, hoc in pura carne committitur, illud pura mente vix cernitur. Renouamini ergo spiritu mentis vestræ, & intelligite, quæ sit voluntas Dei, quod bonum, & beneplacitum, & perfectum est, vt in charitate radicati, & fundati possitis cōprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit longitudo, latitudo, & profundum, cognoscere etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi, vt impleamini in omnem plenitudinem Dei. Isto enim modo vos docebit spiritus sanctus omnem veritatem, cum magis magisque diffundet in cordibus vestris charitatem.

**EIVSDEM IN IDEM**  
*Homilia 4.*

Spiritus sanctus, quem promisit Dominus se discipulis suis esse missurum, qui eos doceret omnem veritatem, quam tunc quando cum eis loquebatur portare non poterant, de quo spiritu sancto, sicut dicit Apostolus, nunc pignus accepimus, quo verbo intelligeremus eius plenitudinem  
Bibl. Hom. tom. 3. G nem

Ioan. 14.

Ioan. 3.

Ioan. 1.

Ephes. 1.

Ephes. 5.

Ioan. 12.

1. Pet. 2.

Tract. 96. in Ioan.

Ioan. 14.

Ioan. 2.

Rom. 5.

Psal. 85.

Esa. 54. 2. cor. 6.

Matth. 18.

1. Pet. 9. 1. Cor. 13. 2. Cor. 13. 5.

Ephes. 5.

Rom. 12. Ephes. 3.

Tract. 97. in Ioan.

1. Cor. 13. 5.

nem nobis in vita alia referuari. Ipse ergo spiritus sanctus & nunc docet fideles, quanta quisque potest capere, & spiritalia eorum pectora desiderio maiore succendit, si quisque in ea charitate proficiat, qua & diligit cognita, & cognoscenda desideret, ita vt ea quoque ipsa, quae nunc quomodo docunquē cognoscit, nondum se scire sciat, sicut scienda sunt in ea vita, quam nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit. Quo sciendi modo, si nunc ea vellet interior magister dicere, id est nostrae menti aperire atque monstrare, humana infirmitas portare non posset. Unde me vestra dilectio meminuit iam locutum, cum sancti Euangelij verba tractarem, vbi Dominus ait. *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo.* Non vt in his Domini verbis nescio quae secreta nimis abdita suspicentur, quae cum dici à docente possint, portari à discipulis non possint: sed ea ipsa, quae doctrina religionis in quorūlibet hominum notitia legimus, & scribimus, audimus, & dicimus, si vellet eo modo nobis Christus dicere, sicut ea dicit angelis sanctis in seipso vni genito verbo, patri coaeterno, quinam portare homines possent, etiam si iam essent spirituales, quales adhuc Apostoli non fuerunt, quando ista eis Dominus dixit, qualesque postea veniente sancto spiritu facti sunt: Nam vti que quicquid de creatura sciri potest, minus est ipso creatore, qui summus, & verus, & immutabilis est Deus. Et quis eum tacet, vbi non à legentibus, disputantibus, quaerentibus, respondentibus, laudantibus, cantantibus, quoquo modo sermocinantibus, postremo ab ipsis etiam blasphemantibus nominatur? Et cum eum nemo taceat, quis est qui eum sicut intelligendus est, capiat, cum de oribus, & auribus hominum non recedat, quis est cuius acies ad eum mentis accedat? Quis est qui eum trinitatem esse scisset, nisi ipse sic innotescere voluisset? Et quis hominum iam istam sileat trinitatem, & tamen quis hominum sicut angeli sapiat trinitatem? Ea ipsa ergo, quae de Dei aternitate, veritate, sanctitate in promptu, & palam sine cessatione dicuntur, ab aliis bene, ab aliis male intelliguntur, imò ab aliis intelliguntur, ab aliis non intelliguntur: qui enim male intelligit, non intelligit. Ab eis ipsis autem, à quibus bene intelliguntur, ab aliis minus, ab aliis amplius mentis viuacitate cernuntur, & à nullo hominum sicut ab angelis capiuntur. In ipsa ergo mente, hoc est, in interiore homine quodammodo crescit, non solum vt ad cibum à lacte transeat, verum etiam vt amplius, atque amplius cibus ipse sumatur. Nō autem crescit spaciofa mole, sed intelligentia luminosa, quia & ipse cibus intelligibilis lux est. Vt ergo crescatis, eumque capiat, & quanto magis crescatis, tanto magis magisque capiat, non ab eo doctore, qui vestris auribus sonat, hoc est, foris secus operando plantat, & rigat, sed ab eo, qui dat incrementum, petere, ac sperare debetis. Proinde sicut praterito sermone communi, caute, maxime qui paruuli estis, & adhuc alimentis lacteis indigetis, ne hominibus sub hac occasione deceptis, ac deceptoribus, quia Dominus ait, *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo,* aurem curiosam praebeat ad incognita scienda, cum mentes inualidas habeatis ad vera, & falsa diiudicanda, maxime propter ob-

1. Cor. 1.  
1. Cor. 3.  
1. Cor. 14.  
1. Cor. 15.  
1. Cor. 16.  
1. Cor. 17.  
1. Cor. 18.  
1. Cor. 19.  
1. Cor. 20.  
1. Cor. 21.  
1. Cor. 22.  
1. Cor. 23.  
1. Cor. 24.  
1. Cor. 25.  
1. Cor. 26.  
1. Cor. 27.  
1. Cor. 28.  
1. Cor. 29.  
1. Cor. 30.  
1. Cor. 31.  
1. Cor. 32.  
1. Cor. 33.  
1. Cor. 34.  
1. Cor. 35.  
1. Cor. 36.  
1. Cor. 37.  
1. Cor. 38.  
1. Cor. 39.  
1. Cor. 40.  
1. Cor. 41.  
1. Cor. 42.  
1. Cor. 43.  
1. Cor. 44.  
1. Cor. 45.  
1. Cor. 46.  
1. Cor. 47.  
1. Cor. 48.  
1. Cor. 49.  
1. Cor. 50.  
1. Cor. 51.  
1. Cor. 52.  
1. Cor. 53.  
1. Cor. 54.  
1. Cor. 55.  
1. Cor. 56.  
1. Cor. 57.  
1. Cor. 58.  
1. Cor. 59.  
1. Cor. 60.  
1. Cor. 61.  
1. Cor. 62.  
1. Cor. 63.  
1. Cor. 64.  
1. Cor. 65.  
1. Cor. 66.  
1. Cor. 67.  
1. Cor. 68.  
1. Cor. 69.  
1. Cor. 70.  
1. Cor. 71.  
1. Cor. 72.  
1. Cor. 73.  
1. Cor. 74.  
1. Cor. 75.  
1. Cor. 76.  
1. Cor. 77.  
1. Cor. 78.  
1. Cor. 79.  
1. Cor. 80.  
1. Cor. 81.  
1. Cor. 82.  
1. Cor. 83.  
1. Cor. 84.  
1. Cor. 85.  
1. Cor. 86.  
1. Cor. 87.  
1. Cor. 88.  
1. Cor. 89.  
1. Cor. 90.  
1. Cor. 91.  
1. Cor. 92.  
1. Cor. 93.  
1. Cor. 94.  
1. Cor. 95.  
1. Cor. 96.  
1. Cor. 97.  
1. Cor. 98.  
1. Cor. 99.  
1. Cor. 100.

animas instabiles, atque carnales, ad hoc Deo fi-nente vt eius vbi que sint tremenda iudicia, & in comparatione impura nequitia dulcescat purissima disciplina, atque illi det honorem, timorem autem, vel pudorem sibi, qui in illa mala, vel illo regente non cecidit, vel illo inde leuante surrexit. Cauete simēdo, & orādo, ne irruatis in illud enigma Salomonis, vbi mulier insipiens & audax, in opus panis effecta, conuocat praeuertes dicens, Panes occultos libenter attingite, & aquae furtiuae dulcedinem. Hae enim mulier vanitas est impiorū, cum sint insipientissimi, aliquid se scire opinantium, sicut de ista muliere dictum est, in opus panis effecta. Quae cum sit in opus panis, promittit panes, id est, cum sit ignara veritatis, promittit scientiam veritatis, occultos tamen panes promittit, quos tamē dicit libenter attingi, & aquae furtiuae dulcedinem, vt ea scilicet libentius, & dulcius audiantur, & agantur, quae palam in Ecclesia dici, credique prohibentur. Ipsa quippe occultatione condunt quodammodo nefarij doctores sua venena curiosis, vt ideo se existiment aliquid dicere magnū, quia merētur habere secretum, & suauius hauriant insipientiam, quam putant scientiam, cuius prohibita quodammodo furantur audaciam. Hinc & nefarios ritus suis hominibus sacrilega curiositate deceptis, vel decipiendis; magicarum artium doctrina commendat. Hinc illae illicitae diuinationes, in speis pecudum visceribus occisorum, aut vocibus, & volatibus auium, aut signis multiformibus daemoniorum, insurrant auribus hominum peritorum \* per colloquia perditorum. Propter hanc illicita, atque puniēda secreta, mulier illa nō solum insipiens, verum audax etiam nuncupatur. Sed hanc nō solum à re ipsa, verū & à nomine nostrae religionis aliena sunt. Quid quod mulier hanc insipiens & audax sub Christiano vocabulo tot scelestas haereses condidit, tot nefandas fabulas finxit: vti tales, quales in theatris siue cantantur, siue saltantur, siue mimica scurrilitate ridentur, & non quasdam tales, quales aduersus Deum fingere potuissent, sic illam doleamus insipientiam, vt miremur audaciam. Omnes autē insipientissimi haeretici, qui se Christianos vocari volunt, audacias signetorum suorum, quas maxime exhorret sensus humanus, hac occasione Euangelicis sententiis colorare conantur, vbi dominus ait, *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo:* quasi hae ipsa sint, quae tunc discipuli portare non poterant, & ea docuerit spiritus sanctus, quae palam docere, atque praedicare, quantalibet feratur audacia, spiritus erubescit immundus, Hoc Apostolus in spiritu sancto praeuidens ait: Erit enim tempus, quo sanam doctrinam non sustinebunt, sed secundum desideria sua magistros sibi coaceruabunt prurientes auribus, & à veritate quidem auditum suum auertentes, ad fabulas autem conuertentur: illa enim secreta, furtiue commemoratio qua dicitur, Panes occultos libenter attingite, & aquae furtiuae dulcedinem: pruritus facit audientibus in auribus spiritaliter fornicantibus, sicut pruritus quodam libidinis etiam in carne corrumpitur integritas castitatis. Audite itaque Apostolum talia praeudentem, & ea vitanda salubriter admonentem. Prophanas, inquit, verborum nouitates deuota: multum enim proficiunt ad impietatem, & sermo eorum sicut cancer serpit. Et non ait verborum

Prover. 9.  
\* Audientiam.  
\* al. impetrum.  
1. Tim. 4.  
2. Tim. 1.  
2. Tim. 2.

borum nouitates: sed addit, prophanas: sunt enim & doctrinae religionis congruentes verborum nouitates, sicut ipsum nomen Christianorum quando dici ceperit, scriptum est, In Antiochia enim primum post ascensionem domini appellati sunt discipuli Christiani, sicut legitur in Actibus Apostolorum: & xenodochia, & monasteria postea sunt appellata nouis nominibus: res tamē ipsae & ante nomina sua erant, & religionis veritate firmantur, qua etiam contra improbos defenduntur. Aduersus impietatem quoque Atrianorum haereticorum nouum nomen patres Homouisionem coniderunt, sed non rem nouam tali nomine signauerunt: hoc enim vocatur Homouision, quod est, ego, & pater vnū sumus, vnus videlicet, eiusdemque substantiae. Nam, si omnis nouitas prophana esset, nec à domino diceretur; Mandatum nouum do vobis: nec testamentum appellaretur nouum: nec cantaretur in vniuersa terra canticum nouum: Sed prophanas sunt verborum nouitates, vbi dicit mulier insipiens, & audax, Panes occultos libenter attingite, & aquae furtiuae dulcedinem. Ab hac pollicitatione falsae scientiae prohibet etiam illo loco Apostolus vbi dicit, O Timothee, depositum custodi, deuotans prophanas vocum nouitates, & contradictiones falsi nominis scientiae, quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt: nihil enim sic amant isti quae scientiae promittere, & fidē rerum verarum\* quas credere paruuli praecipuntur, velut imperitiam deridere. Dicit aliquis, Nihil ne spirituales viri habent in doctrina, quod carnalibus taceant, & spiritalibus eloquantur? Si respondero, non habent, continuo mihi dicitur ex epistola ad Corinthios Apostoli Pauli, Non potui vobis loqui quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus, quasi paruulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam: nondum enim poteratis, sed nec adhuc quidem poteratis: adhuc enim estis carnales: & illud; Sapietiam loquimur inter perfectos: & illud; Spiritalibus spiritalia comparantes: animalis autem homo nō percipit, quae sunt spiritus Dei, stultitia enim est illi. Hoc totum quale sit, ne rursus propter hanc verba Apostoli prophanis vocum nouitatibus secreta quaerantur, & ea quae debet castorum spiritus, corpusque vitare, dicatur carnalis sustinere nō posse, sermone alio si dominus donauerit, disputandum est, vt iam istū aliquando claudamus.

1. Cor. 11.  
1. Cor. 12.  
1. Cor. 13.  
1. Cor. 14.  
1. Cor. 15.  
1. Cor. 16.  
1. Cor. 17.  
1. Cor. 18.  
1. Cor. 19.  
1. Cor. 20.  
1. Cor. 21.  
1. Cor. 22.  
1. Cor. 23.  
1. Cor. 24.  
1. Cor. 25.  
1. Cor. 26.  
1. Cor. 27.  
1. Cor. 28.  
1. Cor. 29.  
1. Cor. 30.  
1. Cor. 31.  
1. Cor. 32.  
1. Cor. 33.  
1. Cor. 34.  
1. Cor. 35.  
1. Cor. 36.  
1. Cor. 37.  
1. Cor. 38.  
1. Cor. 39.  
1. Cor. 40.  
1. Cor. 41.  
1. Cor. 42.  
1. Cor. 43.  
1. Cor. 44.  
1. Cor. 45.  
1. Cor. 46.  
1. Cor. 47.  
1. Cor. 48.  
1. Cor. 49.  
1. Cor. 50.  
1. Cor. 51.  
1. Cor. 52.  
1. Cor. 53.  
1. Cor. 54.  
1. Cor. 55.  
1. Cor. 56.  
1. Cor. 57.  
1. Cor. 58.  
1. Cor. 59.  
1. Cor. 60.  
1. Cor. 61.  
1. Cor. 62.  
1. Cor. 63.  
1. Cor. 64.  
1. Cor. 65.  
1. Cor. 66.  
1. Cor. 67.  
1. Cor. 68.  
1. Cor. 69.  
1. Cor. 70.  
1. Cor. 71.  
1. Cor. 72.  
1. Cor. 73.  
1. Cor. 74.  
1. Cor. 75.  
1. Cor. 76.  
1. Cor. 77.  
1. Cor. 78.  
1. Cor. 79.  
1. Cor. 80.  
1. Cor. 81.  
1. Cor. 82.  
1. Cor. 83.  
1. Cor. 84.  
1. Cor. 85.  
1. Cor. 86.  
1. Cor. 87.  
1. Cor. 88.  
1. Cor. 89.  
1. Cor. 90.  
1. Cor. 91.  
1. Cor. 92.  
1. Cor. 93.  
1. Cor. 94.  
1. Cor. 95.  
1. Cor. 96.  
1. Cor. 97.  
1. Cor. 98.  
1. Cor. 99.  
1. Cor. 100.

EIVSDEM IN IDEM  
Homilia 5.

EX verbis Domini nostri vbi dicit, *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo.* Exortam difficilem questionem me recolo distulisse, vt inde ociosus tractaretur, quia illum modum competens cōpellebat finire sermonem, nunc ergo, quoniam tempus est promissa reddendi, pertractetur vt dominus ipse donauerit, qui cordi nostro vt proponeretur ingressit. Hae est autem quaestio, vtrū spirituales homines habeant aliquid in doctrina, quod carnalibus taceant, & spiritalibus dicat. Quia si dixerimus, non habent: respondetur nobis, Quid est ergo quod dicebat Apostolus scribens ad Corinthios, Non potui vobis loqui quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus, quasi paruulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam: non enim poteratis, sed nec adhuc quidem poteratis: adhuc enim estis carnales: & illud; Sapietiam loquimur inter perfectos: & illud; Spiritalibus spiritalia comparantes: animalis autem homo nō percipit, quae sunt spiritus Dei, stultitia enim est illi. Hoc totum quale sit, ne rursus propter hanc verba Apostoli prophanis vocum nouitatibus secreta quaerantur, & ea quae debet castorum spiritus, corpusque vitare, dicatur carnalis sustinere nō posse, sermone alio si dominus donauerit, disputandum est, vt iam istū aliquando claudamus.

cam: nondum enim poteratis, sed nec adhuc quidem poteratis, adhuc enim estis carnales? Si autem dixerimus, habent, timendum & cauendum est, ne sub hac occasione in occultis nefaria doceantur, & spiritalium nomine velut ea, quae carnales capere non possunt, non solum exultatione dealbata, verum etiam praedicatione laudanda videantur. Primum ergo scire debet charitas vestra, quod ipse Christus crucifixus, quo velut lacte paruulos aluisse se dicit Apostolus, ipsa vera caro eius, in qua facta est vera mors eius, & vulnera vera confixa, sanguinisque excussa, non eo modo à carnalibus, quo ab spiritalibus cogitatur, & illis est lac, istis cibus est, quia & si non audiunt amplius, intelligunt amplius. Non enim aequaliter mente percipitur, etiam quod in fide pariter ab vniuersis recipitur, ita fit vt praedicatus ab Apostolis Christus crucifixus, & Iudaeis esset scandalum, & Gentibus stultitia, & ipsis vocatis Iudaeis & Graecis Dei virtus, & Dei sapientia: sed carnalibus paruulis id tantum credendo tenentibus: spiritalibus autem capacioribus id etiam intelligendo cernentibus. Illis ergo tanquam lacteus potus, istis tanquam solidus cibus, non quia hoc illi aliter in populis, isti aliter in cubiculis cognouerūt, sed quod eodem modo vtrique cum palam diceretur audiebant, pro suo modo quique capiebant. Cum enim Christus propterea sit crucifixus, vt in remissionem peccatorum sanguinem funderet, quae eius vni geniti passione diuina gratia commendatur, vt nemo in homine gloriatur, quomodo intellegebant Christum crucifixum qui adhuc dicebant, Ego sum Pauli, Nunquid quomodo ipse Paulus qui dicebat, Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi? De ipso itaque Christo crucifixo, & ipse cibus pro sua capacitate sumebat, & illos lacte pro eorum infirmitate nutrebat. Denique illa quae scripsit ad Corinthios, aliter vti que ab ipsis paruulis, aliter à capacioribus posse intelligi sciens, ait; Si quis est inter vos propheta, aut spiritalis, agnoscat quae scribo vobis, quia domini est mandatum: si quis autem ignorat, ignorabitur, solidam profecto voluit esse scientiam spiritalium, vbi non sola fides accommodaretur, sed certa cognitio teneretur: ac per hoc illi ea ipsa credebant, quae spirituales insuper agnoscebant. Ignorabitur autem, ait, qui ignorat: quia nondum ei reuelatum est, vt quod credit sciat. Quod cum sit in hominis mente, ipse dicitur cognosci à Deo, quia Deus illum cognoscentem facit, sicut alibi ait, Nunc autem cognoscentes Deum, imò cogniti à Deo: neque enim tunc cognouerat eos Deus, praecognitos & electos ante mundi constitutionem, sed tunc eos se ipsum cognoscere fecerat. Hoc igitur primitus cognitio, quod ea ipsa, quae simul audiunt spiritalibus, atque carnales, pro suo modulo quique capiunt, illi vt paruuli, isti vt maiores, illi vt lactis alimentum, isti vt cibi solidamentum, nulla videtur esse necessitas, vt aliqua secreta doctrinae taceantur, & abscondantur fidelibus paruulis, seorsum dicenda maioribus, hoc est, intelligentioribus, & hoc ideo faciendum putetur; quia dixit Apostolus, Non potui vobis loqui quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus. Hoc ipsum enim quod non iudicauit se scire in eis nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum, ipsis non potuit loqui quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus, quia id sicut spiritalibus, sed quasi carnalibus, quia id sicut spiritalibus.

1. Cor. 1.  
1. Cor. 3.  
1. Cor. 1.  
Galat. 6.  
1. Cor. 14.  
Ephes. 1.  
1. Cor. 3.  
1. Cor. 1.  
1. Cor. 14.  
1. Cor. 15.



ritales capere non valebant. Quicunque autem spiritalis inter eos erant, id est, quod illi tanquam carnales audiebant, spiritali ipsi intellectu capiebant, ut sic intelligatur quod ait, Non potui vobis loqui quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus: ac si diceret, non potuisti quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus capere, quod loquebar. Animalis enim homo, id est, qui secundum hominem sapit, animalis dicitur ab anima, carnalis à carne, quia ex anima, & carne constat totus homo, non percipit quæ sunt spiritus Dei, id est, quid gratiæ credentibus crux conferat Christi, & putat hoc illa cruce actum esse tantummodo, ut nobis usque ad mortem pro veritate certantibus, imitandum præberetur exemplum: nam si scirent huiusmodi homines, qui nolunt esse nisi homines, quemadmodum Christus crucifixus factus sit nobis sapientia à Deo, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio, ut quemadmodum scriptum est, Qui gloriatur, in domino gloriatur: proculdubio non gloriarentur in homine, nec carnaliter dicerent, Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollonis, ego vero Cephæ: sed spiritaliter, Ego sum Christi. Verum illud adhuc quæstionem facit, quod in epistola ad Hebræos legitur, Cum iam deberetis tempore ipso esse doctores, iterum doctrina indigetis, quæ sint elementa sermonum Dei, & facti estis opus habentes lacte, non solido cibo. Omnis enim, qui lactat, in expertus est verborum iustitiæ, infans est enim. Perfectorum est autem solidus cibus, eorum, qui per habitum exercitatos habent sensus ad separandum bonum à malo. Hic enim videmus tanquam definitum esse, quem perfectorum dicit solidum cibum: & hoc esse illud quod ad Corinthios scriptum est, Sapientiam loquimur inter perfectos, quos autem perfectos voluerit hoc loco intelligi, subiecit, atque ait, qui per habitum exercitatos habent sensus, ad separandum bonum à malo. Hoc vero qui inualida, & inexercitata mente non possunt, profecto nisi fidei quodam lacte teneantur, & inuisibilia, quæ non vident, & intelligibilia, quæ nondum intelligunt, credant, facile ad vanas, & sacrilegas fabulas promissione scientiæ ducuntur, ut & bonum, & malum non nisi corporalibus imaginibus cogitent, & ipsum Deum non nisi aliquod esse corpus existiment, & malum non nisi substantiam putare non possint, cum sit potius ab immutabili substantia mutabilium substantiarum quidam defectus, quas fecit ex nihilo ipsa immutabilis, & summa substantia, qui est Deus. Quod profecto quisquis non solum credidit, verumetiam exercitatis interioribus animi sensibus intelligit, percipit, novit: non est iam metuendum, ne seducatur ab eis, qui malum putando esse substantiam, quam non fecit Deus, mutabilem substantiam faciunt ipsum Deum, sicut Manichæi, vel si quæ aliæ pestes ita desipiunt, sed mente adhuc paruulos, quos dicit Apostolus carnales lacte nutriendos. Omnis de hac re sermo, quo agitur, ut non solum credatur, verumetiam intelligatur, sciaturque quod dicitur, percipere talia non valentibus onerosus est, faciliusque illos premit, quam pascit. Ex quo fit ut spiritalis ista carnalibus non omnino taceant propter catholicam fidem, quæ omnibus prædicanda est, nec tamen sic differant, ut volentes ea perducere ad intelligentiam non capacem, facilius fastidiri faciant in veritate sermonem quam in ser-

1. Cor. 3.

1. Cor. 2.

1. Cor. 2.

1. Cor. 2.

1. Cor. 2.

1. Cor. 2.

1. Cor. 2.

mone percipi veritatem. Propterea dicit scribens ad Colossenses, Et si corpore absens sum, spiritu vobiscum sum gaudens, & videns ordinationem vestram, & id quod deest fidei vestræ in Christo. Et ad Thessalonicenses, Nocte, ac die, inquit, abundantius orantes, ut videamus faciem vestram, & suppleamus, quæ defuit fidei vestræ. Intelligendi sunt utique ita primum catechizati, ut lacte alerentur, non solido cibo, cuius lactis ad Hebræos commemoratur veritas eis, quos volebat cibi soliditate iam pascere: propter quod ait, ideoque remittentes initium Christi verbum, in confirmationem respiciamus, non iterum iacentes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fidei in Deum, lauacri doctrine, impositionis manuum, resurrectionis etiam mortuorum, & iudicij æterni. Hæc est lactis veritas, sine quo non viuunt, qui iam quidem ratione vtuntur ut possint credere: sed bonum à malo non credendo tantum, verumetiam intelligendo quod pertinet ad solidum cibum, separare non possunt. Quod autem in lactis commemoratione posuit & doctrinam, ipsa est, quæ per symbolum traditur, & orationem dominicam. Sed huic lacti absit ut sit contrarius cibus rerum spiritalium firmam intelligentiam capiendus, qui Colossensibus, & Thessalonicensibus defuit, & suppletus fuit. Quando enim suppletur quod defuit, non improbat quod fuit: nam & in ipsis quæ sumimus alimentis, usque adeo non est lacti contrarius solidus cibus, ut ipse lactescat, quo possit esse aptus infantibus, ad quos per matris, vel nutricis pervenit carnis: sicut fecit etiam mater ipsa sapientia, quæ cum sit in excelsis angelorum solidus cibus, dignata est quodammodo lactescere paruulis, cum verbum caro factum est, & habitavit in nobis. Sed ipse homo Christus, qui vera carne, vera cruce, vera morte, vera resurrectione, sincerum lac dicitur paruulorum, cum bene ab spiritalibus capitur, invenitur dominus angelorum. Proinde nec sic paruuli sunt lactandi, ut semper non intelligant Deum Christum: nec sic ab lactandi, ut deserant hominem Christum. Quod alio modo id ipsum ita dici potest, nec sic lactandi sunt, ut creatorem nunquam intelligant Christum: nec sic ab lactandi, ut mediatorem nunquam deserant Christum. In hoc quippe non convenit huic rei similitudo materni lactis, & solidi cibi: sed potius fundamenti, quia & puer quando ab lactatur: ut ab alimentis infantie iam recedat, inter solidos cibos non repetit verbera, quæ fugebat: Christus autem crucifixus, & lac sugentibus, & cibus est proficientibus. Fundamenti vero ideo est aptior similitudo, quia ut perficiatur, quod struitur, additur ædificium, non subtrahitur fundamentum. Quæ cum ita sint, o quicunque estis, qui sine dubio multi estis paruuli in Christo, proficite ad solidum cibum mentis, non ventris, proficite ad separandum bonum à malo, & magis magisque inhærete mediatori, per quem liberamini à malo, quod non est à vobis loco separandum, sed in vobis potius est sanandum. Quisquis autem vobis dixerit, nolite credere verum hominem Christum, aut non à vero Deo corpus cuiuslibet hominis vel cuiuslibet animantis creatum, aut non à vero Deo vetus testamentum datum, & si quid huiusmodi: hæc enim vobis prius ideo non dicebantur, quædo lacte nutriebamini, quoniam ad vera capienda cor nondum habebatis

Colos. 2.

1. Thes. 3.

\* aliis my. 1. Thes. 3.

1. Tim. 1.

Philip. 3.

Rom. 1.

Galat. 3.

1. Cor. 12.

ris idoneum, non vobis iste cibum præparat, sed venenum. Propter quod beatus Apostolus eos alloquens qui sibi iam videbatur esse perfecti, cum se imperfectum ipse dixisset, Quicunque ergo, inquit, perfecti sumus, hoc sapiamus, & si quid aliter sapitis, hoc quoque vobis Deus revelabit. Et ne forte incurrerent in seductores, qui eos vellēt à fide auertere, promittendo scientiam veritatis, & hoc putatē esse quod dixit Apostolus, id quoque vobis Deus revelabit: continuo subiunxit, Verumtamen in id quod pervenimus, in eo ambulemus. Si quid ergo intellexeris quod non sit contra regulam catholicæ fidei, ad quam velut viam, quæ te ducat ad patriam pervenisti, & sic intellexeris, ut inde dubitare omnino non debeas, ad ædificiū, noli tamen relinquere fundamentum. Sic debent maiores docere aliquid paruulos, ut omnium dominum Christum, & seipsum longe maiores Prophetas & Apostolos non dicat aliquid fuisse mentitos, Non autem solum vaniloquos, & mētis seductores fabulosa, & falsa garriones, & in eis vanitatis velut altam scientiā promittentes contra regulam fidei, quam catholicam suscepistis, cauere debetis, verumetiam ipsos, qui de ipsa diuinæ immutabilitate nature, vel incorporea creatura, siue creatore veraciter disputant, & quod dicunt omnino documentis, atque rationibus certissimis probant, & tamen ab vno Dei & hominum mediatore conantur auertere, tanquam pestem insidiosam cæteris fugite: tales enim sunt de quibus dicit Apostolus, Quia cognoscentes Deum, non sicut Deum glorificauerunt. Quid enim prodest habere intelligentiam veram de immutabili bono, ei qui non tenet, per quem liberetur à malo? Propterea admonitio beatissimi Apostoli de vestris cordibus non recedat, si quis vobis euangelizauerit præter quàm quod accepistis, anathema sit. Non ait plus quàm accepistis: sed, præter quàm quod accepistis. Nam si illud diceret, sibi ipsi præiudicaret, qui cupiebat venire ad Thessalonicenses, ut suppleret, quæ illorum fidei defuerunt. Sed qui supplet, quod minus erat addit, non quod inerat, tollit. Qui autem prætergreditur regulam fidei, non accedit in viam, sed recedit de via: quod itaque ait dominus, Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo, adijcienda illis fuerant quæ nesciebant, non quæ didicerant euerterenda: Et ille quidem, sicut in pristino sermone iam exposui, potuit hoc ita dicere, quia illa ipsa, quæ docuerat, si vellet eis sic aperire, ut in illo concipiuntur ab angelis, hoc infirmitas humana, in qua adhuc erant, ferre non posset. Spiritalis autem homo quilibet potest alterum hominem docere, quod nonit, si proficendo capacior faciat spiritus sanctus, in quo & ipse doctor aliquid amplius addiscere potuit, ut sint ambo docibiles Deo, quanquam & inter ipsos spiritalis sint utriusque; alij alij capaciores atque meliores, ita ut quidam illorum ad ea perveniret, quæ non licet homini loqui. Quæ occasione vani quidam Apocalypsim Pauli, quam sana non recipit Ecclesia, nescio quibus fabulis plenā, stultissima præsumptione finxerunt, dicentes hanc esse, vnde dixerat rapsum se fuisse in tertium cælum, & illic audisse ineffabilia verba, quæ non licet homini loqui. Vt tanque illorum tolerabilis esset audacia, si se audisse dixisset, quæ adhuc non licet homini loqui, cum vero dixerit, quæ non licet homini lo-

qui, isti, qui sunt, qui hæc audeant impudenter, & infeliciter loqui: Sed iam istum sermonem hoc sine concludam, per quem vos esse cupio sapientes quidem in bono, integros autem à malo. \* *Alia simplices autem malo.*

**EIVSDEM IN IDEM**  
*Homil. 6.*

**Q**uid est quod dominus ait de spiritu sancto, cum venturum esse promitteret: & doctorum discipulos eius omnem veritatem, vel eos deducturum in omni veritate. *Non enim loquetur à semetipso, sed quacunque audiet loquetur.* Simile est hoc ei quod de semetipso dixit, Non possum à meipso facere quicquam, sicut audio iudico. Sed illud cum exponeremus, secundum hominem posse accipi diximus, ut obedientiam suam, qua factus est obediens usque ad mortem crucis prænucliale filius videretur, & iudicium futurum, quo vivos, & mortuos iudicabit, quia hoc per id facturus est, quod filius hominis est, propter quod dixit, Pater non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit filio, quia in iudicio non forma Dei, qua æqualis est patri, nec ab impiis videri potest, sed forma hominis apparebit, qua minoratus est etiam modico minus ab angelis, quamvis iam in claritate, non in pristina sit humilitate venturus, conspicuus tamen futurus & bonis, & malis: hinc ait, & illud, Et potestatem dedit ei iudicium facere, quoniam filius hominis est. In quibus verbis eius manifestatur non eam formam præsentandam esse iudicio, in qua cum esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed illam quam cum semetipsum exinanisset, accepit. *Se metipsum enim exinaniuit formam serui accipiens, in qua videtur etiam ad faciendum iudicium obedientiam suam commēdasse, cum dixit: Non possum facere à meipso quicquam, sicut audio iudico. Adam namque per cuius vnus hominis inobediētiam peccatores constituti sunt multi, non sicut audiuit iudicauit, quia quod audiuit præuaticatus est, & à semetipso fecit malū, quod fecit, quia non Dei voluntatem, sed suam fecit. Iste autem, per cuius vnus hominis obedientiam iusti constituuntur multi, non solum obediens fuit, usque ad mortem crucis, in qua est vnus iudicatus à mortuis: sed obedientem se futurum promittens in ipso quoque iudicio, quo est de viuis iudicaturus, & mortuis, Non possum, inquit, à meipso facere quicquam, sicut audio iudico: sed nunquid de spiritu sancto quod dictum est, Non enim loquetur à semetipso, sed quacunque audiet, loquetur, secundum hominem vel secundum assumptionem cuiusquam creaturæ dictum esse audebimus opinari? Solus quippe in trinitate filius formam serui accepit, quæ forma illi ad vnitatem personæ coaptata est, id est, ut filius Dei & filius hominis vnus sit Iesus Christus, ne non trinitas, sed quaternitas prædicetur, quod absit à nobis. Propter quam personam profectò vnam ex duabus substantiis diuinā, humanaque constantem, aliquando secundum id quod dominus est loquitur, ut est illud quod ait, Ego, & pater vnus sumus: aliquando secundum id quod homo est, sicuti est illud, Quoniam pater maior me est, secundum quod accepimus esse ab eo dictum, & hoc vnde nunc disputo, Non possum à meipso facere quicquam,*

Tract. 99. In Ioan.

Ioan. 5.

Ioan. 5.

Philip. 2.

Ioan. 5.

Ioan. 5.

Ioan. 10.

Ioan. 14.

quicquam, sicut audio iudico. In persona vero Spiritus sancti quomodo id accipiamus quod ait, *Non enim loquetur à semetipso, sed quaecunque audiet, loquetur*, cum in ea non sit alia diuinitas, alia humanitatis, vel alterius creaturæ cuiuscūque substantia magna exoritur difficultas. Illud enim quod sicut coluba Spiritus sanctus apparuit specie corporali, visio fuit ad horā facta atque trāfacta: sicut etiam quādo super discipulos venit, visā sunt illis linguæ diuinae velut ignis, qui & in fedit super vnūquenque eorū. Qui ergo dicit columbam ad vnitatem personæ Spiritui sancto fuisse coniunctā vt ex illa & Deo, quia Spiritus sanctus Deus est, vna Spiritus sancti persona constaret, & hoc etiam de illo igne compellitur dicere, vt intelligat nihil horum debere se dicere: ista enim quæ de substantia Dei quoquo modo vt opus erat significanda corporeis hominum sensibus se intulerunt, atque trāsiērūt, ad horam diuinitus facta sunt de creatura seruiente, non de ipsa dominante natura, quæ in se manens, quod vult, mouet, & quod vult, immutabilis mutat. Sicut etiam vox illa de nube aures vtique attingit corporales, eūmq; sensum corporis, qui vocatur auditus, nec tamen villo modo credendum est verbum Dei, quod est vnigenitus filius, quoniam verbum dicitur, syllabis, tonisque finiri, quia nec omnes simul sonare possunt cum seruo sit, sed tanquam nascentes morientibus ordine suo soni quicunque succedunt, vt totum quod loquimur nouissima syllaba compleatur. Absit vt sic loquatur pater ad filium, hoc est, Deus ad verbum Deum. Sed hoc eorum est capere, quantum ab homine capi potest, ad quos non lac pertinet, sed solidus cibus. Cum igitur Spiritus sanctus nulla susceptione hominis sit homo factus, nulla susceptione angeli sit angelus factus, nulla susceptione cuiuscūque creaturæ creatura sit factus, quomodo de illo intelligendum est quod dominus ait, *Non enim loquetur à semetipso, sed quaecunque audiet, loquetur*. Ardua quæstio, nimis ardua, ipse asit Spiritus, vt saltem sicut eam cogitare possumus, sic eloqui possimus, ac sic ad intelligentiam vestram pro mei moduli facultate perueniat. Prius itaque nosse debetis, & intelligere potestis, credere autem, qui intelligere nondum potestis, in ea substantia, quæ Deus est, non quasi per corporis molem sensus locis propriis distributos, sicut in carne mortali quorūque animalium alibi est visus, alibi auditus, alibi gustus, alibi olfactus, per totum autem tactus. Absit hoc credere in illa incorporea, immutabilique natura; audire ergo ibi & videre id ipsum est. Dicitur & olfactus in Deo vnde dicit Apostolus, Sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suauitatis. Et gustus intelligi potest secundum quem Deus & odit amaricantes, & nec frigidus nec calidos, sed tepidos euomit ex ore suo: & Iesus Christus dicit, Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius, qui me misit: est etiam tactus ille diuinus, vnde dicit sponsa de sponso, Sinistra eius sub capite meo, & dextera eius complectitur me: non sunt hæc in Deo per diuersa corporis loca, cum enim dicitur scire, ibi sunt omnia & videre, & audire, & olfacere, & gustare, & tangere, sine vlla eius mutatione substantiæ, sine vlla mole, quæ in alia parte maior, in alia minor, etiam in sensibus \* pueri pectore cogitur, quan-

Matth. 3.  
Act. 2.  
Ephes. 5.  
Galat. 2.  
Apost. 3.  
Ioan. 4.  
Cant. 2.  
\* Alias sensibus.

do Deus sic cogitur: Nec miretis quōd ineffabilis Dei scientia, qua nouit omnia, per varios humanæ locutionis modos, omnium istorum corporalium sensuum nominibus nuncupatur, cum & ipsa mens nostra, hoc est homo interior, cui vniformiter scienti per hos quinque veluti nuncios corporis diuersa nunciantur, quando immutabilem veritatem intelligit, eligit, diligit, & lumen videt de quo dicitur, Erat lumen verum: & verbum audit de quo dicitur, In principio erat verbum: & odorem capit, de quo dicitur, Post odorem vnguentorum tuorum currimus: & fontem bibit, de quo dicitur, Apud te est fons vite: & tactu fruitur, de quo dicitur, Mihi autem adherere Deo bonum est: nec aliud, atque aliud, sed vna intelligentia tot sensuum nominibus nuncupatur. Cum ergo de Spiritu sancto dicitur, *Non enim loquetur à semetipso, sed quaecunque audiet, loquetur*: multo magis ibi simplex natura, vbi verissime simplex est, vel intelligenda vel credenda, quæ longe latèque naturam nostræ mentis excedit. Mutabilis quippe est mens nostra, quæ percipit discendo, quod nesciebat, & amittit dediscendo, quod sciebat: & verisimilitudine fallitur, vt pro vero approbet falsum, & obscuritate sua quasi quibusdam tenebris impeditur, ne perueniat ad verum. Et ideo non est ista substantia verissime simplex, cui non hoc est esse quod nosse: potest enim esse nec nosse. Atqui illa diuina non potest, quia id quod habet est, ac per hoc non sic habet scientiā, vt aliud illi sit scientia qua scit, aliud essentia qua est, sed vtrunque vnum est: nec vtrunque dicendum est, quod simpliciter vnum est: sicut habet pater vitam in semetipso: nec aliud est ipse quā vitam quæ in ipso est, & dedit filio habere vitam in semetipso, hoc est, genuit filium, qui & ipse vita esset. Sicut itaque debemus accipere, quod de Spiritu sancto dictum est, *Non enim loquetur à semetipso, sed quaecunque audiet, loquetur*, vt intelligamus nō eum esse à semetipso. Pater quippe solus de alio non est, nam & filius de patre natus est, & Spiritus sanctus de patre procedit. Pater autem nec natus est de alio, nec procedit. Nec ideo sanè aliqua disparitas in summa illa trinitate cogitationi occurrat humanæ: nam & filius ei, de quo natus est, & Spiritus sanctus ei, de quo procedit, æqualis est. Quid autem illic intersit inter procedere, & nasci, & longum est querendo disserere, & temerarium cum disserueris, definire, quia hoc & menti vtrunque comprehendere, & si quid forte mens inde comprehenderit, linguæ difficillimum est explicare quantumlibet sit doctus, quantumlibet ad sit auditor: *Non ergo loquetur à semetipso*, quia non est à semetipso, sed quaecunque audiet loquetur, ab illo audiet, à quo procedit. Audire illi scire est: scire vero esse, sicut superius disputatum est. Quia ergo non est à semetipso, sed ab illo à quo procedit, à quo illi est essentia, ab illo scientia, ab illo igitur audientia, à quo nihil est aliud quam scientia: nec moueat, quod verbum futuri temporis positum est, non enim dictum est, quæcunque audiuit, aut quæcunque audit sed quæcunque audiet loquetur: illa quippe audientia sempiterna est, quia sempiterna est scientia. In eo autem quod sempiternum est, sine initio, & sine fine, cuiuscumque temporis verbum ponatur, siue præteriti, siue præsentis, siue futuri, non mendaciter ponitur. Quamuis enim natura illa

Ioan. 1.  
Cant. 1.  
Psal. 31.  
Psal. 72.  
Ioan. 5.  
Ioan. 4.  
Galat. 4.  
Rom. 8.  
Ioan. 4.  
Ioan. 22.

illa immutabilis, & ineffabilis non recipiat, fuit, & erit, sed tantum est: ipsa enim veraciter est, quia mutari non potest, & ideo illi tantum conuenienter dicere, Ego sum qui sum: & dices filiis Israel, qui est, misit me ad vos: tamen propter mutabilitatem temporum, in quibus versatur nostra mortalitas & nostra mutabilitas, nō mendaciter dicimus, & fuit & erit & est. Fuit in præteritis seculis, est nō præsentibus, erit in futuris, Fuit, quia nunquam defuit: erit, quia nunquam deerit: est, quia semper est. Neque enim veluti quiam non sit cum præteritis occidit, aut cum præsentibus velut qui nō maneat labitur, aut cum futuris velut qui non fuerat oriatur. Proinde cū secundum volumina temporum locutio humana variatur, qui per nulla deesse potuit, aut potest, aut poterit tēpora, vera de illo dicuntur cuiuscumque temporis verba. Semper itaq; audit Spiritus sanctus, quia semper scit. Ergo & sciuit, & scit, & sciet, ac per hoc & audiuit, & audit, & audiet, quia sicut iam diximus, hoc est illi audire, quod scire, & scire illi hoc est quod esse. Ab illo igitur audiuit, audit, & audiet à quo est, ab illo est, à quo procedit. Hic aliquis forsitan querat, vtrum & à filio procedat Spiritus sanctus, filius enim solius patris est filius, & pater solius filij est pater, Spiritus autem sanctus non est vnus eorum Spiritus, sed amborum. Habes ipsum dominum dicentem. Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus patris vestri qui loquitur in vobis: habes & Apostolum, Misit Deus, inquit, spiritum filij sui in corda vestra, nunquid duo sunt, alius patris, alius filij? Absit: Vnum enim corpus, ait, cum significaret ecclesiam, mōxque addidit, & vnus Spiritus. Et vide quomodo illic impleat trinitatem. Sicut vocati estis, inquit, in vna spē vocationis vestræ, vnus dominus, hic vtrique Christum intelligi voluit. Restat vt etiam patrem nomine sequatur ergo, Vna fides, vnum baptisma, vnus Deus, & pater omnium, qui super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis. Cum ergo sicut vnus pater, & vnus dominus, id est, filius ita sit & vnus Spiritus, profecto amborum est, sicut ipse Christus Iesus dixit, Spiritus patris vestri qui loquitur in vobis: & dicit Apostolus, Misit Deus Spiritum filij sui in corda nostra: habes & alio loco eundem Apostolum dicentem, Si autem Spiritus eius, qui suscitauit Iesum à mortuis, habitat in vobis. Hic vtrique Spiritum patris intelligi voluit, de quo tamen alio loco dicit, Quisquis autem Spiritum Christi non habet, hic non est eius. Et multa alia sunt testimonia, quibus hoc euidenter ostenditur, & patris, & filij ipsum esse Spiritum, qui in trinitate dicitur Spiritus sanctus. Nec ob aliud existimo ipsum vocari proprie Spiritum, cum etiam si de singulis interrogemur, nō possumus nisi patrem, & filium Spiritum dicere, quoniam Spiritus est Deus, id est, non corpus est Deus, sed Spiritus: quod ergo communiter vocant & singuli, hoc proprie vocari oportuit eum, qui non est vnus eorum, sed in quo communiter apparet amborum. Cur ergo non credamus quod etiam de filio procedat Spiritus sanctus, cum filij quoque ipse sit Spiritus? Si enim non ab eo procederet, non post resurrectionem se representans discipulis suis insufflans diceret, Accipite Spiritum sanctum: quid enim aliud significauit illa insufflatio, nisi quod procedat Spiritus sanctus & de ipso

Ad hoc pertinet etiam illud, quod de muliere, quæ fluxum sanguinis pariebat, ait, Tetigit me Luc. 8. aliquis, ego enim sensu de me virtutem exiisse: nam virtutis nomine appellari etiam Spiritum sanctum, & eo loco clarum est, vbi angelus dicenti Mariæ. Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco: respondit, Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. Et ipse dominus promittens eum discipulis ait, Vos sedete in ciuitate, quoadusque induamini virtute ex alto: & iterum, Accipietis, inquit, virtutem Spiritus sancti superuenientem in vos, & eritis mihi testes, de hac virtute erendus est dicere Euangelista, Virtus de illo exibat, & sanabat omnes. Si ergo & de patre, & filio procedit Spiritus sanctus cur filius dixit, de patre procedit: cur putas nisi quem admodum ad eum solet referre & quod ipsius est, de quo & ipse est: vnde illud est quod ait, Mea doctrina nō est mea, sed eius qui misit me. Si igitur intelligatur hic eius doctrina, quam tamen dixit non suam, sed patris, quanto magis illic intelligendus est & de ipso procedere Spiritus sanctus, vbi sic ait, de patre procedit, vt non diceret, de me non procedit: à quo autem habet filius vt sit Deus, est enim de Deo Deus, ab illo habet vtrique, vt etiam de illo procedat Spiritus sanctus, ac per hoc Spiritus sanctus, vt etiam de filio procedat, sicut procedit de patre, ab ipso habet patre. Hic vtrunque etiam illud intelligitur, quantum à talibus quales nos sumus intelligi potest, cur non dicatur natus esse, sed potius procedere Spiritus sanctus, quoniam si & ipse filius diceretur, amborum vtrique filius diceretur, quod absurdissimum est: filius quippe nullus est datorum, nisi patris, & matris, amborum vtrique filius diceretur. Absit autem, vt inter Deum patrem, & Deum filium tale aliquid suspicemur, quia nec filius hominis simul & ex patre, & ex matre procedit: sed cum in matre procedit ex parte, non tunc procedit & ex matre: & cum in hanc lucem procedit ex matre, non tunc procedit ex patre. Spiritus autem sanctus non de patre procedit in filium, & de filio procedit ad sanctificandam creaturam, sed simul de vtroque procedit, quamuis hoc filio pater de dicit, vt quemadmodum de se, ita de illo quoque procedat: neque enim possumus dicere quod nō sit vita Spiritus sanctus, cum vita sit pater, vita sit filius, ac per hoc sicut pater cum habeat vitam in semetipso, dedit & filio habere vitam in semetipso, sic ei dedit vitam procedere de illo sicut procedit & de seipso. Sequuntur autem verba domini dicentis. *Et quæ ventura sunt annuntiabit vobis, ille me clarificabit, quia de meo accipiet & annuntiabit vobis. Omnia quaecunque habet pater, mea sunt: propterea dixi, quia de meo accipiet & annuntiabit vobis.* Sed quia ista iam prolata sunt, in alium sunt differenda sermonem.

Luc. 1.  
Luc. 24.  
Act. 1.  
Ioan. 7.

EIVSDEM IN IDEM  
Homilia. 7.

Cum promitteret dominus venturum Spiritum sanctum, Docet vos, inquit, omnem veritatem: vel quod in nonnullis codicibus legitur, deducet vos in omnem veritatem: non enim loquetur à semetipso, sed quaecunque audiet, loquetur. De quibus Euangelicis verbis iam quod donauit dominus

Tracta. 100.  
in Ioan.

disputauimus: nunc ea quæ sequuntur attendite, *Et quæ ventura sunt, inquit, annuntiabit vobis.* Neque enim hic, quoniam planum est, immorandum: nihil enim habet quæstionis, cuius à nobis expositio flagitetur: sed quod adiungit, *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis,* non negligenter est transeundum, quod enim ait, *Ille me clarificabit,* potest intelligi, quia diffundendo in cordibus credentium charitatem spiritalēq; faciēdo, declarauit eis quomodo filius patri esset æqualis, quem secundum carnem prius tantummodo nouerant, & hominem sicut homines cogitabant. Vel certe quia per ipsam charitatem fiducia repleti, & timore depulso annuncianerunt hominibus Christum, ac sic fama eius diffusa est in toto orbe terrarū, vt sic dilexerit, *Ille me clarificabit,* tāquam diceret, ille vobis auferet timorem, & dabit amorem, quo me ardentius prædicantes, gloriæ meæ per totum mundum dabitis odorem, commendabitis honorem. Quod enim facturi fuerant in spiritu sancto, hoc eundem spiritum dixit esse facturum: quale est etiam illud, Non enim vos estis, qui loquimini, sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis. Verbum quippe Græcum quod est *δοξα*, alius clarificabit, alius glorificabit: Latini interpretes in sua quisque translatione posuerunt, quoniam ipsa quæ Græcè dicitur *δοξα* vnde dictum est verbum *δοξα*, & claritas interpretatur, & gloria. Gloria nanque sit quisque clarus, & claritate gloriosus, ac per hoc quod vtroque verbo significatur, id ipsum est. Sicut autem definiunt antiqui Latine linguæ clarissimi authores, Gloria est frequens de aliquo fama cum laude. Quæ cum est in hoc mundo facta de Christo, non Christo credēda est magnum aliquid contulisse, sed mundo. Bonum enim laudare, non laudato sed laudantibus prodest. Est autem etiam falsa gloria, quando laudantes errore falluntur, siue in rebus, siue in hominibus, siue in vtriusque. Nam in rebus falluntur, quando putant id bonum esse quod malum est: in hominibus autem, quando putant eum bonum esse, qui malus est. In vtriusque vero, quando & id, quod est vitium, virtus putatur, & ipse, qui propter hoc laudatur, non habet, quod putatur, siue sit bonus, siue sit malus. Donare quippe res suas histrionibus vitium est immane, non virtus. Et scitis de talibus quam sit frequens fama cum laude, quia sicut scriptum est, Laudatur peccator in desiderijs animæ suæ, & qui iniqua gerit benedicatur. Hi laudatores non falluntur in hominibus sed in rebus: malum est enim, quod bonum esse credunt. Illi autem qui hoc malo largitionis vitiosi sunt, tales vti que sunt, quales eos hi qui laudant, non suspicantur esse, sed cernunt. Porro si se quisquam iustum fingat, & non sit, sed totum quicquid coram hominibus laudabiliter agere videtur, non agar propter Deum, hoc est propter veram iustitiam, sed solum quærat, & diligat ab hominibus gloriam: illi autem, apud quos frequens est eius fama cum laude, non eum putent nisi propter Deum laudabiliter vivere, non falluntur in re, sed falluntur in homine: quod enim bonum esse credunt, est bonum: sed quem bonum esse credunt, non est bonus. Quod si putetur, verbi gratia, bonum artium peritia magicarum, & cum quisque patriam libera se ei daret, quas omnino nescit, artibus creditur, ac frequentem cum laude famam,

Matth. 10.

Psal. 9.

quæ gloria definita est apud homines impios, consequatur, errant in vtroque qui laudant, & in re scilicet, quia id quod malum est bonum putat, & in homine, quia non est, quod putant, quapropter falsa est in his tribus generibus gloria. Cum autem de aliquo per Deum, & propter Deum iusto, hoc est, veraciter iusto causa ipsius iustitiæ frequens est fama cum laude, vera quidem gloria est non tamen ea credendum est beatificari iustum, sed laudantibus gratulandum est, quia recte iudicant, & diligunt iustum. Quanto magis ergo dominus Christus, non sibi sed eis profuit gloria sua, quibus profuit morte sua: sed non est vera eius apud hæreticos gloria, apud quos tamen frequentem famam videtur habere cum laude. Non est hæc vera gloria, quia in vtroque falluntur: nam & bonum putant esse quod bonum non est, & Christum putant esse quod Christus non est. Vnigenitum enim filium æqualem non esse gignenti, non est bonum: vnigenitum Dei filium hominem tantum esse non Deum, non est boni veritatis carnem non esse veram carnem, non est bonum, Horum trium quæ dixi primum sentiunt Arriani, secundum Photiniani, tertium Manichæi: sed quia & eorum nihil est bonum, & Christus nihil est eorum, in vtroque falluntur, nec dant veram gloriam Christo, quāuis apud eos esse videatur cum laude frequens fama de Christo, & omnes profus hæretici, quos commemorare nimis longum est, qui de Christo non recte sentiunt, ideo errant, quia & de bonis rebus ac malis non verum sentiunt. Pagani etiam, quoniam sunt Christi plurimi laudatores, & ipsi in vtroque falluntur, qui non secundum veritatem Dei, sed potius secundum suam suspicionem dicunt eum fuisse hominem magum. Christianos quippe velut imperitos vituperant, Christum autem velut magum laudant, ac sic produnt, quod amant: Christum vero non amant, quoniam, quod non erat Christus, hoc amant. Ideo in vtroque falluntur, quia & magum esse malum est, & magus non fuit Christus: quia bonus est. Quapropter de his nihil hoc loco dicendum est, qui Christum vituperant atque blasphemant, quia de gloria eius loquimur, quæ est glorificatus in mundo, non enim glorificauit spiritus sanctus vera gloria, nisi in ecclesia sancta catholica, alibi enim, id est, vel apud hæreticos, vel apud quosdam paganos, vera eius in terris gloria non potest esse, & vbi videtur esse frequens de illo fama cum laude. Vera ergo eius gloria in ecclesia catholica, sic à Propheta cantatur: Exaltare super cælos, Deus, & super omnem terram gloria tua. Quia itaq; post eius exaltationem venturus erat spiritus sanctus & eū glorificaturus, hoc facer Psalmus, hoc ipse vnigenitus promisit futurum, quod videmus impletum: quod autem ait: *De meo accipiet, & annuntiabit vobis:* catholicis audite auribus, catholicis percipite mentibus: non enim propterea sicut quidam hæretici putauerunt, minor est filio spiritus sanctus, quia filius accipiat à patre, & spiritus sanctus à filio, quibusdam gradibus naturarum. Absit hoc credere, absit hoc dicere, absit à Christianis cordibus cogitare: denique continuo soluit ipse quæstionem, & cur hoc dixerit, explanauit. *Omnia, inquit, quæcumque habet pater, mea sunt, propterea dixi, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.* Quid vultis amplius? Ergo à patre accipit spiritus

Psal. 107.

ritus sanctus, vnde accipit filius, quia in hac trinitate de patre natus est filius, de patre procedit spiritus sanctus: qui autem de nullo natus sit, de nullo procedit, pater solus est: quomodo autem dixerit vnigenitus filius, *Omnia quæcumque habet pater mea sunt:* quia vti que non sic quemadmodum dictum est illi filio non vnigenito, sed ex duobus maioribus, Tu mecum es semper, & omnia mea tua sunt; eo loco si dominus voluerit, diligenti consideratione tractabitur, vbi dicit vnigenitus patri, & mea omnia tua sunt, & tua mea sunt, vt hic iste sermo claudatur, quoniam quæ sequuntur, aliud poscunt, quo discernatur, exordium.

Matth. 15.

2. Petr. 2.

Ioan. 1.

Rom. 8.

Ioan. 3.

Ioan. 15.

Rom. 3.

Psal. 33.

Rom. 3.

**EIVSDEM IN IDEM**  
*Homilia 8.*

**M**edicina animæ omnium vulnerum, & vna propiciatio pro delictis omnium est credere in Christo, Nec omnino quisquam mundari potest siue ab originali peccato, quod ex Adam traxit, in quo omnes peccauerunt, & filij ita naturaliter facti sunt: siue à peccatis, quæ ipsi non resistendo carnali concupiscentiæ, sed eam sequendo ei que seruiendo in flagitiis, & facinoribus addiderunt: nisi per fidem coadunetur, & copaginetur corpori eius, qui sine vlla illecebra carnali, & mortifera delectatione conceptus est, Nec cum in deliciis mater in vtero aluit, & peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. In eum quippe credentes filij Dei fiunt, quia ex Deo nascuntur per adoptionis gratiam, quæ est in fide Iesu Christi domini nostri. Quapropter charissimi, merito idem dominus & saluator noster hoc vnum peccatum dicit de quo arguit mundum spiritus sanctus, quia non credit in eum. *Ego, inquit, veritatem dico, expedit vobis vt ego vadam. Si enim ego non abiero, &c.* De hoc ergo vno peccato voluit mundum argui, quod non credit in eum: videlicet quia in eum credendo cuncta peccata soluntur, hoc vnum imputari voluit, quo cætera colliguntur. Et quia credendo nascuntur ex Deo & filij Dei sunt, Dedit enim inquit, illis potestatem filios Dei fieri, credentibus in eū. Qui ergo credit in filium Dei, in quantum adhæret illi, & fit etiam ipse per adoptionem filius, & hæres Dei, cohæres autem Christi, intantum non peccat. Vnde dicit Ioannes, *Quia natus est ex Deo, non peccat.* Et ideo peccatum vnde mundus arguitur, hoc est, quod non credunt in eum, hoc est peccatum de quo itidem dicit, Si non venierem, peccatum non haberent. Nunquid enim alia innumerabilia peccata non habebant? Sed aduentu eius hoc vnum peccatum accessit non credentibus, quo cætera tenerentur. In credentibus autem quia hoc vnum desuit, factum est vt cuncta dimitterentur credentibus. Nec ob aliud Apostolus Paulus, Omnes, inquit, peccauerunt, & egent gloria Dei, vt qui crediderint in eum, nō confundantur, sicut & Psalmus dicit, Accedite ad eum, & illuminamini, & vultus vestri non confundentur. Qui ergo in se glorietur, confunditur. Non enim sine peccatis inuenietur. Ille itaque tantummodo non confunditur, qui in domino gloriatur. Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei. Itaque Apostolus cum de Iudæorum

infidelitate loqueretur, nō ait, Etenim si quidam illorum peccauerunt, nūquid peccatum illorum fidem Dei euacuauit? Quomodo enim diceret, Si quidam illorum peccauerunt, cum ipse dixerit, Omnes enim peccauerunt? Sed ait, Si quidam illorum non crediderunt, nunquid incredulitas eorum fidem Dei euacuauit? Vt hoc peccatū expressus demonstraret, quo vno clauditur aduersus cætera, ne per Dei gratiam relaxetur. De quo vno peccato per aduentum spiritus sancti, hoc est per donum ipsius gratiæ quod fidelibus datur, mundus arguitur, dicente domino, De peccato quidem, quia non credunt in me. Non autē esset meritum grande credentium, & beatitudo gloriosa, si semper dominus in resuscitato corpore humanis oculis appareret. Spiritus ergo sanctus hoc magnum munus attulit credituris, vt eum, quem carnalibus oculis non viderent, à carnalibus cupiditatibus mente sobria, & spiritalibus desiderijs ebria suspirarent. Vnde & ille discipulus, qui se dixerat non crediturum, nisi cicatrices eius manu tetigisset, cum cōtrectato corpore domini quasi euigilās exclamasset, Dominus meus, & Deus meus, ait illi dominus, *Quia vidisti, credidisti, beati qui non vident, & credunt.* Hanc beatitudinem spiritus sanctus paracletus attulit, vt ab oculis carnis serui forma remota, quam de virginis vtero accepit, in ipsam Dei formam, in qua patri æqualis, etiam cum in carne apparere dignatus est, permaneret purgata mentis acies tenderetur: vt eodem spiritu repletus Apostolus diceret, Et si noueramus Christum secundum carnem, sed iam non nouimus: quia & carnē Christi non secundum carnem, sed secundum spiritum nouit qui virtutem resurrectionis eius, non palpando curiosus, sed credendo certus agnoscat, Non dicens in corde suo quis ascendit in cælum, hoc est, Christum deducere: aut quis descendit in abyssum, hoc est, Christum à mortuis reducere: sed prope est, inquit, verbum in ore tuo, quia dominus est Iesus, & si credideris in corde tuo, quia Deus illum suscitauit à mortuis, saluus eris. Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutē: Hæc, fratres, Apostoli verba, sunt ipsius sancti spiritus, sancta ebrietate eructantis. Cum ergo hanc beatitudinem quā non videmus, & credimus nullo modo habere, nisi cum à spiritu sancto acciperemus, merito dictum est, *Expedit vobis vt ego vadam. Si enim non abiero, paracletus non veniet ad vos. Si autem abiero, mittam illum ad vos.* Semper quidem diuinitate nobiscum est. Sed nisi corporaliter abiret à nobis, semper eius corpus carnaliter videremus, & nūquam spiritaliter crederemus: quia fide iustificati, & beatificati, id ipsum verbum Deum apud Deum, per quod facta sunt omnia, & quod caro factum est, vt habitaret in nobis, corde mundato cōtemplari mereremur. Et si non manu tangendo, sed corde creditur ad iustitiam, recte de iustitia nostrā mundus arguitur, qui non vult credere, nisi quod videt. Vt autē nos haberemus iustitiam fidei, de qua mūdus argueretur incredulus, propterea dominus ait, *De iustitia, quia ad patrem vado, & iam non videbitis me.* Tāquam si diceret, Hæc erit iustitia vestra, vt credatis in me mediatorem, quem resuscitatum ad patrem isse certissime habebitis, quamuis eum carnaliter non videatis, vt per ipsam reconciliati Deum spiritaliter videre possitis. Vnde figuram ecclesiæ

Ibidem.

Ioan. 20.

2. Cor. 5.

Rom. 10.

Ioan. 16.

Rom. 5.

Ioan. 1.

Ioan. 10.

Abac. 2.  
Rom. 3.

Psal. 2. 4.

ecclesia gestanti mulier, cum ei post resurrectionem ad pedes caderet. Noli me tangere, inquit, nondum enim ascendi ad patrem. Quod mystice dictum intelligitur, Noli me per corporeum contractum carnaliter credere, spiritualiter autem credis, id est, fide spirituali me tangis, cum ascendero ad patrem, quia beati qui non vident, & credunt. Et hæc est iustitia fidei, qua mundus carēs, de nobis qui ea non caremus arguitur, quia iustus ex fide vivit. Sive ergo quia in illo resurgentes, & in illo ad patrem venientes inuisibiliter & in iustificatione perficimur: sive quia non videntes & credentes ex fide vivimus, quoniam iustus ex fide vivit: propterea dixit, *De iustitia, quia ad patrem vado, & iam non videbitis me.* Nec inde se mundus excuset, quod à diabolo impeditur, ne credat in Christum. Credentibus enim princeps mundi mittitur foras, ut iam nō operetur in cordibus hominum, quos Christus per fidem cœperit possidere, sicut operatur in filiis dissidentiae, quos ad tentandos, & tribulandos iustus plerumque concitat. Quia enim missus est foras, qui intrinsicus dominabatur, extrinsecus præliatur. Et si ergo per eius persecutiones dominus diligit mites in iudicio, tamē iam ipse hoc ipso quōd foras missus est, iudicatus est. Et de hoc iudicio mundus arguitur, quia frustra de diabolo queritur, qui non vult credere in Christum, quem iudicatum, id est, foras missum, & propter nostram exercitationem forinsecus expugnare permittitur, nō solum viri, sed etiam mulieres, & pueri, & puellæ martyres vicerunt. Sed in quo vicerunt, nisi in illo quem crederunt, & quem non videntes dilexerunt, & quo dominante in cordibus suis pessimo dominante caruerūt. Et hoc totum per gratiam, hoc est, per donum spiritus sancti. Recte itaque idem spiritus arguit mundū, & de peccato, quia non credit in Christum: & de iustitia, quia qui voluerunt, crediderunt, quamvis in quem crediderunt, non viderūt, & per eius resurrectionem se quoque in resurrectione perfici sperauerunt: & de iudicio, quia ipsi si vellent credere, à nullo impedirentur, quoniam princeps huius mundi iam iudicatus est.

EIVSDEM IN IDEM  
Homilia 9.

Ser. 61. de  
ver. domin.

Cum dominus & saluator noster Iesus Christus de adventu spiritus sancti, quem se missurum esse promisit & misit, multa diceret, ait inter cætera. *Ipsè arguet mundum de peccato, de iustitia, & de iudicio.* Neque hoc cum dixisset, sermonem traiecit in aliud, sed ipsa aliquanto expressius insinuare dignatus est. *De peccato quidem*, inquit, *quia non crediderunt in me. De iustitia autem, quia ad patrem vado. De iudicio vero, quia princeps huius mundi iam iudicatus est.* Oboritur ergo nobis intelligendi desiderium, cur peccatum hominum quasi solum esset non credere in Christo, ita de hoc solo dixit, quod mundum spiritus sanctus argueret. Si autem manifestum est præter hæc infidelitatem alia multa hominū esse peccata, cur de hoc solo mundum spiritus sanctus arguat? An quia peccata omnia per infidelitatem tenentur, per fidem dimittuntur? Propterea hoc unū præ ceteris imputat Deus, per quod sit, ut cætera non solvantur, dum non credit in humilem Deum homo superbus. Sic enim

1ac. 4.

scriptū est, Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiā. Gratia quippe Dei, donū Dei est, donum autē maximū ipse spiritus sanctus est, & ideo gratia dicitur. Cū enim omnes peccassent, & egerent gloria Dei, quia per unum hominē peccatum intrauit in mundum, & per peccatū mors, in quo omnes peccauerunt, ideo gratia, quia gratis datur. Ideo gratia datur, quia non quasi merces redditur post discussionem meritotum, sed donum datur post delictorum veniam. De peccato igitur arguuntur infideles, id est, dilectores mundi, nam ipsi significantur mundi nomine. Cum enim dicitur, *Arguet mundum de peccato*, non alio quā quod non crediderūt in Christo: hoc denique peccatum si non sit, nulla peccata remanebunt, quia iusto ex fide vivente cuncta solvantur. Sed multum interest, utrum quisque credat ipsum esse Christum, & verū credat in Christum. Nam ipsum esse Christum & demones crediderunt, nec tamen in Christum demones crediderunt. Ille enim credit in Christū, qui & sperat in Christum, & diligit Christum. Nam si fidē habet sine spe, ac sine dilectione, Christum esse credit, non in Christum credit, Qui ergo in Christū credit, credendo in Christum venit in eū Christus, & quoquo modo venit in eum, & membrum in corpore eius efficiunt. Quod fieri non potest, nisi & spes accedat, & charitas. Quid sibi etiam vult, quod ait, *de iustitia, quia ad patrem vado?* Et primo querendum est, si de peccato mundus arguitur, cur & de iustitia? Quis enim de iustitia recte argui possit? An de peccato quidem suo, de iustitia vero Christi mundus arguitur? Nō video quid aliud possit intelligi, quando quidem, *de peccato*, inquit, *quia non crediderunt in me, De iustitia, quia ad patrem vado.* Illi non crediderunt, ipse ad patrem vadit. Illorum ergo peccatum, ipsius autem iustitia. Sed cur in eo solo voluit nominare iustitiā, quia vadit ad patrem? Num non iustitia est etiam quod hac venit à patre? An illa potius misericordia est, quod à patre ad nos venit, iustitia vero quod ad patrem vadit? Ista, fratres, expedire arbitror, ut in tanta profunditate scripturarum, in quibus forte verbis absconditum aliquid latet, quod opportune aperiendum sit, tanquam simul fideliter inquiramus, ut salubriter invenire mereamur. Cur ergo hanc appellat iustitiā, quia vadit ad patrem, & non etiam quia venit à patre? An quia misericordia est, quod venit, ideo iustitia est quod vadit, ut & in nobis discamus impleri posse iustitiā: si pigri non fuerimus prærogare misericordiam, non quæ nostra sunt querentes, sed quæ aliorum? Quod cum monuisset Apostolus, continuo de ipso domino cōiunxit exemplum. Nihil, inquit, per contentionem, neque per inanem gloriam, sed in humilitate mentis alter alterum existimantes superiorem sibi, non quæ sua sunt unusquisque intendētes, sed & quæ aliorum. Deinde statim addidit: Singuli quique hoc sentite in vobis, quod & in Christo Iesu, Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo, sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, in similitudine hominū factus, & habitu inuentus ut homo, humiliavit se, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, Hæc est misericordia, qua venit à patre. Quæ igitur iustitia est, qua vadit ad patrem? Sequitur & dicit, Propter quod & Deus illum exaltauit

Rom. 1.

Rom. 5.

Rom. 1.

1ac. 2.

Philipp. 2.

Ibidem.

1ac. 3.  
Philipp. 1.

Colos. 3.

1. Cor. 12.

1ac. 3.

1ac. 15.

Philipp. 2.

Gala. 3.

Act. 3.

Gala. 3.

1ac. 16.

Roma. 4.

1. Cor. 5.

exaltauit, & donavit illi nomē, quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & inferorum, & omnis lingua confiteatur, quia dominus Iesus Christus in gloria est Dei patris. Hæc est iustitia qua vadit ad patrem. Sed si solus vadit ad patrem, quid nobis prodest? Ut quid ab spiritu sancto de hac iustitia mundus arguitur? Et tamen nisi solus iret ad patrem, non alio loco diceret, Nemo ascendit in cælum, nisi qui de cælo descendit, filius hominis, qui est in cælo. Sed etiam Paulus Apostolus dicit, Nostra autem conuersatio in cælis est. Sed quare hoc? Quia item dicit, Si resurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt querite, ubi Christus est in dextera Dei sedens, quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Mortui enim estis & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Quo modo ergo ille solus? An ideo solus, quia Christus vnus est cum omnibus membris suis, tanquā caput cum corpore suo? Quæ autem corpus eius nisi ecclesia? Sicut dicit idem doctor, Vos autem estis corpus Christi, & membra ex parte. Cum ergo nos ceciderimus, & propter nos ipse descenderit, quid est, Nemo ascendit, nisi qui descendit nisi qui nemo ascendit, nisi vnus cum eo factus & tanquam membrum compactus in eius corpore qui descendit? Sic & discipulis dicit, Quia sine me nihil potestis facere: Aliter enim est vnū cum patre, aliter vnus nobiscum, Vnum cū patre est, quia vna substantia est patris, & filij. Vnum cum patre est, quia cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo. Vnus autem nobiscum factus est, quia semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens. Vnus nobiscum factus est secundum semen Abraham, in quo benedicentur omnes gentes. Quod cum Apostolus commemorasset, Non dicit in feminibus tanquā in multis, sed tanquā in vno, & semini tuo, quod est Christus. Et quia & nos ad id pertinemus, quod est Christus, nobis simul incorporatis, & illi capiti coherentibus, vnus est Christus, quia & nobis dicit, Ergo semen Abraham estis secundum promissionem hæredes. Si enim vnus est semen Abraham, & illud vnus semen Abraham non intelligitur nisi Christus, hoc autem semen Abraham etiam nos sumus, hoc ergo totum, id est, caput & corpus vnus est Christus. Et ideo nos non debemus ab illa iustitia separatos putare, quam dominus ipse commemorat, dicens, *De iustitia, quia ad patrem vado.* Cum Christo enim & nos resurreximus, & nos cum capite nostro Christus sumus interim fide & spe. Complebitur autem spes nostra in vltima resurrectione mortuorum. Cum autem complebitur spes nostra, tunc complebitur etiam iustificatio nostra. Quam completurus dominus, quid sperare debeamus ostendit in carne sua, hoc est, in capite nostro, in qua resurrexit & ascendit ad patrem, quia sic scriptum est, Traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostrā. Arguitur ergo mundus de peccato in eis qui non credunt in Christo, & de iustitia in eis, qui nō resurgunt in membris Christi. Vnde dictum est, Ut nos simus iustitia Dei in ipso. Si enim non in ipso, nullo modo iustitia. Si autem in ipso, totus nobiscum vadit ad patrem, & hæc in nobis implebitur perfecta iustitia. Propter hoc & de iudicio mundus arguitur, quia princeps huius mundi iam iudicatus est,

diabolus princeps iniquorum qui corde non habitant nisi in hoc mundo, quem diligunt, & ideo mundus vocatur, sicut nostra conuersatio in cælis est, si resurreximus in Christo. Ergo quem admodam nobiscum, id est, cū corpore suo vnus est Christus: Sic cum omnibus impiis quibus caput est, cum quodam corpore suo vnus est diabolus. Quapropter sicut nos non separamur à iustitia, de qua dominus dixit, *Quia ad patrem vado*: sic impij non separantur ab illo iudicio, de quo dixit, *Quia princeps huius mundi iam iudicatus est.*

1ac. 6.

S. CYRIL. EPISCOPI  
Alexandr. superioris Euang.  
expositio.

Hæc autem vobis ab initio non dixi, quia vobiscum eram, & nunc vado, &c. Alia quadam ratione perutili animos nunc discipulorum confirmat. Nam, cum longo tempore cum illo vixissent, & omnipotentiam eius in multis perspexissent, dubitare non poterant, omnia se pericula virtute illius superaturos. Verum, quoniam præter spem modo magnos sibi futuros audierunt dolores, ne turbati cogitent secum, & dicant, *sefellit ergo nos spes nostra*, qui ad bona fuisse vocati credidimus; & nunc calamitates, ac ærumnæ iminere prædicuntur, necessario causam affert, quare ista sibi ab initio non exposuerit, *Hæc non dixi, ait, quia vobiscum eram*, sufficiebat quippe præsentia eius ab omni tentatione ipsos eripere; verum, quoniam nūc ad patrem vadit: oportune omnia illis explicauit. Antea vero silentij tempus erat, cum nihil opus esset, ut hæc cognoscerent. Quomodo igitur, diceret quispiam, pollicitus est, cum eis se futurum usque ad consummationem seculi: nunc autem prædicatione futurorum ideo illos munire ait, quia secum futurus non est? Nullus ambigit, cum ad cælos ascenderit quamvis virtute spiritus semper adfuerit: præsentia tamen carnis ipsam affuisse, quæ res magno mærore corda discipulorum afficiebat, nec eum interrogant, qua de causa ita faciet: intelligentes sic illum iam determinasse. Veniam igitur illis, quamvis nō oportune tacerent: vltra concedit, interrogantes enim potuissent causam latius discere: qua ex re plurimum vtilitatis consequerentur. *Sed ego veritatem dico vobis, &c.* Magno vos dolore, inquit, moueri sentio: quia ego abire omnino constitui. Nec id iniuria: præsertim cum magnas vobis futuras tentationes audieritis. Verum, quoniam iocundis vtilitas præponenda est, veritatem vobis aperiam; *expedit vobis, ut ego vadam.* Sed turbati simpliciorum quispiam poterit, Nam, si melius erat, Christum abire, præsentia eius non nihil obfuisse videretur, cur ergo tanto, inquit, tempore præsens fuit? Nos autem, et si omnia huiusmodi cognitioni saluatoris merito relinquimus, videri tamen aliquid dici concedimus. Si quis tamen diligentius considerat; nullo modo turbabitur, recordatus tempus cuique rei commodum esse, & omnia esse bona in tempore suo, Aderat igitur dominus in hoc mundo corporaliter tempore opportuno, Et rursum, quando, ut ille nonit, oportebat, ad patrem corpore rediit, nec omnino negamus non expeditisse semper discipulis

Mat. 28.



scipulis presentiam Christi: nec, quia presentia eius utilis fuerat, recessus maximum commodum erat contemnendam; utrumque enim in tempore suo utilissimum adhibebatur. Sed age ad utilitatem legentium breviter incarnationis unigeniti causam, & recessus sui ad patrem grandem utilitatem perstringamus. Homo igitur factus est, ut ab interitu, quem prisca maledictio intulerat, nos liberaret: & quoniam nulla divina nature ad peccandum inclinatio est, omnes nos per ipsam carnem assumpsit, in ipso enim omnes sumus ea ratione, qua homo est. Assumpsit igitur nos, ut terrena hanc umbra, id est, carnis passiones, & peccati legem, quae in membra hominum irruerat, extingueret, & ad haec, ut naturam nostram sanctificaret: & dux ad pietatem, & optimae disciplinae viuendi humano generi fieret: & haec quidem homo factus effecit. Sed non solum voluit ab interitu, & peccato nos liberare, verum etiam ad ipsos caelos reducere, ac summi boni participes facere, in angelorum consortio numeratos, & quemadmodum per resurrectionem suam mortem destruxit; sic coram ipso patre collocaret: quae recte intelligens Paulus dicit: non enim in sancta manu facta Christus introiuit, nec in exemplaria verorum, sed in ipsam caelum, ut appareat vultui Dei pro nobis. Audis, quia, cum sit semper cum patre propter identitatem substantiae, non pro seipso sed pro nobis patri apparet. ita, cum ipse sit primitiae generis nostri, quando in caelum cum carne ascendit, coram patre (ut modo dixi) nos constituit. Et, sicut, quamvis secundum naturam vita sit, mortuus tamen propter nos fuit. ita etiam patrem semper ipse videat, ab eoque videatur; nunc tamen, id est, posteaquam homo factus est, apparuisse illi non propter se sed propter nos ut homo dicitur. Quasi ergo deficere hoc dispensationi videbatur, ut in ipsos etiam caelos ascenderemus in Christo primo ut in primitiis. Praecursor enim ille ascendit, ut Paulus dicit, & sic in quantum homo, pontifex, & intercedens pro nobis, & paracletus, & propitiatio pro peccatis nostris; in quantum vero Deus, ac dominus natura, cum patre simul sedet. Quae tamen gloria etiam ad nos transit secundum Paulum, qui de patre scribit; quia & corresuscitauit, & confedere fecit nos in caelestibus in Christo. Cum omnia ergo, quae in terris ut ab homine faciunda fuerunt, perfecit, restabat iam ut ad patrem ascenderet. Idcirco ait: *Expedi vobis, ut ego vadam: nam, nisi abiero, paracletus non veniet ad vos.* Opus enim erat participes nos naturae eius fieri: & in nouam, inauditamque vitam transformari: quod aliter quam participatione spiritus sancti, fieri non poterat. Commodissima vero aduentus spiritus opportunitas post Christi ad caelos reditum fuit. Oportebat autem spiritum venire, ut illam habentes libere clamemus; abba pater; & ad virtutem redacti, tam aduersus diabolum quam aduersus persecutiones hominum fortes efficeremur.

*Quod autem praesentia spiritus ad nouam vitam omnes, in quibus habitat, transformantur, non est difficile a scripturis ostendere. Dicit enim Samuel ad Saulem; Et insiliet in te spiritus domini, & conuerteris in alium virum; Et Paulus; nos vero, inquit, omnes reuelata facie gloriam domini speculantes in eandem imaginem transformamur a claritate in claritatem, tanquam a do-*

*Contra pelagianos mirificos facit. h. ec. qui & nostram naturam nihil ex ad peccato corruptam & nihil aut prius a christo fuisse instauratam asserunt.*

*Heb. 6.*

*Ephes. 2.*

*Gal. 4.*

*1. Reg. 10.*

*2. Corint. 3.*

mini spiritu. Vides, quia ad aliam, sicuti vult spiritus, imaginem nos, ut domini, reformas; nempe qui facile a terrenis ad caelestia nostros transponit animos: quod in discipulis factum fuisse inuenimus, per spiritum sane ad eam fortitudinem ab humana ignavia reducti sunt: ut nec vlla pericula timerent, & Christo inseparabiliter inhaerent, Expediebat igitur vere discipulis, ut saluator dicit, in caelos ipsum abire. Tempus enim iam aduentus spiritus erat. *Et cum venerit ille: arguet mundum, &c.* Cum tempus esse ostenderit reditus sui ad patrem, & aduentus sancti spiritus, atque hoc pacto ingentem discipulorum maeritiam mitigasset, ea modo breuiter enumerat, quae per aduentum paracleti efficiuntur. Nam, *cum ille venerit, arguet mundum, inquit, de peccato, & de iniustitia, & de iudicio.* Quae singula quamquam ab ipso absolutissime explicantur; tamen, quia non omnes assequi facile possent, quae breuiter dicuntur, latius exponamus: primum igitur de peccato, inquit, mundus a spiritu arguetur. Nam, cum in diligentibus Christum ut in hominibus dignis, atque fidelibus habitauerit tunc, tunc, inquam infideles, & voluptatibus inuolutos homines ipsa re arguet, condemnabitque, ut peccati reos, & in turpitudine sua morituros. Nam ut nullo pacto personas accipiet, sed in hominibus dignis tantummodo habitabit, qui sincera fide filium Dei accipientes, creatoris omnium confessi sunt. Quod igitur Iudaeis saluator dicebat, nisi credatis, in peccato vestro moriemini; hoc verum esse re ipsa paracletus ostendet. Secundo inquit mundus de iniustitia arguetur; *quia vado ad patrem, & iam non videbitis me.* Credentes enim in Christum ut iure iustificatos defendet: quia ut Deum verum susceperunt, quem non viderunt, credideruntque ipsum cum patre in caelis confectum habere. Quod autem, qui sic in Christum credunt, beati sunt, ipse saluator his verbis ad Thomam discipulum ostendit, *Quia vidisti me, credidisti, ait: beati, qui non viderunt, & crediderunt: iure igitur iustificantur, qui ita credunt, a qua iustificatione mundus excidit, in turpitudine sua perfixus. Haec non ad Iudaeos tantum, sed generaliter ad omnes incredulos, & peccatores dicuntur. Mundi enim vocabulum tum omnes homines significat, tum voluptati, ac turpitudini deditos denotare solet. Generaliter igitur ad omnes haec duplex de peccato, ac de iniustitia redargutio pertinet. Non enim Iudaeos solum ad salutem (et si primum) sed totum humanum genus postea vocauit. ita non in partem orbis sed in vniuersam terram fidei bonum effusum est. Tertia redargutio, iusta condemnatio huius mundi principis est. Quomodo autem, modo narrabo, testimonium enim perhibebit spiritus glorie Christi, cumque demonstrauerit ipsum rerum omnium dominum esse: magni erroris crimine mundum arguet, qui verum & naturam Deum omisit, & diabolum in creaturis adorauit, qui iam condemnatus cecidit, quod passus non esset, si vere Deus fuisset: nunc autem in tantum abest, ne cultum suum possit defendere, ut sub pedibus etiam fidelium iaceat, qui eum tentantem, & repugnantem calcant. Quando igitur impuri daemones virtute spiritus sancti per orationem credentium fugantur, quomodo non dicemus, fatanam iam condemnatum esse? Condemnatus enim est, quia non potest iam sancto spiritu ad iustitiam, & sanctificationem per*

*Ioan. 8.*

*Ioan. 10.*

*Act. 10.*

per fidem Christi signatos superare, ita omnes vires eius fidelium pedibus premuntur, leonem, inquit, atque draconem calcabitis. Cum igitur in animis sanctorum per fidem spiritus habitauerit, tunc mundus peccati ab eo reus ostendetur, ex parte ideo gratiae suae, quia saluatorem non recepit. Sed arguetur a spiritu mundus iterum: quia non iure, peccati crimine credentes accusat: qui quamuis Christum non viderint, iustificantur tamen filium honorantes. Tale quid arbitror, illis Paulum verbis intellexisse, quis accusabit aduersus electos Dei? Deus qui iustificat; quis est, qui condemnet? obstruxit enim iniquitas os suum: ut palmista canit, nec accusare potest eos, qui fidei iustitia gloriantur. Redarguet autem mundum etiam ut seductum, & in condemnatum, ac omni gloria priuato spem habentem: vili pedi enim certe debent a credentibus in Deum verum: qui creaturis inhaeret. Principem autem huius seculi, non quia ita vere sit, aut quia natura dominandi dignitatem habeat, appellauit: sed, quia per deceptionem, atque rapinam, hanc gloriam habuit, & nunc in errantibus propter turpem eorum vitam dominatur. Nam errore victi effugere a captiuitate nequeunt, licet in potestate, sua situm sit, per fidem Christi ad verum Deum venire, ac diaboli vincula rumpere. Adulterinum igitur principatus nomen diabolo est: non natura sed errantium prauitate perdurans. *Alibi multa habeo vobis dicere, &c.* Cupientes futurorum habere cognitionem iam videns, non reprehedit, sed congruo tempore a paraclero id eos habituros pollicetur. Fortassis autem, quia imbecillos ad suscipienda maiora sine spiritu cognoscebat: nondum enim (inquit euangelista) spiritus sanctus venerat: quia Christus nondum fuit clarificatus. Quia inquam imbecillos ad altiora videbat: haec dicit. Multa vero dicenda sibi restare profunda, & vltra quam humanus animus ferre possit, affirmat. Quae silentio, inquit, trado: quia nondum a spiritu meo reformatus estis, Nam, quando ab illo in alios viros euaditis, quando legales figuras illius patrocino aspernabimini, quando spiritalis cultus pulchritudine illius ope vmbri anteponetis: tunc, tunc, inquam, mysterij de me vim omnem cognoscetis. Haec arbitror per hunc locum intelligi oportere: quae similitudine quadam alibi etiam saluator significauit dicens, nemo committit commissuram panni rudis in vestimentum vetus, neque mittunt vinum nouum in veteres vtres: alioquin rumpuntur vtres, & vinum effunditur, sed vinum nouum in vtres novos mittendum. Qui enim nondum noua viuendi norma, nouaque doctrina per spiritum reformati sunt; iis praedicatio euangelij recens, & mysterium trinitatis sublime tradendum non est. iure igitur renouationi per spiritum futurae altiorum rerum interpretatio reseruat. Quod autem ante resurrectionem saluatoris, & ante spiritus aduentum, Iudaice discipuli vivebant, facillimum est probare. Beatus enim Petrus discipulorum omnium princeps narranti, quae passurus eras, saluatori, resistebat, clamans, propicius tibi esto, domine, ne fiat tibi hoc. Nec, quamuis propheta aperte omnia praedixerint, intelligere illa potuit. In actibus etiam scribitur, quia, cum famescens gustare aliquid veller, quatuor demissum inuitis velut linteum submitti de caelo vidit, in quo vniuersa terrestria, aethra, & aquatica vide-

*Psal. 90.*

*Rom. 8.*

*Psal. 100.*

*Ioan. 7.*

*Matth. 9.*

*Matth. 26.*

batur animalia esse, cumque audisset vocem magnam dicentem, immolato, Petre, atque comedito: non dubitauit respondere, nequaquam, domine, nunquam enim comedi omne commune, aut impurum. Iure igitur illi fuerat increpatum his verbis: quod Deus purificauit, tu commune ne dixeris. Et certe oportebat eum recordari verborum domini diceutis, non inquinari hominem ab eo, quod in os ingreditur. Vides quia reformari lumine spiritus ad meliorem eos habitum oportebat: idcirco, quando per gratiam meliores facti fuerant, habere dicentes audimus, Nos vero Christi mentem habemus, saluatoris mentem nullam rem aliam quam spiritum sanctum appellantes, qui, quae scire opus erat aperte reuelabat: *quando veniet, inquit, ille spiritus veritatis.* Vide quam exquisite singula conscribuntur. Cum enim praedixerit, paracletum ad eos venturum, spiritum veritatis eum nominauit (ipse autem est veritas) ut discipuli scirent non alienam se virtutem missurum. Idcirco alio quodammodo seipsum eis pollicetur, veritatis spiritum, id est, suum missurum. Non enim est alienus a substantia filij spiritus, sed ex ea naturaliter procedit, natura omnino idem, in persona vero propria subsistens. Hic ergo veritatis spiritus ad omnem vos veritatem deducet. Nouit enim exacte veritatem, cuius spiritus est, & eam non ex parte, sed integre reuelabit. Nam, etsi ex parte in hac vita cognoscimus, ut ait Paulus, non manea tamen, sed integra veritas in hac parua cognitione nobis refultat. Ut igitur nullus sciat, quae hominis sunt, nisi hominis spiritus, qui est in eo: sic neque, quae Dei sunt, nisi spiritus, qui est in eo. *Cum autem venerit, ait, non loquetur a seipso quicquam, id est, non aliam quam ego docui disciplinam sequetur, nec alias leges feret; sed, cum quasi mens mea sit, ea, quae mea sunt, reuelabit.* Haec a saluatore dicuntur, non ut ministri locum habere spiritus videatur, ut imperite a nonnullis praedicatur, sed ut eiusdem esse cum filio substantiae confirmetur, propterea praemisit; quia etiam ventura annunciat vobis: ac si diceret, id signum vobis sit ex mea illum substantia esse, & mentem esse quasi meam, quia futura, ut ego, vobis praedicet, Quod facere minime posset, nisi in me esset: & cum per me procedat, eiusdem mecum substantiae sit. *Ille me clarificabit, &c.* Quia mysterium Christi reuelaturus dignis spiritus erat, ut scirent quis natura Christus est, & quanta sit virtus eius, atque potestas; idcirco ait, *quia ille me clarificabit:* ita parua de ipso, terrestriaque secundum Iudaeos opinati nos non patitur. Illi enim hominem nudum paulo prophetis maioris, aut etiam minorem putabatur: varia enim multaque Iudaeorum principes de ipso dicebant. Modo quidem, quis tu es, clamantes: Abraham, & prophetae mortui sunt, & tu dicere audes, si quis sermonem meum seruabit, is mortem non videbit? quem te ipsum facis? Modo humilitatem generis eius exprobrantes; nonne hic est, dicebant, Ioseph filius, cuius nos & patrem, & matrem cognouimus? cur ergo dicit; quia de caelo descendit? Per spicis Iudaicarum rationationum miseriam. Sic igitur multis propter carnem Domini affectis, quanta sit gloria mea, spiritus, inquit, meus docebit: nec rationibus solummodo veris persuadebit, sed demonstratione rerum animos eorum firmabit, quia Deus sum, & fructus substantiae

*Matth. 13.*

*1. Cor. 7.*

*Ioan. 14.*

*Contra Graecos, qui spiritum sanctum ex filio proinde negant.*

*1. Cor. 13.*

*1. Cor. 2.*

*Item contra Graecos ac praesens spiritus sancti.*

*Ioan. 8.*

*Ioan. 6.*

Dei parris. Quæ igitur demonstratio est, qua Christum clarificabit? cognitionem exquisitam rotius mysterij in mente hominum faciens, clarificationem, atque gloriam illi acquiri: facile namque diuina natura, cum vniuersa in oculis eius nuda, aperta que sint, absque verbis docere potest, quos vult. Clarificatur igitur a paraceto, id est, a proprio spiritu filius. Clarificatur autem: qui, cum spiritus eius omnia scire, posseque perspicitur, quomodo nescire ipse quicquam, aut minus posse credetur? & si de ipso accipit spiritus, qui omnia potest, quomodo ipse non erit omnipotens? Minime autem alicuius rei spiritus indiget naturaliter, vt accipere illi, quod non habeat, opus sit; hoc enim credere impium est. Verum, quoniam consubstantialis filio est, proceditque per eum, omnem eius habens virtutem; ideo ait, quia de meo accipiet. Subsistere namque per se, spiritum credimus, & id esse vere, quod dicitur. Verum, cum in sit in substantia Dei, & ex ea procedat; omnia, quæ Dei sunt, in seipso naturaliter habet. Non enim participatione, aut habitudine, nec vt alius à substantia Dei; sed quemadmodum floris odor qualitatem eius naturalem olfactui offert, ita de Deo, & de spiritu sancto intelliges, sublimius vim exempli accipiens. Nihil igitur detrahitur spiritui; cum accipere à filio credatur, Nam, cum per filium naturaliter procedat, vt proprius eius; cum omnibus, quæ absolute habet, accipere dicit, quæ ipsius sunt. Hæc si non ita significatibus verbis dicta sunt, cõturbari nõ decet, imbecillitatis humanæ memores, quæ diuina hæc dicere vt oportet, nõ potest. *Amiciabit ergo inquit, vobis de meo accipietis. i. nõ aliud quã ego velim, exponet, Cùmque spiritus meus sit, ea dicit, quæ mea sunt.*

Superius dixi spiritus esse filij substantia naturaliter procedere, hic vult per eum procedere affirmat: quare utraque propositiones idem significant.

B E D A E V E N E R A B I L I S  
presbyteri eiusdem Euang. expositio.

Hæc autem vobis ab initio non dixi, &c. Nunc autem vado ad eum qui me misit, &c. Significat sic se iturum, vt nullus interrogaret, quod palam fieri visu corporis cerneret. Nam superius interrogauerant eum quo esset iturus, & responderat eis eo se iturum, quo ipsi tunc venire nõ possent. Nunc vero ita se promittit iturum, vt nullus eorum quo vadit interroget. Nubes enim suscepit eum quando ascendit ab eis, & euntem in cælum non verbis quæsierunt, sed oculis deduxerunt. Sed quia hæc locutus sum vobis, inquit, tristitia impleuit cor vestrum. Videbat itaque quid illa sua verba in eorum cordibus agerent. Spiritualem quippe nondum habentes interiori consolationem, quam per spiritum sanctum fuerant habituri, id quod exterius in Christo videbant, amittere metuebant: & quia se amissuros esse, illo vera denunciante, dubitare non poterant, contristabatur humanus affectus, quia carnis desolabatur aspectus. Nouerat autem ille quid eis potius expediret: quia visus interior ipse est vti que melior, quo eos consolaturus fuerat spiritus sanctus, non cernentium corporibus ingesturus corpus humanum, sed seipsum credentium peccatoribus infusus. Denique adiungit, Sed ego veritatem dico vobis, expedit vobis, &c. Tanquam diceret; Expedit vobis, vt hæc forma serui auferatur à vobis. Caro quidem factum verbum habito in

Act. 1.

vobis, sed nolo adhuc me carnaliter diligatis, & isto lacte contenti, semper infantes esse cupiaris. Expedit vobis vt ego vadam, si enim non abiero, paracletus non veniet ad vos. Si alimenta tenera quibus vos alui, non subtraxero, solidum cibum meum non esurietis. Si carnaliter hæseritis, capaces spiritus non eritis. Nam quidem; Si non abiero paracletus non veniet ad vos, si autem abiero, mittam eum ad vos? Nunquid hic positus eum non poterat mittere? Quis hoc dixerit? Neque enim vbi ille erat, iste inde recesserat, & sic venerat à patre, vt non maneret in patre. Postremo quomodo eum etiam hic constitutus non poterat mittere, quem scimus super eum baptizatum venisse, atque mansisse, imò verò à quo scimus eum nunquam se parabilem fuisse? Quid est ergo; Si non abiero, paracletus non veniet ad vos? nisi, non potestis capere spiritum sanctum, quandiu secundum carnem nosse persistitis Christum? Vnde ille, qui iam cõperat spiritu, Et si noueramus, inquit, secundum carnem Christum, sed nunc iam non nouimus. Iplam quippe carnem Christi non iam secundum carnem nouit qui verbum carnem factum spiritualiter nouit, hoc nimirum significare voluit magister bonus dicendo; Si enim non abiero, paracletus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos. Christo enim discedente corporaliter, nõ solum Spiritus sanctus, sed & pater & filius illis adfuit spiritualiter. Nam si ab eis sic abscessit Christus, vt pro illo non cum illo esset spiritus sanctus, vbi est eius promissio dicentis; Ecce ego vobiscum sum vsque in cõsummationem seculi, & Veniemus ad eum ego & pater, & mansionem apud eum faciemus? cum spiritum sanctum ita se promiserit esse missurum, vt cum eis esset in æternum; ac per hoc cum ex carnalibus vel animalibus essent spirituales futuri, profecto & patrem & filium & spiritum sanctum capacius fuerant habituri. In nullo ergo credendus est esse pater sine filio, & spiritus sancto: sed vbi eorum quilibet vnus, ibi trinitas Deus est vnus. Oportebat autem ita insinuari trinitatem, vt quantuis nulla esset diuersitas substantiarum, sigillatim tamen commendaretur distinctio personarum. Et cum venerit ille, arguet mundum, &c. Quid est hoc? Nunquid nam Dominus Christus non arguit mundum de peccato, cum ait; Si non venissem, & locurus eis fuisset, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo? Sed ne forte quis dicat hoc ad Iudæos proprie pertinere, non ad mundum, nõne ait alio loco; Si de mundo essetis, mundus quod suum esset diligere? Nunquid non arguit de iustitia, vbi ait, Pater iuste, mundus te non cognouit? Nunquid non arguit de iudicio, vbi se ait sinistris esse dicturum; Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius? & multa alia reperiuntur in sancto euangelio, vbi de his Christus arguit mundum. Quid est ergo, quod tanquam proprie tribuit hoc spiritui sancto? An forte quia Christus ad Iudæorum tantum gentem locutus est, mundum non videtur arguisse: vt ille intelligatur argui, qui audit arguentem: spiritus autem sanctus in discipulis eius toto orbe diffusus, non vnam gentem intelligatur arguisse, sed mundum? Nam hoc illis ait ascensurus in cælum; Non est vestrum scire tempora, quæ pater posuit in sua potestate: sed accipietis virtutem spiritus sancti super

Ioan. 1.

2. Cor. 5.

Math. 10.

Math. 3.

Act. 1.

superuenientem in vos, & eritis mihi testes in Hierusalem, & in tota Iudæa & Samaria, & vsque in fines terræ. Hoc est arguere mundum. Sed quis audeat dicere, quod per discipulos Christi arguat mundum spiritus sanctus, & non arguat mundum ipse Christus, cum clamet Apostolus; An vultis experimentum accipere eius, qui in me loquitur Christus? Quos itaque arguit & spiritus sanctus, arguit vti que Christus. Sed quantum mihi videtur, quia per spiritum sanctum diffundenda erat charitas in cordibus eorum, quæ foras mittit timorem, quo impediti possent, ne arguere mundum, qui persecutionibus fremebat, auderet, propterea dixit; Ille arguet mundum: tanquam diceret, Ille diffundet in vestris cordibus charitatem. Sic enim timore depulso, arguendi habebitis libertatem. Saepe autem diximus inseparabilia esse opera. Trinitatis, sed sigillatim commendandas fuisse personas, vt non solum sine separatione, verum etiam sine confusione & vnitas intelligatur, & Trinitas. De peccato quidem, inquit, quia non credunt in me. Hoc enim peccatum, quasi solum præ cæteris posuit, quia hoc manente cætera retinentur: & hoc discedente cætera remittuntur. De iustitia vero, inquit, quia ad patrem vado, & iam non videbitis me. Hinc primo videndum est si recte quisquam arguitur de peccato, quomodo recte arguatur & de iustitia. Nunquid enim si arguendus est peccator propterea quia peccator est, arguendum quisquam putabit & iustum propterea quia iustus est? Absit: nam & si aliquando iustus arguitur, ideo recte arguitur, quia sicut scriptum est, Non est iustus in terra, qui faciat bonum, & nõ peccet. Quocirca etiam cum iustus arguitur, de peccato arguitur, non de iustitia: quoniam & in illo quod legimus diuinitus dictum; Noli effici iustus multum, nõ est notata iustitia sapientis, sed superbia præsumptus. Qui ergo sit iustus multum, ipso nimio fit iniustus. Multum enim se facit iustum, qui dicit se non habere peccatum: aut qui se putat non gratia sed sua voluntate sufficiente effici iustum. Nec recte viuendo iustus est, sed potius in flatus, putando se esse quod non est. Quo pacto igitur mundus arguendus est de iustitia, nisi de iustitia credentium? Arguitur nanque de peccato, quia in Christum non credit: & arguitur de iustitia eorum, qui credunt. Ipsa quippe fidelium comparatio, infidelium est vituperatio. Hoc & ipsa expositio satis indicat. Volens enim aperire quid dixerit, De iustitia vero, inquit, quia ad patrem vado, & iam non videbitis me. Non ait, & iam non videbunt me, de quibus dixerat, quia non credunt in me. Sed peccatum quid vocaret exponens, de illis locutus est dicens, quia non credunt in me. Exponens autem quam diceret iustitiam, de qua dixit mundus arguitur, ad ipsos quibus loquebatur, se cõuertit atque ait; Quia ad patrem vado, & iam non videbitis me. Quapropter mundus de peccato quidem suo, de iustitia vero arguitur aliena: sicut arguuntur de lumine tenebræ. Omnia enim quæ arguuntur, ait apostolus, à lumine manifestantur. Quantum enim malum sit eorum, qui non credunt, non solum per se ipsum, verum etiam ex bono potest eorum apparere qui credit. Et quoniam ista vox infidelium esse cõfueuit, Quomodo credemus quod non videmus? ideo credentium iustitiam sic oportuit desiniri, quia ad patrem vado, & iam non videbitis me. Beati enim qui non videbant, & credent. Nam & qui

2. Cor. 13.

Eccl. 7.

Ephes. 5.

Ioan. 10.

viderunt Christum, non eo laudata est fides eorum, quia credebant, quod videbant, id est filium hominis: sed quia credebant quod non videbant, id est filium Dei. Cum ergo & ipsa forma serui subtracta eorum esset aspectibus, tam vero ex omni parte impletum est, iustus ex fide viuuit. Est enim fides, sicut in Epistola quæ ad Hebræos est, definitur, \* sperantium substantia, conuictio reum, quæ non videntur. Sed quid est, iam non videbitis me? Non enim ait, Ad patrem vado, & nõ videbitis me, vt temporis interuallum quo non videbitur, significasse intelligeretur, siue breue, siue longum, tamen vti que terminatum: sed dicendo, iam non videbitis, velut nunquam eos de cætero visuros Christum veritas pronunciauit. Hæc iniustitia est, nunquam Christum videre, & in eum tamẽ credere: eum propterea laudatur fides ex qua iustus viuuit, quoniam credit, quem modo non videt, Christum se aliquando esse visurum? Postremo secundum iustitiam nunquid dicitur sumus Paulum Apostolum non fuisse iustum confitentem se vidisse Christum post ascensionem eius in cælum, de quo vti que iam tempore dixerat, iam non videbitis me? Nunquid secundum iustitiam hanc iustus non erat gloriosissimus Stephanus, qui cum lapidaretur ait; Ecce video calos apertos, & filium hominis stantem ad dexteram Dei? Quid ergo est, Ad patrem vado, & iam non videbitis me? nisi, quod modo sum, vobiscum sum. Tunc enim erat adhuc mortalis in similitudine carnis peccatori, qui esurire, ac sitire, fatigari atque dormire poterat. Hunc ergo Christum; id est talem Christum, cum tranisset de hoc mundo ad patrem, non erant iam visuri: & ipsa est iustitia fidei, de qua dicit Apostolus; Et si noueramus Christum secundum carnem, sed iam nõ nouimus. Erit itaque (inquit) vestra iustitia qua mundus arguitur, quia vado ad patrem, & iam non videbitis me. Non videbitis humilem, sed excelsum. Non videbitis mortalem, sed sempiternum. Non videbitis iudicandum, sed iudicatum, & hac fide vestra, id est iustitia vestra, arguet spiritus sanctus incredulum mundum. Arguet etiam, De iudicio, quia princeps mundi huius indicatus est. Quis est iste? nisi de quo ait alio loco, Ecce venit princeps mundi huius, & in me nihil inuenit, id est nihil iuris sui, nihil quod ad eum pertineat; nullam scilicet omnino peccatum, per hoc enim est diabolus princeps mundi. Non enim cæli, & terræ, & omnium, quæ in eis sunt, est diabolus princeps, qua significatione intelligitur mundus vbi dictum est; Et mundus per eum factus est: sed mundi est diabolus princeps, de quo mundo ibi cõtinuo subiungit atque ait, Et mundus eum non cognouit, hoc est, homines infideles, quibus toto orbe terrarum plenus est mundus: inter quos gemit fidelis mundus, quem de mundo elegit, per quem factus est mundus: de quo ipse dicit, Non venit filius hominis, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum. Mundus, eo iudicante, damnatur, mundus, eo subueniente, saluatur: quoniam sicut arbor foliis, & pomis, sicut area paleis, & frumentis, ita infidelibus, & fidelibus plenus est mundus. Princeps ergo mundi huius, hoc est, princeps tenebrarum harum, id est infidelium, de quibus eruitur mundus, de quibus dicitur, Fuitis aliquando tenebræ, nunc autem lux in domino. Princeps mundi huius, de quo alibi dicit; Nunc princeps mundi huius

\* Forte speru dorum.

1. Cor. 15.

Act. 7.

2. Cor. 5.

Ioan. 3.

Ioan. 3.

Ephes. 5.

Ioan. 12.

ius missus est foras, utique iudicatus est: quoniam iudicio ignis æterni irrevocabiliter destinatus est. **Matth. 25.** De hoc itaque iudicio, quo princeps iudicatus est mundi, arguitur à sancto spiritu mundus, quoniam cum suo principe iudicatur, quem superbus atque impius imitatur. Si enim Deus, sicut dicit Apostolus Petrus, peccantibus angelis non pepercit, sed carceribus caliginis inferi retrudens tradidit in iudicio puniendos servari: quomodo non à sancto spiritu de hoc iudicio mundus arguitur, quando in sancto spiritu hæc Apostolus loquitur? Credant itaque homines in Christum, ne arguantur de peccato infidelitatis suæ, quo peccato omnia detinentur. Transeant in numerum fidelium, ne arguantur de iustitia eorum, quos iustificatos non imitantur. Caveant futurum iudicium, ne cum mundi principe iudicentur, quem iudicatum imitantur. Etenim ne sibi existimet parci superbia dura mortalium, de superbiorum supplicio terrenda est angelorum. Quod itaque ait dominus. *Adhuc multa habeo vobis dicere, &c.* Adijcienda illis fuerant quæ nesciebant, non quæ didicerant, evertenda. Et ille quidem potuit hoc ita dicere, quia illa ipsa quæ docuerat, si vellet eis sic aperire, ut in illo conspiciuntur ab angelis, hæc infirmitas humana in qua adhuc erant, ferre non posset. Spirituales autem homo quilibet potest alterum hominem docere quod novit, si proficiendo capaciorum faciat spiritus sanctus, in quo & ipse doctor aliquid amplius addiscere poterit, ut sint ambo docibiles Dei. Qua occasione vani quidam Apocalypsin Pauli, quam sanitas non recipit Ecclesiæ, nescio quibus fabulis plenam, stultissima præsumptione finxerunt, dicentes hanc esse, vnde dixerit raptum se fuisse in tertium cælum, & illic audisse ineffabilia verba, quæ non licet homini loqui; vbi si dixisset, quæ adhuc non licet homini loqui, utcumque istorum tolerabilis esset audacia. Cum vero dixerit, quæ non licet homini loqui, isti sunt, qui hæc audeant impudenter, & infelicitate loqui. Quid est quod ait dominus de spiritu sancto, cum eum venturum esse promitteret, & docturum discipulos eius omnem veritatem, vel eos deducturum in omni veritate? *Non enim loquitur à semetipso, sed quæcumque audiet, loquitur.* Simile enim est hoc ei quod de seipso dixit; Non possum à me facere quicquam: sicut audio, iudico. Sed illud cum exponeremus, secundum hominem accipi posse diximus, ut obedientiam suam, qua factus est obediens usque ad mortem, prænuñciasset filius videretur & in iudicio futuram, quo vivos & mortuos iudicabit: quia hoc per id facturus est, quod filius hominis est: propter quod dixit, Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium filio dedit: quia in iudicio nõ forma Dei, qua cœqualis est patri, nec ab impiis videri potest, sed forma hominis apparebit, qua minoratus est etiam modico minus ab angelis: quamvis iam in claritate, non in pristina sit humilitate venturus, conspicuus ramen futurus & bonis, & malis. **Joan. 5.** Hinc ait & illud, Et potestatem dedit ei iudicium facere, quoniam filius hominis est. In quibus verbis eius manifestatur non eam formam præsentandam esse in iudicio, in qua cum esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo: sed illam, quam cum semetipsum exinanisset accepit, **Philipp. 2.** Semetipsum enim exinanivit, formam servi acci-

piens. In quo videtur etiam ad faciendum iudicium obedientiam suam commendasse, cum dixit, Non possum à meipso facere quicquam: sicut audio, iudico. Adam nanque, per cuius vnus hominis inobedientiam peccatores constituti sunt multi, non sicut audiuit iudicavit: quia quod audiuit, prænuñciavit, & à semetipso fecit malum: quia non Dei voluntatem, sed suam fecit. Ille autem, per cuius vnus hominis obedientiam iusti constituuntur multi, non solum obediens fuit usque ad mortem crucis, in qua est vnus iudicatus & mortuus, sed obediens se futurum promittens in ipso quoque iudicio quo est de viuis iudicaturus & mortuus, Non possum, inquit, à meipso facere quicquam: sicut audio, iudico. Sed nunquid de spiritu sancto quod dictum est; *Non enim loquitur à semetipso, sed quæcumque audiet, loquitur:* secundum hominem, vel secundum assumptionem cuiusquam creaturæ dictum esse audebimus opinari: solus quippe in trinitate filius formam servi accepit: quæ forma illi ad veritatem personæ coopata est, id est, ut filius Dei & filius hominis vnus sit Iesus Christus, ne non trinitas, sed quaternitas prædicetur à nobis, quod absit à nobis: propter quam personam, profecto vnâ ex duabus substantiis diuina, humanæque constantem, aliquando secundum id quod dicitur Deus est, loquitur, ut est illud quod ait; Ego & pater vnus sumus. Aliquando secundum id quod homo est, sicut est illud; Quoniam pater maior me est: secundum quod accipimus esse ab eo dictum & hoc vnde nunc disputo, Non possum à meipso facere quicquam: sicut audio, iudico. In persona vero spiritus sancti quomodo id accipiamus quod ait; *Non enim loquitur à semetipso, sed quæcumque audiet, loquitur:* cum in ea non sit alia diuinitatis, alia humanitatis, vel alterius creaturæ cuiuscunque substantia, magna exoritur difficultas. Cum igitur spiritus sanctus nulla susceptione hominis sit homo factus, nulla susceptione angeli sit angelus factus, nulla susceptione cuiusquam creaturæ creatura sit factus: quomodo de illo intelligendum est, quod dominus ait; *Non enim loquitur à semetipso, sed quæcumque audiet, loquitur?* Ardua quæstio, nimis ardua. Ipse adsit spiritus, ut saltem sicut eam cogitare possum, sic eloqui possim, ac sic ad intelligentiam vestram pro mei moduli facultate perueniat. Prius itaque nosse debetis, & intelligere qui potestis, credere autem qui intelligere nondum potestis, in ea substantia, quæ Deus est, non quasi per corporis molem sensus locis propriis esse distributos, sicut in carne mortali quorumcunque animalium alibi est visus, alibi auditus, alibi olfactus, per totum autem tactus. Absit hoc credere in illa incorporea, immutabilique natura. Audire ergo ibi, & videre, id ipsam est. Cum enim dicitur scire, ibi sunt omnia, & videre & audire, & olfacere, & gustare, & tangere, sine vlla huius mutatione substantiæ, sine vlla mole, quæ in alia parte maior, in alia minor etiã in sensibus puerili pectore cogitatur, quando Deus sic cogitatur. Cum ergo de spiritu sancto dicitur; *Non enim loquitur à semetipso, sed quæcumque audiet, loquitur:* multo magis ibi simplex natura, vbi verissime simplex, vel intelligenda est, vel credenda, quæ longe naturam nostræ mentis excedit, inmutabilis est quippe mens nostra, quæ percipit discendo, quod nesciebat, & amittit de discendo quod

do quod sciebat: & verisimilitudine fallitur, ut pro vero approbet falsum: & obscuritate sua quasi quibusdam tenebris impeditur, ne perueniat ad verum, & ideo non est ista substantia verissime simplex, cui non est hoc esse quod nosse. Potest enim esse, nec nosse: At illa diuina non potest ita esse: quia id, quod habet, est: ac per hoc non sic habet scientiam, ut aliud illi sit scientia qua scit, aliud essentia qua est: sed vtrumque vnus: quanquam nec vtrumque dicendum est, quod simpliciter vnus est: sicut habet pater vitam in semetipso, nec aliud est ipse, quam vita, quæ in illo est: & dedit filio vitam habere in semetipso: hoc est, genuit filium, qui & ipse vita esset. Sic itaque debemus accipere quod de spiritu sancto dictum est; *Non enim loquitur à semetipso, sed quæcumque audiet, loquitur:* ut intelligamus non eum esse à semetipso, pater quippe solus de alio non est. nam & filius de patre natus est, & spiritus sanctus de patre procedit. Pater autem nec natus est de alio, nec procedit. Nec ideo sane aliqua disparitas in summa illa trinitate cogitationi occurrat humanæ. Nam & filius de quo natus est, & spiritus sanctus ei, de quo procedit, æqualis est. Quid autem illuc interitus inter procedere, & nasci, & longum est querendo dissilere, & temerarium cum dissilueris definire: quia & menti vtrumque comprehendere, & si quid forte mens inde comprehenderit, linguæ diffisillimum est explicare, quantumlibet præsit doctor, quantumlibet sit auditor. **Joan. 10.** *Non ergo loquitur à semetipso,* quia non est à semetipso: *sed quæcumque audiet, loquitur.* Ab illo audiet, à quo procedit. Audire illi scire est, sicut superius disputatum est. Quia ergo nõ est à semetipso, sed ab illo à quo procedit: à quo illi est essentia, ab illo & scientia. Ab illo igitur audientia, quæ nihil est aliud quam essentia. Nec moueat quod verbum futuri temporis positum est. Non enim dictum est, quæcumque audiuit, aut quodcumque aliud, sed, *quæcumque audiet, loquitur.* Illa quippe audientia sempiterna est, quia sempiterna scientia. In eo autem quod sempiternum est, sine initio, & sine fine: cuiuslibet temporis verbum ponatur, siue præteriti siue præsentis siue futuri, non mendaciter ponitur. Quamuis enim natura illa immutabilis non recipiat fuit & erit, sed tantum est (ipsa enim veraciter est, quia mutari non potest: & ideo illi tantum conueniat dicere; **Exod. 3.** Ego sum qui sum, & dices filiis Israel; *Qui est, misit me ad vos*) tamen propter mutabilitatem temporum, in quibus versatur nostra mortalitas, & nostra mutabilitas, non mendaciter dicimus & fuit, & est, & erit. Fuit in præteritis seculis, est in præsentibus, erit in futuris. Fuit, quia nunquam defuit. Erit, quia nunquam deerit. Est, quia semper est. Neque enim velut qui iam non sit, cum præteritis occidit, aut cum præsentibus: vel ut qui non maneat, labitur: aut cum futuris velut qui non fuerat, oriatur. Proinde cum secundum volumina temporum locutio humana variatur, quia per nulla deesse potuit aut potest aut poterit tempora, vera de illo dicuntur cuiuslibet temporis verba. Semper itaque audit spiritus sanctus, quia semper scit: ergo & sciuit, & scit, & sciet: ac per hoc & audiuit, & audit, & audiet: quia sicut iam diximus, hoc illi est audire, quod scire: & scire illi hoc est quod esse. Ab illo igitur audiuit, audit, audiet, à quo est. Ab illo est;

à quo procedit. Sed quod adiungit; *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annunciat vobis,* Non negligenter est transeundem. Quod enim ait, *Ille me clarificabit,* potest intelligi, quia diffundendo in credendum cordibus charitatem, spiritalisque faciendo, declarabit eis quomodo patri filius esset æqualis, quem secundum carnem prius tantummodo nouerant, & hominem sicut homines cogitabant: vel certe quia per ipsam charitatem fiducia repleti, & timore depulsi, annunciauerunt hominibus Christum, ac sic eius fama diffusa est toto orbe terrarum: ut sic dixerit, *Ille me clarificabit,* Tanquam diceret, Ille vobis auferet timorem & dabit amorem, quo me ardentius prædicantes, gloriæ meæ per totum mundum dabitis odorem, commendabitis honorem. Quod enim facturi erant in spiritu sancto, hoc eundem spiritum **Matth. 3.** dixit esse facturum: quale est etiam illud, Non enim vos estis, qui loquimini, sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis. Verbum quippe Græcum, quod est *ὁ λόγος*, alius clarificabit, alius glorificabit, Latini interpretes in sua quisque translatione posuerunt, quoniam ipsa, quæ Græce dicitur *ἡ ψή*, vnde dictum est *ὁ λόγος*, & claritas interpretatur, & gloria. nanque fit quisque clarus, & claritate gloriosus: ac per hoc quod vterque verbo significatur, id ipsum est. Sicut autem definerunt antiqui Latinæ linguæ, clarissimi auctores, gloria est frequens de aliquo fama cum laude. Quæ cum est in hoc mundo facta de Christo, non Christo credenda est magnum aliquid contulisse, sed mundo. Bonum enim laudare, non laudato, sed laudantibus prodest. Quapropter quoniam de his nihil hoc loco dicendum est, qui Christum vituperant, atque blasphemant, quia de gloria eius loquimur, qua est glorificatus in mundo, non eum glorificauit spiritus sanctus vera gloria, nisi in ecclesia sancta catholica. Alibi enim, id est, vel apud hæreticos, vel apud quosdã paganos, vera eius in terris gloria non potest esse: & vbi videtur esse frequens de illo fama cum laude, vera eius gloria in ecclesia catholica sic per prophetam cantatur, Exaltare super caelos, Deus, & super omnem terram gloria tua: Quia itaque post eius exaltationem venturus erat spiritus sanctus, & eum glorificaturus, hoc faceret psalmus, hoc ipse vnigenitus promissit futurum, quod videremus impletum. Quod autem ait; *De meo accipiet, & annunciat vobis,* catholicis audire auri-

EIVSDEM IN IDEM

Homil. 2.

Sicut ex lectione euangelica, fratres charissimi, audiuimus, dominus ac redemptor noster inminente suæ passionis articulo, discipulis & gloriam ascensionis, qua ipse post mortem & resurrectionem erat clarificandus, & aduentum spiritus sancti, quo illi erant illustrandi, patefecit: quatenus instante hora passionis eiusdem, minus pro illius morte dolerent, quem post mortem ad cælos subleuandum non dubitarent, minus de sua **Bibl. Hom. tom. 3.** H 3 desola



desolatione trepidarent, quos abeunte licet domino, spiritus sancti gratia consolandos esse sperarent. Vado, inquit, ad eum qui me misit, & nemo ex vobis interrogat me, quo vadis. Ac si aperte dicat: Reuertor ascendendo ad eum qui me incarnari constituit, & tanta tamque manifesta erit eiusdem ascensionis claritas, vt nemini vestrum opus sit interrogare quo vadam videntibus cunctis, quia ad caelos pergam. Bene autem cum de ascensione sua dixisset, vado ad eum qui me misit, addidit, & nemo ex vobis interrogat me, quo vadis. Superius namque cum de sua passione protestaretur, dicens, quo ego vado, vos non potestis venire, interrogauit eum Petrus, & ait: Domine quo vadis? Responsumque est ei: Quo ego vado, non potes me modo sequi, sequeris autem postea. Quia nimirum passionis mortisque eius mysterium nec dum intelligere, nec dum poterant imitari, maiestatem vero ascensionis statim vt videre cognouerunt, rotisque animi votis vt sequi mererentur optabant. Sed quia haec locutus sum vobis tristitia impleuit cor vestrum. Sciebat dominus ipse quid haec sua verba in discipulorum cordibus agerent, quia videlicet tristitiam magis de abscessu quo eos desereret, quam de ascensu quo patrem peteret, laetitiam generarent. Vnde benigne consolado subiunxit. Sed ego veritatem dico vobis, expedit vobis vt ego vadam. Expedit vt forma serui vestris subtrahatur aspectibus, quatenus amor diuinitatis arctius vestris insigatur in metibus. Expedit vt notam vobis formam caelo inferam, quatenus maiori per hoc desiderio illuc suspiratis, sicque suspensis ad superna cordibus vestris, ad accipienda iam spiritus sancti dona capaces fiat. Si enim non abiero, paracletus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos. Non quia non poterat ipse in terra positus dare spiritum discipulis, haec loquitur, cum aperte legatur, quia post resurrectionem apparatus eis insufflauit & dixit eis: Accipite spiritum sanctum. Vnde quia ipse in terra posito & corporaliter conuersante cum eis, non valebant illi erigere mentem ad sitienda munera gratiae caelestis: ascendite autem ipso ad caelos, & illi pariter omne desiderium suum illo transferebant, iuxta hoc quod alibi audierunt: vbi enim est thesaurus tuus, ibi & cor tuum erit. Ideoque capaces spiritus iam facti erant, non vltra de morte eius tristitati, sed de promissionis eius munere letati, Luca attestante qui ait: Et factum est dum benediceret illis, recessit ab eis, & ferebatur in caelum. Et ipsi adorantes regressi sunt in Hierusalem cum gaudio magno, & erant semper in templo laudantes & benedicentes Deum. Patet autem nec laboriosa expositione indiget, cur eundem spiritum paracletum, id est, consolatorem: cognominet, quia nimirum corda discipulorum, quae recessus ipsius moesta reddidisset, huius consolaretur & recrearet aduentus. Sed & singulis quibusque fidelium vel de peccati perpetracione mœrentibus, vel communi huius seculi afflictione laborantibus, dum spem veniæ & misericordiae caelestis inspirat, profecto ab angore tristitiae mentem illustrando subleuat. Quia vero spiritus eidem menti, quam replet, non solum vim diuinæ charitatis infundit interius, verum etiam carnali timore depulso, ad increpandam prauitatem malorum foris fiduciam praestat, recte subditur: Et cum venerit ille, arguet mundum de peccato, & de iustitia, & de iudicio. Claret namque, quod ipse filius Dei dominus noster Iesus Christus, cum esset in mundo, arguebat mundum, id est, sectatores mundi, de peccato suae incredulitatis: arguebat de iustitia, quia videlicet iustitiam fidelium nollent imitari: arguebat de iudicio, videlicet quare diabolum qui iam indicatus ac condemnatus erat, sequerentur. Sed non sine causa spiritum eum venerit hoc idem dicit acturum, quia profecto per huius inspirationem corroborandus erat animus discipulorum, ne mundum qui contra se fremebat, arguere timerent. Exponens ergo sententiam suam dominus, adiunxit: De peccato quidem, quia non credit in me. Peccatum incredulitatis quasi speciale posuit, quia sicut fides origo virtutum, ita solidamentum est vitiorum in incredulitate persistere, domino terribiliter attestante, qui dicit: Qui autem non credit, iam iudicatus est, quia non credit in nomine vnigeniti filij Dei. At contra iustus ex fide viuunt. De iustitia vero, quia ad patrem vado, & iam non videbitis me. Iustitia discipulorum Christi confessio erat, quod dominum quem verum hominem cernebant, verum quoque Dei filium esse crediderunt: & quem sibi corporaliter ablatum nouerant, certo semper amore colebant. Iustitia ceterorum fidelium, id est, eorum, qui dominum in carne non viderunt, haec est, quod eum quem corporali intuitu nunquam viderunt, Deum & hominem verum corde credunt ac diligunt. De qua profecto iustitia fidei arguuntur infideles, cui ipsi videlicet cum similiter verbum vitae audierint, noluerunt credere ad iustitiam. Neque enim nequitia malorum ex sua solum tortitudine, verum etiam ex comparacione rectorum quam sit damnanda monstratur. Hinc etenim scriptum est: Probata autem virtus corripit insipientes. Arguit ergo mundum spiritus sanctus de peccato suo, quia non crediderit in Christum: arguit & de iustitia credentium, quia exemplum eorum sequi noluerint, qui hunc ad patrem ascendisse, neque vltra corporaliter in terris conuersaturum esse sciebant, nec tamē ab eius dilectione poterant vlla ratione separari. Hoc est enim quod ait, quia ad patrem vado, & iam non videbitis me. Non videbitis me postquam ascendero, qualem nunc videre soletis, carne mortali & corruptibili circumdatum, sed in maiestate ad iudicium venientem, & peracto iudicio in maiore gloria sanctis apparentem. Sequitur: De iudicio autem, quia princeps mundi huius iudicatus est. Principem mundi diabolum dicit, quia principatur eis, qui ordine peruerso mundum potius quam mundi conditorem diligunt. Qui iudicatus est a domino, qui ait: Videbam satanam sicut fulgur de caelo cadentem. Iudicatus est ab eo, cum & ipse demonia eiiceret, & discipulis daret potestatem calcandi super omnem virtutem inimici. Arguitur itaque mundus de iudicio, quo diabolus est iudicatus, quando homines ne Dei voluntati resistere praesumant, exemplo damnati propter superbiam terrentur archangeli. Arguit mundum spiritus sanctus de iudicio quo princeps mundi iudicatus est, cum loquens in spiritu sancto Iudas Apostolus ad corrigendam hominum prauorum nequitiam, poenam superbientium commemorat angelorum dicens: Angelos vero qui non seruauerunt suum principatum, sed reliquerunt suum domicilium, in iudicium magni diei vinculis

Joan. 13.

Joan. 20.

Matth. 6.

Luc. 14.

culis aeternis sub caligine reseruauit. Sequitur: Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. Cum autem venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Certum est quidem, quia veniente de super spiritu apostoli maiorem multo scientiam veritatis, quam carnales eatenus potuere consecuti sunt, maiori desiderio certandi pro veritate succensi sunt. Non tamen putandum est in hac vita quempiam omnem veritatem posse comprehendere, cum haec fidei nostrae merces in alia sit vita promissa, ipsa veritate dicente: Haec est autem vita aeterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Et alibi ad Iudaeos: Si manseritis in verbo meo, vere discipuli mei eritis, & cognoscetis veritatem. Vnde & Apostolus qui ad tertium caelum raptus audiuit arcana verba, quae non licebat homini loqui, ex parte, inquit, cognoscimus, & ex parte prophetamus. Intelligendum est ergo quod ait de spiritu, Docebit vos omnem veritatem, quasi diceret: Diffundet in cordibus vestris charitatem, cuius magisterio intus edocti proficiatis de virtute in virtutem, dignique efficiamini peruenire ad vitam, in qua vobis aeterna claritas summae veritatis, & verae sublimitatis, id est, contemplatio vestri conditoris apparet. Non enim loquitur de semetipso, sed quaecumque audiet, loquitur. Non loquitur spiritus ad semetipso, id est, sine patris & filij communione, neque enim diuisus ac a se paritatus est spiritus, sed quaecumque audiet loquitur: audiet videlicet per vnitatem substantiae, & proprietatem scientiae. Non loquitur ad semetipso, quia non est ad seipso, sed ab illo a quo procedit. A quo illi est essentia, ab illo vtique & scientia. Ab illo igitur audientia, quod nihil est aliud quam scientia. Quod vero adiunxit, Et quae futura sunt, annuntiabit vobis. Constat innumeros fidelium per donum sancti spiritus praenouisse ac praedixisse ventura. Sed quia sunt nonnulli qui spiritus gratia pleni infirmos curant, mortuos suscitant, demonibus imperant, multis virtutibus coruscant, ipsi angelicam in terris vitam gerunt, nec tamen quae sibi sunt ventura spiritus eiusdem reuelacione cognoscunt. Potest hic Domini sermo etiam sic accipi, quia spiritus adueniens quae ventura sunt nobis annunciat, cum gaudia nobis patriae caelestis ad memoriam reducit, cum festa illa supernae ciuitatis per donum nobis suae aspirationis innotescit. Ventura nobis annunciat, cum nos a delectacione praesentium abstrahens, promissi in caelis regni desiderii inflammat. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis. Spiritus clarificauit Christum, quia per eum tanta charitas in cordibus discipulorum accensa est, vt abiecto timore carnali effectum resurrectionis eius constantes praedicarent, a quo tempore passionis pauidi fugerunt. Vnde scriptum est: Et repleti sunt omnes spiritu sancto, & loquebantur verbum Dei cum fiducia. Spiritus clarificauit Christum, cum impleti gratia spirituali doctores sancti, tot & tanta miracula in nomine Christi fecerunt, quibus orbem totum ad fidem Christi conuerterent, tot ac tanta pro Christi nomine passionum cerramina perulerunt, donec ipsa

Joan. 3.

Abn. 1.

Sapient.

Luc. 10.

Act. 1.

etiam superbiorum colla persecutorum suauissimo Christi iugo submitterent. Spiritus clarificauit Christum, cum sua nos inspiratione ad diligendam eius visionem accendit, cum illum patri in diuinitate aequalem esse credendum fidelium cordibus intimat. Quia de meo, inquit, accipiet, & annuntiabit vobis. De patre accipit spiritus sanctus, vnde accipit & filius: quia in hac trinitate de patre natus est filius, de patre procedit spiritus sanctus. Qui autem de nullo natus sit, de nullo procedat, pater est solus. Omnia quaecumque habet pater mea sunt, propterea dixi, quia de meo accipiet & annuntiabit vobis. De his dixit quae ad ipsam patris diuinitatem pertinent, in quibus illi est aequalis omnia quae habet pater habendo. Neque enim spiritus sanctus de creatura quae patri est subiecta & filio erat accepturus, quod ait, de meo accipiet, sed vtique de patre de quo procedit spiritus, de quo natus est & filius. Sed quia donante Domino, lectionem sancti euangelij partium vestigia sequentes exponendo transcurramus, restat vestram fraternitatem, charissimi, mecum pariter admonere, vt eius memoriam sollicita semper in tentacione seruemus, & eius suauitatem deuoto pectore scrutemur, & casto serupio ore ruminemus. Quid enim prodest ad audiendum Dei verbum conuenire, & expleto auditu ad inania mox & secularia colloquia vel acta conuerti? Recolamus ergo iuxta quod eadem admonet lectio, quia dominus noster expleta passione rediit ad patrem a quo missus est, nec patrem cum ad nos veniret, nec nos deserens cum rediret. Illuc eius vestigia toto mentis nisu sectemur, & vt illo peruenire, & illius regni ianuam mereamur intrare, perpendamus magnopere quibus actionum gressibus in terra degens incesserit. Qui enim dicit se in Christo manere, debet sicut ipse ambulauit & ipse ambulare. Certe ipse per agones passionum ad coronam peruenit gloriae. Merito ergo intimatur & nobis, quia per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. Vnde & Apostolus Petrus, obsessis seruire tentacionum quibusdam fratribus, consolans aiebat: Nolite pauere, quasi noui aliquid contingat, sed communicantes Christi passionibus gaudete, vt & in reuelacione gloriae eius gaudeatis exultantes. Reuocemus ad mentem quia gratiam spiritus discipulis & se missurum esse promissit, & missit: & curemus omni vigilantia ne cogitationibus illecebris contristemus spiritum sanctum Dei in quo signati sumus in diem redemptionis. Sic enim scriptum est: Spiritus sanctus disciplina effugiet fictum, & auferet se a cogitationibus quae sunt sine intellectu. Vnde prouide Psalmista cum huius spiritus accendi desiderio flagraueret, prius cordis mundi hospitium, in quo hunc recipere posset, & sic demum tanti hospitis ingressum quaerebat. Cor mundum, inquit, crea in me Deus, & spiritum rectum in noua in visceribus meis. Prius quippe cor mundum in se creati, ac deinde spiritum rectum in suis visceribus praecabatur innotari, quia vtique sciebat spiritum rectum in corde polluto sedem habere non posse. Retineamus sedulo corde, quia idem spiritus arguit mundum de peccato, & de iustitia, & de iudicio. Cautamur ne ima quaerendo ad mundum pertineamus, quia mundus transibit, & concupiscentia eius. Quae sursum sunt, quaeramus, quae sursum

1. Joan. 2.

Act. 14.

1. Pet. 4.

Ephes. 4.

Sapient. 1.

Psalm. 50.



*Fides sine operibus vana.*

sum sunt sapiamus, ubi Christus est in dextera Dei sedens, conuersationem nostram cum Apostolo habeamus in cælis, & ne de peccato incredulitatis arguamur, exerceamus operando quod credimus: fides enim sine operibus otiosa est. Ne ex comparatione infortiorum, quos imitari noluerimus acrius iudicemur, solerti animo memoremus, quod de cõtemporibus suæ gratiæ dominus ait. Regina Austri surget in iudicio cum generatione ista, & condemnabit eam, quia venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis. Et ecce plusquã Salomon hic: Ne cum mundi principe dānemur, resistamus illi fortes in fide, & fugiet à nobis. Loquamur veritatem in corde nostro, nec faciamus dolū in lingua nostra, vt spiritus veritatis magis, magisque diffundendo charitatem in cordibus nostris, ducat nos ad agnitionem omnis veritatis. Huius spiritus gratiam in cunctis actibus nostris, charissimi, huius precemur auxilium, dicamus singuli domino, dicamus omnes: spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam, sicque fiet, vt qui Apostolis superueniens ea que ventura erant annunciauit, nostris quæque mentibus venturæ vitæ gaudia patefaciat, nos ad hæc inquirēda benignus incendat, cooperante ipso, qui hunc & polliceri suis fidelibus & dare cõsuevit Iesu Christo domino nostro, qui viuuit, & regnat cum patre in vnitate eiusdem spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum, Amen.

## HAYMONIS EPISCOPI

*Halberst. superioris Euang.  
expositio.*

**V**ado ad eum, qui me misit. Tempore passionis appropinquante, curauit dominus prædicere discipulis suis, quod moriturus, & resurrecturus, & ascensus esset ab eis in cælum, & spiritum sanctum illis daturus: vt, si eos contristaret eius passio, lætificaret eius resurrectio: & si eos contristaret eius recessus, consolaretur spiritus sancti aduentus, qui venit super illos decima die post ascensionem illius in linguis igneis. *Vado ad eum, qui me misit.* id est, reuertar ad patrem, qui me incarnati constituit pro salute generis humani. Secundum humanitatem reuersus est ad patrem, qui secundum deitatem non recessit à patre, vnde ipse dicit: Ego in patre, & pater in me est. *Et nemo ex vobis interrogat me, quod vadis.* Præsens tempus, interrogat, posuit pro futuro, quod est, interrogabit. *Et nemo ex vobis interrogat me, quod vadis,* id est, non est necesse vt interrogetis, quod pergam, quia cernentibus cunctis cælus petam, vt ad dexteram Dei patris sedeam. Hoc impletum est quadragesimo die resurrectionis illius. Cùmque loqueretur cum discipulis, & benediceret eis: venit nubes de cælo, & circumdans eum assumpsit in cælum. Tunc non verbo interrogauerunt, quod pergeret, sed oculis viderunt. Et quum intuerentur in cælum euntem illum, ecce duo viri, id est duo angeli astiterunt iuxta illos in habitu virorum, & in vestibus albis, qui & dixerunt: Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cælum? Hic Iesus, qui assumptus est à vobis in cælum: sic venit ad iudicium, id est, in eadem carne, vel in eadē nube: quemadmodum vidistis eum ascendētem in cælum. Illi, id est, discipuli stetes, & super vestigia domini lachryma

fundētes, reuersi sunt à monte Oliueti in Hierusalem: Et erant quotidie, vt Lucas dicit, laudātes, & benedicētes dominum in templo. In illo loco, vbi dominus ascendit in cælum, est modò sancta ecclesia constructa, & vestigia domini non sunt cooperta tecto. Nam quantumcūque homines de terra vestigiū domini propter reliquias secum deferunt, tamen adueniente die crastina, ita apparent integra, quasi eo die dominus ascendisset. *Sed quia hæc loquutus sum vobis, tristitia impleuit cor vestrum,* Dominus Iesus Christus Deus, & homo est: per hoc quod Deus est, secretum cordium nostrorum intuetur. Videbat namque, quod verba sua magis generarent tristitiam in cordibus discipulorum, quàm lætiam, idcirco dixit eis: *Sed, quia hæc loquutus sum vobis.* scilicet quod moriturus sum, & à vobis recessurus: *Tristitia impleuit cor vestrum.* Quare tristabantur discipuli? Quia illud, quod videbāt, id est, humanitatem filij Dei amittere metuebant. Si fieri potuisset semper vellent eum secum habere mortalem. Ideo quandocumque loquebatur eis de suo recessu, dicebāt in corde. *Quid faciemus, si iste recesserit à nobis?* Certè interficiant nos persecutores Iudæi. *Sed veritatem dico vobis, expedit vobis vt ego vadam. Expedit vobis.* Id est, necesse est, vt forma humanitatis vestris subtrahatur aspectibus, quatenus amor meæ diuinitatis arctius vestris insigatur mentibus. *Expedit vobis,* vt formam serui, quam assumpsit, cælis inferam, vt vos omne desiderium vestrum illuc trāsferatis. Quādiu sancti apostoli dominum Iesum Christum secum corporaliter cõuersari cernebant, mentes suas ad sitieda munera gratiæ cælestis erigere nõ valebant. Postquàm verò illa humanitas exaltata est super cælus, & super choros angelorum: & illi pariter omne desiderium suum post dominum transtulerunt, iuxta quod ipse eis alibi dixerat: vbi est thesaurus tuus, ibi est cor tuum. *Si enim non abiero, paraclitus non veniet ad vos.* Quidam Græcus veniens in palatium regis, quum legeretur illud euangelium, & diceretur à legente paraclitus, dixit quod paraclitus deberet dici. Non est ibi iota, sed è longum. Tamen nos non audemus illud vertere propter consuetudinem, ne nouum aliquid inuenire dicamur. Paraclitus Græcè, Latine consolator dicitur. *Quare consolator?* Quia corda discipulorum, quæ recessus domini mœstificauerat, ipse adueniens decimo die lætificauit, vt iam non tristarentur de eius abscessione, sed potius gauderent de æqualitate, quam habet filius cum patre & spiritu sancto. *Si enim non abiero, paraclitus non veniet ad vos, si autē abiero, mittam eum ad vos.* Nūquid non poterat dominus Iesus Christus in terra adhuc consistens spiritum sanctum dare discipulis, quum legamus eum eo die, quo resurrexit à mortuis insufflasse, & dixisse: Accipite spiritum sanctum? Poterat vtique. In illo non erat vlla impossibilitas dandi: sed in illis erat impossibilitas, qui necdum erant capaces donorum spiritus sancti, propter præsentiam domini corporalem: vbi autem recessit ab eis in cælum, & illi cõperūt spiritaliter cogitare vbique eum manere per plenitudinem deitatis suæ, statim digni effecti sunt ad percipiendū spiritum sanctum. *Si enim abiero, mittam ad vos.* Habuerunt sancti patriarchæ, & prophete spiritum sanctum, Abraham, Isaac, & Iacob, Dauid, Esaias, & ceteri. Vnde & dicebant: Hæc dicit dominus. Similiter & sancti

apostoli

apostoli, vt beatus Hieron. dicit, ex eo tempore quo à domino vocati sunt, & virtutem ab eo acceperunt, omnem infirmitatem curandi, & calcandi super omnem potestatem inimici, spiritum sanctum habuerunt: sed non ita plenerac manifestè, sicut decimo die post ascensionem eius. *Et quum venerit ille: arguet mundum de peccato, & de iustitia, & de iudicio.* Nunquid non redarguit, dominus mundum, id est, mundi amatores, de his omnibus, quæ hic dicuntur, id est, de peccato, de iustitia, & de iudicio? Redarguit vtique. Sed Christus solummodo gentem Iudaicam redarguit, spiritus sanctus adueniens, & corda discipulorum replens, nõ solum populum Iudaicum redarguit, sed & totum mundum redarguit per apostolos, sicut scriptum est de eis: In omnem terram, &c. *Comprobemus hoc quomodo dominus redarguit Iudæos, primū de peccato, quum dixit: Si non venissem, & eis loquutus fuisset, peccatum non haberent.* Et alibi: Si non crederitis, quia ego sum Christus, moriemini in peccato vestro. Redarguit eos de iustitia aliorum, quum dixit: Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam, quia egerant penitentiam in prædicatione Ionæ. Ex iustitia Niniuitarum, cõdemnabitur impietas Iudæorum in die iudicij, quia illi egerunt penitentiam in prædicatione Ionæ serui Dei. Et Iudæi dominum Iesum Christum proprio ore loquentem audientes, & videntes miracula eius, in eum credere noluerunt, sed potius interfecerunt. Similiter redarguit eos de iustitia, vt in eodem euangelio legitur: Regina Austri surget in iudicio cum generatione ista pessima, & condemnabit eam, quia venit à finibus terræ audire Salomonis sapientiam. Redarguit eos de iudicio, quum dixit: Vos ex patre diabolo estis, & desyderia patris vestri vultis perficere. Ille homicida fuit ab initio, & in veritate non stetit, quia veritas in eo non est. Et qui ex Deo est, verba Dei audit, propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis: sicut nec pater vester diabolus. Redarguit autem spiritus sanctus Iudæos per apostolos, quum dixit eis: Vos autem iustum, & sanctum negastis, & peristis virum homicidam donari vobis. *Ille arguet de peccato quidem, quia non crediderunt in me.* Peccatum incredulitatis quasi speciale posuit, quia sicut fides recta est origo omnium virtutum: ita infidelitas est origo omnium vitiarum. De qua infidelitate Dominus alibi dicit: Qui non credit, iam iudicatus est, id est, damnatus, quia non credit in nomine vnigeniti filij Dei. *De iustitia verò, quia ad patrem vado, & iam non videbitis me.* Iustitia Apostolorum erat Christus, quia quem sciebant temporaliter natum ex matre, credebant eum vtique ante omnia secula genitum ex patre. Et quem semper videbant à se recedere, credebant eum semper secum manere per magnitudinem deitatis suæ, iuxta quod ipse antè eis promiserat, dicens: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi. Per hoc quia ita crediderunt, iustificari meruerunt. Iustitia verò ceterorum credentium est, id est, nostra, qui non

vidimus Dominum Iesum Christum incarnatum & tamen credimus eum verum Deum, & verum hominem esse: & per hoc iusti efficiuntur. Ex iustitia Apostolorum damnabuntur impij Iudæi, quum dixerit illis dominus in die iudicij: Isti discipuli mei Iudæi fuerunt sicut & vos, & eandem legem habuerunt, quam & vos habuistis, & isti crediderunt in me. Vos autem, ô miseri, qui cælestem doctrinam ex ore meo audistis, & mea miracula vidistis, quare non credidistis in me? Itē in ignem æternum. Tunc implebitur illud, quod Dominus promisit eisdem discipulis: Vos, qui sequuti estis me, in regeneratione cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super duodecim sedes, iudicantes duodecim tribus Israël. Nequitia reproborum non solum damnabitur ex sola sua prauitate, sed etiam ex iustitia aliorum. Verbi gratia: Et modò aliquis canonicus, monachus, siue laicus videt alium lectioni incumbentem, orationi insistentem, castitatem seruantem, hospitalitatem sectantem, & ceteris bonis inhiantem, & non sequitur eum: iste talis non solum punietur ex sua nequitia, sed etiã ex iustitia eius, quem videt bona operantem, & non est imitatus. *Quia ad patrem vado, & iam non videbitis me.* Non videbitis me, dicit prius quam ascendero, qualem me modo videtis, id est, mortalem, corruptibilem, & passibilem: sed videbitis me venientem ad iudicium, non mortalem sed sempiternum, non humilem, sed excelsum, non iudicandum sed iudicaturum. Peracto verò iudicio videbitis me in claritate beatæ gloriæ cum patre, & spiritu sancto fulgentem. *De iudicio autem, quia princeps mundi huius iam iudicatus est,* id est, iudicio ignis æterni irrevocabiter destinatus est. Principem mundi appellat diabolum, nõ quod principatum habeat in cælo, aut in terra: vel in mari. Sed dominatum tenet in mundo, id est, in amatoribus mundi, in Iudæis, in paganis, in hæreticis, & in falsis Christianis. Iudicatus est diabolus à Domino, id est, damnatus, quum præcipitatus est de cælesti sede in hanc aëris turbulentiam, vbi modò expectat diem iudicij damnandus adhuc. De istius casu dicit dominus alibi: Videbam satanam sicut fulgur de cælo cadentem. Et Iudas Apostolus: Angelos qui non seruauerunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, referuauit in diem magni iudicij cruciandos. Iudicauit etiam dominus in carne positus diabolum, quum abiiceret eum de obsessis cordibus. Iudicauerunt eum & sancti apostoli, quum similiter per virtutem Dei eiecerent demones ab hominibus, dicentes: Præcipio tibi in nomine Iesu Christi, exi ab homine. Arguitur igitur mundus de iudicio, quia diabolus iudicatus est, id est, damnatus, quando homines ne Dei voluntati resistere præsumant, terrentur exemplo damnati angeli, id est, diaboli propter superbiam, dicit aliquis: Certè in dominum Iesum Christum credo, non reputabuntur mihi peccata mea ab eo in die iudicij. Respondet illi spiritus sanctus per hominem, in quo est: Si Deus omnipotens non pepercit angelis peccantibus solummodo cogitatione, sed eiecit eos de cælesti sede: nunquid tibi parceret, si diabolus fueris imitatus peccando? Certè non parceret. Cælum non potuit seruare angelos peccantes, nec paradysum hominem, quia locus non sanctificat hominem, sed per hominem

*Vides temere cõfidere eum, qui per fidem credit sibi peccata non imputanda à deo.*

*Intellige hic necessitatem largissimi modo sumptam.*

*1. Cor. 1.*

*1. Cor. 1.*

*Luc. 22.*

*1. Cor. 13.*

minem sanctificatur locus: & tu quomodo saluari poteris, si peccaveris? Quæredum est, Quare homo post lapium meruit recuperationem, & diabolus non meruit? Primum, quia homo habuit autorem criminis sui, id est, diabolus, qui ei suavit per serpentem, ut peccaret. Diabolus vero non habuit autorem peccandi, quem imitaretur, nullus enim eum instigavit ad peccandum. Secundum, quia homo necessitate peccavit, habuit enim necessitatem manducandi, ideo manducavit de ligno verito. Diabolus vero non necessitate, sed propria voluntate peccavit. Non habuit necessitatem manducandi, quia spiritalis naturæ est, ut peccaret sicut homo, Tertium, quia homo in illo loco ubi conditus fuerat, id est, in terra ibi manebat adhuc, nondum ascenderat quod ascendere habebat, id est, in cælum. Si enim non peccasset, impleto numero electorum sine morte corporis transiret ad patriam caelestem. Diabolus vero in gloria caelesti, ubi conditus fuerat, ibi erat, non habebat quod altius ascenderet: & ideo ubi peccavit, statim ruit. Et ob hæc non meruit recuperationem, sicut homo. *Adhuc multa habeo vobis dicere: Sed non potestis portare modo.* Duo sunt, propter quæ divina misteria non panduntur hominibus, vel quia infirmus auditor ad intelligendum, vel quia indignus est ad capiendum, quorum propter unum dicit dominus alibi: Nolite sanctum dare canibus, neque mitratis margaritas vestras ante porcos. Canes & porcos appellat Iudæos & hæreticos & paganos. Isti non sunt digni ad percipienda divina mysteria. De infirmis auditoribus dicit dominus hic. *Adhuc multa vobis habeo dicere, sed non potestis portare modo:* quia apostoli adhuc erant parvo sensu. Hanc regulam servans, B. Paulus apo. dicit. Lac potum dedi vobis, non escam, nondum enim poteratis, sed ne nunc quidem potestis. Adhuc enim carnales estis, id est, parvuli, adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. Hæc verba loquutus est dominus, postquam cenavit cum discipulis suis sero, antequam pateretur, seu traderetur. Si forsitan quærit aliquis: Quando loquutus est dominus ea verba, quæ tunc retinuit præ infirmitate sensus illorum? Nimirum post ascensionem ad cælos, quando misit eis spiritum sanctum. Ille spiritus sanctus adveniens docuit illos spiritaliter, quæ antea non poterat intelligere: tatum edocuit eos de Dei cognitione, quantum mortalibus de Deo erat sciendum. *Cum autem venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Manifestum secundum litteram apostolos ante adventum spiritus sancti minus capaces fuisse ad arcana intelligenda divinæ sublimitatis, & minus fortes ad toleranda adversa humanæ pravitatis. Postquam vero spiritus sanctus advenit, & gratia sua eorum corda illustravit, capaciores effecti sunt ad intelligenda divina mysteria, & fortiores ad sufferendas istius seculi passiones, sicut scriptum est in Act. Apost. Et repleti sunt omnes spiritu sancto, & loquebantur verbis Dei cum fiducia, id est cum audacia. Petrus, qui ad passionem ad vocem unius ancillæ negavit dominum, post ascensionem eius ad cælos, spiritu sancto confortatus, coram regibus, & principibus sine timore verbum Dei prædicabat. *Docebit vos omnem veritatem.* Omnis veritas sancta trinitas est, pater, & filius, & spiritus sanctus, quia in illa non est mendacium. Et quare dixit dominus

Iesus: *docebit vos omnem veritatem,* cum nullus mortaliū dum adhuc vivit, possit Deum comprehendere tota mente, sicuti est illud, quod comprehenditur, minus est eo, à quo comprehenditur. Si mens hominis potuisset Deum totum comprehendere, sicuti est, maior esset mens quam Deus. Certè nec ipsi angeli, qui ei assistunt: Cherubim, & Seraphim, neque cæteri ordines angelorum, vident eum adhuc, sicuti est, iuxta quod scriptum est de eis, in quem desiderant angeli prospicere. Sed hoc in futuram vitam referatur, cum homines fuerint immortales corpore, & immutabiles in anima, & similes angelis fuerint effecti in cælo: tunc cognoscant omnem veritatem, id est patrem, & filium, & spiritum sanctum, qualiter est in personis trinus, & in substantia deitatis vnus. Iuxta quod Paulus dicit: Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut cognovimus sum. Et Ioan. evang. *Charissimi mi, nunc filij Dei sumus, & nondum apparuit, quid erimus.* Cum autem apparuerit, similes ei erimus: quoniam videbimus eum, sicuti est. Et nunc videmus per speculum, & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Et hoc est quod dicit: *Docebit vos omnem veritatem,* id est infunder cordibus vestris dilectionem, quæ vos amare faciet omnem veritatem, id est patrem, & filium, & spiritum sanctum, ut diligatis eum toto corde, tota anima, tota virtute, & proficiatis quotidie de virtute in virtute, donec videamus Deum deorum in Sion, id est in cõtemplatione caelestis beatitudinis. *Non enim loquetur à semetipso.* Quare? Quia non à seipso, sed à patre, & filio. Deus pater à nullo est. Filius à solo patre est. Spiritus sanctus ab utroque procedit, id est à patre, & filio. A quo est illi processio, ab utroque accipit quod loquitur. *Non enim loquetur à semetipso* sine cõmunionem patris, & filij, quia quorum est vna substantia, vna natura, vna maiestas, horum est vna gloria, & inseparabilis vna æternitatis cooperatio. *Sed quæcumque audiet, loquetur.* Poterat dicere audiuit, sed dixit, loquetur, quæcumque audiet. Quid est audire spiritui sancto? Auditio illius non est aliud nisi substantia illius. Hoc est illi audire, quod esse, & hoc est illi esse, quod scire, & hoc est scire, quod & esse, & audire, & loqui. Aliud est tuum esse, & aliud est tuum scire, quia potes esse nesciens literas. In Deo omnipotente, nulla est duplicitas. *Quæcumque audiet, loquetur,* id est illud loquetur, quod est. Deus est, divina proferet, & quæ ventura sunt, annuntiabit vobis. Futura annuntiavit spiritus sanctus apostolis, quia prophetas eos fecit. Quod prophetæ fuerunt sancti apostoli, possumus probare ex verbis domini, quibus dixit Iudæis secundum Matth. Ecce ego mitto ad vos prophetas, & sapientes. Prophetas appellat sanctos apost. hic, quia ille spiritus, qui loquutus est per prophetas, ille loquutus est per apostolos. Propheta dicitur, eo quod futura prædicat. B. Paulus propheta fuit, quia verbis, & scriptis gaudia electorum, & supplicia reproborum prædixit. Similiter B. Ioannes Evang. qui scripsit Apocalypsim, propheta fuit, quoniam quicquid post adventum domini in sancta ecclesia actum est, & modò agitur, & quæcumque ante diem iudicij, vel post diem iudicij agenda sunt, cuncta in scriptis eius consistunt. Et non solum sancti apostoli fuerunt prophetæ, verum etiam & martyres, & cõfessores, atque virgines, & multi alij, ut beatus Benedictus, qui etiam cogitationes hominum videbat, quando dixit

*Esai. 40.*

*1. Cor. 2.*

do dixit puerulo tenenti sibi candelam, pone, pone candelam: malè cogitas. Quantum ad nos pertinet, tunc nunciat nobis spiritus sanctus futura, cum gaudia patriæ caelestis ad memoriam reducit. Inspirat in cordibus nostris, quæ gaudia sunt electi percipiendi, & sine fine habituri. Legimus in Esai. propheta. *Quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt præparavit Deus his, qui diligunt eum.* Dicit tibi spiritus sanctus in corde: certè verum dicit tibi propheta. Cum effectus fueris similis angelis in cælo, qui modò custodis præcepta Dei in mundo: tunc percipies gaudia, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparavit Deus diligentibus se. *Ille me clarificabit.* Est sermo apud Græcos, qui vocatur *ἀποδείξω*, & exprimitur in Latino per tria verba, vnum idemque significat, id est glorifico, clarifico, & honorifico. Clarificavit, id est honorificavit, magnificavit spiritus sanctus dominum Iesum Christum, cum docuit apostolos, ut, quem noverant temporaliter natum ex matre, crederent eum ante omnia seculi genitum ex patre, æqualem sibi per omnia. Clarificavit eum etiam, cum tot, ac tanta miracula fecit per apostolos in nomine Iesu Christi, ut penè totum mundum ad fidem Christi perduceret. *Quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis,* id est de meo patre. Deus pater, sicut superius diximus, nullius originis est, filius à solo patre est genitus, spiritus sanctus ab utroque procedit. A quo procedit, accipit quod loquatur. Loquitur spiritus sanctus, pater, & filius loquuntur, quia spiritus sanctus vnus substantiæ est cum patre, & filio. *Omnia, quæ habet pater, mea sunt.* Quæ sunt, quæ habet pater? Æternitatem. Similiter & filius æternitatem habet, quia cõternus illi est. Ostendit mihi ignem sine calore, ego ostendam tibi patrem sine filio. Pater non præcessit filium tempore, sed origine. Est pater omnipotens, similiter & filius omnipotens est, cum spiritu sancto. Pater creator totius mundi est. Similiter & filius creator totius mundi est. Per ipsum enim creavit Deus pater omnia, & quæ in cælis, & quæ in terris continentur. Iuxta quod idem Ioannes evang. qui hoc euāgelium scripsit, dixit in exordio libri sui: Omnia per ipsum facta sunt. Propterea dixit: *Quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.*

## INCERTI SVB NOMINE

*Eusebij Episcopi Emiffeni superioris  
Evangelij expositio.*

Dixerat superius beatus Petrus, Domine, quod vadis? sed iam nunc eius sermonibus omnes edocti & instructi, nemo eum interrogat quod vadit, quoniam certissimè sciunt quia ad patrem vadit. Ut quid enim interrogarent quod sciebant, & vnde non dubitabant? *Sed quia hæc locutus sum vobis tristitia implevit cor vestrum.* Videbat enim eos contristatos de recessu suo, quem modò audierunt & cognoverunt in sermone suo. Quis enim non dolet à tali, tam bono, tam dulci, tamque suavi domino separari? *Sed ego veritatem dico vobis, expedit vobis ut ego vadam.* Quid enim veritas nisi veritatem dicere potest? Dicitur igitur hoc non tantum sermonem suum confirmando, quantum illorum corda consolando. *Si enim non*

*abiero, paracletus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos.* Quamvis enim & ibi & ubiq; spiritus paracletus erat, (siquidem spiritus domini replevit orbem terrarum) aliter tamen venturus erat. Sic enim ante tempora prædestinatum fuerat, ut prius Dei filius de virgine nasceretur, moreretur, resurgeret, cælos ascenderet, & sic tandem spiritum sanctum consolandis discipulis mitteret: sic erat dispositum, sic præfinitum, & aliter venire non poterat. *Et cum venerit ille, arguet mundum de peccato, & de iustitia, & de iudicio.* Hoc autem exponit. *De peccato quidem, quia non credunt in me: de iustitia vero, quia ad patrem vado, &c.* Ecce tibi appositum, in quibus spiritus sanctus mundum redarguit. De quibus ipse quoque Dei filius eum prius redarguerat. Tale est ac si diceret, Ego quidem ad patrem vado, sed spiritum vobis paracletum mitto, qui mea vice vos doceat, confirmet, & corroboret, qui in vobis & per vos loquatur, & per vos arguat mundum de peccato, & de iustitia, & de iudicio: de peccato quidem infidelitatis, quia non credunt in me, & qui non credunt in me, iustitiam non operantur; & ideo arguet eos spiritus sanctus etiam de iustitia. Sed quare ipse vice mea, & non ego per meipsum? *quia ego ad patrem vado, & iam non videbitis me.* Ipse enim hanc redargutionem facere poterat, nisi quia secundum carnem cælos ascendeat, & quia corporaliter in hoc mundo ulterius non manebat. Et non solum de peccato, & de iustitia, verum etiam de iudicio arguet mundum spiritus sanctus. De quo iudicio: de illo quidem de quo superius ait, Nunc iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eiicetur foras. Vnde & bene hic dicitur, *de iudicio quidem, quia princeps mundi huius iam iudicatus est,* id est, foras eiectus est. De tali nanque iudicio ait Psalmista. *Iudica, domine, iudicium meum, & causam meam.* Itémque, *Iudica iudicium meum, & redime me.* Quod est iudicium mundi, nisi redemptio mundi? quod est iudicium mundi, nisi iudicium in quo iudicatur, damnatur, & de cordibus fidelium eiicetur princeps mundi? De hoc igitur iudicio arguitur mundus, quia tanti beneficii ingratus, adhuc sequitur principem mundi. Arguitur ergo mundus de peccato, quia Christum credere noluit. Arguitur & de iustitia, quam eo docente audivit, & servare noluit. Arguitur & de iudicio, quo princeps mundi est damnatus, & mundus ipse liberatus: sed tanti beneficii ingratus, nondum Christum sequitur suæ salutis auctorem, sed potius diabolus deceptorem. Potest autem & sic intelligi quod ait, *Ipse arguet mundum de peccato, & de iustitia, & de iudicio.* Ac si diceret, Ipse arguet mundum de peccato suo, & de iustitia mea, & de iudicio suæ pravitatis electionis. De peccato quidem, quia non credunt in me. Si enim non venissem & loquutus eis non fuisset, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato. Arguet autem mundum & de iustitia mea, quam ego quidem tunc habebam cum me Dei filium esse dicebam. Ipsi vero contra iniuste clamabant, Secundum legem debet mori, quia filium Dei se fecit. Hæc autem mea iustitia nunc manifestabitur, quia ecce ego nunc ad patrem vado, & iam non videbitis me. Neque enim ad eum quasi ad patrem ire potuissem, si eius filius non fuisset. Et alij quidem omnes ibunt ad eum quasi ad dominum, solus autem filius iuit ad eum

ad eum quasi ad patrem, Arguet præterea spiritus sanctus mundum de iudicio prauæ suæ electionis quo videlicet iudicio mundi principi (qui iam & damnatus & iudicatus est) seruire elegit, & me suæ salutis auctorem damnauit & reprobaui, Sequitur: *Alhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò. Cum autem venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Multa (inquit) iam dixi vobis, multa habeo dicere adhuc vobis, quæ ideo non potestis portare modò, quia illam tantam mei spiritus plenitudinem nondum vobis infundere volo. Quare? Vt omnia suo tempore fiant, vt prius cælos ascendam, & tunc tandem effundam de spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt. *Cum autem venerit ille spiritus veritatis, qui nihil docet nisi veritatem, de quibuscunque rebus vos docuerit, sine alicuius falsitatis admixtione, integram & perfectam omnemque veritatem vos docebit, Et propter hoc quiddam quia spiritus docet omnem veritatem, dominus & Saluator noster de spiritu sancto dicere videtur, quod omne peccatū, & blasphemia remittetur: spiritus autem blasphemiam non remittetur, Et quicumque peccauerit in filium hominis, dimittetur ei: qui autem peccauerit in spiritum sanctum, non dimittetur ei in hoc seculo, neque in futuro. Vnum igitur peccatū est, & præter ipsum nullum aliud est, quod hominibus nõ dimittatur. Hoc autem est, veritati credere nolle. Ideo enim perevit Iudei & pagani, quia veritati credere nolunt. Quicumque igitur est, qui vult, vt dimittantur ei peccata sua, credat veritati: & si Christianus non est, conuertatur ad fidem, & baptizetur. Hoc enim veritas dicit, quia qui non crediderit, condemnabitur. Si verò Christianus est, credat veritati, recedat à peccato, pœniteat, & dimittetur ei peccatum. Dicit propheta de spiritu sancto, Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra. Dicit & apostolus per spiritum sanctum, Secundam diuitiam autem tuam & cor impœnitens, thesaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis iusti iudicij Dei. Hoc autem verum est, & omnino verum est, cui veritati quicumque indurato corde credere noluerit, non dimittetur ei neque in hoc seculo, neque in futuro. Sicut autem proprium est filio carnem suscepisse, & mundum à morte perpetua suo sanguine liberasse: ita & spiritui sancto propriè pertinere videtur, vt à patre, filioque procedat, per Apostolos, ecclesiæque doctores omnem veritatem doceat, & prædicet. Vnde & dominus ait, Non enim vos estis, qui loquimini, sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis. Quamuis igitur in totam trinitatem peccet, quicumque in vnam de tribus personis peccat, tamen propriè in spiritum sanctum peccare videtur, quicumque veritati non credens, eius doctrinæ, & magisterio contradicit. Sequitur: *Non enim loquetur à semetipso, sed quacunque audiet loquetur, & quæ ventura sunt, annuntiabit vobis.* Sic enim & de se ipso dominus ait, Ego à me ipso nõ loquor. Itē mecum, & sermonem, quem audistis, non est meus, sed eius, qui misit me. Quod quidem (sicut superiorius) tale est, ac si diceret, Ego non sum à me ipso, Pater enim à nullo, filius à patre, spiritus verò sanctus à patre, filioque procedit. Non igitur loquitur à semetipso, quia non est à semetipso, quia spiritus vbi vult spirat, sed non tantum à semetipso, quia non est à semetipso, quia vnum sunt pa-*

ter, & filius cum ipso. Tres igitur in vno loquuntur, quia tres vnum sunt. Dicatur ergo, *Non enim loquetur à semetipso, sed quacunque audiet loquetur.* Quid est audiet? Neque enim intelligendum est, vt in illa trinitate inuisibili vocalis aliqua & clamosa colloquutio fiat. In eo ergo se audiunt; quo idem sciunt & volūt. Loquetur igitur spiritus sanctus quæcunque patrem & filium velle cognosceret. Sicut enim voluntas communis est, sic & auditus. *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.* Et hoc exponit. *Omnia quæcunque habet pater, mea sunt.* Propterea dixi, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis. Ille me (inquit) clarificabit, id est meam claritatem vobis reuelabit, & per vos multis aliis me Dei esse filium manifestabit, & hoc ideo, quia de meo accipiet. Si enim spiritus sanctus accipit de his, quæ patris sunt, accipit vtique de his quæ sunt filij: quoniam omnia quæcunque habet pater, filij sunt. Est igitur spiritus sanctus, spiritus filij: siquidem est spiritus patris. Pater enim ad filium refertur, & filius ad patrem. Spiritus verò sanctus ad patrem & ad filium. Sed ad spiritum sanctum nihil refertur. Est enim pater, filij pater: & filius, patris filius. Spiritus verò sanctus, spiritus est & patris & filij. Sed neque pater, spiritus est pater: neque filius, sancti spiritus filius est. Nihil igitur refertur ad spiritum sanctum. Quoniam autem & spiritus sanctus, & patris & filij spiritus est, vnde habet esse, inde habet & sapientie & veracem esse. Quod enim esse ei, hoc est ei sapientem, & veracem esse, & similia, est enim spiritus sapientie, & intellectus, est & spiritus omnis veritatis. Sed hoc de patre filioque habet & accipit. Et hoc est vnde dominus ait, *quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.* Hæc autem quoniam omnium trium communia sunt, & substantialiter communia, poterat dixisse dominus si voluisset, quia de meo & de suo accipiet, & annuntiabit vobis. Nam & filius quædo prædicabat, & de suo & de his, quæ patris, & spiritus sancti sunt accipiebat, quoniam vna est sapientia & veritas omnium trium. Vnde & ipse dicebat, mea doctrina non est mea.

THEOPHYL. EPISCOPI  
Bulgar. superioris Euang. expositio.

**H**æc autem vobis ab initio non dixi, quia vobiscum eram. Nunc autem vado ad eum, qui misit, &c. Valde granati sunt tristitia discipuli, cum audirent talia sibi aduentura. Idcirco & dominus, hæc inquit, tam dura principio non dixi vobis, non vt ignorans, sed, quia vobiscum eram, & sufficiens confugium ad me habebatis, & omne certamen in me reiciebatur, ipsi vero in omni securitate eratis. Igitur non opus erat talibus tunc sermonibus vos præparari, & præmuniri: sed nunc vadens ad patrem meum, & vos relicurus, prædico ea, vt vos muniatis. Et nullus ex vobis rogat me, quo vadis? sed præ tristitia confusi estis, & excessum mētis patimini: propter expectationem gratiam concussa sunt corda vestra. At ego veritatem dico vobis. Vide quomodo solatur eos, etiã si innumeris modis, inquit, magis tristitia afficiamini, ego quod vobis vtile est, dico. Nam vos quidem velletis semper esse mecum, atqui hoc non est expediens. Nam, si ego quidem non abiero, paracletus non veniet ad vos: atque ita, etiã si

vos presentiam meam velletis, non obediretis vobis, sed eligeret potius, quod vobis vile, quam perniciosam vobis vestram voluntatem. Ita & nos debemus facere, prospicientes semper quod & nobis, & fratribus est vile, & non quod suauis. Nam, si ego non morior pro mundo, & eo ad patrem, dato sacrificio; & propitiatione pro peccatis, paracletus mundi nõ veniet. Quomodo enim adueniet; si inimicitia non soluantur, & occisamorte, pater humanæ naturæ non concilietur? Porro hoc loco Macedoniani quid poterunt dicere; qui gloriam spiritus extenuant, & seruuum eum filij dicunt: quomodo conducet abire dominum, & aduenire seruum? Atque ita, et si tristes fratres propter meam absentiam, & discipuli, tamen propter aduentum spiritus gaudeatis, qui pluribus, & maioribus vos beneficiis profecquetur. Quomodo autem dominus dixi; *Quoniam hæc ab initio non dixi vobis*: quando quidem scriptum est, quod, conuocatis illis duodecim, dixerit eis; Ad præfides, & reges ducemini. Dixit quidem; Ad præfides ducemini, non autem; Occident vos vt impios, & perniciosos, & inimicos Dei. Et aliter; Illic quidem dicit, quæ à gentibus eis infligenda, nunc autem, quæ à Iudæis. Absque synagogis vos facient, Iudæi scilicet. Vide autem in hoc & spiritum liberum esse, & filium approbare. Etenim quod dicit; Paracletus veniet, ad potestatem spiritus pertinet, quod autem addit; *Ego mittam eum*, ad probationem, & voluntatem filij spectat, cui placet vt veniat paracletus, & annui, si sic dicere licet. *Es, quum venerit ille, arguet mundum de peccato, &c.* Veniet paracletus, & quæ inde vtilitas? Arguet, inquit, mundum de peccato, & ostendet eos peccatores, quia nõ credunt. Quando enim viderint per manus discipulorum in spiritu egregia signa, & miracula fieri, & neque sic credent, quomodo non condemnatione digni, & peccato maximo obnoxij? Nam nunc quidem possunt dicere, quod fabri filius sim, & humilis matris, quamuis ego miracula faciam: tunc autem incredulitas omni carebit excusatione, spiritu in nomine meo talia perficiente. Itaque de peccato illos arguet, hoc est, ostendet eos abque venia peccare. *Et de iudicia quoque arguet, quia ego ad patrem meum vado,* hoc est, ostendet eis, quod ego, quum iustus fuerim, & irreprehensibilem egerim vitam, iniuste occisus sim, & in iniustus fuisset, ad patrem ascendissem. Quia enim vt aduersarij Deo, & iniquum occiderunt; ostendet eis, inquit, spiritus, quod non sim talis: Neque enim si aduersarius Dei fuisset, apud Deum, & legislatorem hunc honorem assequutus essem; honoremque non temporarium, sed æternum. Nam quod dicit, *posthac nõ videtis me, & tunc iterum ostendet me dominum, eo quod restor mundi à me iudicatus est, & victus.* Quia enim dicebat, Daemonium habet, & in Beelzebub miracula facit, & impostor est: hæc omnia, inquit, ostendentur vana, quum apparuerit diabolus condemnatus, & ostensum fuerit omnibus, quod à me sit victus, id quod nequitissimè, si non illo fuisset fortior, & ab omnibus peccato alienus: Quomodo hoc demonstratum est per aduentum spiritus? Omnes enim, qui cre-

Math. 20.

Math. 9. 12. Lucæ 7. 11. Ioan. 8. 10.

dunt in Christum, cõculcant, & contemnunt reatorem mundi: vnde satis monstratum, quod à Christo condemnatus sit multo antea. Arguit ergo spiritus eos, qui non credunt, vt peccatores. Fides enim baptismi, peccata soluit per remissionem. Operationes autem spiritus, quæ apparent in iis, qui crediderunt, nõ videntur in iis, qui non crediderunt. Vnde redarguti sunt vt vasa mala, & coinquinata, indigna spiritus susceptione. Et aliter, Arguit mundum, qui non credit, spiritus de iustitia, hoc est, quia priuatus est iustitia; qui credit in iustum Iesum, eum, qui propter iustitiam assumptus est in cælos. Arguit autem, & condemnat vt ignaum, quia vulnerato Satana, neque sic illum voluit vincere. *Alhuc multa habeo vobis dicere, &c.* Quum dixisset supra, Expedi vobis vt abeam, nunc hoc latius profecquitur, & dicit quod nunc quidem non potestis: si autem venerit ille, tunc fruente illius donis; in omnem veritatem ducemini. Quam autem veritatem inquit, num scientiam de omnibus? nam nihil de se magnum ipse dominus loquutus est: Partim dat nobis figuram humilitatis, partim & propter inimitatem audientium, & ingratiudinem Iudæorum. Et neque legalium obseruationum solutionem manifeste introduxerat, vt contrarius videretur omnibus. Vbi autem venit paracletus, & manifestata fuit dignitas filij, & vera de omnibus scientia in lucem producta, abolitis, & sublatis è medio figuris legalibus, in verum; & spirituale cultum inducti sumus, per signa, quæ in spiritu sunt, confirmata fide. Deinde, quia magna quædam dixerat de spiritu, vt ne putent aliqui, quod maior ipso sit spiritus, si quidem ipse in veritatem sit introducturus, & facturus capaces maiorum, & plurium, quæ, Christo præfente, portare non poterant: ne igitur hoc quis existimet, subdit; *Non loquetur à semetipso, hoc est, nihil proprium loquetur præter mea.* Quum enim dicit, *quacunque audierit*, hoc signat, quod nihil docturus sit extra ea, quæ Christus docuit. Sicut igitur & dominus ipse dicens de se; Quæcunque audierit à patre meo, loquor: nõn vt distentem, & puerum se introducit, sed quod nihil vel fecit, vel doceat, quam quæ patris ita & de spiritu dicendum. Quod autem non opus habeat doctore spiritus, audi Pauli dicentem, *Quem admodum nullus nouit, quæ hominis* 1. Cor. 2. sunt, nisi spiritus, qui est in eorum, & quæ Dei, nullus nouit, nisi spiritus Dei. Vides quod sanctus spiritus sui ipsius doctor sit, sicut & noster? & ex illis, quæ sequuntur; discet cordatus de ita totum spiritus. *Quæ enim ventura sunt, inquit, annuntiabit vobis.* Maxime enim propria est Dei futurorum cognitio. Nam, quia nihil est aliud desiderabile, ita est humanæ, vt futurorum cognitio; consolatur: apostolos & ex hoc. In tantum enim, inquit, beatifaciet vobis, vt & futurorum præficientiam vobis; quæ maxima omnium videretur, daturus sit. Præterea, quia ad tentationes erudiendi erant, ille vos præparabit, inquit, ad futura quæ vobis contingent; ne per ignorantiam abique custode incidatis in illa. Glorificabit autem & me. In nomine enim meo omnia & loquetur, & faciet, & nihil diuersum dicit: atque ita & per miracula quæ per illū fiunt, Deus creditur, quum in vos discipulos meos opulente effunderetur gratia, etiã post meam mortem; quum meum nomen magis subgebit: quod dicitur cõtrouerfiam magna gloria est. Bibl. Hom. tom. 3. I si quis





## CATENA AVREA

in idem Euang.

**A**men amen dico vobis, &c. Ostendit autem nominis virtutis si non visus neque rogatus, sed nominatus solum apud patrem facit mirabilia. non ergo ait, Existimeris, quia de reliquo non ero vobiscum, vos derelictos esse: nomen enim meum maiore dabit vobis securitatem: vnde sequitur, *Vsque modò non, &c.* Theo. Alacritas enim vestra, tunc erit integerrima; cum ad vota vobis petita succedent. Chry. Quia igitur obumbrata erant quæ dicta sunt, subiunxit, *Hæc in proverbiis loquutus sum vobis, &c.* Id est erit tempus quando scietis omnia manifestè, dicit autem resurrectionis tempus, *Sed palam de patre meo annuntiabo vobis.* Etenim 40. diebus disputavit cum eis congregatis, loquens de regno Dei. Et nunc (inquit) in timore existentes non attenditis his quæ dicuntur, tunc autem resuscitatum videntes, poteritis palam omnia discere. Theo. Adhuc præbet illis fiduciam, quoniam recipient in tentationibus auxilium desuper: cum subdit, in illo die. in no. me. petetis, ad eò assero vobis patrem fauete quòd neq; interuentu meo ulterius indigebitis: vnde subdit, *Et nò dico vobis, quia ego rogabo patrem, &c.* Porro ne resiliat à domino, velut eo ulterius non egentes, subiungit: Quia vos me amatis, quasi dicat, Ob hoc diligit vos pater, quia vos me dilexistis: cum itaq; excideritis ab amore meo, confestim & à paterno decidetis. Aug. Sed nunquid id eò amat ille, quia nos amamus? an potius quia ille amat, ideo nos amamus? hoc ipse euangelista in epistola sua dicit; Nos diligamus, quia ipse prior dilexit nos. Amat ergo nos pater, quia nos amamus filium: cum à patre & filio accepimus, vt & patrem amemus & filium. Amavit ipse quod fecit, sed non in nobis faceret quod amaret, nisi antequam id faceret nos amare. Hyla. 6. de tri. Caret etiam apud patrem intercessionis necessitate perfecta de filio fides, quæ quòd à Deo exierit, credit atque amat: & per seipsum iam & audiri meretur & amari, natum ex Deo filium missumque confessa: vnde sequitur, *Et cre. quia à Deo exiit.* Natiuitas itaque eius & aduentus ostenditur: cum subdit, *Exiit à patre & ve. in mun.* Alterum in dispensatione: alterum in natura est. A patre enim venisse & à Deo exisse, nò est significationis eiusdem, cum aliud sit à Deo in substantiam natiuitatis exisse; aliud à patre in hunc mundum ad consummandam salutis nostræ sacramenta venisse. Cum autem exire à Deo sit ex natiuitate subsistere, quid aliud quam Deus esse posset? Chry. Quia verò resurrectionis sermo nò modicum eos mitigabat & cum hoc audire quòd à Deo exiit, & illuc vadit continuè ea circumuoluit. vnde sequitur, *Iterum relin. mun. & va. ad. pa.* Nam hoc quidem certificabat quoniam rectè in ipsum credebant, hoc verò quoniam sub munitione eius futuri erant. Aug. Exiit enim à patre: quia de patre est, in mundum venit: quia mundo suum corpus ostendit, Mundum reliquit corporali discessione: perrexit ad patrem hominis ascensione; nec mundum deseruit præsentis gubernatione: quia sic in mundum venit exiens à patre, vt nò desereret patrem. Sed Dominum nostrum Iesum Christum postea quam resurrexit, & interrogatum legimus & rogatum: nam interrogatus est

à discipulis ascensurus in cælum, quando regnum restitueret Israel. Rogatus est à Stephano cum esset in cælo, vt spiritum eius susciperet. Et quis audeat dicere rogandum non esse immortalem, rogari debuisse mortalem? puto ergo quod dicit, *In illa die me non rogabitis quicquam:* non ad illud tempus referendum esse quo resurrexit, sed ad illud quando videbimus eum sicuti est: quæ visio non temporalis vitæ est, sed æternæ vbi iam nihil rogemus, nihil interrogemus: quia nihil desiderandum remanebit, nihil querendum latebit. Alcu. Sic ergo dicit, In futuro me non rogabitis quicquam, sed interim dum in peregrinatione huius miseris conuersamini, si petieritis patrem dabit vobis: vnde subdit, *Amen amen dico vobis, si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis.* Aug. Hoc quod ait, *Si quid,* nò quodlibet intelligitur, sed aliquid quod non in beatæ vitæ comparatione sit nihil, non autem petitur in nomine saluatoris quicquid petitur contra rationem salutis: non enim sonum literarum aut syllabarum, sed quod sono rectè ac veraciter intelligitur hinc accipiendum est, cum dicit: *In nomine meo.* Vnde qui hoc sentit de Christo, quod non est de vnicò filio Dei sentiendum, non petit in eius nomine. Qui verò quod est de illo sentidum sentit, ipse in eius nomine petit, & accipit quod petit, si non contra suam salutem sempiternam petit. Accipit autem quando debet accipere. Quædam enim non negantur sed vt congruo dentur tempore differuntur. Ita sanè intelligendum est quod ait, Dabit vobis: vt ea beneficia significata sciatur his verbis, quæ ad eos qui petunt propriè pertinent. Exaudiuntur quippe omnes sancti pro seipsis, non autem pro omnibus: quia non vtrunque dictum est dabit, sed dabit vobis. Quòd autem sequitur, *Vsque mo. non pe. quicquam in no. meo,* duobus modis intelligi potest. Vel quia in nomine meo non petitis: quod nomen, non sicut cognoscendum est, cognouistis: vel non petistis quicquam, quoniam in comparatione rei quam petere debuistis, pro nihilo habendum est quod petistis. Vt igitur in nomine eius non nihil, sed gaudium plenum petant, subdit: *Petite & acci. vt gau. ve. sit plenum,* hoc quòd dicit: Gaudium plenum, nò carnale, sed spiritale gaudium est: & quando tantum erit vt aliquid ei iam non sit addendum, tunc erit plenum. Aug. 1. de tri. Hoc est autem plenum gaudium vestrum quo amplius non est, frui Deo trinitate, ad cuius imaginem facti sumus. Augu. su. 10. Quicquid ergo petitur, quòd pertinet ad hoc gaudium consequendum, hoc est in nomine Christi petendum. Isto enim bono in petendo perseverantes sanctos suos nequaquã misericordia diuina fraudabit, quicquid autem aliud petitur, nihil petitur non quia nulla res est, sed quia in tantæ rei comparatione quicquid aliud concupiscitur nihil est. Sequitur, *Hæc in prou. lo. sum vo. ve. ho. cum iam non in prou. lo. vo. sed pa. de pa. in an. vo.* possem dicere hanc, de qua loquitur horam futurum seculum intelligi: vbi videbimus palam, quod Apost. dicit facie ad faciem: vt quod ait, *Hæc in prou. lo. sum vo.* hoc sit quod ab apostolo dictum est, Videmus nunc per speculum in ænigmate. Annunciabo autem vobis, quia per filium pater videbitur, neque enim patrem quis cognoscit nisi filius, & cui voluerit filius reuelare. Greg. 30. mo. Palam quippe de patre annuciare se asserit, quia per patefactam tunc maiestatis

maiestatis suæ speciem, & quomodo ipse gignenti non impar oriatur, & quomodo vtrorūque spiritus vtrique coæternus procedat ostēder. Aug. Sed istum sensum videtur impedire, quod sequitur, *In illo die in nomine meo petetis.* In futuro enim seculo quid petituri sumus quado satiabitur in bonis desiderium nostrum? petitio nanque alicuius est indigentia. Relinquitur itaque vt intelligatur Iesus discipulos suos de carnalibus vel animalibus se spiritales esse facturum. Homo autem animalis sic audit quæcumque audit de Dei natura, vt aliud quam corpus cogitare non possit. Ideo proverbia illi sunt quæcumque dicta sapientia de incorporea immutabilique substantia, non quòd tanquam proverbia deputer, sed quia sic cogitat quomodo qui proverbia solent audire neque intelligere. Cum vero spiritualis caperit omnia diiudicare, etiam si in hac vita velut per speculum, & ex parte, perspicit tamen nullo corporis sensu, nulla imaginaria cogitatione, sed mentis certissima intelligentia capit Deum non corpus esse, sed spiritum. Ita palam de patre annunciantem filio vt eiusdem substantia: conspiciatur & ipse, qui annunciat, nunc in eius nomine petunt qui petunt, quia in sono eius nominis non aliud quam res ipsa est quæ hoc nomine vocatur intelligunt. Hi possunt cogitare dominum nostrum Iesum Christum, in quantum homo est, pro nobis interpellare patrem, in quantum Deus est nos exaudire cum patre, quod eum significasse arbitror vbi ait, *Et non dico vobis, quia ego rogabo patrem pro vobis.* Ad hoc quippe intendum quomodo non rogat patrem filius, sed simul exaudiant rogantes pater: & filius: non nisi spiritualis oculus mentis ascendit, *Dicunt ei discipuli eius. Ecce nunc palam loquere, &c.* Chryso. Quia discipulos hoc maxime respicere fecit quòd erant patris amici, propterea dicunt se cognoscere quòd omnia nosset, vnde sequitur, *Dicunt ei discipuli eius. Ecce nunc pa. lo. & prou. ml. dicit.* Augu. Cum adhuc promittatur futura illa hora in qua sine proverbiis locuturus est, cur isti hoc dicunt nisi quia illa quæ seipsum non intelligentibus esse proverbia, vsque adeo non intelligunt vt nec saltem se intelligere intelligant? Chry. Quoniam autem ad id quod in eorum mente erat respondit subdunt: *Nunc scimus quoniam scis omnia.* Vides qualiter imperfecte se habeant, qui post tot & tanta demonstrata dicunt: *Nunc scimus.* & hoc dicunt tanquam ei quandam gratiam tribuentes. Et non est opus tibi vt quis te interroget, hoc est antequam auilas nosti ea quæ scandalizant nos: & quiescere nos fecisti dicens. Quoniam pater vos amat. Augu. Quid ergo vult sibi, quòd ei quem sciebant nosse omnia cum dicere debuissent videantur? Non est opus tibi vt quicquam interroges, dicendum potius opus erat quos interrogat, vel à quibus interrogabatur. Neque enim aliquos ille interrogabat, vt ab eis aliquid disceret, sed eos potius vt doceret, & qui interrogabant eum volentes ab eo aliquid discere illis profecto id opus erat, vt scirent ab eo aliqua qui nouerat omnia. Ille autem non opus habebat vt quod ab eo scire quisque vellet, per ipsius cognosceret interrogationem, quia

priusquam interrogaretur, interrogatorum nouerat voluntatem. Præuidere autem cogitationes hominum, magnū domino non erat, sed magnū paruulis erat qui subdunt: *In hoc credimus: quia à Deo exiit.* Hyla. 7. de trini. Per id enim credunt quòd à Deo exiit, quia ea quæ Dei sunt, agit. nam cum dominus vtrunque dixisset à Deo exiit: & à patre veni in hunc mundum, nihil admirationis in eo habuerunt, quod frequenter audierunt. vnde non addunt. A patre venisti in hunc mundum. Sciebant enim à Deo missum, exisse tamen à Deo nesciebant. Inenarrabilem vero illam filij natiuitatem per virtutem dicti istius intelligentes, tunc primum cœperunt aduertere, cum illum sine proverbiis profiterentur esse locutum. Non enim per consuetudinem humani partus Deus ex Deo nascitur, cuius à Deo exitio potius quam partus est, Est enim vnus ex vno, non est portio, non est defectio non est diminutio, non deriuatio, non est protensio, non passio, sed viuētis naturæ ex viuente natiuitas est, Deus ex Deo exiens est: non creatura in Dei nomē electa, nò vt esset coepit ex nihilo: sed exiit à manente, & exiit significationem habet natiuitatis, non inchoationis. Augu. Denique de ipsa eorum ætate adhuc secundum interiorem hominē paruæ & infirma eos admonet.

## S. I. O. CHRYSOSTOMI

Episcopi Constantin. in superioribus Euangel. Homil.

**H**ic iterum ostendit expedire, vt abeat. Siqui- Ex hom. 77. in iuan. dem vsque tunc nihil petierunt, iam accipient omnia, quæcumque petierunt. Neque enim cum iam vobiscum non ero, arbitramini quòd vos reliquerim. Nomen enim meum maiorem vobis fiduciam exhibebit. Cum ergo obscuriora essent, inquit, *Hoc in proverbiis locutus sum vobis. Venit hora, cum iam in proverbiis non loquar vobis.* Tempus erit cum omnia aperte intelligetis, hoc est resurrectionis tempus: tunc cum fiducia de patre annuntiabo vobis. Etenim quadraginta dies & velatus, & locutus est cum eis, annuncians, & exponens arcana regni Dei. Nunc enim cum timeatis, verbis meis non attenditis: cum verò & me resurrexisset videtis & cognoueritis, fidenter omnia intelligere poteritis: quoniam ipse pater vos amabit, cum vestra de me fides confirmabitur, & non rogabo patrem. Vestra in me dilectio sufficiet vobis: *Quia vos me amatis, & credidistis, &c.* Cum enim resurrectionis sermo non parum eos consolatus esset, & inde etiam consolatio augetur, cum à Deo venisse, & ad Deum ire diceret, frequenter id repetit, alterum enim quod rectè in ipsum crederent, pollicebatur, alterum quòd certi esse deberent. Nam cum dixit: Modicum & non videbitis me: & iterum modicum, & videbitis me: non immeritò quid diceret, ignorabant. Nunc non itidem. Quid autem significat, *non rogabitis quicquam?* Non dicetis, Ostende nobis patrem tuum: & quòd vadis: quoniam certam habebitis cognitionem, & afficietur vobis pater, sicut & ego. Hoc maxime bonam eis spem dedit, quòd patri futuros amicos polliceretur. Quamobrem dicunt: *Nunc scimus quia nosti omnia.* Ecce quomodo voluntati eorum responderet. *Et non est opus*

opus, ut quis te interroget. Hoc est priusquam audires quid nos perturbaret, intellexisti, & recreasti nos dicendo, pater vos amat, quia vos me amastis. Post tot & tanta nunc tandem se scire asserunt. Vides quam imperfecte se habebant.

S. AVGVST. EPISCOPI  
Hippoensis in superioribus  
Evangelii Homil. 1.

Tract. 102. in  
Joan.  
Supra tract.  
73. per totum  
et 81.

Domini verba nunc ista tractanda sunt: Amen dico vobis, si quid petieritis patrem in nomine meo dabit vobis. Iam dictum est in superioribus huius dominici sermonis partibus, propter eos qui nonnulla petunt a patre in Christi nomine nec accipiunt, non peti in nomine saluatoris quicquid petitur contra rationem salutis: non enim sonum literarum, ac syllabarum, sed quod sonus ipse significat, & quod eo sono recte, ac veraciter intelligitur, hoc accipiendus est. Dicere, cum dicit, in nomine meo: unde quis hoc sensit de Christo quod non est de unico Dei filio sentiendum, non petit in eius nomine, etiam si non taceat in eo literis, ac syllabis Christum, quoniam in eius nomine petit, quem cogitat cum petit: qui vero quod est de illo sentiendum sensit, ipse in eius nomine petit, & accipit quod petit, si non contra suam salutem sempiternam petit: accipit autem quando debet accipere: quaedam enim non negantur, sed ut congruo dentur tempore differuntur. Ita sane intelligendum est quod ait, dabit vobis, ut ea beneficia significata sciatur his verbis, quae ad eos qui petunt proprie pertinent. Exaudiuntur quippe omnes sancti pro seipsum, non autem pro omnibus exaudiuntur vel amicis, vel inimicis suis, vel quibuslibet aliis, quia non utcuque dicitur est, dabit, sed dabit vobis. Usque modo, inquit, non petistis quicquam in nomine meo: Petite & accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum. Hoc quod dicit gaudium plenum, profecto non carnale, sed spiritale gaudium est, & quando tantum erit, ut aliquid ei iam non sit addendum, proculdubio tunc erit plenum. Quicquid ergo petitur quod pertinet ad hoc gaudium consequendum, hoc est in nomine Christi petendum, si diuinam intelligimus gratiam, si vere beatam poscimus vitam: quicquid autem aliud petitur, nihil petitur, non quia nulla omnino res est, sed quia in tanta rei comparatione quicquid aliud concupiscitur, nihil est: neque enim prorsus nulla res est homo, de quo ait Apostolus: Qui se putat aliquid esse cum nihil sit. In comparatione quippe spiritualis hominis, qui scit gratia Dei se esse quod est, quisquis vana praesumat, nihil est. Sic ergo etiam recte intelligi potest. Amen dico vobis, si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis: ut hoc quod ait, si quid, non quodlibet intelligatur, sed aliquid quod in beatæ vitæ comparatione nihil sit, & quod sequitur, usque modo non petistis quicquam in nomine meo, duobus modis intelligi potest, vel quia non in nomine meo petistis, quod nomen non sicut cognoscendum est cognovistis, vel non petistis quicquam, quoniam in comparatione rei, quam petere debuistis, pro nihilo habendum est, quod petistis. Ut igitur in eius nomine non nihil, sed gaudium plenum petant, quoniam si aliquid aliud petunt, idem aliquid nihil est, exhortatur dicens:

Galat. 6.

Petite, & accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum: id est, hoc in nomine meo petite, ut gaudium vestrum sit plenum, & accipietis. Isto enim bono in perendo perseverantes, sanctos suos nequaquam misericordia diuina fraudabit, Haec, inquit, in proverbis locutus sum vobis, venit hora, cum iam non in proverbis loquar vobis, sed palam de patre meo annuntiabo vobis. Possem dicere hanc de qua loquitur horam, futurum oportere seculum intelligi, vbi videbitur palam, quod beatus Paulus dicit, facie ad faciem, ut quod ait: Haec in proverbis locutus sum vobis, hoc sit, quod ab eodem Apostolo dictum est, videmus nunc per speculum in enigmate. Annuntiabo autem vobis quia per filium pater videbitur, iuxta illud quod alibi ait, Neque patrem quis cognoscit nisi filius, & cui voluerit filius revelare: sed istum sensum videtur impedire quod sequitur; Illo die in nomine meo petetis. In futuro enim seculo cum pervenerimus ad regnum, vbi similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est, quid petiri sumus, quando satiabitur in bonis desiderium nostrum? Unde & alio Psalmo legitur, Satiabor cum manifestabitur gloria tua. Petitio namque alicuius est indigentiae, quae ibi nulla erit, vbi haec satietas erit. Relinquitur itaque quantum sapere valeo, ut intelligatur Iesus discipulos suos de carnalibus, vel animalibus se spiritales promississe facturum, quamvis nondum tales quales erimus, quando spiritale etiam corpus habebimus, sed qualis erat qui dicebat. Sapientiam loquimur inter perfectos: &, non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Et, non spiritum huius mundi accepimus sed spiritum, qui ex Deo est, ut sciamus quae a Deo donata sunt nobis, quae & loquimur, non in sapientiae humanae doctis verbis, sed docti spiritu spiritualibus spiritualia comparantes: animalis autem homo non percipit, quae sunt spiritus Dei. Non itaque percipiunt quae sunt spiritus Dei homo animalis sic audit quaecumque audit de Dei natura, ut aliud quam corpus cogitare non possit, quamlibet amplissimum, vel immensum, quamlibet lucidum, ac speciosum, corpus tamen, ideo proverbialia illi sunt quaecumque dicta sapientiae de incorporea, immutabilique substantia, non quod ea tanquam proverbialia deputat, sed quia sic cogitat, quomodo qui proverbialia solent audire, neque intelligere. Cum vero spiritualis coeperit omnia diiudicare, ipse autem a nemine diiudicari, etiam si in hac vita adhuc velut per speculum ex parte perspicit, tamen non villo corporis sensu, non vlla imaginaria cogitatione, quae capit, aut fingit qualiumcunque similitudines corporum, sed mentis certissima intelligentia Deum intelligit non corpus esse, sed spiritum. Ita palam de patre annunciat filio, ut eiusdem substantiae conspiciatur & ipse, qui annunciat, tunc in eius nomine petunt, qui petunt, quando in sono eius nominis non aliud quam res ipsa est, quae hoc nomine vocatur, intelligunt, nec animi vanitate, vel infirmitate confingunt tanquam in alio loco patrem, in alio filium ante patrem stantem, & pro nobis rogantem, spatia sua quaeque amborum occupantibus molibus, & verbum ad eum, cuius est verbum, facere verba pro nobis, interuallo interposito inter os loquentis, & auriculas audientis, & alia talia quae sibi animales, iidemque carnales in cordibus fabricant. Quicquid enim tale spiritualibus

1. Cor. 13.

1. Joan. 1.

Psal. 6.

1. Cor. 1.

1. Cor. 13.

\* Alia ir-  
suentes.

1. Joan. 4.

Rom. 5.

Ex tract. 103  
in Joan.

Supra tract.  
102.

spiritualibus de Deo cogitantibus ex corporum consuetudine occurrit, negando, atque respicendo tanquam importunas mulcas, ab interioribus oculis abigunt, & synceritati eius lucis acquiescunt, qua teste, ac iudice has ipsas imagines corporum suis interioribus insistentibus intruunt, & falsas omnino esse conuincunt. Hi possunt utcuque cogitare dominum nostrum Iesum Christum in quantum homo est, pro nobis interpellare patrem: in quantum autem Deus est, & nos exaudire cum patre, quod eum significasse arbitror vbi ait, Et non dico vobis, quia ego rogabo patrem de vobis. Ad hoc quippe intendendum quomodo non rogat patrem filius, sed simul exaudiunt rogantes pater & filius, non nisi spiritualis oculus mentis ascendit. Ipse enim pater, inquit, amat vos, quia vos me amastis. Ideo amat ille quia nos amamus, an potius quia ille amat ideo nos amamus? Ex Epistola sua Evangelistica idem ipse respondeat: Nos diligimus, inquit, quia prior ipse dilexit nos: hinc ergo factum est ut diligeremus, quia dilecti sumus. Prorus donum Dei est diligere Deum, quoniam ipse ut diligeretur dedit, qui non dilectus dilexit. Displacentes amati sumus, ut esset in nobis unde placeremus: non enim amaremus filium, nisi amaremus & patrem. Amat nos pater, quia nos amamus filium, cum a patre & filio acceptissimus, ut & patrem & filium amemus: diffundit enim charitatem in cordibus nostris amorum spiritus, per quem spiritum & patrem amamus, & filium, per quem spiritum amamus cum patre, & filio. Amorem itaque nostrum piium quo colimus Deum, fecit Deus, & vidit quia bonum est: ideo quippe amavit ipse quod fecit, sed in nobis non faceret quod amaret, nisi antequam id faceret nos amaret. Et credidistis, inquit, quia a Deo exiit: exiit a patre, & venit in mundum: iterum relinquo mundum, & vado ad patrem. Plane credidimus, neque enim propterea debet incredibile videri: quia sic ad mundum veniens, exiit a patre ut non desereret patrem: & sic vadit ad patrem, relicto mundo, ut non deserat mundum. Exiit enim a patre, quia de patre est: & in mundum venit, quia mundo suum corpus ostendit, quod de virgine assumpsit. Reliquit mundum corporali discessione, perrexit ad patrem hominis ascensionis, nec mundum deseruit praesentiae gubernatione.

EIVSDEM IN IDEM  
Homilia 2.

Quales erant discipuli Christi quando cum eis ante passionem loquebatur magna cum parvis, sed sic oportebat ut magna dicerentur & parvis, quia nondum accepto spiritu sancto quaedam modum eum post eius resurrectionem vel ipso insufflante, vel desuper veniente, acciperent, humana magis quam diuina sapiebant, multis indicis per totum Evangelium declaratur: unde & hoc est quod in ista lectione dixerunt: ait enim Evangelista, Dicunt ei discipuli eius: ecce nunc palam loqueris, & proverbium nullum dicis: nunc scimus quia nostri omnia, & non opus est tibi, ut quis te interroget, in hoc credimus quia a Deo exiisti. Ipse dominus paulo ante dixerat, haec in proverbis locutus sum vobis, venit hora cum iam non in proverbis loquar vobis: quomodo ergo isti dicunt, ecce nunc palam loqueris, &

proverbium nullum dicis? Nunquid hora iam venerat, qua non iam in proverbis se promiserat locuturum? Prorus quod nondum illa hora venisset, continuatio verborum eius ostendit, quae ita sese habet: haec, inquit, in proverbis locutus sum vobis, venit hora cum iam non in proverbis loquar vobis, sed palam de patre meo annuntiabo vobis, illo die in nomine meo petetis. Et non dico vobis, quia ego rogabo patrem de vobis. Ipse enim pater amat vos, quia vos me amastis, & credidistis quia a Deo exiisti. Exiit a patre, & venit in mundum: iterum relinquo mundum, & vado ad patrem. Cum per haec omnia verba adhuc illam promittat horam, qua non iam in proverbis loqueretur, sed palam de patre annuntiabit eis, in qua hora dicit eos in suo nomine petituros, nec se patrem de illis rogaturum, eo quod ipse pater amat eos, quia & ipsi amauerunt Christum, & crediderunt quod a patre exierit, & venerit in mundum, iterum relicto mundo, & iturus ad patrem: Cum ergo adhuc promittatur hora illa, in qua sine proverbis loquaturus est, cur isti dicunt, Ecce nunc palam loqueris, & proverbium nullum dicis, nisi quia illa quae scit ipse non intelligentibus esse proverbialia, illi usque adeo non intelligunt, ut nec saltem non se intelligere intelligant? Parvuli enim erant, & nondum spiritualiter diiudicabant, quae de rebus non ad corpus, sed ad spiritum pertinentibus audiebant.

S. CYRIL. EPISCOPI  
Alexandr. superioris Evangelii  
expositio.

Et in illo die me non interrogabitis quicquam. Amen dico vobis usque modo non petistis, &c. Virtutem ex alto accepturos, ac doctrina spiritibus prudentiores futuros discipulos dicit: adeo ut omnia, etiam absente ipso, intelligant: non enim, quia lumine suo non indigebunt, non interrogaturos dicit; sed, quia spiritum eius in cordibus suis habentes, omni perfecta scientia pleni erant: perfectam autem scientiam dicimus, rectam, atque integram, per quam recte de sancta trinitate opinamur. Nam, etiam per speculum in enigmate, ac ex parte cognoscimus, veris tamen ecclesiae dogmatibus inhaerentes, & sensum scripturae sincere sequentes, perfectam scientiam habemus, quam consequi nemo potest, nisi fulgore spiritus sancti. Praeterea ad petendum cum fiducia impellens eos, amen amen affirmans dixit intermediatorem se, & colligatorem ostendat. Nullus enim accedit ad patrem nisi per filium, per quem adductionem habemus ad patrem in spiritu, ut scriptum est, ideo se portam, & viam appellat: quia inquit, nemo venit ad patrem nisi per me. Nam, in quantum filius, & Deus est, vna cum patre nobis bona largitur; quod ostendens Paulus dicebat, gratia vobis, & pax a Deo patre, & Domino Iesu Christo: in quantum vero mediator est, & pontifex, & paracletus, nostras preces ad patrem adducit; ipse enim nobis libertatem, atque fiduciam ad patrem largitur. Orandum igitur est in nomine saluatoris, si exaudiri a patre volumus: ut accipientes quae petierimus, spirituali gratia repleti, & prudentiores per spiritum facti, aduersus sordidas possimus voluptates militare, & ita amo-

1. Cor. 13.

Ephes. 1.

1. Joan. 10.

1. Joan. 14.

Rom. 1.

re virtutis in dies ardentiores, & fortiores ad opera sanctificationis facti, retributionis spe gaudeamus. & mæstitia conscientie criminum depulsa, gaudio Christi mentes nostras repleamus, Hic orandi modus priscis omnino fuit ignotus: cõstituitur autem modo à Christo; quãdo emédationis tempora effulserunt, & omne nobis bonum per ipsum absolute concessum est. Nam, sicut nihil à lege cõsummatum fuit, sicut iustitia eius fuit imperfecta, sic & orandi modus mancus in ea inueniebatur. *Hæc in proverbijs locutus sum vobis, &c.* Proverbium modo oecultiorum, & obumbratum sermonem appellavit: qui cum obscuritate regatur, non facile ab audientibus capitur: tali enim dicendi modo, proverborum pacto ad vos dixi: veniet hora, & tempus, in quo palam vobis de gloria patris loquar, & cognitionem supra mentem humanam largiar. Quod autem tempus hoc sit; ipse quidem aperte non dixit; nos autem putamus aut illud forsitan significari, in quo spiritum eius accepimus; aut futurum illum diem post, quando huius mundi figura transibit, quando gloriæ Dei aperte conspiciemus, & sciẽtiam eius absolute habebimus, quãdo propheta omnis euacuabitur, & omnis cessabit cognitio, vt ait Paulus, omnis ea scilicet, quam nunc ex parte, & in speculo videmus. Euacuatur enim, quod est ex parte, cum perfectio venerit. Quomodo inquit dicam vobis. Nam, quemadmodum in nocte serena, stellarum splendor, & pulchritudo apparet, sole autem oriente, particularis stellarum splendor euacuatur, eodem arbitror modo cognitio ista presens, tẽpore illo desinet, cum perfecta cognoscẽdi lux nobis infusa fuerit. Tunc igitur libere capacibus nobis de patre suo Christus nunciabit. Nam modo per exempla non nunquam, atque similitudines quasi per umbras: propter imbecillitatem mentis nostræ docemur. Tunc autem non ita, sed nuda vt ita dicam facie, ac mente nullo modo impedita, naturæ deitatis patris pulchritudinem intelligemus, gloriã vnigeniti eius conspicientes: videbimus enim ipsum, sicuti est, vt Ioannes ait. Nunc enim gloriam eius propter naturam humanam, & imbecillitatem nostram integre aspicere nequimus; tempore autem illo in propria patris gloria apparebit. Cum enim Deus sit secundum naturam, atque ideo patri consubstantialis, in æquali dignitate, atque gloria fulgere conspicietur. *In illo die in nomine meo petitis, &c.* Petere aliquid per orationem à patre nullo modo permittit, nisi in nomine suo, patremque facillime daturum pollicetur nõ solum meditatione sui, sed vltro ad hoc præparatum quasi debitum redderet iis, qui Christum peramanant. Nec vllus putet propter tantam patris beneuolentiam, non indigere nos Christo, omnia enim per ipsum ex patre in spiritu sunt: paraclæus enim est non solum pro peccatis nostris, sed etiam pro vniuerso mundo, ita ostendit gratissimum esse patri, vt ipse honoretur, atque ametur. Quod cum non intellexerint Iudæi, non dubitarunt omni eum modo vexare, quia credentium animos à ruditate legali in euangelicam spiritualitatem traducebat, iniquas enim in ipsum linguas mouentes, dicebant, si à Deo esset hic homo, non vtrique solueret sabbatum. Facillime igitur patris beneuolentiam habituros affirmat, absque ambiguitate credentes à Deo patre ipsum

1. Cor. 13.

1. Ioan. 2.

1. Ioan. 2.

1. Ioan. 9.

exiuisse, qui benedictione, inquit, spiritali mentes eorum illuminabit, qui rectam de me habent opinionem: exiuisse autem à Deo nihil aliud est, nisi natum esse, effulsißique ex substantia patris, eo processu, quo est, & in propria intelligitur substantia: quamuis non omnino disseparetur à patre, in filio enim pater, & in patre filius secundum naturam est. Aut exiuisse à patre dicit, id est, homo factus sum, & ad vestram naturam descendendi. Quasi enim locus omnium rerum, natura est: à qua exire videntur, cum aliud quid, quod non habeant, assumant. Nec dicimus ipsum, quia homo factus est, à natura deitatis mutatum fuisse, idem enim est in secula: Sed, quoniam, quamuis naturam suam semper seruaerit, atque seruet, assumpsit tamen in se, quod non erat, propterea exiuisse à patre dicitur. Sed alio quodam etiam pacto exiuisse à patre intelligi potest. Nam, cum pharisæorum imperitia putaret non à Deo missum, sed à se ipso ad soluendam legem venisse, atque ita legi voluntatem Dei patris se propugnare, & ipsum vt Deo inimicum pellere: à Deo exiuisse affirmat: quod qui crediderint, & amauerint eum, hac de causa (vt paulo ante dicebamus) vicissim à patre amantur. Quod si Deo amici sunt, quia à patre missum crediderunt, Dei aduersarii, ac inimici necessarii sunt, qui hoc non crediderunt. Et si amantes filium pater exaudit, eorum, qui non amant, orationes nequaquam suscipiet. Quod Esaias Iudæis prædixit; cum extenderitis manus vestras, aduertam oculos meos à vobis: & cum multiplicaueritis orationem nõ exaudiam: manus enim vestræ sanguine plenæ sunt. *Exiit à patre, &c.* His firmiter non pseudopropheta esse, nec aliam quam pater vellet doctrinam tradere (vt Iudæi putabant) demonstratur. Nam, si vere Christus non esset, ò Iudæi, quispiam diceret: si præter voluntatem patris euangelicam prædicaret doctrinam, madata legis non sufficere ad perfectam pietatem: ostendens, si sabbatum, patre nolente, solueret, si in dæmoniorum principe eiceret dæmonia, vt vos dicebatis; quomodo postea in ipsos cælos ascendit? quomodo pater ad consensum suum libenter rebellem accepit? An forte clam ascēdit? Magna multitudo aderat, quibus ab angelo dictum est, viri Gallilæi, cur statis respicientes in cælum? Hic Iesus, qui assumptus est à vobis in cælum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum cuntem in cælum. Quid dicitis, ò Iudæi? non recipitis angeli testimonium? cunq̃ue lex vestra iubeat in ore duorum, aut trium testiũ omne verbum stare; vos tantæ multitudinis eorum, qui viderunt, testimonium repudiabitis? Quo modo ergo pseudopropheta erat: qui cum summa potestate in cælos ferebatur? aut potius quomodo negare poteritis non esse ipsum ex Deo patre, quæ lex, & propheta prædixerunt? Venisse autem in hunc mundum ait, & nunc ex mundo ad patrem redire; qui nec à patre aberat homo factus, nec, cū ad cælos cum carne redierit, à terris absit. Deus enim verus est, ineffabili virtute omnia replens. *Dicunt ei discipuli eius, ecce nunc palam loqueris, &c.* Admirantur demonstrationis vires perspicuas. Aperte namque, ac breuis facta oratio est, quare letantur, quia penitus intellexerunt, nec proverbij, id est, obscuritatis quicquam impedimento sibi fuit: illud etiam addunt; Quoniam enim, inquit, pruenisti modo antequam inter

Ex. 11.

Esai. 1.

Luc. 11.

Act. 1.

Deut. 19.

1. Paral. 6.

Ex. comment. in Ioan.

Galat. 6.

interrogauerimus, propterea credimus, quia ex Deo exiisti. Corda enim hominum noscere, solius Dei esse rectissime creditur. Quoniam igitur omnia nostri, quomodo perspiciunt non est, ex Deo, qui omnia scit, te processisse: Fidem ergo discipulorum hoc quoque auxit signo, Dicunt autem nunc, non quod credere cõperint, quando hæc audientes, omnia scire dominum perspexerunt, sed quia tunc ampliores fidei radices facere cõperunt.

**BEDAE VENERABILIS**  
*presbyteri eiusdem Euang. expositio.*

**A**men dico vobis, si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. Iam dictum est in superioribus huius dominici sermonis partibus propter eos qui nonnulla petunt à patre in nomine Christi, nec accipiunt. Non petunt in nomine saluatoris quicquid petunt cõtra rationem salutis. Non enim sonum literarum ac syllabarum, sed quod sonus ipse significat, & quod eo sono recte ac veraciter intelligitur, hoc accipiendum est dicere cum dicit, *in nomine meo*. Vnde qui hoc sentit de Christo, quod nõ est de vnico Dei filio sentientem, nõ petit in eius nomine, etiam si non taceat literis ac syllabis Christum: quoniam in eius nomine petit, quem cogitat cū petit. Qui vero quod est de illo sentientem sentit, ipse in eius nomine petit: & accipit quod petit, si non contra salutem sempiternam petit. Accipit autem quando debet accipere. Quædam enim nõ negantur, sed vt congruo dentur tempore, differuntur. Ita sane intelligendum est quod ait, *dabit vobis*, vt ea beneficia significata sciatur his verbis, quæ ad eos qui petunt, proprie pertinent. Exaudiuntur quippe omnes sancti pro seipsis, non autem pro omnibus exaudiuntur vt amicis, vel inimicis, vel quibuslibet aliis: quia non vtrunque dictum est dabit, sed *dabit vobis*. *Vt quæ modo, &c.* Hoc quod dicit *gaudium plenum*, profecto non carnale, sed spiritale gaudiũ est. Et quando tantum erit, vt aliquid ei iam non sit addendum, proculdubio tunc erit plenum. Quicquid ergo petitur quod pertineat ad hoc gaudium consequendum, hoc est in nomine Christi petendum, si diuinam intelligimus gratiam, si vere beatam poscimus vitam. Quicquid autem aliud petitur, nihil petitur: non quia omnino nulla res est, sed quia in tantæ rei cõparatione quicquid aliud concupiscitur, nihil est. Neque enim profusus nulla res est homo, de quo ait Apostolus, Qui se putat aliquid esse, cum sit nihil. In cõparatione quippe spiritalis hominis, qui scit gratia Dei se esse quod est, si quis vana præsumit, nihil est etiam. Sic ergo recte intelligi potest, *Amen dico vobis, si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis*: vt hoc quod ait, *si quid*, non quodlibet intelligatur, sed aliquid quod non in beatæ vitæ cõparatione sit nihil. & quod sequitur, *Vt quæ modo non petistis quicquam in nomine meo*, duobus modis intelligi potest: vel quia non in nomine meo petistis, quod nomen non sicut cognoscendum est cognouistis: vel non petistis quicquam, quoniam in cõparatione rei quam petere debuistis, pro nihilo habendum est quod petistis. Vt igitur in eius nomine non nihil, sed gaudium plenum pe-

tant, quoniam si aliquid aliud petunt, id aliquid nihil est, exhortatur dicens, *Petite, & accipietis, vt gaudium vestrum sit plenum*, id est, hoc in nomine meo petite, vt gaudium vestrum sit plenum: & accipietis. Iste enim bene in petendo perseverantes sanctos suos nequaquam misericordia diuina fraudabit. *Hæc, inquit, in proverbijs locutus sum vobis, &c.* Possem dicere hanc de qua loquitur horã, futurum oportere seculum intelligi, vbi videbimus palam, quod beatus Paulus dicit facie ad faciem: vt quod ait, *hæc in proverbijs locutus sum vobis*, hoc sit quod ab eodem Apostolo dictum est, *Videmus nunc per speculum in ænigmate. Annunciabo autem vobis*, quia per filium pater videbitur, iuxta illud quod alibi ait; Neque patrem quis cognoscit nisi filius, & cui voluerit filius reuelare. Sed istum sensum videtur impedire quod sequitur, *illo die in nomine meo petetis*. In futuro enim seculo cum peruenerimus ad regnum, vbi similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est, quid peturi sumus, quando satiabitur in bonis desiderium nostrum? Vnde & in alio psalmo dicitur, Satiabor cū manifestabitur gloria tua. Petitio namque alicuius est indigentis, quæ ibi nulla erit, vbi hæc satietas erit. Relinquitur itaq; quantum sapere valeo, vt intelligatur dominus Iesus discipulos suos de carnalibus vel animalibus se spirituales promississe facturum, quamuis nõdum tales quales erimus quando spiritale etiã corpus habebimus, sed qualis erat qui dicebat; Sapientiam loquimur inter perfectos. & Non potui vobis loqui quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus. & Non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis, quæ & loquimur, non in sapietie humanæ doctis verbis, sed docti spiritu, spiritalibus spiritalia cõparantes. Animalis autem homo non percipit quæ sunt spiritus Dei. Non itaque percipiens quæ sunt spiritus Dei, homo animalis, sic audit quæcunque audit de Dei natura, vt aliud quam corpus cogitare non possit quamlibet amplissimum vel immensum, quamlibet lucidum, ac speciosum corpus. Tamen ideo proverbia illi sunt quæcunque dicta sapientie de incorporea, immutabili, que substantia: non quod ea tanquam proverbia deputat, sed quia sic cogitat, quomodo qui proverbia solent audire neque intelligere. Cum vero spiritalis cõperit omnia diiudicare, ipse autem à nemine diiudicari, etiam si in hac vita adhuc velut per speculum ex parte perspicit, tamen nõ vilo corporis sensu, nõ vlla imaginaria cogitatione qua capit aut fingit qualescunque similitudines corporum, sed mentis certissima intelligentia, Deum non corpus esse, sed spiritum, ita palam de patre annunciante filio, vt eiusdem substantie conspiciatur & ipse qui annunciat) tunc in eius nomine petunt, qui petunt: quia in sono eius nominis non aliud quam res ipsa est, quæ hoc nomine vocatur, intelligunt. Hi possunt vtrunque cogitare dominum nostrum Iesum Christum, in quantum homo est, pro nobis in terpellare patrem: in quantum autem Deus est, & nos exaudire cum patre: quod eum significasse arbitror vbi ait, *Et non dico vobis, quia ego rogabo patrem de vobis*. Ad hoc quippe intuentum quomodo non rogat patrem filius, sed simul exaudiunt rogantes pater, & filius, non nisi spiritalis oculus mentis ascendit. *Ipse enim pater, inquit, amat vos, quia vos me amatis.*

1. Cor. 13.

Luc. 10.

1. Ioan. 3.

Psal. 102.

Psal. 16.

1. Cor. 2.

1. Cor. 3.

1. Cor. 2.

1. Cor. 5.

1. Cor. 2.



*stis.* Ideo amat ille, quia nos amamus? An potius quia ille amat, ideo nos amamus? Ex epistola sua Evangelista idem ipse respondeat. Nos diligimus, inquit, quia ipse prior dilexit nos. Hinc ergo factum est ut diligeremus, quia dilecti sumus. Protinus donum Dei est, diligere Deum. Ipse ut diligere dedit, qui non dilectus dilexit. Displacentes amati sumus, ut esset in nobis vnde placeremus. Non enim amaremus filium, nisi amaremus & patrem. Amar nos pater, quia nos amamus filii: cum à patre & filio acceperimus, ut patrem amemus & filium. Diffundit enim charitatem in cordibus nostris amborum spiritus, per quem spiritum & patrem amamus, & filium: & quem spiritum cum patre amamus, & filium. Amorem itaque nostrum pium, quo colimus Deum, fecit Deus, & vidit quia bonum est, ideo quippe nos amavit ipsos, quia amavit ipse quod fecit. Sed non in nobis faceret quod amaret, nisi antequam id faceret, nos amaret. *Et credidistis*, inquit, *quia à Deo exiit, &c.* Plane credimus. Neque enim propterea incredibile debet videri, quia sic ad mundum veniens exiit à patre, ut non desereret patrem: & sic vadit ad patrem relicto mundo, ut non deserat mundum. Exiit enim à patre, quia de patre est: & in mundum venit, quia mundo suum corpus ostendit, quod de virgine assumpsit. Reliquit mundum corporali discessione, petierit ad patrem hominis ascensione, nec mundum deseruit præsentia gubernatione, quales erant discipuli Christi, quando cum eis ante passionem loquebatur magna cum parvis, sed sicut oportebat, ut magna dicerentur & parvis: quia nondum accepto spiritu sancto, quemadmodum eum post eius resurrectionem vel ipso inflante, vel desuper acceperunt, humana magis quam divina sapiebant, ut multis indicis per totum Evangelium declaratur. Vnde & hoc est, quod in ista lectione dixerunt. Ait enim evangelista. *Dicunt ei discipuli eius. Ecce nunc palam loqueris, &c.* Ipse dominus paulo ante dixerat: Hæc in proverbiis locutus sum vobis: venit hora, cum iam non in proverbiis loquar vobis. Quomodo ergo isti dicunt, *Ecce nunc palam loqueris: & proverbium nullum dicis?* Nunc quid hora iam venerat, qua non iam in proverbiis se promiserat locuturum? Protinus quod nondum illa hora venisset, continuatio verborum eius ostendit, quæ adhuc illam promittat horam, qua non iam in proverbiis loquetur, sed palam de patre annunciabit eis in qua hora dicit eos in suo nomine petituros, nec se patrem de illis rogaturum, eo quod ipse pater amet eos, quia ipsi amaverunt Christum, & crediderunt quod à patre exierit, & venerit in mundum, iterum relicto mundum, & iturus ad patrem. Cum ergo adhuc promittatur illa hora, in qua sine proverbiis locuturus est, cur isti dicunt; *Ecce nunc palam loqueris, & proverbium nullum dicis?* nisi quia illa quæ scit ipse, non intelligebat proverbia sunt: quæ adeo non intelligunt, ut nec saltem non se intelligere intelligant. Parvuli enim erant, nondum spiritualiter diiudicabant, qui de rebus non ad corpus, sed ad spiritum pertinentibus audiebant. Denique de ipsa horum ætate adhuc secundum interiorem hominem parua, & infirma eos admonens.

EIVSDEM IN IDEM

Homilia.

**P**otest movere infirmos auditores quomodo in capite lectionis huius evangelicæ discipulis saluator promittat, si quid, inquiens, petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis, cum nõ solum nostri similes multa quæ patrem in Christi nomine videntur petere non accipiant, verum etiam ipse Apostolus Paulus tertio dominum rogaverit, ut à se angelus satanæ, à quo tribulabatur abscederet, nec impetrare potuerit. Sed huius motio questionis antiqua iam patrum explanatione reserata est, qui veraciter intellexerunt illos solum in nomine saluatoris petere, qui ea quæ ad salutem perpetuam pertinent petunt: ideoque Apostolum non in nomine saluatoris petisse ut tentatione careret, quam ob custodiam humilitatis acceperat, quia si hac caruisset, saluus esse non posset, ipso affirmante cum ait: Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ angelus satanæ qui me colaphizat. Quotiescunque ergo petentes non exaudimur, ideo fit, quia vel contra auxilium nostræ salutis petimus, ac propterea à misericordie patris beneficii gratia nobis quod inepte petimus negatur, quod eidem Apostolo Paulo contigisse probatur, cui ter petenti responsum est: Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur: Vel vitia quidem & quæ ad veram salutem respiciunt petimus, sed ipsi male vivendo auditum à nobis iusti iudicis auerimus, incidentes in illud Salomonis: Qui auerit aures suas ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis: Vel dum pro peccantibus quibusdam ut respiscant oramus, & si salubriter petimus, atque ex nostro merito digni sumus auditu, ipsorum tamen peruersitas ne impetremus obstitit. Fit etiam aliquando ut salutaria prorsus & precibus sollicitis, & deuotis quaramus actionibus, nec tamen statim obtineamus, quæ petimus, sed in futurum petitionis nostræ differatur effectus, sicut cum genibus flexis quotidie rogamus patrem, dicentes: Adueniat regnum tuum, idem tamen regnum non mox oratione finita, sed tempore congruo sumus accepturi. Quod pia provisione nostri conditoris consistit acitari, ut videlicet desideria nostræ deuotionis dilatione crescant, & incremento quotidiano magis magisque prouecta, tandem perfectius capiant gaudia quæ requirunt. Inter quæ notandum, quia cum pro peccantibus oramus, & si eorum saluationem impetrare nequimus, nequaquam tamen fructu precis nostræ priuamur: quia & si illi digni nõ sunt saluari, nos tamè amoris quæ illis impeditur mercede donabimur, sicque in tali petitione implebitur nobis illa domini promissio, quæ ait: *Si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis.* Intuendum enim quia non ait simpliciter dabit, sed *dabit*, inquit, *vobis*: quia & si non eis pro quibus petimus, dabit nobis tamen cum pro aliorum erratibus misericorditer interuenimus, præmium nostræ benignitatis restituet. Sequitur: *Et que modo non petistis quicquam in nomine meo.* Non petierunt eatenus in nomine saluatoris, quia dum ipsum saluatorem visibili præsentia complecterentur, minus ad invisibilia salutis dona mentis intuitum crexerant. Sed & nostra fragilitas patrem petens

1. Cor. 12.

Rom. 12.

1. Pet. 1.

1. Cor. 13.  
1. Ioan. 3.

Satoris post mortem precet pro viuis.

rens non in nomine saluatoris, id est, saluatoris petens, dum contra rationem suæ pete salutis, non ut apostolorum simplicitas corporali vultu saluatoris ab æternæ salutis petitione sit retardata, sed obstituto propriæ cupiditatis, ab intuitu dominicæ voluntatis impedita. Quid autem principaliter petendum, ac sine ulla dubietate eis qui fideliter in petendo perstiterunt, sit parandum à patre, & dominus subdendo manifestat dicens: *Petite & accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum.* Ordo quippe sensus est: Petite, ut gaudium vestrum sit plenum, & accipietis. Pleaum ergo gaudium beatitudinem perpetuam pacis appellat. Nam ut accipiamus de gaudii reprobatorum, quo sibi iustitiam merentur æternam, habent sancti etiam in presentis gaudium de spe cælestium bonorum, cum pro domino terrenis exercetur, aduersus: habent gaudium cum amore fraternitatis, suadente, discunt gaudere cum gaudentibus, & flere cum flentibus. Sed non est plenum gaudium, quod fletu manente miscetur. Plenum quippe gaudium fit, ubi ætérne fletus cum solis datus gaudere gaudentibus. Ait itaque: *Petite & accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum.* Ac si patenter dicat: Non fluxa, sed cælestia gaudia, quæ & merore semper mixta, & certo sume sine obnoxia, sed illud singulare gaudium à patre petite, cuius plenitudo nullo cuiuslibet inquietudinis tractu minuitur, æternitas nullo vniquam termino dissoluitur. Si enim perstiteritis in petendo, & proculdubio quæ petitis accipietis. De huius plenitudine gaudij Petrus fidelibus scribit, dicens: Credientes autem exultabitis lætitia inenarrabili, & glorificata, reportantes, sicut filij dei vestræ salutem animarum vestrarum. Petere autem huiusmodi gaudium est, non verbis tantummodo patrie cælestis introitu flagitare, sed & digna operatione pro eius perceptione, certare. Neque enim quippiã utilitatis adfert bene orando superna quærere, qui non desistit peruersè vivendo infinis implicari. *Hæc in proverbis locutus sum vobis. Venit hora, cum iam non in proverbiis loquar vobis, sed palam de patre annunciabo vobis.* Illam nimirum horam significat, quæ eis perfecta sua passione ac resurrectione spiritus sancti erat gratiam daturus. Tunc etenim spiritualiter intus instructi, spiritali dilectione succens, quo perfectius, omnia quæ de agnitione diuinitatis mortalibus erant capienda, ceperat, eo ardētius sola, quæ ad eius visionem, promerendam iuauerat, petere ac desiderare curarent. Hoc est enim quod subiicit: *Illo die in nomine meo petetis.* Possimus horam quam pollicetur in futura vita intelligere, in qua palam de patre annunciabit, id est, palam patrem ostenderet cælestis, quando sicut Apostolus ait, videbimus eum facie ad faciem. De qua annunciatione, dicit & Ioannes: Charissimi, nunc filij Dei sumus, & nondum appropinquat quid erimus. Scimus enim quia cum apparuerit, similes ei erimus: videbimus enim eum sicuti est. Vbi veraciter, in nomine Iesu petere electi, dum pro nostra fragilitate intercedit, quatenus ad suam saluationem persequamur, à qua adhuc inter infidias hostium peregrinamus in terris, quam saluatorum petitionem aptissime in die futura promissit, illo, inquiens, *die in nomine meo petetis.* In die etenim petitis, quia non inter tenebras preestitatis, ut vestra in presentis, sed in luce supernæ pacis, & gloriæ beatorum spirituum pro nobis intercessio funditur. Possunt autem idem spi-

ritus electorum in illa cælesti ciuitate positi, etiam pro seipsum in nomine saluatoris petere, intelligi quia videlicet tempus vniuersalis iudicij, & resurrectionis corporum, in quibus pro domino cœtate querere, venire desiderant. Vnde & Ioannes ait: *Manet in illa ciuitate, & interfectorum propter verbum Dei, & propter testimonium quod habebant. Et clamabant voce magna, dicentes: Vtique quo domine sanctus & verus non iudicatis sanguinem nostrum de his qui habitant in terra. Vbi continuo subiicitur: Et data sunt illis singula stolas albe, & dicitur est illis ut requiescerent super ad hoc modicum donec implerentur cõsueti eorum, & fratres eorum. Singulas quippe stolas albas nunc habent animæ, cum sola sua felicitate testantur binas tunc accipiunt cum impleto in fine numero fratrum corporum, quocumque immortalium receptione lætantur. *Et non dico vobis, quia ego rogabo patrem de vobis.* Quia enim dominus vult et Iesus Christus & Deus & homo est, in modo summa deitatis, modo humanitatis humiliter loquendo designat. Quod enim dicitur nõ rogaturum de patrem, de discipulis propter consubstantialitatem patris diuinitatis suæ potentiam dicit, in qua non patrem ipse rogare, sed rogatã cum patre cõsuevit dare. Quod vero Petro ait, Ego autem rogauit pro te, ut non deficiat fides tua: Et de illo Ioannes, Aduocatum, inquit, habemus apud patrem Iesum Christum iustum, propter dispensationem dicitur esse assumptæ humanitatis, cuius cum triumphum patris ostendit oculis, pro nostra infirmitate propitius interuenit. Postest, & ita nõ inconuenienter accipi quod ait, *Et non dico vobis, quia ego rogabo patrem de vobis*, quia non de presentis rogo, sed de futuro tempore posuit rogabo, quod sanctis in æterna pace receptis nõ opus sit iam aliquid rogari de illis, quia nimirum tanta beatitudine donati sint, quæ amplior esse nõ potest. *Ipsè enim pater amat vos, quia vos me amastis, & credidistis qui à Deo exiit.* Nõ ita intelligendum est, quasi amor & credulitas discipulorum præcesserit amorẽ quo illos pater amaret, meritumque humanum prius sit muneribus gratiæ cælestis, cum apertissime dicat Apostolus, Ac quis prior de dir illi, & retribuetur ei. Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia, sed ita potius, quia pater illos gratuito amore, præuenit, atque ad amandum credendumque filium amando sustulerit, & quia ipse agnitam, filij dilectionem ac fidem pio & sollicito corde seruauerit, maioribus eos donis paternæ dilectionis esse remuneratos. Non autem arbitrandum quia pater sine filio & spiritu sancto amaret, vel amoris possit munera dare. Nec rursus estimandum, quia filius sine patre & spiritu sancto valeat amari, vel crediti. Quod ergo ait, *ipse enim pater amat vos*, intelligendum est, quia cum filio & spiritu sancto amaret, quos amore dignos in dicit. Et quod ad iudicium, quia non me amastis, eadem ratione sentiendum est, quia quicunque filium recte amat, hunc eum patre & ambobus spiritu amaret, quia quorum inseparabilis est natura, diuinitatis hominum remanentem quæ sunt dona virtutis. *Exiit à patre, & non in mundum. Itaque relinquit mundum, & vadit ad patrem.* Exiit à patre & venit in mundum, quia mundo visibilis apparuit in humanitate, qui erat invisibilis apud patrem in diuinitate. Exiit à patre, quia non in ea forma qua æqualis est patri, sed in assumptæ creatura inuon apparuit. Et venit in mundum, quia in for*

Apost. 2.

Lucæ 22.

1. Ioan. 2.

Rom. 12.

1. Cor. 13.

1. Ioan. 3.

1. Cor. 13.





nus illi, & consubstantialis. Et *veni in mundum*, id est, videndum me præbui amatoribus mundi, qui eram invisibilis apud patrem humanæ creaturæ, factus sum visibilis natus ex Maria virgine. Vel aliter: *Exiit à patre, & venit in mundum*. Id est, non mea forma, quæ æqualis sum patri, apparui mundo, sed in ea, quæ minor sum patre, id est, forma humanitatis. *Iterum relinquo mundum*. Id est, per absentiam corporis. Corpus humanum, quod de virgine sumpsi, subtraho aspectibus mundi. Et *vado ad patrem* per gloriam ascensionis. *Dixerunt ei discipuli: Ecce nunc palam loqueris, & nullum proverbium dicis*. Proverbia appellantur parabola, ut parabola Salomonis filij David. Hæc verba loquutus est dominus paululum ante passionem suam, illa nocte, qua traditus est à discipulo. *Ecce nunc palam loqueris & proverbium nullum dicis*, id est, nullam obscuritatem proferis in verbis tuis. Sancti apostoli non intelligentes verba domini, quia nondum habebant plenitudinem spiritus sancti, putabant se intelligere, quæ ignorabant, ideo dixerunt. *Ecce nunc palam*, id est, manifestè, loqueris, & *proverbium nullum dicis*, id est, nullam obscuritatem verborum inseris in cordibus nostris. *Nunc scimus quia scis omnia, & non opus est tibi, ut quis te interroget*. Quandoquæque volebat sancti apostoli ut dominus loqueretur illis obscuris verbis, loquebatur obscurè, & quando manifestè, loquebatur illis manifestè, secundum qualitatem cordis illorum. Ideo dixerunt: *Nunc scimus quia scis omnia*, id est, omnia secreta cordium nostrorum intrueris. Indicium deitatis est occulta hominum cognoscere, sicut Palmista dicit: Dominus scit cogitationes hominum. Et Salom. Tu si sis nostri corda filiorum hominum. Et non est opus tibi, ut quis te interroget: quia antè quàm proferamus ore, quod cogitamus corde, antea tu loqueris secundum quod cogitamus. *In hoc credimus, quia à Deo existi*. In hoc quod secreta cordium nostrorum vides, & secundum desideria cordis nostri loqueris, antè quàm interrogemus, scimus, & credimus, quia à Deo existi, id est, à Deo patre es genitus verus Deus, & verus Dei filius.

Psal. 93.  
3. Reg. 8.

### INCERTI SVB NOMINE Eusebii Episcopi Emisseni superioris Euangelij expositio.

SI consideramus hæc verba quibus specialiter, proprièque dicantur, facilis est solutio, Apostolis enim loquebatur dominus, quos in nomine Christi Iesu cæcos illuminasse, paralyticos curasse, mortuos suscitasse, & alia multa miracula fecisse legimus. Nihilque patrem in nomine filij eos petiisse audiuimus, quod non accepissent. Vnde & quosdam malè petentes Jacobus Apostolus redarguens, ait, Petitis, & non accipitis, eò quod malè petatis. Itemque, Si quis indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluentem, & non impropere, & dabitur ei. Postulet autem in fide nihil hæsitans. Apparet igitur his verbis apostolum quoque ideo exauditum non esse, eò quod non in nomine Iesu, & non bene petisset. Si tamè exauditum dicamus, qui quasi melius exauditum, sed quod petebat non accepisse lætatur. Noluit enim exaudiri, postquam se malè petiisse cognouit. Atque in eo exauditus melius

est, quod de his, quæ petebat, exauditus non est. Est enim exauditus non de his, quæ petebat, sed de his, quæ volebat. Nemo autè sic exauditur, sicut ille, qui vtiliter accipit, quod vult. Sequitur: *Utrum modo non petistis quicquam in nomine meo*. Quod hoc? legimus enim Christi discipulos prius etiam quàm hæc eis dominus diceret, in nomine Iesu Christi infirmos multos sanasse, & dæmonia eiecisse. Vnde & ad eum reuersi (ut Lucas ait) cum gaudio dicebant, domine, etiam dæmonia subiiciuntur nobis in nomine tuo. Legimus etiam eos increpasse quendam, qui eos non sequebatur, eò quod in nomine Iesu dæmonia eiecerat. Quid est igitur, quod ait, *Utrum modo non petistis quicquam in nomine meo*, cum manifestum sit, eos in nomine Iesu tam multa petiisse, dicis forsasse eos non petiisse in nomine Iesu, id est, non petiisse ea, quæ pertinet ad salutem, sic enim hoc quidam intelligere volunt. Sed non est verum. Quid igitur dicemus? dicit iūge quod sequitur. *Utrum modo non petistis quicquam* (subaudiatur à patre) *in nomine meo*. Quia enim non patrem sed filium videbant, ad filium solummodo respiciebant. Sed postquam filius celos ascendit, melius instructi, & à spiritu veritatis edocti, & patrem, & filium rogare cœperunt. Vult igitur filius, ut quod in nomine eius petitur, à patre petatur, semperque pater in filio honoretur. Sequitur adhuc de ipsa petitione. *Petite, & accipietis, ut gaudium vestrum plenum sit*. Dixit ut peterent, & ut à patre peterent, & in suo nomine peterent: nunc autem eos docet quid petere debeant. *Petite*, ait. *Quid? Vultis audire quid? ut gaudium vestrum plenum sit*. Illud enim gaudium plenum est, quod perfectum, & integrum est, quod nunquam finitur, & æternum est. Hoc igitur petendum est, ut ad tale gaudium perveniantur. Quæ verò ab isto gaudio hominem separant, ea petenda non sunt. Sic igitur temporalia queramus, ut nostrum desiderium ab æterno gaudio non separaretur: sic transcamus per bona temporalia, ut non amittamus æterna. Audiamus semper quod hic dicitur. *Petite, ut gaudium vestrum plenum sit*, & accipietis, accipietis vti que, sed non modo accipietis, sed non in hac vita. Hoc enim gaudium non accipitur, nisi post hanc vitam. Quarite igitur primum regnum Dei, & instantiam eius, & hæc omnia adicientur vobis. *Hæc in proverbis loquutus sum vobis. Venit hora cum iam non in proverbis loquar vobis*. Hoc est enim quod alius euangelista ait, Quia in parabolis loquebatur Iesus, & sine parabolis non loquebatur eis. In proverbis enim aliud auditur, & aliud intelligitur. Per illam autem horam, qua non in proverbis, sed palam se loquuturum de patre dicit, ab eius resurrectione omne tempus futurum significatur, siue per se visibiliter, siue per spiritum sanctum invisibiliter eis loquatur. Adueniente namque spiritu sancto, tunc palam, & manifestè nuntiatur & reuelatur est eis, quod prius de patre ignorabant. Neque fuit necessarium ut vltèrius dicerent, Domine, ostende nobis patrem, & sufficit nobis videntes in patre filium, & in filio patrem, & in vtroque spiritum sanctum. *In illo die in nomine meo petetis*. In illo (inquit) die peteris in nomine meo, ut in virtutibus, quæ per vos fiēt,

glorifi

glorificetur nomen meum, glorificetur & pater, quem vos petistis in nomine meo. Non enim dixit nomen meum, sed petetis in nomine meo, ut ostenderet nobis à quo, & in quo petere debeamus. Superius dixerat, *In illo die me non rogabitis quicquam: nunc autem dicit, In illo die in nomine meo petetis*, quod vti que cōtrarium esset, si de eodem die intelligeretur. Hic igitur dies huius seculi est, ille verò alterius seculi: hic ante iudicium, ille post iudicium. *Et non dico vobis, quia ego rogabo patrem de vobis, ipse enim pater amat vos, quia vos me amastis, & credidistis quia à Deo exiui*. Postquam (inquit) celos ascendero, non dico me rogare patrem de vobis, sed vos ipsi rogare in nomine meo, & quod volueritis dabit vobis. Diligit enim vos, quia vos me amastis, & credidistis quia à Deo exiui. *Exiui à patre, & veni in mundum. Iterum relinquo mundum, & vado ad patrem*. A patre exiit, quia à patre genitus est, in mundum venit, quia per susceptam humanitatem mundo se visibilem præbuit. Quomodo exiit nescitur, quia quomodo genitus est ignoratur. Mundum verò relinquit & ad patrem vadit, non secundum diuinitatem, qua vbi que est, sed secundum humanitatem, qua localis est. Dicit ei discipuli eius, *Ecce nunc palam loqueris, & proverbium nullum dicis. Nunc scimus quia scis omnia, & non est opus tibi, ut quis te interroget*. Volebamus (inquiunt) te interrogare, quia illa quæ dicebas minimè intelligebamus, sed sine omni nostra interrogatione tu ipse nobis ea exposuisti, de quibus te interrogare volebamus. Vnde pro certo scimus quia scis omnia, & non est opus tibi ut quis te interroget. Et in hoc modo credimus quia à Deo existi.

### THEOPHYLACTI EPI- scopi Bulg. superioris Euang. expositio.

Amén, amén dico vobis, quæcumque petieritis patrem sub nomine, &c. ostendit igitur hoc loco nominis sui virtutem, siquidem quum neque videatur, neque obsecratur, sed, cum nominatur solum, talia facit. *Hucusque*, inquit, *non petistis quicquam sub nomine meo*: Ex hoc autem tempore petite, & omnino recipietis: & ita expedit vobis, ut ego moriar: siquidem apud patrem maiorem quam nunc fiduciam inuenturi estis. Non enim, quod separo à vobis, existimate vos à me relictos, sed nomen meum maiorem vobis fiduciam dabit, & gaudium vestrum tunc erit plenissimum, quum accipietis omnes petitiones. Considera autem, quod ille sumit, qui sub nomine Christi petit. Nullus igitur ex iis, qui mundana petunt, ac animabus damnosa, in nomine Christi petit; ideo neque accipit. Nomen enim Christi diuinum est, ac salutare, quando autem quis petit, quæ ad perditionem animæ pertinent, quomodo dicemus illum in salutatis nomine petere? *Hæc per paræmias loquutus sum vobis, &c.* Paræmia est sermo oblique, & occulte ac per parabolas totum argumentum ostendens. Quia igitur dominus multa eis occulte dixerat, & parabolam narrarat de muliere, ac partu, dicit, *Hæc per paræmias nunc loquutus sum vobis, sed venit hora, quando non ultra in parabolis loquar, sed libere de patre annuntiabo vobis*. Post resurrectionem enim, quum se exhibuisset resurrexerat quadraginta dies, loquebatur eis de patre magis

mystica, & manifestiora. Prius enim sic putabant eius esse patrem Deum, sicut & nos est, gratia. Iterum autem dat eis fiduciam, quod habituri sint in tentationibus supernum adiutorium. *Sub nomine meo*, inquit, *petetis*: & in tantum vobis conseruabo amicam patrem, ut posthac neque me opus habeatis intercessore, nam ipsemet pater vos amat. Insuper, ut non resiliant à Christo quasi ipso non habeant opus, sed à patre absque mediatore diligantur, dicit: *Propterea amat vos pater, eo quod me dilexistis*. Quado igitur excideritis à mea amicitia, tunc & à patris amicitia excideris. Et quia multum eos consolatus fuit quia audiebant eum à patre exiuisse, & iterum ad patrem ire, propterea continuo hoc versat: vnde & illi audiendo hæc, vilitate percepta respirantes aliquantulum dicunt. *Ecce nunc aperte loqueris, &c.* Quum audissent amicam illis futurum Deum, & patrem, neque indigere se illius intercessione, vti maxime familiares patri, exisseque illum à Deo, dicunt: *Nunc scimus, quod scis*. Omnia, hoc est, cognoscis, quæ vniuscuiusque cor offendunt, & non opus habens ut ab aliquo discas ea: & in hoc credimus, quod à Deo exieris; Dei enim est, scire occulta cordis. Vide autem, quomodo imperfecti fuerint dicentes: *Nunc scimus*, qui enim tantas audierant doctrinas, dicunt, *nunc scimus*.

### EVTHYMII ZIGABONI superioris Euang. expositio.

Quæcumque petieritis patrem, &c. Cuius autem nomen tanta potest, certissime Deus est. Ideo etiam David variis in locis illud laudans nunc quidem ait; *Quam admirabile est nomen tuum in vniuersa terra: nunc vero; Exaltatum est nomen eius solius*. Aduertendum est autem, quod interdum quidem dationem eorum, quæ petuntur, patri attribuit. Quandoque vero sibi ipsi sicut & alia sanè propter æqualitatem eademque potentiam: hic autem & patri, & sibi ipsi: Nam ait, *In nomine meo*. Et pari modo dicendum, vbi cumque hoc adianctum est.

† Quæcumque conferunt, & vilia sunt.

Hactenus non petistis quicquam in nomine meo. Atqui, quado eos misit, data potestate aduersus spiritus immundos, ut eiecerent illos, & curarent omnem morbum, & omnem languorem, in nomine ipsius operabantur. Verum tunc non petebant patrem in nomine ipsius. *Petite & accipietis ut gaudium vestrum sit impletum*. Ut, postquam cognoueritis, quanta possit nomen meum, gaudium habeatis perfectum, siue multum, aut copiosius. *Hæc per proverbium dico vobis*. Hoc est, obumbrata, & non omnino manifesta, quia adhuc metu & timore affecti, iis, quæ dicuntur, non potestis aduertere, aut amplius percipere. *Sed venit tempus, quando non iam per proverbium loquar vobis, sed palam de patre annuntiabo vobis*. Instat tempus resurrectionis meæ, videlicet, quado aperte, ac manifestè docebo vos, iam in lætitia constitutos. Siquidem post resurrectionem per quadraginta dies apparebat eis, & docebat de regno Dei, sicut narrat liber Actuum. *In illo die in nomine meo petetis*. Die, & horam solet frequenter ipsum tempus appellare. Sapius autem de petitione in nomine suo dicit: certiores eos reddens de ipsius virtute, & fiduciam iniiciens.

Bibl. Hom. tom. 3.

K 2

Et

Et non dico vobis, quod ego rogabo patrem pro vobis. Et non dicam vobis tunc, Precabor patrem pro vobis. Ipse enim pater amat vos, &c. Nam ipse pater tunc vos amabit, sicut ego, permanentes videlicet in amore, ac fide erga me. Exiit à patre & venit in mundum, &c. Verba hæc, Exiit & venit, Relinquo & vado, ac similia, demittunt se dicit, propter infirmitatem intelligentiæ discipulorum, veluti frequenter diximus. Nam tanquam Deus & in patre erat, & in mundo; siquidem res loco non circumscribitur diuinitas. Itaque Exiit à patre, significat esse eum de substantia patris, sive legitimum patris filium, Veni in mundum, significatum est incarnationis ipsius: & similiter quod ait; Relinquo mundum. At illud, Vado ad patrem, demonstrat restitutionem prioris potestatis ac gloriæ ipsius. Ecce nunc aperte loqueris, & proverbium nullum dicis. Nunc manifeste loqueris, & nihil obiectum dicit: intelleximus enim, quæ nunc dixisti. Nunc scimus, quod scis omnia, nec opus est tibi, &c. Hoc di-

cunt, consolatione non modica accepta ab iis, quos loquutus est, sermonibus, utpote intelligentes, quod rursus resurrecturus esset, rursusque eos docturus: & quod pater ipsos amaret. Illud siquidem auxilij spem præbebat, hoc autem rectæ fidei certitudinem: nam tunc potissimum hæc intellexerit. Ait ergo; Nunc scimus quod scis omnia, etiã hominũ arcana; nec opus est tibi, ut quis te interroget de his, que discere voluerit, sed præueniẽs discipulis, quod quærit. Nam & nobis conquirentibus, quid esset; Pusillo tempore nõ videbitis me, & rursus pusillo tempore & videbitis me, &c. non interrogatus interpretatus es ea, & quiescere fecisti mentem nostram. Per hoc credimus, quod à Deo existit, &c. Ipsi siquidem tanquam gratiam aliquam illi præstantes dixerunt, Ex hoc perfecte credimus, quod à Deo missus sis, quod filius Dei sis: ipse vero exprobrans eis imperfectam adhuc fidẽ, ait: Modo perfecte creditis. Necdũ adhuc: arguet enim, ac conuincet vos tempus, quod iã instat.



IN LITANIIS MAIORIBVS ATQVAE MINORIBVS.

L V C A E 11.



**T**illo tempore dixit Iesus discipulis suis, Et ait ad illos: <sup>a</sup> Quis vestrum habebit amicum, & ibit ad illum media nocte, & dicet illi: Amice commoda mihi tres panes, quoniam amicus meus venit de via ad me, & non habeo quod ponam ante illum, Et ille de intus respondens dicit: <sup>b</sup> Noli mihi molestus esse iam ostium clausum est, & pueri mei mecum sunt in cubili: non possum surgere & dare tibi. Et ille si <sup>c</sup> perseverauerit pulsans, dico vobis & si non dabit illi surgens, eò quod amicus eius sit, propter <sup>d</sup> improbitatem tamen eius surget & dabit illi <sup>e</sup> quotquot habet necessarios. Et ego vobis dico: <sup>f</sup> Petite & dabitur vobis: <sup>g</sup> quærite & inuenietis: <sup>h</sup> pulsate & aperietur vobis. Omnis enim qui petit accipit: & qui quærit inuenit: & pulsanti aperietur. <sup>i</sup> Quis autem ex vobis patrem petit panem: nunquid <sup>k</sup> lapidem dabit illi? Aut piscem: nunquid pro <sup>l</sup> pisce <sup>1</sup> serpentem dabit illi? Aut si petierit, <sup>m</sup> ouum nun quid porriget illi <sup>n</sup> scorpionem? Si ergo vos cum sitis mali, nostis <sup>o</sup> bona data dare filiis vestris, quanto magis pater vester caelestis de celo dabit spiritum bonum petentibus se?

GLOSSA

GLOSSA ORDINARIA in superius Euang.



**Q**uis vestrum habet amicum. Postquam formam orationis rogantibus proposuit: instantiam etiam & frequentiam orandi illis iniungit, ut nõ solum diebus, sed etiã noctibus oratio deferatur, qui enim media nocte panes ab amico petit, & in petendi intentione persistit, non fraudatur orans, Mystice. Amicus ad quem nocte venit Deus est, qui corpus suum tradidit pro nobis: Cui in nocte tribulationis supplicare, & tres panes, id est, intelligentiam sanctæ trinitatis, qua in presentis vitæ laboribus viuamus, efflagitare debemus. Hos panes, si dominum Deum tuum diligas, non solum tibi, sed etiam aliis poteris emereri. Amicus qui de via venit, ipse est noster animus, qui quotiens ad temporalia petenda euagatur, toties a nobis recedit. Redit cum superna meditatur, & caelesti alimonia refici desiderat. Cui quod pronat non habet, quia animã post tenebras ad Deum suspiranti, nil præter ipsum cogitare vel loqui vel intueri libet, sed solum trinitatis gaudiũ quod recognouit, amplius intueri & ad hoc peruenire satagat. Noli mihi. Non auferit spem impetrandi, sed vehementius accendit desiderium orandi, ostensa difficultate cosequendi. Iam ostium. Ostium quod Paulus sibi aperiri petit ad loquendum mysterium Christi, & quod Ioannes sibi apertum vidit, intelligentia est diuini sermonis, quod est clausum tempore famis verbi Dei, cum intelligentia non datur. Et pueri, id est, illi qui euangelicam sapientiam tanquam panem erogantes per orbem terrarum prædicauerunt, iam cum domino sunt in aeterna quiete, & tamen orando efficitur, ut orans accipiat intellectum ab ipso domino, etiam si homo desit per quem sapientia prædicetur. Non possum surgere. Ambros. Nemo timet ne excitet dormientem, quem scit semper orare vigilantem. Propter improbitatem tamen eius, &c. Multa sunt insidiae, & grauis corporis somnus: quia si dormire mens incipit, vigorem suæ virtutis amittit. Excita ergo somnum tuum, ut pulses Christi ostium: ut cum intraueris aperiantur tibi thesauri absconditi, & tenebrosi in Christo Iesu. Petite & dabitur vobis. Si amicus homo surgit, & dat non amicitia: sed tædio compulsus, quanto magis dat Deus qui sine tædio largissimè donat quod petitur? Ne ergo animus ab erroris vanitate conuersus spirituali inopia diutius tabescat, petamus epulas verbi, quæramus amicum qui det, pulsemus ostium vbi seruantur abscondita. Magnam enim spem tribuit, qui promittendo nõ decipit. Omnis enim qui pe. ac. Opus est perseverantia, ut consequamur. Quod si petenti datur, & quærens inuenit, & pulsanti aperitur, cui ergo non datur: & qui non inuenit, & cui non aperitur: apparet quod non bene quæserit, petierit & pulsauerit. Quærite & inuenietis. Prope est dominus omnibus inuocantibus eum in veritate, & voluntatem timentium se faciet. Alios qui non ita petunt redarguit Iacobus dicens. Petitis & non accipitis, eo quod malè petatis: quia perseveratis in peccatis. Quis autem ex vob. Bed. Mystice, Panis signat charitatem propter maiorem appetitum & necessarium usum, quia

sicut sine pane mensa videtur inops, ita sine charitate, aliæ virtutes nihil sunt, quæ in sola charitate perficiuntur. Huic contraria duritia cordis, quam lapidi comparauit. Piscis, fides est inuisibilem. Sicut enim piscis sub tegumento aquarum nascitur, viuit, & alitur: sic fides, quæ in Deum est, inuisibiliter in corde gignitur, inuisibili gratia spiritus per aquam baptismi cõiecratur, inuisibili auxilio diuinæ protectionis ne deficiat nutritur, inuisibilem præmiorum intuitu quæque valet bona operatur. Vel etiam ideo fides pisci comparatur, quia sicut ille crebris fluctibus maris tunditur nec perimitur: ita fides aduersitatibus non frangitur: cui contrarius est serpens, propter venenum infidelitatis. Per ouum spei nostræ certitudo figuratur, quia in ouo nondum factus perfectus cernitur, sed fouendo speratur. Contra spem scorpionem ponit, cuius aculeus venenatus retro est timendus, sicut spei contrarium est retro respicere, cum spes futurorum in ea, quæ antea sunt, se extendat. Cum sitis mali. Malos vocat seculi amatores, qui dant illa quæ secundum suum sensum iudicant bona, quæ etiam in sua natura sunt bona, & ad usum infirmæ vitæ pertinentia. Vel, apostoli, qui merito electionis bonitatẽ humani generis exceßerant, intuitu supernæ bonitatis adhuc sunt mali, quia nondum immunes, à delictis, maxime in verbis & in cogitatu: quæ quotidianis orationibus iubentur curari. Vel malos vocat, quia omnis creatura in conspectu diuinæ bonitatis est mala, quia nemo bonus nisi Deus, & tamen diuinæ bonitatis participatione rationalis creatura bona fieri potest, domino ita promittente, dabit spiritum bonum pe. se, ut per participationem spiritus fiant boni qui erant mali, dum per gratiam spiritus: fidem, spem & charitatem & cæteras virtutes consequuntur. Vnde Matthæus non dixit, dabit spiritum. bo. pe. sed dabit bona petentibus se. Ostendens spiritum sanctum plenitudinem esse omnium bonorum, quia per eum omnia bona ministrantur. Quanto magis. Aperta comparatio. Si enim homo peccator adhuc fragili carne grauatur, petentibus filiis temporalia dare non abnegat, multo magis pater caelestis filiis suo timore, & amore præditis, non deficientia bona largitur in caelis.

CATENA AVREA in idem Euang.

**E**t ait ad illos: Quis vestrum habebit amicum, &c. Chryl. Docuerat supra saluator ad petitionem apostolorum qualiter oportet orare, poterat autem contingere eos, qui hoc salutare documentum receperant, effundere quidem preces iuxta traditam formam, sed negligenter & remissè hoc facere: deinde cum non exaudirentur per primam vel secundam orationem, desistere ab orationibus. Itaque ne hoc pateremur, per modum parabola manifestat, quod pusillanimitas in orationibus damnosa est. Vtilissimum verò est in eis patientiam habere: vnde dicitur, Et ait ad illos: Quis vestrum habebit amicum? Theoph. Amicus iste Deus est, qui omnes amat, & omnes saluos vult fieri. Ambros. Quis etiam est nobis amicitior, quàm qui pro nobis corpus suum tradidit? Datur autem nobis hic alius præcepti modus, ut Bibl. Hom. tom. 3. K 3 omnibus

Psal. 44.

Luc. 18.

Matth. 7.

omnibus momentis, non solum diebus sed etiam noctibus oratio deferatur. Sequitur enim, *Et ibi ad il. me. noct.* Sicut petiit David quando dicebat, Media nocte surgebam ad confitendum tibi. Neque enim timuit excitare dormientem, quem scit semper esse vigilantem: nam si ille tam sanctus, & qui regni erat necessitatibus occupatus, septies in die laudem domino dicebat, quid nos facere debemus? qui eo amplius rogare debemus, quo frequentius carnis ac mentis fragilitate deliquimus: quod diligendo dominum Deum tuum non solum tibi, sed & aliis poteris emereri. Sequitur enim, *Et di. il. Amice commoda mihi tres panes, &c.* Aug. de ver. do. Quid autem sunt isti tres panes, nisi mysteriorum celestium alimentum? fieri enim potest ut aliquis passus fuerit temporali, quam pergantem, quod respondere non possit: & tunc se inuenit non habere, quando coactus est dare. Venit ergo tibi amicus de via, id est vita huius seculi, in qua omnes velut peregrini transeunt: nec ullus quasi possessor manet, sed omni homini dicitur, Transi, da venturo locum: aut forte de via mala, hoc est de vita mala fatigatus nescio quis amicus tuus non inueniens veritatem, qua audita & percepta beatus fiat, venit ad te tanquam ad Christianum, & dicit: Redde mihi rationem. Et interrogat quod forte tu per simplicitatem fidei nesciebas, & non est unde reficias esurientem, & compelleris querere in dominicis libris. Fortassis enim quod ille interrogavit, in libro positum est, sed obscurum est, ipsum Paulum aut Petrum, aut aliquem prophetam interrogare non sineris. Iam enim requiescit familia ista cum domino isto suo, & seculi huius ignorantia valida est, hoc est nox media, & urget amicus esuriens, cui simplex fides non sufficit. Nunquid deserendus est ergo ad ipsum Dominum cum quo familia requiescit, pulsa orando: de quo subditur, *Et il. dein. respon. di. Noli mihi molestus esse.* Qui differt dare, vult ut amplius desideres dilatum, ne vilescat citò datum. Basi. Fortitan etiam ob hoc differt, quasi ingeminans tui assiduitate, & frequentiam erga se, ut cognoscas quid donum Dei sit: & in timore donata custodias. Quicquid enim aliquis multo labore acquirit, nititur custodire: ne cum illud perdiderit, suum laborem amittat. Glos. Non ergo aufert impetrandi licentiam, sed vehementius accendit desiderium orandi, ostensa difficultate consequendi, Sequitur enim, *Iam ostium clausum est.* Amb. Hoc est ostium quod aperiri sibi etiam Paulus exposcit, non solum suis, sed etiam populi orationibus obsecrans se iuvari, ut aperiat sibi ostium ad loquendum mysterium Christi. Et foras illud est ostium quod apertum vidit Ioannes, cui dictum est: Ascende huc & ostendam tibi quae oportet fieri. Aug. de qua. euang. Significatur ergo tempus famis verbi, cum intelligentia clauditur: & illi qui apostolicam sapientiam tanquam panem erogantes per orbem terrarum predicauerunt, iam sunt in secreta quiete cum domino. Et hoc est quod subditur: *Et pueri mei mecum sunt in cubili.* Greg. Nyf. Opportune eos qui per arma iustitiae impassibilitatem vendicauerunt sibi, pueros appellat, docens quod non nisi, quod per studia in nobis acquiritur, ab initio fuerat in natura repositum. nam quando aliquis abrenuntians carni, per rationem exercitio vitae virtuosae passionem confutauit, nunc quasi puer:

insensibiliter se habet erga passiones. Cnibile autem requiem intelligimus saluatorum. Glos. Et propter praemissa subdit: *Non possum surgere & dare tibi:* quod est ad difficultatem impetrandi referendum. Aug. de qua. euang. Vel aliter, Amicus ad quem venit media nocte, ut accommodaret tres panes, utique ad similitudinem ponitur secundum quam qui rogat Deum in media tribulatione constitutus, ut ei tribuat intelligentiam trinitatis, qua praesentis vitae consoletur labores. Ipsa enim angustia media nox est, quam cogitur vehementer instare. In tribus autem panibus etiam illud significatur, vnius substantiae esse trinitatem: amicus autem veniens de via, intelligitur hominis appetitus, qui debet rationi seruire. seruiebat autem consuetudini temporali, quam viam vocat propter omnia transeuntia. Conuerso autem homine ad Deum, etiam ille appetitus à consuetudine reuocatur. Sed si non consoletur interius gaudium de doctrina spiritali, qua creatoris trinitas praedicatur, magna angustia sunt in homine quem premit arripna mortalitatis, cum ex his quae foris delectant precipitur abstinentia, & intus non est refectio de laetitia doctrinae spiritalis: & tamen orando efficitur ut accipiat, desiderans intellectum à domino: etiam si homo desit per quem sapientia praedicatur, Sequitur enim: *Et ille si perseuerauerit, &c.* Comparatio est à minori, si enim amicus homo surgit de lecto, & dat non amicitia, sed tadio compulsi: quantum magis Deus dat, qui sine tadio largissimè donat quod petitur: Aug. de ver. do. Cum autem peruenieris ad tres panes, hoc est ad cibum: & intelligentiam trinitatis, habes & unde viuas, & unde pascas, ne timeas, ne finias: non enim panis ille finietur, sed indigentiam tuam finiet. discere, & docere: viue, & pasce. Theop. Vel alii. Media nox finis est vitae, in quo multi ad Deum adueniunt. Amicus autem est angelus qui accipit animam. Vel media nox est profundum temptationum, in quo constitutus petit à Deo tres panes, necessitatem scilicet corporis, animae & spiritus: per quem in temptationibus non periclitamur. Amicus autem qui de via venit, ipse Deus est, qui temptationibus nos probat, qui non habet quod apponat, qui in temptatione infirmatur. Quod autem dicit, Et clausa est ianua: intelligendum est quod docet nos ante temptationes praeparatos esse. Postquam verò temptationi incidimus, praeparationis ianua clauditur & imparati inueniunt, nisi Deus adiuuet periclitamur. *Et ego dico vobis: Petite, & dabitur vobis: quae-rite, &c.* Aug. de verb. domin. Posita similitudine adiunxit exhortationem dominus, & omnino stimulauit nos querere, petere, pulsare, donec accipiamus quod petimus: unde dicit, *Et ego dico vobis, petite & dabitur vobis.* Cyrillus, Quod dicit, dico vobis, vim habet iuramenti: Deus enim non mentitur. Quandoque autem innuit audientibus aliquid cum iuramento, ostendit inexcusabilem nostrae fidei paruitatem. Chryf. Per petitionem autem orationem ostendit, per inquisitionem verò studium & sollicitudinem, cum subdit: *Quae-rite & inuenietis:* quae enim quaeruntur plurima cura indigent, quod maxime est in Deo. Plura namque sunt quae sensum nostrum impediunt: sicut ergo aurum perditum quaerimus, sic Deum sollicitè perquiramus. Ostendit etià quod quamuis non aperiat illic ianua, tamen immoran-

dum

dum est: unde subdit, Pulsate, & aperietur vobis, quia si quaerens immoraberis, utique recipies: ob hoc reclusum est ostium, ut faciat te pulsare: ideo non mox annuit ut exposcas. Graecus, Vel per hoc quod dicit, *Pulsate:* forsitan insinuat petere cum effecta: pulsare enim aliquis manu. Boni autem operis signum est manus, vel haec tria possunt aliter distingui: virtutis enim initium est petere notam fieri viam veritatis. Secundus verò gradus est querere qualiter oporteat transire per viam. Tertius gradus est, ut cum virtutes attigerit, pulset ad ostium, ut intrat spaciosam cogitationem, quae omnia orando aliquis acquirit. Vel petere quidem est orare, querere verò, per bona opera agere orationi condigna. Pulsare autem est orationi immorari nec desistere. Aug. de ver. do. Non autem nos tatum hortaretur ut peteremus, nisi dare vellet. Erubescat humana pigritia: plus vult ille dare quam nos accipere. Ambr. Qui autem promittit aliquid, spem debet afferre promissi: ut mandatis obedientia deferat, promissis fides: & ideo subdit: *Omnis enim qui petit, accipit, &c.* Orig. Querere autem aliquis, qualiter quidam orantes non exaudiantur? Ad quod dicendum, quod quicumque recto tramite ad quaerendum accedit, nihil omittere ex his quae conferunt ad petitorum obtentum, accipit reuera quod precatus est dari sibi. Si quis autem diuertens à proposito debita petitionis, cum non petat ut decet, non petit. Quo fit ut cum non recipiat, quod hinc dicitur, non falsificetur. Nam & magistro dicente: Quicumque veniet ad me, assequetur disciplinam petitorum: adire magistrum realiter accipimus, hoc est ut seruetur & diligenter vacet documentis ipsius: unde & Iacobus dicit, Petitis, & non accipitis: eo quod male petatis, scilicet causa voluptatum vanarum. Sed dicit aliquis, imò cum aliqui rogant pro diuina notitia obtinenda, & recuperatione virtutum, non obtinent: cui dicendum quod non propter se bona petuerunt accipere, sed ut commendarentur per ea. Basil. Si quis etiam per torporem exhibeat se desideris & traditor sui fiat in manus hostium, hunc Deus nec adiuuat, nec exaudit, eo quod per peccatum alienum se fecit à Deo: decet ergo offerre quidem quicquid interest sua, clamare autem ad Deum ut adiuuet eum. Est autem diuinum subsidium implorandum non remissè, nec mentione huc illucque vagante: eo quod talis non solum non impetrabit quod petit, sed magis dominum irritabit: nam si aliquis coram principe stans fixum habet intrinsecum & extrinsecum oculum, ne forsitan puniatur: quantum magis coram Deo attentum ac tremebundum oportet assistere? Si verò debilitatus à peccato fixè nequis orare, quantumcumque poterit seipsum cohibeas, ut stando coram Deo ad eum dirigas intellectum: & Deus ignoscit, eo quod non ex negligentia, sed ex fragilitate non potes, ut oportet assistere coram Deo. Si sic ergo te ipsum compellis, ne discedas, donec accipias. Ideo ergo quandoque petis & non accipis, quia perperam postulasti, vel infideliter, vel leuiter, vel non conferentia tibi, vel destitisti. Sapientius autem quidam obuiant dicentes: Quare oramus? an ignorat Deus quibus opus est nobis? Nouit quippe, & omnia spiritalia vberius dat nobis, & antequam postulemus, sed opera virtutis & regnum calororum oportet prius optare,

optantem verò querere, ingentem per fidem & patientiam quicquid interest suum in nullo delicto redargutum à propria conscientia. Ambros. Ergo praecipit ratio ergo persuadendi prius fuit in praecipito, postea fit in exemplo, quod ostendit subdens: *Quis au. ex vobis, &c.* Cyril. In quo instruit nos saluator quiddam necessarium, frequenter enim inconsulto voluptatum impetu irruimus ad perniciofa desideria. Cum igitur aliquid saluum à Deo petimus, nequaquam impetrabimus: ad quod ostendendum utitur patenti exemplo ex his quae penes nos sunt. Cum enim filius tuus petit, panem gratanter propinas, quia cibum petit opportunum. Quando verò sensus penuria lapidum poscit ut comedat, non affers ei, sed potius prohibes eum à nociuo desiderio, ut sit sensus: *Quis au. ex vo. pa. pe. panem,* quem scilicet patet dat. *Nunquid lapidem dabit illi,* scilicet si petierit? Eadem quoque ratio est in serpente & pisce, de quo subdit: *Aut pis. num pro pis. ser. da. il.* Et similiter in ouo & scorpione, de quo subdit: *Aut si. pa. ouum, &c.* Orig. Tu tamen attende, si panis quidem est animae cibum in cogitatione, sine quo non contingit saluari pura perspicax ratio vitae debita. Piscis autem est amor disciplinae: puta mandati constitutionem agnoscere, elementorum effectum, & quicumque consequenter differit sapientia. Itaque nec vice panis Deus propinat laudem, quem volebat diabolus à Christo manducari: nec vice piscis serpentem quem comedunt Aethiopes, indigni pisces comedere: nec simpliciter dat vitam nutritiuae & vitis non comestibilia & nociua, quod refertur ad scorpionem & ouum. August. de qua. euan. Vel potius intelligatur charitas propter maiorem appetitum, tam necessarium ut sine illo caetera nihil sint, sicut sine pane mensa inops: cui contraria est cordis duritia, quam lapidi comparauit. Pisces autem intelligitur fides huius mundi fluctibus circumactata non frangitur, rectè pisci comparatur, cui contrarium posuit serpentem propter venena fallaciae, quae etiam primo homini male suadendo praefeminavit. In ouo intelligitur spes. Ouum enim notum est foetus perfectus, sed fouendo speratur. Cui contrarium posuit scorpionem, cuius aculeus venenatus retrò timendus est, sicut contrarium spei est retrò respicere: cum spes futurorum in illa quae ante sunt se extendat. August. de ver. do. Quanta tibi loquitur mundus, quanta post dorsum strepit, ut retrò respicias? O munde immunde, quid strepit? quid aduertere conaris? tenebrisve peries, quid faceres si maneres? quem nō deciperes dulcis, si amarus alimenta mentiris? Cyril. Ex praemisso autem exemplo concludit: Si ergo vos eum sitis mali, id est, cum mentem susceptiuam praeratis geratis, non autem uniformem & fixam in bono sicut Deus. Bēda, vel malos vocat seculi amatores, qui dant illa quae secundum sensum suum iudicant bona, quae etiam in sua materia sunt bona, & ad usum infirmæ vitae pertinent. unde subdit: Noctis bona data date filiis vestris. Apostoli etiam qui merito electionis bonitatem humani generis excesserant, supernae bonitatis respectu mali esse dicuntur, quia nihil per se meritum ipsum bonum nisi deitas sola. Quod verò subditur,

K 4

tur.



cur: Quanto ma. pa. ve. de. cel. da. spiri. bo. pe. se? Pro quo Mattheus posuit: dabit bona competentibus se. ostenditur spiritum sanctum plenitudinem bonorum Dei: quia omnes utilitates quæ ex donorum Dei gratia suscipiuntur, ex isto fonte emanant. Athana. Nisi autem spiritus sanctus esset de substantia Dei, qui solus est bonus, nequaquam hic appellaretur bonus quando dominus renuit dici bonus in eo quod homo factus est. August. de ver. do. Ergo auare quid quæris? aut si aliud petas, quid tibi sufficiat, cui Deus non sufficit?

S. AMBROSII EPISCOPI Mediolan. eiusdem Euang. expositio.

Qvis vestrum habens amicum, &c. Alius præcepti locus est, ut omnibus momentis non solum diebus, sed etiam noctibus oratio deferatur. Vides enim, quod iste, qui media nocte perrexit, tres panes ab amico suo postulans, & in ipsa petendi intentione persistens, non defraudetur orans. Qui sunt isti tres panes, nisi mysterij celestis alimentum? Quia si diligas dominum Deum tuum; non solum tibi sed etiam aliis poteris emereri. Quis autem amicitior nobis, quam qui pro nobis corpus suum tradidit? Petiit ab hoc media nocte panes David: petiit, & accepit. Petiit enim, quando dicebat; Media nocte surgebam ad confitendum tibi. Ideo meruit hos panes, quos apposuit nobis edendos. Petiit, cum dicit; Lauabo per singulas noctes lectum meum. Neque enim timuit, ne excitaret dormientem, quem scit semper vigilantem. Et ideo scriptorum memores, noctibus, ac diebus orationi instantes, peccatis nostris veniam postulemus. Nam si ille tam sanctus, & qui regni erat necessitatis occupatus, septies in die laudem domino dicebat, matutinis, & vespertinis sacrificiis semper intentus, quid nos facere oportet, qui eo amplius rogare debemus quo frequentius carnis, ac mentis fragilitate delinquimus, ut de via lassus, & istius æui cursu, ac vitæ huius anfractu grauiter fatigatus, panis refectionis deesse non possit: qui hominis cor confirmet? Nec solum media nocte dominus, sed omnibus prope docet vigilandum esse momentis. Venit enim & vespertina, secunda, & tertia vigilia: & pulsare consuevit. Beati itaque serui illi: quos cum venerit dominus inuenerit vigilantes. Si ergo desideras, ut virtus Dei præcingat te, & ministret tibi, vigilandum est semper. Multæ enim insidiae sunt bonis, & gratis corporis somnus, eum, si dormire mens cæperit, vigore suæ virtutis amittet. Excita igitur somnum tuum, ut pulses ostium Christi. Quod aperire etiam sibi Paulus exposcit, non solum suis sed etiam populari orationibus obsecrans se iuuari, ut aperiantur ostium sibi ad loquendum mysterium Christi. Et fortasse illud est ostium, quod apertum vidit Ioannes. Vidit enim, & dixit, Post hæc vidi, & ecce ostium apertum in cælo & vox prima, quam audiui tanquam tuba loquentem mecum, & discendem, ascende hæc, & ostendam tibi, quæ oportet fieri. Apertum est igitur ostium Ioanni, apertum est ostium Paulo, ut nobis panes, quos ederemus, acciperet. Perseueravit enim, ostium pulsans opportune, importune, ut gentes mundani transitus laboræ vexatas alimoniam celestis recrearet yberta-

Psal. 118.

Psal. 6.

Psal. 118.

Apoc. 4.

te. Ergo præceptius locus frequenter orandi, spes impetrandi, oratio persuadendi, prius in præcepto, post in exemplo. Qui enim promittit aliquid, spem debet asserere promissi, ut monitis obedientia deferatur, promissis fides, quæ humanæ contemplatione pietatis in maius æternæ spem pietatis acquirunt: si tantum aqua poscantur, ne in peccatum vertatur oratio. Nec erubuit aliquid sæpius postulare, ne vel diffidere de domini misericordia videretur, vel arroganter dolere, quod non prima prece aliquid impetraverit. Propter hoc, inquit, ter dominum rogavi: & ostendit, quod frequenter Deus ideo non concedat oratus, quod inutilia iudicet, quæ nos profutura credamus.

S. AVGVST. EPISCOPI Hipponensis in superius Euang. Homil. 1.

Audiuimus nos exhortatum dominum nostrum celestem magistrum & fidelissimum consiliarium, eundem hortatorem, ut petamus & datorem cum petimus. Audiuimus enim in euangelio hortantem nos eum petere instanter, & pulsare vsque ad similitudinem improbitatis. Proposuit enim nobis exempli gratia, si quis vestrum haberet amicum, à quo nocte peteret tres panes, cum illi amicus de via venisset, & quod ei apponeret non haberet. Si autem ille respondeat iam se requiescere, & seruos suos secum, nec debere illius precibus inquietari, pulsando ille instet, & perseueret, nec pulsare terribis abscedat, sed necessitate coactus imminet, surrepturum illum, & si non propter amicitiam, certe propter illius improbitatem, & daturum ei, quantos voluerit, quantos autem voluerit? Nihil plus ille voluit quam tres. In hac ergo similitudine adiunxit hortationem dominus, & omnino stimulauit nos quærere, petere, pulsare, donec accipiamus quod petimus, quod quærimus, quod pulsamus, vsus exemplo à contrario: sicut de illo iudice, qui nec Deum timebat, nec homines reuerabatur, & tamen cum eum quædam vidua interpellaret quotidie, tædio victus dedit, quod non beneficium potuit inuitus. Dominus autem noster Iesus Christus inter nos petitor, cum patre dator, non utique nos tantum hortaretur ut peteremus, nisi dare vellet. Erubescat humana pigritia, plus vult ille dare quam nos accipere. Plus vult ille misereri, quam nos à miseria liberari, & utique si non liberati fuerimus, nos miseri remanebimus. Nam ille quod nos hortatur, propter nos hortatur. Eui-gilemus, & horranti credamus, promittenti obsequamur ut ad dantem gaudeamus. Fortassis enim & nobis aliquando venit amicus de via, & non inuenimus quod ei apponeremus, & necessitatem passi sumus & accepimus & nobis, & illi. Fieri enim non potest, nisi ut aliquis passus fuerit amicum aliquid interrogantem quod respondere non possit, & tunc se inuenit non habere, quando coactus est dare. Venit amicus tibi de via, id est, de vita huius seculi, in qua omnes velut peregrini transeunt, nec vllus quasi possessor manet, sed omni homini dicitur, Resectus transi, age iter, da venturo locum. Aut forte de via mala, hoc est, de vita mala fatigatus nescio quis amicus tuus, non inueniens veritatem, qua audita, & percepta, beatus

2. Cor. 11.

Ser. 19. i. ver. domini.

\*al. pulch.

Eul. 19.

\*al. vt legere possis, intelligere non possis & caetera.

Roma. 12. Psal. 118. Rom. 5.

2. Cor. 13.

\*al. qui in ea iu est.

beatus fiat, sed lassatus in omni cupiditate & egestate seculi, venit ad te tanquam ad Christianum, & dicit, Redde mihi rationem, Fac me Christianum. Et interrogat forte quod tu per simplicitatem fidei nesciebas, Et non est vnde reficias esuriens, & te admonitus inuenis indigentem, & cum vis docere aliquem, cogaris dicere. Et dum erubescis eum, qui te interrogauit, quod quærebat non in te inueniens, compelleris quærere ut mercaris inuenire. Et vbi quæras? Vbi, nisi in dominicis libris? Fortassis quod ille interrogauit, in libro positum est, sed obscurum est. Forte dixit hoc Apostolus in epistola sua. Sic dixit, ut intelligere possis, aut intelligere non possis, \* transire non permittetis. Urget enim interrogatori ipsium Paulum aut Petrum, aut aliquem Prophetam interrogare non sineris. Iam enim requiescit familia ista cum domino suo, & seculi huius ignorantia valida est, hoc est, nox media, & urget amicus esuriens. Tibi forte sufficiebat simplex fides, illi non sufficit, Nunquid deserendus est? Nunquid de domo proiciendus est? Ergo ad ipsum dominum, ad ipsum cum quo familia requiescit, pulsa orando, pete, instat. Non quo modo amicus ille in similitudine positus, tædio victus, surgit, & dabit, Dare vult, tu pulsans nondum accepisti, pulsa, dare vult, & quod dare vult, differt, ut amplius desideres dilatum, ne vilescat cito datum. Cum autem petueris ad tres panes: hoc est, ad cibum, & intelligentiam trinitatis, habes & vnde viuas, & vnde pacas. Ne peregrinum venientem de via reformides, sed excipiendo cinis domesticum facies, nec timeas ne finias. Non panis ille finietur, sed indigentiam tuam finiet, Panis est, & panis est, & panis est, Deus pater, Deus filius, Deus spiritus sanctus. Aeternus pater, coæternus filius, coæternus spiritus sanctus. Incommutabilis pater, incommutabilis filius, incommutabilis spiritus sanctus, Creator & pater, & filius, & spiritus sanctus. Pastor, & vitæ dator, pater, & filius, & spiritus sanctus. Cibus & panis æternus, & pater, & filius, & spiritus sanctus. Disce & doce, viue & pasce. Deus qui tibi dat, nihil melius quam se tibi dat. Auare, quid aliud quærebas? Aut si aliud petas, quid tibi sufficit, cui Deus non sufficit? Sed opus est ut habeas charitatem, habeas fidem, habeas spem, ut possit tibi dulce esse quod datur. Et hæc ipsa tria sunt, fides, spes, charitas. Et hæc ipsa dona Dei sunt. Nā fidem ab ipso accepimus, sicut Deus, inquit, vni-cuique partitus est mensuram fidei, Et spem ab ipso accepimus, cum dicitur, In quo spem dedisti mihi. Et charitatem ab ipso accepimus, de qua dicitur, Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis. Sed hæc omnia itidem aliquantulum diuersa, sed omnia Dei dona. Manent enim tria hæc, fides, spes, charitas. Maior autem horum est charitas, in illis paribus non est dictus aliquis panis maior aliis, sed simpliciter petite, & dat tres panes. Ecce alia tria. Quis est vestrum, à quo petit filius suus panem, nunquid lapidem porriget ei? Aut quis est vestrum, à quo petit piscem, nunquid serpentem porriget ei? Aut à quo petit ouum, nunquid porriget ei scorpionem? Si ergo vos cum sitis mali, nohis bona data dare filijs vestris, quanto magis pater vester de calo dabit bona petentibus se? Tria ergo rursus ista consideremus, ne forte ibi sint illa tria, fides, spes, charitas. Maior autem horum est charitas, Pone

ergo tria panem, piscem, ouum. Maior horum panis, Ideo panem bene intelligimus in his tribus charitatem. Propterea panem lapidem opposuit, quia duritia contraria est charitati. Piscem, fidem intelligamus. Dixit quidam sanctus, & nos dicere delectat, Piscis bonus, pia est fides. Viuit inter fluctus, nec frangitur, aut soluitur fluctibus. Viuit inter tentationes, tempestatesque huius seculi, pia fides. Sæuit mundus, & integra est. Tantum contrarium fidei serpentem illum obserua. In fide enim desponsata est illa, cui dicitur in Canticis canticorum, Veni de Libano, sponsa mea, veniens, & pertransiens ab initio fidei. Ideo & desponsata, quia & desponsatis initio fides est. (Promittitur enim ab ipso aliquid, & promissa fide detinetur. Opposuit autem dominus serpentem pisci, diabolum fidei.) Propterea desponsatæ huic dicit Apostolus, Desponsaui vos vni viro, virginem castam exhibere Christo. Et timeo ne sicut serpens seduxit Enam astutia sua, sic & vestri sensus corrumpantur à castitate, quæ est in Christo, id est, quæ est in fide Christi. Habitare enim inquit, Christum per fidem in cordibus vestris, Diabolus ergo non corrumpat fidem, ne deuoret piscem. Restat spes, quæ, quantum mihi videtur, ouo comparatur. Spes enim nondum peruenit ad rem, Et ouum est aliquid, sed nondum est pullus. Quadrupes ergo parit filios, aues autem spem filiorum. Spes ergo ad hoc nos hortatur, ut præsentia contemnamus, futura expectemus, ea quæ retro sunt, obliuiscetes, cum apostolo in anteriora extedamur. Sic enim dicit, Vnum autem quæ retro oblitus in ea, quæ ante sunt, extentus, secundum intentionem sequor ad palmam supernæ vocationis Dei in Christo Iesu. Nihil ergo tam inimicum spei quam retro respicere, id est in eis rebus, quæ præterlabuntur & transeunt spem ponere, sed in his, quæ nõdum data sunt sed dandæ quancumque nunquam transibunt nõ sperare. Quando autem scatur tentationibus mundus velut pluuia Sodomæ sulphurea, metuendum est exemplum vxoris Loth. Retro enim respexit, & vbi respexit, ibi remansit. In salem cõuersa est, ut prudens condiret exemplo. Apostolus Paulus de hac spe ita loquitur, Spe enim salui facti sumus. Spes autem, quæ videtur, non est spes. Quod enim videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus, speramus, per patientiam expectamus. Quod enim videt quis, quid sperat? Ouum est. Est ouum, & nondum pullus est, & testudine reatum est, non videtur, quia operitur, cum patientia expectetur, feruescat ut viuescat. Intende extendere in anteriora, obliuiscere præterita. Quæ enim videntur, temporalia sunt. Non respicientes, inquit, quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt, quæ autem non videntur, æterna. In illa ergo, quæ non videntur, extende spem, expecta, sustine, noli retro respicere. Ouo tuo scorpionem time. Vide quia de cauda percutit; quam retro habet, Non ergo scorpionem perimat ouum tuum, mūdus iste spem tuam, ut ita dicam, veneno, ouo contrario: quo contrario? Quanta tibi loquitur mundus, quanta post dorsum strepit ut retro respicias: id est, ut in rebus præsentibus nec præsentibus, non enim dicenda sunt præsentia, nunquam stantia, spem tuam ponas, & ab eo quod promittit Christus & nõdum dedit, sed quia fidelis est dabit, auertas animum tuum, & velis requiescere

Can. 4.

\*al. de spem, non

2. Cor. 11.

2. Cor. 11.

Phil. 3.

Genes. 19.

Rom. 8.

Phil. 1.

1. Cor. 4.

quiescere in mundo pereunte. Ideo enim Deus felicitatibus terrenis amaritudines miscet, ut alia queratur felicitas, cuius dulcedo non est fallax: & de ipsis amaritudinibus conatur mundus auertere ab eo, quod intendis interiora, & retro conuertere. De ipsis amaritudinibus, de ipsis tribulationibus murmurat & dicit, Ecce pereunt omnia Christianis temporibus. Quid strepis? Non hoc promissit mihi Deus, quod ista non peribunt, Non hoc mihi promissit Christus. Aeterna promissit aeternus, si credidero, ex mortali si aeternus. Quid strepis? O munde immunde, quid strepis? Quid auertere conaris? Tenere vis periens, quid faceres, si maneres? Quem non deciperes dulcis, si amarus alimenta mentiris? Ego si habeo spem, si teneo spem, ouum meum non est a scorpionibus percussum, *(Psal. 33.)* Benedicam dominum in omni tempore, sed semper laus eius in ore meo. Felix sit mundus, euer-tatur mundus. Benedicam dominum qui fecit mundum. Benedicam profus. Secundum carnem bene sit, secundum carnem male sit. Benedicam dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo. Nam si benedico, quando bene est, & blasphemio, quando male est, suscepi scorpionis aculeum, compunctus respexi retro. Quod absit a nobis. Dominus dedit, dominus abstulit, sicut domino placuit, ita factum est, sit nomen domini benedictum. Manet ciuitas, quae nos carnaliter genuit. Deo gratias. Utinam & spiritaliter generetur, & nobiscum transeat ad aeternitatem. Si manet ciuitas, quae nos carnaliter genuit, manet quae nos spiritaliter genuit. Aedificas Hierusalem dominus. Nunquid dormitando aedificium suum perdidit, aut non custodiendo hostes admisit? Nisi dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat qui custodit eam. Et quam ciuitatem? Non dormit, nec dormitabit, quod custodit Israel. Quid est Israel, nisi semen Abraham? Quid est semen Abraham, nisi Christus? Et semini tuo, inquit, quod est Christus. Et nobis quid? Vos autem Christi, ergo semen Abraham estis, secundum promissionem haeredes. In semine tuo, inquit, benedicentur omnes gentes. Ciuitas sancta, ciuitas fidelis, ciuitas in terra peregrina in caelo fundata est. O fidelis, noli corrumpere spem, noli amittere charitatem, accinge lumbos tuos, accede, praetende lucernas tuas, expecta dominum, quando veniat ad nuptias. Quid expauescis, quia pereunt regna terrena? Ideo tibi caeleste promissum est, ne cum terrenis perires. Na ista peritura praedicta sunt, praedicta omnino, Non enim negare possumus, quod praedictum est. Dominus tuus, quem expectas, dixit tibi, Exurgit gens contra gentem, & regnum aduersus regnum. Habent immutationes terrena regna. Veniet ille de quo dictum est, Et regni eius non erit finis. Qui hoc regni terrenis promiserunt, non veritate ducti sunt, sed adulatione mentiti sunt. Poeta illorum quidam induxit Iouem loquentem, & ait de Romanis, His ego nec metas rerum, nec tempora pono. Imperium sine fide dedi. Non plane ita responderit veritas. Regnum hoc, quod sine fine dediti, in terra est an in caelo? Vtique in terra. Et si esset in caelo, Caelum, & terra transirent. Transirent quae fecit ipse Deus, quanto citius, quod condidit Romulus? Forte si vellemus hinc exagitare Virgilium & insultare, quare hoc dixerit, in parte tolleretur nos, & diceret nobis, Et ego scio. Sed quid facerem, qui Romanis verba vendebam, nisi hac

*(Psal. 33.)*

*(Job. 1.)*

*(Psal. 146.)*  
*(Psal. 126.)*  
*(Psal. 120.)*

*(Galat. 3.)*  
*(2. Cor. 3.)*

*(Genes. 22.)*

*(Luc. 13.)*

*(Matth. 13.)*

*(Luc. 1.)*

adulatione aliquid promittere quod falsum erat? Et tamen in hoc cautus fui, quando dixi, Imperium sine fine dedi, Iouem ipsorum induxi, qui hoc diceret, Non ex persona mea dixi rem falsam, sed Ioui imposui fallitatis personam. Sicut Deus falsus erat, ita mendax vates erat. Na vultis nosse quia ista noueram? Alio loco, quando non Iouem lapidem induxi loquentem, sed ex persona mea locutus sum, dixi. Non res Romanae, perituraeque regna. Videte quia dixi peritura regna. Dixit peritura regna, non tacuit peritura. Peritura veritate non tacuit, semper mansura adulatione promissit. Non ergo deficiamus, fratres, finis erit terrenis omnibus regnis. Nunc si finis est, Deus videt. Forte enim nondum est, & infirmitate quadam, vel misericordia, vel miseria hoc optamus, ut nondum sit, nunquam tamen ideo non erit? Fugite spem in Deum, aeterna concupiscite, aeterna expectate. Christiani estis, fratres, Christiani sumus. Non ad delicias Christus in carnem descendit, toleremus potius praesentia quam diligamus, aduersorum manifesta est pernicies, prosperorum falsa blandicies. Time mare, & quando mollicies est. Omnino non frustra audiamus, Sursum cor. Quid ponimus cor in terra, cum videamus quia eueritur terra? Nos non possumus nisi exhortari vos, ut habeatis quod dicatis, & quod pro spe vestra respondeatis insultatoribus, & blasphematoribus nominis Christiani. Nemo vos murmurando auertat ad expectationem futurorum, Omnes, qui propter istas aduersitates blasphemant Christum nostrum, cauda scorpionis sunt. Nos ouum nostrum sub alis illius gallinae ponamus, euangelicae gallinae, quae clamat, Hierusalem, illi falsa, & perdit, quoties volui colligere filios tuos tanquam gallina pullos suos, & noluiti? Non nobis dicatur, quoties volui, & noluiti. Illa enim gallina diuina sapientia est, sed assumpsit carnem ut pullis congrueret. Videte gallinam hispidam plumis, demissis alis, voce fracta, & quassa, & lasa, & languida congruere parvulis suis. Ouum ergo nostrum, id est, spem nostram sub alis illius gallinae ponamus. Animaduertitis forte, quomodo gallina cocidat scorpionem. Utinam ergo & istos blasphemantes, in terra reptantes, de cauernis procedentes, & male pungentes, illa gallina concidar, & deuoret, in corpus suum traiciat, & in ouum vertat. Non irascantur, commoti videmur, sed maledicta maledictis non reddimus, Maledicimur, & benedicimus, blasphemati deprecamur, Sed non dicat de Roma, dictum est de meo. Sed taceat de Roma, quasi ego insultor sim, & non potius domini deprecator, & vester qualiscumque exhortator. Absit a me ut insultem. Auertat Deus a corde meo, & a dolore conscientiae meae. Ibi multos fratres non habuimus? Non adhuc hebemus? Portio peregrinantis Hierusalem ciuitatis, non ibi magna degit, non ibi temporalia pertulit, sed aeterna non perdidit? Quid ergo dico, cum de illa non taceo, nisi quia falsum est, quod dicunt de Christo nostro, quod ipse Romam perdidit, quod dii lapidei Romam tuebantur & lignei? Adde precium, aerei: adde plus, argentei & aurei. Idola gentium argentum & aurum. Non dixit lapides, non dixit lignum, non dixit testa, sed quod pro magno habent aurum, & argentum. Tamen ipsum aurum, & argentum oculos habent & non vident. Deus aureus, & Deus ligneus ad precium dispares sunt, & ha

*\* al. tran. quillum.*

*Matth.*

*1. Cor. 4.*

*Psal. 117.*

& habere oculos, & non videre pares sunt, fratres possunt. Ecce qualibus docti homines Romam custodibus commiserunt: habentibus oculos, & non videtibus. Aut si Romam seruare potuerunt, quare ipsi ante perierunt? Inquiunt, tunc perit Roma. Tamen perierunt? Non, inquit, ipsi perierunt, sed simulachra eorum. Quomodo ergo custodirent testa vestra, qui non potuerunt custodire simulachra sua; Alexandria olim tales deos perdidit, Constantinopolis ex quo condita est in magnam ciuitatem, quoniam a Christiano imperatore condita est, olim deos ipsos falsos perdidit, & tamen creuit, & crescit, & manet. Quadiu vult Deus manet. Non & illi ciuitati quia hoc dicimus, aeternitatem promittimus. Carthago in nomine Christi manet, & olim euerfa est a scelestis, quia non fuit caelestis, sed terrestris. Et illud quod dicunt, non est verum, quia diis perditis, Roma capta est; afflicta est. Profectus non est verum; ante simulachra ipsa euerfa sunt, & sic victi sunt Gothi cum Rhadagaiso. Memento re, fratres, memento re, non est longum, pauca anni sunt, recordamini. Euerfis in urbe Roma omnibus simulachris, Rhadagaisus rex Gothorum cum ingenti exercitu, multo numerosiore quam Halarici fuit, venit, Paganus homo erat Rhadagaisus, Ioui sacrificabat quotidie. Nanciabatur vbique, quod sacrificiis non desisteret Rhadagaisus. Tunc omnes isti, habec nos non sacrificamus, ille sacrificat, vinci habemus a sacrificante, quibus non licet sacrificare. Deus ostendens quia non in istis sacrificiis est ipsa temporalis salus, ipsa regna terrena, victus est Rhadagaisus adiuuante domino miro modo. Postea venerunt Gothi non sacrificantes, & si fide Christiana non catholici, tamen idolis inimici venerunt, idolis aduersantes, & ipsi ceperunt. Vicerunt de idolis praesentes, & perditia idola adhuc quaerentes, & perditos adhuc sacrificare cupientes, sed ibi erant & nostri, & afflicti sunt, sed non erant dicere, Benedicam dominum in omni tempore. Afflicti sunt in regno tereno, sed regnum caelorum non perdidit, imo ad illud capessendum exercitatione tribulationum meliores effecti sunt. Et si in tribulationibus non blasphemauerunt, tanquam integra vasa de fornace exierunt, & dominica benedictione repleti sunt. Isti autem blasphematores terrena sectantes, terrena desiderantes, in terrenis spem ponentes, cum ista velint, nolint perdidit, qui tenebunt: vbi remanebunt? Foris nihil, intus nihil, inanis arca, inanis conscientia, vbi requies? Vbi salus? Vbi spes? Veniant ergo, desinant blasphemare, discant adorare, scorpionij pungentes a gallina comedantur, in corpus traiciantur conuertantur, in terra exercentur, in caelo coronentur.

*De ciuitate Dei lib. 1.*

*Psal. 33.*

*Serm. 171. de temp.*

EIVSDEM IN IDEM  
Homilia 2.

Suaus dominus, & miris, fratres charissimi, habet ianuam pietatis, nec repellit inde pulsantes, sed culpatur potius negligentes. Neque enim aliquid petit, quod non habeat, ut cum non dederit, erubescat. Diues est, & pius, affluens, & benignus, dat, & non impropertat, imo tunc thesauri domus eius tristitiam patiuntur, quando desunt delectabilia fastidia petitionum. Ipse dominus

dicit, Vsq̄ modo nihil petistis. Petite & accipietis, pulsate & aperietur vobis. Ego sum ostium & ianua. Quare trepidat pulsando manus vestra, & dormitat in mendicare conscientia vestra? Ego sum ianua vitae, non horresco sordidum pulsatorum, non pauperem repudio petentem, tantum nemo suam negligat paupertatem. Pulsate, & aperietur. Stant angeli ad ianuam, ut introducant, non ut repellant, ut suggerant, non ut terreat. Nulla est pompa in ianua mea. Ego sum ianua, qui sustinui crucis ignominiam. Quare timeant petentes egeriam, cum nulli aliquando denegauit misericordiam? Quis sperauit in domino, & confusus est? Si pulsant, qui desiderant castitatem, dat eis continuo gratiam, & sanctitatem, & dicit eis, Nolite ambulare polluti, nolite incedere maculosi. Sancti estote, quia ego sanctus sum. Si accedat pupillus parua manu pulsate ianuam paternam, nuntiant eum angeli domino, pupillus pulsat, defensionis pietatem expectat, responde illi domine, Tibi enim derelictus est pauper, pupillo tu eris adiutor. Respondet illi, qui diues est, misericordia plenus, qui miseris pater est. Ego sum iudex viduarum, & pater orphanorum. Nemo laedat, quos ego suscipio, nemo expoliet, quos ego defendo. Et qui accellerint ad ipsam ianuam, quamuis diuidant vocem disparis precis, tamen ab vnus diuitis patrisfamilias domo omnes accipiant pietatem. Hoc amat ianua saluatoris, ut pulsatoribus semper abudet opportunis, importunus. Propterea ipse dominus videns ianuam suam a petitorum voce, a pulsantium clamore silere, iuuat omnes ad orationem, omnibus paratus tribuere pietatem. Petite, & si non acceperitis, adhuc petite, & perseverate pulsate. Nolite deficere, quia non necat Deus fame animam iusti. Qui tamen voluerit esse dulciter humilis, & benignus, securus tanquam in tutissimo portu consistit. Opponit ergo parabolam cuiusdam hominis, cuius hospes impronius aduenit, & hospes hospitem excepit: passus est verecundiam, abiit continuo ad domum diuitis magnam, non sine sacramento tres petit panes, quia vnus hospes erat gratia pietatis, sed substantia trinitatis. Nonne vnus hospes erat in tribus, qui venit ad patrem Abraham? Hospes, & amicus, praesor, & maior, & omnia illi in trinitate sunt exhibita humanitatis obsequia, quia trinitatis gloria resulget. Trimum attulit vitulum pater, tres mensuras similaginis consperxit futura mater, parturita filium, pro quo pater maceret agnum, & ipsa corpus Christi in trinitate iam fecerat sacramentum. Ita & iste amicus, veniente hospite, pergit ad domum diuitis, & trium panum allegat necessitatem: pulsat, & nullus responder de ianitoribus, quia omnes tenuerat somnus. Non angeli, non archangeli, non prophetae, non ministri. Et ille pulsat, quamuis nemo respondeat. Quandoque paterfamilias ad importunitatem pulsantis respondit, ille de interioribus sacris, de throno quietis, quid pulsas sine tempore, qui piger fuisti cum tempore? Dies fuit, & in lumine non ambulasti, nox superuenit, & pulsare ceppisti. Excessit tempus, quod improbus quaerit affectus. Iam pueri quiescunt, & non est dignum, ut propter te iniuriam patiantur, antequam venires diutius vigilauerunt, modo pro tempore quiescuerunt, non est qui possit tibi dare responsum. Et ille. Domine a te peto, a te pul

*Luc. 11.*  
*Ioan. 16.*

*Eccl. 2.*

*Leuit. 19.*

*Psal. 9.*

*Luc. 11.*

*Gen. 18.*

*Luc. 11.*  
*Ioan. 10.*  
*Gen. 2.*

te pulso, imò te pulso, tu es ianna, tu surge, da mihi misericordiam, qui non es dedignatus de luto limi formare viscera mea. Ministerio non indiges, quia omnia potes. Sed si pueri tui dormiunt, tu non dormis qui custodis Israël. Gratis peto, sub gratia mendico, non sub lege præsumo. Sed si lex & prophetæ usque ad Ioanem, sed tua gratia non habet finem. Quo euenerunt pueri tui, prophetæ tui, & ego noui. Sed tu, domine, qui es initium, & finis, primus, & nouissimus, noli ad me tædiare, nouissima hora noctis perentem, qui nocte media captiuam duxisti captiuitatem. Quid faciet paterfamilias tanti perseueratoris voce constrictus? Non excitat prophetam, non immittit angelum, non archangelum, ipse surgit, & dabit illi, quantum desiderat. Bene pertinax ille petitor, & nocturnus mendicator ad hospitem proprium repedit, diues factus refecit, nec hospes ab hospite irrefectus discessit. Quis est iste hospes, rogo vos fratres, qui in nocte venit, & imparatum hospitem inuenit, imò ideo nocte venit hospes in perpetua, & deficiente paupertate? In nocte venit hospes, gratia in summa ignorantia, in magna egentia, immittit tristitiam, quando dicit nocturnus petitor, in tribulatione inuocauit dominum, & exaudiuit me in latitudine. Et iterum, Multa tribulatione iustorum, & de omnibus his liberauit eos dominus, quoniam proximus est. Ideo hospes superuenit improuisus subito, cum quispiam tædio afficitur pressurarum. Superuenit illi orandi desiderium, flendi arripiens votum. Illa hora hospes venit gratia, ut compungat conscientiam, ne in sua moriatur egentia, sed eat & petat ad diuitem, non suis meritis, sed meritis hospitis venientis, & accipiat tres panes, ut in patre, & filio, & sancto spiritu possit & ipse pascere cæteros indigentes. Quicquid boni cogitauerit homo subito corde percussus, sciat quia hospes ille venit de caelo, & bene venit qui nocte venit. In tribulatione subuenit, non ingerens tædium, sed affectum.

Et quia dominus Christus ad discipulos suos clausis ostiis in tribulatione venit, non speratus sed optatus, salutauit in pace, & hospes hospites suos refecit in pace. Nonne est iste hospes qui dicit, Ecce sto, & pulso, si quis aperuerit mihi, intra bo & cenabo cum illo ego & pater meus? Quam bona domus, ubi pater & filius ingreditur hospes amicus, qui & spiritus sanctus. Ipse ibi exhibet in domo pauperis, in hospicio puritatis diuersa pulmentaria, propter cenam dominicam, Quæ sunt ista pulmentaria? Gaudium, longanimitas, continentia, fides, castitas. Tantummodo non pigeat hospitem suscipere dominum, ipse secum portat dulcedines deliciarum, ut pascat ibi lætates exercitus angelorum. Cum illo hospite pax est & iucunditas, qui venit ad hospitem suum, non torquere, sed pascere, non expoliare, sed vestire, non percutere sed sanare. Ipsam hospitem semper apertis cordis nostri ianuis suscipiamus, & nunquam nobis dominetur tyrannus inimicus, & in omnibus Christo donatæ eius madata seruemus.

### S. MAXIMI EPISCOPI Taurinensis in eiusdem Homil.

**L**egimus in Prophetis cum Ninive ciuitati subuersio diuinitus immineret, & iuxta sen-

tentiam Dei, destruendi illam tempus ingrueret, consistentes in ea aliud non habuisse præsidium, nisi ut abiectis crapulosis epulis, ieiunia contriuata susciperent, & diuitiarum ambitione seposita, humilitate se paupertatis induerent, scilicet, ut exinde remedium perciperent, unde iis perditio cõtingebat, hoc est, ut iram diuinitatis, quam luxuriando prouocauerant, abstineudo lenirent, & offensam, quam in eos superbia contraxerat, humilitas mitigaret. Dicitur enim in illa tribulatione ipse rex deposita imperiali purpura, regali ambitione submota, membra sua cilicio præcinxisse, atque in sacco se diebus, ac noctibus uoluisse. Sapiens ergo rex, qui sciret quemadmodum aduersa sibi superare deberet. Hostes enim uirtute superabat, Deum autem humilitate vincebat. Sapiens plane rex, qui intelligeret, quibus armis ueretur pro temporis qualitate. Cum enim insidiantur illi homines, apprehendit arma bellica, cum irascitur ei Deus, corripit arma iustitiæ. Sapiens inquam rex, qui pro salute ciuium peccatorem se magis cõsuetur esse quam regem. Obliuiscitur enim se regem esse, ubi Deum regem omnium pertimescit, nec potentia suæ meminit, ubi potestiam diuinitatis agnoscit. Obliuiscitur ergo se regem esse, dum projicit purpuram, dum diadema deponit, cilicio autem vestitur, & sacco, \* ieiuniis perseuerat, orationibus immoratur. Mira res, dum se regem hominum esse non meminit, rex incipit esse iustitiæ. Religiosus igitur princeps non perdidit imperium, sed mutauit. Principatum enim ante militaris disciplinæ tenuit, nunc cælestium disciplinarum obtinet principatum. Non inquam perdidit imperium, quia siue ferro, siue iustitia pro ciuium salute primus inuigilat. Primus plane inuigilat, quia ut tota ciuitas ieiunaret, famem sibi rex primus indixit, & solus omnium causa prior cepit esurire quam miles. Necessè enim erat, ut qui potentior cunctis fuerat, deuotior fieret uniuersis. Exemplo igitur suo præparat religioni exercitum, non armis, sed sola deuotione munium, iubet omnem sexum, omnem ætatem à diuinis epulis abstinere. Additur religioso exercitui numerus, cum in tali deuotione etiam infantia militare compellitur. Pietas enim esse creditur in tali causa, paruulis quoque cibi substantiam denegare. Non enim sufficiebat ad placandum Deum peccantium satisfactio, nisi seniorum quoque peccata, paruulorum innocentia deploraret, & fletibus alienis delicta sua iuuentus ablueret. Ista autem, fratres, omnia in cõmonitionem nostri facta esse, nemo est qui nesciat, ut, quotienscunque tribulationibus perurgemur, ad hæc præsidia concurramus, ut puta aduersarius imminet, inimicus in promptu est, ieiunemus, & vincamus. Solent quidam homines, quotienscunque necessitatem arduam nimis patiuntur, ad proximas gentes auxilij causa destinare legatos. Nos, quod est melius, legationem ad Deum per ieiunia destinamus: ab ipso imploremus auxilia, ad ipsum nos corde, & orationibus conferamus. Auxilium enim illi non aliunde rogando petiuerunt, sed de suis ieiunando uisceribus exegerunt. Cur ergo petat ab altero, qui intra se potest inuenire quod querit? Quanto enim Deo uiciniores fuerimus, tanto aduersarij nostri à nobis longius repellentur. Operet igitur proximos nos fieri Deo, quoniam dicit propheta:

propheta: Ecce, qui elongat se à te, peribunt. Quod si à Deo qui longe sunt, peribunt, utique qui sunt proximi, saluabuntur. Aliter ergo proximi Deo esse non possumus, nisi ad eum ieiuniis, orationibus, & elemosynis propinquemus. Deus enim ipse misericors, ieiunus, & sanctus est, atque ideo, qui uult proximus Deo esse, debet imitari hoc esse, quod Deus est. Tota igitur in tribulatione, Ninuitarum ciuitas ieiunauit. Bene dixi, tota. Non solum enim senes, iuuenes, & infantes, sed etiam pecudes legimus ieiunasse. Mira res, ieiunat pro ciuitatis peccato, quem peccati conditio non constringit. Unde & nos, fratres, temporum angustias sustinentes, omnes pariter ieiunare debemus, & misericordiam Dei cunctorum abstinentia deplorare. Nam quale sit hoc, Christianum pro salute sua nõ facere, quod pecudes pro hominum salute fecerunt, nisi quod stolidior pecude est, qui indico pro se à sacerdote ieiunio, nõ ieiunat. Nonne enim pecus est, qui non intelligit, quid illi immineat, quid incumbat? Et pecus quidem videns declinat foueam, cauet præcipitia; tu autem non vis ieiunando periculum declinare, quod carnis. Desperationis enim genus est, tunc te manducare, cum abstinere debeas; tunc gaudere, cum debeas deplorare. De hac desperatione Apostolus dicit, quod à nobis auertat Deus. Manducemus, & bibamus, cras enim moriemur. Ieiunemus ergo, fratres, sine intermissione, ut hostes nostros orationibus & abstinentia superare possimus.

### HILARII ARELATENSIS Episcopi in eiusdem Homil.

Congruum ac ualde necessarium est, dilectissimi fratres, ut, sicut priori tempore fecistis, & publicè priuata deuotio totum annum commendatura successit, ita etiam triduana supplicationibus uno animo, parique consensu feruentibus studiis præcingamur, dum adhuc de labore proximo impenebrabili contritione psallimus, dum adhuc pingues ieiuniis sumus, dum adhuc recentibus calemus officiis, dum adhuc petitionibus supplicantium adquisiti tunc sacro tempore fructus patrocinantur. Exoratori enim sumus, ut dominus infirmitatibus, plagis, tribulationibus interdicat: malum pestilentia, hostilitates, grandines, siccitates repellat: cæli temperiem pro salute corporum, pro terrarum fecunditate componat elementorum pacem cum temporum tranquillitate concedat, peccata dimittat, flagella submoueat. Inter hæc autem ille se ab oratione cõmuni reddat alienum, qui se his periculis non sentit obnoxium. Sed ne forte aliquem cogitatio ista percutiat, ut intra se dicat: quid nobis profuit ante laborasse, & vires cordis nostri in gemitus, & lachrymas profudisse? O homo, non bene ista diceres, si in solum hostile transductus, de indulta tamen esses salute securus. Plurimum ei relinquitur, cui uita, quæ omnibus terrenis bonis præponderat, referuatur. Nimum autem ingratus est liberatoris, qui in patria degens loquitur dolore captiui, dicit ergo: Quid nobis profuit orasse, & tota spiritus contritione laborasse? Plusquam seruilis nequitia est, inter ictus uerberum rebellare, & pro eo quod cum tali animo maiora merueris,

misericiordiam parcentis arguere, & libram diuinæ seueritatis cur non totum pondus exercuerit, accusare. Ita dum contra Deum superbo corde audemus hæc dicere, digna nos ostendimus pertulisse. Interrogemus conscientias nostras, si aliquem in nobis Deus perfectum post castigationem primæ hostilitatis inuenit, si maiorem in nobis postmodum tenuit religio sollicitudinem, elemosyna largitatem, oratio intentionem, continentia puritatem: si nihil in nobis postmodum iniquitas vulnerauit. Quod si his omnibus nos reos pro passionū diuersitate cognoscimus, hinc forsitan diuinæ possumus imputare iustitiæ, quod minora pertulimus quam ratio poscebat offendit. Quæ cum ita sint, in prima nos gratia patienter admonuit, sed quia parum profecimus, in secunda misericorditer flagellauit. Videamus autem quid nobis in ipsa hostilitate, quid nobis contulerit oblata communium precum, & præsidia inuocata sanctorum, unde quasi præsens tempus illud ante oculos disponamus. Ecce omnis terra ad potentissimæ gentis fremitum contremiscit, & tamen Romano ad te animo venit, qui barbarus putabatur, & ex omni parte conclusa Romana barbaries, nec ad preces confugere nouit, quibus humiliter fortiolem, congressionem nõ sustinuit, ingestam à superiore pacem recusat impatiens, iugi rebellis ignauia. Quæ hoc manus agit, quod magnificus dominus rerum, cum à nobis ad iracundiam uisibiliter pronocatur, inuisibiliter ad clementiam temperatur? Quis hoc miseris tribuit, quod furor nescit irasci, & nono genere victor sine intercessore misereri? Inter ista miraris te, peccatis exigentibus, flagellari, cur potius innocentiam gladij, & patientiam non miraris armati? Expugnatoris tui ferrum quale producitur ad pugnam, tale reconditur in uaginam, qualis est ante bellum, talis est post triumphum. Ac sic fortissimus tanti moderatoris exercitus vincere sciuit, hostis esse nesciuit. Itaque inter stupenda circa te beneficia Dei tui gratias tibi referat celebrerimus triumphator, ut apud arma uictoria quieti maneant uicti, & illæsa libertas, propter te donec tui victori incruenta felicitas. Aduerte circa te indulgentiam singularem domini Dei tui. Sub tantis malis non crudeliter derelictus, sed salubriter humiliatus es. Nunquid non plus est, periculum inter medias acies ignorasse, quam periculum non uidisse? Nunquid non uirtus Dei maior apparet, si quemquam domo procumbente, conclusum ruina non obruat, quam si in statu suo domus inconcussa, habitatorem seruet illæsum? Nunquid non maioris miraculi opus est, si quisquam inter tumentes fluctus, fractis gubernaculis, naue iam naufraga nullum discrimen incurrat, quam si in portu immobili tranquillitate requiescat? Nunquid non maius beneficij celestis opus est, æstuantibus quemquam immersum caminis, nullum omnino sensisse flammæ furentis ardorem, quam ignitam penitus non intrasse fornacem? Nunquid non magis prædicabile diuinæ miserationis insigne est, si forte quemquam heptis traditum omnino contingere feritas impactis faucibus armata non audeat, quam si familiarum bone circumdatus ibi se tutum uideat, ubi occasionem periculi, causamque non uideat? Ecce plane illam misericordiam Deam nobis dedisse respicimus, quam prophetis, ac patribus nobis.

stris in hostili solo mirabiliter præstitisse totius mundi præconiis celebratur. Nunquid non munificentior Dei gratia circa prophetam fuit, quod rege usque ad lacum votis, & supplicationibus prosequente à leonibus honoratus est, quam si leonibus non fuisset ingelus? Aduertere quod Deus noster probat suos in tribulationibus, non relinquit. Ecce hic beatus propheta hostibus feruebat, sed bestiis miserabatur. Nunquid non præclarior fuit tribus pueris inter sæua incendia constitutis, ignem non solum membris, sed vestibus, & capillis seruasse reuerentiam, quam nullam subisse tentationibus iniuriam? Nemo se à Deo æstimet deseri, cum traditur tentationi. Ecce celebranda germanitas hosti potuit subdi, quæ in captiuitate imò in fornace meruit consecrari. Nemo miser putetur, qui in fide vel in animi virtute non læditur. E contrario autem qui in securitate vitii deditur est, in libertate captiuus est.

**EIVSDEM IN EISDEM**  
*de pœnitentia Ninivitarum,*  
*Homilia 2.*

**D**um sacro volumine Ionæ prophætæ gesta replicantur, forsitan aliquis secum cogitat: & dicit: Triduo & Ninive subuertetur. Subuertetur planè, cum calcatis deterioribus studiis, ad meliora conuertetur, subuertitur, inquam, dum purpura in cilicium, affluentia in ieiunium, lætitia mutatur in fletum. Vbi sunt, qui negant remedia pœnitentiæ, qui eam vel accipiendam, vel communionem post labores emeritos munerandam esse non credunt? Primo loco hic intelligamus quàm sit accepta Deo satisfactionis oblatio, ad cuius medicinam ut confugere populus disceret, cælestis illa prouidentia offensæ suæ nuntium destinauit. Dicit Nouatianus, pœnitentiam agere debeo, nõ \*accipere. Non ita est. Nam Deus erudiendis peccatoribus per prophetam adiutoria procurat. Neminem sibi per se sufficere posse confirmat. Errant itaque, qui inter danterem, & accipientem velut corporale interuenire arbitrantur officium. Quid est enim dare, nisi remedia demonstrare peccatis? Quid est accipere, nisi obedire præceptis, lachrymis, & ieiuniis interpellare miserationis auditum? Quàm felix abstinentia, cuius prædicanda deuotio in illa plebe felicissima diuino semel quidem est approbata iudicio, sed quotidiano multiplicatur & celebratur exemplo? Specialem quondam prætulit fidem, nunc generalem operatur salutem. Nam quoties per lectionem profectus eius auditur, fructus illius dilatatur. Quàm felix abstinentia, quæ actione temporaria fuit, & nunc utilitate perpetua est? Tunc vni ciuitati profuisse memoratur, tunc vagitus infantium, pecorum balatus, armentorum mugitus, vno in loco sub diebus paucitate sonuerunt, nunc miseris omnem terram clamoribus replent, & usque in finem sæculi personabunt, inter fideles quisque non dubitet hostias precum, holocausta votorum, sacrificia lachrymarum ad diuinum familiariter ascendere posse cõspectum. Ecce ad aurem domini gemitus etiam brutorum animalium perueniunt quidem, dum fidei hominum militans, cælum cum supplicatione hominum penetrat. Videamus si eos contra hæ-

*Deo accepta est satisfactio oblatio.*

*\* Id est confiteri peccata sacerdotibus, & rogare eos, ut sibi dignam satisfactionem imponant.*

reticam persuasionem post pœnitentiæ opus in communionem recipit propiciata maiestas? Quod utique tunc dicimus impletum, quando sicut lætio docet, miserus est (inquit) dominus super malitiam, quam locutus est, ut faceret eis: & item, ego non parcam Ninuæ ciuitati magna? Tunc eis absque dubio communicauit, quando imminente cœlitus iram remouit, gratia fuit communicantis, indulgentia remittentis. Tunc eis communicauit, quando eorum vota suscepit. Remissio illa, reconciliatio, & communicatio fuit. Cum ergo ad prophetam ita dominus dicat: putas bene irasceris tu? Num tibi videtur, quod errorem Nouatianorum dominus arguat in propheta utique Iona, qui inclinatum pœnitentia populum cum videat humiliari, nequam optat absolui? & ideo impugnator occultus aperte beneficium negat, cuius interdicit officium: absque dubio rebus ipsis eam suscipiendam nõ esse pronunciat, quam perpetua obligatione subtracta absolutionis sine condemnat. Ergo Ninivitæ pœnitentia atque abstinentia iræ desuper imminuentis suspenderunt ruinam, & paruuli ac pecora patenter abstinentes egressam à domino plagam, atque sententiam iam cadentem (ut sic dixerim) retorserunt. Tam manifestum iudicantis afflictionis remedium, ut sibi etiam animalium crederent profuturum esse ieiunium. Secundum hæc valde ad clementiam diuina seueritas inuitatur, quando videt aliquem fœdas peccatorum notas, & veteres maculas intimis anime visceribus impressas, satisfactionis lachrymis & pœnitentiæ remediis abluentem, quando videt aliquem delicta sua præoccupato iudice voluntaria districtione & animaduersione damnantem, & tantquam inimicum dico, quia nullus nõbis tam occultus inimicus est, quam caro nostra. Quæ dum improbis cupiditatibus fatigat animum, in æternam vtriusque hominis pœnam Dei arnat offensam, & spiritus generositatem seruituti exterioris addicit dominantem peccato. Cui utique tantam vim nostro vitio ministramus, ut animam mori faciat, quam non potest facere mortalem. Beatus qui hic mala sua deslere, qui hic debita sua festinat euoluere: & innocentiam, quam iam non potest reparare per baptismum, recuperare studeat per summum pœnitentiæ fructum. Qui placiturus est Deo, ipse sibi displicet, ipse sibi quodammodo sub priuata cognitionis sententia & testis, & accusator & iudex est. Ad tales meritis dominus loquitur: Non iudicabo bis in idipsum, id est, quod tu in te seuerus agnoscis, ego propitius ignoscas: quod tu tristis accusas, ego lætus absoluiam: quod tu recordaris in publico, ego obliuiscar in æternum. Et quia per pœnitentiam tuam præuenisti sententiam meam, recondam gladium meum, ac me tibi ad remunerationum tempora referuabo. Ergo, charissimi, vnusquisque respiciens se arguat intra se gesta improba, & ante se constituat peccata sua pronuntians, cum propheta: Ec delictum meum contra me est semper. Ante vos sit, ut contra vos esse non possit. Ita illud conuersatio obliuiscatur, ut compunctio recorderetur. Ita illud reatus confessionis ostendat, ut virtus satisfactionis abscondat. Ita viuatur in conscientia, ut moriatur in vita.

*Uide quomodo per prophetam dicitur Dominus inquit.*

*Nota est neque confessionem peccati.*

BEATI

**BEATI ALCIMI AVI-**  
*ti, Viennensis Episcopi, de prima festi*  
*Rogationum institutione, habita ad populum Viennensem, Homilia.*

**C**urrit quidem tramite vitali non per Gallias modo, sed pene per orbem totum Rogationis obseruantia flumen irriguum, & infectam vitii terram vberi fluxu annuæ satisfactionis expurgat. Peculiarior tamen nobis in hac ipsa institutione festiuitas & gaudij causa est: quia quod huic modo ad utilitatem cunctorum defluit, ex nostro primitus fonte manauit, & forte nunc pertinet ad cuiuscunque priuilegij ornatum, sumptuæ primitus institutionis exordium. Cæterum quomodo ad huiusmodi utilitatem ineffabilis necessitas rigida Viennensium corda perdomuit, sentiens Ecclesia nostra causam ægritudinis suæ, non sibi quasi maximè præ omnibus, sed quasi soli ex omnibus existimans esse opus instituenda obseruatione præsentis, sollicitius captauit remedium quam primatum. Et quidem terrorum temporis illius causas multos nostrum adhuc recolere scio: si quidem incædia crebra, terræ motus alidui, nocturni sonitus, cuidam totius vrbs funeri prodigiosum quoddam minitabantur. Nam populosis hominum conuentibus domestica syluestrium ferarum species obseruabatur: Deus viderit an laudificans oculis, an adducta portentis. Quidquid tamen ex his duobus foret, perinde monitrosum intelligebatur: seu sic veraciter immania bestiarum corda mansuesceri, seu tam horribiliter conspectibus terrorum falsæ visionis phantasmata posse confingi. Inter hæc, diuersa vulgi sententia, dispariumque ordinum variæ opiniones: alij quod sentiebant dissimulando quæ fieri nolabant dare, casu dabant. Alij spiritu salubriter abominabilia noua quæque congruis maiorum proprietatis significationibus interpretabantur. Quis enim in crebris ignibus Sodomiticis non timeret? Quis tremantibus elementis, aut decidua culminum, aut disrupta terrarum imminere non crederet? Quis videns, certe videre se putans, pavidos naturaliter ceruos per angusta portarum usque ad fori lara penetrâtes, non imminente solitudinis sententiam formidaret? Quid multis tracta sunt hæc inter timores publicos & rumores priuatos usque ad imminente vigiliarum solennium noctem, qua celebrari festum dominicæ resurrectionis annua consuetudo poscebat, si quidem hæc omnes laborum opem, malorum finem, metuentium securitatem, communibus animis operiebantur. Affuit igitur nox illa venerabilis, quæ ad spem publicæ absolutionis votiuum solenne patefecerat. Sed mox illic multo vehementior strepitus ictu flagelli grauius ferientis intonuit: utpote quæ iam emensis gradibus superlatiuum nihil se quæ aliud quam gladius intelligeretur. Ades nunquam publica, quam præcello ciuitatis Viennensium veterici sublimitas in imensum fastigiata præulerat, flammis terribilibus conflagrare crepusculo cœpit. Interpellatur itaque nuncio discriminis incunditas solennitatis: pleno timoribus populo Ecclesia vacuatur. Omnes nanque similem facultatibus vel domibus proptis casum de quadam præeminenti incendio arce meruebant. Perstitit tamen coram festiuis al-

taribus inuictus antistes sanctus Mamertus & cælorem fidei suæ accendens flumine lachrymarum permissam ignibus potestatem incendio abscedente compescuit. Igitur desperatione deposita reditur ad Ecclesiam: & restincta flammarum luce, clarescit luminum pulchritudo. Nec sane ulterius trahitur arripiendo compunctiois medicamine mora: prædeceffor nãque meus & spiritalis mihi à baptismo pater sanctus Mamertus sacerdos, cui ante paucos annos pater carnis meæ accepto sicut Deo visum est sacerdotio in tempore successit, rotas in ea, quam supra diximus vigiliarum nocte sancto paschæ concepit animo rogationes: atque ibi cum Deo tacitus definiuit quidquid hodie palmis ac precibus mūdus inclamat. Reuoluta ergo solennitate paschali nõ iam quid, sed quando aut quo modo fieri debeat secreta prius collatione tractatur. Putabatur à quibusdam Viennensis senatus, cuius tunc numerosis illustribus curia florebat, inuentis non posse addici, quæ vix ad quiesceret legitimis inclinari. Sed pius ac sollicitus pastor sapientiæ salibus largus, māsuefaciendarum ouium prius orando animum quam perorando molliuit auditum. Pãdit igitur dispositionem, iudicij ordinem exponit, & viro tam religioso, quam solertis ingenij parum fuit, si obedientibus propositum tantummodo institutionis promeret: nisi inter initia etiã vinculum consuetudinis assignaret. Inspirante igitur compunctorum cordibus Deo, auditur à cunctis, confirmatur, attollitur, eligitur tempori triduum præsens, quod inter ascensionis sacræ cultum diemque dominicum quasi quodam opportunitatis propriæ limbo circumpositis solennitatibus marginaretur. Explorante autem episcopo feruorem inchoationis, & maximè verente ne ob tardam populi sequacitatem paucioribus eductis obseruatio ipsa confestim in sui nouitate reuilesceret: ad Basilicam quæ nunc mœnibus vicinior erat ciuitatis, orationem primæ processionis indicit. Itur celebri alacritate, copiosa multitudine, & maxima compunctioe, ut reuera populi lachrymis laboribusque breuis atque angusta processio videretur. Vbi vero sanctus sacerdos de minorum Nota processum maiorem anstirurum est quo nunc primo, id est crastino si dominus annuit, die laboraturi sumus. Sequuntur sancti succiduo tempore quædam Ecclesiæ Galliarum rem tam probabilis exempli. Sic tamè quod hoc ipsum nõ apud omnes iisdem diebus quibus penes nos institutum fuerat, celebraretur. Nec porro magni intererat quod triduum eligeretur, dummodo psalmodiarum officia lachrymarum functionibus cernuis persoluerentur. Tamen cum dilectione rogationum etiam sacerdotum crescente concordia, ad vnum tempus, id est, ad præsentem dies vniuersalis obseruantia cura concessit. Porro autem eo attinuit ista præfari, ut seu recolentibus hæc seu ignorantibus forte retulimus, omnes tamen attendant quod Ecclesia, quæ misit aliis formam institutionis, multipliciter debet esse ostendendæ alacritatis: & prima debet esse compunctiois officio, quæ in re tam necessaria omnibus facta est mater exemplo. Vnde imminere si Deus annuit rogationum nostrarum operosissimam festiuitatem non quasi nescientibus indicimus, sed quasi expectantibus commendamus. Quia licet non absque labore constet seruanda

Bibl. Hom. tom. 3. L 2 profes



professionis ipsius consuetudo, delectat tamen asperitas medicaminis, in quo frequenter inueniri probata est spes salutis: si dixerimus inquam, sicut ait Apostolus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus. Et, si confiteri debemus assidue nos peccare, opus est confitendi officio, humilitate poenitendi, praesertim quum plebis aduatae compunctio sic ad incitamentum boni operis possit aptari, ut rebelles conuenientius erubescant, si cunctae multitudini propriae mentis solitudine contradicentes peccata sua vel vitia cum populo flente non desceant. Necessaria est igitur boni operis conspiratio. Sumit alter ex altero aut de humilitate exemplum, aut in confessione solatium, periculosus agitur singulare certamen, in quo vires altiuscens experiri posse paucorum est. At vero quum contra hostem communem multitudinis pugnat assensus, trahit etiam timidum militem virtus aliena. Robustis bellantibus infirmitas delitescit, & quodam vnitatis suffragio laus sit inualidis in exercitu fortium computari. Denique quum victoria contigerit, omnibus adquiretur: & quum paucorum dextra pugnaverit, omnium gloria triumphauit. Hec dico de infirmitate communi, quae si se rogantibus non subtrahat, etiam quum ipsa per se minus fecerit, non tamen ad integrum fructum carebit. In illa gloria & admodum singulari historia Ninivitarum contra exercitum commotae diuinitatis gaudium iuncta seniorum viribus etiam infantilis aetas pugnare compulsa est. Humani quoque mercedem & gratiam ieiunij peccatorum famas adauxit. Quin & ipsa irrationabilis creatura, quae offensam timere non potuit, quodammodo veniam postulauit: & quia homines in morem animalium viuendo peccauerant, rursus animalia sua quasi homines ieiunare coegebant. Propter hanc ergo discretionem in Euangelio Dominus ait: Petite & accipietis, quare & inuenietis, pulsate & aperietur vobis. Petere enim docti est, quare religio: Peti sciens, Quare nesciens. Quum peris, vis accipere quod intelligis: quum quaris, adhuc conaris inuenire quod petas. Ideo qui iam superiores sunt, oratio petant: qui infirmi, laborando quaerant. Porro autem pulsare commune est. Nullus quippe obstructum aditum vocibus pulsare: istud ad manus pertinet, & corporis actus est. Petat ergo scientia: quaerat amor: pulset operatio: maxime in obseruatione praesenti. Festiuitas siquidem est, cuius iocunditas tota est ferua grauitas: cuius epulae lachrymae, cuius pastus efuries est, cuius principium ex necessitate, perseverantia in dilectione, actus in requie, requies in labore. Mecum enim tota ista obseruantia confessio poenitendi pro culpa sit & rogandi pro venia. Etiam verò Evangelica lectio vtilitatem supplicationis exposuit: dum in naui Dominum dormientem chorus discipulorum sub tempestatis strepitu trepidus suscitaret. Neque porro aliud fuit in tanto repugnantium sibi inuicem fluctuum ventorumque conflictu sopitum profundius dominum nostrum interterrita quiete iacuisse, nisi ut ad eum inter discrimina quae patimur timoris nostri causa confugeret. Assiduo nos tempestas ista fatigat, impulsu terribili contra nos tonitruum saeculi clamat: scintillantibus ad punctum radiis mundana commotio non illuminat sed coruscet. Ecclesia est naus quae nos per varios casus velut inter marinos gurgites ducit, dum res quidem no-

stras obtrahantur & blasphemiarum stridor quasi laxata laterum compage reuerberat, sed puppim veritatis soliditate constructam penetrare non potest quod fatigat. Et quia promissit dominus noster Ecclesiae: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi, in naui quidem est in qua sumus: sed metuere iam non potest quod timeamus. Post resurrectionem enim ascensionemque suam totus inter pericula nostra requiescit. Alienae magis formidini opus est, ut qui securus iacebat euigilet. Clametur ergo vocibus supplicationis: & si ingrante periculo necdum audit, pulsetur manibus largitatis: & dicatur ei. Exurge, quare obdormis domine oblitus inopiae, & tribulationis nostrae? Dicitur est quidem expegetus. Cur timidi estis modicae fidei? Reddat salutem, & increpet infirmitatem & si parua fides est, quia timeamus saeculum, tamen est aliquantula fides, si curramus ad dominum. Non autem timeretur coram ipso, si ipse timeretur: sed minima conscientia recti, maxima causa trepidandi est in nostra praecipue vita, cui criminum continuatio sit discriminum multitudo. Quocirca si non diximus Christo, vigila nobiscum: saltem dicamus, euigila propter nos. Non rogauimus ne discederet, obuiamque ut redeat: nec deserat cursum navigationis infirmarum, donec vento & mari silentium iubeat, & furor infantis saeculi celesitero sine compestat: & fiat in retributione iudicij tranquillitas magna, quia in hoc mundo esse non potest. Quia si de mundo essetis, mundus quod suum erat diligeret. Sed deuotio mundo perueniatur ad supernam quietem: ubi quoniam possibilitas pereundi aberit: nec periculi causa nascetur. Vbi semper nobiscum Dominus, semper cum illo si dederit, nos erimus: & qui hic aliquoties negligentibus dormit, illic perpetuo fruuentibus sine fine vigilabit.

## CAESARII EPISCOPI

*Arelatensis de Litanis, Homil.*

**E**CCE fratres dilectissimi, dies sancti ac spirituales adueniunt, animae nostrae medicinales. Et ideo quicumque vult sanare peccatorum suorum vulnera, non despiciat medicamentum salubria. Ipse enim in his diebus non requirit medicum, qui se non sentit aegrotum. Et quis est (fratres dilectissimi) qui sic se in arena mundi istius gaudeat repugnare, ut nullum possit Diaboli vulnus excipere? Quis enim contra millia daemonum die nocturne ita stare potuit semper armatus, ut nunquam fuerit Diaboli calliditate percussus? Quis enim vel cogitare, non dicam: verum nec numerare praeualeat dolos, & insidias hostis antiqui, de quo scriptum est: Cui nomina mille, & mille nocendi artes. Et ideo, fratres charissimi, quomodo ipse ex omni parte nos semper vulnerate conatur, ita vnusquisque nostrum cum Dei adiutorio, contra illius insidias totis viribus praeparatur. Et quia non solum per dura, sed etiam per blanda contentidit elidere, & vulnera ab ipso inflata, non solum amara, sed (quod peius est) etiam dulcia frequenter excipimus, medicamenta spiritualia parata semper habere debemus. Audiamus ergo consilium beati Apostoli, & contra diaboli insidias armis nos spiritualibus muniamus: Sumite scutum

scutum fidei, lorica iustitiae & galeam salutis, & gladium spiritus, quod est verbum Dei. Quid enim mali a diabolo sustinere poterit, qui se talibus armis instruxerit? Cum surrexerit ille cum infidelitate, tu consurge cum fide. Ille pugnat cum superbia, tu cum humilitate. Ille exhibet luxuriam, tu retine castitatem. Apprehendit ille nequitiam, tu iustitiam tuam. Ille ingerit iracundiam, tu feritate patientiam. Ille immittit auaritiam, tu exerce misericordiam, ille gulam, tu abstinentiam. Similiter & in ceteris rebus semper contraria aduersus nequitas diaboli studeamus arma proponere, & nunquam nos poterunt illius machinamenta decipere. Ut ergo haec possimus (Deo auxiliante) complere, & hostem callidissimum (opitulante gratia diuina) renincere, & iuniorum, vigiliarum, vel orationum arma nobis debemus iugiter prouidere. Quae licet omni tempore necessaria esse praeceptur, praecipue in istis tribus diebus, quos regulariter in toto mundo celebrat Ecclesia, nullus se a sancto conuentu subducatur: nullus Ecclesiam quasi caelestis medici scholam occupatam terrenis actibus, derelinquat: nullus castra spiritualia deserat. Scientes enim (fratres charissimi) quia qui terreno regi militat, si se de acie pugnaturus timore compellente subtraxerit, non solum gloriam vel praemia parata non accipit, sed etiam praesentis vitae periculum non euadit. Qualis ergo est ille, qui terreni regis exercitum deserit, sine dubio talis iudicandus est & ille, qui in istis tribus diebus Christi Ecclesiam derelinquit. Quicumque ergo sine aliqua infirmitate, aut certa occupatione, in istis diebus Dei populum deseruerit, in illo caelesti regno non praemium, sed opprobrium, non gloriam sed ignominiam recepturum se esse nouerit. Et quidem talis quasi fugitiuus & desertor castrorum caelestium, aeternam consensionem & dignum meritum suis supplicium sustinebit. Sed absit (fratres charissimi) ut de vobis talia suspicemur: vnde timens hoc, potius quam de vobis sinistrum aliquid credens, praesumo suggerere: Magis enim de vestra deuotione confidens credo, velut apes prudentissimas ad alucarium Christi fideliter festinare, ut dulcedinem spiritualis mellis ex diuinis lectionibus possitis accipere, & cum Propheta dicere: Quam dulcia faucibus meis cloquia tua Domine, super mel & fauam ori meo. Et quia per totum annum (fratres charissimi) nobis peccatorum vulnera subrepunt, in istis tribus diebus fideliter ad ecclesiam curramus, & cōtrito corde vel humiliato corpore, Dei misericordiam deprecemur: ut omnium peccatorum nostrorum vulnera, isto triduo compunctionis medicamento ad sanitatem pristinam reuocemus. Nemo ergo sibi ex industria aliquas occupationes studeat prouidere, nemo se ociofis fabulis occupare, ne inde sibi vulnera faciat, vnde sibi parare medicamenta poterat. Nemo in istis tribus diebus aut sanguine tollat, aut potionem accipiat: nisi forte hoc infirmitas nimium periculosa compellat. Conuiniola nobis etiam quadragesimali ordine praeparemus, & magis legendo, psallendo, vel orando, animabus nostris spirituales epulas, quam corporales delicias requiramus, ut ad integrum Deo vacantes, & misericordiam illius suppliciter exorantes, & a cunctis infirmitatibus sanari, & a peccatis omnibus erui, & de tam frequenti inundatione aquarum mereamur

per Dei misericordiam liberari. Pro certo enim credere debemus (fratres charissimi) quia si peccata nostra cessarent, statim flagella nobis debita, diuina misericordia remoueret. Sic enim ipse per Prophetam permittere dignatus est, dicens: Conuertimini ad me, & conuertar ad vos: Et iterum: Cum conuersus ingemueris, tunc saluus eris. Conuertamur ergo ad meliora, dum in nostra potestate remedia, & pius ac misericordem dominum, quem peccando irritauimus, bonis operibus ad misericordiam prouocemus: ut ipse secundum suam consuetudinem, & aduersa repellere, & prospera nobis dignetur pro sua pietate concedere. Iterum atque iterum rogo, ut qui ad Ecclesiae alucarium (sicut iam dixi) quasi ad dulcissimi Christi fauam plena deuotione concurrunt, velut apes prudentissimae, de diuersis diuinarum scripturarum floribus intrare cellulas praepararent, ubi sancta & caelestia mella suscipiant. Qui verò & tardè veniunt, & citò discedunt, nec contenti sunt spectare, donec diuina Mytheria compleantur, non sunt inter Christi examina reputandi: quia non bonis moribus spiritualia mella conficiunt, sed per superbiam & contemptum & se impediunt & alios exemplo mala conuersationis euertunt. Et ideo, fratres charissimi, quicumque Dominum in veritate diligunt, & ad Ecclesiam citò veniunt, & tardè discedunt, perseuerent in opere bono, & ociofos vel seculares fabulas vel venenum mortiferum respicientes, magis psallere & orare conentur: & cōtemnentes amaritudinem mundi, in Ecclesia requirant, vnde accipiant dulcedinem Christi. Qui verò negligentis sunt, & ad Ecclesiam non solum tardè veniunt, sed etiam priusquam diuina mytheria compleantur, abscedunt, & in ipsa Ecclesia ociofis fabulis vacantes, nec ipsi psallunt, nec alios psallere vel orare permittunt: qui tales sunt, citò se corrigant: ne sibi in eo loco praeparent mortem, ubi inuenire poterat vitam. Ego quod meum est, admono, qui despiciat praecōnem, timeat iudicem. Dura quidem sunt medici ferramenta, sed sanos faciunt. Dulcia videntur mundi huius oblectamenta, sed malè decipiunt. Audite ergo me, fratres, rogaentem, audite paterna pietate admonentem: ut vobis Deus & in hoc saeculo sanitatem corporum, vbertatem fructuum, & peccatorum indulgentiam tribuat: & in futuro, ad aeterna praemia feliciter peruenire concedat. Sic ergo diuina pietas moderetur actus nostros, & animas gubernare dignetur, ut cum tempus retributionis aduenierit, & ego qui vos cum charitate admono, obtinere merear veniam, & charitas vestra pro benigna obedientia perueniat ad coronam, praestante domino nostro Iesu Christo, cui est honor & imperium in saecula saeculorum, Amen.

## PETRI CHRYSOL. EPISCOPI

*Ranenens. in superius Euang. de perseverantia orationis, Sermo.*

**P**ER se semper sibi diuina sufficiunt: sed ob hoc hominibus humanis frequenter insinuantur exemplis: quia caelestis prouidentia, non quid ipsa dicere, sed, quid auditor capere possit, attendit. Sic fons per tenues venarum primitus erumpit, meatus, atque angustis sensim serpit in rivulis, donec

Ephes. 6.

Tres litaniarum dies, vni uersa celebrat Ecclesia.

Eph. 1. 18.

Opera satisfactoria.

Virgilium.

Zac. 1. 4. &amp; 8.

Serm. 39.

donec digno successu in totam se fluuiorum latitudinem prorumpat, & valenter effundat. Et, vt vobis de nobis loquar, nato paruulo, mox coeuum pręparat succum natura, escam commutat in potum, & stupentes adhuc fauces, torpentelque internorum meatus, ad vsum solidioris cibi longa lactis infusione cõponit: sic nos dominus ad capiendã diuina, vernaculis erigit, & informat exemplis, dicendo; *Quis vestrum habebit amicum, &c.* O quã dare vult, qui se inquietari taliter, taliter patitur suscitari! O quã necessitatis esse suę, quod suę potestatis est, vult videri! O quam pulsanti iste gessit occurrere, qui sic secreti sui cubile ipsum collocauit ad ianuam! O quã negare noluit, qui sibi etiam neganti, qualiter extorqueretur, ostendit! O quã non ad ianuam tantum dominus, sed ipsa ianuã dominus fuit; **2o ad. 10.** Ego sum, inquit, ianuã; qui, dormientibus seruis, pulsantis necessitatem solus, & primus audiui! O quã pius, quã misericors, qui, quod mandatis docet, probat, & informat exemplis! Cũ facis, inquit, elemosynã, noli tuba canere. Et iterum, Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua. **Matth. 6.** *Quis vestrum habebit amicum, & ibit ad illum media nocte.* Parum est, quod facienti misericordiam nox velabatur, quod largitatem dantis, petentis obtegebat improbitas; nisi ad cumulum pietatis velandã, ascriberetur & somnus. Indicit in hac humanitate geminã necessitatis speciem petentis, & dormientis: vt illum petere hospes, dare cõpellat hunc somnus: vt pote qui propterea se daturum ei dicat in tempore, quod non occurrere amico, sed recurrere videatur ad somnum: & vt ei magis dormire liceat, quã dare liceat sic petenti. Quid plura? ecce pulsanti illi plus somnus quã somnus exitit suffragator. Nec otiosum reor esse, quod horam petendi sic aperit, sic designat, dicendo; *Quis vestrum habet amicum, & ibit ad illum media nocte?* Quasi non & prima, & secunda, & tertia hora noctis, cũ se sopor blandus dormientibus primum fundit in corpora, & visceribus diurno labore fessis dulcis, ac torus illabitur, molesta, & aspera sit inquietantis improbitas. Sed hoc tempus est, quod deuorum, & iuge pernoctantis demonstrat iudicium: hoc tempus est, quo inter pręteritos, & futuros labores ardēs animus, sed ad diuina, nil indulget corpori, nil quieti: sed, antequam finiar transacti diei opera, inchoat, & anticipat iam futuri. Ista satis hora est efficax impetrandi: hoc sciens propheta, ipsum tempus suę supplicationis asserit extitisse, cantando; Media nocte surgebam ad confitendum tibi. In hac hora vigilantibus semper sponfus ille cęlestis occurrit, qui dicit; Media nocte clamor factus est: ecce sponfus venit. Non potuit nõ impetrare, quod voluit, qui, vt reciperet hospitem, hospitem reficeret, totam sibi requiem denegauit. Aut quomodo sic petenti, sic pulsanti, non responderet ille, qui se in hospite suscipi confiteatur, cum dicit; Hospes fui, & suscepisti me. **Ibidem.** Estimo hoc dixisse pulsantem, aut fortẽ taliter conuenisse; feci, quod iussisti; red de, quod promissisti; tibi credidi dicenti; Nolite solliciti esse in crastinum. Vnde hesterni hospiti, quod apponere, non reliqui: si tibi ego sic habenti molestus sum, quanto mihi ille extitit molestior non habenti? & tamen ego illi excusate non potui quia tibi obedire contendi. Plus hic iuentis, quã

\* Forte, amor vel aliquid tale.

Psal. 118.

Matth. 15.

Ibidem.

Matth. 6.

non habentis verecundia nunc laborat. Hospes in domo est, & tu dormis? immo tu dormis, qui non dormis. Ego suscepi hospitem, nisi dedes panem, panem hospiti tu negasti. Merito sic pulsanti, petenti taliter, quorquor necessarios habuit, Euangelicus iste fecerator largitus est panes. Quid faciunt, qui se non in cubili, sed ipso collocant in sepulchro? qui se non somno, sed morti tradunt? quos gallus non commonet, Lucifer non suscitatur, sol ipse non reuocat, & producit ad lucem? Isti & tempus supplicandi, & hospitis mercedem, & ipsa diei opera perdidērunt. Contristamur, fratres, quando nos diluculo stamus ante dominum, & nobiscum nostros filios non videmus. Ille noctis medio sic pulsant, in cuius domo hospes venerat; rogo, tu quate non vel diluculo vigilas, cui est hospes in domo? quod ille gratiã, tu tribue vel pigritiã: quod ille humanitati, tu necessitati saltem, plus somni, quã tu amator, impende; certe vt possis vigilare ad vitam, qui dormis ad mortem. Quę sequuntur, auscultat; *Et ego dico, inquit, petite, & dabitur vobis, &c.* Sed dicis, esto, quod petere possim? pulsare quomodo potero cęleste secretum? quem admodum? iterando preces, & expectando iudicium largitoris, moras dantis patientissimẽ sustinendo; quia, quicunq; cũ semel pulsauerit, indignatur, mox si nõ fuerit auditus, iste non est petitor simplex, sed est imperiosus exactor. Audi Prophetã dicentem; Expecta Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum. Et, si iterum distulerit in futurum, tu dominum tuum patienter expecta. Vbi autem quid querere debeas, vis nosse? sunt diuitiã in sinu pauperis, & regnum cęlorum intra te est: Intra vos est regnum cęlorum, dicit dominus; **Luc.** Quis sit autem amicus, qui dormit, & qui est amicus, qui de via venit, & qui sunt pueri, qui dormiunt, & quis est iste, qui pulsat, & cur sub certo numero tres tantum postulat panes, cũ petiero, quęsero, pulsauero, & peruigil inquietator accipere meruero, vobis amicis mei domini non negabo. Sed dicetis mihi, ecce amicus domini tui venit ad te: iste dare, non accipere consuevit: hanc denique stiticiã de viatici sui copia pastor \* audis expleuit: vt de nostrę paupertatis vilissima preparatione gustaret, nec passus est intempesta nocte me sibi aliunde petere hospitium, locupletissimum quod habebat. Nec mirum, fratres, semper dare vult diues, ad pauperem cum declinat. Iste illius euangelici amici semper manet in ianuã: in istius cubili ille cum pueris suis largitor euangelicus perseuerat: in cuius corde Pater, & filius, & spiritus sanctus faciunt semper, & collocant mansionem. Quid plura? Pater est; ab ipso petere, in ipso querere, per ipsum pulsare me credidi, & ideo me vobis daturum, non incautus promissor asserui.

Psal. 118.

Luc.

Digredim. in laudat. in flum. q. p. qui al. diuertit. \* Forte. \* Idem.

BEDAE VENERABILIS presbyteri in superius Euang. expositio.

**E**t ait ad illos. *Quis vestrum habebit amicum, &c.* Rogatus à discipulis saluator non modo formam orationis, sed & instantiam frequentiamque tradidit orandi. Amicus ergo, ad quem media nocte venit, ipse Deus intelligitur. Cur in media tribulatione supplicare, & tres panes, id est, intelligentiam

Ex comm. in Lucam.

gentiam Trinitatis, qua presentis vitę consolentur labores efflagitare debemus. Amicus, qui venit de via, ipse noster est animus, qui toties à nobis recedit, quoties ad appetenda terrena, & temporalia foris vagatur. Redit vero, cęlestiq; alimonia refici desiderat, cum in se reuersus superna cęperit, ac spiritalia meditari. De quo pulchre, qui petierat, adiungit, non se habere, quod ponat ante illum. Quoniam animę post sæculi tenebras Deum suspiranti, nil præter eum cogitare, nil loqui, nil libet intueri, solũ quod recognouit summę trinitatis gaudium contemplari, atq; ad hoc plenius intruendum peruenire satagit. *Et ille deintus dicat: Noli mihi molestus esse, &c.* Ostium amici, diuini est intelligentia sermonis, quod sibi Apostolus orat aperiri ad loquendum mysteriũ Christi. Clausumque est tempore famis verbi, cum intelligentia non datur. Et illi, qui euangelicam sapientiam tanquam panem erogantes per orbem terrę prædicauerunt, pueri patris familias iam sunt in secreta quiete cum domino. Et tamen orando efficitur, vt accipiat desiderans intellectum ab ipso Deo, etiam si homo desit, per quem sapientia prædicetur. *Et ille si perseuerauerit pulsans, &c.* Comparatio est à minore. Si enim amicus homo surgit de lecto, & dat non amicitia, sed tædio compulsus, quanto magis dat Deus, qui sine tædio largissime donat, quod petitur? Sed ad hoc se peti vult, vt capaces donorum eius fiant, qui petunt. Ne itaq; de via veniens amicus inedia disperat, hoc est, ne nuper animus ab erroris sui vanitate respiscens, desiderij spiritalis diutius inopia tabescat, petamus epulas verbi quibus alatur, quæramus amicum, qui der, pulsemus ostium, quo seruantur absconse. Magnam enim spem dedit & dat ille, qui promittendo non decipit. *Omnis enim (inquit) qui petit accipit, &c.* Ergo iuxta præmissam postulantis amici parabola perseuerantia opus est vt accipiamus, quod petimus, & inueniamus, quod quærimus, & quod pulsamus, aperiatur. Nam, si petenti datur, & quærens inuenit, & pulsanti aperitur, ergo cui non datur, & qui non inuenit, & cui non aperitur, apparet, quod non bene petierit, quæserit, pulsauerit. *Quis autem ex vobis patrem petit panem, nunquid lapidem dabit illi?* Panis intelligenti charitatis propter maiorem appetitum, & tam necessarium, vt sine illa cetera nihil sint, sicut sine pane mensa inops. Cui contraria est cordis duritia, quam lapidi comparauit. *Aut si piscem, nunquid pro pisce serpentem dabit illi?* Piscis est fides inuisibilem, vel propter aquam baptismi, vel quia de inuisibilibus locis capitur. Quod etiam fides huius mundi fluctibus circumlata non frangitur, recte pisci comparatur. Cui contrarium posuit serpentem, propter venena fallacię, quę etiam primo homini male suadendo præseminauit. *Aut si petierit ouem, nunquid porriget illi scorpionem?* In ouo indicatur spes. Ouum enim nondum est fetus perfectus, sed fouendo speratur. Cui contrarium posuit scorpionem, cuius aculeus venenatus retro timendus est, sicut spei contrarium est retro respicere, cum spes futurorum in ea, quę ante sunt, extendat. *Si ergo vos cum sitis mali, &c.* Quomodo mali dant bona? sed malos appellauit dilectores adhuc sæculi huius, & peccatores. Bona vero, quę dant secundum eorum sensum bona dicenda sunt, quia hæc pro nobis habent, quan-

quam & in rerum natura ista bona sint, sed temporalia, & ad istam vitam infirmam pertinentia, & quisquis ea malus dat, non de suo dat. Domini est enim terra, & plenitudo eius, qui fecit cælum, & terram, mare, & omnia, quę in eis sunt. Quantum ergo sperandum est daturum Deum nobis bona petentibus, nec nos posse decipi vt accipiamus aliud pro alio, cum ab ipso petimus, quando nos etiam, cum simus mali, nouimus id dare, quod petimur? Non enim decipimus filios nostros, & qualiacunq; bona damus, non de nostro, sed de ipsius damus. Aliter. Apostoli, qui electionis merito bonitatem generis humani multis exceßerant modis, supernę bonitatis intuitu mali esse dicuntur. Quia nihil est per semetipsum stabile, nihil immutabile, nihil bonum, nisi deitas sola. Omnes vero creature vt beatitudinem æternitatis, vel immutabilitatis obtineant, non hoc per suam naturam, sed per creatoris sui participationem, & gratiam consequuntur. Quod vero dicitur, *Quanto magis pater vester de celo dabit spiritum bonum petentibus se,* pro quo Mathæus posuit; Dabit bona petentibus se, ostendit spiritum sanctum plenitudinem esse bonorum Dei, & ea, quę diuinitus administrantur, non alia absq; ea subsistere. Quia omnes vtilitates quę ex donorum Dei gratia suscipiuntur, ex isto fonte emanant.

EIVSDEM IN IDEM Homilia.

**R**ogatus à discipulis saluator, non modo formam orationis, sed & instantiam frequentiamque tradidit orandi. Amicus ergo, ad quem media nocte venit, ipse Deus intelligitur, cui in media tribulatione supplicare, & tres panes, id est, intelligentiam trinitatis, qua presentis vitę consolentur labores efflagitare debemus. Amicus qui venit de via, ipse noster est animus, qui totiens à nobis recedit, quotiens ad appetenda terrena & temporalia foris vagatur. Redit ergo cęlestique alimonia refici desiderat, cum in se reuersus superna cęperit ac spiritalia meditari. De quo pulchre qui petierat, adiungit, non se habere quod ponat ante illum, quoniã animę post sæculi tenebras Deum suspiranti nihil præter eum cogitare, nihil loqui libet, intueri solum quod recognouit, summę trinitatis gaudia contemplari, atque ad hoc plenius intruendum peruenire satagit. Et ille deintus respondens, dicat, *noli mihi molestus esse, iam ostium clausum est, & pueri mei mecum sunt in cubili, non possunt surgere & dare tibi.* Ostium amici, diuini est intelligentia sermonis: quod sibi Apostolus orat aperiri ad loquendum mysterium Christi: clausumque est tempore famis, cum intelligentia verbi non datur. Et illi qui euangelicam sapientiam tanquam panem erogantes, per orbem terrę prædicauerunt, pueri patris familias, iam sunt in secreta quiete cũ domino, & tamen orando efficitur vt accipiat desiderans intellectum ab ipso Deo, etiam si homo desit, per quem sapientia prædicetur. *Et ille si perseuerauerit pulsans, dico vobis: & si non dabit illi surgens, eo quod amicus eius sit, propter improbitatem tamen eius surget, & dabit illi quotquot habet necessarios. Et ego dico vobis: Petite, & dabitur vobis: querite, & inuenietis: pulsate & aperietur vobis.*

Comparatio est à minore. Si ergo amicus homo surgit de lecto, & dat nō amicitia sed tædio compulsius, quanto magis dat Deus qui sine tædio largissime donat quod petitur? Dominus etenim saluator noster ad caelestis regni gaudia nos petere desiderans, & nos eadem gaudia à se petere docuit, & nobis petentibus se hæc daturum esse promisit. *Petite, inquit, & dabitur vobis: quærite, & inuenietis; pulsate, & aperietur vobis.* Quæ nobis sunt verba domini nostri, fratres charissimi, magnopere ac toto ex corde pensanda, quia videlicet regnum caelorum non ociosis & vacantiibus, sed petentibus, quærentibus, & pulsantibus dandum, inueniendum, & aperiendum esse testatur. Petenda est ergo ianua regni orando, quærenda recte viuendo, pulsanda perseverando. Non enim sufficit verbis tantummodo dominum rogare, si non etiam quæserimus diligentius qualiter nobis sit viuendum, vt digni simus impetrare quæ poscimus, ipso attestante qui ait: *Non omnis qui dicit mihi domine domine, intrabit in regnum caelorum, sed qui facit voluntatem patris mei qui in caelis est, ipse intrabit in regnum caelorum.* Neque aliquid prodest bona inchoasse, si non quisque studeat ea quæ bene inchoauerat, vsque ad finem firmum perducere; quin imò melius erat nō cognoscere viam iustitiæ, quam post cognitionem retrosum conuerti. Vnde necesse est, fratres mei, vt petamus seduli, sine intermissione oremus, procidamus ante Deum, ploremus coram domino qui fecit nos: & vt exaudiri mereamur videamus solliciti qualiter nos viuere velit, quid nos facere iusserit, qui fecit nos. *Quæramus dominum, & conformemur, quæramus faciem eius semper: & vt hunc inuenire ac videre mereamur, mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus, quia non nisi casti corpore in die resurrectionis ad caelos subleuari, non nisi mundi corde gloriam valent diuinæ maiestatis intueri. Pulsemus infatigabili desiderio aeternæ beatitudinis aures pij conditoris, nec deficiamus à cæptis, priusquam illo horum de carcere mortis huius mudi eripi ac portam mereamur caelestis patriæ ingredi. Nemo sibi blandiatur de innocentia, nullus suis fidens actibus quasi qui misericordia iusti iudicis non egeat à precibus cesset: quin potius etiã cum se aliquid boni quis egisse cognouerit, quia, qua hic districtione iudicetur ignorat, tremens cum Propheta clamer: Ne intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Et cum beato Iob: Si iustificare me volueris, os meum condemnabit me. Si innocentem ostendero, prauum me comprobabit: memor semper illius apostolici sermonis, quia si confiteamur peccata nostra, fidelis & iustus est, vt remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate. Si dixerimus quoniam non peccauimus, mendacem facimus Deum, & verbum eius in nobis non est. Neque rursus quispiam considerata peccatorum suorum qualitate seu quantitate, à petenda venia mentem desperando reuocet, neminem visa suorum putredo vulnerum, sui magnitudo languoris à salute quærenda retrahat. Præbeat magnam obtinendæ sanitatis fiduciam, quod ipse conditor noster, medicus nobis fieri, ipse ad nos venire in carne, ipse infirmitates nostras suscipere vt sanaret, dolores nostros vt auferret portare digna-*

Math. 4.

2. Pet. 2. Psal. 24.

Psal. 142.

Iob 9.

1. Ioan. 1.

Ibidem.

tus est, ipse suum pro nobis sanguinem fudit, suã pro vita nostra mortem obtulit, ipse magnis peccantium admisis magna penitentia remedia ostendit, dicens per præcursores suos: *Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere à ventura ira? Facite ergo fructus dignos penitentia.* Et paulo post inquit: *Qui habet duas tunicas, det non habenti: & qui habet escas, similiter faciat.* Ipse leuioribus quotidianisque nostris erratibus, sine quibus hæc vita transigi non potest, quotidiana confessionis & intercessionis mutua medicamenta concessit, dicens per apostolum Iacobum: *Confitemini alterutrum peccata vestra, & orate pro inuicem vt saluemini.* Ipse rogari vt præstet amat, qui animos inopum ad se rogandum largus donator erigit. *Omnis, inquit, qui petit accipit, & qui quærit inuenit, & pulsanti aperietur.* Non ergo dubitandum quod petentes accipimus, quærentes inuenimus, pulsantibus nobis aperietur, quia nimirum fallere nō potuit veritas, quæ promisit. Sed hoc est vigilantius intuendum, quia non omnes qui coram hominibus orare videntur, in conspectu æterni arbitri petere vel quærere, vel caelestis regni aditum pulsare probantur. Neque enim Propheta dicit: *Prope est dominus omnibus inuocantibus eum in veritate, si non aliquos dominum inuocare, sed non in veritate cognosceret.* Inuocant quippe dominum in veritate, qui in hoc quod orando dicunt, viuendo non contradicunt. Inuocant dominum in veritate, qui suas ei preces oblati, primo iussa illius implere satagunt, qui dicturi ei in oratione, Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, illud eius mandatum impleuerunt quod dicit: *Et cum stabitis ad orandum, remittite si quid habetis aduersus aliquem, vt & pater vester qui in caelis est dimittat vobis peccata vestra.* Vnde & de talibus apte Propheta subiungit: *Voluntatem timentium se faciet, & orationes eorum exaudiet, & saluos faciet eos.* Illi itaque in veritate dominum inuocant, qui eum timere comprobantur. Horum ipse cum clamauerint orationes exaudiat, horum cum ad se suspirauerint pia desideria perficit, hos cum de hac vita transferint, ad salutem sustollit æternam. At contra sunt qui dominum, sed non in veritate inuocant, quos redarguens Iacobus, ait: *Petitis & non accipitis, eo quod male petatis.* Male namque petunt, qui perseverantes in peccatis pro eidem peccatis quæ ipsi minime dimittunt, vt sibi à domino dimittantur impudenter exorant, quales ipse per Elaiam reprobatur dicens: *Et cum exderitis manus vestras, auertant oculos meos à vobis. Et cum multiplicaueritis orationem, non exaudiam: manus enim vestra sanguine plene sunt. Quibus adhuc consulendo quæ ratione possint impetrare, quæ poscerent, ostendit cum subdit: *Lauamini, mundi estote, auferete malum cogitationum vestrarum ab oculis meis.* Male petunt, qui vocem domini inberitis audire obtemperando contemnunt, & nihilominus dominum suam vocem supplicantium exaudire miserando desolant. Quos ipse repellens in euangelio loquitur: *Quid autem vocaris me domine, domine, & non facitis quæ dico? De quibus & Salomon in proverbiis: Qui declinat, inquit, aurem suam ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis.* Male petunt, qui non supernæ mercedis intuitum,*

Luc. 2.

Ibidem.

Iacob. 1.

Psal. 44.

Math. 6.

Mat. 11.

Psal. 144.

1. Iacob.

Esai. 1.

Ibidem.

Luc. 6.

Prover.

intuitum, sed ad exemplum Pharisæorum humanæ gratia laudis, longis incumbant precibus. De quibus ipse testis & iudex terribiliter protestatur: *Quia receperunt mercedem suam.* Male petunt & illi, qui terrena magis in oratione, quam caelestia bona requirunt, quorum preces apostolus in ipsa de qua loquimur sententia, specialiter reprehendit. Cum enim dixit, *Petitis & non accipitis, eo quod male petatis, adiunxit continuo, vt in concupiscentiis vestris insumatis.* Neque autem prohibentur ciues patriæ caelestis in terra peregrinantes, pro pace temporum, pro salute corporum, pro vbertate frugum, pro serenitate aurarum, pro cæteris huius vitæ necessariis dominum petere, si tamen hæc non nimie petantur, & si ob id solummodo petantur, vt abundante viatico in præsentia, liberius ad futura dona tendatur. Sed quia sunt, qui temporalem quietem & prosperitatem à suo creatore requirunt, non quidem vt eidem creatori deuotionibus animis obediunt: sed vt abundantius comestationibus, & ebrietatibus vacent, & securius ac licentius suis concupiscentiis, suæ carnis seruiani illecebris, merito tales male petere dicuntur. Verum quia omnes huiusmodi petitores, eo quod male petant, accipere non merentur, studeamus dilectissimi & bene petere, & digni obtinere quæ petimus existere. Quod ita fit, si & ea quæ Deus iussit orando quærimus, & quales ipse nos fieri docuit, tales ad orandum procedimus, & intenti in precibus donec impetremus insistimus. Si autem scire cupimus quæ ipse nos petere velit, audiamus illud euangelicum: *Quærite primum regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis.* Regnum autem Dei & iustitiam eius quærere, est caelestis patriæ dona desiderare, & quibus iustitiæ meritis ad hæc perueniri debeat, indefinenter inquirere: me si à via forte quæ illò ducit, aberremus, peruenire quo nitimur minime queamus. Quod ita verba Domini & saluatoris nostri, quibus nos de exemplo terreni parentis ad rogandum Deum patrem hortetur, diligenter inspicimus, citius agnoscamus quæ sit maxime iustitia, quæ iter nobis regni caelestis aperiat. *Quis, inquit, ex vobis patrem petit panem, nunquid lapidem dabit illi? Aut piscem, nunquid pro pisce serpentem dabit illi? Aut si petierit ouem, nunquid porriget illi scorpionem?* Aperta etenim est comparatio hæc, & cunctis audientibus ad intelligendum facilissima, quia si homo quilibet mortalis ac fragilis, & peccati adhuc carne grauatus, petentibus se filiis quos diligit, quæ habet bona quamuis terrena & fragilia dare non denegat, multo magis pater caelestis petitoribus suis suo timore & amore præditis, non defectiua in caelis bona largitur. Sed iuxta typicam intelligentiã panis dilectionis significat, quia sicut ille principalis est cibus, ita vt sine eo mensa inops videatur, ita hæc principalis est virtus, ita vt sine illa virtute reliquæ spirituales virtutes esse nequeant. Quia nimirum quicquid boni agitur, in sola dilectione perficitur. Vnde dicit apostolus, quia si linguis hominum loqueretur & angelorum, & si haberet prophetiam, & nosset mysteria omnia, & omnem scientiam, & si haberet omnem fidem, ita vt montes transferret, & si distribueret omnes facultates suas in cibos pauperum, & si traderet corpus suum ita vt arderet, charitatem autem non haberet, ni-

Math. 6.

Iacob. 4.

Math. 6.

1. Cor. 13.

hil ei prodesset. Charitas autem vera est, qua dominum ex toto corde, tota anima, tota virtute, & proximum tanquam nosipsum diligere præcipitur. Nec tantum proximis & amicis, verum etiã inimicis perfectus quisque beneficium dilectionis impendere debet, domino dicente: *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos.* Orate pro persequentibus & calūniantibus vos, vt sitis filij patris vestri qui in caelis est. In pisce autem fides nō ficta exprimitur. Quomodo enim piscis sub regimento aquarum nascitur, viuit, & alitur, sic & fides quæ in Deum est, quæ alterius vitæ gaudia per lamenta præsentia sterusque requirit, inuisibiliter in corde gignitur, inuisibili gratia spiritus per aquam baptismatis consecratur, inuisibili auxilio diuinæ protectionis ne deficiat nutritur, inuisibilem præmiorum intuitu quæque valet bona operatur, memor illius apostolici: *Quia quæ videntur, temporalia sunt: quæ autem nō videntur, æterna sunt.* Possumus & hoc dicere, quia piscis in eo si dei typum teneat, quod sicut ille crebris maris fluctibus tunditur nec perimitur, ita fides firma quantilibet aduersantis pressuris mundi impugnetur, inconuulsa persistat: imò etiam de certamine gloriosior existat, adiuuante illo qui missis ad predicanda eiusdem fidei dona discipulis ait: *In mundo pressuram habebitis, sed confidite, ego vici mundum.* Porro per ouem, spei nostræ certitudo figuratur: quia in ouo nondum foetus cernitur, sed futura auis factus speratur. Et fideles quique nec dum id præsentis supernæ patriæ gloriam quam credunt intuentur, sed futuram sperant præstolantur. Vnde dicit apostolus: *Si autem quod non videmus speramus, per patientiam expectamus.* Hæc igitur sunt, fratres charissimi, bona quæ principaliter à domino petere, hæc iustitia regni Dei, quam ante omnia quærere debemus, fides videlicet, spes, & charitas, quia scriptum est: *Iustus ex fide viuuit.* Spetates autem in domino misericordia circumdabit, & plenitudo legis est dilectio. Omnis enim lex in vno sermone impletur. *Diliges enim proximum tuum sicut teipsum.* Et iterum: *Dilectio proximi malum nō operatur.* Non est autem metuendum, ne si gratiam dilectionis à domino pia deuotione quæramus, si intimo ex corde dicamus, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, ille cor nostrum rigore odiorum constringi permittat.* Hunc etenim rigorem per duritiam lapidis insinuat, cum dicit: *Quis autem ex vobis patrem petit panem, nunquid lapidem dabit illi?* Non est formidandum, ne si fortitudinem fidei cõtra hostis antiqui tentamenta precemur toto ex corde dicentes, *Domine auge nobis fidem, ille nos infidelitatis sinar interire venenis.* Iure enim nomine serpentis virus infidelitatis, quod per ipsum generi humano aspersum est, exprimitur, cum dicitur: *Aut si piscem petit, nunquid pro pisce serpentem dabit illi?* Non est timendum, ne si spem caelestium bonorum, per quam præsentia, aduersa simul & prospera contemnere possimus, à domino postulemus, ille auditum auertat, ac nos desperatione futurorum retro respicere, id est, ea quæ relinquimus, pariat labentis seculi commoda virulenta requirere. Recte namque immutatio boni propositi nociua, & concupiscentiæ carnalis repetitio veneno scorpionis, quod retro, id est, in cauda gestat, comparatur cum dicitur: *Aut si petierit ouem,*

Deuter. 6. & Math. 22.

Math. 3.

2. Cor. 4.

Ioan. 16.

Rom. 8.

Psal. 31.

Abac. 2.

Rom. 1.

Rom. 13.

Ibidem.

Luc. 17.

ouem,

ouum, nunquid porriget illi scorpionem? Hæc itaque petamus à domino, charissimi, vt scilicet alimentum nobis puræ charitatis, synceræ fidei, certæ spei tribuat, vt duriciam odiorum, vt perfidiam virum, vt aculeum nobis desperationis, qui ad caduca retrahere solet auferat, & absque vlla dubietate quod petimus accipiemus. Ait enim veridica voce Ioannes Apostolus: quia quæcunque petierimus secundum voluntatem eius, audit nos. Sed & ipse dominus certam nobis fiduciam dat impetrandi quæ recte petimus, cum subiungit: Si ergo vos cum sitis mali, nostris bona data dare filijs vestris, quanto magis pater vester de celo dabit spiritum bonum petentibus se? Malos autem vocat discipulos, qui vtique quantum ad humanum spectat iudicium, boni erant: quia nimirum nemo est, qui in hac vita à cunctis valeat immunis esse delictis, **Ecles. 7.** Salomone affirmante qui ait: Quia non est homo iustus in terra, qui faciat bonum & non peccet. Vnde prouide dominus, qui grauius peccatum reatibus grauiora poenitendi medicamenta demonstrat, ipse quotidianos electorum erratus, qui verbo maxime vel cogitatu cōtingunt, quotidianis orationum studiis docet debere curari, quos inter alias sic orare præcipit: Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Vel certe malos appellat discipulos, quia in comparatione diuinæ bonitatis omnis creatura mala esse probatur, dicente domino, Nemo bonus, nisi vnus Deus, cum tamen participatione eiusdem diuinæ bonitatis rationalis creatura bona fieri posse cognoscitur. Vnde & dominus pia promissione testatur, quia pater de celo dabit spiritum bonum petentibus se: vt profecto ostendat, quia qui ex seipsis mali sunt, per acceptam spiritus gratiam boni possunt effici. Spiritum bonum petentibus dandum à patre pollicetur, quia siue fidem, spem, charitatem, siue alia quælibet bona cælestia desideramus adipisci, non aliter nobis hæc quam spiritus sancti donum tribuuntur. Hinc **Psal. 11.** est enim quod idem spiritus in Esaia, spiritus sapientia & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientia & pietatis, spiritus timoris domini, & in alio loco spiritus dilectionis & pacis, spiritus gratia & precum nominatur: quia nimirum quicquid boni veraciter habemus, quicquid boni agimus, hoc eodem spiritu largiente percipimus. Quod intelligēs propheta cum cordis mundiciam quæreret, dicens, Cor mundum crea in me Deus, continuo subiunxit: Et spiritum rectum innoua in visceribus meis. Quia si nō interiora nostra spiritus domini rectus impleuerit, cor in nobis mundum vnde sit non habet. Cum operis boni profectum concupiscens dixisset: domine ad te confugi, doce me facere voluntatem tuam, statim quo hunc ordine consequi deberet ostendit, cū subdidit. Spiritus tuus bonus deducet me in viam rectam. Cuius vestigijs iuxta modulum nostrum, fratres dilectissimi, adherentes, petamus Deum patrem, vt spiritus sui gratia nos in viam rectæ fidei, quæ per dilectionē operatur, inducat. Et vt optata mereamur obtinere, taliter viuere studeamus, ne tanto patre simus indigni, quin potius mysterium regenerationis, quo in baptisate filij Dei sumus effecti, illibato semper corpore pariter & mente seruemus. Certum nanque est, quia si summi patris mandata sectamur, remunerabit nos hæreditate sempiternæ be-

nedictionis, quam nobis ante secula parauit, per dominum nostrum Iesum Christum, qui cum eo viuuit & regnat Deus in vnitatem spiritus sancti per omnia secula seculorum, Amen.

S. TITI BOSTRORVM  
Episcopi eiusdem Euang. expositio.

**Q**uis vestrum habebit amicum, &c. Hæc per modum parabolæ proponuntur, ne ignaui, negligenti que animo precationi insistamus; nēue, si prima fortē oratione fusa, auditi non fuimus, secundam statim, tanquam quæ nullum nobis operæpretium adferre queat, auersemus, insulsè aliquid istiusmodi animo pertractantes. En sepe numero iā accessi, lachrymans sum, obstertatus sum, nihil vnquam hæcenus consecutus sum. Non ita nos ratiocinari decet; cogitemus potius vniuersorum dominum peculiarem nostri curam habere; quidque de re nostra sit, ad eoque quid concedere conueniat, probè nosse. Adde his, si lubet, hos ea frequenter petere; quæ modulum nostrum multis partibus excedunt. Hæc igitur, aliæque similia animo versantes, orationi impigrit incumbamus, in eaque constanter perseueremus. Etenim quæ citra sudorem obtingunt, vel ex parato subministrantur, ea, vt non contemnantur, certè minoris plerunque sunt. Cum enim dicit: *querite, laborem; cum verò, pulsate, constantiam, & quandam importunitatem iniungit.* E rebus igitur, quæ apud nos receptæ sunt, quod vile est, venari discit, quæramus, pulsemus, & importunè insistamus. *Et ibi ad illum media nocte.* Hoc propter eos adfertur, qui circa vitæ catastropham peccatorum, quæ admiserunt, sensum capiunt, si eoque ad Christum sese adiungunt. Huc enim elementis domini tendit oratio: *Amice commoda mihi tres panes.* Amicus, cuius ostium pulsatur, est dominus, & Deus, & Seruator noster Iesus Christus, qui omnes diligit, omniumque etiam eorum, qui in ipsum necdum credunt, salutem sitit. Per tres autem panes, fidem in Patrem, & Filiū, & Spiritum sanctum designat. Siquidem trium horum inuocatione sacrosanctæ, hominifæ, & viuificæ Triados constat professio. *Amicus meus venit de via ad me.* Per amicum, qui de via hospitij causa diuertit, Angelum, vel Angelos, qui circa vitæ finem accedunt, vt nos secum assumant, haud incommodè accipere possumus. Amat enim nos ipsi quoque, de que salute nostra lætitiæ materiā hauriunt; notum est enim illud Christi: gaudiū est in celo, &c. *Pueri mei mecum sunt in cubili.* Per pueros in cōclauio quiescentes, describit conuersos, vt pueros, cuiusmodi sunt, qui simplici corde Euangelio credunt, atque ob id idonei habiti, qui pacatè cum Christo quiescant. *Qua de re Saluator alicubi ita ait:* Multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham & Isaac, &c. *Propterea improbitatem tamen eius surget.* Improbitatis, vel impudentiæ nomine, hoc loco constantem prolixamque in oratione perseuerantiam designat.

IN

IN LITANIIS, ET DE IEIUNIIS  
Niniuitarum incerti authoris,  
prout habetur in Homiliario Alcuini,  
Homilia.

**L**egimus in prophetis, cum Niniue ciuitati subuersio diuinitus immineret, & iuxta sententiam Dei, destruendi illam tempus ingrueret, consistentes in ea aliud non habuisse præsidium, nisi vt abiectis crapulosis epulis, ieiunia cōtinuatæ susciperent, & diuitiarum ambitione fessitata, humilitate se paupertatis induerent, scilicet vt exinde remedium perciperent, vnde iis perditio contingebat, hoc est, vt iram diuinitatis, quam luxuriando prouocauerant, abstinendo lenitent, & offensam, quam in eos superbia contraxerat, humilitas mitigaret. Dicitur enim in illa tribulatione ipse rex deposita imperiali purpura, regali ambitione submota, membra sua cilicio præcinxisse, atque in sacco se diebus ac noctibus volutasse. Sapiens ergo rex, qui sciret quemadmodum aduersa sibi superare deberet. Hostes enim virtute superabat, Deum autem humilitate vincebat. Sapiens planè rex, qui intelligeret, quibus armis vteretur pro temporis qualitate: cum enim insidiabant illi homines apprehendit arma bellica: cum irascitur ei Deus, corripit arma iustitiæ. Sapiens inquam rex, qui pro salute ciuium peccatorem se magis confiteretur esse, quam regem. Obliviscitur enim se regem esse, vbi Deū regem omnium pertimescit: nec potentia suæ meminit, vbi potentiam diuinitatis agnoscit. Obliviscitur ergo se regem esse, dum proicit purpuram, dum diadema deponit, cilicio autem vestitur & sacco, ieiunijs perseuerat, orationibus immoratur. Mirares: dum se regem hominum esse nō meminit, rex incipit esse iustitiæ. Religiosus igitur princeps non perdidit imperium, sed mutauit: principatum enim antè militaris disciplinæ tenuit, nunc cælestium disciplinarum obtinet principatum. Non, inquam, perdidit imperium, quia siue ferro, siue iustitia pro ciuium salute primus inuigilar: primus planè inuigilar: quia vt tota ciuitas ieiunaret, famem sibi rex primus indixit, & solus omnium causa prior cepit esurire, quam miles: necesse enim erat, vt qui potentior cunctis fuerat, deuotior fieret vniuersis. Exemplo igitur suo præparat religioni exercitum, non armis, sed sola deuotione munitum: inbet omnem sexum, omnem ætatem à diurnis epulis abstinere, addit religioso exercitui numerus, cum in tali deuotione etiā infantia militare compellitur: pietas enim esse creditur in tali causa, paruulis quoque cibi substantiam denegare: non enim sufficiebat ad placandum Deum peccantium satisfactio, nisi seniorum quoque peccata paruulorum innocentia deploraret, & steribus alienis delicta sua iuuentus ablueret. Ista autem, fratres, omnia in commonitionem nostri facta esse nemo est qui nesciat, vt quotiescunque tribulationibus perurgemur, ad hæc præsidia concurramus: vt putā, aduersarius imminet, inimicus in promptu est, ieiunemus, & vincamus. Soleat quidam homines, quotiescunque necessitate arduam nimis patiuntur, ad proximas gentes auxilij causa destinare legatos: nos, quod est melius, legationem ad Deum per ieiunia destinemus: ab ipso imploremus auxilia, ad

ipsum nos corde & orationibus conferamus: auxilium enim illi non aliunde rogando petierunt, sed de suis ieiunando visceribus exegerunt. Cur ergo petat ab altero, qui intra se potest inuenire, quod querit: quanto enim Deo viciniore fuerimus, tanto aduersarij nostri à nobis longius repellentur. Oporteret igitur nos proximos fieri Deo, quoniam dicit propheta: Ecce, qui elongant se à te, peribunt. Quod si à Deo qui longè sunt, peribunt, vtique qui sunt proximi saluabuntur: aliter ergo proximi Deo esse nō possumus, nisi ad eum ieiunijs, orationibus, & elemosynis propinquemus. Deus enim ipse misericors, ieiunus, & sanctus est: atque idè qui vult proximus Deo esse, debet imitari hoc esse, quod Deus est. Tota igitur in tribulatione Niniuitarum ciuitas ieiunauit, benè dixit, tota: non solum enim senes, iuuenes & infantes, sed etiam pecudes legimus ieiunasse, Mira res: ieiunat pro ciuitatis peccato, quem peccati conditio non constringit. Vnde & nos, fratres, te mporum angustias sustinentes, omnes pariter ieiuna: debemus, & misericordiā Dei cunctorum abstinentia deplorare: nem quale sit hoc, Christianum pro salute sua non facere, quod pecudes pro hominum salute fecerunt: nisi quod stolidior pecude est, qui indico, pro se à sacerdote ieiunio non ieiunat: nōne enim pecus est, qui non intelligit, quid illi imminet, quid incumbat? & pecus quidē vidēs declinat foueam, cauet præcipitia: tu autē non vis ieiunādo periculū declinare, quod cernis? desperationis enim genus est, tūc te māducate, cum abstinere debeas: tūc gaudere, cum debeas deplorare. De hac desperatione Apostolus dicit, quod à nobis auertat Deus: Manducamus, & bibamus: cras enim moriemur. Ieiunemus ergo fratres, sine intermissione, vt hostes nostros orationibus, & abstinentia superare possimus.

HAYMONIS EPISCOPI  
Halberst. superioris Euang. expositio.

**Q**uis vestrum habebit amicum & ibi ad illum media nocte, &c. Narrat superius euangelista, quod erat Iesus in quodam loco orans, & vt cessauit, dixit vnus ex discipulis eius ad eum: Domine, doce nos orare, sicut Ioannes docuit discipulos suos. Et dixit eis: Cum oratis dicite: Pater noster, qui es in cælis, sanctificetur nomen tuum. Et paulò post dixit hoc, quod modò audiimus. *Quis vestrum habebit amicum, &c.* Rogatus enim à discipulis suis saluator noster, & verbum orandi tradidit, & perseuerantiam orandi per comparationem monstrauit omnibus in se credentibus. Per amicum, ad quem media nocte itur, ipse Deus intelligitur, cuius amici efficiuntur, quando voluntati eius paremus, iuxta illud: Vos amici mei estis, si feceritis, quæ præcipio vobis. Per mediā noctem, tribulatio, vel ignorantia exprimitur. Per tres panes fides sanctæ trinitatis designatur, per amicum verò, qui ad nos venit de via, noster animus intelligitur. Quotiens à nobis recedit, torrens ista terra, & caduca fortis inquiri. Qui tunc ad nos reuertitur, & de spirituali cibo satiari desyderat: quando in se reuersus solummodò quæ spiritualia, & cælestia sunt desyderat. Quando ergo amicus, id est animus noster ad nos de via, id est mundi actibus reuertitur, si non habemus, quod ante illum ponamus, id est pabulum spirituale, eamus ad

1. Ioan. 5.

Ecles. 7.

Matth. 6.

Matth. 23.

Psal. 11.

1. Cor. 13.

Psal. 50.

Psal. 142. Ibidem.

Joan. 3.

Ibidem.

Psal. 12.

1. Ion. 3.

1. Cor. 15. Eps. 21.

Joan. 11.



ad alium amicum, id est ad dominum orando, & rogemus illum, ut nobis tribuat tres panes, id est cogitationes sanctæ trinitatis, quia noster amicus, id est noster animus fatietur. Nihil enim animus à Deo compunctus, postquam mundi tenebras despicit, & transitoria contemnit, nisi quæ ad eum pertinet, cogitare desiderat: solum quod cognoscere & credere cepit, contemplari fatigat, id est sanctæ, & indiuiduæ trinitatis gaudium. Si enim statim non accipimus, quod petimus, non ideo ab oratione cessare debemus. Videmus quod sequitur. *Et ille deinde respondens dicit: Noli mihi molestus esse, iam ostium meum clausum est, & pueri mei mecum sunt in cubili: non possum surgere, & dare tibi.* Per ostium amici signatur intelligentia verbi Dei. Quod ostium tunc clausum est, quando prædicatio diuina subtrahitur. Et tunc est apertum, quando conceditur. Ostium enim Paulus apostolus apertum ad loquendum Christi euangelium inuenire cupiebat. Per pueros vero, qui sunt in cubili cum domino, designantur apostoli, & sancti prædicatores. Isti pueri sunt in cubili, id est in celo. Non est modò præsens Petrus, qui nos doceat, non Paulus, non Ioannes, non Hieronymus, non Augustinus, non Gregorius, quia iam in cubili omnes isti pueri requiescunt. Forsitan hoc quod nos quærimus, ipsi in suis libris scripserunt: sed clausum est, non intelligimus ipsum quod scriptum est. Quid faciemus? Nunquid sic remanebimus sine intellectu, sine pabulo verbi? Audiamus quid dicat in sequentibus. *Et ille si perseverauerit pulsans, dico vobis, &c.* Comparatio est à minimo venire ad maius. Si amicus homo surgit de lecto, & donat amico suo, quod ille petit, non pro amicitia, sed pro tædio, quantum magis Deus, qui sine tædio donat semper nobis, quod petimus, dabit, si in nostra petitione perseverantes fuerimus? Ne igitur amicus noster fame intereat, id est animus noster ne diu ieiunus remaneat, à domino diuitias spirituales petamus. Quæramus, pulsemus, ut nobis detur intelligentia verbi Dei, de qua intelligentia animas nostras pascere, & nutrire possumus. *Omnis enim, qui petit, accipit, & qui quærit, inuenit, & pulsanti aperietur.* Secundum exemplum huius parabolæ, necessaria est valde perseverantia in oratione, ut accipiamus quod petimus, & inueniamus quod quærimus, & quod pulsamus aperiat. Nam si petenti datur, & quærens inuenit, & pulsanti aperitur: certum est, quod ille, qui non accipit, & qui non inuenit, & cui non aperitur, non bene petierit, quæserit, & pulsauerit. Verax nanque est, qui nos hortatur ad quærendum, non nos admonuisset dominus petere, nisi ipse dare voluisset. Erubescat nostra pigritia, plus vult ille dare, quam nos accipere, plus vult ille misereri, quam nos à miseria liberari. Certè si nos à miseria non fuerimus liberati, miseri remanebimus. *Quis autem ex vobis patrem petit panem, nunquid lapidem dabit illi?* Per panem intelligitur charitas, quia sicut panis super omnes diuitias, sic charitas maior est cæteris virtutibus. Charitas enim fundamentum est omnium virtutum, & sine illa virtus nulla, vel operatio hominem potest saluare. Huic contraria est duritia cordis, quæ designatur per lapidem. Qui enim duritiam cordis habet, charitatem habere non potest. Nos verò si charitatem à domino petierimus, nequaquam ipse nobis duritiam cordis dabit. *Aut piscem, nunquid pro pisce*

*serpentem dabit illi?* Per piscem intelligitur fides, siue propter aquam baptismi, siue quia sicut piscis in undis, sic fides in persecutionibus crescit. Huic contrarius est serpens, per quem primum homo fuit deceptus. *Aut si petierit ouum, nunquid porriget illi scorpionem?* Per ouum intelligitur spes. Tenet homo ouum in manu, & sperat ex illo pullum, quem adhuc non videt: quapropter per ouum pulchrè spes intelligitur, quia sicut ex ouo pullus qui adhuc non est, sed fouendo speratur: sic à fidelibus vita beata speratur post mortem. Huic contrarius est scorpium, cuius aculeus retrò timendus est. Contrarium vero est spei retrospicere, quia in illis rebus, quæ antè sunt, est spes dicenda. Quærentibus igitur nobis panem, non dat nobis pater lapidem, neque quærentibus ouum dat scorpionem, neque piscem desiderantibus dat serpentem. Piscem nobis donat, cum fidem ab illo accipimus. Ouum nobis donat, quando nobis spem concedit habere. Panem nobis donat, quædo nos charitate confirmat. *Si ergo vos, quum sitis mali, nobis bona data dare filiis vestris: quantum magis pater vester de celo dabit spiritum bonum petentibus se?* Quærendum est, quomodo mali donent bona? Malos in hoc loco homines peccatores, & mundi amatores appellat: bona verò, quæ donauit secundum eorum sensum bona vult dicenda, quia hæc necessaria nobis sunt. Bona nanque ideo dicuntur, quia per ipsa bona hæc vita constat transitoria, & infirma. Et quando mali ista bona dant (quia domini est terra, & plenitudo eius, ipse enim fecit cælum, & terram, mare, & omnia, quæ in eis sunt) ergo mali homines, quando bona filiis suis donant, id est panem, ouum, piscem, carnem, vinum, lac, & cætera talia: non de vobis illa donant, quia hæc omnia bona mortalibus à Deo donata sunt. Et si mali homines faciunt bona data dare filiis suis, cum ipsi sint mali, quantum magis debemus credere, & firmiter tenere, quod Deus, qui solus est bonus, solus est verax: nobis ad se clamantibus daturus sit bona. Potest hoc etiam quod dicit, *quantò magis vos cum sitis mali, & ad apostolos referri: qui cæteris hominibus comparati, boni erant, Deo verò comparati, mali erant.* Nihil enim est per se stabile, nihil bonum, nihil immutabile, nisi sola deitas. Solus Deus bonus est, & verax dicitur. Nam omnis homo mendax dicitur. Omnis verò caro, & creatura ut stabilis, & beata sit, non hoc à se, sed à Deo habet.

### INCERTI SVB NOMINE

*Eusebij Episcopi Emisseni superioris  
Euang. expositio.*

**H**is enim verbis admonemur, ut spiritum sapientie, & intellectus ab eo quæramus, à quo est omnis sapientia, cum quo fuit semper, & est ante æuum: quatenus amicis nostris de via venientibus, & sanctorum scripturarum panem petentibus, cibum spirituales apponere valeamus. De hoc enim & Iacobus Apostolus ait, Si quis vestrum indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei. Postulet autè in fide, nihil hæsitans. Quando enim subiecti nos de scripturis interrogant, tunc amici nostri veniunt de via ad nos, & tantò quidem de longiori via, quantum longius sunt ab intelligentia. Oportet igitur nos habere, quod

eis

eis apponamus, & vnde illorum mentes famelicæ reficiamus. Quod si non habemus, surgamus media nocte, (Hæc enim nox ignorantia est.) legamus, & scripturas perscrutemur, rogemus dominum ut oculos mentis nostræ aperiat, & tres panes illos nobilissimos nobis commodare dignetur. Tres enim istos panes legem, & prophetas, & euangelia intelligimus. De quibus Moyses metaphorice ait, Dominus de Sina venit, & de Seir ortus est nobis: apparuit de monte Pharam, & cum eo sanctorum millia. Tres isti montes, tres panes sunt, & tria modo dicta sanctorum scripturarum volumina. Sina enim legè significat, quia ibi lex data est: Seir prophetas, quia hispidus interpretatur. Prophetæ enim valde hispidi & asperiter dicitur, euangelia designat, cuius semina præ cunctis seminibus vbiq; gentium fructificasse cognouimus. Venit igitur dominus de Sina, quia eius aduentus pluribus in locis in lege (id est, in libris Moyse) annunciat, secundum illud, Prophetam vobis suscitabit dominus de fratribus vestris, tanquam me ipsum audietis. Ortus est autem & de Seir, quia eius ortus & natiuitas manifestissime in prophetis inuenitur. Vnde Esaias, Ecce virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel. Apparuit autem de monte Pharam, quia eius natiuitas, passio, & resurrectio, quid egerit, & qualiter vixerit, in euangelis declaratur. Hos igitur tres panes quæramus, sine quibus anima non viuit, qui cunctis esurientibus sufficere possunt, quæramus, & non deficiamus, pulsemus, & perseveremus, etiam si ille amicus noster vnicuique nostrum dixerit, *Noli mihi molestus esse, iam ostium clausum est, &c.* Hoc enim amicus noster, id est Deus, & dominus noster, qui tantum nos dilexit, ut mori pro nobis non dubitaret, hoc (inquam) ipse non dicit, dicere tamen videtur, cum post multum laborem, post multas preces, post multum intelligendi desiderium nos non exaudit. Quid enim sic orat, ut sancta desideria? Nisi enim desiderium oraret, Plalmista non diceret, Desiderium pauperum exaudiuit dominus. Tunc igitur bene oramus, quando bonum aliquod desideramus. Nemo autem est, qui sacras scripturas intelligere non desideret. Nemo igitur est, qui Deum pro his panibus non oret. Sed quia dominus iam cælos ascendit, & ostium clausit, id est à prædicatione quieuit, qui iam pueros suos, sanctos videlicet apostolos, in æternum quietis cubiculum secum collegit, iam ad nos docendum neque ipse, neque illi huc vltierus corporaliter redire possunt. Et hoc est quod ait, *Noli mihi molestus esse, iam ostium clausum est, &c.* Nos tamen ab hac molestia, ab hac importunitate, & ab hac violentia non cessamus. Ipse enim dominus ait, Regnum cælorum vim patitur, & violenti diripiunt illud. Bona est igitur hæc violentia, bona est hæc molestia, & improbitas, & intantum bona, ut panes, quos nobis dominus pro ipsa amicitia dare non vult, propter improbitatem tamen surgens det nobis ad sufficientiam, & necessitatem. Hoc est enim quod ait, *Et ille si perseverauerit pulsans, dico vobis, &c.* Vnde & adhuc subditur, *Et ego dico vobis, petite & dabitur vobis, quærite & inuenietis, pulsate & aperietur vobis.* Hac enim tanta verborum inculcatione manifestè dominus ostendit, quàm sollicitos, molestos,

importunos, violentos, & improbos ad petendum nos esse velit. Vnde & quidam ait, Labor improbus omnia vincit. Sed quomodo verum est, *Omnis enim, qui petit, accipit*? multi enim petunt, & non accipiunt quod petunt. Hoc autem de illa petitione intelligatur, de qua supra dixit, *Quærite primum regnum Dei & iustitiam eius, & omnia adicientur vobis.* Non enim in stultis petitionibus fideles suos Deus exaudit. Ipse enim scit quid nobis opus sit. In illis igitur nos exaudit, quæ nobis salutaria esse cognoscit. Omnis igitur qui petit accipit: si tamen ipsa petitio digna sit quæ exaudiat. Aliam autem petitionem Deus non audit. Vnde & subditur: *Aut quis est ex vobis homo quem si petierit filius suus panem, nunquid lapidem, &c.* ergo vos, cum sitis mali, nobis bona data dare filiis vestris, quantum magis pater vester, qui in cælis est dabit bona petentibus se? ac si diceret: Vos qui mali estis, non mala tamen, sed bona data datis filiis vestris: & Deus, qui naturaliter bonus est, bona data non dabit fidelibus suis? Dabit utique bona data, & non nisi bona dabit eis, etiam si inutilia quærant, dum se sibi profutura quærere sperant. Aliquando enim sancti non recipièdo quod petunt magis exaudiuntur, quam exaudirentur si illud reciperent. Plus enim non recipièdo beatus Paulus exauditus est, quàm si illud recepisset pro quo (sicut ipse ait) ter dominum rogauerat, exauditus est igitur ne exaudiretur. Non enim nisi bona Apostolus quærebat, quamvis illud non bonum sibi esse non intelligebat. Exauditus est igitur, recipièdo bonum, ne exaudiretur recipièdo non bonum. Qui enim sibi bonum non quærit, dum se sibi bonum quærere putat, si id recipiat, quod quærit, non exauditur: si non recipit, exauditur. Deus igitur, qui non aliud nisi quærentis affectum considerat, bonum ei reddit, qui se bonum quærere credit, etiam si sibi non sit bonum, quod quærit. Videamus autem quid per panem, & piscem, & quid per lapidem, & serpentem significetur. Ego quidem in panem sanctorum scripturarum spirituales intelligentiam significari puto, literam verò in lapide, quoniam in tabulis lapideis scripta est. At verò in pisce dominum nostrum intelligo, qui in baptisimi flumine primus natus est, & ad piscis similitudinem sine coitu de virgine natus est. In serpente verò quis alius intelligatur, nisi ille, qui primum hominem in serpente decepit? Lucas verò euangelista præterea ouum quoddam, & scorpionem posuit. In vno igitur resurrectionem intelligamus, in qua velut pulli de ouis, omnes sancti, & electi de sepulchris resurgentes sursum ad cælestia conuolabunt. In scorpione autem diabolus, vel antichristus, qui dum latenter homines decipiunt, quasi cauda eos percutiunt. Boni itaque filij, id est, Christiani, panem petunt, quia in lege & prophetis spirituales intelligentiam quærunt. Petunt autem & piscem, quia Christi carne saluari desiderant. Petunt similiter & ouum, quia firmissima spe carnis expectant resurrectionem. At verò mali filij, id est, Iudæi, lapidem petunt, quia in sacris voluminibus solam literam quærunt. Petunt autem & serpentem, quia in veneno, & tortitudine diabolus imitantur. Petunt similiter & scorpionem, antichristum expectantes, quem Messiam vocat, ut qui in mundi exordio in primo homine occisi sunt à dracone,

Bibl. Hom. tom. 3.

M

circa

circa mundi finem percitantur à scorpione. Sic itaque bonis filiis bona data petentibus bonus pater bona data tribuit. Mali verò mala data petentes à malo patre mala data suscipiunt.

### THEOPHYLACTI EPI- scopi Bulg. superioris Euang. expositio.

**E**T ait illis, *Quis vestrum habebit amicum, &c.* Parabolam hanc, & exemplum dicit dominus erudiens nos, ne segniter oremus. Quid igitur vult parabola? Mediam noctem quidem inquit esse extremum vitæ, ad quod quum homines perueniant, sensum boni accipiunt, & ad Deum festinant: qui amicus est, omnes diligens, & omnes volens saluos fieri. Igitur multi accedunt in media nocte, hoc est in extrema vita, ad Deum, vt ad amicum: & dicunt ei; *Da mihi tres panes*, hoc est fidem in trinitatem. *Amicus enim meus aduenit*, hoc est, angelus, qui animam assumit. Amicus autem est omnis angelus, sicut & dominus dixit, quod gaudium factum est in celo de salute hominis.

2. Tim. 2.

Infra. 15.

Pueri autem, qui in lecto quiescunt, sunt ij, qui conuersi sunt, & facti sunt pueri, & digni habiti sunt, qui quiescerent cum domino. Impudentiam autem, & improbitatem dicit orationem attentam cum sustinentia, intellige & aliter, per mediam noctem, ingentem tentationem. Nox enim omnis tentatio: media autem nox, omnis tentationis feruor. Igitur cum quis in medias tentationes peruenit, accedit ad Deum nos diligentem, & dicit; *Commoda mihi tres panes*, salutem corporis scilicet, & animam, & spiritum. Timetur enim, ne tria hæc periclitentur. Quis autem amicus est, qui venit de via? Vel omnino dominus, qui probat nos, & audis est edendi de salute nostra, Non habet autem, quod apponat amico, qui in tentationes inciderat, & infirmus per se vt obsistat illis, & curet ea, quæ sunt Dei. Claudi ianuam, signat, quod oporteat ante tentationes nos esse præparatos. Quum autem inciderimus, clausa est præparatio- nis ianua. Et qui inueniuntur impræparati, nisi Deus adiuuerit, periclitabuntur. Pueri autem (sicut prius dictum) ij sunt, qui per virtutem facti sunt filij Dei, & recumbunt, ac quiescunt cum Deo. *Et ego dico vobis, Petite, & dabitur vobis, &c.* Videte verborum diligentiam. Non dixit, petetis, & dabitur: sed, *petite*, hoc est, continud quærite. *Omnes enim, qui petit, accipit.* Nunquid ergo & qui petit, quæ non expediunt, accipit? Non. Primò igitur rerum noxiarum petitio, non vocatur petitio apud Deum. Nā qui Deum orat, debet petere quæ ille dat. Quando autem quis noxia petit, non ad

Math. 7. 13.  
Marc. 11.  
Iohn. 10. 14.

Deum petitionem facit. Ipse enim noxia non dat. Insuper audi etiam ipsum dominum, quomodo doceat nos petere, quæ oportet. Panem, inquit, & piscem, & ouum filius petit. Sicut igitur hæc hominis sunt cibus, ita & petitiones nostræ viles nobis esse debent. Intellige hic quod panem petat omnis, qui fidem in trinitatem, & rectitudinem dogmatum reuelari sibi petit. Hæc enim cor sicut panis confirmant, At piscem petit, qui in mari vitæ huius est, & quærit à Deo adiutorium, vt in medijs tentationibus non submergatur, sed viuat, & sicut piscis custodiat. Ouum autem petit, qui sibi virtuosarum animarum fructus dari petit. Quæ sanè animarum aibus conferuntur, quæ alas sumpserunt, & spiritu alleuiatæ super terram sese extulerunt.

Psal. 101.

### EVTHYMII ZIGABONI superioris Euang. expositio.

**Q**uis vestrum habebit amicum, &c. Dicunt quidam, per amicum anagogicè Deum intelligi, hominum amatorem. Vadit autem ad ipsum media nocte, & petit tres panes, qui conuenienti tempore petit triplicem diuinum sermonem, patris videlicet, & filij, & spiritus sancti, vt apponet amico, qui ad se venit de instabili, ac conculta via, & huiusmodi indiget cibo. Cæterum Deus ingrus, siue inuisibiliter respondet. Noli mihi molestus esse, iam ostium diuini sermonis clausum est, nondum tempus est huiusmodi gratiæ, &c. etiam, quæ in parabola sequuntur, conati sunt quidam huc reducere, nec potuerunt suo aptare proposito: idcirco horum anagogen tãquam minus conuenientem præterij, videns, quod ad emphasim composita sunt, vt rationabilis videatur repulsio. Pater nanque, qui cum filiis suis dormit, rationabiliter recusat in tempeste surgere, ne illos expergeficiat. Apparet autem mihi tota hæc proposita parabola nihil aliud demonstrare, nisi petitionem esse maxime necessariam, & repulsionem esse iustissimam: vt videatur propter perseverantiam exaudiri esse is, qui petit, & persuadibilis fiat admonitio. *Dico vobis, et si non daturus sit illi surgens, &c.* Hoc est, cuius gratia hæc parabola facta est. Improbitatem tamè, siue impudentiam vocat assiduitatem, ac perseverantiam petitionis. *Et ego vobis dico, Petite, & dabitur vobis, &c.* Hæc similiter ipsis quoque duodecim præcepit, quemadmodum scripsit Matthæus. *Si ergo vos quum sitis mali, &c.* Malos vero eos, dixit, non solum propter alias causas, sed etiam propter humanam naturam, quæ malitiæ capax creata est.

I N



## IN ASCENSIONE DOMINI. M A R C I 16.



**N**illo tempore, recumbentibus illis vndecim apparuit, & a exprobrauit incredulitatem illorum & duritiam cordis: quia his qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt. Et dixit eis: <sup>b</sup> Euntes in mundum vniuersum, prædicate euangelium omni creaturæ. Qui <sup>c</sup> crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: qui verò non crediderit condemnabitur. Signa autem eos qui crediderint hæc sequentur: In nomine meo dæmonia <sup>d</sup> eiicient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent: & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit: super ægros manus imponent, & bene habebunt. Et dominus <sup>e</sup> quidem Iesus postquam loquutus est eis, assumptus est in <sup>f</sup> cælum, & sedet à dextris Dei. Illi autem <sup>g</sup> profecti prædicauerunt vbique domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.

<sup>a</sup> Vt omnes testes sint, & omnibus narrent quod communiter viderunt & audierunt. <sup>a</sup> Vt succedat credulitas. <sup>b</sup> Hieron. Nunc post acceptum spiritum sanctum, tanquam vas limosæ per ignem confirmata. <sup>c</sup> Bed. fide, quæ per dilectionem operatur. <sup>d</sup> Bed. Bonis exhortationibus malitiam auferendo ab aliorum cordibus. <sup>e</sup> Qui de celo descendit. <sup>f</sup> Vnde venerat. <sup>g</sup> Præceptum obedientiæ, obedientiam signa comitantur.

### GLOSSA ORDINARIA in superioris Euangelium.



**N**OVISSIME autem. Bed. Quadragesimo die quando erat iam ab eis recessurus in cælum, hoc eis maximè illo die exprobrare voluit: quia his qui viderant eum resurgentem non crediderunt, antequam eum ipsum viderent: cum post ascensionem eius prædicantibus illis euangelium gentes quæ non viderant credituræ essent. Vnde statim adiungit Marcus, & dixit eis; Euntes in mundum vni. prædica. euang. *Duriciam cordis.* Hier. vt succedat cor carneum charitate plenum. Hinc est quod cateruæ martyrum mortem huius seculi libenter affectant, quia norunt pro temporali interitu perpetud se esse victuros. *Omni creaturæ.* Omni nationi gentium. Ante enim dictum erat: In viam gentium ne abie. vt, scilicet apostolorum prius à Iudæa repulsa prædicatio tunc gentibus in adiutorium fieret. Hier. Omni generi humano, quod habet aliquid commune omni creaturæ, angelis, pecoribus, lignis, lapidibus, igni & aquæ, calido & frigido, humido & arido: quia minor mundus homo dicitur: *Qui cre.* Per alios paruuli credunt, sicut ex alijs ea quæ in baptismo eis remittuntur peccata contraxerunt. *Signa autem.* Nunquid si signa non faciamus, nõ credimus: Sed hæc in exordio necessaria fuerunt, vt fides miraculis nutrire- tur: fide autem ecclésiæ iam confirmata non sunt necessaria. *Dæmonia eiicient, &c.* Hoc hodie spiritaliter facit ecclésiæ, cum per exorcismi gratiam manum credentibus imponit, & malignos spiritus expellit. *Linguis loquentur nouis.* Hoc fit dum fideles veteris vitæ secularia verba relinquunt, &

Math. 10.

sancta mysteria insonant, & Dei laudes & potentiam quantum velent extollunt. *Et si mortife. quid.* Dum pestifetas persuasiones audiunt, nec ad operationes vsque perducunt, quod inde eis non nocet si mortiferum bibunt. *Super ægros.* Dum proximos in bono opere confirmatos roborant exemplo bonæ operationis, super ægros manus imponunt, & bene habebunt. Hæc miracula tantò maiora quantò spiritualia, per hoc enim animæ suscitantur non corpora. *In cæ. August.* Nota, quod aliquando cælos pluraliter & aliquando cælum singulariter inuenis: sed quodammodo loquutionis abusiua, singularia plurali numero dicimus, & pluralia singulari. Ad orientem verò quod Psalmista dicit, euangelistæ racent, significat Hierusalem, quæ est in orientis partibus collocata. vnde apostolis videtibus ascendit: & terra multis plena miraculis vbi fidelium credulitas plus actibus quam loquutionibus eruditur. *Et sedet à dex.* Beda. Et nunc omnia iudicans, in fine omnium Iudex venturus est. Stephanus autem vidit eum stantem, quia in certamine habuit eum adiutorem. *Illi autem.* Beda. Nota quod Marcus euangelium suum quanto inchoauit tardius tanto in longinquiora tempora scribendo porrexit. Neque enim de natiuitate ipsius domini aut præcursoris eius, neque de infantia, nec de pueritia cuiuslibet horum aliqua commemorans, nec de natiuitate saluatoris aliquid scribens: excepto quod in capite euangelij sui filium Dei nominat.

Ab initio euangelicæ prædicationis quod per Ioannem factum est narrando peruenit, quo apostoli idem euangelij verbum per totum orbem seminauerunt.

CATENA AVREA  
in idem Ewang.

**N**ouissimè autem, recumbentibus illi undecim apparuit, &c. Glo. Completurus euangelicam narrationem Marcus nouissimam apparitionem, qua Christus post resurrectionem discipulis apparuit, commemorat, dicens, *Nouissimè autem, &c.* Greg. in ho. Notandum autem quid Lucas in Actibus referat, dicens: Conuescens præcepit eis ab Hierosolymis ne descenderent, & post pauca. Videntibus illis eleuatus est. Comedit enim & ascendit, vt videlicet per effectum comestionis veritas patefceret carnis: vnde & hic dicitur quod recumbentibus illis nouissimè apparuit. Hiero. Apparuit autem undecim simul congregatis, vt omnes testes sint & enarrent omnibus quod cõmuniter viderunt & audierunt. Sequitur, *Et exprobrauit incredulitatem eorum & duritiam cordis eorum: quia his, qui viderant eum resurrexisse non crediderunt.* August. de con. euange. Quomodo autem nouissimè hoc factum est? Nouissimū quippe illud est, quod dominum in terra apostoli viderunt, quod factum est. 40. die post resurrectionem eius. Nunquid nam tunc exprobraturus erat, quod non credidissent eis qui eum viderant resurrexisse, quando iam & ipsi post resurrectionē toties eum viderant? Restat igitur vt intelligamus nunc Marcum breuiter commemorare voluisse, & iam dixisse, *Nouissimè, qui ipso die hoc nouissimum fuit iam incipiente nocturno tempore, posteaquam discipuli de castello redierunt in Hierusalem & inuenerūt, sicut dicit Lucas 11. & qui cum illis erant colloquentes de resurrectione domini. Sed erant ibi vtique non credentes.* His (ergo sicut Matthæus dicit) discumbentibus, & adhuc inde (sicut dicit) loquentibus, stetit in medio eorum dominus, & ait illis: Pax vobis, sicut Lucas & Ioannes dicunt. Verbis itaque domini quæ tunc eum locutum esse discipulis Lucas Ioannisque dixerunt, interponitur & illa exprobratio de qua Marcus hic dicit. Sed hic rursus mouet, quomodo discumbentibus 11. dicit apparuisse Marcus, si illud tempus est diei dominici iam noctis initio? cum aperte Ioannes dicat non cum eis fuisse Thomam, quem credimus exiisse inde antequam dominus ad eos intraret posteaquam illi duo redeuntes de castello cum ipsis 11. collocti sunt, sicut apud Lucam inuenitur. Sed Lucas in sua narratione dat locū, quo possit intelligi dum hæc loquerentur prius inde exiisse Thomam & postea dominū intrasse. Marcus autem qui dicit: *Nouissimè discumbentibus illis 11. apparuit:* Etiam Thomam illic fuisse cogit fieri: nisi forte quamuis vno absente, 11. tamen voluit appellare, quia eadem tunc apostolica societas hoc numero nuncupatur antequam Mathias in locum Iudæ subrogaretur. Aut si hoc durum est accipere, illud accipiamus, post multas demonstrationes eius eum nouissimè recumbentibus undecim apparuisse, id est, ipso 40. die. Et quoniam iam erat ab eis ascensurus in cælum, hoc eis illo die magis exprobrari voluisse, quia his qui audierant eum resurrexisse non crediderant, antequam ipsi eum viderent: cum vtique post ascensionem suam prædicantibus euangelium etiam gentes quæ non videntur, fuerant

credituræ, post illam quippe exprobrationem ait idem Marcus & dixit eis, *Euntes in mundum vnuersum.* Et infra: *Qui verò non crediderit, cõdemnabitur.* Hoc ergo prædicatur, nonne ipsi primitus fuerant obiurgandi, qui antequam dominum vidissent, non crediderunt eis quibus prius apparuisset: Greg. in ho. Idcirco etiam tunc dominus discipulos increpauit cum corporaliter reliquit, verba quæ recedens diceret in corde audientium arctius impressa remaneret. Hic. Exprobrat autem incredulitatem, vt succedat credulitas. Exprobrat duritiam cordis lapidei, vt succedat carneum charitate plenum. Greg. in ho. Increpata igitur eorum duritia, quid admonendo dicat audiamus. Sequitur enim: *Euntes in mundum vnuersum prædicare euangelium omni creaturæ.* Omnis creaturæ nomine signatur homo. Omnis enim creaturæ aliquid habet homo: habet nanque commune esse cum lapidibus, viuere cum arboribus, sentire cum animalibus, intelligere cum angelis. Omni enim creaturæ prædicatur: quia ille videlicet docetur, propter quem in terra cuncta creata sunt: & à quo omnia per quamdam similitudinem alia non sunt. Potest etiam omnis creaturæ nomine, omnis natio gentium designari, ante enim dictum fuerat, In viam gentium ne abieritis. nunc autem dicitur: *Prædicare euangelium omni creaturæ.* vt, scilicet, prius à Iudæa apostolorum repulsa prædicatio, tunc nobis in adiutorium fieret, cū hanc illa ad damnationis sue testimonium superbe repulisset. The. *Vel omni creaturæ, id est, credenti & non credenti.* Sequitur: *Qui cre. &c.* Non enim sufficit credere, nam qui credit & nondum est baptizatus, sed catechumenus, nondum est perfectè salutem adeptus. Greg. in ho. Fortasse autem vnusquisque apud semetipsum dicat, Ego iam credidi, saluus ero, verum dicit, si fidem openbus teneat. Vera etenim fides est, quæ in hoc quod verbis dicit, operibus non contradicit. Sequitur: *Qui ve. non cre. con.* Beda, *Quid adhuc hic dicemus de paruulis, qui per ætatem adhuc credere non valent? nam de maioribus nulla quæstio est.* In ecclesia enim saluatoris per alios paruuli credunt, sicut ex aliis ea quæ illis in baptismo peccata remittuntur pertraxerūt. Sequitur: *Sig. au. eos qui cre. hæc sequentur, In no. mo. da. eii. &c.* Theop. Hoc est, serpentes intellectuales, sicut illud: *Calcabitur super serpentes & scorpiones: intellectualiter intelligitur: Potest autem intelligi de sensibilibus serpentibus, sicut etiā Paulus à vipera nullum habuit nocumentum.* Sequitur, *Et si mort. quid bib. non eis. no.* Multa talia facta in historiis legimus. Multos namque venena bita Christi munita signaculo lædere non valebant. Sequitur. *Su. eg. ma. im. &c.* Greg. in ho. Nunquid autem quia signa ista non facimus, minimè credimus? Sed hæc necessaria in exordio ecclesiæ fuerunt, vt enim fides cresceret credentium, miraculis fuit nutrienda, quia & nos cum arbuta plantamus, tandiu eis aqua fundimus, quousque ea in terra conualuisse videamus: & si semel radicem fixerint à rigando cessamus. Habemus de his signis atq; virtutibus quæ adhuc subtilius cõsiderare debeamus. Sancta quippe ecclesia quotidie spiritaliter facit, quod tunc per apostolos corporaliter faciebat. Nam sacerdotes eius cū per exorcissimi gratiam manum credentibus imponunt, habitare malignos spiritus in eorum mentibus

Fides p  
ribus m  
nat.

tibus contradicunt: quid aliud faciunt, nisi dæmonia eiiciunt? Et fideles quique aut iam secularia verba derelinquunt, sancta aut mysteria insonant, linguis loquuntur nouis: qui dum bonis suis exhortationibus malitiam de alienis cordibus auferunt, serpentes tollunt: & dum pestiferas suasiones audiunt, sed tamen ad operationem prauam minimè pertrahuntur mortiferum est quod bibunt, sed non eis nocet: qui quories proximos suos in bono opere infirmari conspiciunt, dum exemplo suæ operationis illorum vitam roborant, super ægros manus imponunt vt bene habeant. Quæ nimirum miracula tato maiora sunt, quanto spiritalia: & quanto per hæc non corpora, sed animæ suscitantur. *Et dominus quidem Iesus postquam locutus est eis, assumptus est in cælum, &c.* Hic. Dominus Iesus qui de cælo descendit ad liberandam infirmitatis nostræ naturam: ipse etiam super cælos ascendit. vnde, *Et dominus quidem, &c.* Aug. de con. euang. In quo satis videtur ostendere nouissimum cum illis in terra præmissum habuisse sermonem, quamuis non omnimoda ad id coarctari videatur, Non enim ait. Postquam hæc locutus est eis. vnde admittit si necessitas cogeret, nõ illam fuisse locutionem, sed ad omnia quæ cum eis omnibus illis diebus locutus est posse pertinere quod dictum est. *Postquam locutus est eis, assumptus est in cælum.* Sed quia ea quæ supra diximus magis suadent nouissimum diem fuisse, ideo post præmissam locutionem quam Marcus commemorauit, adiunctis etiam illis verbis quæ commemorantur in Actibus apostolorum, credendum est assumptum esse dominum in cælum. Greg. in ho. In veteri testamento cognouimus quod Elias sit raptus in cælum. Sed aliud est cælum æthereum, aliud cælum æreum. Cælum quippe æreum terræ est proximum. In cælum itaque æreum Elias subleuatus est, vt in secreta quadam regione terræ repente duceretur vbi in magna iam carnis & spiritus quiete viveret, quoadusque ad finem mundi redeat, & mortis debitum soluat. Notandum quoque est quod Elias in curru legitur ascendisse, vt videlicet aperte illis demonstraretur, quia homo purus adiutorio indigebat alieno. Redemptor autem noster non curru, non angelis subleuatus legitur, quia qui fecerat omnia, super omnia sua virtute ferebatur. Considerandum verò nobis est quod Marcus subdit. *Et sedet à Dextris Dei:* cum Stephanus dicat, *Video cælos apertos, & filium hominis stantem à dextris, sed sedere iudicantis est, itate verò pugnantis vel adiuuantis.* Stephanus ergo in laboris certamine positus stantem vidit, quem adiutorem habuit: sed hunc post assumptionis Marcus sedere describit, quia post assumptionem suæ gloriæ in fine videbitur. Aug. de symbolo. Sessio igitur istam non accipiamus quasi sit in humanis membris positus, tanquam pater sedeat in sinistra, & filius sedeat à dextris: sed ipsa dexteram, intelligimus potestatem, quam accepit ille homo à Deo, vt veniat iudicaturus, qui primò venerat iudicandus. Sedere enim, habitare intelligitur: quomodo dicimus de quoecunque homine, In illa patria sedet: per tres annos. Sic ergo credere habitare Christum in dextera Dei patris. Beatus enim est & habitat in beatitudine, quæ dextera patris vocatur. Ibi enim omnis dextera est, quia nulla est ibi miseria. Sequitur, *Illi*

*au. pro. præd. vbiq; &c.* Bed. Nota quod Marcus euangelista euangelium suum quantò inchoauit tardius, tantò in longinquiora tempora scribendo porrexit, ab initio enim euangelicæ prædicationis quod à Ioanne factum est cepit, & ad illud vsque tempus narrando pertinet, quo apostoli idem euangelij verbum per totum orbem seminauerunt. Grego. in ho. Quid autem in his considerandum est nisi quod præceptum obedientiæ, obedientiam verò signa secuta sunt? Præceperat enim dominus: *Euntes in mundum vnuersum prædicare euangelium.* & in Actibus. *Eritis mihi testes vsque ad extremum terræ.* Aug. ad Hefych. Quo autem pacto ab apostolis est prædicatio ista completa, quando vsque adhuc sunt gentes, in quibus modò cepit, & in quibus nondum cepit impleri? Non vtique hoc à domino sic mandatum est apostolis, tanquam ipsi soli, quibus tunc loquebatur tantum munus fuerint impleruri: sed sicut eis solis videtur dixisse, *Eccc ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi:* quo tamen eum vnueris ecclesiæ promississe, quæ aliis morientibus, aliis nascentibus, hic vsque in seculi consummationem futura est, quis non intelligat? Theoph. Sciendum est autem & hic, quod sermo per opera confirmatur, sicut in apostolis tunc operationes confirmabāt sermonem frequentibus signis. Fiat autem o Christe, vt nostri sermones, quos de virtute dicimus per opera cõfirmantur & actus, vt tandem sumus perfecti re cooperante in omnibus verbis & operibus, quia re decet, & sermonum & operum gloria.

S. CYPRIANI EPISCOPI  
Carthag. in eodem festo  
Sermo.

**C**elebrata in cruce solenni victoria, cum iam dæorum effoderat, dominus reparasset, noluit statim ad patrem ascendere, & glorificati corporis præsentiam inferre cælestibus: sed necessaria dispensatione discipulorum infirmitati consulens vtiliter, distulit, & quadraginta diebus in terra conuersatus, & visus est sæpe & loquutus est apostolis & manducauit & bibit, & vulnera, quæ ad dubietatem eorum tollendam, in corpore referuarat, & videnda & palpanda exposuit, & impleta in se, quæ in scripturis erant prædicta, euidentia rerum edocuit: Ad hoc necessaria fuit huius temporis mora, vt recollectis; quos in fugam timor impegerat; quos supplicium crucis terruerat; in multis argumentis apparet, mures quæ diffidentia titabauerant, solidaret: nec esse phantasticum, sed verum corpus quod surrexerat, tam comestationibus, quam contrectationibus probaret. Ad hoc dilata est ascensionis gloria, vt sub hoc dierum interstitio præcedens doctrina affectibus firmaretur, imò vt discipulorum desideria recessionem eius corporalem ambirent: quia spiritalis præsentis plenitudo: quando conspectu carnis præsens aderat, aduicere non poterat: & paulatim in hoc conducti sunt, vt libenter consuetudine conuictus assueti careret, cum inhabitator spiritus sanctus eorum anima possidens, inuisibili accessu sincerioris eis affectus infunderet, & aperiret interioriores oculos ad intuedam intellectu puro patrem

Iam. 2.0.

Psal. 117.

Dem. 6.

trem luminum, & substantia rerum sperandarum proposita apparet, sepeliret: nec incertitudinis scrupulus superesset, cum dominus, & magister, quem verum hominem probauerant, eis videntibus, caelum ascenderet: sed iam securi se crederent secuturos, nec esse impossibile, quin & ipsi in carne, & spiritu ad delectabile spectaculum aggregatis: Ascendo, inquit, ad patrem meum, & patrem vestrum, Deum meum, & Deum vestrum. Horum verborum autoritas cum iam eorum virtutem spiritus sanctus intimaasset, omnem poterat excludere dissidentiam, & hilarescebat animi eorum paternitatis diuinae illustrati honore, & fraternitatis Christi honorati confortio, cum audirent, & crederent se filios Dei, & fratres Christi, in quo omnis excellentiae plenitudo, & sufficientia inerat: nec iam quasi idiotae, & hebetes huic verbo applaudebant carnaliter: sed subtilissimam generationem, & dignitatem creaturae a voluntate, & nutu creatoris habuisse initium, & imaginem, & similitudinem Dei in interiori homine videbant: & dignoscebant intellectu potius, quam visu, quam affinitatem habeant inter se pater, & filius: & quia substantiuo, & naturali filio filij adoptiuo conformes a prima origine multa habeant ex natura, & multa ex gratia. Sanè huius generositatis confortium, secundum quam simul cum Christo filij Dei sumus, nobilitatem existentiae nostrae exponit, & intimat: in quo honore si manserimus non degeneres, constat omnino non posse patrem dissidere a filiis, sed deiformibus tutum esse ad paternitatem accessum: nec posse pati ad hereditatem possidendam dispositos in petitionibus diuinis repulsam, sed in quibuscumque filius filialiter genitorem appellauerit, necesse est bonitatem largitoris iuste supplicantis prosequi voluntatem: maxime cum ipse pater, qui largiter iusta suggerat peti, quae non differit benignè largiri. Et quidem paterna charitas bonis filiis, & hereditibus maxime delectatur: & hoc gloriae Christi vnigeniti dilecti accumulatur, quod beatitudinis suae non patitur esse solitariam magnitudinem, sed addidit fratres: non qui minuant quasi diuisam in plures excellentiam, sed qui alacritudinem diuitiarum eius exornent participes, & confortes. Quod cum ipsum qui pater est, cõfiter esse Deum, & eum Deum nostrum sicut & suum, filius attestetur, in eo quod filij sumus ipse nos possidet, in eo quod noster est Deus, quod nostrum est, ipsum cuius proprii sumus, propriè possidemus. Dico igitur domino meo, Deus meus es tu: & dicit mihi Dominus meus; Ego Dominus Deus tuus. Homo cuius Deus est, quid amplius querit? Si sufficit tu Deo, sufficiat tibi Deus. Bonorum tuorum Deus non indiget, nec conferre potes ei quippiam, nec auferre. Si eluserit, non dices tibi. Eius est orbis, & plenitudo eius, & magnitudinem eius caeli caelorum non capiunt: non infirmatur, non eget indumento, vel cibo: omnia scit, omnia potest, omnia continet in ipso omnes viuimus, mouemur, & sumus; Quid tu ei quasi indigo confertes; te solum bonitate, non necessitate desiderat. Scriptum est, & ipso iubente tabulis insculptum lapideis, vt diligas eum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua. Dilige, & diligeris: prope est merces tua, in manibus porrigitur premium: esto tu Dei, & erit tuus Deus

tuus. Impar sanè commercium, pretium inaequale: sed qui pro nobis triginta argenteis pretiatus, intelligi voluit, quanta fuerit in pretio, quod pro eo datum est, & in eo quod ipse dedit pro mundo, dissimilitudo, cum ipse exiguo argento, emptus, & venditus, tanto pretio damnatos redimeret, vt dubium esse non possit, quin pretij magnitudo superaret negotium: nec aequari posset damnus, quod omnino damnatio iusta meruerat, obedientiae Christi, quae gratis vsque ad mortem progressa est, & vltro soluit quod non debebat. His intellectis apostoli sicut filij prophetarum olim verum Heliam ascensurum iucebant, & horam illam praestolabantur gaudentes nec iam anxiebantur parturientes, sed exorta laetitia parati erant prosequi recedentem, minime dubitantes, quin & ipsi post modicum conuersationis huius, postquam de torrente passionis in via habebissent, exaltato capite, & erecto, se ad caelestia dominam secuturos. Elevantis igitur manibus hereditariam eis benedictionem relinquens, non manufacto vehiculo, nec auxiliariis carpentibus euectus est Christus, sed naturae diuinae propriae virtute carnem caelo intulit, & corpus glorificatum patris conspectibus praesentauit. Non indigni vectoribus angelis, qui offendicula tollentes e medio, ferrent eum in manibus, sed praecedentes, & subsequentes applaudebant victori, & concinētes in iubilatione modulabantur cantum nouum, & implebat caelos consonantiae illius harmonia thronis, & dominationibus parantibus filio iuxta patrem concessum, Cherubim, & Seraphim, pedes pacificos ambientibus, radiantibus vndique diuinis claritatibus, & splendoribus super caelestibus, quos nec ardor perseuerans consumit, nec turbis alicuius aflatu exstinguit, nec interpolatio caliginis vllius abscondit. Celebrat tanti triumphi magnificentiam laetabundus caelestis exercitus, & qui descendenti coram pastoribus Bethlehemitici decantauerunt in sublimi praeconia, modò expressioribus conatibus, & intensioribus iubilis reuertenti ad patrem assentiōnora obsequia impendebant, & festiuis affectibus venerabatur hominem supra se sublimatum: quem gloria, & honore coronauerat pater, & ad dexteram suam collocatum, hoc dato ei privilegio singulari, vt in nomine eius omne genua flecteretur, & super omne nomē eius nomen excellentius coleretur. Quanta in eius susceptione in caelis incunditas fuerit, nemo sufficit enarrare: rei huius magnificētia omnem superat intellectum. Si linguis hominum, vel angelorum quis eloquatur, vel ad hoc cuiuslibet elaboret acumen ingenij, vt definire velit, quae patris in reditu filij hilaritas fuerit: aut si forte illud sempiternum gaudium aliquod sic admiserit incrementum, si stabilitatis aeternae se aliquo modo mutare possit immobilis magnitudo: scrutator ille maiestatis opprimeretur a gloria, & verendū est, ne, dū vehementius exprimit verba quam oportet, sanguine pro lacte emigat. Attamen inuisibilem Deum visibilem filium recepisse ad dexteram suam, manifestū est, & humilitate carnis nostrae throno iudicario honoratam paternae complacuisse altitudini, duo genera gentium ciuitati supernae, de qua gloriosa dicta sunt deinceps assignare, & esse supra mansionarios homines, & angelos, & beatitudinis illius gloriam his duobus ordinibus in perpetuum frequen-

freqventari. Haec merces obedientiae Christi, haec crucis, & mortis stipendia, hic passionis labor promeruit vt corpus humilitatis nostrae fieret corpori claritatis Christi conformis, & mortale hoc indueret immortalitatem, & corruptibile incorruptionem: & fierent homines cum Christo in caelestibus iudices, qui cum eo iudicia pertulerant malignorum, & extiterant vsque ad mortem tribulationum confortes. Hac die primum inuenta est caelis haec nouitas inaudita, & gauisus est pater hereditate amplificata, sobole multiplicata, promissionibus, quas loquutus fuerat in prophetis, redditis, & completis. Solum ad haec, quae praedicta sunt restat iudicium, & examinationi vltimae adhaec referantur antiqua oracula locum. De iudicio quippe, & angustia Christo sublato, superest post misericordiae tempora quae ad finem festinant, vt iustitiam comiteretur iudicium: & habeant singuli quod merentur, & honoretur honore dignus, & contemptor confundatur inglorius. Hoc & duo angeli Christo ascendente testati sunt, quia qui iudicatus abibat, iudex esset terribilis rediturus, & videret collecta in vnum generalitatis hominum quas foderat manus, quod reuersa uera latius, faciem quam conspuerat, & prolata in medium inflexibili sententia, occurrentibus saluatori electis, remaneant impij in finis deputati tormentis. Quanta illud edictum sequentur lamenta illius vltimae tubae clangor quam horribilis erit conuulsus erit, & superflua illarum lacrymarum decursus, frigidorem illum dentium flammam inextinguibiles agitabunt. Immortales miseri uiuent inter incendia, & inconsumptibiles flammam nudum corpus allambent. *Luc. 6.* Ardebit purpuratus diues, nec erit qui aestuanti lingua stillam aquae infundat. In proprio adipis fixae libidines bullient, & inter fatigines flammearum miserabilia corpora cremabuntur, & omni tormento atrocis desperatione condemnatos affliget. Non miserebitur vltra Deus, neque tuas audiet poenitentes, sera erit illa confessio, & cum clausa fuerit ianua, frustra carentes oleo acclamabant exclusi. Nullam ibi refrigerium, nullum remedium: semel Christus descendit ad inferos, vltimus non descendit, non vltra videbant Deum in tenebris sigillari, irrefragabilis erit illa sententia, & immutabile iudicium, & stabit damnationis huius immobile constitutum. Exultabunt sancti in gloria, videbant Deum & gaudebunt, laetabuntur, & delectabuntur, & fruuntur gloria, & in felicitate iocundabuntur aeterna. Ibi non gustabunt quam suavis sit Deus, sed implebuntur, & satiabuntur dulcedine misericordiae; nihil eis deerit, nihil obeerit, omnia desiderium eorum Christus praesens implebit: non senescunt, non tabescent, non putrescent amplius: perpetua sanitas, foelix aeternitas, beatitudinis illius sufficientiam confirmabunt. Non erit concupiscentia in membris, non vltra vlla exurgat rebellio carnis, sed totus hominis status pudicus & pacificus, sana ex integro natura, sine omni macula & ruga deinceps permanebit. Erat denique Deus omnia in omnibus, & illius praesentia omnes animae & corporis implebit appetitus, cessabuntque de cetero consummatis omnibus ministratoij angelicarum virtutum discursus; & impleta, ordinataeque omnino ciuitate Dei, nec inuocabitur, neque mutabitur, vltra fixa & consummata beatitudi-

nis status: Ei igitur, ante cuius tribunal stabimus, qui nunc vultui Dei apparet pro nobis, cui de nobis tanta cura fuit, vt pro nobis vellet nasci, & mori, in praesenti quaesumus, vt si cura curandinos, & nobis auctoritatem & potestatem iudicandi nosmetipsos & corrigendi concedat, vt in illo, terribili iudicio suo inter electos asciti & congregati, liberi a seruitute & captiuitate, caelestibus ciuibus coniungamur, & fruamur bonis, quae ipse diligentibus se repromisit, quae nec oculis vidit, nec auris audiuit.

S. EPIPHANII EPISCOPI Constantiae Cypri, de Domini nostri Iesu Christi Assumptione, Oratio.

Theodoro Peltano interprete. Benedicte Deus,

Corporis ornamentum, est caput corpori impositum; at festorum decus, est festum hodiernum. Celebramus enim Christi Domini secundum carnem ascensum; quod sanè festum, inter dominica, fastigium obrinet. Vt enim, caput totam corporis constitutionem exornat; ita hodierna solennitas diuinae oeconomiae pulchritudinem, quasi colophonem illi imponens, mirifice illustrat. Verum multi magnitudinem illius ignorantes, haud ita magni, illud faciunt; cum ipsa tamē rei natura, ceteris omnibus celebrantibus illustrius esse conuincat: quemadmodum id ex orationis meae serie, si modò aequum, huius animam attuleritis, perspicue cognoscere licebit. Velis proinde auna popularis contrahis, seminumque nugacium fluctibus sedatis, vacuum, feriarumque aurem huc adferre, (Nam iuxta sapientem Salomonem, sapientum dicta per quietem capiuntur) & vestris me precibus adiunxeris. Primum inter dominica festum est Christi ex virgine exortus. *Secundū inter solennes Christi dies locum tenet Theophania.* Graeci in Natiuitate Christi celebrant etiam Magorum aduentum, in Epiphania autem Christi baptismum recolunt. *Mat. 3. 17. 2. Pet. 1.* Hoc ordine consequuntur Theophania, siue festum Epiphaniae, quod contemplationis materiam primo illo offert sublimiore. Quandoquidem in Christi natalitatis stella tantum diuini verbi exortum magis prodidit; in hac autem Epiphaniae celebritate Ioannes ad omnes; in clamat; Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Quod baptista testimonium Christo, Baptismo Ioannis iam tantum initiato exhibituro, caelestis Patris voce publice confirmatum est; vox enim è caelo audita est, dicens, Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacuit. Sed neque haec quoque solennitas, leuitiam numeris omnibus perfectam complectitur. Constat namque mortale Christi corpus, per resurrectionis gloriam, immortalitatem per id tempus nondum induisse. Tertia inter anniuersarias Christi solennitates est dominica resurrectio: quae velut membrum eiusdem existens, salutarem sortitatoris per passionem proximè consequitur. Haec per aquam, & Spiritum

Festorum decus Christi ad caelos ascensum.

Primum inter dominica festum est Christi ex virgine exortus.

Secundū inter solennes Christi dies locum tenet Theophania.

Graeci in Natiuitate Christi celebrant etiam Magorum aduentum, in Epiphania autem Christi baptismum recolunt. Mat. 3. 17. 2. Pet. 1.



tum sanctum viuificat: vitæque potitos per sanguinis Baptisma, fulguris in modum, lucidos reddit. Per hanc, mundum collapsum instaurauit, ipsumque Adamum, qui olim exciderat, æterna vita donauit. Ex ligno Adamus mortem hauserat, per crucis rursus lignum mundus vitam recuperat. **Quamobrem festum hoc duobus præcedentibus, veluti illustrius non iniuria antefertur. In hoc enim immortalis per mortem, mortem peremit, vitæque immortalis mortuis conciliauit. Sed neque illud quoque, quod Christum exsuscitatum in terris adhuc detineret, gaudium omni ex parte consummatum offerebat. Est sanè pentecostes legitima, in qua Apostolis Spiritus sanctus datus est, magna, imò verò maior, quam vlla omnino oratio allequi facile queat; sed nihil hæc ad huius diei, qua Dominus Iesus ad cælos assumptus est, celebritatem: Hæc enim omni parte, & modo est maxima. Hodie Christus Dominus sydereos, micantesque luce cælos aperuit. Hodie subtilissimas aëris partes, veluti solidum pavementum calcavit. Hodie corpus è terra concretum supra cæli conuexa transfudit. Hodie vniuersæ Angelicæ naturæ immensum gaudium attulit. Hodie nouum, planèque peregrinum spectaculum mudo ostendit; puta carnem nostram supra regium solium euectam. Vbi nunc sunt, qui Circensibus ludis, equorumque concursationibus capiuntur? Vbi qui insigni aurigarum celeritate oblectantur? Agendum venite, aurigamque per cælorum spatia admirabiliter gradientem cernite. Adeste, quæso, nouumque, & stupendum agitatore spectate; nempe creaturæ opificem, humana natura quasi vehiculo vntem. Eia aurigam, non qui currum in compositè in terra regat, conspiciat; sed qui nouo more, modòque, cursum per cælos tentet, cælorumque fastigium quam primum occupare festinet, ac incurstantem Belial potenter excutiat, euertatque. At verò Iudæi, qui inuidia obcæcati veritatis lucem non ferunt, dum Christum in cælos assumptum audiunt, stupendo illi, admirandòque Solis iustitiæ miraculo, tenebras offundere nituntur; aiunt enim: Quid vos Christiani gloriamini, quòd Christus vester ad cælos, vt dicitis, assumptus sit? An non Elias, cum homo esset, patrem consecutus est gloriam? An non ipse quoque in cælum receptus est? Quibus nos eiusmodi oratione audacter obuiam imus: Cur, cæci Iudæi, sacros libros deprauatis? Cur, quæ clarè in illis exarata sunt, accuratè non expenditis? Cur legitis, & non intelligitis? Ecquid, quæso, diuina scriptura de Elia prodidit? nunquid assumptum esse in cælum? nequaquam: prodidit autem, cum aëris facta esset commotio, assumptum esse quasi in cælum. Atqui r̄b, quasi in cælum, negat, verò quàm affirmat: ast r̄b, in cælum, veritatem planè exponit. Quòd autem neq; Elias, neque vllus alius in cælum ascenderit, sed is tantum, qui è cælo descendit: nempe vniigenitus Dei filius, hoc ipse de se ipso perspicuis verbis testatur facit; Nemo, ait, ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, filius hominis, qui est in cælo. Nimirum Pastor ille bonus, qui nonaginta nouè ouibus, hoc est, Angelis in montibus cælestibus relictis, errabundam ouem quæsiuit, inuentamque, atque humeris clementer impostam, ad cælestem portum adduxit; adductam autem cælesti Patri muneris loco obtulit, dicens; Pater, inueni errabundam ouem,**

*Dominica resurrectionis eius, & apparitionem excelsit.*

*Festum dominice ascensionis consummatum gaudium complectitur.*

*4. Reg. 2.*

*Joan. 3.*

*Joan. 10.*

quam serpès, impostorque diabolus callidè, fraudatèrque circumuentam, in errorem pertraxerat, omnemque improbitatis viam edocuerat, ac diuinæ cognitionis puritate orbatam, idololatriæ ceno fædè cõtaminauerat. Cùm itaque improba vitæ luto profusus obrutam vidissem, diuinitatis meæ dextera porrecta, celeriter eam erexi, cõmiserationumque mearum viscera latè diffundens, in Iordanis flumine ablui; ablutam tandem, & suauè olenti Spiritus sancti vnguento per resurrectionem inunxi. Quare præsto nunc sum, munusculum diuinitate tua haud indignum oblaturus, ouem videlicet, mente, & ratione præditam. Hodie diabolus corpus nostrum in cælum sublenatum cernens, calamitatem suam deplorat. Hodie peccator propter Iesum assumptum, veluti funus disperet. Hodie diabolus lugens, ploransque eiusmodi nãmiam edi. Quid faciam, infelix? omnes, quos à seculo victos detinebam, lapsu incitabissimo instar accipitris aduolans, mihi interceptis: mœque desertum, omnique ex parte armis exutum, in terra deturbauit. Heu proculcauit me Mariæ filius. Ignorabam equidem Deum in humano corpore aditum latere. Cernebam illum mortali corpore indutum, tactusque hominem tantum esse, & aliud nihil, Iudæos flagitiosè aduersus illum concitauit, & quæ per me ipsum tentare non audebam, ea per illos confeci. Innumeras calumnias, & sycophantias adinueni, omne contumeliarum genus contra illum excogitavi. Acerum per ariditatem, & spongiam illi propinaui; spinis caput illius coronauit; alapis eundem dehonestauit, clavis cruci affixi; morti denique subieciti; & tãquam victoria potius, vnà cum Iudæis festum diem egi. At verò videns illum tertia die, prout prædixerat, à mortuis resurrexisse, repente veluti acuta cuspidè vndique traiectus, in terram concidi. Rursus æquè eum, ac antè comedere, & bibere cernens, aliam denuo crucem illi destinabam. Cæterum, dum hanc aduersus illum feridè commentor; En video eum non absque ingenti gloria, & maiestate in cælum, vnde ego cum magno probro, & dedecore excideram, subuolare. Quòd Psalmista David spectas, è multo iam tempore ita clamabat; Omnes gentes, plaudite manibus: exultate Deo in voce exultationis. Quoniam Deus excelsus, terribilis, & Rex magnus super omnem terram. Et paucis interiectis; Ascendit Deus in iubilo, Dominus in voce tubæ. Volui ponè illum in sequi, & ecce veluti plumbum deorsum deturbo. Volui illum detinere, & ecce vi, quæ sub aspectum non cadit, præpedior. Quid aggrediar miser? ex omni loco, & regione me abigit, proscrit; atque propellit. E cælo tanquam lapidem funda rotatum, impetuosè in terram deiecit. In terram autem deiectus, in aquis occultare me volui, at in Iordanis flumine inuentum, comprehensumque, tanquam tetrum Draconem indignis modis flagris concidit. Studeo rursus vel in terris angulum aliquè obtinere, & omnes mox veluti Domini pascui custodes, sublati vocibus, contra me insurgunt, alitumque; Domini est terra, & plenitudo eius, orbis terrarum, & vniuersi, qui habitant in eo, vociferantur. Sanè terram Domini esse, grãndis ille terræ motus, satis manifestè ostendit. Terra etenim Dei, & Domini sui conspectum veritatis, nec non ob filiorum suorum peruersitatem immaniter cæsa, Christo patienter in-

*Psal. 36.*

*Ibidem.*

*Psal. 137.*

genti tremore cõcussa est. Eadem turfum hiatus, scissurasque, veluti os aduersus elementa apertens, occulti doloris magnitudinem, nõ sine graui rugitu contestata est. Nisi quis forsitan eo rugitu, orisque patefactione, vt piam farrem, quo filiorum suorum peccatis venia concederetur, suppliciter efflagitasse, dicere malit: Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes eius. Domini est terra, & plenitudo eius. Christus nanque carnem è terra formatam sibi asciiuit, ascitamque in cælis constituit. Arripit subinde diabolus, per fornicationem eam contaminare contendens; at tu tanquam fidus custos animæ oculum vigilem semper, experrectumque habeas; neque latronem illum mentis tuæ lumina violare sinas; quò, plena tandem victoria potitus, audacter ad illum dicere queas; Dominicam possessionem, ò diabolè, nõ prodidi: Domini enim est terra, & Ecclesia Christi, quæ vbique cælesti pluuiâ exulta, irrigatãque, fructus varios, perpetuòque virentes Christo fundit: puta trigefimum, sexagesimum, & centesimum. Porro autem veræ pietatis præcones, postremum Domini aduerum omnibus palam denuntiantes, inter cætera depromebant; *Quemadmodum vidistis illum euntem in cælum, ita veniet.* Viri sunt enim duo, vñi stola candida induti; duo quidem, quò veritati fidem faciãt? Viri verò, quò animi robur discipulorum confirmet; In veste autem candida, quò auditorum mentes, & conscientias illustret. Ecquid autem viri illi, qui cernebantur, prædicabant? *Viri Galilæi, quid statis, aspicientes in cælum?* Quid cælum oculis defixis intuemini? eum potius, qui cælum condidit, mentis vestræ luminibus vsurpate, hymnificæ, & laudibus assumpti magnitudinem extollite; atque stupendam illius clementiam, animique demissionem summi miraculi loco ducite. Quandoquidem is ille est, qui hominem terrenum sibi confociauit, confociatumque inter cæli ciues ascripsit, cælorumque incolam constituit. Papæ quòd humi iacentem euexit? *Quid statis aspicientes in cælum? hic Iesus, qui assumptus est à vobis in cælum, sic veniet.* Veniet enim corpore nostro vestitus; veniet clauorum vestigiis pulchrè insignitus; veniet, latus lancea dira perforatum, omnibus manifestè ostensurus, quò nimirum Iudæi videat, in quem olim pupugerunt. Nos autem digni habeamur, qui vultum illius cum fiducia conspiciamus, promissorumque bonorum participes efficiamur, gratia, & clementia Domini nostri Iesu Christi, cum quo Patri, & Spiritui sancto sit gloria, imperium, & honor, nunc, & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

*Psal. 105.*

*Psal. 137.*

*Psal. 23.*

*Act. 1.*

*Act. 1.*

**S. HIERONYMI PRESBYTERI in idem Euang. Homil.**

**N**ouissimè recumbentibus, &c. Vt omnes testes enarraret omnibus, quod communiter viderunt, & audierunt, exprobrat incredulitatem, vt succedat credulitas, exprobrat duritiã cordis lapidei vt succedat cor carneu charitate plenum. Hinc est, quod martyrum cateruæ mortem huius seculi libenter affectant, quia nouerunt pro isto temporali interitu perpetuò se esse victuros. *Emertes in mundum, &c.* Nunc primum post acceptum spiritum, ac si vasa limosa per ignem confirmata:

*omni creaturæ, id est, omni generi humano, quod in se commune aliquid habet ab omni creatura, iubetur, id est, angelis, pecoribus, lignis, lapidibus, igni, aquæ, calido, & frigido, humido, & arido: quia mundus minor homo dicitur. Dominus vti- que Iesus, qui de cælo descendit ad liberandam infirmitatis nostræ naturam, ipse etiam super cælorum cælos ascendit, qui sedet ad dexteram patris. Considerandum est autem, quod frequenter in scripturis diuinis plurali numero cælos dictos inuenies, dum legitur; In principio fecit Deus cælum, & terram, cum tamen pluraliter dicti cæli legantur, & terræ. Modus enim iste locutionis larius patet, vt abusiue singularia numero plurali dicamus, & pluralia singulari. Ad orientem vero quod Psalmista dicit, Evangelistæ tacent: Hierosolymam significant, quæ est in Oriëntis partibus collocata. Vnde dominus Apostolis videtibus ascendit ad cælos. Terra multis plena miraculis, vbi fidelium credulitas plus actibus, quam lectionibus, eruditur. *Qui crediderit vero, &c.* ccxxxv. capitulo, Marcus signa credentium, cum Marthæo, & Luca concordans narrat.*

**S. AVGVST. EPISCOPI Hippon. in festo Ascensionis Domini Homil. 1.**

**G**lorificatio domini nostri Iesu Christi resurrectione, & ascendendo completa est. Resurrectionem ipsius Paschæ dominico celebrauimus: Ascensionem hodie celebramus. Festus nobis dies vterque. Ideo enim resurrexit, vt nobis exemplum resurrectionis ostenderet. Et ideo ascendit, vt nos desuper protegeret. Habemus ergo dominum, & saluatorem nostrum Iesum Christum prius pendentem in ligno, nunc sedentem in cælo. Pretium nostrum dedit, cum penderet in ligno, collegit, quod emit, cum esset in cælo. Cum enim omnes collegerit, quos vtiq; per tempora collegit, in fine temporis veniet, & quomodo scriptum est, Deus manifestus veniet: nõ quemadmodum primitus venit occultus, sed, sicut dictu est, manifestus: occultum enim oportebat eum venire, vt iudicaretur, manifestus autem veniet, vt iudicet. Si enim prius manifestus venisset, iudicare manifestum quis auderet? Quandoquidem dicit Apostolus Paulus, Si enim cognouissent, nunquam dominum gloriæ crucifixissent. Sed si ille non occideretur, mors non moreretur. Trophæo suo diabolus victus est. Exultauit enim diabolus, quando hominem primum seducendo deiecit in mortem. Seducendo primum hominem occidit, occidendo nouissimum primum de laqueis perdidit. Facta est ergo victoria domini nostri Iesu Christi cum resurrexit, & ascendit in cælum, & impletum est quod audistis, cum Apocalypsis legeretur, Vicit leo de tribu Iuda. Ipse leo dictus est, ipse agnus occisus est, Leo propter fortitudinem, agnus propter innocentiam. Leo quia inuictus, agnus quia mansuetus. Et ipse agnus occisus morte sua vicit leonem, qui circuit quæret quem deuoret, dictus est enim diabolus leo, feritate, non virtute. Apostolus quippe ait Petrus, Vigilate vos oportet aduersus tetrationes, quia aduersarius, inquit, vester diabolus circuit quæret quem deuoret. Sed quomodo circuit, dixit, Sicut leo rugiens

*Serm. 174. de temp.*

*Act. 1. Math. 27.*

*Psal. 49.*

*1. Cor. 2.*

*Apoc. 5.*

*2. Pet. 5.*

rugiens circuit quærens quem deuoret. Quis non incurreret in dentes leonis huius, nisi uicisset leonem tribu Iuda? Contra leonem leo, contra lupum agnus. Exultant diabolus, quando mortuus est Christus, & ipsa morte Christi est diabolus victus, tanquam in mulsipula escam accepit. Gaudebat ad mortem, quasi præpositus morti. A quo gaudebat, inde illi tensum est. Mulsipula diaboli crux domini: esca, qua caperetur, mors domini. Et ecce surrexit dominus noster Iesus Christus; Vbi est mors, quæ pependit in ligno? Vbi est insultatio Iudæorum? Vbi est typhus, & superbia, caput ante crucem agitantium, & dicentium, Si filius Dei est, descendat de cruce? Ecce plus fecit, quam illi insultando exigebant. Plus enim est de sepulchro resurgere, quam de ligno descendere. Iam uero quanta gloria est, quod ascendit in cælum, quod sedet ad dexteram patris: sed oculis non videmus quia nec pendentem in ligno uidimus. Totum hoc fide tenemus, oculis cordis intuemur. Hodie enim, sicut audistis, fratres, dominus Iesus Christus ascendit in cælum, ascendat cum illo & cor nostrum. Audiamus Apostolum dicentem, Si confurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt querite, ubi Christus est in dextera Dei sedes. Quæ sursum sunt sapite, nõ quæ super terram. Sicut enim ille ascendit, nec recessit à nobis, sic & nos cum illo ibi iam sumus, quamuis nondum in corpore nostro factum sit quod promittitur nobis. Ille iam exaltatus est super cælos. Neque enim propterea nobis desperanda est perfecta & angelica cælestis habitatio, quia dixit, Nemo ascendit in cælum nisi qui descendit de cælo, filius hominis, qui est in cælo: sed hoc dictum est propter unitatem, qua caput nostrum est, & nos corpus eius. Cum ascendit in cælum, nos ab illo non separamur. Qui de cælo descendit, non nobis inuider cælum, sed quodam modo clamat, Mea membra estote, si ascendere uultis in cælum. In hoc ergo ipsi intarim roboremur in hoc uotis omnibus æstuemus. Hoc meditemur in terris, quod computamur in cælis. Tunc exuturi carnem mortalitatis, nunc exuamus animi uetustatem. Facile corpus leuabitur in alta cælorum, si non premat spiritum sarcina peccatorum.

Math. 27.

Act. 1. Marc. 16.

Coloss. 3.

Ioan. 3.

**EIVSDEM IN EODEM**  
*festo, Homil. 2.*

Serm. 175, de temp.

**S**aluator noster, dilectissimi fratres, ascendit in cælum, nõ ergo turbemur in terra. Ibi sit mēs, & hic erit requies. Ascendamus cum Christo interim corde, cum dies eius promissus aduenerit, sequemur & corpore. Scire tamen debemus, fratres, quia cum Christo non ascendit superbia, non auaritia, non luxuria, nullum vitium nostrum ascendit cum medico nostro. Et ideo, si post medicum desideramus ascendere, debemus vitia vel peccata deponere. Omnes enim quasi quibusdam compedibus nos premunt, & peccatorum nos retibus ligare contendunt, & ideo cum Dei adiutorio, secundum quod ait Psalmista, Dirumpamus uincula eorum, ut securi possimus dicere domino, Dirupisti uincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis. Resurrexerit domini spes nostra est, ascensio domini gloriificatio nostra est. Ascensionis hodie solennia celebramus. Si ergo

Psal. 2. Psal. 115.

rectè, si fideliter, si deuote, si sanctè, si piè ascensionem domini celebramus, ascendamus cum illo, & sursum corda habeamus. Ascendentes autem non extollamur, nec de nostris quasi de propriis meritis præsumamus. Sursum autem corda habere debemus ad dominum. Sursum enim cor ad dominum, non superbia uocatur. Sursum autem cor ad dominum refugium uocatur. Videte, fratres, magnum miraculum. Altus est Deus, erigit te, & fugit à te. Humiliat te, & descendit ad te. Quare hoc? Quia excelsus est & humilia respicit, & alta de longè cognoscit, Humilia de proximo respicit ut attollat, alta, id est, superba de longè cognoscit, ut deprimat. Resurrexit enim Christus, ut spem nobis daret, quia surgit homo, qui moritur: ne mori edo desperaremus, & vitam nostram in morte finitam putaremus, securos nos fecit. Soliciti enim eramus de ipsa anima, & ille nobis resurgendo de carnis resurrectione fiduciam dedit. Crede ergo, ut mûderis. Prius te oportet credere, ut postea per fidem Deum merearis aspicere. Dum enim videre vis audi ipsum, Beati mundo corde, quoniam ipsi Deû uidebunt. Prius ergo cogita de corde mundando, quicquid tibi uides, quod displicet Deo, tolle. Venire ad te uult Deus: audi ipsum dicentem. Ego, & pater uenimus, & mansionem apud eum faciemus. Ecce quid promittit Deus: Si ego qualiscunque fragilis homo uenturum me ad domum tuam promitterem, sine dubio mundares eam, superflua proiiceres, quæ erant necessaria præparares: Deus ad cor tuum uenire uult, & piger es, ei domum mundare? Omnia vitia inimica sunt Deo, & ideo ipso auxiliante proiice illa, si vis excipere Deum. Non enim amat Deus habitare cum auaritia immunda, sordida, & insatiabili, cui infideles homines seruire uolunt, & Deum uidere cupiunt. Et tu ergo munda cor tuum. Si potes id age, id operare, ut Christus mundet ubi maneat: Roga, supplica, humiliare: audi scripturam dicentem, Deus superbis resistit. Esto humilis, ut in te requiescat Deus. Idem ipse Christus tibi est uia & patria. Secundum hominem uia, secundum Deum patria. Si fideliter curris, per ipsum uadis, & ad ipsum peruenies. Etenim tibi æterna uia assumptit quod non erat, non amisit quod erat. Ipsius ergo misericordiam deprecemur, ut nobis fidem rectam & intellectum sibi placitum ad exercenda opera bona concedat: Quod ipse præstare dignetur, qui uiuit, & regnat per omnia, &c.

Psal. 137.

Matth. 5.

Ioan. 14.

Ioan. 4. 2. Pet. 3.

**EIVSDEM IN EODEM**  
*festo, Homil. 3.*

**O**mnia, charissimi, quæ dominus Iesus Christus in hoc mundo sub fragilitate nostra miracula edidit, nobis proficiunt: qui, dum humanam conditionem syderibus importauit, credentibus cælum patere posse monstrauit, & dum uictorem mortis in cælestia eleuauit, uictoribus, quod sequantur, ostendit. Ascensio ergo domini, catholicæ fidei confirmatio fuit: ut securi in posterum crederemus miraculi illius donum, cuius iam in præsentem percepissemus effectum: & fidelis quisque cum iam tanta perceperit, per ea, quæ cognoscit præstita, discat sperare promissa, ac Dei sui præteritam, præsentemque bonitatem, quasi futurorum

Serm. 176, de temp.

futurorum teneat cautionem, Super excelsa ergo cæli terrenum corpus imponitur, ossa intra sepulchri angustias paulò antè cõclusa angelorum cœtibz inferuntur, in gremium immortalitatis mortalis natura transfunditur, & ideo sacra Apostolicæ lectionis testatur historia. Cum hæc dixisset, inquit, uidentibus illis, eleuatus est. Dum audis eleuatum, agnosce militia cælestis obsequium. Vnde hodierna festiuitas hominis nobis, & Dei sacramenta manifestauit. Sub vna eademque persona in eo, qui eleuat, diuinam potestiam, in eo autem, qui eleuatur, humanã cognosce substantiam. Ideoque omnimodis detestanda sunt uenena Orientalis erroris, qui impia nouitate præsumit asserere filium Dei, ac filium hominis unius esse naturã. In alterutra enim parte uel qui solum hominem fuisse dixerit, negabit cõditoris gloriam, uel qui solum Deum, negabit misericordiam redemptoris. Quo genere non facile Arrianus euãgelicam poterit habere ueritatem, ubi filium Dei nunc æqualem legimus, nunc minorem. Qui enim unius naturæ saluatorem nostrum mortifera persuasionem crediderit, solû hominem aut solum Deum cogetur dicere crucifixum. Sed non ita est. Mortem enim nec solus Deus sentire, nec solus homo superare potuisset. Nos ergo notuerimus in Christo duplicem, geminamque substantiam. De patre cælestem, de matre terrenam. Quam utranque in uno, eodẽque redemptore suis promptum est: testimonium explicare. Quasi homo dicebat, quia pater maior me est: sed idem quasi Deus pronuntiabat, Ego, & pater unum sumus. Quasi homo dicebat, Tristis est anima mea usque ad mortem: sed quasi Deus fiducialiter loquebatur, Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam. Quasi homo in cruce pendeat, sed quasi Deus regnum cælestis donabat. Arriani autem cõsultã mente. distingas substantias penitus nõ uidentes, quæ erant hominis, ad Deum impie retulerunt, credentes, quod minor loqueretur diuinitas, ubi iuncta Deo hominis demonstrabatur infirmitas. Nullam itaque facientes inter cælestia, & terrena rationem, dum inter Deum, & hominem distinguere nesciunt, Dei substantiam diuiderunt, & dum ad sola hominis uerba respiciunt, Deum sine intellectus lumine perdididerunt. Nos uero, ut præfati sumus, Dei, & hominis duplicem substantiam, sed simplicem nouerimus esse personam. Ille etiam error ualde refugiendus est, qui impiè asserit, quod beata Maria solum Deum peperit, eo quod sibi saluator noster cælestem. nescio quam carnem intra uiscera materna perfecerit, & ita transierit per uirginis uerum, quasi per corpus alienum. Sed cum dicat per Prophetam. sermo diuinus, De torrente in uia bibit, propterea exaltabit caput: si non est corpus nostrum, quomodo est caput nostrum? Et cum alio loco Prophetam commemorat, Paruulus natus est nobis: Non nobis natus est, si nihil sumpsit ex nobis. Si nihil de nostro suscepit, nihil nobis præstitit. Proinde, charissimi, si non in nostra carne diuolum triumphauit, se exercuit, nõ nobis uicit. Si non in nostro corpore resurrexit, conditioni nostræ resurgendo nihil contulit. Hæc qui dicit, suscipit, & assumptæ carnis non intelligit rationem, confundit ordinem, euacuat uilitatem: si non in nostra carne peregit medicinam, solam ergo ex-

Inuiti Euty-cheti hæresim, qui erro- res capie do- cere post mor- tem S. Augu- stini.

Ioan. 14. Ioan. 10. Matth. 26.

Ioan. 10. Lucæ 23.

Valentini, & Apollinarij hæresis.

Psal. 109.

Esaiæ 9.

homine nascendi elegit iniuriam. Recedat à sensibus nostris tam periculosa persuasio. De nostro est, quod appendit, de suo est, quod donauit. Meum testor esse, quod cecidit, ut meum sit, quod resurrexit. Meum testor esse, quod iacuit intra tumulum, ut meum sit, quod ascendit in cælum. In illo itaque nostri generis corpore nos Christi mors uiuificauit, nos resurrectio erexit, nos ascensio consecrauit. In illo nostræ originis corpore cælestibus regnis arrham nostræ conditionis imposuit. Elaboremus ergo, charissimi, ut quemadmodum dominus in hac die nostro cum corpore ad superna conscendit: ita nos post illum quo modo possumus, spe ascendamus, & corde sequamur. Ipso affectu pariter, & profectu ascendamus post illum, & iam per uicia, ac passiones nostras, si utique unusquisque nostrum subdere eas sibi studeat, ac super eas stare cõsuescat, ex ipsis sibi gradum construit, quo possit ad superiora conscendere. Eleuabunt nos, si fuerint infra nos. De uitiis nostris scalam nobis facimus, si uicia ipsa calcamus. Nam cum bonitatis autore non ascendit malitia, nec cum filio uirginis libido, atque luxuria. Non, inquam, ascendunt uicia post uirtutum parentem, peccata post iustum, nec infirmitates, ac morbi possunt ire post medicum. Igitur si intrare ipsius medici regnum uolumus, prius uulnera nostra curemus. Ordinemus, & custodiamus in nobis statum utriusque substantiæ, ne animam nobiliorem utique hominis portionem tartaro pars deuoluat inferior, sed secum potius cælo sanctificatum corpus acquirat natura gloriofior, ipso adiuuante, qui uiuit, & regnat in secula seculorum, Amen.

**EIVSDEM IN EODEM**  
*festo Homilia 4.*

**A**scensionis domini nostri Iesu Christi factus, & solennis dies hodie illuxit, exultemus, & iocundemur in eo. Christus descendit, inferiora paruenerunt. Christus ascendit, superiora claruerunt. Christus in sepulchro, mentiantur custodes. Christus in inferno, uisitentur quiescentes. Christus in cælo, credant omnes gentes. Ipse ergo debet esse autor nostri sermonis, qui est largitor nostræ salutis. Nam de quo aliquid loquamur uobis nisi de illo, qui modo ex Euangelio loquebatur omnibus nobis. Ascensurus enim ad patrem, dicebat discipulis suis. Hæc locutus sum uobis, cum adhuc essem uobiscum. Paracletus autem spiritus sanctus, quem mittet pater in nomine meo, illè uos docebit omnia, & commonebit uos omnia, quæcunque dixi. Non turbetur cor uestrum, neque formidet: Audistis quia dixi uobis, uado ad patrem meum, quia pater maior me est. Ascensurum enim se dixit ad patrem, & cõuultari sunt discipuli, quod eos corporali forma desereret, & ait illis. Quia dixi uobis, uado ad patrem, tristitia impleuit cor uestrum? Si diligeretis me, gauderetis utique, quia uado ad patrem, quia pater maior me est: hoc est, ac si diceret, Ideo subtraho uestris oculis istam serui formam; in qua pater maior me est, ut ab oculis carnis serui forma remota dominum spiritaliter uidere possitis. Ergo & propter ueram formam serui, quam suscepit, uero dixit, Pater maior me est, quia utique

Serm. 177, de temp.

Ioan. 14.

1. Thim. 3.

Ioan. 14.

vrque homine maior est Deus : & propter veram formam Dei in qua permanet cum patre : verum dixit, Ego, & pater vnus sumus. Ascendit ergo ad patrem per id quod homo erat, sed mansit in patre per id, quod Deus erat, quia in carne ad nos processit, & à patre non recessit. Ascendit, inquam, ad patrem verbum, quod caro factum est, vt habitaret in nobis, & suam presentiam repromisit dicens, Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi. Secundum formam serui, dicit de illo Ioannes Apostolus, Ipse est verus Deus, & vita æterna. Secundum Dei formam dicit de illo Apostolus Paulus, Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam serui accipiens. Secundum formam Dei ipse de se loquitur, Ego, & pater vnus sumus: secundum formam serui dicit, Tristis est anima mea vsque ad mortem. Vnde illa fiducia, vnde ista formido? Illa vrque vox ex proprietate substantiæ, ista vero ex participatione infirmitatis assumptæ. Hæc ergo, charissimi, prudenter intelligentes de scripturis sanctis, dum legimus discernamus, sed dum discernimus ne fortasse erremus, intellectum ab ipso domino postulemus, cui est honor, & gloria in secula seculorum, Amen.

Ioan. 10.

Ioan. 1.

Mat. 28.

Philip. 2.

Ioan. 10.

Mat. 26.

### EIVSDEM IN EODEM

festo, Homil. 5.

Sermo 178. de semp.

Ascensionis ergo dominicæ inclytum, & regale mysterium, quod Christus terram leuauit ad cælum, canit etiam totus mundus, & festis agit gaudiis triumphos domini sui, quia exiit à terra inopem: & de stercore exaltauit pauperem, eumque leuauit ad patrem. Quis igitur illuc potest ascendere, & aëreos demones transire, nisi ille solus, qui peccatum non potuit habere: Crux ergo illa non obfuit, sed profuit: quia & nobis Christus vicit, & ille in ea superari non potuit. Non sepulchra, non inferi victricem domuerunt carnem, expendit Deus pro homine, quod decreuerat, & rapuit, quem volebat. Videt hoc præfentes Apostoli, & paulatim semetipsum ad superna tollentem, pectore pauidi, mente confusi, oculis trepidi cõsequuntur, donec vltro solutam nubem serena dies exciperet, & fulgore corusco vallatum humanis cõspectibus occultaret. Cum ergo eum discipuli tanto lumine perculli non viderent, & curiosos oculos iubar rubidum coruscis ictibus euitaret, confestim ex victoribus angeli directi duo, metu, & dolore prostratos Apostolos verbis talibus consolantur, Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cælum? Ille Iesus, qui assumptus est à vobis in cælum, ita veniet quem admodum vidistis eum euntem in cælum. Sic veniet, inquit, manifestus, quemadmodum nunc extollitur super astra præclarus, & poli secreta suscipiunt, quem refundant, sanctificatur, diuino comitatu immensus aër, & omnis illa voluntas turba per auras Christo ascendente, transringit, pauet omne cælum, mutantur astra, concurrunt confestim fulmineus ille militiæ cælestis exercitus: Vident regem suum vitæ carnis manibus reportare, atque hoste debellato, hominem in superna conscendere, agnoscunt in cicatricibus signa bellorum, adorant in carne vulnera iam sana-

Act. 1.

Act. 1.

ta, vbi nihil peccati macula extinxerat, nec quippiam sua virulentia grauidus ille veneni draco vomuerat, Serpens enim vestigium in petra non figebat. Plaudunt agmina, tubæ sonant, lætis semiscentia blanda modulamina choris funduntur. Ecce confestim splendidus ille senatus cælestis ex regnis soluitur. Nanque in imis poli læta carminibus regia ampla Dei referatur, vndique syderei repagula cæli, atque astriferi orbis arcana soluta penitus compage patefcunt. Recessit in geminam arcem diuisus aër, & lati ardua cæli latera concisis marginibus dependunt. Fit vnus ibi sine cælo dies, & claris titubat fulgoribus, & tunc æternis inter se ita resonant obsequia læta carminibus, Tollite portas, principes, vestras & eleuamini, portæ æternales, & introibit rex gloriæ. Ascendebat enim cruoris rubore perfusus à trophæis victricibus laureatus. Viderunt cælestes cuncti speciosum vulneribus Christum, spolia castris tyrannicis reportata: & admirantes fulgentia diuinæ virtutis vexilla, talibus concrepant hymnis, deducuntque lætantes. Quis est, inquit, iste rex gloriæ? Et aiunt, Dominus virtutum ipse est rex gloriæ. Hic est ille candidus, & roseus compunctus à multitudine. Hic est ille, qui non habuit speciem, neque decorem, infirmus in laqueo, fortis in spolio, vilis in corpulculo, armatus in prælio, foedus in morte, pulcher in resurrectione, candidus ex virgine, rubicundus in cruce, fuscus in opprobrio, clarus in cælo. Quando id quisquam, fratres, nosset, vt Deus lateret in carne, maiestas habitaret in corpore, & ita in mundo gereret prælium, vt ipsum corpus post sepulchra mox leuaret ad cælum? Recepit igitur se intra velamina diuina cum carne maiestas, didicit cælum portare hominem, atque sub pedibus Christi famulancia aethera iacuerunt. Ecce iam porta patet, quam clauserat Adam, claustrum, quod cælo iniquitas infixerat, reparatum est. Si quis se ad Christum tenuerit, & vnus substantiæ patrem, & filium, & spiritum sanctum confessus fuerit, cæli ianuas per ipsum securus intrabit, Amen.

Psal. 4.

Act. 1.

Act. 1.

### EIVSDEM IN EODEM

festo, Homilia 6.

Quantis ornatis gaudiorum refulit hodie aula cælorum? Angeli enim vota sua sperata diutius receperunt, & hymnum dixerunt. In alleuatione portarum lux in cælis, splendor in ianuis, quia Christus rursus ascendit, procedens de thalamo suo, ascensus in throno suo. Vnde sanctus David posuit organum suum in foribus cælorum, canens canticum nouum, Quoniam qui descendit, ipse est qui ascendit super omnes cælos. Læterioribus ergo fistulis organum tangens resultat, & dicit protophetæ æterni consulis cernens, non auro gemmisque decorum, sed nubium glacie candidatum. Qui ponit, inquit, nubem ascensum suum, qui ambulat super pennas ventorum. Iam enim super aspides, & basiliscum ambulauit, & conculcauit leonem, & draconem: Pede in mortis, plausu resurrectionis. Mirabilis in oculis nostris clarificatus cotulcat ascensionis virtutibus, sedes super nubem leuem, compluens Apostolos pacis hereditate, & testamentaria charitate: Pacem, inquit, meam do vobis, pacem relinquo vobis. Ad hanc

Serm. 178. de semp.

Psal. 118.

Ephes. 4.

Psal. 103.

Psal. 90.

Ioan. 14.

hanc melodiam sonantium organorum ante aulam regiam cælorum inuitati sequuntur Apostoli, benedictionis gratiam petitori: gradiuntur cum domino filij sponsi, pignus accepturi spiritus sancti. Leuans autem manus suas benedixit eos, dedit eis arrham sponsalem muneris preciosam, non ex auro, gemmisque distinctam, sed charitatis anfulis contextam catenam, qua alligati sequantur eum ad sponsam agni Hierusalem patriam sempiternam. Domine, inquit, quare nos derelinquis ascendens, qui nos elegisti in ripa procedens? Domine, quando sumus verba tua super mel, & fauuum eminus percepturi, & stillantis, rorantisque gratiæ balsamum de tuis labiis, ac faucibus libatururi? Aut instrue quod ascendis, ne deseras cum ascēdis: quasi scuto benignitatis tuæ remansimus in aperto nudati, tanquam pupilli matris amplectentis pennatæ velamine destituti. Quando venies ad nos, qui redemisti nos? Mors tua fuit peccatum nostrum, sic ascēsus tuus pignus nostrum, ne nimis absorpti mærore mergamur, quos eleuasti de gemitibus inferorum. Ascendens ergo dominus alumnorum suorum tristitiam excelsa de nube suspiciens, emittit consolatores mæroris, nuncios ascendens, & indices reuertentis. Viri, inquit, Galilæi, quid statis aspicientes in cælum? hic Iesus, qui assumptus est à vobis in cælum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cælum. Sic veniet, vna erit euectio, vna læritia nubifera, vna species mansueta, sed iustis clarifica, & peccatoribus metuenda. Non vos terreat aduentus, quos consolatur eius ascēsus. Sic veniet, clauorum vulnera illæsa demonstrans, & foraminum cruenta monila. Vobis filiis sponsi eum coronam cælestis exhibebit imperij, crucis vulnera non mutabit, quia signum filij hominis fulgebit. Accepto ergo Apostoli ascēditis mandato, desuper venturo sancti spiritus pignore precioso, in templo erant vnanimis collaudantes dominum, vt vna eos inueniret corona ignea aduentantium gratiarum. In templo ergo, fratres, semper vnanimis demoremur, & in domo domini ambulantes cum concordia pacis eius speremus aduentum, & in templo eius omnes dicamus gloriam, vt etiam ignis gratiæ infuset super nos, Amen.

Act. 1.

Psal. 118.

Serm. 180. de semp.

Luc. 24.

### EIVSDEM IN EODEM

festo, Homilia 7.

Electat aspiciere Christum dominum portatoris nubibus ascendente, cum resurgens à mortuis reuerti cœpit ad cælum, vnde venerat saluare genus humanum. Qui sunt, qui expectant ascendente, qui viderant resurgente, fugerunt pendente, & sequantur oculis ascendente? Timor in cruce, amor in nube visus delectabilis in aère. O dulcis descendens affectus, o delectabilis euolantis aspectus. Facit vale, & benedicit in pace. Illi se commendant, & ille benedictionis gratiam relinquit. Benedicit eos extensis manibus, & præparatis in occursum imponitur nubibus. Finit eloquium & iam repetit cælum. Candida enim subito apparuit nubis euectio parata in cælo. Apparuit nubes, intrauit in eam, qui educit nubes ab extremo terræ, vt oblectaret oculos eorum nubis amœnitas, & irroraret eos

ascendentis de cælo suauitas, ne sola desiderantium inanis remaneret anxietas. Ecce in clypeo Actuum Apostolorum pendentium viuunt picta lumina piscatorum, adest consolator qui ascendit saluator: Mittit continuè duos cælestes prætores, vt alumnos suos securos redderet metuentes, & in gaudium conuerteret lacrymantes. Opprebat enim cælestes mitti consolatores, ne remaneret trepidi piscatores. Nam & cum Imperator de vrbe transit ad urbem, & eius nunciatur aduentus, non mittuntur nisi domestici prætores, ac palatini, vt nuncient provincialibus quod est regis aduentus, aut reditus: Ita & domino ascendente, prætorum cælestium turba resplenduit decantantium, vt tanquam provincialium respirare facerent à timore corda pastorum. Quando etiam patitur, ac resurgit, domestici angeli destinantur, vt à nube, ac prætorio monumenti resurrexissent nunciarent dominum cæli: & nunc cum ascendit, de choro præcedentium potestatum, de multitudine cantantium in aère castrorum, duo palatini cælestis imperij diriguntur, vt & flebilis requiescerent lumina piscatorum, hymnum cælestem recitant: Piscatores viri, inquit Galilæi, quid aspicitis in Iesum euntem in cælum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cælum. Profectus est desiderabilis, non veniet vobis terribilis, nubes in occursum, nubes in reditu. Vulnera portauit, ipsa iterum reportabit. Crucem retulit cum triumpho, signum filij hominis vobis parebit in cælo: Sic veniet in ipso corpore, in ipsa nube, in ipsa veritate, vobis in amore, impiis in tremore. Beati quibus verè dicitur, Sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cælum. Nunquid sic veniet oculis peccatorum? Ipsa erit veritas, sed non erit ipsa securitas. Dies erit tremendi iudicij, descensus angelorum, resurrectio mortuorum. Ascendent angeli & quodam digito tubæ sonantis, tangent sepulchra terræ trementis, vt pignora restituant throno igneo iudicantis, Ascendent angeli ad sepulchra prophetarum & ipsorum Apostolorum omniumque sanctorum, & dicent eis, Ecce est, qui sic iterum redit, quomodo ascēdit. Nos diximus, quia sic veniet, quomodo eum vidistis euntem in cælum: qui deduxistis euntem, suscipite redeuntem. Ista allocutio non est linguarum septuaginta, sed patenter nubes dicuntur plumiales, vt occurrant in rore, & refrigerosa amœnitate qui conscientiæ non continent questionem. Petamus ergo à domino Deo nostro, vt, sicut hodie ascensionis celebramus tempus, & diem, ita reuertentis mereamur matutinam suscipere pietatem; vt dicamus ei, Mane adorabo, domine, mane alabo tibi, & contemplantur te.

Psal. 134.

Act. 1.

Psal. 118.

### EIVSDEM IN IDEM

Euang. Homilia.

Vdistinguit quid dixerit dominus discipulis suis post resurrectionem, Misit eos ad Euangelium prædicandum, & factum est. Prædicatum est Euangelium, peruenit ad nos, Et ecce in omnem terram exiit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Ambulando & ambulando Euangelium peruenit ad nos, & ad fines terræ. Breuiter constituit nobis, loquens discipulis suis, Bibl. H. om. tom. 3. N quid

Ser. 1. lib. 17. Homil.

Psal. 59.  
Psal. 35.

Psal. 48.

quid faciamus, quid speremus. Ait enim sicut audistis, quando loquebatur, *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit.* Exigitur à nobis fides, offertur salus, *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit.* Preciosum est, quod promittitur nobis: gratis sit, quod iubetur, *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit.* Quid enim? Qui hæc audiebant, salui non erant? Nonne multi salui credunt, salui fiunt, & antequam credant? Salui planè, sed vana salus hominum. Qualis est ista salus, quæ tibi cum iumento tuo communis est? Verumtamen etiam ipsa vnde nisi ab illo de quo scriptum est, Homines, & iumenta saluos facies domine. Et addidit, Secundum multitudinem misericordiarum tuarum, Deus. Tanta est enim multitudo misericordiarum tuarum, ut veniat à te salus in istam carnem mortalem hominum, veniat & ad carnem pecorum. Hæc est multitudo misericordiarum tuarum, filiis tuis quid? Ecce homines & iumenta saluos facies domine. Nihil nobis amplius? Quod hominibus quibuscunque, quod pecoribus, hoc præstatur & nobis? Non planè hoc. Sed quid? Audi, filij autem hominum sub tegmine alarum tuarum sperabunt: Inebriantur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos. Quoniam apud te est fons vitæ: Christus est fons vitæ. Habebamus salutem cum iumentis quousque veniret ad nos fons vitæ: fons vitæ venit ad nos & fons vitæ mortuus est propter nos. Negabit vitam suam, qui nobis erogavit mortem suam? Ipsa est salus quæ non est vana. Quare? Quia non transit. Bene animaduertenda ista distinctio, homines & iumenta saluos facies domine. Homines, pertinentes ad hominem: filij autem hominum, pertinentes ad filium hominis, sub tegmine alarum tuarum sperabunt. Constituite vobis ante oculos duos homines. Erigite fidem, euigilet cor vestrum, recordamini hominem in quo decepti sumus, recordamini hominem à quo redempti sumus. Ille homo nunquid filius hominis? Adam homo erat, filius hominis non erat. Ideo dominus Christus assidue se dicit filium hominis, ut faciat nos recordari hominem, qui non fuit filius hominis. Ut recordemur in illo mortem, in isto vitam. In illo peccatum, in isto remissionem peccatorum. In illo vinculum, in isto libertatem. In illo damnationem, in isto absolutionem. Duo ergo isti homines significati sunt & in his verbis, homines & iumenta, &c. Homines pertinentes ad hominem, & iumenta simul cum iumentis eos saluos facies. Homo enim in honore positus non intellexit, sicut scriptum est, Homo in honore positus, non intellexit, comparatus est iumentis insensatis, & similis factus est eis. Propterea homines, & iumenta, quibus similes facti sunt homines, quia non intellexerunt. Et eis, quibus dominari creati sunt, comparati sunt, saluos facies. Nunquid ipsa est salus, de qua dictum est, *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit?* Alia est illa salus, longe alia. Angeli hanc habent, nolite eam querere in terra. Magna est, sed non est hic. Non est ista res de ista regione, non est hinc talis salus. Sursum cor. Quid hic queris in terra salutem hanc? Ipsa salus huc venit, & mortem nostram hic inuenit. Nunquid dominus noster Iesus Christus quando venit ad nos in carne, inuenit hic salutem istam in regione nostra. Magnum quid huc attulit mercator iste de regione

sua veniens, inuenit in regione nostra quod hic abundat. Quid hic abundat? Nasci & mori. Plena est terra his mercibus: natus est, & mortuus est. Sed qua via natus est? Ad istam regionem venit, sed non ea via qua & nos. De celo enim venit à patre, & tamè natus est mortalis. Natus est de spiritu sancto ex Maria virgine. Nunquid nos sic de Adam & Eva? Nos per concupiscentiam carnis, ille autem non per ipsam: Maria enim virgo sine virili amplexu, sine concupiscentia æstus, quoniam ne pateretur hunc æstum ei dictum est, Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obrabit te. Virgo ergo Maria nõ concubuit & concepit, sed credidit & concepit. Natus est enim mortalis mortalibus. Quare mortalis? Quia in similitudine carnis peccati, non in carne peccati, sed in similitudine carnis peccati. Quid habet caro peccati? Mortem & peccatum. Quid habuit similitudo carnis peccati? Mortem sine peccato. Si haberet peccatum, caro esset peccati, si mortem non haberet, non esset similitudo carnis peccati. Talis venit, saluator venit, mortuus est, sed mortem occidit, finiuit in se quem timebamus, suscepit illam & occidit illam. Quo modo summus venator leonem cepit, & necauit, Vbi est mors? Quare in Christo, iam non est, sed fuit & mortua est ibi. O vita, mors mortis, bono animo estote, morietur & in nobis. Quod præcessit in capite, redetur in mēbris: morietur & in nobis mors. Sed quando? In fine seculi, in resurrectione mortuorum, quam credimus, & de qua non dubitamus. *Qui enim crediderit & baptizatus fuerit, ipse saluus erit.* Sequere quod timeas, *Qui autem non crediderit, condemnabitur.* Ergo mors morietur in nobis, victura est in dānatis. Vbi mors nescit mortem, sempiterna mors erit, quia æterna tormenta erunt. In nobis morietur & non erit. Vultis nosse? Dico vobis pauca verba triumphatum, ut habeatis quod meditemini, quod corde cantetis, quod toto animo speretis, quod fide & bono opere requiratis. Audite verba triumphantium quando non erit mors, quando & in nobis sicut & in capite nostro morietur mors, Paulus apostolus dicit, Oportet corruptibile hoc induere immortalitatem. Tunc fiet sermo, qui scriptus est. Absorpta est mors in victoria, Dixi vobis quia morietur mors in vobis, Absorpta est mors in victoria, ista est mors mortis, Absorbetur ut non appareat. Quid est ut nõ appareat? Ut non sit nec intus nec foris. Absorpta est mors in victoria. Gaudèat triumphantes, gaudeant, dicant quod sequitur, Vbi est mors victoria tua? Vbi est mors aculeus tuus? Vbi est? Cepisti, possedisti, vicisti, & tibi addixisti, percussisti, & occidisti. Vbi est mors, victoria tua? Vbi est mors, aculeus tuus? Nonne confregit illum dominus meus? O mors, quando domino meo hæsiisti, tuque & mihi periisti. Ista salute saluus erit, qui crediderit, & baptizatus fuerit. Qui autem non crediderit, condemnabitur. Fugite condēnationem, amatè & sperate salutem æternam.

## EIVSDEM IN EODEM

festo, Homil.

Solennitate diei huius admonemus scientes, Instruimus negligentes. Ascensum domini in cælum

Act. 1.

Apoc. 1.

1. Thess. 3.

Psal. 41. &amp; 61.

1. Cor. 15.

cælum hodie solenniter celebramus. Dominus enim saluator noster positus corpore, & recepto corpore, postquam resurrexit à mortuis, exhibuit se discipulis viuentem, quem desperauerant morièntem. Postquam se reddidit oculis intuentium manibus contrectandum, ædificans fidem, exhibendo veritatem: quoniam patum fuit humana fragilitati, & infirmæ trepidationi tam magnum miraculum vno die exhibere, & inde subtrahere. Cõuersatus est cum eis in terra, sicut adiuimus, quum liber Actuum apostolorum legeretur. Cõuersatus est cum eis in terra quadraginta diebus intrans & exiens, manducans, & bibens: ut exhiberet veritatem, non quòd haberet necessitatem. Ipso ergo quadagesimo die, quem hodie celebramus, eis videntibus, & videro deducentibus, ascendit in cælum. Tunc ergo postquam id, quod videbant, ascendere mirabantur: sursum tamen ire gaudebant, Capitis enim præcessio spes membrorum est. Audierunt & angelicam vocem, Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cælum? Hic Iesus sic venit quemadmodum vidistis eum euntem in cælum. Quid est sic veniet? In ea forma veniet, ut impleatur quod scriptum est, Videbunt in quem pupugerunt, Sic veniet, ad homines veniet, homo veniet, sed Deus homo veniet, veniet verus homo & Deus, ut faciat homines Deos. Ascendit Index cæli, sonuit præco cæli. Bonam causam habeamus ut futurum iudicium non timeamus. Ascendit enim, viderunt qui nobis nunciauerunt. Qui non viderunt crediderunt, alij credentes irriserunt. Non enim omnium est fides. Et quia non omnium est fides, & nouit dominus, qui sunt eius, quid discipulamus, quod ascendit in cælum Deus? Miremur potius, quia descendit in infernum Deus. Mortem Christi miremur, resurrectionem vero laudemus potius quam miremur. Perditio nostra, peccatum nostrum, sanguis Christi precium nostrum, resurrectio Christi spes nostra, aduersus Christi res nostra. Ille ergo, qui est ad dexteram patris expectandus est, donec veniat. Dicat anima nostra sitiens illi, quādo veniet? Et, sicut anima mea ad Deum viuum, quando veniet? veniet. Sed quādo veniet? Optas ut veniat, utinam paratum te inueniat. Veruntamen ne putemus nos solos habere hoc desiderium de domino nostro, ut dicamus quando veniet? Habuerunt hoc desiderium & discipuli eius. Si possem vobis dicere inhiantibus, expectantibus, suspensibus, nosse cupientibus quando veniat dominus Deus noster, si possem vobis dicere, qualis vobis videret? Sed hoc ex me non vos speratis audire posse: Qui si speratis, desipitis, ipsum certe dominum Iesum Christum in corpore præsentem, viuentem, loquentem, si ante oculos vestros, & ante manus vestras haberetis, scio quia præ isto desiderio interrogaretis & diceretis ei, Domine, quando venturus es? Discipuli ipsi dominum Iesum Christum præsentem interrogauerunt, Non potestis interrogare, quod interrogauerunt, audite quod audierunt. Etenim illi tunc erant, nos nondum eramus. Quibus tamen si credamus, & nobis interrogauerunt, & nobis audierunt. Ergo discipuli Christi deducturi aspectu ascensum Christum interrogauerunt & dixerunt ei, Domine si hoc tempore præsentaberis? Cui dicebant? Quem præsentem videbant. Si hoc tempore præsentaberis? Et quid est illud? Nonne

præsentem videbant, nonne præsentem audiebant, nonne præsentem etiam tangebant? Quid est hoc si hoc tempore præsentaberis, nisi quia nouerant præsentia Christi futurum iudicium, ut videretur à suis & ab alienis? Nam quando resurrexit non est visus, nisi à suis. Hoc ergo sciebant, & fide retinebant, futuram esse tempus, quando iudicatus iudicaret, quando reprobus probaret, & reprobareret, quando cõspicuis vtrique hominum generi alios poneret ad dexteram, alios ad sinistra dicturus quod vtrique audirent, oblaturus quod non vtrique acciperent, comminaturus quod non vtrique pertimescerent. Sciebant futurum, sed quando quærebant, si hoc tempore præsentaberis? Non vique nobis. Nam & modo videmus te, sed præsentaberis etiam his qui non crediderunt in te, si hoc tempore præsentaberis dic nobis, & quando regnum Israël: hoc quæserunt, si hoc tempore præsentaberis, & quando regnum Israël. Quod regnum? De quo dicimus, Adueniat regnum tuum. Quod regnum? De quo auditi sunt ad dexteram positi, Venite benedicti patris mei percipite regnū quod vobis paratum est ab origine mundi. Quando dicturus est etiam sinistris. Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius. Terribilis vox, tremenda vox. Sed in memoria æterna erit iustus, ab auditu malo non timebit. Istis hoc, illis illud, in vtroque verax, quia in vtroque iustus. Sed quod quærebant, si audierunt, audiamus: si non audierunt, quod audierunt teneamus, & quod vcturum est, non timeamus. Domine, si hoc tempore præsentaberis? Et nos æstimantes nos præsentem videre dominum in corpore constitutum, dicamus illi, Domine, si hoc tempore præsentaberis, & quādo regnum Israël? Quando regnum tuorum, quando regnum humilium, quamdiu typhus superborum? Certe hoc est, quod quærebatis, hoc est, quod audire desiderabatis. Videamus quid responderit, Non dedignentur audire agni, quod audierunt arietes, audiamus quid dicit ipse dominus, Quibus: Petro, Ioanni, Andree, Iacobo, cæteris tantis, & talibus, tā dignis. Sed quos inuenit indignos, fecit dignos. Quid eis respondit dicentibus, si hoc tempore præsentaberis, & quādo regnum Israël? Non est vestrum scire tempora, quæ pater posuit in sua potestate. Quid est hoc? Dicitur Petro, non est vestrum: & dicitis tu, meum est? Non est vestrum scire tempora, quæ pater posuit in sua potestate. Quod creditis, bene creditis: quia venturum est. Quando venturum sit quid ad te? Quando veniet præpara re. Non est vestrum scire tempora, quæ pater posuit in sua potestate. Curiositas abscedat, pietas succedat. Quid ad te, quando veniet? Sic viue, quasi hodie venturum sit, & non timebis quum venerit. Videre autem ordinem & disciplinam magistri boni, magistri singularis, magistri solius. Non dixit quod interrogauerunt, & dixit quod non interrogauerunt. Sciebat enim quod interrogauerunt non eis non expedire ut nosset; quod autem sciebat eis expedire, etiam non eis interrogantibus dixit, Non est vestrum scire, inquit, tempora. Quò tibi tépora? Hoc agitur ut euadas tempora, & queris tempora? Non est vestrum scire tempora, quæ pater posuit in sua potestate. Et quasi diceretur ei, & quid est nostrum, modo audiamus quid ad nos maxime pertineat. modo audiamus. Quæsitum est quod non oportet



teat dici, Sed dictum est, quod oporteat audiri: Non est vestrum scire tempora, quæ pater posuit in sua potestate. Sed quid est vestrum scire? Sed accipietis virtutem spiritus sancti superuenientem in vos, & eritis mihi testes. Vbi? In Hierusalem. Consequens erat vt audiremus, his enim verbis Ecclesia prædicatur, Ecclesia commendatur, vnitas annunciat, diuisio datur spiritus. Expectabatur ergo vt glorificato Iesu daretur spiritus. Meritoque bis glorificatus, resurgendo & ascendendo bis dedit spiritum. Vnum dedit, & vnus dedit, vnitati dedit & tamè bis dedit. Primò postquam resurrexit, dixit discipulis suis, Accipite spiritum sanctum. Et insufflauit in facie eorum: habes semel. Deinde promittit adhuc se misurum spiritum sanctum, & dicit, Accipietis virtutem spiritus sancti superuenientem in vos. Et alio loco. In ciuitate sedete. Ego enim impleam promissionem patris, quam audistis, inquit, ex ore meo. Postquam ascendit decem diebus ibi factis misit spiritum sanctum, ipse est solennis futurus Pentecostes. Videte ergo, fratres mei. Quarat à me aliquis, quare bis dedit spiritum sanctum. Multi multa dixerunt, & sicut homines quæsiuerunt. Et aliqui dixerunt quod non est contra fidem. Alius hoc, alius illud. Vtrunque, quod non excederet regulam veritatis. Si dicam ne scire, quare bis dedit, mentiar vobis. Nescio: qui se dicit scire quod nescit, temerarius est. Qui se negat scire, quod scit, ingratus est. Ergo fateor vobis, quare bis dedit dominus spiritum sanctum adhuc quæro, ad aliquod certius peruenire cupio. A diuinet me dominus, orantibus vobis, vt quod donare dignatur, & vobis non taceatur. Ergo nescio. Quid tamen existimem nõdum sciens, nõdum pro certo tenens, sicut certissimum teneo dedisse, Quid ergo existimem, non tacebo. Si hoc est confirmet dominus: si aliud est quod verius appareat, donet dominus. Ergo arbitror, sed arbitror ideo bis datum esse spiritum sanctum, vt commendarentur duo præcepta charitatis. Duo sunt enim præcepta, & vna est charitas. Diliges deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua. Et diliges proximum tuum tanquam teipsum, in his duobus præceptis tota lex pendet & propheta. Vna charitas, & duo præcepta. Vnus spiritus, & duo data: Non enim alius datus est prius, & alius datus est postea. Quia non alia charitas diligit proximum quàm illa, quæ diligit Deum. Non ergo alia charitas est. Qua charitate proximum ipsa charitate diligimus & Deum. Sed quia aliud est Deus, aliud proximus, vna charitate diliguntur, non sunt tamen vnus qui diliguntur. Quia ergo magna est primitus commendanda dilectio Dei, secunda dilectio proximi. A secunda autem incipitur vt ad primam perueniatur. Si enim fratrem, quem vides, non diligis, Deum, quem non vides, quo modo diligere poteris? Ideo forte informans nos ad dilectionem proximi, dedit in terra conspicuus, & proximis proximus spiritum sanctum insufflando in faciem eorum. Et ab hac maxime charitate, quæ in caelis est, de celo misit spiritum sanctum. Spiritum sanctum accipe in terra, & diligis fratrem. Accipe de celo, & diligis Deum, quia & in terra quod accepisti de celo est, in terra Christus dedit, sed de celo est qui dedit. Ille enim dedit, qui de celo descendit. Hic inuenit, cui daret, sed inde attulit, quod daret. Quid est ergo, fratres? An forte commemoro & hoc

cationes eius iam factæ. Restat vna & ipsa in conspectu hominum, quum se iudicio præsentabit. De spiritu sancto hoc erat dictum per Ioannem euangelistam, Spiritus autem nondum fuerat datus, quia Iesus nondum erat glorificatus. Spiritus autem nondum fuerat datus. Quare nõdum fuerat datus? Quia Iesus nondum erat glorificatus. Expectabatur ergo vt glorificato Iesu daretur spiritus. Meritoque bis glorificatus, resurgendo & ascendendo bis dedit spiritum. Vnum dedit, & vnus dedit, vnitati dedit & tamè bis dedit. Primò postquam resurrexit, dixit discipulis suis, Accipite spiritum sanctum. Et insufflauit in facie eorum: habes semel. Deinde promittit adhuc se misurum spiritum sanctum, & dicit, Accipietis virtutem spiritus sancti superuenientem in vos. Et alio loco. In ciuitate sedete. Ego enim impleam promissionem patris, quam audistis, inquit, ex ore meo. Postquam ascendit decem diebus ibi factis misit spiritum sanctum, ipse est solennis futurus Pentecostes. Videte ergo, fratres mei. Quarat à me aliquis, quare bis dedit spiritum sanctum. Multi multa dixerunt, & sicut homines quæsiuerunt. Et aliqui dixerunt quod non est contra fidem. Alius hoc, alius illud. Vtrunque, quod non excederet regulam veritatis. Si dicam ne scire, quare bis dedit, mentiar vobis. Nescio: qui se dicit scire quod nescit, temerarius est. Qui se negat scire, quod scit, ingratus est. Ergo fateor vobis, quare bis dedit dominus spiritum sanctum adhuc quæro, ad aliquod certius peruenire cupio. A diuinet me dominus, orantibus vobis, vt quod donare dignatur, & vobis non taceatur. Ergo nescio. Quid tamen existimem nõdum sciens, nõdum pro certo tenens, sicut certissimum teneo dedisse, Quid ergo existimem, non tacebo. Si hoc est confirmet dominus: si aliud est quod verius appareat, donet dominus. Ergo arbitror, sed arbitror ideo bis datum esse spiritum sanctum, vt commendarentur duo præcepta charitatis. Duo sunt enim præcepta, & vna est charitas. Diliges deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua. Et diliges proximum tuum tanquam teipsum, in his duobus præceptis tota lex pendet & propheta. Vna charitas, & duo præcepta. Vnus spiritus, & duo data: Non enim alius datus est prius, & alius datus est postea. Quia non alia charitas diligit proximum quàm illa, quæ diligit Deum. Non ergo alia charitas est. Qua charitate proximum ipsa charitate diligimus & Deum. Sed quia aliud est Deus, aliud proximus, vna charitate diliguntur, non sunt tamen vnus qui diliguntur. Quia ergo magna est primitus commendanda dilectio Dei, secunda dilectio proximi. A secunda autem incipitur vt ad primam perueniatur. Si enim fratrem, quem vides, non diligis, Deum, quem non vides, quo modo diligere poteris? Ideo forte informans nos ad dilectionem proximi, dedit in terra conspicuus, & proximis proximus spiritum sanctum insufflando in faciem eorum. Et ab hac maxime charitate, quæ in caelis est, de celo misit spiritum sanctum. Spiritum sanctum accipe in terra, & diligis fratrem. Accipe de celo, & diligis Deum, quia & in terra quod accepisti de celo est, in terra Christus dedit, sed de celo est qui dedit. Ille enim dedit, qui de celo descendit. Hic inuenit, cui daret, sed inde attulit, quod daret. Quid est ergo, fratres? An forte commemoro & hoc

Ioan. 7.  
Ioan. 20.  
Luc. 24.  
Act. 1.  
Ioan. 20.  
Luc. 24.  
Act. 1.  
Deut. 6.  
Matth. 23.  
I. Ioan. 4.  
I. Ioan. 4.

Vbi supra.

& hoc quo modo charitas ad spiritum sanctum pertineat? Paulum audite. Non solum autem, inquit, sed & gloriamur in tribulationibus scientes quia tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio vero spem. Spes autem non confundit, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris. Vnde charitas Dei diffusa est in cordibus nostris? Vnde? Quid tibi dabis? Quid quasi de tuo præsumebas? Quid enim habes; quod non accepisti? Ergo vnde nisi quod sequitur, Per spiritum sanctum, qui datus est nobis? Charitas ista non tenetur nisi in vnitate Ecclesie. Non illam habent diuisores, sicut dicit Apostolus Indas, Hi sunt, qui seipso segregant animales spiritum non habentes. Qui seipso segregant, non habentes, ideo desunt, quia coagulata non habent charitas. Ipsa charitate plena est gallina illa propter pullos infirmata, cum pullos humilians vocem suam, extendens alas suas. Quotiens inquit, vult colligere filios tuos? Colligere non dicitur. Quia habeo, inquit, alias oves, quas non sunt ex hoc ouili. Oportet me & ipsas adducere, vt sit vnus grex, & vnus pastor. Merito non audit fratrem contra fratrem interpellantem, & dicentem, Domine, dic fratri meo, diuidat mecum hæreditatem. Domine, inquit, dic fratri meo. Quid? Diuidat mecum hæreditatem? Et dominus? Die homo. Quare enim vis diuidere, nisi quia homo? Quum enim dicit alius, Ego sum Paulus, alius autem ego Apollo, nõne homines estis? Dic homo, Quis constituit me diuisorem hæreditatis inter vos? Colligere veni non diuidere. Ideo, inquit, dico vobis, caute ab omni cupiditate. Cupiditas enim cupit diuidere sicut charitas colligere. Quid est autem, caute ab omni cupiditate, nisi implorari charitate? Nos charitatem pro capto nostro habentes interpellamus dominum contra fratrem, sicut & ille contra fratrem, sed non hac voce, non hac postulatione. Ille enim dixit, domine, dic fratri meo, diuidat mecum hæreditatem. Nos dicimus, domine, dic fratri meo, teneat mecum hæreditatem. Videte ergo, fratres, quid maxime diligatis, quid fortiter teneatis. Glorificatus dominus resurgendo commendat Ecclesiam, glorificandus ascendendo commendat Ecclesiam, spiritum sanctum mittens de caelis dicit discipulis suis? Hæc dicebam vobis, quum essem apud vos, quia oportebat impleri omnia, quæ scripta sunt in lege, & prophetis, & Psalmis de me. Et tunc aperuit illis sensum, vt intelligeret scripturas, & dixit eis, Quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertio die. Vbi est Ecclesie commendatio? Et prædicari in nomine eius penitentiam & remissionem peccatorum? Et hoc vbi? Per omnes gentes incipientibus ab Hierusalem hac resurrectione glorificatus. Quid Ascensione glorificandus? Quod audistis, Eritis mihi testes in Hierusalem, & in tota Iudæa & Samaria, vt vsque in fines terræ. Quid ipso aduentu spiritus sancti? Venit spiritus sanctus, Quos primum impleuit, linguis omnium gentium loquebantur. Vnusquisque homo loquens omnibus linguis, quid aliud significauit quàm vnitatem in omnibus linguis? hoc tenentes, in hoc firmati, in hoc robotati, in hoc inconcussa charitate defixi, laudemus pueri

dominum & dicamus Halleluia, Sed in vna parte? Et vnde & quousque? A solis ortu vsque ad occasum laudate nomen domini. **S. LEONIS P. P. P. A. E.**  
*Sermo primus de Ascensione.*  
Post beatam, & gloriosam resurrectionem domini nostri Iesu Christi, qua verum Dei templum, Iudæa impietate resolutum, diuina in triduo potentia suscitauit, quadragonariis hodie dilectissimi, sanctorum dierum expletus est quid merus, sacratissima ordinatione dispositus, & ad vilitatem nostræ conditionis impensus: vt, datur domino in hoc spatio mora, præsentia corporalis extenditur, fides resurrectionis, documentis necessariis muniretur. Mors enim Christi, multum discipulorum corda turbauerat, & ad supplicio crucis, de emissionem spiritus, de examinatione corporis sepultura, & grauius, mensitudine mentibus, quidam diffidentia torpor obrepserat. Nam, eum sanctæ matres, sicut Evangelica pandit historia reuolutum à monumento lapidem, & sepulchri corpore vacuum, & viuentis domini testes angelos nunciantes, vbera eorum, Apostolis, aliisque discipulis delirantis similia videbantur. Quam vitique hæsitatiõnem humana infirmitate nutantem, nequaquam permisisset spiritus veritatis prædicatorum suorum in se peccatoribus, nisi illa tepida sollicitudo, & curiosa cunctatio, nostræ fidei fundamenta iecisset. Nostris igitur perturbationibus, nostris periculis in Apostolis consulebatur. Nos in illis virtus contra calumnias impiorum & contra terrenæ argumenta sapientie docebamur. Nos illorum instruxit aspectus, nos erudiuit auditus, nos confirmauit attentus. Gratias agamus diuinæ dispensationi, & sanctorum patrum necessariæ tarditati. Dubitatum est ab illis, ne dubitaretur à nobis. Non ergo ij dies, dilectissimi, qui inter resurrectionem domini, ascensionemque fluxerunt, ocioso transire decursu, sed magna in eis confirmata sacramenta, magna sunt reuelata mysteria. In his metus diræ mortis auferuntur & non solum animæ, sed etiam carnis immortalitas declaratur. In his per insufflationem domini infunditur Apostolis omnibus spiritus sanctus, & beato Apostolo Petro, supra cæteros post regni clauis, ouilis dominici curâ mandat. In his diebus, duobus discipulis tertius in via dominus igitur comes, & ad omnem nostræ ambiguitatis caliginem detergendam, pauentium, ac trepidantium tarditas increpatur. Flammæ fidei illuminata corda concipiunt, & quæ erant tepida, referantur scripturas domino, efficiuntur ardentia. In fractione quoque panis consuetudinis aperit ut obtutus, multo felicitus eorum oculis patefactis, quibus naturæ suæ manifestata est glorificatio, quàm illorum generis nostri principam, quibus præuaricationis suæ est ingesta confusio. Inter hæc autem, aliæque miracula, cum discipuli trepidis cogitationibus æstuarerent, & apparuisset in medio eorum dominus, dixissetque, Pax vobis, ne hoc remaneret in eorum opinionibus, quod voluebat in cordibus, (putabant enim se spiritum videre, non carnem,) redarguit cogitationes à veritate discordes, ingerit dubitantium oculis manenti

Esai. 11.  
Marc. 16.  
Luc. 24.  
I. Ioan. 20.  
Petr. primo.  
Luc. 24.  
Ibidem.  
I. Ioan. 20.

tia in manibus suis, & pedibus crucis signa, & vt diligentius pertractetur, inuitat. Quia ad sananda infidelium cordium vulnera, clauorum & lancearum erant seruata vestigia, vt non dubia fide, sed constantissima scientia teneretur, eam naturam in Dei patris consessuram throno, quae iacuerat in sepulchro. Per ortum ergo hoc tempus, dilectissimi, quod inter resurrectionem, & ascensionem domini exactum est, hoc prouidentia Dei curauit, hoc docuit, hoc suorum & oculis insinuauit, & cordibus, vt dominus Iesus verè agnosceretur resuscitatus, qui verè erat natus, & passus, & mortuus. Vnde beatissimi Apostoli, omniumque discipulorum, qui & de exitu crucis fuerant trepidi, & de fide resurrectionis ambigui, ita sunt veritate perspicua roborati, vt domino in caelorum eunte sublimia, non solum nulla afficerentur tristitia, sed etiam magno gaudio replerentur. Et reuera magna erat, & ineffabilis causa gaudendi, cum in conspectu sanctae multitudinis super omnium creaturarum caelestium dignitatem, humani generis natura conscenderet, supergressura angelicos ordines, & ultra archangelorum altitudines eleuanda, nec vllis sublimitatibus modum suae prouectionis habitura, nisi aeterni patris recepta consessu, illius gloriae sociaretur in throno, cuius natura copulabatur in filio. Quia igitur Christi ascensio, nostra est prouectio, & quo praecessit gloria capitis, eo spes vocatur & corporis, dignis, dilectissimi, exultemus gaudiis, & pia gratiarum actione laetemur. Hodie enim non solum paradisi possessores firmati sumus, sed etiam caelorum in Christo superna penetrauimus, ampliora adepti, per ineffabilem Christi gratiam, quam per diaboli amiseramus inuidiam. Nam quos vitulentus inimicus, primi habitaculi foelicitate deiecit, eos sibi incorporatos Dei filius ad dexteram patris collocavit: cum quo vinit, & regnat in vnitatem spiritus sancti Deus per omnia secula seculorum, Amen.

## EIVSDEM SERMO II. de Ascensione Domini.

Spacramentum, dilectissimi, salutis nostrae, quam sprecio sanguinis sui vniuersitatis conditor aestimauit, à die corporalis ortus vsque ad exitum passionis, per dispensationem humilitatis impletum est. Et licet multa etiam in forma serui diuinitatis signa radiauerint, proprie tamen temporis illius actio ad demonstrandam suscepti hominis pertinuit veritatem. Post passionem verò ruptis mortis vinculis, quae vim suam in eum, qui peccati erat nescius, incedendo perdidit, infirmitas in virtutem, mortalitas in immortalitatem, contumelia transiit in gloriam: quam dominus Iesus Christus in multis, manifestisque documentis, multorum declarauit aspectibus, donec triumphum victoriae, quem reportarat à mortuis, inferret & caelis. Sicut ergo in solennitate paschali resurrectio domini fuit nobis causa laetandi: ita ascensio eius in caelos, praesentium nobis est materia gaudiorum, recolentibus illam diem & rite venerantibus, qua naturae nostrae humilitas in Christo super omnem caeli militiam, super omnes ordines angelorum, & ultra omnium altitudinem potestatum, ad Dei patris est prouecta consessum. Quo ordine operum diuinorum nos fun-

dati, nos aedificati sumus, vt mirabilior fieret gratia Dei, cum remotis in conspectu hominum, quae merito reuerentiam sui sentiebantur indicere, fides non deficeret, spes non fluctuaret, charitas non teperet. Magnarum hic vigor est mentium, & valde fidelium lumè est animarum, in cuncta noster credere, quae corporeo non videntur intuitu, & ibi figere desiderium; quo nequeas inferre conspectum. Haec autem pietas, vnde in nostris cordibus nasceretur, aut quomodo quisquam iustificaretur per fidem, si in iis tantum salus nostra consisteret, quae obrutibus subiacerent? Vnde & illi viro, qui de resurrectione Christi videbatur ambigere, nisi in ipsius carne vestigia passionis & visu explorasset, & tactu, Quia vidisti me, inquit, dominus, credidisti: beati, qui non viderunt, & crediderunt. Vt igitur huius beatitudinis, dilectissimi, capaces esse possemus, expletis omnibus, quae Evangelicæ praedicationi, & noui testamenti mysteriis congruebant, dominus noster, Iesus Christus, quadagesimo post resurrectionem die, coram discipulis, eleuatus in caelum, corporalis praesentiae modum fecit, mansurus in patris dextera, donec tempora multiplicandis Ecclesiae filiis diuinitus praestitura peragantur, & ad iudicandos viuos, & mortuos in eadem carne, in qua ascendit, adueniat. Quod itaque redemptoris nostri conspicuum fuit, in sacramenta transiit, & vt fides excellentior esset, ac firmior, visioni doctrina successit, cuius auctoritatem supereminata radiis, credentium corda sequerentur. Hanc fidem ascensione domini auctam, & spiritus sancti munere roboratam, non vincula, non carceres, non exilia, non fames, non ignis, non laniatus ferarum, nec exquisita persequentium crudelitatis supplicia, terruerunt: Pro hac fide per vniuersum mundum, non solum viri, sed etiam feminae, nec tantum impubes pueri, sed etiam tenerae virgines, vsque ad effusionem sui sanguinis decertarunt. Haec fides demonia eiecit, agri- tudines depulit, mortuos suscitauit. Vnde & ipsi beati Apostoli, qui tot miraculis confirmati, tot sermonibus eruditi, atrocitatem tamen dominicae passionis expauerant, & veritatem resurrectionis eius non sine haesitatione susceperant: tatum de Ascensione Domini profecerunt, vt, quicquid illis prius intulerat metum, verteretur in gaudium. Totam enim contemplationem animi, in diuinitatem ad patris dexteram confidentis exererant, nec iam corporeae visionis tardabantur obiectu, quo minus in id aciem mentis intenderent, quod nec à patre descendendo absuerat, nec à discipulis ascendendo discesserat. Tunc igitur, dilectissimi, filius hominis Dei filius, excellentius, sacratiusque innotuit, cum in paterna maiestatis gloriam se recepit, & ineffabili modo cepit esse diuinitate praesentior, qui factus est humanitate longinquior. Tunc ad aequalem patri filium eruditior fides gressu cepit mentis accedere, & conrectatione in Christo corporeae substantiae, quae patre minor est, non egere: quoniam glorificati corporis manente natura, eo fides credentium vocabatur, vbi non carnali manu, sed spiritali intellectu, par genitorum vniuersum tangeretur. Hinc illud est, quod post resurrectionem suam dominus Mariae Magdalene personam Ecclesiae generantis, cum ad contactum ipsius properaret accedere, dicit, Noli me tangere, nondum enim ascendi ad patrem

patrem meum: hoc est, nolo vt ad me corporaliter venias, nec vt me sensu carnis agnoscas. Ad sublimiora te differo, maiora tibi praeparo: cum ad patrem ascendero, tunc me perfectius veriusque palpabis, apprehensura quod non tangis, & creditura quod non cernis. Cum autem ascendentem ad caelos dominum sequaces discipulorum oculi intenta admiratione suspicerent, adtiterunt ipsis angeli duo, mirabili vestium candore fulgētes, qui & dixerunt: Viri Galilaei, quid statis aspicientes in caelum? Hic Iesus, qui assumptus est à vobis in caelum, sic veniet, quem admodum vidistis eum euntem in caelum. Quibus verbis omnes Ecclesiae filii docebantur, vt Iesus Christus in eadem, qua ascenderat, carne venturus visibilis crederetur, nec posset ambigi omnia illi esse subiecta, cui ab ipso corporeae natiuitatis exordio, famulatus seruissus angelicus. Sicut enim concipiens dum Christum de spiritu sancto beate virgini angelus nunciavit, sic & editum de virgine voc caelestium, pastoribus cecinit. Sicut resurrexisset à mortuis, supernorum nunciatorum prima testimonia docuerunt, sic ad iudicandum mundum in ipsa carne venturum, angelorum officia praedixerunt, vt intelligeremus, quanta potestates sint ad futuram eum iudicaturam, cui tantae ministrarunt etiam iudicando. Exultemus itaque, dilectissimi, gaudio spiritali, & digna apud Deum gratiarum actione laetantes, liberos cordis oculos ad illam altitudinem, in qua Christus est, erigamus. Sursum vocatos animos desideria terrena non deprimant, ad aeterna praesentia peritura non occupent, viam veritatis ingressos fallaces illecebrae non regerant, & ita à fidelibus hac temporalia decurrantur, vt peregrinari se in hac mundi valle cognoscant, in qua etiam si quaedam commoda blandiantur, non amplectenda nequiter, sed transeunda sunt foriter. Ad hanc enim nos deuotionem beatissimus Petrus Apostolus incitat, & secundum illam dilectionem, quam pascendis Christi ouibus trina dominici amoris praesentione concepit, obsecrans, dicit: Charissimi, obsecro vos tanquam aduenas, & peregrinos, abstinere vos à carnalibus desideriis, quae militat aduersus animam. Cui autem, nisi diabolo, carnales militat voluptates, qui animas ad superna redentes corruptibilium honorum delectationibus obligare, & ab illis sedibus, de quibus ille excidit, gaudet abducere? Contra cuius insidias sapienter debet fidelis quisque vigilare, vt inimicum suum, de eo quod tetatur, possit elidere. Nihil autem validius est, dilectissimi, contra diaboli dolos, quam benignitas misericordiae, & largitas charitatis, per quam omne peccatum aut declinatur, aut vincitur. Sed huius sublimitas virtutis non prius apprehenditur, quam illud, quod ei aduersarium est, subruatur. Quid autem tam inimicum misericordiae, & operibus charitatis, quam auaritia, de cuius radice omnium malorum germen emergit? Quae nisi in suis fomitibus enectetur, necesse est, vt in agro cordis illius, in quo huiusmodi planta conualuit, spinæ potius, tribulique vitiorum, quam vllum veræ virtutis semen oriatur. Restamus ergo, dilectissimi, huic tam pestifero malo, & charitatem, sine qua nulla virtus potest niteri, sectemur, vt per hanc, qua ad nos Christus descendit, dilectionis viam, etiam nos ad ipsum possimus ascendere, cui est cum Deo patre, &

sancto spiritu honor, & gloria in secula seculorum, Amen.

## HILARII ARELATENSIS Episcopi in eodem festo, Hom. 1.

Sic debemus, charissimi, quod hodierna festiuitas non minor est illa, in qua natale domini publico honore suscepimus: non minor est illa celebritate, qua ad nos de sinu patris geminae substantiae redemptor noster per partum matris aduenit. Ille enim natiuitatis dies dominum, ac saluatorem nostrum terris dedit, hic caelo reddidit: in illo dominus verè hominem se esse in incarnatione confessus est, in hoc verè Deum se esse in ascensione testatus est: in illo gratiam dignantissimam humilitatis, in hoc fidem manifestissimam diuinitatis asseruit: in illo virginis templi, in hoc caelestis regni secreta patefecit: in illo die descendit redempturus nos, in hoc ascendit glorificaturus: in illo salutis nostrae inchoatio, in hoc perfectio continetur: in illo cepit promissa, in hoc beneficia consummavit: atque in hoc miracula non sunt minora, quam munera. In hac enim die arduas caeli sedes, quas ipsa hominis natura clauderat, Deus corporeus penetravit. Sed in operibus domini saluatoris, non est hoc primum insigne virtutis. Non minus illud nouum est, quod inter ipsa adoranda natiuitatis beata primordia per inuolutam veniens matrem ita inuolabiliter sinum virginis pertransiit, sicut reuerter implent. Vitium enim, quod non habuit in conceptu, non sensit in partu. Non minus illud nouum est, quod post gloriosae passionis triumphum ad inferna descendens, portas aereas, & vesces ferreos dominantis auctoritate effringens, pereueheret, atque in supernis sedibus collocaret: & germanam carnem vitae huius administratione in omnibus sibi subditam, gaudens anima victicem carnem in illa die conspectibus retributoris offerret, & causam eius apud indulgentissimum remuneratore commendaret, assereret, allegaret. Et quidem animarum aeternitatem sapientes mundi, & summi quoque philosophi crediderunt pariter & docuerunt, Resurrectionem verè carnis, & ipsius carnis, quae vixit, & mortua est, sapientia seculi praetermissa lumine veritatis, scire non potuit, hoc sibi insinuans, ac suis praedicans stulta persuasio. Totus (inquit) homo in animi intellectu, & sensus exercitio, & in mentis ratione, ac vigore consistit: nulla est enim carnis utilitas. Quid necessitatis est vt, quae nihil per se agere potuit, rursus suscitetur in vitam? Videamus, charissimi, si nihil in hoc seculo egerunt, vel agunt iuncta spiritui suo carnis officia, vtriusque hominis inter se opera conferant, vt dicat fidelis spiritus in die restitutionis auctori, & reparatori suo, Sulcipe, domine, geminum animae, carnisque seruitium. Te iubente, & adiuvante in illo seculo communem hostem communi intentione deuicimus, habet itaque, domine, speciales fructus & fragilitas corporis mei. Ego intellectu, discretionem, consilio spiritaliter contra aduersarios steti, caro haec corporaliter operis sudore, sobrietate, & ieiuniis dimicauit. Ad me pertinuerunt sacrificia, & supplicationes, ad hanc studia, & merita castitatis. Ego quidem huic fidem, quam dederas, tradidi, sed contra impugnan-

pugnantia blandimenta virtutum de eius abstinentia, & contritione mutuata sum. Dicat adhuc anima ad Deum suum, pro eruditione carnis suae, Domine Deus, dignante providentia tua caro haec per me quidem animata, atque vegetata est, sed sola ipsa pro originali, & communi debito vim mortis experta est, vtriusque transgressio, vnius est facta damnatio: pro iure factoris ac reparatoris ad me vivificatio, ad illam pertinuit correctio. Tu hanc carnem, dum in ea salutis publicae militas, honorasti: tu quidem intus in anima faciem similitudinis tuae nobilitate decorasti, sed in huius substantia fel, acutum, spinas, clavos, lanceam pertulisti. Tu quantum ad conditionem meam spectat quam ex homine suscepisti, in carnis huius vulneribus de diabolo triumphasti, tu non de mea, sed de eius participatione factum pro hoc mundo sanguinem profundisti. Te in ea apostolus Thomas persolus conspicis latus, & per clavorum signa carnalia Deum esse testatus est. Tu in deitate tua per huius agnitus cicatrices, in suo hominem corpore reparandum, & instaurandum esse docuisti, ego autem, nisi eam te suscitante recuperassem, ex inferis non redissem. In omnibus mandatis tuis ego imperium precepi, illa famularum, in commune laboravi, sit commune, quod tribues, quia sine illa non paritur me iustitia tua recipere, quod promittis. Agnoscamus ergo, fratres, causas, quibus anima iam in paradisi beatitudine constituta, resumere proprii corporis desideret indumentum: ut, qui simul defudaverunt in seculi huius peregrinatione, simul illic glorificentur in requie. Laborandum itaque, & totis vtriusque hominis viribus luctandum est, ut nobilior portio inferioris ad caelorum secum excelsa sustollat potius, quam ut inferior superioris in inferni profunda demergat. Cum haec ita sint, charissimi, opus est vt intelligamus quantum nitorem, quantum debeant habere munditiam, qui iustorum cupiunt intrare regionem, qui attingere optant Christi aulam & caeli regiam. Si aliquis civitatem magnam nobilibus & illustribus viris splendidam, immundis vestigiis, aut horridis adire praesumpserit indumentis, si eam pannis obitus ac feminudus intraret, si dilacerata facie, si vel livore foedata vel vulnere, quanta illum confusio pudoris operiret? quantum verecundiae pondus obrueret? Nonne illum circumstantia venerandae congregationis officia de conspectu reverendi iudicis praecipitem proturbarent? & putamus, quod animam peccatis horridam, & caeno foetidae corruptionis infectam, praefertentem luxuriae foeditates, dedecorosas impudicitiae cicatrices, putamus quod eam capere poterit splendor caelestium mansionum, & non potius illam ex euangelio sententia damnationis excipiat, amice quomodo huc intrasti, non habes vestem nuptialem? Ligatis (inquit) manibus & pedibus, id est damnatis operibus & cursu totius vitae, eicite eum in tenebras exteriores. Satis ergo agamus, vt nihil in nobis iniustitiae, nihil maculae, tempus metuendae discussionis inueniat. Quando in hoc corpulculo positi sumus, conceditur nobis scissa redintegrare, maculata diluere, vulnerata sanare. Quicquid autem hic non redemerimus, mortifera securitate decepti, integrum nobiscum insanabili cum dolore reportabimus ad sanctorum praesentiam, atque ad ipsam remedi iudicis maiestatem. Et quid de

nobis erit, si cum talibus ornamentis processuri sumus in illum conuentum omnium sanctorum? qui dies ille, quae trepidatio? quae terrae, & caeli spectatio erit, cum inter aliorum praecelava gesta, & illustria merita aliorum probra, & dedecora proferentur? Et quid grauius? quid intolerabilius, quam si illo tempore malorum ignominia reueletur; quo bonorum gloria manifesta bitur? Multo enim inuidiosior, & danabilior erit causa criminum, sub assistentium comparatione virtutum. Quid erit terroris? quid miseriae? quid incertoris, quando sub illo admirabili apostolorum, martyrumque concilio, sub illo angelorum, siderum, ac praesulgentem confessu, cum rubore veterum delictorum diuersis terra maculis anima prodiceretur? Quando latissimam iniquitatum suarum, confusibilisque vitae totius historiae ante oculos suos videbit exponi, vt illam inaudita clamatum vox malorum conscientia obmutescens, & deficientem condamnaret. Haec omnia, quae illic sanari non poterunt, hic redimi possunt. Totis itaque fidei viribus nitamur, vt, sicut dominus in hac die nostro cum corpore ad superna ascendit, ita nos quoque membra eius effecti, caput nostrum officiosis desideriis ac bonorum operum studiis iam sequamur. Ascendamus post eum compunctione, benevolentia, concordia, charitate: ascendamus & per ipsarum, si placet, aduincula passionum. Quomodo autem post eum per passiones nostras possimus ascendere, si requiras, hoc vtrique modo: si vniuersumque nostrum subdere eas si bi studeat, & eminentia dominantis animi super eas stare confuescat, ex ipsis sibi gradum contrahat, quo ad superiora ascendat. Sublimabunt nos, si fuerint infra nos: de nostris etiam vitiiis scalam nobis facimus, si vitia ipsa calcamus. Ceterum cum Christo, id est, cum humilitatis magistro non ascendit superbia, nec cum bonitatis auctore malitia, nec cum pacis amico discordia, nec cum filio virginis libido, atque luxuria. Non vtrique ascendit vitia post virtutum parentem, nec peccata post iustum, nec infirmitates post ire post medicum. Si apparere absoluti illic volumus, hic lachrymis, ac ieiunij culpas, & crimina in nobis nostra damnumus. Et proprio circa nos iudicio distinguentes sententiam aeterni iudicis praecurramus.

## EIVSDEM IN EODEM

### Homilia 2.

Omnia, quae dominus in hoc mundo sub fragilitate posse monstravit, & dum victorem mortis in caelestia eleuat, victoribus, quae sequantur, ostendit. Ascensio ergo domini catholicae fidei confirmatio fuit, vt securi in posterum crederemus miraculi illius donum, cuius iam tara percipit: & per ea, quae agnoscat praestita, discat sperare promissa: ac Dei sui praerogam, praesentemque bonitatem, quasi futurorum teneat cautionem. Super excelsa ergo caeli, terrenum corpus imponitur, ossa inter sepulchri angustias paulo ante conclusa, angelorum caribus inferuntur, in gremio immortalitatis mortalis natura transfunditur. Et ideo sacra apostolicae lectionis testatur historia, cum haec dixisset (inquit) videntibus illis, eleuatus est, dum audis eleuatum, agnosce militiae caelestis obsequium. Vnde hodierna festiuitas

Hinc apparet auctorem 166 fuisse Orientalem.

Est Valentini & Apollinaris error.

stuitas, hominis nobis, & Dei sacramenta manifestat. In eo qui eleuat, diuinam potentiam in eo autem qui eleuatur, humanam cognosce substantiam. Ideoque omnibus modis detestanda sunt venena orientalis erroris, qui impia nouitate praesumit asserere, filium Dei, ac filium hominis esse vnius naturae, in alterutra enim parte, vel qui solum hominem fuisse dixerit, negabit conditoris gloriam vel qui solum Deum, negabit misericordiam conditoris. Quo genere non facile Ariannus euangelicam poterit aperire veritatem, vbi filium Dei nunc aequalem legimus, nunc minor. Qui enim vnius naturae saluatorem nostrum mortifera persuasione crediderit: aut solum hominem de caelo missum, aut solum Deum cogit dicitur crucifixum, sed non ita est, mortem enim nec solus Deus sentire, nec solus homo superare potuisset. Nos ergo nouerimus duplicem in Christo, geminamque substantiam, de patre caelestem, & de matre terrenam. Quamquam vtramque in vno atque eodem redemptore suis promptum est testimonij explicare. Quasi homo dicebat, quia pater maior me est: sed quasi Deus pronuntiabat, ego & pater vnum sumus. Quasi homo dicebat, tristis est anima mea vsque ad mortem, sed quasi Deus fiducialiter loquebatur, potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam. Quasi homo in cruce pendeat, sed quasi Deus regnum caeleste donabat. Arianni autem confusa mente distinctas substantias penitus non videntes, quae erant hominis, ad Deum impie retulerunt, credentes quod minor loqueretur diuinitas, vbi iuncta Deo hominis demonstrabatur infirmitas. Nullam itaque facientes inter caelestia, & terrena rationem, dum inter Deum, & hominem distinguere nesciunt, Dei substantiam diuiserunt. Et dum ad sola hominis verba respiciunt, Deum sine intellectus lumine perdiderunt. Nos vero, vt praefati sumus, Dei, & hominis duplicem substantiam, sed simplicem nouerimus esse personam. Ille etiam error valde refugiendus est, qui impie asserit quod beata Maria solum Deum pepererit, eo quod sibi saluator noster caelestem nescio quam carnem intra viscera materna pepererit, & ita transferit per virginis uterum, quasi per corpus alienum. Sed cum dicat per prophetam sermo diuinus, de torrente in via bibit, propterea exaltabit caput, si non est corpus nostrum, quomodo est caput nostrum? Et cum alio loco propheta commemorat: paruulus natus est nobis, paruulus, inquam natus est nobis. Si non nobis natus est, nihil nobis praestitit. Proinde, charissimi, si non in nostra carne diabolus triumphauit, se exercuit, non nobis vicit: si non in nostro corpore surrexit, conditioni nostrae resurgendo nihil contulit. Haec qui dicit, suscepta, & assumpta carnis non intelligit rationem, confundit ordinem, euacuat utilitatem. Si in nostra peregit carne medicinam, solam ergo ex homine nascendi elegit iniuriam. Recedat a sensibus nostris tam periculosa persuasio. De nostro est quod appendit, de suo est quod donauit. Meum testor esse quod cecidit, vt meum sit quod resurrexit, meum testor esse quod iacuit intra tumulum, vt meum sit quod ascendit in caelum. In illo itaque nostri generis homine nos Christi mors viuificauit, nos resurrectione erexit, nos ascen-

sio consecrauit. Et in illo nostrae originis corpore caelestibus regnis artham nostrae conditionis imposuit. Elaboremus ergo, charissimi, vt quemadmodum dominus nostro cum corpore ad superna conscendit, ita nos post illum, quomodo possumus, ascendamus, & corde sequamur ipsum affectu pariter, & profectu ascendamus post illum etiam per vitia, ac passiones nostras. Quomodo per passiones nostras? Si vtrique vniuersusque nostrum subdere eas sibi studeat, ac super eas stare confuescat: ex ipsis sibi gradum cohsuat, quo possit ad superiora ascendere. Eleuabunt nos, si fuerint infra nos: de vitiiis nostris scalam nobis facimus, si vitia ipsa calcamus. Nam cum bonitatis auctore non ascendit malitia, nec cum magistro humilitatis superbia, nec cum filio virginis libido atque luxuria. Non inquam ascendunt vitia post virtutum parentem, nec peccata post iustum, nec infirmitates, ac morbi possunt ire post medicum. Si intrare ipsius medici regiam volumus, prius vulnera nostra curemus: hic ordinemus & custodiamus in nobis statum vtriusque substantiae, ne animam nobiliorem vitae hominis portione tartaro pars deuoluat inferior, sed secum potius caelo sanctificatum corpus acquirat natura gloriosior.

## PETRI CHRYSOL. EPISCOPI RAUENNENSIS IN SUPERIORIBUS EUANGELII DE NONA CHRISTI MANIFESTATIONE FACTA, RECUMBENTIBUS VNDICIM DISCIPULIS, SERMO.

Hodie beatus Euangelista sic reuoluit Apostolos in ipso crucis tempore mensis deditos, inhiantes epulis, conuiujs, occupatos, Domine passionis oblitos, Recumbentibus, inquit, illis undecim, apparuit Dominus. Recumbentibus vbi? ad sepulchrum Domini, mox ad mensam serui? Haec est seruatorum fides? haec discipulorum charitas? haec Petri ardor? haec est Ioannis de ipso Christi pectore assumpta dilectio? haec est tanto tempore, tantis donis, virtutibus tantis, affectio conquisita, vt in ipso articulo passionis, calente adhuc morte, recenti adhuc funere, exultantibus inimicis, insultante Iudaea tota, discipuli toto tori cultu, totaque discumbentium voluptate pranderent? Moyse mortuo assistit Angeli, agit sepulchri curam Deus ipse: Iudaica castra sistuntur, dissimulatus iter, horrida eremi statio duratur, indicitur triginta dierum planctus, & longo lamentationis obsequio seruire funus honoratur; & Christus verus vnus Dominus creator rerum, redemptor omnium, post illam tragicam passionem, post mortem, & mortem crucis, tri-duanus a discipulis lachrymas non meretur? Terra tremat, turbatur tartarus, scinduntur saxa, monumenta dissiliunt, Sol fugit, dies sepelitur, fit nox totum, & soli discipuli alto sigmate, choro vno, toto orio, deliciis securi epulantur: & hoc, fratres, reuersus ab inferis ipse sic magister inuenit. Recumbentibus ergo illis undecim apparuit dominus, etc. Ad haec, Petre, fidelis, Petre deuotissime, quid dicemus? Recumbentibus illis. Nunquid pranderentibus? Fratres, hoc non erat discumbere, sed iacere: nec conuiuij erat chorus ille, doloris erat ille conuentus: ibi panis non erat gaudij, sed mæ-

Sermo 83.

Deut. 34.

\* Forte, nondum.

\* Est nomen monasterij aut caenaculi semitotum.

roris,



1. Cor. 15.

roris: ibi crucis felle, non vini dulcedine pocula  
 miscbantur, *Etiam*, inquit, *clausi propter metum Iu-*  
*daeorum.* Si metuentes, si clausi, certe non pran-  
 dentes, & si non prandentes, non erat domus il-  
 la, sed carcer: illud stigma non erat, sed sepulchru:  
 tunc tota ad discipulos pœna dominicæ transfe-  
 rat passionis, & non solum lateribus eorum, sed  
 & cordibus doloris lancea tota figebatur: tunc  
 tristitia clavis affixæ manus eorum, pedesque  
 tenebantur: tunc illis acetum, tunc fel amari-  
 tudo Iudaica propinabat, tunc illis Sol occidit,  
 dies fugit: tunc illorum mentes, animasque nox  
 profundissima possidebat: tunc illos in perfid-  
 iæ scopulos, in naufragium fidei cogitationum  
 tentatio sæuissima collidebat: tunc desperatio, quæ  
 est inter omnia mala peior, & in aduersis venit  
 semper extrema, funereis illos sternebat sepul-  
 chris: vnde, sicut diximus, non discumbentes, nõ  
 epulantes eos dominus, sed iacetes inuenit, sed se-  
 pulchros: & ideo exprobrat incredulitatem eorum;  
 quia tantum crediderant desperationi, vt resur-  
 rectioni prædictæ a domino nihil crederet, à ser-  
 uis non crederent nunciata: atque in se nihil fi-  
 dei relinquerent, & salutis; sed sæculo mortui, se-  
 pulchri mundo, vnam domum illam, vnum sibi esse  
 omnes crederent iam sepulchrum. Hinc est, quod  
 eos dominus videns exemisse se mundo, ad mun-  
 dum reuocat, remittit in mundum, dicens: *Ite in*  
*mundum vniuersum, prædicate Euangelium vniuersæ*  
*creaturæ.* Venite in mundum, vt, qui putatis vos in  
 vno domicilio iam iacere, subiacere vobis  
 omnem mundum repente videatis. *Venite in mun-*  
*dum vniuersum, prædicate Euangelium vniuersæ*  
*creaturæ.* Hoc est dicere, estote vos ipse omnibus, qui vo-  
 bis ipsi desperationis causa fuistis: & incredulitas  
 vestra quæta sit tunc probate, cū videritis auditui  
 vestro mandū credere, qui credere vestro visui nõ  
 potuistis: & cordis vestri quanta sit duritia tunc  
 scitote, cum senseritis, nõ viso me, orbe toto gen-  
 tes ferocissimas me fateri, quem positum vestris  
 in oculis vos negastis. Videbitis à terra diuisos,  
 clauos insulis, pendentes rupibus, solitudine re-  
 motus, Magorum sciolos, Græcorum \* querulos;  
 Romanorum periros, fidem fide sola quærere,  
 quam manū, digito, sulcatis meis vulneribus vos  
 quæsitis. Sed, quia meæ passionis, meæ mortis;  
 meæ resurrectionis vos mitto testes, altius vos  
 ista perscrutatos esse concedo, dummodo cun-  
 ctatio vestra fiat eis, qui vobis credituri sunt, fir-  
 mamentum. *Qui crediderit*, inquit, *& baptizatus*  
*fuert, saluus erit.* Fratres, quod est anima corpori,  
 hoc est baptismati fides: hinc est, quod, qui gene-  
 rat ex fonte, ex fide viuunt: iustus, inquit, ex fide  
 viuert. Moritur ergo omnis, quicumque fuerit sine fi-  
 de, *Qui crediderit.* Quia trinitas Deus vnus est, quia  
 in patre, & filio, & spiritu sancto vna est tota  
 æqualitate maiestas, quia deitas Trinitate diuisa  
 est, nõ est vnitate cõfusa, sed deitate vna est, est tri-  
 na personis: quia Deus trinitatis nomen est, quia  
 pater, & filius non recensendi sunt ordine, sed  
 æstimandi sunt charitate, quod spiritus sanctus  
 non est habendus inferior, plus, minusve, non vt  
 exterior habendus est plus, minusve; quia nescit  
 exteriora diuinitas: quia Christus sic vt homo fa-  
 ctus est, vt, quod Deus est, permaneret: sic est  
 mortuus, vt mortuos, totis sæculis sua resuscitaret  
 ex morte: quod non sibi resurrexit ille, sed nobis:  
 quod nos cælo inulit, dum se sustulit cælo: quod

\* Forte, quæ-  
stiones.

Rom. 1.

sedet ad auctoritatem iudicis, non ad requiem  
 fatigati: quod veniet non loco, qui vbique est,  
 admouendum, neque vt mundum suum teneat,  
 qui totum possidet mundum: sed, vt mundus iam  
 semper visionem sui mereatur auctoris. Credat  
 homo etiam peccatorum remissionem, quia cæ-  
 lestis regio, cū sit latissima, non capit peccato-  
 rem: neque de suorum desperet homo magnitu-  
 dine peccatorum, quia, si est, quod Deus donare  
 non potest, omnipotens non est. Credat & carnis  
 resurrectionem, vt sit homo ipse: vt accipiat ipse,  
 qui peccat, pœnam, ipse præmium, qui laborat.  
 Credat æternam vitam, ne locum habeat mors  
 secunda. Quod autem de humanis corporibus  
 demones, id est, hostes effugantur antiqui, quod  
 ex vno ore varius estunditur sermo linguarum,  
 quod tacti per Christum nesciunt sua venena ser-  
 pentes, quod venenata pocula bibentes non va-  
 lēt nocere per Christum, quod morbi corporum  
 fugantur Christum prædicantis ad tactum, est,  
 fratres, summum credulitatis indicium. *Signa*, in-  
 quit, *credentes hæc sequentur, in nomine meo demonia*  
*ejicient, &c.* Homo ergo esto tibi per fidem medi-  
 cus, ne cogaris extraneis medicis tuo dispendio  
 subiacere, & carè, quod gratis possides, compa-  
 rare. Orate, fratres, vt & in præsentem medicinam  
 semper fidei sentiamus: & in expectatione Christi  
 positi in aduentu eius securi de nostra conscien-  
 tia gloriemur.

Cõprehensio  
me feb. an-  
tis fides, vt  
dum huc  
nõ ipsum  
laborat, in  
miti accep-  
tum.

S. GREGORII PAPAE  
 in superius Euangelium  
 Homil. 1.

Quod resurrectionem dominicam discipuli  
 tardè crediderunt, non tam illorum infirmi-  
 tas, quam nostra, vt ita dicam, futura firmitas  
 fuit. Ipsa nanque resurrectio illis dubitantibus  
 per multa argumeta monstrata est, quæ dum nos  
 legentes agnoscimus, quid aliud, quam de illo-  
 rum dubitatione solidamur? Minus enim mihi  
 Maria Magdalene præstitit, quæ citius credidit,  
 quam Thomas, qui diu dubitauit. Ille enim du-  
 bitando vulnere cicatrices tetigit, & de nostro  
 pectore dubietatis vulnus amputauit. Ad insi-  
 nuandum quoque veritatem dominicæ resurre-  
 ctionis, notandum nobis est, quid Lucas referat,  
 dicens: Conuetsens præcepit eis, ab Hierosoly-  
 mis ne discederent. Et post pauca: Videntibus  
 illis eleuatus est, & nubes suscepit eum ab oculis  
 eorum. Notate verba; signate mysteria. Conue-  
 scens eleuatus est. Comedit, & ascendit; vt vide-  
 licet per effectum comestionis, veritas patere  
 carnis. Marcus verò priusquam cælum Dominus  
 ascenderet, illum de cordis, atque infidelitatis  
 duritia increpasse discipulos memorat. Qua in  
 re quid considerandum est, nisi quod idcirco Do-  
 minus tunc discipulos increpauit, cū corpora-  
 liter reliquit, vt verba, quæ recedens diceret, in  
 corde audientium artius impressa remanerent?  
 Increpata igitur eorum duritia, quid admonen-  
 do dicat, audiamus, *Euntes in mundum vniuersum,*  
*prædicate euangelium omni creaturæ.* Nunquid fra-  
 tres mei, sanctum Euangelium vel insensatis re-  
 bus, vel brutis animalibus fuerat prædicandum,  
 vt de eo discipulis dicatur, *Prædicate omni creatu-*  
*ræ?* Sed omnis creaturæ nomine signatur homo.  
 Sunt

Est homo  
in Euan-  
gelio.

1. Cor. 15.

Act. 1.  
Ibidem.

Mar. 16.

1. Cor. 15.

Math. 10.

Vera fides est  
operibus con-  
uincitur est.  
Tit. 1.  
1. Joan. 2.

Sunt nanque lapides, sed nõ viuunt, nec sentiunt.  
 Sunt herbae, & arbuta, viuunt quidem, sed per  
 viriditatem, quia & Paulus dicit, *Inspicis*, tu quod  
 feminas, non viuificatur, nisi prius moriatur. Vi-  
 uit ergo, quod moritur, vt viuificetur. Lapidis  
 itaque sunt, sed non viuunt, Arbuta etiam sunt,  
 & viuunt, sed non sentiunt. Bruta verò animalia  
 sunt, viuunt, sentiunt, sed non discernunt. Angeli  
 etenim sunt, viuunt, sentiunt, & discernunt. Omnis  
 autem creaturæ aliquid habet homo. Habet nan-  
 que commune esse cum lapidibus, viuere cum  
 arboribus, sentire cū animalibus, intelligere cum  
 angelis. Si ergo commune habet aliquid cum  
 omni creatura homo, iuxta aliquid omnis crea-  
 tura est homo. Omni ergo creaturæ prædicatur  
 Euangelium, cū soli homini prædicatur: quia  
 videlicet ille docetur, propter què in terra omnia  
 creata sunt, & à quo omnia per quandam simili-  
 tudinem aliena non sunt. Potest etiam omnis  
 creaturæ nomine, omnis natio gentium designari.  
 Antè enim dictum fuerat, *In viam gentium ne*  
*abieritis, nunc autem dicitur: Prædicate Euangelium*  
*omni creaturæ*, vt scilicet prius à Iudæa Apostolo-  
 rum repulsa prædicatio, tunc nobis in adiutoriū  
 fieret, cū hanc illa ad damnationis suæ testi-  
 monium superba repulisset. Sed cū discipulos  
 ad prædicandum veritas mittit, quid aliud in  
 mundo facit, nisi grana seminis spargit? & pauca  
 grana mittit in semine, vt multarum messiu fru-  
 ges recipiat ex nostra fide? Neque enim in vni-  
 uerso mundo tanta fidelium messis exurgeret, si  
 de manu Domini super rationale terram illa  
 electa grana prædicantium non venissent. Sequi-  
 tur; *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit:*  
*qui verò non crediderit, condemnabitur.* Fortasse vnus-  
 quisque apud semetipsum dicat; Ego iam credidi,  
 saluus ero. Verum dicit, si fidem operibus tenet.  
 Vera etenim fides est, quæ in hoc quod verbis di-  
 cit, moribus non cõtradicit. Hinc est enim, quod  
 de quibusdam falsis fidelibus Paulus dicit; *Qui*  
*confitentur se nosse Deum, factis autem negant.*  
 Hinc Ioannes ait; *Qui dicit se nosse Deum, &*  
*mandata eius non custodit, mendax est.* Quod  
 cū ita sit, fidei nostræ veritatem in vitæ nostræ  
 consideratione debemus agnoscere. Tunc enim  
 veraciter fideles sumus, si quod verbis promitti-  
 mus, operibus implemus. In die quippe baptis-  
 matis omnibus nos antiqui hostis operibus at-  
 que omnibus pompis abrenunciare promissimus.  
 Itaque vnusquisque vestrum ad cõsiderationem  
 suam mentis oculos reducat, & si seruat post ba-  
 ptismum, quod ante baptismum spopondit; cer-  
 tus iam, quia fidelis est, gaudeat. Sed ecce quod  
 promissit, minimè seruauit: ad exercenda praua  
 opera, ad concupiscendas mundi pompas dila-  
 plus est: videamus si iam scit plangere, quod er-  
 rauit. Apud misericordem namque iudicem nec  
 ille fallax habebitur, qui ad veritatem reuertitur  
 etiam postquam mentitur: quia omnipotens  
 Deus dum libenter nostram penitentiam suscipit,  
 ipse suo iudicio hoc quod errauimus, abscondit.  
*Signa autem eos qui credituri sunt hæc sequentur:*  
*in nomine meo demonia ejicient, &c.* Nunquidnam,  
 fratres mei, quia ista signa non factis, minimè  
 creditis? Sed hæc necessaria in exordio Ecclesiæ  
 fuerunt. Vt enim ad fidem cresceret, miraculis  
 fuerat nutrienda quia & nos cū arbuta plan-

tamus, tandu eis aquam fundimus, quousque ea  
 in terra iam conualuisse videamus. At si semel  
 radicem in terra fixerint, irrigatio cessabit. Hinc  
 est enim, quod Paulus dicit: *Lingua in signum*  
 sunt, non fidelibus, sed infidelibus. Habemus de  
 his signis, atque virtutibus, quæ adhuc subtilius  
 considerare debeamus. Sancta quippe Ecclesia  
 quotidie spiritaliter facit, quod tunc per Aposto-  
 los corporaliter faciebat. Nam sacerdotes eius  
 cū per exorcismi gratiam manum credentibus  
 imponunt, & habitare malignos spiritus in eor-  
 um mente contradicunt, quid aliud faciunt, nisi  
 dæmonia eiiciunt? Et fideles quique, qui iam vitæ  
 veteris secularia verba derelinquant, sancta au-  
 tem mysteria insonant, conditoris sui laudes, &  
 potentiam, quantum præualent, narrant: quid  
 aliud faciunt, nisi nouis linguis loquuntur? Qui  
 dum bonis suis exhortationibus malitiã de alie-  
 nis cordibus auferunt, serpentes tollunt. Et dum  
 pestiferas persuasiones audiunt, sed tamè ad ope-  
 rationem prauam minimè pertrahuntur, morti-  
 ferum quidem est, quod bibunt, sed non eis no-  
 cebit. Qui quoties proximos suos in bono ope-  
 re infirmari conspiciunt, dum eis tota virtute cõ-  
 currunt, & exemplo suæ operationis illorum vi-  
 tam roborant, qui in propria actione titubant,  
 quid aliud faciunt, nisi super ægros manus im-  
 ponunt, vt benè habeant? Quæ nimirum mira-  
 cula tãto maiora sunt, quãto spiritalia: tanto ma-  
 iora sunt, quanto per hæc non corpora, sed ani-  
 mæ suscitantur. Hæc itaque signa, fratres charis-  
 simi, authore Deo, si vultis, vos facitis. Ex illis  
 enim exterioribus signis obtinere vita ab hæc  
 operantibus non valet. Nam corporalia illa mi-  
 racula ostendunt aliquando sanctitatem, non au-  
 tem faciunt. Hæc verò spiritalia, quæ aguntur in  
 mente, virtutem vitæ non ostendunt, sed faciunt.  
 Illa habere & mali possunt, istis autem perferri  
 nisi boni non possunt. Vnde de quibusdam veri-  
 tas dicit; *Multi dicent mihi in illa die; Domine,*  
*Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus,*  
*& in nomine tuo demonia eiicimus, & in no-*  
*mine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc con-*  
*stitebor illis, quia nunquam noui vos: discedite à*  
*me omnes, qui operamini iniquitatem.* Nolite  
 ergo, fratres charissimi, amare signa, quæ possunt  
 cum reprobis haberi communia: sed hæc, quæ  
 modò diximus, charitatis, atque pietatis miracu-  
 la amate, quæ tanto securiora sunt, quanto &  
 occulta: & de quibus apud Dominum eò maior  
 fiet retributio, quod apud homines minor est glo-  
 ria. Sequitur, *Et Dominus quidem Iesus postquam lo-*  
*cutus est eis, assumptus est in cælum, & sedet à dextris*  
*Dei.* In veteri testamento cognouimus, quod Elias  
 raptus sit in cælum. Sed aliud est cælum aëreum,  
 aliud æthereum. Cælum quippe aëreum terræ est  
 proximum: vnde & aues cæli dicimus, quia eas  
 volitare in aëre videmus. In cælum itaque aëreum  
 Elias subleuatus est, vt in secretam quandam ter-  
 ræ regionem, repente duceretur: vbi in magna  
 iam carnis, & spiritus quiete viueret, quousque  
 ad finem mundi redeat, & mortis debitum sol-  
 uat. Ille enim mortem distulit, non euasit. Redem-  
 ptor autem noster, quia non distulit, superauit,  
 cãmque resurgendo consumpsit, & resurrectio-  
 nis suæ gloriã ascendendo declarauit. Notan-  
 dum quoque est, quod Elias legitur in curru ascē-  
 disse, vt videlicet aperte monstraretur, quia purus  
 homo

1. Cor. 14.

Exorcismi in  
ecclesia vsus.

Math. 7.

4. Reg. 2.



homo adiutorio egebat alieno. Per angelos quippe facta illa, & ostensa sunt adiumenta, quia nec ad cælum quidem aëreum per se ascendere poterat, quem naturæ suæ infirmitas grauabat. Redemptor autem noster non curru, non angelis subleuatus legitur: quia is, qui fecerat omnia, nimirum super omnia sua virtute ferebatur. Illud etenim reuertebatur, ubi erat: & inde redibat, ubi remanebat: quia cum per humanitatem ascenderet in cælum, per diuinitatem suam & terram pariter continebat & cælum. Sicut autem Ioseph à fratribus venditus, vèditionem redemptoris nostri figurauit: sic Enoch translatus, atque ad cælum aëreum Elias subleuatus, Ascensionem Dominicam vterque designauit. Ascensionis ergo suæ Dominus prænunciis & testes habuit, vnum ante legem, alium sub lege, vt quandoque veniret ipse, qui veraciter cælos penetrare potuisset. Vnde & ipse ordo in eorum quoque vtrorumque subleuatione, per quædam incrementa distinguitur. Nam Enoch translatus, Elias verò ad cælum subuectus esse memoratur, vt veniret postmodum, qui nec translatus, nec subuectus, cælum æthereum sua virtute penetraret. Qui nobis in se credentibus, quia carnis suæ quoque munditiam largiretur, & sub eo per incrementa temporum virtus castitatis excreveret, in ipsa quoque eorum translatione, qui Ascensionem Dominicam, vt videlicet famuli designauerunt, & in seipso qui ad cælum ascendit, Dominus ostendit. Nam Enoch quidem vxorem, & filios habuit: Elias verò neque vxorem, neque filios legitur habuisse. Pensate ergo, quomodo per incrementa temporum creuerit munditia sanctitatis: quod & per translatos famulos, & per ascendens Domini personam patenter ostenditur. Translatus nanque est Enoch, & per coitum genitus, & per coitum generans. Raptus est Elias, per coitum genitus, sed nõ per coitum generans. Assumptus verò est Dominus, neque per coitum generans, neque per coitum generatus. Considerandum verò nobis est, quid est, quod Marcus ait, Seder à dextris Dei: & Stephanus dicit, Video cælos apertos, & filium hominis stantem à dextris Dei. Quid est, quod hunc Marcus sedentem, Stephanus verò stantem se videre testatur? Sed scitis, fratres, quia sedere iudicantis est, stare verò pugnantis vel adiuantis. Quia igitur redemptor noster assumptus in cælum, & nunc omnia iudicat, & ad extremum iudex omnium veniet, hunc post assumptionem Marcus sedere describit, quia post ascensionis suæ gloriam, iudex in fine videbitur. Stephanus verò in laboris certamine positus, stantem vidit, quem adiutorem habuit: quia vt iste in terra persecutorum infidelitatem vinceret, pro illo de cælo illius gratia pugnavit. Sequitur; *Illi autem profecti prædicauerunt vbi que, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.* Quid in his considerandum est, quid memoria commendandum, nisi quod præceptum obedientiam, obedientiam verò signa secuta sunt? Sed, quia auctore Deo breuiter lectionem Euangelicam exponendo transcurrimus, restat vt aliquid de ipsa tantæ consideratione solennitatis dicamus. Hoc autem nobis primùm quærendum est, quidnam sit, quod nato Domino, apparuerunt angeli, & tamen non leguntur in albis vestibus apparuisse: ascendente autem Domino, missi an-

Genes. 37.  
Genes. 5.

Marc. 16.  
Act. 7.

geli in albis leguntur vestibus apparuisse. Sic etenim scriptum est; *Videntibus illis eleuatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum.* Cumque inuenerunt in cælum euntem illum, ecce duo viri astiterunt iuxta illos in vestibus albis. In albis autem vestibus, gaudium & solennitas mentis attenditur. Quid est ergo, quod nato Domino nõ in albis vestibus, ascendente autem Domino in albis vestibus apparent, nisi quod magna tunc solennitas angelis facta est, cum cælum Deus homo penetravit? Quia nascente Domino videbatur diuinitas humiliata, ascendente autem Domino, est humanitas exaltata. Albæ etenim vestes exaltationi magis congruunt, quam humilitationi. In assumptione ergo eius angeli in albis vestibus videri debuerunt, quia qui in natiuitate sua apparuit Deus humilis, in ascensione sua ostensus est homo sublimis. Sed hoc nobis magnopere, fratres charissimi, in hac solennitate pensandum est, quia deletum est hodierna die chirographum damnationis nostræ, mutata est sententia corruptionis nostræ. Illa enim natura, cui dictum est; *Terra es, & in terram ibis, hodie in cælum iuit.* Pro hac ipsa nanque carnis nostræ subleuatione, per figuram beatus Iob Dominum aërem vocat. Quia enim ascensionis eius mysterium Iudæam non intelligere conpexit, de infidelitate eius sententiam protulit, dicens: *Semitam ignorauit auis.* Auis enim rectè appellatus est Dominus, quia corpus carneum ad æthera libauit. Cuius auis semitam ignorauit, quisquis eum ad cælum ascendisse non credidit. De hac solennitate per Psalmistam dicitur; *Eleuata est magnificentia tua super cælos.* De hac rursum ait; *Ascendit Deus in iubilatione, & Dominus in voce tubæ.* De hac iterum dicit; *Ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus.* Ascendens quippe in altum, captiuam duxit captiuitatem, quia corruptionem nostram virtute suæ incorruptionis absceruit. Dedit verò dona hominibus, quia misso desuper spiritu, alij sermonem sapientiæ, alij sermonem scientiæ, alij gratiam virtutum, alij gratiam curationum, alij genera linguarum, alij interpretationem sermonum tribuit. Dedit ergo dona hominibus. De hac ascensionis eius gloria etiã Abacuc ait; *Eleuatus est Sol, & Luna stetit in ordine suo.* Quis enim solis nomine, nisi dominus: & que lunæ nomine, nisi Ecclesia designatur? Quousque enim Dominus ascendit ad cælos, sancta eius Ecclesia aduersa mundi omnimodo formidauit. At, postquam eius ascensione roborata est, apertè prædicauit, quod occultè credidit. Eleuatus est ergo sol, & luna stetit in ordine suo: quia cum Dominus cælum petiit, sancta eius Ecclesia in autoritate prædicationis excreuit. Hinc eiusdem Ecclesiæ voce per Salomonem dicitur; *Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles.* Considerauit nanque tantorum operum culmina, & ait; *Ecce iste venit saliens in montibus.* Veniendo quippe ad redemptionem nostram, quosdam (vt ita dixerim) saltus dedit. Vultis, fratres charissimi, ipsos eius saltus cognoscere? De cælo venit in vterum virginis, de vtero venit in præsepe, de præsepio venit in crucem, de cruce venit in sepulchrum, de sepulchro rediit in cælum. Ecce vt nos post se currere faceret, quosdam pro nobis saltus manifestata per carnem veritas dedit, quia & exultauit vt gigas ad currendum viam, vt nos ei ex corde dice-

Act. 1.

Gen. 1.

Iob. 28.

Psal. 46.  
Psal. 67.

I. Cor. 15.

Abac. 2.

Can. 1.

de dice

de diceremus; Trahe me post te, curremus in odore vnguentorum tuorum. Vnde, fratres charissimi, oportet, vt illic sequamur corde, vbi eum corpore ascendisse credimus. Desideria terrena fugiamus: nihil nos iam delectet in infimis, qui patrem habemus in cælis. Et hoc nobis magnopere est perpendendum, quia is, qui placidus ascendit, terribilis rediit: & quicquid nobis cum mäsuetudine præcepit, hoc à nobis cum distractione exigit. Nemo ergo indulta poenitentia tempora paripendat, nemo curam sui dum valet agere, negligat: quia redemptor noster tanto tunc in iudicium distractior veniet, quanto nobis ante iudicium magnam patientiam prerogauit. Hęc itaque vobiscum, fratres, agite, hæc in mente sedula cogitatione versate. Quamuis adhuc rerum perturbationibus animus fluctuet, iam tamen spei vestræ anchoram in æterna patria figite, intentionem mentis in vera luce solidate. Ecce ad cælum ascendisse Dominum audiuius: hoc ergo seruenus in meditatione quod credimus: eisi adhuc hic tenemur infirmitate corporis, sequamur tamẽ eum passibus amoris. Non autem deserit desiderium nostrum ipse, qui dedit, Iesus Christus Dominus noster: Qui vniuit & regnat cum Deo patre in vnitatè spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum, Amen.

**BEDAE VENERABILIS**  
*presbyteri eiusdem Euang. expositio.*

Ex comment.  
in Marcum.

**N**onissime recumbentibus illis vndecim apparuit, &c. Quomodo nonissime, quasi iam vltra eum non viderint? Nonissimum quippe illud est, quod dominum Apostoli in terra viderit quãdo ascendit in cælum, quod factum est quadragesimo die post eius resurrectionem. Nunquidnam tunc exprobraturus erat, quod non credidissent eis, qui eum viderant resurrexisse, quãdo iam & ipsi post resurrectionem toties eum viderant? Illud ergo accipiamus: post multas demonstrationes eius, quibus per dies quadraginta discipulis suis præsentatus est, eum etiam nonissime recumbentibus illis vndecim apparuisse, id est, ipso quadragesimo die. Et quomam iam erat ab eis ascensus in cælum, hoc eis illo die maxime exprobrare voluisse, quia iis, qui viderant eum resurrexisse, non crederant, antequam eum ipsi viderent, cum vti que post ascensionem suam prædicantibus illis euangelium gentes, quæ non viderant, fuerant credituræ. Post illam quippe exprobrationem secutus ait idem Marcus; *Et dixit eis: Euntes in mundum vniuersum prædicate, &c.* Hoc ergo prædicaturus, quoniam, qui nõ crediderit, quod non viderit, nõne ipsi primitus fuerant obiurgandi, quæ antequam dominum vidissent, non crederint eis, quibus dominus apparuisset? Quod vero dixit eis; *Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ*, nunquid sanctum Euangelium vel insensatis rebus, vel brutis animalibus fuerat prædicandum, vt de eo discipulis dicitur, prædicare omni creaturæ? Sed omnis creaturæ nomine, potest omnis natio gentium designari. Ante etenim dictum fuerat, In viam gentium ne abieritis: nunc autem dicitur, *prædicate omni creaturæ*, vt scilicet prius à Iudæa Apostolorum repul-

sa prædicatio, tunc nobis in adiutorium fieret, cum hanc illa ad damnationis suæ testimonium superba repulisset. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit. Qui vero non crediderit, condemnabitur.* Fortasse vnusquisque apud semetipsum dicat. Ego iam credidi, saluus ero. Verum dicit, si fidem operibus tenet. Vera etenim fides est, quæ in hoc, quod verbis dicit, moribus non contradicit. Hinc est enim, quod de quibusdã falsis fidelibus Paulus dicit; *Qui confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* Hinc Ioannes ait, *Qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non custodit, mendax est.* Cum autem dicatur; *Qui vero non crediderit, condemnabitur, quid hic dicimus de paruulis qui per ætatem adhuc credere non valent? Nam de maioribus nulla quæstio est.* In ecclesia ergo saluatori per alios paruuli credunt, sicut ex aliis ea, quæ illis in baptismo remittuntur, peccata traxerunt. *Signa autem eos, qui crediderint hæc sequentur, &c.* Nunquid quia ista signa non facimus, minime credimus? Sed hæc necessaria in exordio Ecclesiæ fuerunt. Vt enim ad fidem cresceret, miraculis fuerat nutrienda. Quia & nos cum arbuta plantamus, tandiu eis aquam fundimus, quousque ea in terra conualuisse videamus. At, si semel radicem fixerint, irrigatio cessabit. Hinc est enim, quod Paulus dicit; *Lingua in signum sunt non fidelibus sed infidelibus.* An non habemus de his signis, atque virtutibus, quæ adhuc subtilius considerare debeamus, Sancta quippe ecclesia quotidie spiritaliter facit, quod tunc per Apostolos corporaliter faciebat. Nam sacerdotes eius, quum per exorcismi gratiam manus credentibus imponunt, & habitare malignos spiritus in eorum mente contradicunt, quid aliud faciunt nisi demonia eiiciunt? Et fideles quique, qui iam vitæ veteris secularia verba derelinquunt, sancta autem mytheria insonant, conditoris sui laudes, & potentiam, quantum prævalent, narrant, quid aliud faciunt nisi nouis linguis loquuntur? Qui dum bonis suis exhortationibus malitiã de alienis cordibus auferunt, serpentes tollant. Et, dum pestiferas suasiones audiunt, sed tamen ad operationem prauam minime pertrahuntur, mortiferum quidem est quod bibunt, sed non eos nocebit. Qui quoties proximos suos in bono opere infirmari conspiciunt, dum eis tota virtute concurrunt, & exemplo suæ operationis illorum vitam roborant, qui in propria actione titubant, quid aliud faciunt, nisi super egros manus imponunt, vt bene habeant? Quæ nimirum miracula tanto maiora sunt, quanto magis spiritalia. Tanto maiora sunt, quanto per hæc non corpora, sed animæ suscitantur. *Et dominus quidem Iesus postquã locutus est eis, &c.* Considerandum nobis est, quid est quod Marcus ait; *Sedet à dextris Dei, & Stephanus dicit, Video cælos apertos, & filium hominis stantem à dextris Dei.* Quid est, quod Marcus hunc sedentem, Stephanus vero stantem se videre testatur? Sed scimus, quia sedere iudicantis est, stare vero pugnantis, vel adiuantis. Quia ergo redemptor noster assumptus in cælum & nunc omnia iudicat, & ad extremum iudex omnium veniet, hunc post assumptionem Marcus sedere describit, quia post ascensionis suæ gloriam iudex in fine videbitur. Stephanus vero in laboris certamine positus, stantem vidit, quem adiutorem habuit. Quia vt iste in terra persecutorum

Vides fide sine operibus non prodesse.

Exorcismi ante baptismum præmittuntur.

Bibl. Hom. tom. 3. O inf

infidelitatem vinceret, pro illo de celo illius gratia pugnauit. Sequitur; *illi autem profecti prædicauerunt ubique domino cooperante, &c.* Quid in his considerandum est, quid memoriam commendandum, nisi quoddam præceptum obedientiam, obedientiam vero signa secuta sunt? Inter quæ notandum quoddam euangelium suum Marcus quanto tardius cæteris inchoauit: tanto in longiora scribendo tempora porrexit. Nam neque de natiuitate ipsius domini, aut præcatoris eius, neque de infantia, vel pueritia vtriuslibet eorum aliqua commemorans, neque de natiuitate saluatoris alius scribens, excepto quoddam eum in capite euangelij sui filium Dei nominat, ab initio euangelicæ prædicationis, quoddam per Ioannem factum est, cœpit: & ad illud usque tempus narrando peruenit: quo apostoli idem euangelij verbum totum prædicando disseminare per orbem. Restat sane quæstio non minima, quomodo scripserit idem euangelista, dixisse angelum mulieribus. Ite dicite discipulis eius, & Petro, quia præcedit vos in Galilæam, ibi eum videbitis, sicut dixit vobis. nec tamen ibi visum à discipulis dominum in villo post hæc euangelij sui loco retulerit. Et quidem Matthæus ab illis discipulos dicit in Galilæam, ibique dominum vidisse, & adorasse, & præceptum ab eo accepisse eundi, docendi, baptizandi omnes gentes in nomine patris, & filij, & spiritus sancti. Attamen inspecta aliorum scriptura euangelistarum docet eum sæpius antea visum discipulis: maxime ipso die resurrectionis eius in Hierosolymis, & in castello Emaus. Quare ergo specialiter se in Galilæam præcesserunt, & ibi à discipulis videndum prædixit: cum neque ibi solum, neque ibi primū fuerit visus? Videamus ergo cuius mysterij gratia secundum Matthæum, & Marcum resurgens ita mandauerit, Præcedam vos in Galilæam, ibi me videbitis. Quod etsi completum est, tamen post multa completum est, cum mandatum sic sit (quanquam sine præiudicio necessitatis) vt aut hoc solum, aut hoc primum expectaretur fieri debuisset. Proculdubio ergo, quoniam vox est ista non euangelicæ narrantis quoddam factum sit, sed angeli ex mandato domini, & ipsius domini, euangelicæ autem narrantis, sed ita ab angelo, & à domino dictum sit, propheticæ dictum accipiendum est. Galilæa namque interpretatur vel transmigratio, vel reuelatio. Prius itaque secundum transmigratiois significationem, quid aliud occurrit intelligendum, Præcedet vos in Galilæam, ibi eum videbitis, sicut dixi vobis, nisi quia Christi gratia de populo Israel transmigratura erat ad gentes, quibus apostoli prædicantes euangelium nullo modo crederentur, nisi eis ipse dominus viam in cordibus hominum prepararet? Et hoc intelligimus; Præcedet vos in Galilæam. Quod autem gaudentes mirantur, disruptis, & euictis difficultatibus aperiri sibi ostium in domino per illuminationem fidelium, hoc intelligitur. Ibi eum videbitis. id est, ibi membra eius inuenietis. Ibi viuum corpus eius in eis, qui vos susceperint, agnosceris. Secundum illud autem quoddam Galilæa interpretatur reuelatio, non iam in forma serui intelligendum est, sed in illa in qua equalis est patri, quæ promissit apud Ioannem dilectoribus suis cum diceret; Ego diligam eum, & ostendam illi meipsum. Non vtrique secundum id, quod iam videbant, & quod etiam resur-

gens cum cicatricibus non solum videndum, sed etiam tangendum postmodum ostendit: sed secundum illam ineffabilem lucem, qua illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: secundum quam lucet in tenebris, & tenebræ eum non comprehenderunt. Illic nos præcessit, vnde ad nos veniens non recessit, & quo nos præcedens non deseruit. Illa erit reuelatio tantquam vera Galilæa cum similes ei erimus, ibi eum videbimus, sicuti est. Ipsa erit etiam beatorum transmigratio ex isto seculo in illam eternitatem, si eius præcepta sic amplectamur, vt ad eius dexteram aggregari mereamur. Tunc enim ibunt sinistri in combustionem eternam, Iusti autem in viam eternam. Hinc illuc transmigrabunt, & ibi eum videbunt, quomodo non vident impij. Tollitur enim impius, ne videat claritatem domini, & impij lumen non videbunt. Hęc est autem vita eterna, vt cognoscant te vnum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum sicut in illa eternitate cognoscitur, quo suos perducet per formam serui, vt eum liberi contemplantur per formam domini.

### HAYMONIS EPISCOPI Halberst. superioris Euang. expofitio.

**R**ecumbentibus vndecim discipulis, apparuit illis Iesus. In textu euangelij habetur. *Novissimè recumbentibus.* Quare dixit, *novissimè*, quasi vitra non essent eum visuri? *Novissimum tempus* fuit, quo dominum apostoli in terra viderunt, qui à quadragesimo die resurrectionis illius qua ascendit in cælum, non viderunt eum corporaliter secum conuersantem in terra. Recumbere, est iacendo comedere. Bene vndecim discipuli, quia iam Iudas perierat, & Mathias necdum in locum eius fuerat subrogatus. *Apparuit illis Iesus*, id est, visus est ab eis. Vbiunque legimus in sacra scriptura apparuit, subito euenisse necesse est vt intelligas. Legimus in Genesi apparuisse Abraham tres pueros, id est, subito visos ab eo. Apparuit Zachariæ angelus, id est, subito visus est ab eo. *Et exprobrauit*, id est, increpauit, redarguit, *incredulitatem illorum, & duritiam cordis.* Quæ fuit duritia cordis illorum, manifestat euangelista, cum subiungit, *quia his*, id est, mulieribus, & viris. *Qui viderunt eum resurrexisse à mortuis non crediderunt.* sicut cæteri. Venit Maria Magdal. nuncians sibi dominum apparuisse, non crediderunt ei. Venit eadē Maria, & altera eiusdem nominis mulier, non crediderunt eis. Venit Petrus dicens sibi dominum apparuisse, non crediderunt ei. Venerunt duo discipuli de castello nomine Emaus, non crediderunt eis, donec & ipsi viderent: propter hoc increpauit eos. Et quare voluit eos increpare die quo ascendit in cælum, de incredulitate resurrectionis suæ? Vt omni tempore, quoad viuerent, dolerent, & tristarentur, & poenitentiam agerent, quoddam increduli fuerunt ex resurrectione domini. More boni patris egit dominus, qui appropinquans morti, conuocat filios suos, & dat eis præcepta, quæ omni tempore vitæ suæ retineant, & opere custodiant. Quoddam discipuli tardè crediderunt resurrectionem domini, non tam illorum infirmitas fuit, quam nostræ, vt ita dicā, fidei fir-

mitas

mitas exiit. Plus enim profuit nobis dubitatio Thomæ ad fidem nostram corroborandam, quam fides beatæ Mariæ Magdalænæ, quæ citò credidit. Quia, dum Thomas vidit, tetigit cicatrices corporis domini, omnem infidelitatem, ac dubietatem à cordibus nostris repulit. *Et dixit eis Eunies in vniuersum mundum*, id est; ab oriente in occidentem, ab aquilone in meridiem, *prædicare euangelium.* Euangelium Græcè, Latine dicitur bona annuntiatio. Quæ est bona annuntiatio? Poenitentiam agite, appropinquabit enim regnū cælorum, *omni creaturæ*: Quare dixit *omni creaturæ*? Nunquid sanctum euangelium brutis animalibus, & insensatis rebus prædicandum erat? Non. Sed omnis creatura nomine, omnem hominem vult intelligi. Sunt lapides tantummodo, sed nec viuunt, nec sentiunt, nec discernunt. Sunt arbuta, & herbe, viuunt per viriditatem, sed non sentiunt, neque discernunt. Sunt animalia, boues, equi: sentiunt, viuunt, sed non discernunt. Sunt angeli, viuunt, sentiunt, & discernunt. Habet namque homo commune esse cum lapidibus, viuere cum arboribus, sentire cum animalibus, discernere cum angelis. Omni creatura prædicatur euangelium, quum soli homini prædicatur: quia ille docetur, propter quem omnis creatura visibilis facta est. Vel aliter. *Prædicare euangelium omni creaturæ*, id est, omni nationi. Ante passionem dixerat dominus discipulis suis: In viam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum, ne intraueritis. Post resurrectionem dixit illis: *Euntes in mundum.* Ac si diceret: Quia Iudæi vestram prædicationem non sunt suscepturi, sicut nec meam susceperunt, sed potius persecuturi vos, & interfecturi sicut me: transtite ad gentes, & prædicare illis, vt gratiam meam; quæ Iudæi perdunt propter infidelitatem, gentiles percipiant per fidem. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit.* Primò posuit, *qui crediderit*, deinde, *qui baptizatus fuerit*: quia ille, qui baptizatus fuerit, si maioris ætatis est, antè debet à sacerdote instrui, qualiter credere debeat in sanctam trinitatem, scilicet patrem ingentium, filium genitum à patre, & spiritum sanctum ab utroque procedentem: & in his tribus vnam substantiam, quoddam filius, qui ante omnia secula genitus est à patre, & in fine temporum natus est ex matre, quod passus est, quod resurrexisset à mortuis, quod ascendit ad cælos, & quod venturus est ad iudicium. Quum in his omnibus fuerit imbutus, tunc baptizetur in nomine sanctæ trinitatis. Apostoli nullum, antè quam taliter fuisset instructus, baptizabant. Qui ergo crediderit, & credulitatem suam bonis operibus adornauerit, vt hoc quod se promissit in baptismo abrenunciaturum, iterum non repetat: saluus erit. Quid promissimus in baptismo? Promissimus nos abrenunciaturus diabolo. Abrenunciare, est despiciere, respicere, & omnibus operibus eius. Quæ sunt opera diaboli? Homicidium, adulterium, furtum, &c. his familia. Si hoc post baptismi gratiam repetierimus, salui esse non possumus, nisi per poenitentiam lamentum. *Qui vero non crediderit, condemnabitur*, id est, peribit. Quid dicendum est de paruulis, qui quando baptizantur, non habent intellectum credendi, neque sensum respondendi? De maioribus nulla quæstio, quia ipsi pro se respondere sciunt. Facilis solutio est. Paruuli, qui necdum sciunt loqui, fide illorum, qui eos susci-

piunt de sacro fonte, merentur remissionem peccatorum accipere. Et certè dignū est, vt, qui peccato carnalium parentum polluantur, fide spiritualium parentum saluentur. *Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur.* Hæc signa, id est, miracula sequentur, id est, comitabuntur eos, qui in me crediderint. *In nomine meo demonia eiicient.* Hoc faciebant sancti Apostoli, & cæteri, qui per prædicationem apostolorum credebant. Vbiunque videbant hominem arreptum à demonio, dicebant: In nomine Iesu exi ab homine: & statim exibat. *Linguis loquentur nouis.* Hoc fecerunt sancti apostoli in die Pentecostes, quando venit super eos spiritus sanctus in linguis igneis: & postmodum non solum ipsi, verum etiam & qui per eos credebant. *Serpentes tollent.* Sic legimus in Actibus apostolorum de B. Paulo, qui veniens in Mitilenam insulam, cum congregasset multitudinem farmentorum, supposuit igni, quia frigus erat: statim vipera à calore ignis coacta exiuit, & inuasit manum eius: ille excutiens manum proiecit in ignem, & occidit eam. *Et si mortiferam quid biberint, non eis nocebit.* Mortiferum verò venenum dicitur, quod infert mortem. Legimus B. Ioannem venenum bibisse in nomine domini, & nihil ei nocuisse. Et in libro Dialogorum de quodam episcopo, qui erat cæcus: cui cum archidiaconus saus transfussisset venenum per puerum suum, volēs illum occidere; & loco eius in episcopatum succedere: adueniens puer, propinauit episcopo venenum. Dixit illi episcopus: Bibe tu. Cùm ille non audens manifestare quid esset, deferret ad os vt biberet; dixit illi episcopus: Noli bibere, vadè & dic archidiacono illi. Ego quidem venenū bibam in nomine domini, sed ille nō erit episcopus post me. Et vbi episcopus in nomine domini bibit venenum, statim archidiaconus in loco, vbi erat, mortuus est. Et de B. Benedicto legimus, quod cū esset abbas in quodam monasterio, transfusserunt illi venenum monachi sui. Illo faciente signum crucis super vas, statim fractum est totū: & confectum recessit ab eis beatus Benedictus. *Super ægros manus imponent, & bene habebunt.* Distantia est inter ægrum, & ægrotum. Æger dicitur infirmus & anima, & corpore, qui languet. Ægrotus infirmus tantum corpore. *Super ægros manus imponent, & bene habebunt.* Non solum apostoli hoc faciebant, verum etiam martyres, cōfessores, & virgines super infirmos ponebant manus, & sanabantur ab omni infirmitate. Forsitan dicit modò aliquis: Ego iam credidi, Christianus sum quare non facio eadem miracula, quæ sancti apostoli faciebant, & cæteri credentes videlicet vt demonia eiiciam, linguis loquar nouis, serpentes tollam? Cui respondendum est, quod hæc miracula in exordio fidei sanctæ ecclesiæ fuerunt necessaria. Videbant enim homines increduli multa miracula sanctos apostolos facientes, & credebant in dominum Iesum Christum. Postquam verò fides ecclesiæ creuit in toto mundo, miracula cessauerunt, sicut verbi gratia. Quando plantamus arbusta in memoribus nostris, tandiu eis aquam infundimus, donec radicem eorum in terra conualuisse perpeximus, tunc n. ab irrigatione cessamus, Sed quod tūc fecerunt apostoli carnaliter, modò agit sancta ecclesia spiritualiter. Dæmonia eiicit, quando baptizat credentes in nomine sanctæ trinitatis. Homo ab exordio na-

Bibl. Hom. tom. 3. O 2 tiuitatis

Intelligit li-  
brum S. Gre-  
gorij Papa.Signi crucis  
virtus.

Mosantiqui  
recitandi exor-  
cismos super  
energumenos.

tiuitatis suæ vsquequo baptizetur, propter origi-  
nale peccatum à diabolo possideret. Cum autem  
à sacerdote, aut etiam à diacono intingitur aquis  
baptismatis, continuo recedit diabolus. Et secū-  
dum literam, sancta ecclesia, eiicit demones à  
corporibus hominum, quando dicit exorcismos  
super energumenos. Linguis loquentur nouis.  
Quandiu homo turpibus, & vanis sermonibus  
inferuit, vetera verba loquitur: cum autem ad  
laudes Dei conuertitur, aut ad missarum solen-  
nia, aut ad Psalmos canendos dicens cum Psal.  
Benedicam dominum in omni tempore, semper  
laus eius in ore meo, quasi linguis nouis loqui-  
tur. *Serpentes tollent.* Per serpentem designatur  
hic, malitia, vel odium. Quisquis malitiam vel de  
corde, aut de cordibus aliorū doctrina, vel exem-  
plo auferet, quasi serpentes tollit, *Et si mortiferum  
quid biberint, non eis nocebit.* Per mortiferū designa-  
tur, mala suasio. Si autem diabolus aut alius ma-  
lus homo suaserit tibi, vt alterius vxorem pol-  
luas, alterius equum auferas, alterius substantiam  
diripias, aut aliud tale facias: & tu non consen-  
seris illi, opera implendo, quæ suggerit, mortiferum  
quidem est, quod bibis audiendo, sed non tibi  
nocet, quia malam suasionem ad effectum ope-  
rationis non perducis. *Super agros manus impo-  
nent, & bene habebunt.* Est modò aliquis titubans  
in bono opere, nō venit ad nocturnale officium,  
piger est in Dei seruitio: si quis talem flagellan-  
do, aut excommunicando, aut etiam verbo vel  
exemplo in Dei seruitio, deuotum fecerit, super  
agrum manus imponit. *Et dominus quidem Iesus  
postquam loquutus est eis, assumptus est in cælum, &  
sedet à dextris Dei.* Et ista, quæ modo lecta sunt, &  
alia, quæ in euangelio continentur: *assumptus est  
in cælum.* venit nubes, & assumpsit eum. *Et sedet  
à dextris Dei,* non debemus ita intelligere, vt sic  
sedeat filius ad dexteram Dei patris, sicut iste se-  
det iuxta me, sed *sedet,* posuit pro habitat. *Sedet à  
dextris Dei,* id est, habitat in magnitudine hono-  
ris, & paternæ gloriæ. Hic oritur quæstio, quare  
dicit Marcus dominum post ascensionem ad cœ-  
lum ad dexteram Dei sedere, & beatus Stepha-  
nus stare, sicut legimus in Actibus apostol. Video  
cœlos apertos, & Iesum stantem à dextris Dei.  
Sciendum est, quod sedere iudicantis est, stare ve-  
rò pugnantis, vel adiuuantis est. Vt B. Marcus  
ostenderet, quia dominus Iesus Christus quadra-  
gesima die resurrectionis suæ cœlos penetrans,  
modò omnia iudicat, & in die iudicij iudex om-  
nium futurus est, ideo introduxit eum sedere. Vt  
autem B. Stephanus demonstraret, quia vt ille vin-  
ceret hostes suos in terra, perseuerando in fide, do-  
mini gratia pugnat, & iuuabat eum in cœlo,  
ideo retulit eum stare. *Illi autem profecti,* ab illo  
verbo; quod est proficiscor proficisceris, venit  
profectus: profecti participium est. *Illi autem pro-  
fecti,* id est ambulantes, *predicauerunt vbiq̃ue.* Præ-  
ceptum domini obedientia discipulorum secuta  
est. Dominus præcepit, euntes in mundū vni-  
uersum, illi iussa eius complentes, *profecti predi-  
cauerunt vbiq̃ue.* id est, in omnibus locis ab Hieru-  
salem vsque in Indiam, vbi sol oritur, & vsque in  
Britanniam, vbi sol occidit. Antea defecit eis ter-  
ra, quàm impletum est illis. In omnem terrā exi-  
it sonus eorum. *Domino cooperante.* Dominus lo-  
quebatur per ora illorum. Ipse erat cooperato-  
r, quia quicquid illi operabantur, dominus opera-

Psal. 13.

batur per illos: *et sermonem confirmante.* Quicquid  
illi dicebant verbis, dominus confirmabat mira-  
culis. Petrus dicebat: In nomine Iesu surge à mor-  
tuis: dominus faciebat surgere. *Sequentibus signis,*  
id est, miraculis.

INCERTI SVB NOMINE  
Eusebii Episcopi Emisseni superioris  
Euangelij expositio.

VENIT ad discipulos suos dominus Iesus, in-  
uenit eos recumbentes, inuenit eos mandu-  
cantes, & bibentes: discubuit cum illis, mandu-  
cauit, & bibit cum illis, vt se non phantasmaticū,  
sed verū corpus assumpsisse ostenderet, & sua eos  
presentia roboraret. Redarguit eos de infidelita-  
te sua, confirmauit eos colloquio suo. Et sicut  
scriptum est, conuescens præcepit eis ab Ieroso-  
lymis ne discederent, sed expectarent promissio-  
nem patris. Quicunque igitur es, qui sancti spi-  
ritus promissionem expectas, noli ab Ierusalem  
discedere, noli ecclesiam relinquere, noli sancto-  
rum consortium deserere: ibi expecta, ibi mane,  
quia nulli extra ecclesiam datur spiritus sanctus,  
& eos etiam, qui habent, si ab ea se separauerint,  
derelinquit. Redarguit autem eos propter duri-  
tiam suam, reprehendit eos de infidelitate cordis  
sui. Quauis enim Simō Petrus, & Maria Ma-  
gdalena, & duo illi discipuli, quibus in specie pe-  
regrini dominus apparuerat, certissimè, firmissi-  
mèque nuntiarent dominum resurrexisse, seq̃ue  
illum vidisse, ceteri tamen illis non credebant. Et  
quid mirum est, cum nec sibi ipsis nec suis oculis  
crederent, & eum videntes non viderent? Narrat  
enim Matthæus euangelista, quòd vndecim di-  
scipuli abierunt in Galilæam, in montē, vbi con-  
stituerat Iesus illis, & videntes eum adorauerunt,  
quidam autem dubitauerunt. Non enim verum  
corpus, sed spiritum se videre putabāt. Vnde ipse  
ait, *Palpate, & videte,* quia spiritus carnes, & ossa  
non habet, sicut me videtis habere. Et fortasse hæc  
tanta illorum dubitatio ex immenso amore pro-  
cedebat. Non enim facilè credimus, quod multū  
desideramus: sicut econtrā quod timeamus, leui-  
ter posse accidere credimus. *Et dixit eis, Euntes in  
mundum vniuersum, & predicato euangelium omni crea-  
turæ.* Prius enim dixerat, *In vias gentium ne abe-  
riteritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraue-  
ritis.* Non enim sum missus nisi ad oues quæ pe-  
rierunt domus Israël. Nunc autem eos præcipit  
ire in vniuersum mundum. In quo Iudæorum ab-  
iectio, & Gentium electio apertissimè monstra-  
tur. Vnde & illi à patre dicitur, *Postula à me, &  
dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessio-  
nem tuam terminos terræ.* Quod autem ait, *Pre-  
dicato euangelium omni creaturæ.* Alius euangelista  
exponit, dicens, *Ite, docete omnes gentes.* Idem  
enim per omnem creaturam, & per omnes gētes  
significatur. Sic enim Apostolus ait de charitate,  
quia omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet:  
quod quidem verum non est, nisi aliter determi-  
netur. Si enim charitas omnia credit, credit vtiq̃;  
Pharisæis, & Sadducæis, aliis affirmantibus, aliis  
negantibus resurrectionem: quod fieri nō potest.  
Non igitur charitas omnia credit. Sic ergo deter-  
minetur, omnia credit, quæ credenda sunt. Simi-  
liter igitur & id, quod dicitur, *predicato euangelium  
omni*

omni creaturæ. Determinandum est: vt sic dicatur,  
Omni creaturæ prædicato euangelium, cui præ-  
dicandum est. Non enim est euangelium præ-  
dicandum vel lapidibus, vel aliis quibuscunq̃ue  
rebus sensu, & ratione carentibus: Sunt autem,  
qui hæc subtilius intelligentes, ea quæ plana  
sunt, difficilia reddunt. Et multa quidem in pro-  
phetis & Apostolis & in verbis dominicis repe-  
riuntur, quibus hæc vna determinatio sufficere  
potest. Quale est illud, *Cum exaltatus fuero à  
terra, omnia traham ad meipsum:* cui si addatur,  
quæ trahenda sunt, nihil erit inconueniens. Ali-  
ter autem, quanta inconuenientia sequitur, quis  
non intelligat? Valde enim pauca sunt ea, quæ il-  
luc trahuntur, ad comparationem illorum, quæ  
ad se dominus non trahet: siquidem solos homi-  
nes, & ipse non omnes trahet ad se. His igitur, &  
similibus facile intelligitur, quid in eo significa-  
tur, quod dicitur, *Predicato euangelium omni creaturæ.*  
Cui videlicet euangelio qui crediderit, & bap-  
tizatus fuerit, saluus erit. Dicit tibi euangelium,  
Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo  
& proximum tuum sicut teipsum. Hoc enim cō-  
siliū si credideris, & feceris, saluus eris. Dicit  
autem & alia multa, quæ & salutem parant & vi-  
tam æternam. *Qui verò non crediderit, condemnabitur.*  
Quauis enim homo baptizatus sit, & omnia  
peccata in baptismo sint ei remissa, condemnabi-  
bitur tamen quicūque est ille, nisi euangelio cre-  
diderit, eiusque consilii assensum præbuerit. *Si-  
gna autem eos qui crediderint hæc sequuntur: In nomine  
meo demonia eiicient, linguis loquentur nouis, &c.* Om-  
nia enim hæc in primitiua ecclesia non solum  
Apostolos, sed & alios sanctos fecisse legimus.  
Neque enim aliter ab idolorum cultura homi-  
nes infideles cōuerterentur, nisi his tantis signis,  
& miraculis euangelica prædicatio firmaretur.  
Prædicabant enim Christi discipuli (vt Aposto-  
lus ait) Christum crucifixum, Iudæis quidem scā-  
dalum, Gentibus autem intelligentiam. Sed cum subi-  
tò demonia eiicerent, linguis loquerentur nouis,  
serpētes solo verbo aut occiderent aut fugarent,  
venenum sine læsione biberent, & non solum ta-  
ctū, verum etiam sui corporis vmbra ægros sana-  
rent, mox in admirationem Gentiles conuersi  
clamabant, *Vnus Deus, quem Apostoli prædicāt,*  
vnus dominus Iesus Christus, qui talia operatur.  
Nobis autem signa, & miracula iam nunc neces-  
saria non sunt, quibus ea, quæ facta sunt solum-  
modo legere, & audire sufficit. Credimus enim  
euangelio, credimus & scripturis ista narranti-  
bus. Nemo modo in ecclesia dicit, non tibi cre-  
do nisi mortuos suscites, nisi cæcos illumines, &  
nisi hæc, & similia facias. Signa tamen in ecclesia  
quotidie fiunt, quæ si quis attendere velit, multo  
maiora esse cognoscit, quàm illa, quæ tunc ab illis  
corporaliter fiebant. Quotidie enim sacerdotes  
populum baptizando, & ad penitentiam vocan-  
do, demonia eiiciunt, quotidie linguis loquuntur  
nouis, diuinas scripturas exponentes, dum literæ  
vetustatem in spiritualis intelligentiæ nouitatem  
conuertunt. Serpentes verò tollunt, quia concu-  
piscencias malas, quia vitia, & peccata sua admo-  
nitione à peccatorum cordibus auertunt. Bibunt  
autem mortiferum, sed non eis nocet, quia paga-  
norum, & hæreticorum libros legentes, & ama-  
ra, & venenosa conuitia sibi illata læpius audien-  
tes, surda aure transeunt: & pro nihilo ducunt.

Super ægros verò manus imponunt, & bene ha-  
bent, quia animas infirmas suis orationibus san-  
nant, & Deo reconciliant. Eadem signa igitur &  
nunc sancti Dei faciunt, quæ tunc eos dominus  
facturos esse promisit. *Et dominus quidē Iesus, post-  
quam loquutus est eis, assumptus est in cælum, & sedet  
à dextris Dei.* Qualiter autem assumptus est, liber  
Actuum Apostolorum ostendit, dicens, *Et cum  
hæc dixisset, vidētibus illis, eleuatus est, & nubes  
suscepit eum ab oculis eorum. Illi autem profecti  
predicauerunt vbiq̃ue, domino cooperante & sermo-  
nem confirmante sequentibus signis.* Et tunc qui-  
dem adimpleta est prophetia, quæ ait, *In om-  
nem terram exiit sonus eorum, & in fines orbis  
terræ verba eorum.*

THEOPHYLACTI EPI-  
scopi Bulg. superioris Euang. expositio.

POSTEA discumbentibus illis vndecim apparuit, & ex-  
probrauit illis incredulitatem suam, &c. Vide man-  
datum domini; *Predicato omni creaturæ.* Non di-  
xit, *predicato iis, qui obtemperant, sed omni crea-  
turæ,* siue recipiant, siue non. *Qui crediderit.* Et non  
sufficit hoc, sed, *& baptizatus fuerit.* Nam, qui cre-  
diderit, & non baptizatus fuerit, sed adhuc est  
catechumenus, non iam saluatus est. Signa verò,  
quæ sequuntur credentes, dicit demonia eiicere,  
linguis loqui nouis, serpētes tollere, hoc est abo-  
lere serpētes, siue sensibiles, siue spirituales: sicut  
etiam dixit, *Super serpentes, & scorpions calcate,*  
manifeste de spiritualibus intelligēs. Potest item  
& sic intelligi, *Serpentes tollent,* sicut Paulus vipe-  
ram in manu sustulit, nihil ab illa offensus. *Etiam  
si mortale quiddam biberint, non nocebit eis.* Sæpe au-  
tem hæc facta sunt, vt in historijs inuenimus. Mul-  
ti enim & venenum bibentes, per signaculū cru-  
cis illæsi conseruati sunt. *Hæc autem quum dixisset,  
assumptus est, & sedet à dextris Dei. Illi autem predi-  
cauerunt vbiq̃ue, domino, inquit, cooperante & sermo-  
nem confirmante per sequentia signa.* Vides vbiq̃ue  
nostra primum, deinde Dei adiutorium. Quia  
enim nos operamur, & principium dederimus,  
dominus cooperatur. ita si nos non dederimus  
occasionem, non cooperatur. Considera autem  
& hoc, quia post sermonem, opera, & sermo, per  
opera confirmatur, sicut & in apostolis sermo-  
nem confirmabant opera, quæ subsequantur  
ac signa.

Math. 10.  
Lucæ 10.  
Act. 22.

Signaculi cru-  
cis efficacia.

Caute legendū  
sapiet Pelagius  
nisi sit: nam  
gratia Dei  
nos præuenit,  
comitatur, &  
sequitur, que  
ne sit vacua,  
nostra coope-  
ratione indi-  
get.

EVTHYMI ZIGABONI  
superioris Euang. expositio.

POSTEA discumbentibus ipsis vndecim apparuit, & c.  
Postea: Posteaquam videlicet certiores facti  
fuerant à Petro, venerantque Cleopas, & comes  
eius, ac narrauerant, quæ sibi in via acciderant:  
& quo modo ab eis cognitus fuerat in fractione  
panis, sicut dixit Lucas. Ait enim ipse: *Hæc illis  
loquentibus, ipse Iesus stetit in medio eorum, &  
ait illis, Pax vobis, &c.* Hoc autem etiam in eius-  
dem diei vespera accidit. Scripsit enim & Ioan-  
nes; *Quum serum esset die illo, qui erat vnus  
sabbatorum, & fores essent clausæ, vbi erant di-  
scipuli congregati propter metum Iudæorum,  
venit Iesus, stetitque in medio, & ait illis, Pax vo-  
bis.* Bibl. Hom. rom. 3. O 3 bis,

Ioan. 20.

bis, &c. Tunc enim exprobravit incredulitatem eorum, cordisq; duriciem, siue imperuabilitatem: quia iis, qui viderant eum, postquam resurrexerat, non crediderant, puta Magdalene, & alteri Mariæ, ac iis duobus, de quibus scripsit Marcus. Itaque Marcus dictam exprobrationem scripsit. Lucas vero, & Ioannes, hac prætermissa, aliarum rerum, quæ tunc factæ sunt, meminerunt. Et dixit eis: *Exiite in mundum vniuersum, &c.* Hoc est, in vniuersum orbem. Dixit autem illis hunc sermonem, non tunc sane, sed postmodum, quum profecti sunt in Galilæam in montem, in quo constituit illis Iesus, veluti circa finem euangelij secundum Matthæum scriptum est. Quæ vero sequuntur Matthæus quidem reliquit, horum narratione abbreviata. Marcus vero retulit dilatato de his sermone. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, &c.* Modo fidem, ac baptismum impolluta conseruauerit: aut post contractas sordes emundauerit, ac purificauerit. Intelligitur autem verbum hoc & alio modo; *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit:* si ea, quæ fidei sunt, per baptismum suscepta, demonstrauerit: illa vero sunt operatio mandatorum Dei, ac sui ipsius custodia. Non dixit autem: *Qui solum crediderit:* neque, *Qui baptizatus fuerit tantum:* sed utrumque coniunxit: alterum enim sine altero non saluum facit hominem. *Signa vero eos, qui crediderint, hæc prosequuntur. Eos, qui crediderint:* non simpliciter, sed sicut diximus. Deinde ponit & signa, siue miracula. *Linguis loquentur nouis.* Linguis peregrinis: idiomatis aliarum gentium. *Serpentes tollent.* Delebunt, occident, aut etiam in manibus absque periculo tenebunt. *Et, si mortiferum quippiam biberint, &c.* Multa talia plurimis contigerunt sanctis, semperque contingunt

Vide quomodo intelligenda sit fides saluare.

fidelibus, qui videlicet exercentur in euangelicis præceptis: nam fides sine operibus mortua est iuxta magnum illum Iacobum. *Super egros manus imponent, &c.* Per dicta signa, etiam ea inuicit, quæ prætermissa sunt. Dixit enim in præcedentibus, quod omnia possibilia sunt credenti. *Dominus itaque postquam loquutus est eis, &c.* Postquam loquutus est, non hæc solum, sed & omnia verba, quotquot eis loquutus est à die resurrectionis sue, donec completi sunt quadraginta dies, in quibus apparebat discipulis, & conuersabatur cum eis. *Lectum est autem de assumptione sua etiam in fine euangelij iuxta Matthæum. Et sedit à dextris Dei.* Atqui Deus, & pater eius, quum sit incorporeus, nequaquam dextrâ habet, aut sinistram: hi namque habitus sunt corporum. Reliquum est ergo, ut sedere ipsius, requiem manifestet, ac fruitionem diuini regni. Quod autem additur, *À dextris Dei,* familiaritatem denotat, ac æqualem cum patre honorem. *Non tantum in dextris patris sedere dicitur filius, verum etiam stare: quemadmodum in libro Actuum dicit Stephanus: ut illud quidem requiem designet intransmutabilem, hoc autem firmam ac diuinam in bono confirmationem. Vnde nulla huiusmodi verborum immutatio reddat aliquam sententiæ diuersitatem. Præterea quum dicit stare filium, non dicit sedere patrem: ne ex hoc intelligamus differentiam dignitatis. Restat igitur, ut & consedere patri dicatur, & simul cum eo stare.* Illi vero egressi prædicauerunt ubique, &c. Sermonem, prædicationem. Vtinam autem & sermo doctrinæ nostræ confirmetur per subsequentiâ debitorum virtutis signa, ut in fine vitæ nostræ perfecti inueniamur per gratiam, & benignitatem domini nostri Iesu Christi, Amen.

Iacobus

Ad. 7.

Ad. 7.

GLOSSA ORDINARIA in superius Euang.



Vm autem. Nunc videntes opera oderunt gratis & me & patrem. Sed cum venerit paracletus, manifestiore testimonio conuincet eos qui viderit & oderunt, sed & quosdam eorum compunctos de tanto scelere conuertet. *Quem ego.* Die Pentecostes venit spiritus sanctus in centum viginti homines congregatos, cum quibus erant omnes apostoli in domo ubi cœna fuerat. *Qui à pa.* Spiritus procedit à patre & filio: sed filius dicitur à patre procedere, quia ad patrem solet referre: & quod ipsius est, de quo ipse est. A quo ergo habet ut sit; ab illo habet, ut de illo procedat spiritus. *Hæc loquutus sum.* Postquam exemplo suo docuit ferre odia in quo sciunt quid debeant facere, sed non possunt postquam etiam promittit spiritum quo poterunt resistere, etiam addit: Hæc loquutus sum de odio mei; quod est exemplum de spiritu qui confirmabit, ut ita charitate diffusa in cordibus vestris, sit vobis multa pax, & non scandalum. *Rom. 5.* Vnde enim scandalum? Quid passuri. *Absque synagogis,* id est extra synagogas facient vos: quia non erat alius populus Dei nisi Israel, si Christum reciperet, non esset alia ecclesia Christi, nec alia synagoga Israel. Sed quia isti semper voluit esse sine Christo, volentes constituere suam iustitiam, pellentes eos qui nunquam voluit esse sine Christo, iustitiæ eius subiecti. Nec erubescunt pulsi, sicut illi qui credentes in Iesum, propter metum, non audebant confiteri, ne pellerentur de synagogis, diligentes gloriam hominum magis quam gloriam Dei. *Sed ve.* Quod si pulsi ab eis tot acquireretis mihi (vnde vobis gaudendum) ut non fatis sit eis vos pelleri. Sed non sinant vivere, ne omnes acquiratis. ut à Iudaismo auertatis, in quo Deum Israel credunt desereri & sancta sua.

Rom. 5.

Rom. 10.

CATENA AVREA in idem Euang.

Vm autem venerit paracletus, quem ego mittam vobis à patre, &c. Chry. Possent discipuli domino dicere. Si verba te audierunt quæ nullus dixit, si opera viderunt quæ nullus alius fecit & tamen non profuerunt. Si oderunt & patrem tuum & te cum eo, cuius gratia nos mittis: qualiter digni fide erimus? Ne igitur hæc cogitantes turbentur, consolationem inducit dicens. *Cum autem venerit paracletus quem ego mittam vobis à patre, spiritum veritatis qui à patre procedit, ille testimonium perhibebit de me.* Aug. Tanquam diceret, Odio me habuerunt & occiderunt videntes: sed tale de me testimonium paracletus perhibebit ut eos faciat in me credere non videntes, & quia ille perhibebit & vos perhibebitis, vnde sequitur, *Et testimonium perhibebitis.* Ille cordibus vestris inspirando, vos vocibus vestris sonando, vnde poteritis prædicare quod nostis. *Quia ab im. me. estis,* quod modo non facitis, quia illius spiritus plenitudo non dum adest vobis. Dabit enim vobis fiduciâ testimonium perhibendi charitatis Dei diffusa in cordibus vestris per spiritum sanctum qui dabitur vobis. Ille quippe testimonium perhibens & testes fortissimi

mos faciens, abstulit amicis Christi timorem, & inimicorum odium conuertit in amorem. Didy. de spiritu sancto. Spiritum autem sanctum venientem consolatorem dicit, ab operatione ei nomen imponens, quia non solum eos quos se dignos esse reperit ab omni perturbatione reddit alienos, verum incredibile quoddam gaudium eis tribuit. Sempiterna quippe lætitia in eorum corde versatur, quorum spiritus sanctus habitator est. Ille spiritus consolator à filio mittitur, non secundum angelorum, aut prophetarum, aut apostolorum ministerium, sed ut mitti debeat à sapientia & virtute spiritum Dei indiuisam habentem cum eadem sapientia & virtute naturam. Etenim filius missus à patre non separatur atque disingitur ab eo: manens in illo, & habens illum in semetipso, qui spiritus sanctus supradicto modo missus à filio de patre egreditur non aliunde ad alia transmissans. Quomodo enim pater non consistit in loco cum ultra omnem corporum sit naturam; ita & spiritus veritatis nequaquam locorum vine clauditur, cum sit incorporeus & excellens vniuersam creaturam essentiam. Chry. Propterea vero non spiritum sanctum, sed spiritum veritatis eum vocauit, ut ostendat quod erit fide dignus, dicit autem quod à patre procedit omnia certissime nouit, quemadmodum ipse ait de seipso. Quoniam nouit vnde venio & quo vado. Didy. Sed cum posset dicere à Deo suo omnipotente nihil horum terigit, sed ait, A patre, non quod pater à Deo omnipotente sit alius, sed secundum proprietatem patris intellectum parientis, egredi ab eo dicitur spiritus veritatis. Mittente autem filio spiritum veritatis, simul mittit & pater, cum eadem voluntate patris & filij spiritus veniat. Theoph. Et abas quidem patrem dicit mittere spiritum, nunc autem cum se missurum dixit, æquipollentiam denotat. Ne autem censeretur reniti contra patrem velut ab alia potestate transmittens spiritum, addidit, *A patre,* quasi acceptante patre, & pariter destinante. Cum autem audis quod procedit, ne intelligas processum missionem esse illam extrinsecus, quæ mittuntur administratorij spiritus, sed quoddam differens exceptæ actionis proprium processum appellat vni principali spiritui attributum, originis enim consistentia spiritus est processus, non ergo procedere promittere iudicandum est, sed ex patre naturalem essentiam obtinere. Augu. Hic aliquis querit, vtrum & à filio procedat spiritus sanctus: filius enim solius patris est filius, & pater solius filij est pater. Spiritus autem sanctus non est vnus eorum spiritus sed amborum, quadoquidem dicit ipse Christus. Spiritus patris vestri qui loquitur in vobis. Et dicit apostolus. Misit Deus spiritum filij sui in corda vestra. Nec ob aliud æstimo ipsam proprie vocari spiritum, cum etiam si de singulis interrogemur non possumus nisi & patrem & filium spiritum dicere, quod ergo communiter vocantur & singuli, hoc proprie vocari oportuit eum qui non est vnus eorum sed in quo communitas apparet eorum amborum. Cur ergo non credamus quod etiam de filio procedat spiritus sanctus, cum filij quoque ipse sit spiritus? Si enim ab eo non procederet, nec post resurrectionem discipulis suis infaflasset, dicens. Accipite spiritum sanctum. De hac quoque virtute credendus est dicere euangelista. Virtus de illo exibat, & sanabat omnes. Si ergo &

O 4 go &



DOMINICA INFRA OCTAVAS ASCENSIONIS.

IOAN. 15.



In illo tempore dixit Iesus discipulis suis, Cum a venerit b paracletus, quem ego c mitto vobis à patre spiritum veritatis, qui à d patre procedit, e ille testimonium f perhibebit de me. Et vos testimonium g perhibebitis, qui ab h initio mecum estis. Hæc loquutus sum vobis, ut non scandalizemini. Absque synagogis facient vos. i Sed venit hora, ut omnis qui interficit vos, k arbitretur obsequiū se præstare Deo. Et hæc facient vobis, quia non nouerunt l patrem, neque m me. Sed hæc n loquutus sum vobis, ut cum venerit o hora eorum, p reminiscamini, quia ego dixi vobis.

<sup>a</sup> Sponte ut Deus. <sup>b</sup> Ut sit fiducia consolationis. <sup>c</sup> Ecce quod & filius mittit à patre à quo ipse est. <sup>d</sup> Ut sit fiducia prædicatoris. Ecce quod pater mittit. <sup>e</sup> Manifestatione sui, quia tanto miraculo quod qui putabatur mortuus resurrexisset & vivere probatus est. <sup>f</sup> Quod non modo, quia non adest plenitudo illius temporis. <sup>g</sup> Per eum. <sup>h</sup> Prædicationis meæ ideo prædicare poteritis quod nostis. <sup>i</sup> Quasi dicat, Sed ne timeatis solitudinem, quia tot acquireretis ut pro eis ad gloriam Dei videamini occidendi. <sup>k</sup> Zelum Dei habere, sed non secundum scientiam, sed ex stulta ignorantia. <sup>l</sup> Esse. <sup>m</sup> Filium. <sup>n</sup> Hæc sentis sed ego prædixi: ne ignaros hæc & improuisa turbarent, sed præuisa patienter ferantur. <sup>o</sup> Tenebrosa. Opportunitas. <sup>p</sup> Malorum. <sup>q</sup> Et caueteis vobis.

GLOS



go & de patre & de filio procedat spiritus sanctus, cur filius dixit De patre procedit, nisi quæ admodum solent ad eum referre, quod & ipse est de quo ipse est, unde illud est quod ait. Mea doctrina non est mea, sed eius qui me misit. Si igitur hæc intelligatur eius doctrina, quam tamen dixit non suam sed patris, quanto magis & intelligendus est & de ipso procedere spiritus sanctus, ubi sic ait. De patre procedit, ut non diceret. De me non procedit. A quo autem habet filius ut sit Deus, ab illo habet utique ut procedat ab eo spiritus sanctus. Hinc utique etiam illud intelligitur, cur non dicatur natus esse, sed potius procedere spiritus sanctus, quoniam si & ipse filius diceretur amborum utique filius diceretur, quod absurdissimum est, filius quippe nullus est duorum nisi patris & matris. Absit autem ut inter Deum patrem & Deum filium tale aliquid suspicemur, quia nec filius hominum simul ex patre & ex matre procedit, sed cum in matrem procedit ex patre, non tunc procedit & ex matre. Spiritus autem sanctus non de patre procedit in filium & de filio procedit ad sanctificandam creaturam, sed simul de utroque procedit. Neque enim possumus dicere quod non sit vita spiritus sanctus cum vita patris, & vita sit filius, ac per hoc sicut pater cum habeat vitam in semetipso, dedit & filio vitam habere in semetipso, sic ei dedit vitam procedere de illo sicut procedit & de seipso. Hæc loquitur sum vobis, ut non scandalizemini, &c. Aug. Merito promisso spiritus sancto quo in eis operante fierent testes eius subiunxit. Hæc locutus sum vobis, ut non sciam. Cum enim charitas Dei diffunditur in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis sit pax multa diligentibus legem Dei, ut non sit illis scandalum. Deinde quæ passuri essent exprimens, ait. Absque synagogis sciam vos. Chry. Iam enim composuerat: ut si quis confessus fuerit Christum: extra synagogam fieret. Aug. Quid autem mali erat apostolis expelli de Iudaicis synagogis quasi non fuerint inde exituri: etiam si eos nullus expelleret. Sed hoc voluit denunciare: quia Iudæi Christum non fuerant recepturi à quo isti non fuerant recessuri. Nam quia non erat vllus alius populus Dei: quam illud semen Abraham si cognoscerent Christum: non aliæ fierent ecclesiæ Christi: aliæ synagogæ Iudeorum. Quod quia noluerunt quid restabat nisi ut remanentes extra Christum extra synagogam facerent eos qui non reliquerunt Christum? Deinde cum hoc eis dixisset adiecit. Sed vobis, ut omnis qui interfici vos: arbitretur obsequium se præstare Deo. Quæ verba ita subiecit tanquam ex hoc consolaretur eos: qui de synagogis Iudaicis pellerentur, an forte de synagogis illa separatio sic eos fuerat turbatura ut mori vellēt potius quam in hac vita sine Iudeorum congregationibus morari, ut sic turbarentur: qui Dei non hominum gloriam requirebant. Iste itaque sensus est in his verbis. Extra synagogam facient vos: sed nolite solitudinem formidare. Separati quippe à congregationibus eorum: tam multos in nomine meo congregabitis: ut illi metuentes ne templum quod erat apud eos: & omnia legis veteris sacramenta deferantur: sic interficiant vos ut Deo arbitrentur se præstare obsequium: zelum Dei habentes: sed non secundum scientiam. Hoc enim de Iudæis dictum debemus accipere: de quibus dixerat, Extra synagogam facient vos. Nam testes, id est martyres Christi: etiam si occisi sunt à

gentilibus: non tamen illi arbitrati sunt Deo: sed diis suis falsis obsequium se præstare. Iudeorum autem omnis qui occidit prædicatores Christi: Deo se putavit præstare obsequium, credens quod desererent Deum Israel, quicumque conuerterentur ad Christum. Hinc ergo accensi & zelum Dei habentes: sed non secundum scientiam obsequium se Deo præstare credentes occidebant eos. Chry. Deinde consolationem inducit dicens. Et hæc omnia sciam vobis, quia non nunc. pa. neque me, quasi dicat: Sufficit vobis in consolationem propter me & patrem hæc pati. Aug. Ne autem ignaros atque imperitos animos mala improvisam, quamvis cito transiitura turbarent hanc fuisse causam: ut hæc eis prænunciaret ostendit subdens. Hæc lo. sum vobis, ut cum ve. ho. eo. reminiscamini. quia dixi vobis. Hora eorum hora tenebrosa: hora nocturna: sed nox Iudeorum separatum à se diem Christianorum nulla confusione fuscaui. Chry. Sed & propter aliam causam hoc prædixit: ut non dicerent quoniam non prævidit futura, & hoc significat cum dicit, Reminiscamini quia ego dixi vobis, & ut non possent dicere: quoniam blandiens nobis eam quæ ad gratiam dicebat solum, cuius autem gratia hoc à principio non dixit, ostendit dicens. Hæc autem abini. vo. non di. quia vobis. eram: quia scilicet in custodia mea eratis: & licitum erat interrogare quando volebatis: & super me totum prælium vertebatur. Unde superfluum erat hoc à principio vobis dicere: non quia hæc tunc non nouerā propterea non dixi. Aug. Sed alij tres euangelistæ eum prædixisse ista demonstrant antequam ventū esset ad cœnam: qua peracta secundum Ioannem ista locutus est. An forte hinc ista soluitur quæstio: quia & illi eum narrant proximum fuisse passioni cum hoc diceret: non ergo ab initio quādo cum illis erat. Sed Mattheus non solum imminente passione: verumetiam ab initio hæc denunciata esse commemorat. Quid sibi ergo vult quod hic dicit, hæc autem ab initio non di. nisi quia ea quæ hic dicit de spiritu sancto: quod sit venturus ad eos & testimonium perhibiturus quando mala passuri sunt: hæc eis ab initio non dixit: quoniam cum ipsis erat: & eius præsentia consolabantur. Abscessurus autem oportebat ut diceret illum esse venturum per quem charitate diffusa in cordibus suis verbū Dei cum fiducia prædicarent. Chry. Vel prædixit quidem quoniam flagella patientur. Non autem quod mors eorum reputaretur ut Dei cultura: quod maxime poterat eos attonitos facere. Vel quia illic ea quæ à gentibus debebant pati dixit: hic autem & Iudaica adiecit.

S. IO. CHRYSOSTOMI  
Episcopi Constantin. in superius  
Euangel. Homil.

NE discipuli, superioribus auditis, perturbarentur, vide quam affert consolationem. Cum venerit paracletus, quem ego mittam vobis à patre spiritum veritatis, &c. Ille dignus fide erit, propterea non spiritum sanctum, sed veritatis appellauit. Illa autem particula: Qui à patre procedit: hoc est, qui omnia certò nouit, sed de seipso, inquit; Scio unde venio, & quod vado: & cum de veritate loqueretur, quem ego mittam. Ecce quod non pater solus, sed & filius spiritum mittit: & vos, qui mecum

cum fuistis, neque ab aliis audistis, adhibetis fidem: hinc Apostoli confirmati dicebant; Qui cum eo comedimus, & bibimus. Quod non ad gratiam dictam sit, spiritus dictis testimonium perhibet. Hæc locutus sum vobis, ut non scandalizemini, hoc est, cum multos incredulos & vos persequentes videritis. Extra synagogam facient vos. Iam enim hoc decreuerant, si quis Christum confiteretur. Sed venit hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo. Si vos interficiant, rem piam, & Deo gratam facturos se existimabunt, inde iterum consolatur; Et hæc facient vobis, quia non nouerunt patrem, neque me. Hoc vos satis consoletur, quod propter me, & patrem hoc patiemini. Hic iterum eos beatitudinis admonet, ut in principio; Beati estis, cum maledixerint vobis homines, & vos persequuti fuerint, & dixerint omne malum aduersus vos, mentientes propter me: Gaudete, & exultate, quia merces vestra copiosa est in caelis. Hæc locutus sum vobis, ut, cum hora venerit, reminiscamini. Itaque ex his & reliqua creditis. Neque dicere poteritis, me ad gratiam loqui, aut ut vos fallam. Neque enim decepturus, quæ mendacij argui possent prædiceret: ideo prædixi, ne in non expectata incidentes, perturbaremini, ac etiam ne non præuidisse futura diceretis. Reminiscamini ergo, quia ego dixi vobis. Etenim semper Iudæi umbra quadam persecuti sunt discipulos, ac si mali essent, non tamen turbati sunt, cum à magistro præsciuerint id futurum. Sufficiens namque causa fuit, quæ eos confirmaret. Ideo frequenter hoc meminit, quod non nouerit me: & propter me facient, & propter nomen meum, & propter patrem, & primum passus sum, & non iniusta causa, id ausi sunt. Horum & nos in temptationibus reminiscamur, cum à malis hominibus aliquid patimur, in principem nostrum, & fidei perfectorem inspiciam, quod à malis, quod propter virtutem, quod propter Christum mala patimur. Quod si animo voluerimus, omnia facilia, omnia tolerabilia nobis videbuntur. Nam, si quis pro charissimis aliquid passus etiam gloriatur: si quis propter Deum quid tolerat, quam sentire molestiam putandum est? Si ipse crucem rem ignominiosam, gloriam propter nos appellat, multo magis hoc in ipsum animo esse debemus. Et si mala ita nobis, contemnenda sunt, multo magis pecuniæ, & cupiditates. Oportet enim in rebus grauibus, & molestis, non labores, sed præmia considerare. Quemadmodum enim mercatores non maris pericula, sed lucrum expectant: ita & nos cælum, & Dei præsentiam. Et si tibi diuitiæ dulces videntur, id Deum nolle tibi in mentem veniat, & continuo displicebunt. Rursum, si molestum est, pauperibus aliquid dare, noli impensam duntaxat intueri: sed transfer mentem ad feminis illius fructum. Et si graue erit alienæ vxoris amorem contemnere, præmium tibi succurrat, & æquo animo perferes. Quod si hominum merus ab indebitis nos rebus non nunquam abducit, longè magis Christi desiderium. Difficilis virtus, sed magnas futurorum promissiones ei comparemus. Boni enim, & studiosi etiam sine præmij respectu, ipsius pulchritudinem intuentur, & propterea eam complectantur: & ut Deo placeant, non propter mercedem rectè agunt, & magnificiunt continentiam: non ne puniantur, sed ne offendat Deum. Quod si quis imbecillior

etiam in præmium spectat: ita & nos in elemosyna faciamus, & gentiliū misereamur, neque fame confectos despiciamus. Quomodo enim non absurdum ut alij risu, & delitiis soluti, ad mensam saturentur, aliorum autem mendicantium eiulatus audiant, neque misericordia moueantur, sed ægrè ferant, & deceptores appellent? Quid dicis, homo? Propter vnum panem quis decipit? Quid ni, inquis? Propter hoc ergo hæc tollenda est necessitas. Quod si dare nihil placet, noli tamen maledictis prosequi, Si non vis naufragio liberare, noli in profundum demergere. Scias velim, cum accedentem pauperem expellis, qualiter tibi Deum affectū reddas. Qua enim mensura mensurabitis, inquit, mensurabitur vobis. Considera quo ille animo repulsus abeat, oculos in humum deiectos, conquerens vna cum paupertate plagam etiam ab iniuria accepisse. Nam, si mendicare maledictum putatis, qui petiti non modò non accipit, sed contumelia afficitur, considera quantum perturbetur. Quousque feris similes erimus, & naturam nostram propter cupiditatem ignorabimus? Multi his verbis dolent. Nollemus: sed ut penitus misericordiæ complecterentur, animo volentes diem illum, quo Christi Iesu tribunali adstabimus, cum in medium aduocatis Christus ad nos conuersus dicit, quod propter panem vnum, & obolum tantis miseris eorum animos affecerimus, quid dicemus? quid excusabimus? Quod enim illos in medium adductus sit, audi quid dicat; Quamdiu nos fecistis vni de minoribus his, neque mihi fecistis. Neque enim illi quicquam nobis amplius dicent, sed Deus pro illis nos reprehendet. Nam & Lazarus à diuitis visus est, non tamen quicquam ei dixit, sed Abraham eius vices suscepit: ita & pauperibus eueniet, qui nunc à nobis contemnuntur. Neque enim supplices eorum manus, vel aliqua misericordiæ specie intuebimur, cum in gloria erunt, nos eorum speciem induemus, & vnam speciem tantum, & non longè grauius supplicium. Neque enim diues micis impleri illic desiderabat, sed ardebat, & cruciabatur miserè, & audiuit; Recordare quia accepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala. Nolumus ergo, ut magnū quiddam diuitias admirari: hæc namque viaticum erūt nobis supplicij, nisi cauerimus, quemadmodum si cauerimus, paupertas & delictatum, & requiei erit incrementum. Abluentur enim peccata, si æquo animo tolerabimus, & apud Deum fidenter adesse poterimus. Nolumus ergo in hac vita otium quærere, ut in cælo eo fruamur: sed labores pro virtute subeamus, superflua recidamus, & nihil aliud quæramus, quàm in pauperes omnia nostra dispergere. Quæ nobis erit excusatio, cum ipse quidem nobis cælum pollicetur, nos ne panem quidem ei exhibemus? Cum ipse tibi solem oriti facit, & omnis creatura ministerium tibi largitus est, tu nec nudum induis, neque ei domum communicas? Et quid ego solem, & creaturam memini? Corpus tibi suum tradidit, & pretiosissimum sanguinem, tu nec potum das: at semel dedisti, non est hæc elemosyna. Nisi enim, quousque habes, indigentibus subueneris, nunquam debitum impleueris. Nam & virgines habentes lampades, habebant oleum, sed non ad sufficientiam. Opus est enim etiam de tuo non tam parcum esse; sed,

Vides eos non improbandos, qui propter præmij operantur boni.

Matth. 7.

Matth. 5.

Ibidem.

Matth. 25.

Luce. 16.

Ibidem.

Euclariſtia est corpus, & sanguis Christi.

se; sed, cum domini tibi creditæ sint facultates, cur tam tenax es? Vultis causam dicam huius inhumanitatis? Qui per avaritiam congregant, ad eleemosynam pigri sunt. Qui ita lucrari didicert, nescit expendere. Quomodo enim qui rapinæ inhiat, ad contrarium se formabit? Qui aliena accipit, quomodo sua dare poterit? Etenim canis, qui nimia carnis voracitate tangitur, non bene potest gregem custodire: idcirco pastores eiusmodi interficiunt. Quod ne nobis accidat, à tali gustatu abstinemus. Etenim carne vescuntur, qui miserò fame mori patiuntur. Nonne vides, quomodo omnia nobis communia statuit Deus? Nam, si pauperes esse permisit, etiam hoc diuinitus gratia factum est, ut per eleemosynam peccata possint abluere. Tu autem & in hoc crudelis, & inhumanus es. Vnde constat, quòd, si in maioribus hanc haberes potestatem, innumeros interemisses, & lumen, & vitæ omnem excluderes. Quod ne fiat, opus est hanc excidere insatiabilitatem. Quòd si hoc audiendo ægrius fertis, ergo longè magis videndo. Quandiu tu diues, ille pauper? Vsq̄ue ad vesperam, vltetius non licet, ad eò brevis vita est, & omnia in vltimis, & iam omnia sunt in ianuis, ut vel brevis hora omnia existimanda sint. Quid opus est arca profluenti? Quid seruorum & familiarium multitudine? Quare non potius multos eleemosynæ præcones tibi comparas? Arca nullam emittit vocem, sed latrones & fures allucit. Arca pauperum ad ipsum Deum ascendunt, & suauem vitam presentem faciunt, & omne soluent peccatum, & gloriam à Deo, honorem ab hominibus ferent. Quid ergo tibi tot bona iniudes? Non enim illis, sed tibi consules longè magis. Illis largiendo, in hac vita subuenis: tibi autem futuram gloriam, & fiduciam repones: quam vtinam omnes consequamur, gratiâ, & benignitate Domini nostri Iesu Christi, cum quo patri gloria, simul & spiritui sancto, in secula seculorum, Amen.

S. AVGVST. EPISCOPI  
 Hippon. in superius Euang.  
 Homil. 1.

**D**ominus Iesus in sermone quem locutus est discipulis suis post cœnam proximus passioni, tanquam iturus, & relicurus eos præsentia corporali, cum omnibus autem suis vsque in consummationem seculi futurus præsentia spirituali, exhortatus est eos ad perferendas persecutiones impiorum, quos mundi nomine nuncupauit: ex quo tamen mundo etiam ipsos discipulos se elegisse dixit, ut scirent se Dei gratia esse quod sunt, suis autem vitiis fuisse quod fuerunt: deinde persecutores & suos, & ipsorum Iudæos euidenter expressit, ut omnino appareret etiã ipsos mundi damnabili appellatione conclusos, qui persequuntur sanctos. Cùmque de illis diceret quòd ignorarent eum à quo missus est, & tamen odissent & filium & patrem: hoc est, & eum qui missus est, & eum à quo missus est, de quibus omnibus in aliis sermonibus iam disseruimus, ad hoc peruenit, vbi ait, ut adimpleatur sermo qui in lege eorum scriptus est, quia odio habuerunt me gratis. Deinde tanquam consequenter adiunxit, vnde modo disputare suscepimus. Cùm autem

venerit paracletus, quem ego mittam vobis à patre, spiritum veritatis, qui à patre procedit, ille testimonium perhibebit de me, & vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis. Quid hoc pertinet ad illud quod dixerat, nunc autem & viderunt, & oderunt & me, & patrem meum, sed ut impleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est, quia odio habuerunt me gratis: an quia paracletus quando venit spiritus veritatis, eos qui viderunt, & oderunt, testimonio manifestiore conuicit? Imò vero etiã aliquos ex illis, qui viderunt, & adhuc oderant, ad fidem, quæ per dilectionem operatur, sui manifestatione conuertit: hoc ut intelligamus, ita factum esse recolimus. Venit enim die Pentecostes spiritus sanctus in centum viginti homines congregatos, in quibus & Apostoli omnes erant, qui illo adimpleti, cum linguis omnium gentium loquerentur, plures ex his qui oderant, tanto miraculo stupefacti, quãdoquidem viderunt loquente Petro tam magnum atque diuinum testimonium perhiberi de Christo, ut ille qui occisus ab eis inter mortuos deputabatur, resurrexisset, & viuere probaretur, compuncti corde conuersi sunt, & tanti sanguinis, tam impiè, atque immaniter fusi, indulgentiam perceperunt, ipso redempti sanguine, quem fuderunt. Christi enim sanguis sic in remissionem peccatorum omnium fulus est, ut ipsum etiam peccatum possit delere, quo fulus est: hoc ergo intuens dominus, dicebat: Odiò me habuerunt gratis. Cum autem venerit paracletus, ille testimonium perhibebit de me: tanquã diceret, odio me habuerunt, & occiderunt videntes, sed tale de me paracletus testimonium perhibebit, ut eos faciat in me credere non videntes. Et vos, inquit, testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis. Perhibebit spiritus sanctus, perhibebitis & vos: quia enim ab initio mecum estis, potestis prædicare quod nostis, quod ut modo non faciatis, illius spiritus plenitudo nondum adest vobis. Ille ergo testimonium perhibebit de me, & vos testimonium perhibebitis: dabit enim vobis fiducia testimonium perhibendi charitas Dei diffusa in cordibus vestris per spiritum sanctum qui dabitur vobis. Quæ utique Petro adhuc defuit, quando mulieris ancillæ interrogatione perterritus non potuit verum testimonium perhibere: sed contra suam pollicitationem timore magno compulsus est ter negare: timor autem iste non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem. Denique ante passionem domini seruilis timor eius interrogatus est à femina seruitutis, post resurrectionem vero domini liberalis eius amor ab ipso principe libertatis, & ideo ibi turbabatur, hic tranquillabatur: ibi quem dilexerat, negabat, hic quem negauerat, diligebat. Sed adhuc etiam tunc amor ipse infirmus fuerat, & angustus, donec amor roboraret, & dilataret spiritus sanctus. Qui posteaquam illi est abundantia gratiæ largioris infusus, sic ad perhibendum de Christo testimonium quondam eius frigidum peccus accendit, atque illa prius trepida, quæ veritatem suppresserat ora, reserauit, ut cum omnes, in quos venerat spiritus sanctus, linguis omnium gentium loquerentur, Iudæorum circumstantibus turbis, solus ad testimonium de Christo perhibendum præ cæteris promptius emicaret, eiusque interfectores de illius resurrectione cõfunderet: si quem delectat tam suauiter sanctum tale spectaculum intueri,

intueri, Actus Apostolorum legat, sibi beatum Petrum quem negatum dolnerat, stupeat prædicantem. Ibi linguam illam videat ad fiduciam à diffidentia, & ad libertatem à seruitute translatam, tot linguas inimicorum conuertere ad Christi confessionem, quarum non valendo vnam ferre, versâ fuerat in negationem. Quid plura: Tantus in illo fulgor gratiæ, tanta spiritus sancti plenitudo apparebat, tanta de ore prædicantis præiosissimæ veritatis pondera procedebant, ut ingentis multitudinis aduersarios interfectores Christi Iudæos faceret pro illo paratos mori, à quibus cum illo formidabat occidi: hoc fecit spiritus sanctus tunc missus, antè promissus: ita dominus magna atque miranda sua beneficia præuidebat, quando dicebat, Et viderunt & oderunt & me, & patrem meum, ut adimpleatur sermo qui in lege eorum scriptus est, quia odio habuerunt me gratis: cum autem venerit paracletus, quem ego mittam vobis à patre spiritum veritatis, qui à patre procedit, ille testimonium perhibebit de me, & vos testimonium perhibebitis: ille quippe testimonium perhibens, & testes fortissimos faciens, abstulit Christi amicis timorem, & inimicorum odium conuertit in amorem.

EIVSDEM IN IDEM  
 Homilia 2.

**I**n his quæ præcedunt hoc Euangelij capitulum, dominus discipulos suos ad inimicorum odia perferenda confirmans, suo quoque præparauit exemplo, ut eum imitando fierent fortiores, addens, & promittens eis, quòd venturus esset spiritus sanctus, qui de illo testimonium perhiberet, & adiiciens quòd & ipsi fierent testes eius, hoc utique in eis operante spiritu sancto: sic enim ait, Ille testimonium perhibebit de me, & vos testimonium perhibebitis: utique quia ille perhibebit, etiam vos perhibebitis: ille in cordibus vestris, vos in vobis vestris: ille inspirando, vos sanando, ut possit impleri; In omnem terrã exiit sonus eorum: parum quippe fuerat eos adhortari exemplo suo: nisi impleret spiritu sancto: denique Apostolus Petrus cum iam verba eius audisset, vbi dixerat, Non est seruus maior domino suo, si me persecuti sunt, & hoc in illo iam videret impleri, in quo patientiam domini sui si exemplum sufficeret debuit imitari, succubuit, & negauit, non utique ferens, quod illum ferre cernebat. Cum vero accepit donum spiritus sancti, quem negauerat, prædicauit, & quem confiteri timuerat, non timuit profiteri. Prius enim exemplo quidem fuerat edoctus, ut, quod fieri conuenerat, nosset, sed nondum fuerat virtute fultus, ut, quod nouerat faceret: instructus erat ut sciret, sed non erat firmatus ne caderet: quod posteaquam per spiritum sanctum factum est, annuntiavit vsque ad mortem, quem negauerat timens mortem: ideo dominus in hoc consequenti capitulo, de quo nunc nobis loquendum est, Hæc, inquit, locutus sum vobis, ut non scandalizemini. Canticum quippe in Psalmo, Pax multa diligentibus legem tuam, domine, & non est illis scandalum. Merito itaque promisso spiritu sancto, quo in eis operante fierent testes eius, subiunxit, hæc locutus sum vobis, ut non scandalizemini, cum enim charitas Dei diffunditur in cordibus nostris per spiritum

sanctum qui datus est nobis, sit pax multa diligentibus legem Dei, ut non sit illis scandalum: deinde quæ passuri essent, iam exprimes ait, \* Extra synagogas facient vos. Quid autem mali erat Apostolis expelli de synagogis Iudaicis, quasi non inde fuerant se separatum, etiam si eos nullus expelleret? Sed nimirum hoc voluit denunciare, quia Iudæi Christum non fuerant recepturi, à quo isti non fuerant recessuri, & ideo futurum erat ut foras mitterentur cum illo ab eis, qui esse nolent in illo, hi qui esse non possent sine illo: nam profecto quia nõ erat vllus alius populus Dei quàm illud semen Abraham, si agnoscerent, & reciperent Christum, tanquam rami naturales in oliua permanerent, nec aliæ fieret Ecclesiæ Christi, aliæ synagogæ Iudæorum, eadem quippe essent, si in eodem esse voluissent, quod quia noluerunt, quid restabat nisi ut remanentes extra Christum, extra synagogas facerent eos, qui non relinquerent Christum? Accepto quippe spiritu sancto, testes eius effecti, non utique ut tales essent: de quibus dicitur: Multi principes Iudæorum crediderunt in eum, sed propter metum Iudæorum ne repellerentur de synagogis, non audebant confiteri eum, dilexerunt enim gloriam hominum magis quàm Dei. Crediderunt ergo in eum, sed non sic quomodo eos volebat credere, qui dicebat, Quomodo potestis credere, gloriam ab inuicem expectantes, & gloriam, quæ à solo Deo est, non querentes? Discipulis ergo sic in eum credentibus ut impleri spiritu sancto, hoc est, dono gratiæ Dei, non sint de numero eorum, qui ignorantes Dei iustitiam, & suam volentes constituerè, iustitiæ Dei non sunt subiecti, nec de illorum, de quibus dictum est, Dilixerunt gloriam hominum magis quàm Dei: illa eis cõgruit propheta, quæ de ipsis inuenitur impleta, Domine, in lumine vultus tui ambulabant, & in nomine tuo exultabant tota die, & in tua iustitia exultabunt, quoniam gloria virtutis eorum, tu es merito eis dicitur, Extra synagogas faciet vos: illi scilicet, qui zelum Dei habent, sed non secundum scientiam: propter quod ignorantes Dei iustitiam, & suam volentes constituerè, eos expellunt, qui non in sua, sed in Dei iustitia exultabunt, nec expulsi ab hominibus erubescunt, quoniam gloria virtutis eorum ipse est: denique cum hoc eis dixisset, adiecit, Sed venit hora: ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo, & hæc facient vobis, quia non cognouerunt patrem neque me: hoc est, non cognouerunt Deum nec eius filium, cui se in vobis occidendis præstare arbitrantur obsequium, quæ verba domini ita subiunxit, tanquã ex hoc consolaretur suos, qui de synagogis Iudaicis expellerentur: prænticians enim quæ mala essent pro eis testimonio perpassuri: extra synagogas, inquit, facient vos: nec ait, & venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo. Quid ergo ait: Sed venit hora: quem admodum diceret, si aliquid boni post ista mala prædicaret. Quid sibi ergo vult, extra synagogas facient vos: Sed venit hora? tanquam hoc diciturus fuisset, Separabunt quidem illi vos, sed ego vos colligam: aut separabunt quidem illi vos, sed venit hora legitæ vestræ: quid ergo ibi facit hoc verbum quod ait, sed venit hora, quasi consolationem eis præmitteret post tribulationem, cum magis dicere debuisset videatur indicatiuo modo, & venit hora? Sed

Tract. 92. in Ioan.

Galat. 4. v. 6.

Rom. 5. Math. 5.

1. Ioan. 4.

Tract. 93. in Ioan.

Psal. 18.

Joan. 15.

Psal. 118.

Rom. 5.

Rom. 11.

Joan. 12.

Joan. 5.

Rom. 10.

Psal. 53.

Rom. 10.

Sed

Sed non ait, & venit, cum tribulationem super tribulationem, non consolationem post tribulationem venturam illis esse predicaret. An forte sic eos illa de synagogis separatio fuerat turbatura, ut mori mallet, quam in hac vita sine Iudaeorum congregationibus immorari? Absit ut sic turbarentur qui Dei, non hominum gloriam requirebant. Quid ergo est, extra synagogas faciet vos, sed venit hora? cum potius dicere debuisset videatur, & venit hora ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se praestare Deo? Neque enim saltem dictum est, sed venit hora ut interficiant vos, quasi ut eis mors pro consolatione illius separationis accideret; sed venit hora, inquit, ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se praestare Deo. Profus non mihi videtur aliud significare voluisse, nisi ut intelligerent, atque gauderent tam multos se Christo acquisituros, cum de Iudaeorum congregationibus pellerentur, ut eos quidem non sufficeret pellere, sed non si nerent vivere, ne omnes ad nomen Christi sua praedicatione converterent, & ab observatione Iudaismi, tanquam divinae veritatis auerterent. Hoc enim de Iudaeis dictum debemus accipere, de quibus dixerat, extra synagogas faciet vos. Nam testes, id est, martyres Christi, etiam si occisi sunt a Gentilibus, non tamen illi arbitrati sunt Deo, sed diis suis falsis obsequium se praestare cum haec facerent. Iudaeorum autem omnis qui occidit praedicatores Christi, Deo sese putavit praestare obsequium, credens quod desereret Deum Israel, quicumque converterentur ad Christum, ut enim & ipsum Christum occiderent, ista ratione commoti sunt, nam eorum de hac re etiam verba conscripta sunt, Videtis quia totus mundus post eum abiit, si dimiserimus eum vivere, venient Romani, & tollent nobis & locum & gentem: & quod Caiphas dixit, Expediit ut vnus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat. Et in hoc ergo sermone suo discipulos suos crexit exemplo, quibus dixerat, Si me persecuti sunt, & vos persequantur, ut quemadmodum illum occidendo, Deo se praestitisse obsequium putauerunt, sic etiam illos: iste itaque sensus est in his verbis, Extra synagogas faciet vos, sed nolite solitudinem formidare: separati quippe a congregatione eorum, tam multos in nomine meo congregabitis, ut illi metuentes ne templum, quod erat apud eos, & omnia legis veteris sacramenta deserantur, interficiant vos, sic fundentes sanguinem vestrum, ut Deo se praestare arbitrentur obsequium: ecce est illud quod de his dixit Apostolus, Zelum Dei habent, sed non secundum scientiam: obsequium se putant praestare Deo, interficiendo famulos Dei. O error horridus, ita ne ut placeas Deo, percutis placentem Deo: & templum Dei viuam te feriente prosternitur, ne Dei templum lapideum deseratur: id execrabilis caecitas! sed ex parte in Israel facta est, ut plenitudo gentium intraret: ex parte, inquam facta est, non ex toto, Non enim omnes, sed aliqui ex ramis fracti sunt, ut infereretur oleaster, nam spiritu sancto implente discipulos Christi, cum linguis omnium gentium loquerentur, cum per eos diuina miracula frequentarentur, & diuina eloquia spargerentur, etiam occisus ita dilectus est Christus, ut eius discipuli expulsi a congregationibus Iudaeorum, ex ipsis quoque Iudaeis ingentem multitu-

Joan. 11.

Rom. 10.

Rom. 11.

Act. 2.

dinem congregarent, & nullam solitudinem formidarent. Hinc ergo accensi caeteri reprobi, & caeci zelum Dei habentes, sed non secundum scientiam, & obsequium se praestare Deo credentes, occidebant eos. Sed pro illis occisus colligebat eos, qui de his futuris antequam occideretur intruxerat eos, ne ignaros, atque imparatos animos mala inopinata, & improuisa, quamuis cito transitura turbarent, sed praecognita, & patienter accepta, ad bona sempiterna perducerent. Hanc enim fuisse causam, ut haec eis praeuocaret etiam ipse demonstrauit adiungens, Sed haec locutus sum vobis, ut cum venerit hora, eorum reminiscamini, quia ego dixi vobis. Hora eorum hora tenebrosa, hora nocturna: sed in die mandauit dominus misericordiam suam, & nocte declarauit, quando nox Iudaeorum separatum a se diem Christianorum nulla confusione fulcauit, & quando carnem occidere potuit, fidem tenebrare non potuit.

S. CYRILLI EPISCOPI  
Alexand. superioris Euang.  
expositio.

Cum autem venerit paracletus, &c. Cum odio tam se, quam patrem ab impietate Iudaeorum gratis haberi dixerit; spiritus modo sancti mentionem facit, ut & personarum trinitatem sermo adimpleat, & spiritus vna cum patre, ac filio negligi doceatur. Ita Iudaeorum delictum in naturam deitatis simpliciter ascendit. Quid enim tibi voluisti, o Iudaeus, qui spiritus dices, opera vidisti a Christo geri, quae nullus alius fecit, ut & ipse dicit, & res docuit. Deinde tu Moysen (qui minister, non auctor miraculorum fuit) laudibus in caelum effers, & tantorum auctorem miraculorum parvipendere non erubescis, praesertim scriptis Moysi praenunciatum? Spiritus igitur mentionem fecit in dignitate patris, & sua eum collocans, & verum esse ostendens diligi patrem non posse ab eo, qui filium oderit. Quomodo autem attende, quae, o diligerent, Nam, cum spiritum veritatis, id est, suum (ipse enim veritas est) paracletum appellauerit; ex patre ipsum procedere ait. Nam, sicut filij spiritus est, naturaliter in ipso manens, & per ipsum procedens, sic certe patris quoque spiritus est, quibus autem spiritus communis est, ij profecto substantialiter dissolari non possunt. Nemo enim impiorum nos ad ea, quae intelligere nefas est, verbis suis impellere conetur. Nemo, inquam, spiritum patris per filium ut per ministrum mitti ad creaturas credit: nam etiam id nonnulli dicere ausi sunt. Credere namque debemus, quoniam spiritus sic proprius filij est, sicut sane ipse quoque Dei patris. Idcirco ad sanctificationem suorum discipulorum ab eo mitti. Si vero non erubescunt ministrum mittendi spiritus a patre filium dicere; non erit incongruum ad eos dicere, fatui, ac caeci non sentitis, ad quam praecipua ruitis, vniuersi gloriam minuentes, & frivolas rationes per imperitiam excogitantes. Si enim ut minister spiritum a patre filius largitur: quomodo non erit necesse alienum a substantia filij spiritum confiteri? nam, si ex patre, id est, ex substantia patris, spiritus secundum vos procedit, & filius ab eo alienus est, quia minister; superior natura filio spiritus videbitur. Quid igitur respondebimus

Rom. 12.

Psal. 41.

Adhuc dum gratias esse dicitur inter eos non esse spiritum

debemus, cum filius clare dicat; ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis? Praeterea, si minister filij, patris, & non filij spiritus mittitur; cum spiritus natura sanctus sit, non secundum naturam, sed participatione, ut nos, filius sanctus erit. Dicunt enim ex imperitia impij, alienum esse a patris substantia filium: ex qua spiritus procedit, qui per eum praebetur. Possibile igitur erit, si proprius filij spiritus non est, sed forinsecus etiam ipse sicut creatura sanctificatur: hanc enim sanctificationem amittere. Quod enim exterius acquiritur, quomodo abesse non poterit? Sed quis hanc perueritatem dogmatum non effugiet? Nos ergo, quibus veritas, & ecclesiae dogmata sequenda sunt; omnibus his contemptis, sanctorum patrum sequamur fidem, & spiritum sanctum proprium filij non extrinsecus aduenientem, neque aduenturum in ipso, sicut in iis, qui sanctitatis susceptibiles sunt, & ex nihilo producti, sed consubstantiali ei (sicut certe ipsi etiam patri) confiteamur. Hoc enim modo non in multorum fabulas deorum veritas ecclesiastici dogmatis excidet, sed in vnam rationem deitatis trinitas constringetur. Identitatem ergo substantiae filij, ac patris ostendens, cum veritatis spiritum dixerit, a patre illum procedere asseruit, ita Christi hostem, Dei esse hostem comprobauit. Qui enim in filium insultat, illum non veneratur, unde filius est. Quando igitur venerit paracletus, ait, spiritus veritatis, id est, meus, qui ex patre procedit, ille testimonium perhibebit de me. Quomodo autem perhibebit? magna in vobis, & per vos miracula faciens, diuinae meae potestatis, atque virtutis testis erit grauissimus. Spiritus enim meus est, qui operabitur in vobis. Sed sicut meus est, sic & Dei patris. Necessè autem est intelligere, omnes etiam, qui in persona Christi (in quo habitauit corporaliter plenitudo deitatis secundum Paulum) miracula per spiritum ad probationem fidei fecerunt, non minus iniuriis contemptu praedicationis affici, sed ad testimonium spiritus ait: vos quoque qui mecum semper fuistis, & signa oculis vestris vidistis, testimonium perhibete. Haec locutus sum vobis, &c. Iudaeorum superbiam discipulis saluator exponens, pleraque siliuit. Poterat enim aperte ad tantam illos impietatem venturos dicere, ut auribus penitus obstruatis, nec quamuis duplici testimonio, diuino scilicet, atque humano veritas comprobetur, velint attendere. Sed, & si lex clamer, in voce duorum, aut trium testium stare oportere; resistent tamen, atque deridebunt. Sed haec particularis dicere omisit, ne in desperationem discipuli caderent, & tam se quam paracletum contemptum iri audientes, nec minus patrem simul, ac filium, quamuis multa mirabiliter per spiritum agant, frustra se laboratos putaret, & silentium praedicationi praepoherent. Particularioribus igitur silentio traditis, ad ea oratione conuertit, quae animos eorum poterant roborare. Nam quod non expectatum, praeter opinionem subito irruit, magno etiam plerumque animos turbat. Quod autem prauidimus, quamuis grauius inferatur, lenius tamen propter praemeditationem videtur. Sed illud purò etiam significati occultus. Si enim, inquit, vobis testibus tot, tantaque mirabilia feci, si paracletus quoque in vobis similia faciet, nec tamen Iudaei ad meliora reducentur; nolite conturbari, si oratione ve-

Cels. 2.

Dent. 19.

stra conuertere illos non poteritis. Sed memento te vbique sermonis mei; non esse discipulum super magistrum, sed nec seruum domino suo maiorem. Absque synagogis faciet vos, &c. Summum periculorum omnium praedixit: non ut formidine ad ignauiam discipulorum reduceret animos (alienum enim hoc est ab eo, qui ad liberam praedicationem audientes hortabatur) sed ut maximus mortis pauor (quoniam praesciretur) contempus, fortiores ad subeunda pericula redderet. Nam, qui maius contemnunt, ij quomodo minora timebunt? Ut ergo ad ferenda omnia paratiores sint, nec praesentem corporis interitum timeant, minoribus praetermissis, ad tantam crudelitatem Iudaeos deuenturos praenunciat, ut gratos se Deo caede illorum fieri arbitrentur. Quod autem etiam a synagoga diligentes Christum eiciebantur: euangelista docuit dicens, multos ex principibus credidisse in Christum, sed phariseorum metu confessos non fuisse, ne a synagoga pellerentur. Et rursus, iam enim sanxerunt scribae, ac pharisei, ait, ut, si quis ipsum Christum esse confiteretur, a synagoga deruderetur. Sed non haec, inquit, aduersus vos solummodo facient, verum etiam ad tantum atrocitatis prorumpent, ut sacrificij vim in caede vestra positam putet, quod in duobus, Stephano dico, atque Paulo verum fuisse satis erit ostendere. Stephanum enim lapidibus, quasi quippiam Deo gratum peragerent, temerario seruore interfecerunt: Paulum autem frendentes dentibus persequerentur, adeo ut nonnulli iurauerint non prius comedere atque bibere, quam eum interimerent; sic enim in actibus legimus. Vtilis ergo haec praedictio fuit: formidinem malorum extenuans, & ad fortitudinem discipulos roborans. Magnitudo enim timoris, periculorum, cum praesciamus, mirum quendam in modum imminuit. Et haec facient vobis, &c. Iudaeorum zelum non fuisse per cognitionem (ut etiam Paulus dicebat) ostendit: nimium enim a recta via errarunt, licet putarent Moisaicae literae defensione, legis largitorem Deum laetari: Idcirco enim in praedicatores euangelij acerbè insurgent. Sed nesciebant patrem nimium offendi, quando negligitur filius: imo vero quid pater sit, & quid filius, qui ab eo natus est, penitus ignorabant. Vnde Moysen quidem, qui legis minister fuit, ad astra laudibus extollebant; dominum vero nostrum Iesum Christum (qui patris ineffabile consilium interpretabatur, qui nihil a se facere, sed a patre mandatum accepisse, quid dicat, & quid loquatur, affirmabat) turpissima morte occidere non dubitarunt: nec miracula patris, aut sensibilem vocem, qua desuper testificabatur, dilectum sibi filium illum esse, veriti vilo modo fuerunt, Quare non est ambiguum, si quis Dei verbum praedicantes inuadit, eum in magna ignorantia sanctae, ac consubstantialis trinitatis conuersari. Nullus enim naturam rerum attentius examinans, vnquam negabit cuncta per filium, qui consubstantialis patri est, ex voluntate patris & dici, & geri: & ut conglorificatio vna est vtriusque, ita negligi alter non potest, altero non contempto. Sed apostolorum quoque vexatio in eum ascendit, qui illos in apostolatus apicem euexit. Sic enim etiam ad Samuelem de filiis Israel dictum esse didicimus; non te, inquit, sed me contempserunt, Periculosum igitur nimium est, con-

Joan. 12.

Joan. 9.

Act. 7.

Act. 2.

Ad Rom. 10.

Joan. 12.

Math. 3.

1. Regum 8.



uenientem honorem sanctis non attribuere, cum eorum contemptus in illum transeat, à quo missi sunt. *Sed hac locutus sum vobis, &c.* Non illa hac, ait, causa dixi, vt vigor vestræ mentis eneruaretur & antequam pericula veniant, formidatis, sed primum vt recordati hæc à me vobis prædicta fuisse, magis admitemini, & in ipso tempore periculorum cætiore ab euentu rerum, stabiliorque in me fides efficiatur. Quomodo enim Deus natura non est, qui futura vt præsentia nouit? Deinde vt ventura pericula præmeditatione molliantur, & mens diutina magis cogitatione formetur (acerba enim valde, repentina videri solent: vnde *psalmista* quoque dicebat, paratus sum, & non sum turbatus) reminisci ergo iubet prædicta sibi omnia fuisse: vt etiam hinc verum esse Deum firmiter credant, ac facile posse à periculis per eum liberari, non dubitent.

*Psalm. 118.*

**BEDÆ VENERABILIS**  
*presbyteri in superius Euang.*  
*expositio.*

*Ex comment. in Ioan.*

**C**um autem venerit paracletus, quem ego mittam vobis, &c. Quid hoc pertinet ad illud, quod dixerat; Nunc autem & oderunt & me, & patrem meum: sed vt impleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est; Quia odio habuerunt me gratis? An quia paracletus quando venit, spiritus veritatis, eos, qui viderunt, & oderunt, testimonio manifestiore conuicit, immò verò etiam aliquos ex illis, qui viderant, & adhuc oderant, ad fidem, quæ per dilectionem operatur, sui manifestatione conuertit? Hoc vt intelligamus, ita factum esse recolimus. Venit enim die Pentecostes spiritu sanctus in centum viginti homines congregatos, in quibus Apostoli omnes erant; qui illo adimpleti, cum linguis omnium gentium loquerentur, plures ex iis, qui aderant, tanto miraculo stupefacti (quandoquidem viderunt loquente Petro tam magnum atque diuinum testimonium perhiberi de Christo, vt ille, qui occisus ab eis, inter mortuos deputabatur, resurrexisse, & viuere probaretur) compuncti corde, cœuersi sunt, & tanti sanguinis tam impie, atque immaniter fusi indulgentiam perceperunt, ipso redempti sanguine, quem fuderunt. Christi enim sanguis sic in remissionem peccatorum omnium fusus est, vt ipsum etiam peccatum possit delere, quo fusus est. Hæc ergo inueniens dominus dicebat; Odio habuerunt me gratis. *Cum autem venerit spiritus paracletus, ille testimonium perhibebit de me*, tanquam diceret; Odio me habuerunt, & occiderunt videntes: sed tale de me testimonium paracletus perhibebit, vt eos faciat in me credere non videntes. *Et vos*, inquit, *testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis*. Perhibebit spiritu sanctus, perhibebitis & vos. Quia enim ab initio mecum estis, potestis prædicare, quod nostis, quod vt modo non faciatis, illius spiritus plenitudo nondum adest vobis. Ille ergo testimonium perhibebit de me, vt vos perhibearis. Dabit enim vobis fiduciam testimonium perhibendi charitas diffusa in cordibus vestris per spiritum sanctum, qui dabitur vobis. Quæ vtique, Petro adhuc defuit, quando mulieris ancillæ interrogatione perterritus, non potuit verum testimonium perhibere, sed contra suam pollicita-

*Ioan. 18.*

tionem timore magno compulsus est ter negare. *Ioan. 1.* Timor autem iste non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem. Ille testimonium perhibebit de me, & vos testimonium perhibebitis. Itaque quia ille perhibebit, etiam vos perhibebitis. Ille in cordibus vestris, vos in vocibus vestris. Ille inspirando, vos sonando: vt possit impleri; In omnem terram exiit sonus eorum. *Psalm. 118.* Parum quippe fuerat eos adhortari exemplo suo, nisi impleret spiritu suo. Denique Apostolus Petrus cum iâ verba eius audisset vbi dixerat; Non est seruus maior domino suo: si me persecuti sunt, & vos persequetur; & hoc in illo iam videret impleri, in quo patientiam domini sui, si exemplum sufficeret, debuit imitari, succubuit, & negavit, non vtique ferens, quod illum ferre cernebat. Cum vero accepit donum spiritus sancti, quem negauerat prædicauit, & quem confiteri timuerat, non timuit profiteri. Prius enim exemplo fuerat edoctus, vt quod fieri conuenerat, nosset. Sed nondum fuerat virtute fultus, vt quod nouerat, faceret. Instructus erat vt stare, sed non erat firmatus, ne caderet, quod postea quam per spiritum sanctum factum est, annunciat vtque ad mortem. Ideo subinfert dominus, *Hæc*, inquit, *locutus sum vobis, vt non scandalizemini*. Canitur quippe in psalmo; Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum. Merito itaque, promisso spiritu sancto, quo in eis operante fierent testes eius, subiunxit; *Hæc locutus sum vobis, vt non scandalizemini*. Cum enim charitas Dei diffunditur in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis, fit pax multa diligentibus legem Dei, vt non sit in eis scandalum. Deinde quæ passuri essent, iam exprimens ait, *Extra synagogas facient vos*. Quid autem mali erat Apostolis, expelli de Iudaicis synagogis, quasi non inde se fuerant separaturi, etiam si eo nullus expelleret? Sed nimirum hoc voluit denunciare, quia Iudæi Christum non fuerant recepturi; & ideo futurum erat, vt fotas mitterentur cum illo, ab eis, qui esse nolent in illo, iij, qui esse non possent sine illo. Nam profecto quia non erat vllus alius populus Dei, quam illud semen Abraham: si agnoscerent, & reciperet Christum, tanquam rami naturales in olea permanent, nec alia fierent Ecclesiæ Christi, aliæ synagogæ Iudæorum: eadem quippe essent, si in eodem esse voluissent: quod quia noluerunt, quid restabat nisi vt remanentes extra Christum, extra synagogas facerent eos, qui non relinquerent Christum? Accepto quippe spiritu sancto, testes eius effecti, non vtique tales essent, de quibus dicitur; Multi principes Iudæorum crediderunt in eum: sed propter metum Iudæorum, ne pellerentur de synagogis, non audebant confiteri eum. Dilixerunt enim gloriam hominum magis quam Dei. Crediderunt ergo in eum, sed non sic, quomodo volebat eos credere, qui dicebat, *Quomodo potestis credere, gloriam abinuicem expectantes, & gloriam, quæ à solo Deo est, non querentes?* Discipulis ergo sic in eum credentibus, illa congruit propheta, quæ de ipsi inuenitur impleta; Domine in lumine vultus tui ambulabunt, & in nomine tuo exultabunt tota die, & in iustitia tua exaltabuntur: quoniam gloria virtutis eorum tu es. Merito eis dicitur; *Extra synagogas faciet vos*. Illi scilicet qui zelum Dei habent, sed non secundum scientiam. Nec expulsi ab hominibus erubescunt

*Ioan. 1.*

*Psalm. 118.*

*Psalm. 118.*

*Rom. 1.*

*Rom. 11.*

*Ioan. 11.*

*Ioan. 11.*

*Psalm. 118.*

*Rom. 11.*

erubescunt, quoniam gloria virtutis eorum ipse est. Denique cum hoc eis dixisset, adiecit, *Sed venit hora, vt omnis, qui interficit vos, arbitretur obsequium se prestare Deo, & hæc facient vobis, quia non cognouerunt patrem, neque me*: hoc est, non cognouerunt Deum, nec eius filium, cui se in vobis occidendis præstare arbitrantur obsequium. Quæ verba dominus ita subiecit, tanquam ex hoc consoleretur, qui de Synagogis Iudaicis pellerentur. Prænuicians enim quæ mala essent pro eius testimonio perferri, *extra synagogas faciet vos*, sed venit hora: cum potius dicere debuisset videatur, & venit hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se prestare Deo: Neque enim saltem dictum est, sed venit hora vt interficiant vos, quasi vt eis mors pro consolatione illius separationis accideret: sed venit, inquit, hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se prestare Deo. Prorsus non mihi videntur aliud significare voluisse, nisi vt intelligeret, atque gauderet tam multos se Christo acquisituros cum de Iudæorum congregationibus pellerentur, vt eos non sufficeret pelleri, sed non sineset viuere, ne omnes ad nomen Christi sua prædicatione conuerterent, & ab obseruatione Iudaismi tanquam diuinæ veritatis auerterent. Hoc enim de Iudæis dictum debemus accipere, de quibus dixerit, *Extra synagogas facient vos*. Nam testes, id est martyres Christi, etiam si occisi sunt à gentibus, non tamen illi arbitrati sunt, Deo, sed diis suis falsis obsequium se prestare, cum hoc facerent. Iudæorum autem omnis, qui occidit prædicatores Christi, Deo se prestare putauit obsequium, credens quod deserent Deum Israel, quicumque conuerterentur ad Christum. Vt enim & ipsum Christum occiderent, ista ratione commoti sunt: nam eorum de hac re etiam verba conscripta sunt, Videtis quia totus mundus post eum abiit, si dimiserimus eum viuere, venient Romani, & tollent nobis & locum & gætem, & quod Cayphas dixit; Expedi vt vnus homo pro populo moriatur, & non tota gens pereat. Et in hoc ergo suo discipulos erexit exemplo, quibus dixerat; Si me persecuti sunt, & vos persequetur, vt, quemadmodum illi occidendo, Deo se prestasse obsequium purauerunt, sic etiam illos. Iste itaque sensus est in his verbis; *Extra synagogas facient vos*: sed nolite solitudinem formidare. Separati quippe à congregatione eorum, tam multos in meo nomine congregabitis, vt illi metuentes ne templum quod erat apud eos, & omnia legis veteris sacramenta deserantur, interficiant vos, sic fundentes sanguinem vestrum, vt Deo se prestare arbitrentur obsequium. Ecce est illud, quod de illis dixit Apostolus, Zelum Dei habent, sed non secundum scientiam. Obsequium se prestare putabant Deo, interficiendo famulos Dei. O error horrendus. Itaque vt placeas Deo, percussis placentem Deo? & Dei templum viuum te feriente prosternitur, ne

*Ioan. 11.*

*Rom. 10.*

Dei templum lapideum deseratur? O execrabilis cæcitas! sed ex parte in Israel facta est, vt plenitudo gentium intraret. Sed pro illis occisus colligebat eos, qui de his futuris, antequam occiderentur, instruxerit eos, ne ignaros, atque imparatos animos mala inopinata, & improuisa quamuis cito transitura turbarent, sed præcognita, & patienter accepta ad bona sempiterna perducerent: hanc enim fuisse causam vt hæc eis prænuccia- ret, etiam ipse demonstrauit, adiungens; *Sed hæc locutus sum vobis, vt cum venerit hora eorum, &c.* Hora eorum, hora tenebrosa, hora nocturna. Sed in die mandauit dominus misericordiam suam, & nocte declarauit, quando nox Iudæorum separatum à se diem Christianorum in illa confusione fuscavit, & quando carnem occidere potuit, si- dem tenebrare non potuit.

*Psalm. 118.*

**EIVSDEM IN IDEM**  
*Homilia.*

**E**x multis sancti euangelij locis inuenimus quia discipuli ante aduentum spiritus sancti minus capaces erant ad intelligenda arcana diuinæ subtilitatis, minus fortes ad toleranda aduersa humana prauitatis, sed eis adueniente spiritu cum augmēto diuinæ cognitionis, data est etiam constantia vincende humane persecutionis. Vnde illis dominica promissione nunc dicitur: *Cum venerit paracletus, quem ego mittam vobis à patre spiritum veritatis, qui à patre procedit, ille testimonium perhibebit de me. Et vos testimonium perhibebitis*. Notandum autem in primis quod dominus spiritum veritatis & se mittendum esse testatur, & eundem mox à patre procedere subiungit, non quia idem spiritus aliter à patre procedit quam à filio mittitur, aut alio tempore à patre procedit, quam cum à filio mittitur, sed ideo filius eum à se mitti; & à patre dicit procedere, vt aliam patris, aliam esse suam personam designet; atque in eadem distinctione personarum vnam esse operationem ac voluntatem suam cum patris voluntate & operatione denuntiet. Cum enim eiusdem spiritus gratia datur hominibus, mittitur profecto spiritus à patre, mittitur & à filio: procedit à patre, procedit & à filio: quia & eius missio ipsa processio est, qua ex patre procedit & filio. Venit & sua sponte, quia sicut coequalis est patri & filio, ita eandem habet voluntatem cum patre & filio communem. Spiritus enim vbi vult spirat. Et sicut Apostolus enumeratis donis cælestibus ait; Hæc autem omnia operatur vnus atque idem spiritus, diuidens singulis pro vt vult. Adueniens autē spiritus testimonium perhibuit de domino, quia discipulorum cordibus aspirans; omnia, quæ de illo erant scienda mortalibus, clara illis lucē reuelauit: quod videlicet æqualis & consubstantialis erat patri ante secula, quod consubstantialis nobis factus est in fine seculorum, quod de virgine natus, sine peccato vixit in mundo, quod quando voluit, & qua voluit morte transiit de mundo, quod veraciter resurgendo mortem destruxit, veram, in qua passus & resurrexit, carnem ad cælos ascendendo se- uauit, atque in paternæ gloriæ dextera constituit, quod omnia prophetarū scripta illi testimonium perhibent, quod confessio nominis eius vsque ad fines erat propaganda terrarum, cæteraque fidei Bibli. Hom. tom. 3. P 2 illius

*Ioan. 3. 2. Cor. 12.*



illius myſteria ſpiritus ſancti teſtimonio ſunt reſerata diſcipulis. Neque illis tantummodo, ſed & omnibus qui per verbum eorum credunt in dominum, quicquid recte ſapiunt eiufdem ſpiritus eſt munere conceſſum: *Ille ergo, inquit, teſtimonium perhibebit de me, & vos teſtimonium perhibebitis*, quia quæ ſpiritu intus docente perceperunt, hæc abiecto timore priſtino foris loquendo & aliis miniſtrabant. Ipſe namque ſpiritu corda eorum & ſcientia veritatis illuſtravit, & ad docenda quæ noſſent culmine virtutis erexit: Vnde recte apud Eſaiam ſpiritus idem fortitudinis & ſcientiæ nuncupatur. Eſt enim ſpiritus ſcientiæ, quia per ipſum quæ recte agere, vel etiã cogitare debeamus, agnoſcimus: eſt & fortitudinis, quia etiam per ipſum, ut quæ bene nouimus operemur accipimus, ne aduerſitate aliqua à bonis quæ cepimus repellamur. Et vos, inquit, *teſtimonium perhibebitis, quia ab initio mecum eſtis*. Cum data ſpiritus gratia etiam hoc fiducia diſcipulorum iuuat, quod ab initio erant cum domino, ideòque quæ apud illum viderunt & audierunt, abſque vlla ambiguitate prædicare valebant. Vnde bene Petrus alium pro Iuda ordinare volens Apoſtolum, non hunc neophytum, ſed probatum ex tempore curabat eligere, dicēs: *Opotter ergo ex his viris, qui nobiſcum congregati ſunt in omni tempore, quo intravit & exiit inter nos dominus Ieſus, teſtem reſurrectionis eius nobiſcum fieri vnum ex iſtis*. Hinc ipſe genibus Chriſtum euāgelizans, confidenter aiebat: *Hunc Deus ſuſcitauit tertia die, & dedit eum maniſeſtum fieri non omni populo, ſed teſtibus præordinatis à Deo, nobis qui manducauimus & bibimus cum illo poſtquam reſurrexit à mortuis. Sed quia creſcentibus electorum meritis, ſtatim creſcere ſolet antiqui hoſtis inuidia, qua vel per ſeipſum latenter, vel per homines ſuę malignitati ſubditos patēter, inchoata pietatis germina conetur obruere, recte dominus promiſſa diſcipulis prædicandi fiducia perfectionem quoque eorum qui eidem prædicationi reſiſterent, pariter exorturam oſtendit dum ſubdidit: *Hæc locutus ſum vobis, ut non ſcandalizemini. Abſque ſynagoga facient vos*. Curauit namque pius magiſter futura diſcipulis prauorum bella prædicere, quo minus hæc eos venientia poſſent offendere, quia ſolent nimirum leuius ferri aduerſa, quæ poſſunt ante prænoſci. Nam quæ imparato, ac non præuidenti animo mala ingeruntur, grauius hunc ſæpe ab integritatis ſuę ſtatu deiciunt. Vnde bene Salomon admonet dicens: *Fili accedens ad ſeruitutem Dei, ſta in iuſtitia & timore domini, & præpara animã tuam ad tentationem*. Non ſolum vero diſcipulos ſaluator à contribulium ſocietate pellendos, ſed ab eis etiam mortis pericula paſſuros fuiſſe præmonuit. Nam ſequitur: *Sed venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur obſequium ſe præſtare Deo*. Arbitrabantur autem obſequium ſe Deo præſtare Iudæi in eo quod miniſtros noui teſtamenti odiis inſequebantur & mortibus, quia ſicut illis teſtimonium perhibet Apoſtolus, æmulationem Dei habent, ſed non ſecundum ſcientiam. Et de ſe ipſe loquitur: *Ego quidem exiſtimaueram me aduerſus nomẽ Ieſu Nazareni debere multa contraria agere, quod & feci Hieroſolymis*. Prædictis ergo preſſuris aduerſantium repente quaſi conſolans diſcipulos adiunxit: *Sed venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur obſequium ſe præſtare Deo*.*

Eſai. 11.

Act. 11.

Act. 10.

Eccleſ. 2.

Rom. 10.

Act. 26.

Ac ſi aperte dicat: *Bella quidem tribulationum à contribulibus veſtris eſtis paſſuri, ſed eo tolerabilius hæc ſuſcipite, quo non tam odio veſtri, quam diuinæ legis æmulatione vobis iogentur*. Quius memor admonitionis beatus martyr Stephanus flexis genibus pro his, qui ſe interficiebant pia voce ſupplicabat, dicēs: *Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum*. Arbitrabantur ergo legis æmulatores obſequium ſe præſtare Deo, dum præconſibus gratiæ neces inferrent, ſed fruſtra legem quæ per famulum data eſt, defendūt, qui gratiam quam ipſe filius offert accipere veniunt. Incaſſum ſe Deo parti placere æſtimant, qui Dei filium contemnere, imò etiam perſequi ac blaſphemare laborant. Vnde recte ſubiungitur: *Et hæc faciem vobis, quia non nouerunt patrem, neque me*. Quia enim filius in patre, & pater eſt in filio, & qui videt filium, videt & patrem, pater proſecto quia quicumque filij credulitati obſtinata mente reſiſtunt, nec patrem noſſe probantur. Vnde etiam idem Ioannes veritatem diuinæ vnitate inſinuat, ait: *Omnis qui negat filium, hæc patrem habet: qui conſtituitur filium, & patrem habet*. Et iterum: *Et omnis qui diligit eum qui genuit, diligit eum qui natus eſt ex eo*. Verum quia diſcipuli, qui patrem bene nouerant & filium multa pro eiufdem ſcientiæ deſeſſione ac propalatione fuerant paſſuri, prouida dominus admonitione ſubiungit: *Sed hæc locutus ſum vobis, ut omnia venerit hora eorum: reminiscimini, quia ego dixi vobis*. Magnopere penſandum eſt, quod ait, *Ego dixi vobis*, ego qui pro veſtra vita ac ſalute moriturus ſum, qui vos meo ſanguine redempturus, qui vos in tribulatione ſemper adiuturus, qui æterna vobis præmia poſt tribulationem daturus ſum. Magnum quippe certantibus leuamen, magnam conſolationis gratiam præſtat, quando ille certamina eadem futura prædiſſe reminiscitur, qui & milites ſuos ne vinci poſſent adiuuare, & ne incaſſum vincant immortalẽ poſt prælia ſolet rependere palmam. Qui enim hic horam perfectionis venturam præmonuit, ipſe paulo poſt in eadem perfectione ſuum fidelibus auxiliũ pollicetur, dicēs: *In mundo præſtiram habebitis, ſed confidite*. In mundo præſtiram habebitis, ſed confidite, ego vici mundum, ipſe alibi legitime certatibus coronã vitæ reſmittit, dicēs: *Beati qui perfectionem patiuntur propter iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum*. Hęc de euangelica lectione, fratres chariſſimi, breuiter explanando tranſcurramus, nunc libet de ipſa, quam colimus, quinquageſimæ ſolennitate ſubtilius aliquid loqui. Sicut enim imminentibus ſolenniſ pſchalis quadrageſimam ieiuniorum obſeruantia celebrauimus, ſic eiſdem peractis, quinquageſimam non ſine certi caſa myſterij feſta deuotione agimus. Nam quia ſancta eccleſia in quibuſdam ſuis membris adhuc pro æterna requie laborat in terris, in quibuſdam vero omni finito labore cum Chriſto iam regnat in cælis, in memoriam vtriuſque vitæ conſtituere patres noſtri gemina hæc congruè religionis ſolennia, quadrageſimam videlicet afflictionis & ieiuniorum, inſtante iam dominicæ reſurrectionis tempore, gaudiſque pſchalibus, ut per eam nobis ſæpius ad memoriam reuocarent: quia per labores & continentiam, per vigiliã & orationes, & per cætera, quæ Apoſtolus commemorat, arma iuſtitie, ad vitæ immortalis præmia debeamus attingere. Porro quinquageſimam

Act. 17.

Ioan. 1.

Ioan. 1.

Ioan. 1.

Ioan. 1.

Ioan. 1.

Matth. 1.

2. Cor. 1.

mam ab ipſo dominicæ reſurrectionis die inchoare, & gaudiis potius laudibusque diuinis, quam ieiuniis voluerunt eſſe celebres, quatenus annis eius feſtis dulcius admoneremur, deſiderium noſtrum ad obtinenda feſta quæ non ſunt annua ſed continua, nõ terrena ſed cæleſtia ſemper accendere, fixumque tenere, quia nõ in tempore mortalitatis huius, ſed in æternitate futura incorruptionis vera nobis querenda felicitas, vera eſt inuenienda ſolennitas, vbi ceſſantibus cunctis languoribus tota in Dei viſione ac laude vita geritur. Iuxta hoc quod Propheta corde pariter & carne in Deum viuum exultans, aiebat: *Beati qui habitant in domo tua domine, in ſecula ſeculorum laudabunt te*. Vnde merito quinquageſimæ diebus in memoriam huius noſtræ quietiſſimæ ac feliciffimæ actionis crebris ac feſtiuius Alleluia canere ſolemus. Alleluia namque Hebraeus fermo eſt, & interpretatur Latine, laudate dominum. Denique in pſalmis vbi nos canimus, laudate dominum, pro hoc verbo apud Hebræos ſemper Alleluia canitur. Quod euangelista Ioannes in Apocalypſi ſua cæleſtium agmina virtutũ cantantia ſe audiſſe perhibet. Sed & venerabilis ipſe Thobias ex viſione angelica intelligit, qualis ſuperiorum ciuium gloria, quãta ipſius Hieruſalem cæleſtis ſit claritas, hæc myſtica voce dicebat: *Ex lapide pretioſo & mundo omnes plateæ eius ſternentur, & per vicos eius Alleluia cantabitur*. Rectiſſime autem & pulcherrime generalis ſancta eccleſia mos inoleuit, ut hoc diuinæ laudationis carmen propter reuerentiam primæ autoritatis à cunctis per orbem fidelibus Hebræa voce caneretur. Quod ideo fit, ut per talis conſonantiam deuotionis omnis admoveatur eccleſia, quia & nunc in vna fidei confeſſione ac dilectione Chriſti conſiſtere debeat, & ad illam in futuro patriam feſtinare, in qua nulla diuerſitas mentium, nulla eſt diſſonantia linguarum. Nam quomodo in Hieroſolymis quondam multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna, & erant illis omnia communia, ita in illa ſummæ pacis viſione multitudinis videntium Deum, erit cor vnum & anima vna, videlicet diligēdi ac laudandi eum, cuius ſe gratia viderint eſſe ſaluatos: & ibi veraciter erunt omnibus omnia communia, quia ſicut Apoſtolus ait, erit Deus omnia in omnibus. In cuius typum temporis ac laudabundæ noſtræ quietis vltimi ſeptem pſalmi, qui ſpecialiter in domini laudem canuntur, Alleluia titulo prænotantur. Septima quippe dies ſabbati, id eſt, requiei, per legem vocati & haberi præcepta eſt. Et apte liber pſalmodum poſt tanta cæleſtium præceptorum inſtituta, tot arcanorum ſpiritualiũ myſteria decantata, tantas ſaluberrimæ cõfeſſionis ac deprecationis humillimæ voces editas, ſemper Alleluia titulis ſinitur: quia quicquid in hac vita boni gerimus, quicquid in obſequium redemptoris noſtri lingua exultante proferimus, quicquid pro æternæ patrię deſiderio cogitamus cuncta hæc nimirum ea nobis mercede recompenſantur, ut in requie ſempiterna & audire vocem laudis eius, & ipſi cum ſanctis eum benedicere, gloriã regni eius dicere, & potentiam virtutis eius loqui mereamur. Idcirco autem plures magiſtri eccleſiæ decantationem Alleluia tempore quadrageſimæ intermittendam eſſe ſanxerunt, quamuis in eccleſia nunquam à diuina lau-

Phlm. 83.

Alleluia.

Apo. 19.

Thob. 13.

Act. 4.

1. Cor. 13.

de ceſſatur, ſed aliis verbis, quæ idipſum perfecte ſignificant eius quotidie dona canuntur, ut noxa eius repetitio maiorem gratioremque pſchalis ſolenniſ honorificentiam reddat & ſplendorem. Sed & hoc in eo myſterium maxime deſignare voluerunt, quod in huius exilij peregrinatione, ſicut ex parte nouimus, & ex parte prophe tamus, ita etiam ex parte dominum laudamus, dicentes cum Propheta, *Quomodo cantabimus canticum domini, in terra aliena? Cum vero noſtram patriam, terram ſcilicet viuentium, domumque regni cæleſtis nobis olim à domino reſpromiſſam intrare meruerimus, tunc ut illum & perfecte intreri, ſic etiam perfecte valebimus laudare, iuxta illud Pſalmiſtæ: *Et in templo eius omnes dicent gloriam*. Vnde & alibi dicit: *Cœli enarrant gloriam Dei*. Cœlos quippe cæleſtis patriæ ciues appellat. Et quidem terreginæ gloriã Dei narrare poſſunt, non autem hanc enarrare niſi cœli ciues ſufficiunt, qui quo hanc viciniſ vident, eo certius valent eloqui. Vtranque ſane hanc ſolennitatem, ſcilicet & quadrageſimæ & quinquageſimæ, non quorumlibet hominum, ſed ipſius domini ac ſaluatoris noſtri patriã nobis ſanxit autoritas: quadrageſimam videlicet in eo, quod quadraginta diebus & quadraginta noctibus ieiunauit in deſerto, victaque tentatoris verſutia, miniſteriis fuebatur angelicis: vbi ſuo nos informauit exemplo, quia per macerationem carnis aduerſarij ſpiritualis machinas euitare, & ad angelorum debeamus peruenire conſortium. Porro quinquageſimæ nobis gaudia in eo ſeruanda monſtravit, quod poſt reſurrectionem ſeipſum diſcipulis viuum in multis argumentis per dies quadraginta præbuit, apparens eis, & loquens de regno Dei & conueſcens, ut in eorum actibus legimus, quia illos ſua frequentia viſitationis lætabundum hoc tempus habere fecit ac feſtiuum. Sed & in cælum aſcendens nequaquam eis priſcæ ſuę præſentiæ dulcedinem abſtulit, ſed eadem potius promiſſo ſpiritus ſancti chariſmate cumulauit. Denique cum promitteret eos ſpiritu ſancto baptizandos poſt dies nõ multos, eiſque benedicens aſcenderet ac ferretur in cælum, quadrageſimo vtiq; die ſuę reſurrectionis, mox illi adorantes reſgreſſi ſunt in Hieruſalem cum gaudio magno, & erãt ſemper in templo laudantes & benedicentes Deum. Hoc quoque nobis gaudio, ac laude, & benedictione cæleſti, qua ſpiritus ſancti præſolabantur aduentũ vſque ad diem quinquageſimum, quem Græci Pentecõſten appellant, ſolennitatis huius lætitiã docuerunt eſſe protelandam. Inter hæc vero ſolertius intuendum, fratres chariſſimi, quod dominus hac quadrageſima dierum conuerſatione cum diſcipulis, non ſolum futuri ſeculi gaudia, quæ cum illo ſumus habituri præſignauit, verum etiam ineffabilem circa nos ſuę pietatis oſtendit affectum, qui depoſita iam infirmitate corporis, imò ſinita, & per reſurrectionis virtutem in cæleſtem gloriã commutata, dignatur tamẽ adhuc diſcipulorum intereſſe conuiuiũ, ut eos ſocios habere poſſit in cælo, ut præcepta quibus ad regnũ Dei perueniat, viuacius ipſa familiaritate cõmẽderet. Quid enim, fratres mei, quid ſibi vult horum coniuñctio verborum, qua dicitur, *Apparens eis & loquens de regno Dei, & conueſcens, niſi quia patenter oſtenditur, quod ob hoc maxime conui-**

1. Cor. 13. Pſal. 136.

Pſalm. 28. Pſal. 13. Cæli.

Quadrageſima autoritas à Chriſto oritur. Matth. 4. Luca 4. Marcus 1.

Act. 2.

Ibidem.

Luca 24.

Atui faciebatur eorum cum de regno Dei loqueretur, ut terrenas inter eos epulas iunens, quibus cœleste corpus monstrabat, arctius eos vinculis suæ charitatis obligaret, atque illius temporis memoria roboraret, de quo eis ante passionem suam promittendo prædixerat: Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi pater meus regnum, ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo. Merito ergo sacrosanctis diebus his nos quoque maioribus epulis atque hymnis cœlestibus vacamus, ob reuerentiam nimirum dominicæ resurrectionis, ob memoriam dominici conuictus cum discipulis, simul ob spem futuræ nostræ quietis ac vitæ immortalis. Sed & genua in oratione minime iuxta morem flectimus, quia pro certo genuum inflexio penitentia & luctus indicium est. Quod etiam in omnibus dominicis diebus obseruandum propter eiusdem resurrectionis, vel dominicæ vel nostræ sacramenta patres instituerunt. De sacramento autem quinquagenarij vel quadragenarij numeri multipliciter à patribus disputatum est. Sed quia nos in longum duximus sermonem, breuiter modo fraternitati vestræ dicere sat est, quod rectè ieiuniorum ceremoniæ quadragenario dierum numero obseruantur: ut scilicet per hoc insinuetur, quod toto huius vitæ tempore pro æternæ vitæ perceptione laborare debeamus. Quater enim deni quadraginta sunt, & vita præfens congruè quaternario numero figuratur, vel quia quatuor annis temporibus rota variatur, vel quia mundus ipse in quo viuimus, quatuor elementis subsistit, videlicet igne, aëre, aqua & terra. Futuræ autem vitæ beatitudo denario numero non inconuenienter exprimitur. Hinc est enim quod dominus operarios vineæ denario remuneratos esse perhibet. Operarij quippe vineæ, cultores sunt sanctæ Ecclesiæ. Denarius autem vitæ cœlestis perfectionem designat, in qua gloriam Dei, summi videlicet regis, speculantes, in eandem imaginem transformamur, non solum in eo quod regis imaginem habet & inscriptionem, verum etiam in eo quod decem obolis, qui perfectus est numerus constat, vnde & nomen accepit. Recte ergo quadragenario, hoc est, quater denario dierum numero, ieiunium annuè celebramus, ut per hoc specialius admoneamur, quia quàm diu viuimus in mundo, pro cœlestium præmiorum adoptione semper laborare debeamus. Recte etiã quinquagenario dierum numero statum futuræ nostræ beatitudinis in imagine veneramur, ieiunia videlicet relaxando, Alleluia canendo, stantes orando, quæ sunt aptissima perpetuæ quietis, resurrectionis, & laudis præfagia. Septies enim septem, quadraginta nouem faciunt. Et quidem per septem sæpe requiem designari luce clarius est. Septem vero septies ducta, eiusdem requiei perfectionem insinuant, quæ nullo vnquam sine clauditur, nulla labe maculatur, sed vbi dies iudicij vniuersalis ac resurrectionis aduenit, ampliori corporum receptorum gratia perficitur. Quod enim ad septem septimanas monas additur, id est, ipsa dies dominica Pentecostes, qua spiritum sanctum accepit ecclesia primitiua, & ita quinquagenarius numerus perfecte completur, ipsum iudicij & resurrectionis omnium tempus ostendit, quando sanctarum requies animarum, quæ nunc in illa vita geritur, etiam corporum immor-

Lucæ 22.

Matth. 20.

Operarij vineæ. Denarius.

2. Cor. 3.

talium receptione geminabitur, & ille Apostoli sermo adimplebitur: Quod si spiritus eius qui suscitauit Iesum à mortuis, habitat in vobis, qui suscitauit Iesum Christum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra, per inhabitantem spiritum eius in vobis. Verum hoc quoque quod non statim peracta die quinquagesima genua ad adorandum curuamus, sed & illa adhuc septimana stantes domino supplicamus, & quamuis intermissa reperentes ieiunia, tamen Alleluia quotidie personamus, nemo absque discretionem apra & cõgrua ratione mysterij puret aditari. Quia enim spiritus sancti septiformis est gratia, iure solennitas aduentus eius per septem dies laude hymnorum debita, simul & missarum celebratione colitur. Quia tempore Pentecostes ecclesia toto orbe nouos semper Deo populos per aquam regenerationis aggregare consuevit, merito salutem eorum congaudentes, quousque albis induuntur stolis, & nitore purificatæ mentis splendore habitus præmonstrant, hymnum Deo deuotè laudis offerimus, iuxta præceptum ipsius piissimi patris ac redemptoris nostri, quo ait: Congratulamini mihi, quia inueni oem meam quæ perierat. Merito etiam tunc stantes oramus, ob significantiã videlicet liberationis eorundem, quia per donum spiritus sancti de morte animæ ad vitam resuscitati ac resurgere meruerunt: cuius donante gratia, etiam carnis immortalitate nos in nouissimo die vestiendos, atque ad gaudia beatæ resurrectionis perducendos esse speramus, iuxta hoc quod paulo ante Apostolo teste docuimus. Quod vero inter hæc ieiuniorum castigatio reperitur, de ipsorum Apostolorum exemplo sumptum credere debemus, qui accepto spiritu quo perfectius noua cœlestium bonorum suauitate fruebantur, eo altius mentem à memoria deliciarum abstulere terrestrium. Iam enim aduenit tempus illud, de quo dominus prædixit, quia discipuli ipso secum conuersante ieiunare nõ possent, ablato autem eo ieiunaret. Nam cum interrogarent eum discipuli Ioannis, dicentes: Quare nos & Pharisei ieiunamus frequenter, discipuli autem tui non ieiunant? ait illis: Nunquid possunt filij sponsi lugere, quãdiu cum illis est sponsus? Venient autem dies, cum auferetur ab eis sponsus, & tunc ieiunabunt. Quia ergo & ante passionem & post resurrectionem dominicam propter ipsius domini præsentiam lugere ac ieiunare nequieuerant, constat profecto quia post ablationem eius spontaneis sese subdidere ieiuniis. Namque vbi sancti spiritus sunt acceptione recreati, sicut à cæteris mundialibus illecebris, sic & ab epularum appetitu mentem prorsus auertant: animæ potius quam corporis alimonia gaudentes, & præ memoria patriæ cœlestis orationibus ac lachrymis insistentes salubribus. Denique Luca referente, cognouimus de illis tribus millibus virorum, qui ipso die Pentecostes Petro prædicante crediderunt, quam parco victu contenti fuerint, quam sobriam, cœlestemque in terris egerint vitam. Et erant, inquit, perseuerantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus. Et paulo post: Quotidie quoque perdurantes vnanimiter in templo, & frangentes circa domos panem, sumebant cibum cum exultatione & simplicitate cordis, collaudantes Deum & cætera huiusmodi. Ad quorum

Rom. 8.

Luc. 11.

Rom. 8.

Matth. 9.

Act. 1.

1. Cor. 12.

quorum nos exemplum, vitam, morisque solerter aptare necesse est, quia perfectum vitæ magisterium est, ecclesiæ primitiua semper actus imitari: illamque ædificij spiritualis normam ad finem vsque seruare, quam ab ipsis Apostolis in fundamento fidei liquet esse propositam. Nec dubitandum, quia quorum nunc vestigia sequimur, ad eorum in futuro sumus præmia peruenturi. Et quidem, fratres mei, pulcherrimam etiam in presenti futuræ beatitudinis figuram gerimus, de qua modo aliquanta perstrinximus: sed ita nobis viuendum est, ut quæ exterius in imagine colimus, ante interni arbitri oculos veraci corde seruemus. Perseueremus ergo & nos in doctrina sanctorum, ut videlicet discendo, & operibus exercendo quæ docent, orationibus incumbamus assiduis, dominici panis communionem digni satagamus existere, vnanimiter in ecclesia horis persistamus canonicis, panem indigenti proximo, vel quicquid valeamus piæ consolationis porrigamus, & ita cibum corpori indulgcamus, ut memoria viui panis potius mentis intima lætificet, simplicitate cordis in omnibus teneamus, quod est sola intentione supernæ retributionis bona operari: & quod præsentia festa maxime decet, hymnum diuinæ laudis consona voce simul & mente personemus. Sic enim solummodo Deo nostro iucunda sit laudatio, si quod ore canimus, non impugnatum opere: si cum labijs Alleluia proficimus, à turpi & maligna cogitatione præcordia casta gestamus. Ea tamen ratione suanis erit ei laudatio nostra, si non in rebus caducis & infimis, sed delectemur in domo. Quod ipse præstare dignetur, qui tanta nobis tamque præclara beneficiorum pignora per paschalia sacramenta prærogauit Iesus Christus dominus noster, qui uiuit & regnat cum patre in vnitæte spiritus sancti Deus per omnia secula seculorum, Amen.

HAYMONIS EPISCOPI  
Halberst. superioris Euang.  
expositio.

Cum venerit paraclætus, quem ego mittam, &c. In multis lectionibus sancti Euangelij reperimus, quod sancti Apostoli ante aduentum spiritus sancti, minus fuerunt capaces ad intelligenda sacramenta sanctæ trinitatis, & minus fortes ad toleranda aduersa huius seculi. Sed in eis adueniente spiritu sancto die Pentecostes, cum plenitudine scientiæ data est etiam fortitudo animi. Vnde bene spiritus sanctus, spiritus fortitudinis & scientiæ nuncupatur: quia quicquid boni intelligimus, per illius gratiam capimus, & ex hoc spiritus scientiæ appellatur. Etiam spiritus fortitudinis appellatur, quia omnem fortitudinem quam habuerunt sancti Apostoli & sancti Dei, & modò habent ab ipso acceperunt: qui est fons scientiæ & fortitudinis, & autor omnium bonorum. Quod sancti Apostoli post quàm acceperunt spiritum sanctum in linguis igneis, fortiores fuerant ad sufferendas passiones istius seculi pro Christi nomine, probati potest in Petro apostolorum principe, qui ante aduentum spiritus sancti tempore passionis domini imminente, ad vnus vocem ancillæ negauit dominum. Post quàm vero die Pentecostes spiritu sancto est confortatus,

Act. 1.

Esa. 11.

constanter, id est, perseueranter atque fiducialiter coram principibus Iudeorum, & coram imperatore totius mundi Nerone, coram consiliibus & regibus gentium, non timuit confiteri & prædicare Christum. Quod de Petro dicimus, hoc de cæteris Apostolis est intelligendum, de quibus dicit Lucas in Actis Apostolorum, quia repleti spiritu sancto, loquebantur verbum Dei cum fiducia, id est, sine timore. Cum venerit paraclætus: paraclætus debemus legere, quia Græcus sermo est. Paraclætus Græcè, Latine dicitur consolator vel aduocatus. Quare consolator? Quia corda Apostolorum quæ recessus domini ex parte mortificauerat, ipso adueniente lætificari meruerunt. Aduocatus verò dicitur, id est, postulator, quia eos quos replerit postulantes facit. Vnde scriptum est. Ipse spiritus sanctus postulat pro nobis, id est, postulare facit, gemitibus inenarrabilibus. Quem spiritum scilicet sanctum. Ego mittam vobis à patre, procedentem, spiritum veritatis, quasi diceret, spiritum meum, quia Christus est veritas, iuxta quod ipse dicit: Ego sum via, veritas, & vita. Qui à patre procedit. Deus pater à nullo est, filius à solo patre est genitus, spiritus sanctus ab vtroque procedit, id est, à patre, & à filio. Idem spiritus sanctus, qui rectia persona est in sancta trinitate, ideo dicitur à patre procedere, & à filio mitti, ut intelligamus, quia sicut patris, & filij vna est natura, vna omnipotentia, vna substantia, vna deitas: ita vna voluntas, & vna operatio. Cum enim datur à patre spiritus sanctus, datur & à filio, & cui datur à filio, datur & à patre. Venit etiam ipse spiritus sua sponte, id est, propria voluntate, iuxta quod de eo dicit dominus alibi: Spiritus, vbi vult, spirat, id est, cuiuscunque hominis cor illuminare vult, illustrat. Et Paulus enumeratis donis eiusdem spiritus sancti, ad extremum intulit. Hæc omnia operatur vnus, atque idem spiritus, diuidens singulis, prout vult, quia vnus substantiæ est cum patre, & filio. Ille testimonium perhibebit de me. Quale testimonium perhibuit spiritus sanctus Christo, repleti corda Apostolorum: Tale testimonium perhibuit illi, quia docuit Apostolos, ut filij Dei, qui ante omnia secula genitus est à patre coæternus illi, & nulla distantia temporis ab eo distans, crederent temporaliter natum ex Maria virgine salua eius virginitate, quod veraciter passus est secundum humanitatem deitate impassibilis manens, quod passio eius redemptionis fuit generis humani, quod descensio eius in infernũ in anima liberatio fuit electorum, quod veraciter resurrexit à mortuis, quod cælorum altitudinem penetravit, quod venturus est ad iudicium, ut reddat vnicuique iuxta opera sua, iustis præmium, reprobis supplicium. Perhibuit etiam spiritus sanctus Christo testimonium, illuminando corda nostra. Et vos testimonium perhibebitis, prædicando euangelium per totum orbem: quia ab initio mecum estis, non ab initio mundi, sed ab initio prædicationis meæ. Tricesimo anno natiuitatis suæ baptizatus est dominus à Ioanne in Iordane, & post baptismum cepit prædicare, & baptizare, & eligere Apostolos. Multum profuit apostolis, quod cum domino fuerunt, quia videntes eius miracula, & audientes eius doctrinam, liberè potuerunt postmodum prædicare, quæ viderunt ab illo fieri & audierunt, dicentes cum Petro apostolo. Nos, qui

Ioan. 14.

1. Cor. 12.

Matth. 16.

Luc. 2.

Act. 10.

Act. 1.

qui manducamus, & bibimus cum illo postquam resurrexit à mortuis, non possumus, quæ vidimus, & audiimus, non loqui. Vnde & idem Petrus apostolus volens cōstituere in locum Iudæ alium, quia duodecim in numero apostolorum perierat, non elegit Neophytum, id est, nouiter venientem ad fidem Christi, sed eum, qui aliquanto tempore fuerat cum domino conuersatus, & miracula eius viderat, & doctrinam audierat, id est, Matthiam vnum de septuaginta, dicens; Viri fratres, oportet ergo ex his viris, qui nobiscum congregati sunt in omni tempore, quo intrauit, & exiit inter nos dominus Iesus Christus, incipiens à baptisate Ioannis vsque in diē, qua præcipiens nobis assumptus est, testem resurrectionis eius nobiscum fieri vnum ex istis. Et statuerunt duos, Ioseph, qui vocatur Barsabas, qui cognominatus est Iustus, & Matthiam, & orantes dixerunt; Tu domine, qui corda nostri omnium, ostende, quem elegeris ex his duobus vnū accipere locum ministerij huius, & apostolatus, de quo præuaricatus est Iudas, vt abiret in locum suum. Et dederunt fortes eis, & cecidit fors super Matthiam, & annumeratus est cum duodecim apostolis. *Hæc locutus sum vobis, vt non scandalizemini, scandalum Græcè, Latine dicitur ruina, offensio, vel impaetio pedis. Hæc locutus sum vobis, id est, prædixi vobis persecutiones, quas passuri estis à Iudæis: vt, cum venerit non scandalizemini, id est, non recedatis à fide mea. Absque synagoga facient vos, id est, eijcient vos de synagoga suis veluti immundos. Sicut modò in sancta Ecclesia, qui faciūt adulterium, homicidium, sacrilegium, per iudicium sacerdotum eijciuntur ab ecclesia, donec per penitentiam lamentum purgentur: sic tunc Iudæi sanctos Apostolos eijciebant de synagoga suis veluti peccatores. Synagoga Græcè, Latine dicitur congregatio. Hoc distat inter synagogam, & ecclesiam: quia antiquus ille populus, id est, Iudaicus synagoga simul, & ecclesia dicebatur. Sic habemus in libro Regum: Et conuertit Rex Salomon faciem suam, & benedixit omni ecclesie Israel. Sed placuit apostolis, & apostolicis viris, & postmodum cæteris doctoribus sanctis, vt illi, qui in Christi ecclesia baptisati gratia renascuntur, non synagoga, id est, congregatio: sed ecclesia, id est, conuocatio fidelium appellentur: quia possunt congregari lapides in vnum, & ligna, & muta animalia: conuocari verò non possunt, nisi homines qui vocem emittunt, & voces aliorum audiunt. Absque synagoga facient vos. Absque templo, & synagoga faciebant esse apostolos Iudæi, quando flagellabant eos, sicut legitur in Actis Apostolorum, quando ibant gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habitus sunt, pro nomine Iesu contumeliam pati. Nudos eos cædebant sicut latrones, quando interficiebant eos, sicut interfecerunt beatum Iacobum fratrem Ioannis gladio: lapidabant eos, sicut beatum Stephanum lapidauerunt: & quando priuabant eos à propriis facultatibus, sicut expoliauerunt Nicodemum. Et hæc omnia ob nullam aliam causam fecerunt, nisi quia filium Dei credebant. Quibus congruit illud, quod alibi dicitur. Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Venit hora, vt omnis, qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo. Hora posuit hic pro*

Act. 5.

tempore. Venit hora, id est, veniet tempus: vt omnis Iudæus, qui interfecerit vos, pro eo quod est interfecerit de futuro: arbitretur, id est, iudicet, existimet se obsequium, id est, ministerium obedientie præstare Deo. Obsequium aliquando significat cultum Dei, vt est illud Apostoli. Rationabile obsequium vestrum: obsequium posuit pro cultu Dei. Obsequium ponitur pro ministerio, & obedientia vt hic. Venit hora, id est, tempus vt omnis, qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo, id est, obedientiam exhibere Deo. Hoc faciebant Iudæi, persequerantur sanctos Apostolos, flagellabant, & occidebant, & putabant hoc placere Deo: sicut Paulus putabat se obedientiam domino exhibere, quando beatum Stephanum lapidabat. Ipse enim lapidauit eum, & quia omnium lapidantiū vestimenta custodiuit. Sed quid postmodum dicit Iudæis? Zelum legis habetis, sed non secundum scientiam. Frustra enim legem defendit, quæ per Moysen seruum suum data est, qui gratiam sancti Euangelij, quæ per filium data est, respuit: Et hæc facient vobis, id est, persequentur, affligendo, odio habebunt, quia non nouerunt patrem, neque me, id est, non cognouerunt per fidem. Vel, non nouerunt, id est, non dilexerunt patrem, neque me: quia pater est in filio, & filius in patre: iuxta quod ipse dixit. Ego, & pater vnus sumus. Ideo qui nouit patrem per fidem, nouit & filium: & qui non diligit filium, non diligit patrem. Quicumque enim fidem filij Dei obstinata mente à se repellit, proculdubio & patrem à se repellit. *Hæc locutus sum vobis, vt, cum venerit hora eorum, tempus persecutionis illorum, reminiscamini, id est, recordemini, quia ego dixi vobis. Ego, qui pro vobis passurus sum, & proprio sanguine vos redempturus: sicut dixi vobis persecutiones, & mala, quæ inferentur vobis à Iudæis: & ego, qui prædico, ero in his persecutionibus vestre adiutor, & post finitos huius vitæ labores: ero vestre patientie fidelissimus remunerator.*

## ERICI IN IDEM

Euang. Homil.

Posuit in Cœna Dominus cū discipulis, postquam myteria noui testamenti corporis, sanguinisque sui cōsecratione signauit, instante iam hora suæ traditionis, inter cætera quibus eos dignatus est erudire, monuit, ne impiorum contra se persecutione saeuiente terrerentur; ne & fessederent, sed in omnibus inuictum robur constantiæ tenerent: aduētu etiam spiritus sancti promisso, cuius gratia terreno timore priuarentur, & virtutis cælestis robore fundarentur. Denique si diuinæ scripturæ oracula consulamus, aperte cognoscemus, quòd sancti apostoli ante perceptionem sancti spiritus, qui die decimo post eius ascensionem in cælos super eos missus est, minus idonei, & capaces fuerant ad intelligenda myteria diuinæ sublimitatis, minus etiam fortes ad toleranda aduersa illarum persecutionis. Adueniente autem super eos spiritus sancto, cum augmento diuinæ cognitionis constantiam perceperunt ad perseveranda tormenta passionis. Quod vt exempli gratia euidentius pateat, ipsum apostolici culminis verticem beatum Petrum in medium deducamus, qui antequam spiritus sancto roboraretur, adeò

Math. 26.

Act. 5.  
Act. 4.

adeò infirmus, & pauidæ mentis fuit, vt ad vocem vnus ancillæ Dominum se vel nosse negauerit. Verum, postquam sanctus spiritus ignis timore antè frigidum pectus accendit, tantam subitè fortitudinem animo concepit, vt præ cunctis apostolis ad gloriam resurrectionis Christi publicè prædicandam emicaret, atque principum terrificamenta transiret, dicens; Obedire oportet Deo magis quàm hominibus. Et iterum; Non possumus quæ vidimus & audiimus, non loqui. Admirationem ergo beatum Petrum prædicantem, quem dolueramus inficiantem. Tanto enim spiritus sancti fulgore illustratus est, tantæque veritatis auctoritate solidatus, vt ipsos, qui paulò antè fuerant interfectores Christi, ita conuerteret, quòd etiam mori vellent pro amore Christi. Proinde loquens Dominus discipulis, & promittens eis aduentum spiritus sancti, qui eos doceat scientiam diuinæ cognitionis, & corroboret ad fiduciam prædicationis, atque constantiam passionis, dicit; Cum venerit paracletus quem ego mittam vobis à patre, etc. Ordo verborum talis est; Cum venerit paracletus, illo testimonium perhibebit de me. Paracletus nanque hoc est spiritus sanctus, testimonium perhibuit de Domino Iesu Christo, quia cordibus apostolorum illapsus, plenissimam eis diuinitatis, & humanitatis Christi scientiam contulit: adeò vt quantum mortalis fragilitas patitur, quicquid de eo sentiendum non nosset, qualiter vnus cum patre esset substantiæ, eiusdemque maiestatis: quòd is, qui ante secula Deus erat apud Deum, homo inter homines apparuit in fine seculorum: quòd de virgine natus acceperit, vt idem homo, idem esset & Deus: quòd sponte passus, sua virtute à mortuis resurrexerit, atque in cælum ascenderet, in dextera patris sederet; postmodò quòd ipse in fine mundi æquus omnium iudex venturus sit. Hæc omnia sancti apostoli de Christo spiritus sancti magister didicerunt. Nec solùm illi, verum etiam omnes, qui rectè aliquid de Christo sentiunt, huius spiritus gratia hoc promeruisse credendi sunt. Perhibuit etiam testimonium, quando apostolis constantiam, ea, quæ didicerant, prædicandi inspirauit. Vno enim, eodemque spiritu & scientiæ spiritualis dote, & virtutis ad prædicandum ope donati sunt. Quod autem ait; Quem ego mittam vobis à patre spiritum veritatis, qui à patre procedit, per interpositionem dictum est, quæ figura Græcè dicitur parenthesis, quam sententiam ideò interponere voluit, vt aperte ostenderet in patre, & filio vnâ esse voluntatem, & vnâ operationem cum distinctione personarum: ita videlicet, vt intelligamus aliam quidem personam patris, aliam filij, aliam spiritus sancti, sed in tribus personis vnâ atque eandem potestatem maiestatis. Intendendum verò, quòd spiritus sanctum & à se mitti, & à patre procedere dicit, non quòd separabilis sit patris, & filij operatio, sed vt distantia personarum patris, & filij manifestetur, in qua tamen personarum distinctione, vna filij voluntas atque operatio, cum patris voluntate & operatione concordat. Sicut ergo spiritus sanctus mittitur à filio, sic mittitur & à patre: & sic procedit à filio, quomodò & à patre. Ipse spiritus sanctus, quia vnus est voluntatis, eiusdemque operationis cum patre, & filio, dicitur quoque ipse sua sponte venire. Quod patenter in eo loco Dominus ostendit, vbi ait; Spiritus vbi vult spirat. Et

Ioan. 3.

Apostolus, enumeratis diuinorum charismatum distributionibus, subdit; Hæc omnia operatur vnus, atque idem spiritus. Id ipsum quoque Dominus in hoc loco ostendit, dicens; Cum venerit paracletus. Quia verò & à filio mittatur, subsequitur ipse filius, & dicit; Quem ego mittam vobis. Et vt ostendat à patre illum etiam procedere, subiungitur; Spiritum veritatis, qui à patre procedit. Propterea quæsitum indignum non est, cur spiritus sanctus non natus, non genitus, non ingentus, sed potius procedens dicatur. Cui quæstioni hac ratione à patribus obuiatur: Spiritus enim sanctus de patre procedit, & filio, sed ideò nõ dicitur genitus, ne duo in Trinitate filij suspicentur: ideò non vocatur ingentus, ne duo similiter in Trinitate patres credantur existere. Procedens autem dicitur testimonio Christi, dicens; Spiritum veritatis, qui à patre procedit. Inter nascentem verò filium, & procedentem spiritum sanctum ista distantia est, quòd filius ex vno nascitur, spiritus verò sanctus ex vtroque procedit. Aduentu autem suo spiritus sanctus testimonium perhibuit de Domino, quia discipulorum mentibus infusus, omnia, quæ de eo moralibus erant cognoscenda, clara eis luce reuelauit, aperte videlicet eis insinuans, quomodò sit pater ingentus, filius genitus, spiritus sanctus neque genitus, neque ingentus, sed ex vtroque procedens, & in his tribus personis vna maiestas atque vna substantia. Et vos, inquit, testimonium perhibebitis. Testimonium perhibuerunt apostoli Domino Iesu Christo, quando die penitentes spiritus sancto illustrati, quæ per illius aspirationem agnouerunt intrinsecus, hæc forinsecus abiecto timore liberè aliis prædicauerunt. Quia ab initio mecum estis. Quia enim ab initio prædicationis cum Domino fuerant, poterant aliis prædicare, quæ nouerant. Multum enim ad fidem prædicandam, & ad perhibendum testimonium de Christo Apostolis profuit, quòd ab initio dominicæ prædicationis cū eo conuersati sunt: quia & temporis quantitate, & sui assiduitate plenius cælestem disciplinam ceperunt & (vt ita dictum sit) medullitè imbiberunt. Vnde & ea, quæ ab ipso viderunt, & audierunt, absque ambiguitate aliis prædicabatur. Cui rei attestatur B. Petrus, qui in locum Iudæ proditoris alium substituere volens apostolum, non hunc neophytum, id est, rudem, sed longa conuersatione probatum, ex tempore videlicet dominicæ prædicationis, eligere studuit, dicens, Viri fratres, oportet ex his viris, qui nobiscum conuersati sunt in omni tempore, quo intrauit inter nos Dominus Iesus, & exiit, testem fieri resurrectionis eius ad plebem, vnum ex istis, Matthiam scilicet, qui fuit vnus de septuaginta discipulis, quos Dominus in ipso prædicationis suæ exordio post apostolos elegit. Quanta etiam autoritate resurrectionem Domini prædicaret, alibi insinuat, ita de Christo dicens; Quem Deus suscitauit à mortuis, & dedit eum manifestum fieri, non omni populo, sed testibus à Deo præordinatis, nobis qui manducamus & bibimus cum illo, postquam resurrexit à mortuis. *Hæc locutus sum vobis, vt non scandalizemini. Præuidebat Dominus, quæ persecutionum procella contra prædicantes. Apostolos resurrectione essent, ideò quæ prouide dignatus est eis post ventura prædicare, quo venientia facilius possent tolerare. Minus enim nos afficiunt mala*

1. Cor. 11.

Act. 1.

Act. 10.

Ioan. 16.



mala, quæ prænotantur, granis vero improvisa perturbant. Et intuentium, quia, cum dixisset eos aduentu spiritus sancti illustrandos, & sibi testimonium redditos, ilicò futuræ persecutionis aduersa subiunxit. Quanto enim amplius sancti ad virtutum sublimia enituntur, eo maior contra eos diaboli inuidia oritur, quæ eorum profectibus resistere, & siue per se, siue per membra sua inchoati boni operis initia quarrit radicibus extricare. At ergo Dominus; Hæc locutus sum vobis, vt non scandalizemini, ac si diceret: Idcirco vobis ventura postmodum innotescit, vt præscientiæ clypeo muniti, nequam à statu vestræ soliditatis deiiciamini. *Abiq; synagogis facient vos.* In euangelio inuenimus conspirasse Iudæos, vt si quis confiteretur Christum, extra synagogam fieret. Quod nimirum apud illos pro magno piaculo deputabatur. Hanc apud Iudæos olim viguisse consuetudinem nemo dubitauerit, vt eos, qui vel blasphemiam, vel alicuius sceleris arguebantur, extra conuentum suum expellerent. Sicut enim nunc homicidæ, vel incestuos, vel capitalibus criminibus obnoxij, imperio canonum ab Ecclesiæ consortio, & altari detruduntur, ita nunc temporis nominis Christi confessores à synagoga eliminabantur. Quod passi sunt Nicodemus, & Gamaliel, multiq; alij, qui elegerunt ad tempus hominum societate priuari, vt Christo in perpetuum adhererent. Quod autem non solum à synagogis eiicerentur, verum etiam morte à conciliis suis plecterentur, manifestat Dominus cum subiungit: *Sed venit hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur se obsequium præstare Deo.* Iudæi dum præcones sancti euangelij odiis, moribusq; persecuerentur, obsequium se præstare Deo arbitrati sunt, putantes se per hoc legis exercere vindictam. Vnde & beatus Paulus testimonium illis reddidit, dicens; Aemulationem legis habent, sed non secundum scientiam. Vnde & hæc verba Domini, non de gentibus, sed de Iudæis singulariter oportet intelligi, ac si diceret; Tribulationes quidem à ciuibus gentis vestræ passuri estis, sed tanto eas perferre libentius, quanto non tam odio vestri, quam paternæ legis emulacione vobis eas inferre tentabunt. Verum nihil prodest eis legem, quæ per seruum data est, defendere, qui gratiam euangelij, quæ per filium facta est, noluerit recipere. Quibus verbis non minime apostoli consolantur, dum videlicet audiunt (vt diximus) non sui odio, sed zelo diuinæ legis persecutionis aduersum se rabiem concitari. *Et hæc facient vobis, quia non nouerunt patrem, neque me.* Satis iam sanctæ Ecclesiæ fides accepit, patrem, & filium vnus esse deitatis, & potentiam, atque ideò notitiam patris sine filij cognitione haberi à nemine posse. Hinc idem Euangelista alibi dicit; Omnis, qui negat filium, nec patrem habet: qui confiterur filium, & patrem habet. Et alibi: *Qui diligit eum, qui genuit, diligit & eum, qui genitus est ab eo.* Frustra ergo Iudæi de patris cognitione gloriabantur, qui filium recipere obstinato corde renuerunt. Iactent se de cultu Dei patris quantum volunt, fidem nostram, quæ in Christo, & per Christum est irideant; nunquam certe Deo patri placere poterunt, nunquam ad notitiam illius peruenire valebunt, nisi Christum, in qua ianua ad patris scientiam perueniendi est, per fidem receperint,

Canonum ecclesiasticorum vi.

Rom. 10.

1. Ioan. 2.

1. Ioan. 5.

& æqualem Deo patri per omnia crediderint. Quid verò vilitatis, quidve leuaminis hæc verba Domini apostolis conferrent, ilicò manifestatur cum subditur; *Sed hæc locutus sum vobis, vt cum venerit hora eorum, id est, malorum quæ passuri estis, reminiscamini, quia ego dixi vobis.* Ac si diceret: Idcirco vobis ea, quæ mei nominis causa passuri estis, prænuntio, vt cum venerit hora; hoc est, tempus eorum, quæ prædicta sunt, ad memoriam reducatu me illa vobis prædixisse, sicq; præsentia mala sufferatis, scientes quia ego, qui potui vobis prædicere, poterò, cum venerint, liberare. Magnū siquidem genus consolationis apostolis fuit cum reminiscerentur inter aduersa à magistro suo de talibus se fuisse præmonitos, à quo se pro laborū exercitiis sine dubio nouerant remunerandos. Magnoperè verò hæc verba Domini sunt ponderanda, & non ociosè audienda, quibus ait, *Ego dixi vobis.* Ego videlicet Deus omnipotentissimus, ego qui pro vobis proque vestra salute sum moriturus, vosq; meo sanguine redempturus; qui in tribulatione vobis semper adiutoriū ministrabo; & post tribulationes immortalibus præmiis vos victores remunerabo. *Ego prædixi vobis:* tanquam diceret: Cū ea quæ futura vobis prædixi adimpleta videritis, me filium Dei esse credatis, qui potui talia facere cum prædixissem, & prædicere antequam facerem. Notandum verò, quòd ipse, qui hic persecutionem futuram prædixit, ipse post pauca in eadem persecutione fidelibus suis auxilium promittit, dicens; In mundo pressuram habebitis, sed confidite, ego vici mundum. Ipse quoque alibi eisdem legitime certantibus præmium pollicetur, dicens; Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. Qui & milites suos, ne vinci possint, adiuuare, & ne incassum vincant, immortalē solè post prælia palmam vindicare Iesus Christus Dominus noster, qui cum patre & spiritu sancto viuunt, & regnat Deus per æternam secula, Amen.

## EUSEBII EPISCOPI

*Emisseni Superioris Euang. expositio.*

Semper saluator noster tristibus miscet læta, vt discipulorum corda mœrentia cōsolatur. *Cum* (inquit) *venit paracletus, qui cōsolator interpretatur, ille testimonium perhibebit de me,* ille & vos & alios multos perfectissimè intelligere faciet, quis & qualis ego sum: ipse enim in vobis loquetur & per vos. Cum igitur steteritis ante reges & præsides, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis. Et ipse quidem testimonium perhibebit de me eiusque virtute, & inspiratione innumerabilis hominū multitudo conuerteretur ad me. Et non solum ipse, sed vos quoq; testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis. Multa (quasi diceret) iam scitis, quæ ab initio me referente audistis, quoniam ex tunc mecum fuistis, in quibus testimonium mihi perhibebitis. Non enim habebant necessarium iterum discere, quæ ab ipsa sapientia didicerant, & memoria iam commendauerant. Vna enim, eademque doctrina est & patris, & filij, & spiritus sancti.

Et

Et quamuis quædam personaliter agere videantur, vna tamen omnium trium est operatio. Quos igitur docet filius, docet pater, & spiritus sanctus: sic & in aliis. Vnum enim sunt, simul vbiq; & inseparabiles. Paucis enim verbis hoc in loco spiritus sanctus & sic venire, & à patre, filioq; procedere ostenditur. In eo enim quod dicitur, *cum venerit*, à seipso ostenditur: in eo verò quod dominus ait, *quem ego mittam vobis à patre*; ab vtroque procedere monstratur. Quid est enim, quem ego mittam vobis à patre, nisi quem pater, & ego mittam vobis? Ab vtroque enim mittitur, quia ab vtroque procedit. Sed quia pater à nullo, filius à patre, spiritus sanctus à patre, & filio, ideo dominus ait, *qui à patre procedit.* Er tale est ac si diceret, Ab illo procedit spiritus, à quo & ego genitus sum, à quo & ego exiui, & veni in mundum. Multa enim (vt in hoc libro apparet) habet filius cum patre communia, quæ tamen non ad se, sed ad patrem honorandò refert. Quomodo autè & quando spiritus sanctus super Christi discipulos venerit, Lucas euangelista in Actibus Apostolorum plenissimè narrat. Ait enim, Cū completerentur dies Pentecostes, erant omnes discipuli pariter in eodem loco. Et factus est repente de celo sonus tanquam aduenientis spiritus vehementis, & repleuit totā domum vbi erant sedentes. Et apparuerunt illis dispersitæ linguæ tanquam ignis seditque supra singulos eorum spiritus sanctus. Et repleti sunt omnes spiritu sancto, & cœperunt loqui variis linguis, prout spiritus sanctus dabat eloqui illis. Et merito quidem die quinquagesimo venit spiritus sanctus, quia ipse est remissio omnium peccatorum. Annus enim quinquagesimus, qui hunc diem significabat, Iubilæus vocabatur, id est annus remissionis; in quo & seruis datur libertas, & omnis hereditas ad proprios reuertebatur. Quod quidem tunc completum est, quando ecclesiæ duces in spiritu sancto baptizati ab omni vitiorum seruitute liberati sunt. Vnde ipse dominus ait, quia Ioannes quidem baptizauit aqua, vos autem baptizabimini in spiritu sancto, non post multos hos dies. Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua, & spiritu sancto, non intrabit in regnum Dei. Hac igitur die & hereditas, & libertas reddita est nobis, quia ille, sine quo hereditas, & libertas haberi non potest, datus est nobis. Hereditas nostra regnum Dei est, in quod nō intratur nisi per aquam, & spiritum sanctum. Hac itaque die genus humanum venit ad iubilæum. Hac die venit ad annum libertatis, & remissionis. Hoc anno cœperunt Apostoli clangere tubis, & loqui & predicare omnibus linguis. Has enim tubas illæ tubæ significabant, quibus tunc incipiente iubilæo, tota illa terra ad festiuitatem paratur. Apparuit autem in ignem spiritus sanctus, vt manifestissimè intelligamus, quia eius præsentia mentis oculi illuminantur, peccata vruntur, & corda fidelium igne charitatis accenduntur. Sed quia ignis iste linguarum speciem habebat, ipsum qui in sanctis loquitur se ostendebat esse, & linguis quodammodo linguas tangebat, & sic ad loquendum Apostolos instruebat. Sequitur: *Hæc loquutus sum vobis, vt non scandalizemini.* Vnde: Vultis audire vnde. *Abiq; synagogis facient vos,* & quasi iniquos, & contra legem facientes à se repellent, & à synagogis eiiciēt. Vos autem verborum meorum memores non scan-

dalizemini, sed patienter & fiducialiter omnia sustinete. Dixi vobis quia absque synagogis facient vos: ecce plus dico: *Venit hora, vt omnis, qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo.* Totus contra vos mundus cōiurabit, totus exercitus Satanæ contra vos armabitur. Hinc Iudæi, inde Gentiles: isti propter legis obseruationem, illi propter Deorum religionem. Et in tantum omnes abominabuntur vos, vt magnum obsequium arbitretur præstare Deo, quicumque interfecerit vos. *Et hæc facient vobis, quia non nouerunt patrem, neque me.* Si enim patrem, & filium cognouissent, se errasse vtique intellexissent, & sic errorem reliquissent, & ad fidem venissent. *Sed hæc loquutus sum vobis, vt, cum venerit hora, eorum reminiscamini, quia ego dixi vobis.* Quare ergo, *reminiscamini?* Vt in ipsis tribulationibus & angustiis constantius firmiusque pugnetis, cum me omnia præcisse & prædixisse cognoscetis. *Hæc autem vobis ab initio non dixi, quia vobiscum eram.* Si enim cum eis semper corporaliter esset, hac tali consolatione eos præmunire necessarium non esset.

## THEOPHYL. EPISCOPI

*Bulgar. superi oris Euang. expositio.*

*Cum autem venerit paracletus, etc.* Dixerat discipulis, Persequuntur vobis vos, sermonem vestrum non seruabunt. Vt igitur dicere non possint, Et nunc, o domine, quòd mittis nos? quomodo digni fide erimus? quis ad nos attendet? quis persuadebitur? Ideo subdit, *Quum autem venerit paracletus, ille testabitur de me.* Fidelis, inquit, testis ille est, & ita redarguti à spiritu quòd absque excusatione peccarint, prædicationem suscipient. *Et vos quoque testabimini, qui ab initio mecum estis,* quia & operibus, & sermonibus feci deesse vobis excusationem. Bono igitur animo sitis, prædicatione non caritura est testibus, sed & spiritus cum signis, & prodigiis meis testabitur, fidelisque testis erit. Est enim spiritus veritatis. Igitur spiritus veritatis vera testificabitur, nam à patre procedit, & omnia clare nouit. Est enim ex eo, à quo omnium scientia. Iam quod dicit, *Quem ego mittam,* æqualitatem erga patrem significat. Nam alio loco de patre dixit, quòd mittam spiritum: hoc autem loco, quòd ipse mittat, vtique sanè æqualitatem significans. Vt autem ne videatur obliuisci patri, quasi ab alia substantia mittat spiritum, addidit, *à patre.* Nam & ipse quidem mittam, sed à patre, hoc est approbante patre, & simul mittente. Non enim ex proprio sinu ipse prius mitto, sed à patre per me suppeditatur. *Quum autem audieris, quòd procedit: ne intelligas per processionem egressionem quasi emittuntur ministratorij spiritus, sed naturalis substantia spiritus est processio.* Nam, nisi processionem sic intellexerimus, sed externam quandam missionem, incertum erit de quo spiritu dicat, innumeri enim sunt, qui in ministeriū mittuntur propter eos, qui hereditabunt salutem. Cæterum hoc loco singularis quædam, & separata proprietas est procedere, vni proprio spiritui attributa. Non igitur intelligemus per processionem simplicem emissionem, sed naturalem spiritus substantiam. Hic igitur spiritus testis est prædicationis, & vos quoque testabimini, quòd nō ex aliis audieritis, sed ipsi

Hebr. 1.



ipfi ab initio mecum estis. Non paruum autem est hoc testimonium, ab initio simul esse: quod & ipsi apostoli postea concionati sunt dicentes, **Qui simul comedimus, simulque bibimus cum eo.** Duplex igitur testimonium, à vobis, & à spiritu. Nam, licet vos ad gratiam testari videamini: at nō item ad gratiam testabitur & spiritus. **Hæc loquutus sum vobis, &c.** Dixi, inquit, vobis hæc, priusquā fierent, ut ne postea offendamini, quum videritis multos non credere, & vos multa aspera pati, sed cogitate, quod etiā antequam factum, dixerim vobis. Suscipite posthac à me consolationem, quod neque in hoc decipiam vos, sicut neque in prædicatione passionum. Nam & absque synagogis facient vos, & excludent à cōciliis, honestisque conditionibus, & in summa à sua communione separabunt. Etenim iam cōspirauerant, quod, si quis confiteretur Christum, eiceretur à synagoga. Non solum autem à synagoga vos alienos faciet, sed & morte punient, mortēque ignominiosissimam ut pote seu perniciosos, & ut inimicos Dei occidēt vos: Et omnis, qui occiderit vos, tanto studio occidet, ut videatur cultum Deo præstare; hoc est, putabit se rem piam, Deoque gratam facturum. Subdit autem consolationem, quæ sufficere queat, **Hæc enim, inquit, facient, quia non noverunt patrem, neque me.** Propter me enim, inquit, & patrem patiemini, igitur sustinete. Beati enim estis, quum exprobrauerint, & persequuti vos fuerint & dixerint omne malū verbum contra vos propter me. Hæc beatitudo, vestra consolatio, quum eius fueritis recordati. Hæc autē loquutus sum vobis, ut quando videritis molesta illa evenisse, credatis & de reliquis. Nō enim poteritis dicere, quod iucunda prædixerim vobis, decipere vos cupiens. Verum, sicut annuncians tristitia non decepi, ita neque læta dicēs, indignus fide fuerim. Insuper ut ne sitis minus præparati, sed instructi, recordemini, quod ego vobis ea dixerim, & idcirco stetis fortiter contra aduersa.

### EVTHYMII ZIGABONI superioris Euang. expositio.

**Q**ui à patre procedit, ille testimonium perhibebit de me. De mea diuinitate. Nam, quum pater testimonium perhibuerit de me, spiritus sanctus quoque multifariam testimonium omnino perhibebit. Testificabitur autem lucens in cordibus vestris ad maiorem certitudinem: & miracula operans ad nomē meum. Vide autem, quod mittit quidem eum & filius, tanquam eiusdem cum patre honoris: verum id à patre, puta procedentem. Procedit itaque à patre, tanquam de eius substantia. Ideo etiam omnia, quæ patris sunt nouit, sicut & filius. Quod si roget quis, cur etiam filius

*Inuit Graecorum dogma de Spiritu sancti processione.*

nō dicitur ipse spiritus; quum etiam ab eodem sit patre. Dicemus quia non natus est quemadmodum filius, sed alio modo procedit. Ideo Nati quidem vocabulum filio conuenit, Procedentis vero spiritui. Rursum, si pergat interrogans, quid sit illa processio, pergemus & nos dicentes, inuertendo paululum, quod ait Gregorius Theologus; Dic tu generationem filij, & nos naturam eloquemur processionis spiritus: & ex æquo pugnamus, in Dei mysteria tanquam per transfennam prospicientes. Quare autem filius, & spiritus non dicuntur fratres, quum eundem habeant patrem? quia non eodem modo ex illo sunt: siquidem ille nascitur, hic vero procedit. **Et vos testes eritis, quia ab initio mecum estis.** Testes sermonum, & operum meorum, ac meæ diuinæ potētis: fide digni, quia ab initio prædicationis meorumque miraculorum mecum estis: & omnino multos ad fidem adducetis: neque enim omnes similiter mali sunt. **Hæc loquutus sum vobis, ne quid offendamini.** Quum malos videritis persequentes vos, ac iniuria afficientes, sed cognoscentes, quod paracletus vobis auxilietur, bono sitis animo, ac viriliter agatis. **Extra synagogas vos eiciunt.** Prædictum est enim, quod statuerunt Iudæi, ut, si quis confiteretur ipsum esse Christum, extra synagogam eiceretur. **Sed venit tempus, ut, quisquis interfecerit vos, &c.** Sed procedente tempore, inquit, adeo insanient, tantoque studio vestram affectabūt mortem, ut eum, qui vos occiderit, putent sacrificium, ac victimam obtulisse Deo, & opinentur coluisse eum magis, eique placuisse, ut qui seductores, ac pestiferos occiderit. **Et hæc facient, quia non noverunt patrem, neque me.** Propter quos hæc sustinebitis: & satis est vobis ad consolationem, quod hæc propter nos patiamini. **Non noverunt autē patrem, neque me,** idque voluntarie, sponte videlicet deteriora sectantes. **Sed hæc loquutus sum vobis, ut quum tempus illud aduenerit, &c.** Ut, quum venerit tēpus persequutionis, ac mortis vestra, reminiscamini eorum, quæ videlicet loquutus sum vobis: siue ut recordemini, quod ego prædixerim vobis omnia, tanquam vniuersa cognoscens: & ut à vera tristium prænuntiatione, fidelem me habeatis etiam in bonorum promissionibus. Nam deceptor non ea prædicit, quæ à deceptione abducunt, sed ea tantum, quæ attrahunt. Hæc vero, & similia frequenter eis inculcat, ut, dum passi fuerint, non turbentur, quum hoc præsciuerint: neque torpescant sciētes, quod propter Deum passuri sint. Magnum siquidem remedium est iis, qui pro virtute decertāt, cognoscere, pro quo sit certamen. Et nobis ergo pro honesto patientibus consolationi sit, cognoscere quod pro honesto patimur. Nam, si pro honesto quis pati gaudet, multo magis pro Deo, & pro virtute.

IN

## IN VIGILIA PEN- TECOSTES.

I O A N. 14.



**N**illo tempore: dixit Iesus discipulis suis. Si diligitis me<sup>a</sup> mandata

<sup>b</sup> In quo euidenter ostenditur dilectio mandantis. Rogat ut homo, in quantum Deus dat. <sup>c</sup> Aduocatum vel consolatorem, sicut ego sum vobis præsens in carne.

mea seruate. Et ego rogabo<sup>b</sup> Patrem & alium<sup>c</sup> paracletum dabit

<sup>d</sup> Hic ut quædam illuster & alia huiusmodi faciat: postea ut ad videndam speciem introducat. <sup>e</sup> Scilicet sanctum qui Patri & filio cœternus est & consubstantialis. <sup>f</sup> Remanens amator mundi, cum quo nunquam est amator Dei.

vobis, ut<sup>d</sup> maneat vobiscum in æternum, <sup>e</sup> quem<sup>f</sup> mundus non potest accipere, quia non<sup>g</sup> videt eum, nec<sup>h</sup> scit eum. Vos autem cognoscetis eum: quia

<sup>i</sup> Indicabit se patrem illis. <sup>k</sup> Post resurrectionem carne & præsentia deitatis. <sup>l</sup> Sed, apud vos manebit, & in vobis erit. <sup>m</sup> Non relinquā vos orphanos, <sup>n</sup> veniam<sup>l</sup> ad

vos. Adhuc<sup>m</sup> modicum & mundus me iam non videt. Vos autem videbitis

me: quia ego vivo, & vos<sup>n</sup> viueris. In illo die vos<sup>o</sup> cognoscetis, quia ego sum

<sup>p</sup> Ut radius in sole vnum cum ipso. <sup>q</sup> Ut palmites in vite. <sup>r</sup> Ut ait Apostolus: Si autem Christus in nobis. <sup>s</sup> Hoc enim opere ostenditur dilectio.

in<sup>p</sup> patre meo, & <sup>q</sup> vos in me, & <sup>r</sup> ego in vobis. <sup>s</sup> Qui habet mandata mea, &

seruat ea, ille est qui diligit me. Qui autem diligit me, <sup>t</sup> diligetur à<sup>v</sup> patre meo,

& ego diligam eum, & <sup>x</sup> manifestabo ei me ipsum.

### GLOSSA ORDINARIA in superioris Euang.



**S**i diligitis me. Quomodo monet diligere & seruari mandata, ut accipiant spiritum sanctum, quem nisi habeat non possunt diligere & seruare. Sed quod habebant occulte, accepturi erant amplius & manifeste, ut eis innotesceret quod habebant. **Quia non videt.** Non habent spirituales oculos mundi amatores quibus spiritum sanctum videant. Nec verò carnalibus oculis possunt videre, quia spiritus sanctus non apparuit indutus humanitate. **Et in vobis erit.** Erit in vobis ut maneat, non manebit ut sit, quia prius est esse alicubi quam manere. Ne quis ergo putet sic manere, ut hospes apud alium visibiliter, sed in eis est: & ideo ab eis cognosci potest, non ab aliis. **Non relinquā vos orphanos.** Non ita dabitur spiritus pro me, ut ego etiam non sim vobiscum. Orphanī Græcè, Latine pupilli. **Adhuc modicum.** Sed mundus qui modo videt oculis carnis, post modicum non videbit, quia resuscitatus se eis non ostendit, sed totum tempus modicum est, quo finito auferetur impius, ne videat gloriam Dei quam iusti videbunt. **Quia ego.** Præsentis virtutis, quia mox futura est eius resurrectio. Ad illos virtutis futuro quorum in fine futura resurrectio. **Et vos.** Hoc modo est, & cognoscitur quodammodo per fidem: sed tūc cognoscetur per speciem, quan-

do hæc coniunctio perficietur quæ modo inchoatur. **Qui ha.** Non solum vos apostoli viuetis & cognoscetis: sed & quicumque habet in memoria, & seruat in vita. Vel, habet faciendo, seruat perseuerando. Vel, qui habet in sermonibus, seruat in moribus. Vel, habet audiendo, seruat faciendo. **Et ego dili. eum.** Ad hoc diligam, ut manifestem, quia & nunc diligit, sed non ad hoc, sed potius ut credamus: & mandata seruemus, ut mereamur quod post capiamus. **Et manifestabo.** Qui habet meum mandatum, ille me cognoscit. & hoc est ibi: **Manifestabo ei.** Sed præmittit causam mandati, quia diligit me, & qui me diligit, pater meus diliget eum, & quia pater tunc ego diligam eum, & inde est manifestatio.

### CATENA AVREA in idem Euang.

**S**i diligitis me, mandata mea seruate, & ego rogabo Patrem, &c. Chry. Quia dominus dixerat: Quodcumque petieritis hoc faciam, ut non æstimēt omnem simpliciter petitionem valere: induxit, Si di. me man. mea serua. quasi dicat, tunc faciam quod petitis. Vel quia audientes quoniam ad patrem vado, cōsequens erat eos turbari, dicit, non est hoc me amare ut turbemini, sed ut faciatis mandata mea. hoc est enim amor obedire & credere ei qui diligitur. Quia verò consequens erat eos veni-  
Bibl. Hom. tom. 3. **Q** hemen

hementer inquirere carnis presentiam: & illam habere consolationem quam prius habuerunt, subiungit: *Et ego rogabo. & alium para. da. ro.* August. In quo ostendit & seipsum esse paraclerum. Paraclerum autem Latine dicitur aduocatus: & dictum est de Christo, aduocatum habemus apud patrem Iesum Christum iustum. Alcu. Vel paraclerum, id est, consolatorem: habebant enim & tunc vnum consolatorem qui miraculorum dulcedine & praedicatione eos erigere & confortare solebat. Dydimus de spiritu sancto: Sed spiritum sanctum alium paraclerum nominavit, non iuxta naturae differentiam, sed iuxta operationis diuersitatem. Cum enim saluator mediatoris & legati personam habebat ex qua pontifex deprecetur pro peccatis nostris, spiritus sanctus secundum aliam significationem paraclerum ab eo quod consolatur in tristitia positos nuncupatus est. Verum noli ex filij & spiritus sancti operatione diuersa varias aestimare naturas, siquidem in alio loco reperitur paraclerum spiritus legati apud patrem persona fungit, ut ibi; ipse spiritus interpellat pro nobis. Saluator quoque consolationem operatur in cordibus eorum quia indigent. Scriptum est enim, *Et humiles populi sui consolatus est.* Chry. Ait autem: Rogabo patrem ut fide dignum faciat eis sermonem, quoniam si dixisset: Ego mittam: non simpliciter credidissent. Aug. cont. Arrianos: Qui tamen ut inseparabilia sua & patris opera demonstraret, alibi ait: Cum abiero mittam eum ad vos. Chryso. Quid autem apostolis plus haberet, si patrem solum rogaret ut spiritum alii daret? quoniam illi multoties & sine oratione ostenduntur hoc facientes. Alcu. Rogabo igitur dicit ut inferior secundum humanitatem patrem meum, cui sum aequalis & consubstantialis secundum diuinam naturam. Chryso. Dicit autem, *Ut maneat vobiscum in aeternum*, quoniam neque post mortem recedit, per hoc etiam occulte insinuat, quod spiritus sanctus non patietur mortem ut ipse neque abibit, Ne autem paraclerum audientes rursus incarnationem aliam suspicerent, & oculis putarent eum videre, subiungit: *Spiritum veritatis quem mundus non potest accipere quia non videt eum, nec scit eum.* August. Hic est utique in trinitate spiritus sanctus quem patri & filio consubstantialem & coaeternum fides catholica profiteretur. Chry. Spiritum autem veritatis eum vocabat per hoc quod figuras veteris testamenti manifestat. Mundum autem hic malos dicit, visionem autem certissimam cognitionem dicit, quia visus est apertior sensus. Bed. Nota etiam quod cum spiritum sanctum, spiritum veritatis dicit, spiritum sanctum esse, spiritum suum ostendit, deinde cum a patre eum dari narrat, patris etiam eum spiritum esse declarat: ac per hoc spiritus sanctus a patre procedit & filio, Greg. 5. mo. Spiritus autem sanctus omnem quem replerit, ad desideranda inuisibilia accendit, & quoniam mundana corda solum visibilia diligunt, hunc mundus non accipit, quia ad diligenda inuisibilia non assurgit. Seculares etenim mentes quanto se foras per desideria dilatant, tanto ad receptionem illius sinum cordis angustant. Aug. Sic autem mundum, id est mundi dilectores dicit non posse accipere spiritum sanctum, velut si dicamus, Iniustitia iusta esse non potest. Mundus ergo, id est mundi dilectores non potest eum accipere, quia non videt eum. Non enim ha-

bet inuisibiles oculos mundana dilectio, per quos videri spiritus sanctus nisi inuisibiliter non potest. Sequitur: *Vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit.* Sed ne putarent quod dictum est, Apud vos manebit: ita dictum quemadmodum apud homines hospes visibiliter manere consuevit: adiecit: *In vobis erit.* Chryso. Quasi dicat, Non ita apud vos manebit sicut ego, sed in vestris habitabit animabus. August. Prius autem quod esse alicui, post manere. Sed exposuit quod dixerat, *Apud vos*: cum adiunxit, *In vobis*, Si enim non sit in vobis, non potest esse in vobis eius scientia, sic enim a vobis videtur in vobis & vestra conscientia. Gregor. 2. mo. Si autem spiritus sanctus in discipulis manet quomodo iam singulari signum erit quod in mediatore permanet? secundum illud: *Supra quem videris spiritum descendentem & manentem, hic est qui baptizatur*: quod tamen citius cognoscimus si dona eiusdem spiritus discernamus. In his enim donis sine quibus ad vitam perueniri non potest, spiritus sanctus in electis omnibus semper manet. In illis autem quibus non nostra vita seruatur, sed aliorum quaeritur, nequaquam semper manet. Aliquando enim se a signorum ostensionibus subtrahit, vt eo humiliter virtutes eius habeantur: Christus autem in cordis eum & semper habet presentem. Chry. Hic autem sermo oppositas haereses velut vno ictu sustulit: nam dicere alium ostendit eius, id est spiritus hypostaseos differentiam: dicere vero paraclerum, substantiae cognationem. Aug. cont. se. Arria. Consolatorem enim quod officium tanquam personae infimae, in trinitate spiritu sancto deputant, Deum dicit Apostolus, secundum illud: *Is qui consolatur humiles, consolatus est nos Deus.* Deus est itaque spiritus sanctus qui consolatur humiles, aut si hoc de patre vel filio dictum ab Apostolo volunt accipi, desinant consolationis tanquam munere proprio separare a patre & filio spiritum sanctum. August. 10. Io. Si cum charitas Dei diffusa sit in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis, quomodo diligemus & mandata Christi seruabimus vt eum accipiamus? quem nisi habuerimus, diligere & mandata seruare non possumus: an forte praecedit in nobis charitas qua diligamus Christum? vt diligendo Christum eiusque faciendo mandata mereamur accipere spiritum sanctum, vt charitas Dei patris diffundatur in cordibus nostris, peruersa est ista sententia; Qui enim se filium Dei diligere credit & patrem non diligit, profecto nec filium diligit: sed quod sibi ipsi videtur consinxit. Restat ergo vt intelligamus spiritum sanctum habere qui diligit, & habendo mereri vt plus habeat, & plus habendo plus diligit. Iam itaque habebant spiritum discipuli quem dominus promittebat, sed dandus eis erat amplius: habebant occulte, accepturi erant manifeste, proinde non solum non habenti, verum etiam habenti non in cassum promittitur: non habenti quidem vt habeatur, habenti autem vt amplius habeatur. Chry. Quando igitur discipulos purgauerat per sacrificium passionis, & peccatum solum erat, & ipsi ad pericula & agones mittebantur, oportebat spiritum sanctum venire abundanter. Non autem statim post resurrectionem, vt in multo eius constituti desiderio, cum multa eum suscipiant gratia. *Non relinquam vos orphanos: veniam ad vos, &c.* August.

August. Ne quisquam putaret quod ita spiritum sanctum dominus daturus fuerat, velut per se ipsum non & ipse esset futurus cum eis: adiecit: & ait, *Non relin. vos orph.* Orphani pupilli sunt. Illud enim est Graecum, hoc Latinum. Quamuis ergo nos filius Dei suo patri adoperauit filios, tamen in hoc etiam ipse erga nos paternum ostendit affectum. Et quidem a principio dixerat, *Venietis quod ego vado: sed quia hoc longum tempus erat, promisi spiritum*: Et quia nesciebant quid est hoc, promittit eis suam presentiam quam maxime quaerebant cum dicit: *Veniam ad vos.* Ne tamen rursus eandem quaerant presentiam qualem & prius habuerunt, occulte hoc excludit, cum subdit: *Adhuc modicum, &c.* ac si diceret: *Veniam quidem ad vos, non tamen vt prius vobiscum, per vnamquamque diem consistens.* Et ne dicant, *Qualiter igitur Iudaeis dixisti, Amode non videbitis me?* soluit opinionem, dicens: *Ad vos solos veniam.* Aug. Videbat enim tunc eum mundus carnis oculis in carne conspicuum: non autem videbat quod in carne verbum latebat, sed quoniam post resurrectionem etiam carnem suam quam non solum videndam, verum etiam correendam demonstrauit suis, noluit demonstrare non suis: hinc dictum est: *Adhuc modicum & mundus iam me non videt, vos autem videbitis me.* Sed quoniam in iudicio eum mundus videbit, quo nomine significati sunt a regno eius alieni, melius intelligitur illud etiam tempus significare voluisse quando in fine saeculi auferetur ab oculis damnatorum vt eum de caetero videant diligentes. Modicum autem dixit, quia id quod prolixum videtur hominibus, breuissimum est ante oculos Dei. Sequi. *Quia ego vado & vos viueteis.* Theoph. quasi dicat. Et si mortem subiero, tamen refugio: vos quoque viueteis, hoc est cum videritis me laetabimini, & tanquam mortui renouiscitis in apparitione mea. Chryso. Mihi autem videtur vitam non presentem dicere, sed futuram: ac si dicat, *Mors crucis non distare faciet vos a me in finem, sed momento paruo occultabit me a vobis.* August. Cur autem de presenti se dixerit viuete, illos autem de futuro esse victuros: nisi quia & vitam carnis resurgentibus qualis in ipso praecedebat, & illis est pollicitus securam? & quia ipse mox futura erat resurrectio, praesentis temporis ponit verbum, propter significandam celeritatem. Illorum autem quoniam saeculi differret in finem, non ait, *uiueteis, sed viueteis.* Quia vero viuete ille, ideo & nos viueteis, per hominem quippe mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Sequitur: *In illo die, de quo scilicet ait: Et vos viueteis.* Vos cognoscetis, contemplan-do: quamuis & nunc credendo nouerimus, quia ego sum in patre, & vos in me & ego in vobis, quia quando viueteis ea vita qua mors absorberetur, tunc perficietur hoc ipsum quod nunc inchoatum est iam per ipsum, vt sit in nobis & nos in ipso. Chryso. Vel in illo die cum resurgam, cognoscetis, quia cum viderunt eum resurrexisse & esse cum eis, tunc certissimam fidem didicerunt. Magna enim erat virtus spiritus sancti quae omnia eos docebat. Quod autem dictum est, *Ego sum in patre, humilitatis est.* Quod autem dicit, *Et vos in me, & ego in vobis*, humilitatis est & auxilij quod est a Deo. Conuenit enim scriptura multoties eisdem verbis in Deo, & hominibus positus non similiter

vti Hil. 8. de tri. Vel hoc dicit vt cum ille in patre per naturam diuinitatis esset, nos autem in eo per corporalem eius naturam, & ille rursus in nobis per sacramenti mysterium inesse crederetur. Ipse enim testatus est, qui edidit carnem meam, & bibit sanguinem meum: in me manet & ego in eo. Alcu. Per dilectionem autem & obseruantiam mandatorum eius tunc perficietur hoc ipsum quod nunc inchoatum est per ipsum vt sit in nobis & nos in ipso. Et vt omnibus, non tantum apostolis hanc beatitudinem promississe videatur, adiungit: *Qui habet mandata mea, &c.* August. Qui habet in memoria & seruat in vita: qui habet in sermonibus & seruat in operibus, qui habet audiendo & seruat faciendo, qui habet faciendo & seruat perseuerando, ipse est qui diligit me. Opere est demonstranda dilectio, ne sit infructuosa nominis appellatio. Theo. Aci dicat, vos putatis quod ex affectione quadam tristamini de morte mea, sed ego signum dilectionis reputo mandata mea seruari. Qualem autem praerogatiuam obtineat qui diligit, ostendit subdens: *Qui autem diligit me, dicit patrem meo, & ego diligam eum.* August. Sed quid est diligam, tanquam nunc non diligit exponit per id quod sequitur: *Et manifestabo ei meipsum*, id est ad hoc diligam vt manifestem, & ipsam visionem mercedem fidei capiamus. Nunc enim ad hoc nos dilexit vt credamus; tunc ad hoc vt videamus, quia & nos nunc diligimus credendo quod videbimus. Tunc autem diligemus videndo quod credidimus; August. ad Paulinam de videndo. Deo: Sic autem promissit ostensurum seipsum dilectoribus suis cum patre Deum vnum, non quomodo in hoc saeculo visus est in corpore & a malis. The. Vel quia post resurrectionem appariturus illis erat in corpore magis representante diuinitatem, ne credant ipsum spiritum fore seu phantasma, ob hoc praedixit illis, & tunc videntes illum non diffidant, sed reminiscantur quia propter mandatorum suorum custodiam apparet eis, atque ideo tenentur semper custodire illa vt perpetuo eis appareat.

## S. IO. CHRYSOSTOMI Episcopi Constantinop. praecedentis euang. explicatio.

*Si diligitis me, mandata mea seruare.* Sempet nobis <sup>Est hom. 74. in Euang.</sup> Siquid agendum est, semper operibus inuigilandum, neque verbis tantum: dicere enim & promittere omnino facile, operari autem non itidem. Quorsum haec? Quoniam nunc multi sunt qui se Deum timere, & diligere profitentur, re autem contra omnino faciunt. Deus autem opere diligere quaerit, ideo ad discipulos dicebat: Si diligitis me, mandata mea seruare. Cum enim dixisset: Quodcumque petieritis ego faciam: ne simplicem petitionem valere arbitarentur, addidit: si diligitis me tunc faciam. Et cum credibile esset eos etiam audiendo, quod irret ad Patrem, perturbati, inquit, *Quod nunc perturbemini*, non est amoris indicium, sed quod verbis meis fidem adhibetis. Dedi vobis mandatum, vt diligereis inuicem, & ita alter alteri faceretis, sicut ego feci vobis. Haec est dilectio credere, & parere dilectis. <sup>Joan. 13.</sup> Et ego rogabo Patrem. Iterum ad audientium imbecillitatem descendit. Cum enim par esset nodum ipsum intelligentes, vehementer illum inquirere. <sup>Bibl. Hom. tom. 3.</sup> Q 2 <sup>substan</sup>

substantiam, verbi secundum carnem aduentum, & nullam abeuntis capere consolationem, inquit: Rogabo patrem, & alium paraclētū dabit vobis: hoc est, qualis ego sum. Pudeat Sabellianos, & qui de Spiritu non rectē sentiunt: etenim hoc mirum est, quod diuersas ē regione hæreres vno icū deiicit. Dicendo enim, Alium, personæ differentiam: dicendo, Paraclētum, substantiæ cognationem demonstrat. Sed cur, inquit, rogabo patrem? Quoniam si dixisset mittam, nō ita fidem adhibuissent, nunc autem id ei curæ est, vt credant: postmodum ipse se eum mittere ait; Accipite spiritum sanctum: hinc patrem rogare, vt credibilem suam facit orationem. Nam & Ioannes de eo inquit; Quod de plenitudine eius nos omnes accepimus. Quod autem habet, quomodo ab alio accipit? & iterum: Ipse vos baptizabit in spiritu sancto, & igni. Quid autem amplius haberent quàm Apostoli, si ad mittendum Spiritum esset Patrem rogaturus, quod illos nōnunquam etiam sine precibus fecisse apparet: Quomodo autem si precem gratia à Patre mittitur, ipse à seipso in funditur? Quomodo ab alio mittitur, qui vbiq; adest, & diuidens propria vniciq; sicut vult? & sua ipsius autoritate dicit: Segregate mihi Saulum & Barnabam. Atqui Deo ministrabant ministri, tamen imperiose impropriū eos opus vocauit; non quod ad aliud opus aduocaret, sed vt suam ostenderet potestatem. Quid ergo sibi vult, rogabo patrem? aduentus tempus significat. Quando enim eos per sacrificium mundauit tunc inspiratus est Spiritus sanctus. Et quid tandem cum ipsis non venit? quia nondum oblatum erat sacrificium: cum autem iam peccatum delerum esset, & ipsi ad pericula mitterentur: & certaminibus se accingerent, hortatorum mitti oportuit. Sed cur non statim post resurrectionem Spiritus venit? Vt expectationis desiderio maiori gratia eum acciperent. Quousque enim cum ipsis Christus versatus est, non afflictabantur eo abeunte, tanquam deserti formidantes, maiorem in modum eum accipere auebant. Vt vobiscum maneat hoc signat, quod neque post mortem abiit. Et ne audiendo paraclētum, aliam opinarentur incarnationem, & oculis eum cernere expectarent, inquit: *Quem mundus non potest capere, quia non videt eum.* Non enim ita vobiscum erit vt ego, sed in vestris animis habitabit: inquit enim, *Et in vobis erit.* Spiritum autem veritatis appellat, per hoc veteris testamenti figuras significans. Vt vobiscū sit, quod & ipse inquit. Quia ego vobiscum sum. Præterea & aliud quiddam signat, non passurum quæ ipse, neque discessurum. Quem mundus non potest accipere, quia non videt eum. Quid enim, dic mihi, est ne alias visibilis: Minime: sed hinc cognitionem dicit, addidit ergo; Neque cognoscit eum. Solet enim certam cognitionem visionem appellare. Cum enim sensuum certissimus sit visus, per hunc semper veram adducit cognitionem Mundum autem hoc in loco malos appellat: & vt hoc discipulos consoletur, dando eis donum præcipuum. Vide quantoperè verbis ipsum extollat. Dixit alium esse quàm ipse, dixit nō dimissurum eos, dixit ad eos tantum venire. Quem admodum ergo ego in vobis sum, inquit, & ipse erit; nō tamen merorem ipsorum abstulit. Ipsum enim adhuc ac eius consuetudinem quærebant: quod respiciens, inquit: *Neque ego relinquam vos*

Inf. 20.

Supr. 1. Matth. 3.

orphanos, *venit ad vos, nolite timere, inquit.* Non præterea dixi alium paraclētum me missurum, & apud vos mansurum, tanquam in finem ad vos non rediturus, & vos non visurus. Nam ipse <sup>Hic</sup> veniam ad vos. Non relinquam vos orphanos. Cum superius filios appellasset, ideo orphanos non relicturum se pollicetur. A principio dixerat venturos quōd iret, & in domo Patris mansiones multas esse: hinc autem cum illud diu post esset futurum, dat Spiritum: sed cum quid diceret, non intelligerent, neque ideo multum consolarentur, non relicturum se eos orphanos dicit: quod illi magis quærebant. Sed cum id verbum, Venio, præsentiam significaret, ne iterum eam requirerent, vide quomodo non quidem manifeste, sed tamen significauit. Cum enim dixerit, adhuc modicum, & mundus me iam non videt: subsequitur, Vos autem videbitis me: quasi dicat, veniam quidem ad vos, non tamen vt prius. Quotidie ego vobiscum semper ero, & ne dicerent, quomodo ergo Iudæis, dixisti: iam non videbitis me? hanc soluit obiectionem, quod cum ipsis tantum futurus sit. Nam & Spiritus talis est. *Quia ego vivo, & vos vivetis.* Crux vos à me vsque ad finem non diuidet, sed ad breue me abscondet. Vitam autem mihi dictam videtur, non præsentem solam, sed & futuram. *In illa die cognoscetis, quia ego sum in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis.* In patre enim substantia, in ipsis concordia, & auxiliū est. Et quā nam hoc rationem habet, dic quæso? Magna sane, & incomparabilis differentia Christi & discipulorum. Quod si ita verba iacent, noli admittari, solet enim iisdem nonnunquam verbis & in Deo, & hominibus, non eodem modo vri. Nam & dii dicimini, inquit, & filij Dei. Quod verbum non eandem in nobis, quā in Deo vim habet. <sup>Hic</sup> Et imago filius & gloria dicitur, atque etiam nos, sed longè aliter. Et iterum: Vos Christi, & Christus Dei: nō similitet autem Dei Christi, & nos Dei. Quid autem hoc signat? Cum resurgam, inquit, tum me non alienum à patre, sed eiusdem potestatis esse cognoscetis, & me semper vobiscū esse, rebus ipsis meum in vos auxilium clamantibus, inimicis repressis, vobis audenter loquentibus, molestiis propulsatis, prædicatione in dies florente, omnibus piæ doctrinæ, & veræ religioni parentibus. Sicut misit me Pater, & ego misi vos. Vides quod hoc in loco idem verbum non eandem vim habet? nam si hoc ita acciperemus, nihil inter Apostolos & Christum interesset. Sed quid, inquit, tunc cognoscetis: quia resurrexisset, & secum versari viderunt, tunc certō crediderunt. Magna enim erat Spiritus vis, omnia eos erudiens, *Qui habet mandata mea & seruat ea, ille est qui diligit me.* Non enim habere satis est, nisi diligenter seruentur. Sed quare idem sæpe repetit? Nam superius: Si diligitis, inquit, me, mandata mea seruate: & nunc. Qui habet mandata mea, & seruat ea: & si quis sermonem meum audiēt, & seruat eum, ille est, qui diligit me: qui non audit sermones meos, non diligit me. Puto ex hoc eorum mærorem significari: nam cum multa de morte disputasset inquit. Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. & Nisi qui acceperit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus: & alia plura diciturus esset, exprorsus eis inquit, Putatis ex amore tristes esse: cōtrā res se habet. Quod autem hoc semper intenda-

Extr. 74. in leu.

Inf. 10.

1. Cor. 1.

Inf. 10.

1. Cor. 22.

Hic sup.

Sup. 11. Matth. 3.

dat, id in sequentibus repetit. Si diligeretis me, inquit; gauderetis vtiq; quia ad patrem vado. Nunc autem metu perturbamini. Quod enim ita mortis formidine afficiamini, nō est mandatum meum: oporteret enim vos crucifigi: si verè me diligeretis: ego enim vos admonco ne timeatis qui corpus interficiunt. Tales pater diligit, talibus se ipsum manifestabo.

S. AVGVST. EPISCOPI  
*Hippon. in superius Euang. expositio.*

<sup>Extr. 74. in leu.</sup> **S**i diligitis me, mandata mea seruate, &c. Audiuimus fratres cum euangelium legeretur dominum dicentem, Si diligitis me, &c. Multa sunt quæ in istis paucis verbis domini requiruntur. Sed multum est ad nos, vel omnia quæ hic quærenda sunt querere, vel omnia quæ hic querimus inuenire. Veruntamen quantum nobis dominus donare dignabitur, pro nostra & vestra capacitate, quid dicere debeamus; & quid audire debeatis, attendetes per nos charissimi quod possumus, sumite, & ab illo quod non possumus postulare. Spiritum paraclētū Christus promisit Apostolis: quo autem modo promiserit aduertamus. *Si diligitis me* (inquit) *mandata mea seruate, & ego rogabo Patrem & alium paraclētum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis.* Hic est vtiq; in Trinitate spiritus sanctus, quem patri & filio consubstantialē & coæternum fides catholica confitemur. Ipse est de quo dicit Apostolus: Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per spiritum sanctum, qui datus est nobis. Quomodo ergo dominus dicit: si diligitis me, mandata mea seruate & ego rogabo Patrem & alium paraclētum dabit vobis, cum hoc dicat de spiritu sancto, quem nisi habeamus, nec diligere Deum possumus, nec eius mandata seruire? Quomodo diligitis, vt ei accipiamus quod nisi habeamus diligere non valeamus? Aut quomodo mandata seruabimus, vt eum accipiamus, quem nisi habemus, mandata seruare non possumus? An fortè præcedit in nobis charitas, qua diligitis Christum, vt diligendo Christum eiusque mandata faciendo, mereamur accipere spiritum sanctum, vt charitas non Christi, quæ iam præcesserat, sed Dei patris, diffundatur in cordibus nostris per spiritum sanctum qui datus est nobis? Peruisa est ista sententia qui enim se filium diligere credit, & patrem non diligit, profecto nec filium diligit, sed quod sibi ipse confinxit. Deinde apostolica vox est: Nemo dicit dominum Iesum, nisi in spiritu sancto. Et quis dominum Iesum, nisi qui eum diligit dicit? Si eo modo dicit quo apostolus intelligi voluit, multi enim voce dicunt, corde autem & factis negant, sicut de talibus ait; Constitentur enim se nosse Deum, factis autem negant. Si negatur factis, proculdubio etiam dicitur fictè. Nemo itaque dicit dominum Iesum, animo, verbo, facto, corde, ore, opere: nemo dicit dominum Iesum, nisi in spiritu sancto, & nemo sic dicit, nisi qui diligit. Itaque Apostoli dicebant dominum Iesum, & si eo modo dicebant vt non fictè dicerent, ore consentientes, corde & factis non negantes. Prorsus si veraciter hoc dicebant, proculdubio diligebant. Quomodo igitur diligebat, nisi in spiritu sancto? Et tamen eis prius imperatur vt diligant eum, & eius mandata con-

seruent, vt accipiant Spiritum sanctum quem nisi haberent, perfecte diligere & mandata seruare nō possent. Restat ergo vt intelligamus Spiritum sanctum habere qui diligit, & habendo mereri vt plus habeat, & plus habendo plus diligit. Iam itaque habebant Spiritum discipuli, quem dominus promittebat, sine quo eum Dominum non dicebant, nec tamen eum adhuc habebant, sicut eum Dominus promittebat. Et habebant ergo, & non habebat, qui quantum habendus fuerat, nondum habebant. Habebant itaque minus, danus erat eis amplius: habebant occultè, accepturi fuerant manifestè, quia & hoc ad maius donum sancti spiritus pertinebat, vt eis innotesceret quod habebant: de quo munere loquens Apostolus ait: Nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis: nam & ipsam manifestam impertitionē Spiritus sancti non semel, sed bis numero Dominus egit. Mox enim vt resurrexit à mortuis, inuisibilis ait: Accipite Spiritum sanctum. Nunquid igitur quia tunc dedit, ideo non misit etiam postea quem promisit? Aut non idem ipse est Spiritus sanctus, qui & tunc est inuisibilis ab ipso, & postea ab ipso missus è celo? Quapropter, cur ipsa quæ facta est euidenter donatio eius, bis facta fuerit, alia quæstio est: fortassis enim præpter duo præcepta dilectionis, hoc est, præxami & Dei, vt commendaretur ad Spiritum sanctum pertinere dilectio, hæc eius gemina est in manifestatione facta donatio. Et si alia causa querenda est, non nunc eius inquisitione in longiore quam oportet modum sermo iste: mittendus est, dum tamen constet sine spiritu sancto Christum nos diligere, & mandata eius seruare non posse, & id nos posse atque agere tanto minus, quanto illum percipimus minus: tanto autem amplius, quanto illum percipimus amplius. Proinde non solum non habenti, verum etiam habenti non incassum promittitur, non habenti quidem, vt habeat, ut habet, autem, vt amplius habeatur: nam, nisi ab alio minus, ab alio amplius haberetur, sanctus Heliseus, sancto Helia non diceret; Spiritus qui est in te, duplex sit in me. Quado autem ait Ioannes Baptista; Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum, de ipso Dei filio loquebatur, cui nō est datus Spiritus ad mensuram, quia in illo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis. Neque enim sine gratia Spiritus sancti est mediator Dei & hominum homo Christus Iesus: nā & ipse dicit de se fuisse propheticum illud impletum: Spiritus domini super me, propter quod unxit me, euangelizare pauperibus misit me. Quod enim est vnigenitus, equalis patri, non est gratia, sed natura: quod autem in vnitatem personæ vnigeniti assumptus est homo, gratia est non naturæ consistente Euangelio atque dicente, Puer autem crescebat, & confortabatur plenus sapientia, & gratia Dei erat in illo. Cæteris autem ad mensuram datur, & datus additur, donec vniciq; pro modo suæ perfectionis propria mensura compleatur; Vnde & monuit Apostolus non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad temperantiam, vniciq; sicut Deus partitus est mensuram fidei. Neque enim ipse diuiditur Spiritus, sed dona per Spiritum; nā diuisiones donationum sunt, idem autem Spiritus: quod vero ait, *Rogabo patrem, & alium paraclētum dabit vobis.* Ostendit & seipsum esse paraclētum. Paraclētus: Bibl. Hom. tom. 3. Q 3 enim

1. Cor. 2.

1. Joan. 20.

1. sent. dist. 17. ca. Vt autem certius.

4. Reg. 2.

1. Joan. 3.

Coloss. 3.

1. Tim. 2. Epane 61. Lucæ 4.

Luc. 2. 1. sent. dist. 17. ca. Ad quod dicimus. Rom. 12.

1. Cor. 22.



3. *Joan. 1.* enim Latine dicitur advocatus : & dictum est de Christo , Advocatum habemus a d patrem Iesum Christum iustum. Sic autem mundum dixit non posse accipere Spiritum sanctum , sicut etiam dictum est : Prudētia carnis inimica est Deo , legi enim Dei nō est subiecta , nec enim potest : velut si dicamus ; iniustitia iustitia esse non potest . Mundum quippe ait hoc loco , mundi significans dilectores : quā dilectio nō est a patre . Et ideo dilectioni huius mundi , de qua satagimus , ut minuatur & consumatur in nobis ; contraria est dilectio Dei , quā diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum , qui datus est nobis . *Mundus ergo eum accipere non potest , quia non videt eum neque scit eum .* Non enim habet invisibiles oculos mundana dilectio , per quos videri Spiritus sanctus potest , qui videri nisi invisibiliter non potest . *Vos autem ,* inquit , *cognoscetis eum , quia apud vos manebit ; & in vobis erit .* Erat in eis ut maneat , non manebit ut sit : prius est enim esse alicubi ; quam manere . Sed ne putarent quod dictum est , apud vos manebit , ita dictum quē admodum apud hominem hospes visibiliter manere consuevit : exposuit quid dixerit apud vos manebit , eum adiunxit & dixit in vobis erit . Ergo invisibiliter videri , nec si non sit in nobis , potest esse in nobis : eius scientia . Sic enim & nobis videri in nobis , & nostra conscientia in faciem videmus alterius , nostram vidēre non possumus : eonscientiam vero nostram videmus ; alterius non videmus . Sed conscientia nunquam est nisi in nobis : spiritus autem sanctus potest esse etiā sine nobis . Datur quippe ut sit & in nobis , sed videri & sciri quemadmodum videndus & sciendus est , non potest a nobis , si non sit in nobis .

**DE IVSDEM IN IDEM**  
*expositio.*

*En Math. 75. in Joan.* **P**ost promissionem Spiritus sancti , ne quisquā putaret quod ita eum Dominus daturus fuerit velut pro seipso ; ut non & ipse cum eis esset futurus , adiecit atque ait , *Non relinquam vos orphanos , veniam ad vos .* Orphani pupilli sunt : illud enim Græcum eiusdem rei nomen est , hoc Latinum : nam & in Psalmo ubi legimus : Pupillo tu eris adiutor , Græcis habet orphanos . Quamvis ergo nos filius Dei suo Patri adoptaverit filios , & eundem patrem nos voluerit habere per gratiam , qui eius Pater est per naturam , tamen etiam ipse circa nos paternum affectum quodammodo demonstrat eum dicit . Non relinquam vos orphanos , veniam ad vos . Hinc est quod etiam sponsi filios nos appellat , ubi ait ; Veniet hora ut auferatur ab eis sponsus , & tunc ieiunabunt filij sponsi . Quis autem sponsus nisi dominus Christus : deinde sequitur & dicit , *Adhuc modicum & mundus me iam non videt .* Quid enim ? Tunc eū videbat mundus , quando quidem mundi nomine vult intelligi eos , de quibus superius locutus est ; dicens de Spiritu sancto quem mundus accipere non potest , quia non videt eum neque cognoscit eum . Videbat eum planē mundus carnis oculis in carne conspicuum ; non autem videbat quod in carne verbum latebat . Videbat hominem , non videbat Deum , videbat indumentum , non videbat indutum . Sed quoniam cū post resurrectionem etiam ipsam carnem suam ; quam nō solum

videndam , verum etiam contrectandam suis voluit demonstrare , non satis subtrahere : foras hinc intelligendam esse dicitur ; Adhuc modicum & mundus me iam non videt . *Vos autem videtis me , quia ego vivo , & vos vivetis .* Quid est , quia ego vivo , & vos vivetis ? Cur de presentis se dixit vivere , illos autem de futuro esse victuros , nisi quia vitam etiam carnis utique resurgentis , qualis in ipso praecebat , & illis est pollicitus securam ? Et quia ipse , mox futura erat resurrectio , presentis posuit temporis verbum propter significandam celeritatem , illorum autem quoniam seculi differtur in finem , non ait vivit , sed vivetis . Duas ergo resurrectiones , suam scilicet mox futuram , & nostram in seculi sine venturam , duobus verbis presentis temporis & futuri , eleganter breviterque promittit . *Quia ego ,* inquit , *vivo & vos vivetis :* quia ille vivit , ideo & nos vivemus . Per hominem quippe mors , & per hominem resurrectio mortuorum : sicut enim in Adam omnes moriuntur , ita & in Christo omnes vivificabuntur , quoniam nemo ad mortem nisi per illum , nemo ad vitam nisi per Christum . *Quia nobis viximus , mortui sumus :* quia vivit ipse , vivemus nos . Mortui sumus ille pro nobis , & sibi vivit & nobis : quia enim vivit ille , & nos vivemus : nam sicut per nos mortem habere potuimus , non sic & vitam per nos habere possumus . *In illo die ,* inquit , *vos cognoscetis , quia ego in Patre , & vos in me , & ego in vobis .* In quo die , nisi de quo ait , & vos vivetis ? Tunc enim erit , ut possimus videre quod credimus , nam & nunc est in nobis , & nos in illo : sed hoc nunc credimus , tunc etiam cognoscemus , quamvis & nunc credendo noverimus , sed tunc contemplando noscimus . *Quandiu enim sumus in corpore quale nunc est , id est corruptibili , quod aggruat animam , peregrinamur a Domino , per fidem enim ambulamus , non per speciem :* tunc ergo per speciem quoniam videbimus eum sicuti est : nam si enim nunc Christus in nobis non esset , non diceret Apostolus ; Si autem Christus in nobis , corpus quidem mortuum est propter peccatum , spiritus autem vita est propter iustitiam . *Quia vero & nos etiam nunc in illo sumus , satis ostendit ubi dicit ;* Ego sum vitis , vos palmites . In illo ergo die quando vivemus ea vita , qua mors absorbetur , cognoscemus quia ipse in Patre , & nos in ipso , & ipse in nobis , quia tunc perficietur hoc ipsum , quod & nunc inchoatum est iam per ipsum , ut sit in nobis & nos in ipso . *Qui habet ,* inquit , *mandata mea & servat ea , ille est qui diligit me .* Qui habet in memoria , & servat in vita : qui habet in sermonibus , & servat in moribus : qui habet audiendo , & servat faciendo : aut qui habet faciendo , & servat perseverando ; Ipse est , inquit , qui diligit me . Opere est demonstranda dilectio , ne sit infructuosa nominis appellatio . *Et qui diligit me ,* inquit , *diligetur a patre meo , & ego diligam eum , & manifestabo ei meipsum .* Quid est diligere , tanquam dilecturus sit , & nunc non diligit ? Absit . Quomodo enim nos Pater sine filio , aut filius sine patre diligeret ? Quomodo cum inseparabiliter operentur , separabiliter diligerent ? Sed ad hoc dicit ; diligam eum , ad quod non sequitur , & manifestabo ei meipsum . Diligam & manifestabo , id est , ad hoc diligam ut manifestem : nunc enim ad hoc dilexit , ut credamus , & mandatum fidei teneamus :

mus : tunc ad hoc diligit , ut videamus , & ipsa visione mercedem fidei capiamus : quia & nos nunc diligimus credendo quod non videmus : tunc autem diligemus videndo quod credimus .

**S. CYRIL. EPISCOPI**  
*Alexandr. superioris Ewang. expositio.*

**S**i diligitis me mandata mea servate . Cum petitis somnia se largiturum pollicitus sit , ne falso hoc sibi dicta esse videantur ( multi enim in eius nomine petunt & non accipiunt ) paucissimis statim verbis exposuit quibus hæc facta pollicitatio est : diligētibz ergo seipsum & præcepta sua servantibus gratia solummodo spiritualium honorum conceditur . Nam quod non omnibus simpliciter ista parata sint ; discipulus Christi pollicitatio est : dicens : Petitis & non accipitis , quia male petitis , ut in voluptatibus vestris consumatis ; Et rursus de duplicibus animo viris . Non ergo æstimet homo ille quod accipiat aliquid a Domino , vir enim duplex animo , incōstans est in omnibus viis suis ; omnibus enim qui non ad studiosè agendum , sed ad replendas cupiditates , carnalesque voluptates suas quicquam a Deo petunt , aures Deus penitus obstruxit ; namque ipse odit quoniam turpia sunt : ea quomodo cæteris largiatur ? quomodo dulcedinis fons , amarū aliquid scaturire poterit ? Quod vero spiritualium gratiarum , cupidis larga manu omnia præbeat , Hæc quoque ostendit dicens : *Adhuc te loquentem dicit quid est .* Psalmista etiam similiter ; *Oculi domini super iustos inquit , & aures eius ad preces eorum .* Cum igitur diligētibz hæc bona futura dixerit quæ per ipsum ex Patre profunduntur , confestim quomodo hæc dilectio habeatur & quis sit modus eius , aperuit . Nō enim quicumque dixerit Deum a se diligi , verè dicere videbitur , nec in verbis nudis , virtutis vires consistunt , nec pietatis fulgentissimum decus verbo confirmatur , sed bonis operibus , & animo probè affecto cognoscitur , ita diu horum observatio mandatorum charitatem nostram erga Deum ostendit : & vitam veramque virtutem constituit , quæ non solum verbo sed multo magis opere constat , quod ipse quoque dominus demonstrat , dicens : Non omnis qui dicit mihi domine domine , intrabit in regnum cælorum , sed qui facit voluntatem Patris mei . Non enim in verborū assentationibus sed in affectu agentis fides esse probatur . *Quare mortuā ipsam esse sine operibus scriptura docet .* Non enim homines solum , verum etiam impuri demones virtutem creatoris horrescentes , unitatem Dei fatentur . Opera vero fidei congruentia facere , eorum solummodo est , qui Deum diligunt . Perfectissimus ergo fidei terminus & dilectionis Dei demonstratio est , evangelicorum præceptorum observatio , atque custodia . multa possent hæc de re dici , sed longius aberrare non placet , *Si diligitis me inquit : mandata mea servate .* Animadvertite quæso memoriaque retine diligenter : quia sæpius tuos discipulis , tum etiam communis ad Iudæos dixisse invenitur , verba quæ ego loquor mea non sunt , sed eius qui misit me . Et rursus : Ego a meipso non loquor , sed qui misit me Pater , ipse mihi mandatum dedit quid dicam , & quid loquar . Et rursus : Quæ ego loquor

non sunt mea , sed eius qui misit me . Nunc vero quæ Patris dicebat esse , sua esse mandata manifeste affirmat , nec erit Christianus , qui leviter aut falso dicta hæc cogitabit : ipse enim veritas est , quare quia non ut prophetarum aliquis , nec ministri loco sermonem Patris nobis exposuit , sed ut consubstantialis & idem natura cum Patre , sicut filius a substantia Patris natus , sicut verbum & substantia & consilium Patris , verba nobis Patris & sua locutus est , mandatum tamē dicit habuisse a Patre quid dicat & quid loquatur . Sic enim etiā in nobis esse percipimus , cum intelligamus sermonem qui proferri solet a mente quasi mandata dari , quæ foras progrediens explanet . Nō ignoro , minimam esse virtutem exempli , sed tamen quia cū a rebus quas intelligimus similitudinem quamvis exigua supernaturalibus accommodamus , quasi in enigmate , atque speculo profunda Dei mysteria quodammodo intelligimus , præmittendum non fuit . *Et ego rogabo patrem , & alium paraclætum dabit vobis .* Coniungit rursus iis quæ Deo digna sunt , ad humanitatem suam pertinentia , ita nec solam deitatis gloriam humilitate naturæ nostræ abiecta retinet , nec rursus humanitatis tantummodo mensuram sibi attribuit . Sed quoniam simul . Deus atque homo , verè sincerèque est , utraque mirabiliter coniungit , & ut Deus atque homo ad discipulos loquitur , oportebat sanè in dispensatione huiusmodi incarnationis , commode verbis uti . Illud igitur huius loci sensum inuestigantes dicimus , quod necessarium etiam nunc ad ædificationem fidei . Dominus noster de Patre mentionem fecit : Nam quoniam inconsuetum orandi modum introduxit , in nomine quoque suo ( quod patris inauditum fuit ) petere iussit , & quæ petentur se daturum pollicitus est , ne personam Patris hinc pellere , aut potestatem eius aliquo modo minuere videatur , collargitorē eodatorēque paraclæti illum fore affirmat . *Rogabo autem* rursus sicut homo dicit , divinæ ac ineffabili naturæ quæ illi conveniunt in persona Patris attribuens ; quam rem ab eo solere ita fieri sæpius diximus . Alium autem paraclætum , Spiritum appellat : non quia consubstantialis patri & sibi non sit , sed quia in propria persona esse intelligitur . Spiritus enim nec pater nec filius est : sed patris atque filij . Alium autem paraclætum dicit , quia & ipse paraclætus est , nec tamen aliud quicquam in sanctis spiritus operatur quam ipse filius : cuius & est & appellatur spiritus , Quod autē etiam filius , paraclætus & est & vocatur , Ioannes testatur scribens . Hoc dico vobis ut non peccetis , si quis autem peccet , paraclætum habemus ad patrem Iesum Christum , & ipse propiciatio est pro peccatis nostris . Alium ergo paraclætum vocat , quia in propria substantia est : operatur tamen non aliter quam ipse filius , omnipotēnsque est ut ipse , Spiritus enim eius est , veritatis enim Spiritu eum nuncupavit , & veritatem seipsum esse iam affirmavit . Quomodo ergo si alienus a substantia Patris , filius est , ut isti dicunt , Pater veritatis , id est filij Spiritum non ut alienum , sed ut proprium largitur ? Nullus enim ambigit : quin filij Spiritus sit . Quomodo rursus si alienus a substantia patris filius est patris spiritum ut suum præbet ( scribitur enim quia sufflavit discipulis dicens , Accipite spiritum sanctum . Nōne igitur dicendum est , imo autem omnino credendum ) quia vna cum patre



naturalibus deitatis bonis substantialiter filius communicet, eodem modo Spiritum habet quo pater habere intelligitur, non aduentitium neque deforis. Stultum enim atque furiosum est ita sentire, sed quemadmodum vnusquisque nostrum, proprium in seipso spiritu continet, & ab intimis visceribus ad exteriora profundit; propterea corporaliter Christus sufflavit, ostendens hoc signo, quia quemadmodum ab ore humano corporaliter humanus spiritus procedit, sic ex diuina substantia deitati congruenter spiritus qui ab ea est profunditur. Quando igitur ipse Spiritus patris & filij est, quomodo pater atque filius vniui potestatem distincte simul atque coniunctim non habebunt? Pater enim pater est & non filius, & filius non pater sed filius, & tamen pater in filio & filius in patre est, & paraclatum, id est Spiritum sanctum non seorsum pater & seorsum filius praebet, sed cum filius clare dicatur, pater etiam ex quo vniuersa sunt clare intelligitur. Quod vero eiusdem cum patre atque filio substantiae Spiritus est, quamuis nemo recte sentiens ambigat, ratione tamen etiam comprobatur. Nam si Spiritus substantialiter Deus non est, quomodo creatura eo accepto, Dei patris particeps efficitur? aut quomodo templum Dei erimus, creatum Spiritum ac non potius eum qui ex Deo est accipientes? Quomodo diuinae naturae (vt sancti viri testatur) participes fuerunt qui Spiritum acceperunt, si creaturis Spiritus connumeratur, nec a natura diuina procedit? Non igitur vt alienus inde ad nos venit: sed vt patri ac filio consubstantialis, Quare qui mundana sapiunt, & haec terrena praeposunt, capaces eius esse non possunt; sancti autem eius capaces sunt. Quomobrem? Quia illi foridibus inuoluti & quasi lippitudine oculorum animi laborantes, naturae diuinae splendorem non aspiciunt, & gratiam Spiritus suscipere nequeunt, cupiditatibus carnis omnino deuicti, probi autem viri cum mundum possideant cor, paraclati receptacula effecti (vt in hac vita hominibus possibile est) magna inauditaque consecutores se praemia intelligunt. Sanctificabuntur enim a Spiritu, & omnium bonorum participes efficientur, ac turpitudine seruitutis abiecta dignitate adoptionis filiorum Dei decorabuntur, quod Paulus ostendit dicens, Quando autem estis filij, misit Deus Spiritum filij sui in corda vestra, clamantem Abba pater, *Non relinquam vos orphanos: veniam ad vos.* Necessario etiam nunc dominus noster sanctae Trinitatis consubstantialitatem ostendit, quod & in superioribus fecit, tam verbis quam rebus a Deo patre natum se naturaliter earundemque virum atque voluntatis demonstrans, hac enim causa modo dicebat: Quia ego a meipso non loquor, modo si non facio patris mei opera nolite credere mihi, sin autem facio, & si mihi non creditis, operibus meis credite. Oportebat autem ad haec rectam etiam nobis de spiritu fidem tradere, vt Christiani dogmatis integritas haberetur, quomodo igitur id facit, breuiter exponam. Alium a Deo patre paraclatum ad nos venturum mox dixit; verum ne quoniam alium dixit, de substantia naturaeque Spiritus id intelligeretur, vt liquido monstraret in sola personali substantia a patre ac a filio Spiritum alium esse (Spiritus enim est, non pater nec filius) cum venturum paraclatum asserat, seipsum venturum pollicetur, ita ostendit Spiritum sanctum non esse

1. Cor. 3.

aliud quam ipse sit. Spiritus enim patris est, & ipsius etiam filij Spiritus esse intelligitur, & mens eius idcirco nuncupatur. Quod Paulus quoque denotauit dicens: Nos autem mentes Christi habemus. Recte igitur sentientes, & diuinam sequentes scripturam, non aliud a filio substantia & natura Spiritum esse praedicamus, in propria tamen subsistere persona profitemur. Propterea etiam Paulus (vt arbitrator) Spiritum filio adiungit plerunque, Si quis ait spiritum Christi non habet, non est eius: & rursus si Christus in vobis: corpus quidem mortuum propter peccatum, spiritus vero vita propter iustitiam, audis quomodo manifeste haberi ab eis Christum dicit, qui Spiritum acceperunt, Saepenumero etiam optat vt Christus in nobis per fidem habitet, cum tamen Spiritum sanctum suscipiamus, nec putet quispiam personarum distinctionem a nobis confundi, non ita confitemur, nec ista erat intentio Pauli: cognouit enim rectissime diuinus ille vir sanctae trinitatis enumerationem, ac ideo singulas personas proprie atque distincte subsistere docet; & tamen incommutabilem identitatem Trinitatis aperte praedicat: aliter enim quomodo Spiritus & esset & nominaretur Deus? Nescitis autem quia: templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis? Sin autem templum Dei efficitur quia Spiritus in nobis habitat, quomodo Spiritus ex Deo, id est ex substantia Dei non est; cum ipse habitante in nobis, Deus in nobis habitet? vt ergo non alienum a natura deitatis Spiritum ostenderet, a patre mitti ad sanctos paraclatum dixit, & ipse veterum se pollicetur, ne tanquam parentum orbi diaboli laqueis, & huius mundi furiosis tentationibus capiantur. Clypeus ergo infractus nostris animis a Patre Spiritus Christi datur, qui gratiam, praesentiam, & virtutem Patris atque filij implet in vobis: impossibile enim est quicquam boni a nobis peragi, nec perturbationes animi superari, nec acres diaboli laqueos euitari, nisi gratia Spiritus muniti ipsam hac de causa in nobis habeamus; huius rei causa gratissime ad Deum Psalmista clamabat Domine vt scuto bonae voluntatis tuae coronasti nos. Bonae voluntatis scutum nihil aliud appellans, quam protegentem nos spiritum & ineffabili sua virtute ad id nos conuerterent, atque in eo conseruantem quod Deo penitus placet. Quis ergo in caelos postquam ex mortuis resurrexit Dominus ascenderit, vt Deo pro nobis iuxta Paulum appareat, adesse tamen semper per spiritum suum fidelibus pollicetur, *Adhuc modicum & mundus iam me non videt.* Cum in ianuis iam passio instaret, quam assumptio consecuta est, inuisibile se mundo futurum dicit, id est omnibus qui temporalia perpetuis & terrena caelestibus anteponunt. Superioribus igitur consequentia texentes, dicimus: paraclatum, id est Spiritum sanctum, a patre per filium dari, omnia enim ex patre per filium sunt. Quem quidem Spiritum, quantum ad locupletissimam dantis munificentiam atque gratiam pertinet, omnes accepissent (effundam enim Propheeta quidam ait de spiritu meo super omnem carnem) quisque autem sibi causa est, ne diuinitus hoc donum habeat; Nam qui mentem suam a prauitate non mundant, qui huius mundi sponte capiuntur illecebris, ij diuina gratia nudi, Christum in seipsis non videbunt. Corda enim spiritu habentes vacua, & propterea orphanorum

Rom. 8.

1. Cor. 12.

1. Cor. 12.

1. Thes. 4.

Colos. 3.

1. Cor. 12.

1. Cor. 12.

1. Cor. 12.

1. Cor. 12.

protectore priuati ab omni daemone aut turbatione animi, aut quauis alia cupiditate facile rapiuntur, & ad peccandum impelluntur. Sanctis autem qui se (quantum fieri potest) ad suscipiendum spiritum praeparant, merito Christus dicebat: Non dimittam vos orphanos, venio ad vos. Inuisibilis ergo postquam hinc abiit terrena sapientibus est, visibilis autem sanctis: diuinum enim & intellectualem fulgorem, & cognitionem congruam in animis eorum spiritus inserit, & oculos cordis mirum in modum illuminat. Aut igitur hoc modo locum istum intelligemus, aut maxime quoniam istud adiungitur, quia ego vivo & vos viuetis, sic exponemus: cum per resurrectionem suam immortalitatem naturae nostrae in corpore suo primum reparauerit, ascendit in caelos ad Patrem: & post aliqua tempora descendit rursus ad nos cum angelis in maiestate Patris, quando proportionaliter vniueque iuxta viuendum modum merita reddens, iis qui a sinistris erunt, id est qui terrena haec concupierunt dicit: Recedite a me maledicti in ignem aeternum, diabolo & angelis eius praeparatum: iis vero qui a dextris erunt, id est sanctis & probis viris. Venite benedicti Patris mei possidere paratum vobis regnum a constitutione mundi. Conregnaturi enim cum Christo, caelestibus bonis fruere, conformesque facti resurrectionis eius & ab interitu omnino liberati, semper victuri cum Domino sunt. Quod autem fideles qui Christum secuti sunt cum Christo erunt, ineffabilem illam pulchritudinem perspicientes, Paulus ostendit dicens: Quia ipse Dominus in iussione, in voce Archangeli & in tuba Dei descendet de caelo, & mortui in Christo resurgent primi, deinde nos viui qui residui sumus, simul cum eis rapiemur in nubibus obuiam domino in aera, & sic semper cum Domino erimus. Et rursus ad eos qui affectus carnis extinguerent studerunt: Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Cum autem Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum Christo in gloria. Vt ergo breuiter repetamus, improbi quidem a vultu Domini deiectione, inferni loca perpetuo habitabunt: qui vero arribonem Spiritus intemeratum conferauerunt, viuent semper cum Christo, ineffabile decus deitatis eius insipientes. Dominus enim erit tibi ait lux aeterna: & Deus gloria tua. Non videbitur incongruum hanc rem dominum significare voluisse, cum dixerit; Adhuc modicum & mundus me iam non videt, vos autem videtis me, quia ego vivo & vos viuetis. Nec id falsum videbitur, quia modicum tempus interfuturum vsque ad reuelationem suam dixerit. Nam longissima etiam apud homines saecula, nihil verè inueniuntur si ad Deum qui semper est conferas. Quod ostendit Psalmista dicens; Mille anni ante oculos tuos Domine: sicut dies hesternae praeteriit, & custodia in nocte. In illo die vos cognoscetis, quia ego in patre meo, & vos in me, & ego in vobis. Difficilis mihi videtur inuentus textus propositi sensus, ac ideo maiore vigilantia quaerendus est. Credo enim quia Christus qui veritas est, ad verum nos sensum dirigit. Nonnulli eorum etiam qui praesepe videntur, a substantia Patris filium impie depellentes, habitudinalem non naturalem coniunctionem significari asserunt, cum in Patre filius esse dicatur, itaque a seipsis non a spiritu sancto scribentes:

Joan. 14.

Matth. 25.

1. Thes. 4.

Colos. 3.

1. Cor. 12.

1. Cor. 12.

1. Cor. 12.

1. Cor. 12.

quoniam (aiunt) Pater diligit filium & rursus ab eo diligitur, propterea scribitur in eo esse. Cuius impietatis siue quasi demonstrationem hoc ex loco sumete credunt. Dicunt enim arundineo se baculo defendentes, quod si nos in ipso sumus, & ipsum habemus in nobis, non substantiae ratione coniuncti, sed amoris affectione cum amemus & redamemur, sic filius quoque cum in patre hoc modo sit, ratione naturae a patre dissepatur. Nos vero quoniam laetius iam demonstrauimus in patre filium naturaliter esse, ac substantialiter illi coniungi, breuius nunc malignam eorum caullationem redarguemus. Si solummodo quia diligit & diligitur, in Patre filius est, eadem ratione qua nos in ipso & ipse in nobis, nec aliud vinculum laet quo aut Patri filius aut nos in filio coniungamur: quamobrem die quae in illa die ait hoc mysterium cognoscetis? His enim verbis ostendit nondum nos illum probe cognoscere. An forte ignoramus, quia Pater diligit filium & ab eo rursus diligitur? Quis autem non dicit nos ab eo amari, qui pro nobis acerbissimam perculit passionem? Maiorem autem charitatem nemo habet: quam vt animam suam quis ponat pro amicis suis. Cur autem diligi a nobis manifeste petebat dicens: Si diligitis me, mandata mea seruauate. Diligit igitur eum qui mandata sua (quantum in eo situm est) seruat. Si ergo non ignoramus amari a Patre filium, nosque ab ipso filio diligi, diligeretque cum mandata eius seruamus, necesse est alium quandam modum non dilectionis ratione nos intelligere, alium ergo modum manifeste induxit dicens: In illo die cognoscetis: quia ego in patre & vos in me, & ego in vobis. Sed dicent fortassis, ante passionis diem haec a Christo dicta fuisse, nos autem post passionem resurrectionemque ipsius quoniam vincula mortis effregit, a Patre ipsum amari cognouimus & nos ab eo quoniam pro nobis passus est, itaque certiores hac dilectionis habitudine post resurrectionem facti sumus, quia ipse in patre & nos in eo. Friuola haec omnino atque inania sunt. Considerate namque o generosi vos, non fuisse opus nobis post resurrectionem discere, quod verè vel ante resurrectionem sciebamus. Nam si minus credebamus diligi a patre filium, & patrem a filio, resurrectio erat expectanda vt inde cognitionis consummationem consequeremur. Sin verò etiam ante resurrectionem grauissimus testis pater fuerit. Ipse est dicens: Filius meus dilectus: & ipsa quoque veritas dixerit, Pater diligit filium, nec aliter quam perfecte diligere ipsum credere debeamus, cur falsis nos rationibus terretis? cur veritatem aspernamini a substantia patris filium detrudentes? Cum igitur certiores essent discipuli, perfecte filium a patre & patrem a filio diligi, nec dubitarent se ab ipso diligi, ipsi que sibi essent conscij quod eum diligerent: quomodo in aliud tempus huius rei cognitionem differt dicens, in illo die cognoscetis quia ego in patre, & vos in me, & ego in vobis? Valeant ergo, valeant, qui haec nugatur. Nos autem Spiritus sancti gratiam inuocantes, ea dicamus quae recte sunt expositionis. Cum ergo praedixerit quia ego vivo & ipsi viuetis, statim subiicit. In illo die cognoscetis quia ego in patre meo & ego in vobis. Quis igitur aperte non videt diem cognitionis illum determinari, in quo reformati ad ipsum ad vitam aeternam

Canilli re- darguitio.

Joan. 15.

Nona canil- latio.

Confutatio.

Matth. 17.

Joan. 3.

Colof. 3. æternam confcendemus, maledictione mortis omnino fugata? Quando enim (vt ait Paulus) Christus nostra vita apparebit, tunc & nos apparebimus cum eo in gloria; Reformabit enim humilitatis nostræ corpus, hoc inquam non aliud corpus ad gloriam suam reformabit, ad pristinum ineffabili sua virtute restituet. Omnia enim facillimè peragit quæ vult, cum sit Deus verus. Illo igitur die ac illo tempore, quo etiam vos viuetis (vivo enim ego, quamuis homo factus mortale secundum naturam corpus assumpserim) illo inquam tempore cognoscetis, quia ego in Patre & vos in me & ego in vobis. Credimus igitur hæc à Domino dicta fuisse non vt dilectionis ratione in Patre ipsum esse credamus, vt aduersarij Christi contendunt, sed quadam profundæ virtutis mysterij, quod & intelligere difficile, & explanare arduum est, conabimur tamen pro viribus: Nam quamuis longe humanam mentem à clara expositione huius rei abesse credamus, feruore tamen charitatis commoti, non nihil fortassis dicemus, Age igitur vt facilius postea in profunditatem mysterij descendamus, cognoscamusque quomodo filius in Patre naturaliter, non dilectionis ratione ac habitudine vt illi contendunt, & nos in ipso rursus eodem modo & ipse in nobis, causam videamus propter quam Dei Filius & Deus ipse, cum esset in Dei forma, non rapinam arbitratus est se esse æqualem Deo. Vnâ igitur veram & generalem incarnationis causam Paulus nobis exposuit dicens: Secundum bonum placitum eius restaurata omnia in Christo, restaurata sunt, Omnino & res & nomen significat restitueret rursus quæ ad diuersum atq; dissimilem exitum tendebant, ad eam conditionem ac statum ad quem à principio facta fuerunt, huius restorationis viam ac modum, carptim declarans, modo dicebat: Nam quod impossibile erat legi in quo infirmabatur per carnem Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne, vt iustificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum.

Hebr. 2. Modo: quia ergo pueri communicauerunt carni & sanguini, & ipse similiter participauit eisdem, vt per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium Diabolum, & liberaret omnes qui timore mortis per totam vitam obnoxij erant seruituti, hos duos modos restorationis, rationem incarnationis continentes, Paulus nobis exposuit. Sed ad hos, tertium nobis Euangelista proposuit cum ita de Christo scribat; In propria venit & sui eum non receperunt, quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem Filios Dei fieri, iis qui credunt in nomine eius, qui non ex sanguinibus neque ex voluntate carnis neque ex voluntate viri sed ex Deo nati sunt. His ergo maxime de causis, vnigenitus Dei Filius homo factus est, vt peccatum in carne sua damnaret, & mortem propria morte destrueret, & nos Dei filios faceret, à nostra mortalitate ad hanc dignitatem spiritu regeneratos: hoc enim modo probè humanum genus ad pristinum habitum reparatur. Sed singulis rursus propositis causis, non nihil de ipsis dicamus, queramusque primum quomodo illud intelligendum est, quod damnauerit peccatum in carne: cum enim Deus natura vnigenitus sit, cunque ex substantia Patris natus naturaliter in-

commutabilis sit, atque ideo nullo modo mutari labique potest, descendere voluit vt caro sua facta & ad proprietatem suam transformata, labi peccareque non posset, neque id templo suo solummodo facturus; hominem assumpsit. Quæ namque magnitudo beneficiorum erga nos esset, si hominem solummodo quem assumpsit seruasset? Credimus igitur hominem factum esse, vt vniuerso generi nostro, in suo corpore tanquam in primitiis, supremum bonum acquireret. Nam quemadmodum non mortis solum sed omnibus carnis passionibus afficimur propter transgressionem maledictionemque primi hominis à Deo lapsi: eodem modo Christum omnes sequemur; ob saluantem in seipso carnis naturam, atque sanctificantem: ideo Paulus quoque dicebat, & sicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem cælestis. Imago terreni hominis id est Adæ passiones & interitus sunt, cælestis autem hominis, id est, Christi impassibilitas & incorruptibilitas imago est. Peccatum igitur in propria carne vnigenitus Dei filius destruxit, carnemque fecit non propria voluntate, sed vt Deo placet mouerit corpus animale spiritale confectum est, primum igitur restorationis modus hic est. Alter autem qui proposito theoremati maxime conuenit, modo in medium veniat. Dicemus autem de vita æterna, & de mortis interitu, quomodo à genere nostro ab vnigenito depulsa corruptio est. Quoniam igitur carni & sanguini pueri communicauerunt, & ipse similiter participauit eisdem vt mortem interimeret: nam qui omnia ad immortalitatem creauit, ad pristinam rursus figuram rerum transfigurabit. Curiosius forsitan quam oporteret ista scrutamur. Sed qui rectitudinem dogmatum sequitur, desidiæ crimen non iniuria euitabit. Factus igitur homo ab initio ad imaginem creatoris est, vt scribitur. Cùmque multis modis imago dicatur, ille modus præcipuus est, ad imaginem Dei, id est, ad similitudinem incorruptionis & immortalitatis factum esse, quod nunquam per rationem naturæ suæ poterat possidere. Quomodo enim quod à terra factum est, sua natura perpetuum erit, nisi qui naturaliter immortalis est Deus, qui eodem modo semper se habet, hoc donum ei præbuerit? Verum enim illud Pauli est, quid enim habes: quod non accepisti? Ne igitur quod ex nihilo creatum est, ad nihilum rursus redeat, sed perpetuo conseruetur (id enim creator intendebat) naturæ diuinæ participes efficiatur, inspirauit enim in faciem eius spiraculum vitæ, id est, spiritum filij. Filius enim vita est, in esse omnia continens, in eo namque vitæ susceptibilia & mouentur & viuunt: vt Paulus ait. Nec quisquam putet diuinum spiraculum animam homini factum fuisse, Non enim id dicimus, & eos qui dicunt libenter rogauerimus; vtrum à sua natura mutatum Dei spiraculum hominis anima facta sit, an in identitate sua permanferit? Nam si primum dicent, impietatis crimine condemnabuntur, incommutabilem naturam mutaram fuisse afferentes; sin autem permanferit quod fuit, quomodo ad peccatum lapsum passionum receptaculum factum est, cum impossibile penitus sit diuinæ naturæ delinquere? Non est igitur factum diuinæ substantiæ spiraculum anima hominis, sed animato potius homini & proprietati naturæ, vtriusque (anima dico atque corpore) consummatur,

ta, quasi sigillum naturæ suæ creator spiraculum vitæ, id est, spiritum sanctum infixit, quo ad primitiuam homo pulchritudinem reformabatur, & ad imaginem creatoris reducebatur, ad omnia virtutis genera inhabitantis in eo spiritus gratia, se accomodans. Verum quoniam cum suæ voluntatis habenas homo teneret (pars enim imaginis libertas etiam est, liberæ namque potestatis Deus est) decidit immutatus cuius immutationis & casus modum scriptura liquido docet (reducere ad pristinum statum naturam humanam Deus voluit. Quomodo autem reduxit, nunc consequenter inspicimus. Non erat possibile aliter corruptibilem secundum naturam hominem mortem effugere, nisi primam adeptus gratiam, rursus particeps Dei fieret, qui omnia per filium in spiritu viuificat. Carni ergo & sanguini communicauit, id est, qui secundum naturam vita est vnigenitus Dei Patris filius, homo factus est, mediator Dei atque hominum vt scribitur, natura Deo coniunctus ex quo est, & hominibus rursus vt homo: habet enim in se Patrem, & ipse rursus in Patre est, character & fulgor substantiæ eius. Nos autem etiã in seipso habet, quoniã naturam nostram assumpsit, & corpus nostrum corpus verbi factum est, propterea diuinæ naturæ facti participes sumus, & filij iã nominamur, ipsum Patrem in nobis per filium habentes, cui grauissimus testis Paulus est: quando inquit estis filij, misit Deus spiritum filij eius in corda vestra, clamantem Abba pater, non est enim alia res secundum substantiam spiritus. Hæc cum ita se habeant, ad verba Saluatoris modo accomodetur, in illa, inquit, die cognoscetis quia ego in Patre & vos in me & ego in vobis. Ego enim vivo: cum vita sim secundum naturam & templum meum vita replemur viuunt. Quædo igitur & vos etiam ipsi qui corruptibiles natura estis viuere vos ad similitudinem meam videbitis, tunc cognoscetis aperte quia cum ego naturaliter vita sim Deo Patri qui etiam substantialiter vita est per me vos coniuncti, ac immortalitatis eius participes effeci, ita ego naturaliter in Patre sum, quia ex ipso natus, vos autem in me & ego in vobis etiam naturaliter ea ratione qua homo factus sum, & sic vos diuinæ feci naturæ participes cum spiritum meum habitare in vobis effecerim: Christus enim in nobis per spiritum est corruptibilitatem nostram ad incorruptibilitatem permutans, idcirco Paulus ait; Qui suscitauit Iesum Christum à mortuis, is corpora vestra mortua viuificabit per spiritum suum qui habitat in vobis. Nam si ex Patre spiritus sanctus procedit, venit tamen per filium & proprius eius est: omnia enim per filium à patre sunt. Quod autem per spiritum in vitam æternam reformari sumus: Psalmista testatur clamans ad Deum, Aperiente te manum tuam omnia implebuntur vbertate, auertente autem te faciem turbabuntur, auferes spiritum eorum & deficient, & in puluerem suum reuertentur. Emitte spiritum tuum & creabuntur, & renouabis faciem terræ. Vides quomodo ablatio spiritus propter peccatum, ad interitum nos reduxit: Quædo autem misit Deus spiritum suum ac nos naturæ suæ participes effecit, facies terræ per spiritum renouata est: Reformati enim in nouam vitam sumus, corruptione ad quam propter peccatum deferebamur longè abiicientes. Qui habet mandata mea, &c. Manifestissime qui-

dem tunc in nobis mysterium reuelabitur, quando ad similitudinem eius nos viuos videbimus: Vivo enim ego ait, & vos viuertis. Tunc enim mens nostra non per ea quæ audimus & credimus solum, verum etiam per exitum repromissionis quem consummare habemus rerum ipsarum periculo certior erit. Verum ne omnibus simpliciter tale munus contingere posse credamus, illico diligentium mentione facta ostendit non aliis hanc gratiam esse depositam nisi iis qui mandata eius seruauerunt enim sunt qui diligunt eum. Nam etsi omnes probi atque improbi Christi virtute resurgent, non tamen omnes ad gloriam reuiuiscunt, sed alij vitam omni morte crudeliorem peragent, alij beatè viuunt in Christo. Quod autem qui ad poenam resurgent nunquam beatitudinis dulcedinem degustaturi sunt, ostendit dicens; Qui credit in filium, habet vitam æternam, qui autem incredulus filio est, non videbit vitam, sed ira Dei manebit super ipsum. Anima duerte diligenter quia quamuis omnes resurgent, improbos tamen nec viuos quidem vitam asserit, vitam illam solummodo appellans, quæ in requie & deliciis & gloria est. Delicias autem spiritualiter intelligimus cognitionem Dei perfectam, & exquisitam mysteriorum Dei reuelationem, nõ in speculo & enigmata vt modò, sed aperte, perfecte & (vt ira dicam) totaliter: euacuabitur enim quod ex parte est, vt Paulus ait. Cùm igitur dominus noster Iesus Christus diligentibus se, & mandata sua seruantibus, non improbis, futuram perfecte cognitionis gratiam ostendere vellet, commodissime intulit: Qui habet mandata mea & seruat ea ille est qui diligit me, habet autem mandata, quicumque fidem suscepit, & tenaci memoria candidam euangelicorum præceptorum cognitionem retinet; seruatur autem, si secundum ea viuunt. Ita perfectus est pietatis alius, qui fide atque operatione, sanctè in Christo viuere cognoscitur, in ore enim duorum aut trium testium, omne verbum stabit, vt scribitur, hunc Deus Pater & filius etiam, non minus amabit: vnus enim substantiæ, vnus voluntatis, vnus intentionis in omnibus sunt; iis vero qui diuinitus diliguntur, fulgentissima præmia & fulgentissimam coronam pollicetur: Manifestabo, inquit, me ipsum ei. Mundis certe visio Dei summum præmium est, in quibus Christus per spiritum fulgebis, singula illuminans, & ineffabili splendore mentem eorum ad cognitionem erigens suam, ad hæc qui peruenient, verè beati erunt. Ex quibus se futurum vt mihi videtur propheta præcinebat dicens, Audiã quid loqueretur in me dominus Deus. Paulus quoque dicit: Si experimentum queritis Christi loquentis in me: Loquitur enim in sanctis per spiritum mysteria reuelando, quæ rectè intellexerint, non iniuria prædicant: modo quia nobis reuelauit Deus per spiritum: modo nos verè Christi mentem habemus. Mentem autem Christi, spiritum appellant.

### BEDÆ VENERABILIS presbyteri in idem Euang. expositio.

Si diligitis me, inquit, mandata mea seruate, &c. Cum hoc dicat de spiritu sancto, quem nisi habeat

habeamus, nec diligere Deum possumus, nec eius mandata seruare: quomodo diligimus, ut eum accipiamus, quem nisi habeamus, diligere non valeamus? Quomodo mandata seruabimus, ut eum accipiamus, quem nisi habeamus, mandata seruare non possumus? Restat ergo ut intelligamus spiritum sanctum habere qui diligit, & habendo mereri ut plus habeat, & plus habendo plus diligit. Tam itaque habebant spiritum discipuli, quem dominus promittebat, sine quo eum dominum non dicebant: nec tamen eum adhuc sic habebant, sicut eum dominus promittebat. Et habebant ergo, & non habebant, qui quantum habendus fuerat, nondum habebant. Habebant itaque minus, dandus erat eis amplius. Habebant occultè, accepturi erant manifestè: quia & hoc ad maius donum sancti spiritus pertinebat, ut eis innotesceret quòd habebant. De quo munere Apostolus loquens ait, Nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ à Deo donata sunt nobis. Nam & ipsam manifestam impertitionem spiritus sancti non semel, sed bis dominus numero egit. Mox enim ut resurrexit à mortuis, insufflans ait; Accipite spiritum sanctum. Nunquid igitur qui tunc dedit, ideo non misit etiam postea quem promissit? Aut non idem ipse est spiritus sanctus, qui & tunc est insufflatus ex ipso, & post ab ipso missus è caelo? Quapropter cur ipsa quæ facta est euidenter donatio eius, bis facta fuerit, alia quæstio est. Fortassis enim propter duo præcepta dilectionis, proximi, & Dei, ut commendaretur ad spiritum sanctum petrinere. Quòd vero ait: Rogabo patrem, & alium paraclerum dabit vobis: ostendit & seipsum esse paraclerum. Paraclerum enim Latine dicitur aduocatus: & dictum est de Christo: Aduocatum habemus ad patrem Iesum Christum iustum. Sic autem mundum dixit non posse accipere spiritum sanctum, sicut etiam dictum est: Prudentia carnis inimica est in Deum: legi enim Dei non est subiecta: nec enim potest velut si dicamus, iniustitia, iustitia esse non potest. Mundum quippe ait hoc in loco significans dilectores mundi: quæ dilectio non est à patre: & ideo dilectioni huius mundi, de qua satagimus ut minuarur & consumatur in nobis, contraria est dilectio Dei, quæ diffunditur in cordibus nostris per spiritum sanctum qui datus est nobis. Mundus ergo eum accipere non potest. Quia non videt eum, neque scit eum. Non enim habet inuisibiles oculos mundana dilectio, per quos videri spiritus sanctus nisi inuisibiliter non potest. Vos autem, inquit, cognoscetis eum, &c. Erit in eis ut maneat, non manebit ut sit. Prius enim est esse alicui, quam manere. Sed ne putarent quod dictum est, apud vos manebit, ita dictum, quemadmodum apud hominem hospes visibiliter manere consuevit, exposuit quid dixerat apud vos, cum adiunxit & dixit, in vobis. Ergo inuisibiliter videtur: nec si non sit in nobis, potest esse in nobis eius scientia. Sic enim à nobis videtur in nobis & nostra conscientia. Nam faciem quidem videmus alterius, nostram non videmus: conscientiam vero nostram videmus, alterius non videmus. Sed conscientia nunquam est nisi in nobis, Spiritus autem sanctus potest esse etiam sine nobis. Datur quippe ut sit & in nobis. Sed videri & sciri quemadmodum videndum videndus est, & sciendus est, non potest à no-

bis, si non sit in nobis. Non relinquam vos orphanos, veniam ad vos. Orphani pupilli sunt. Illud enim Græcum eiusdem rei nomen est, hoc Latinum. Nam & in Psalmo ubi legimus: Pupillo tu eris aditor, Græcum habet orphano. Quamuis ergo nos filius Dei suo patri adoptauerit filios, & eundem patrem nos voluerit habere per gratiam, qui eius pater est per naturam: tamen etiam ipse erga nos paternum quodammodo demonstrat affectum cum dicit, Non relinquam vos orphanos, veniam ad vos. Hinc est quod etiam sponsi filios nos appellat, ubi dicit; Veniet hora ut auferatur ab eis sponfus, & tunc ieiunabunt filij sponsi. Quis autem sponfus, nisi dominus Christus? Deinde sequitur & dicit; Adhuc modicum, & mundus me iam non videt. Quid enim? tunc non videbat eum mundus, quando quidem mundi nomine vult intelligi eos de quibus & superius locutus est dicens de spiritu sancto: Quem mundus accipere non potest, quia non videt eum, neque cognoscit eum: Videbat eum planè mundus oculis in carne conspicuum: non autem videbat quod in carne verbum latebat. Videbat hominem, non videbat Deum. Videbat indumentum, non videbat indumentum. Sed quoniam post resurrectionem etiam ipsam carnem suam, quam non solum videndam, verum etiam contrectandam monstrauit suis, voluit demonstrare non solum, hinc fortasse intelligendum est esse dictum; Adhuc modicum, & mundus me iam non videt. Vos autem videtis me: quia ego vivo, & vos viuetis. Cur de præsentem se dixit viuere, illos autem de futuro esse victuros: nisi quia victuros etiam carnis vita, vti que resurgentis, quæ in ipso præcedebat, & illis est pollicitus securam: & quia ipse mox futura fuerat resurrectio, præsentis posuit temporis verbum, propter significandam celeritatem: illorum autem quoniam seculi differtur in finem, non ait viuitis, sed viuetis. Duas ergo resurrectiones, suam scilicet mox futuram, & nostram in seculi fine venturam, duobus verbis præsentis temporis & futuri, eleganter breuiterque promissit, quia ego vivo, inquit, & vos viuetis. Quia viuit, ideo & nos viuemus. Per hominem quippe mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur: quoniam nemo ad mortem, nisi per illum: nemo ad vitam nisi per Christum. Quia nos viuimus, mortui sumus. Quia viuit ipse, viuemus nos. Mortui sumus illi, quando viximus nobis. Quia vero mortuus est ille pro nobis, & sibi viuit, & nobis. Quia enim viuit ille, & nos viuemus. Nam sicut per nos mortem potuimus, non sic & vitam per nos habere possemus. In illo die, inquit, Vos cognoscetis quia ego sum in patre meo, & vos in me, & ego in vobis. In quo die, nisi de quo ait: Et vos viuetis? Tunc enim erit ut possimus videre quod credimus: nam & nunc est in nobis, & nos in illo. Sed hoc nunc credimus, tunc autem etiam cognoscemus, quamuis & nunc credendo nouerimus, sed tunc contemplando noscemus. In illo ergo die quando viuemus ea vita qua mors absorbetur, cognoscemus quia ipse in patre, & nos in ipso, & ipse in nobis: quia tunc perficietur hoc ipsum quod nunc inchoatum est iam per ipsum, ut sit in nobis, & nos in ipso. Qui habet, inquit, mandata mea, & seruat ea, ille est qui diligit me. Qui habet in memoria, & seruat in vita: qui habet in sermonibus, & seruat in vita: qui habet in sermo-

nibus, & seruat in moribus: qui habet audiendo, & seruat faciendo: aut qui habet faciendo, & seruat perseverando: ipse est, inquit, qui diligit me. Opere est demonstranda dilectio, ne sit infructuosa nominis appellatio. Et qui diligit me, inquit, diligetur à patre meo, &c. Quid est, diligam? tanquam tunc dilecturus sit, & nunc non diligit? Absit: Quomodo enim nos pater sine filio, aut filius sine patre diligeret? Quomodo cum inseparabiliter operentur, separabiliter diligunt? Sed ad hoc dixit, diligam eum, & nunc non diligit? Absit: Manifestabo ei meipsum. Diligam, & manifestabo: id est, ad hoc diligam, ut manifestem. Nunc enim ad hoc dilexit, ut credamus, & mandatum fidei recitamus: sic ad hoc diligit, ut videamus, & ipsam visionem mercedem fidei capiamus: quia & nos nunc diligimus credendo quod videbimus: tunc autem diligemus videndo quod credimus.

## HAYMONIS EPISCOPI

Halberst. superioris Euang. expositio.

Quid est quod dicit, quod diligentibus Deum & seruantibus mandata eius Spiritus paracleretur daretur, dum Deus non diligitur, & mandata eius seruari non possunt, nisi per Spiritum sanctum. Quid aliud, nisi ut qui per Spiritum sanctum diligit Deum, meretur diligendo, ut plus habeat, & plus habendo, plus diligit; Paracleretur quippe consolator interpretatur. Et Spiritus sanctus rectè paracleretur vocatur quia corda fidelium ne inter huius seculi aduersa deficiant, celestis vitæ desiderijs subleuat, ac reficit. Et ego rogabo patrem, & alium paraclerum dabit vobis. Ostendit in hoc & seipsum esse paraclerum. Habebant enim & prius paraclerum, ipsum videlicet Dominum secum in carne commorantem, cum & miraculorum dulcedine, & opere prædicationis, ne propter infidelium persecutionem scandalizari possent, erigi & confortari solebant. Rogabo dixit per humanitatem, ut cuncta dat cum Patre per diuinitatem. Ut maneat vobiscum in æternum. In æternum nanque manet cum sanctis, quos & in hac vita semper inuisibiliter intus illustrat, & in futuro ad contemplandam perpetuo speciem maiestatis introducit. Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum. Mūdum autem appellat, homines mundi huius amori datos: Mundus ergo eum accipere non potest: id est mūdiales homines, quibus solummodo Spiritus sanctus videri potest, & sciri, & sciendo intelligi. Vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit & in vobis erit. Erit, ut maneat in æternum. Dominum namque saluatorem & infideles ante passionem in carne viderunt, sed quia filius Dei esset, quia paracleretur à Deo missus in mundum, non nisi fideles scire potuerunt. Spiritum autem sanctum neque oculis videre infideles, neque animo valebant cognoscere, quia non indutus humanitate discipulis apparuit: sed ita ad eos venire, ita apud eos maluit manere, ut in ipsis eorum cordibus gratissimam sibi sedem consecraret. Hoc est enim quod ait: Vos autem cognoscetis eum quia apud vos manebit, & in vobis erit. Qui autem inuisibiliter in hac vita manet cum electis, visibiliter vti que eis gratiam suæ cognitionis exhibet. Non relinquam vos orphanos,

veniam ad vos. Videbatur infidelibus, quia moriens in cruce ut Dominus discipulos relinqueret orphanos, sed non reliquit orphanos, quibus & præbuit seipsum viuum post passionem suam in multis argumentis per dies quadraginta, & post dies decem assumptionis suæ Spiritus sancti illis de caelo charismata donauit, ubi ipsum Christum ad eos venisse pullus ambigit, qui inseparabilè sanctæ Trinitatis naturam, veritatem, & operationem esse cognoscit. Adhuc modicum, & mundus me iam non videt. Modicum erat usque ad tempus expletæ passionis, ex quo illum repræbi videre non valebant. Solum enim iusti, qui morte illius erant cōtristati, gaudij resurrectionis eius videre mererentur. Vos autem videtis me, quia ego vivo, & vos viuetis. Quid est quod ego vivo, & vos viuetis? Cur de præsentem se dixit viuere, illos autem de futuro esse victuros, nisi etiam vita carnis, vti que resurgens, qualis in ipso præcedebat, & illis est pollicitus securam? Et quia ipse mox futura erat resurrectio, præsentis posuit temporis verbum, propter significandam celeritatem: illorum autem, quæ in seculi differtur finem: non ait viuitis, sed viuetis. Duas enim resurrectiones, suam scilicet mox futuram, & nostram in fine seculi futuram, duobus verbis præsentis temporis & futuri, eleganter breuiterque promissit. In illo die vos cognoscetis, quia ego sum in patre meo, & vos in me, & ego in vobis. In quo die, nisi de quo ait. Et vos viuetis? Nouerat Apostoli tunc esse Christum in Patre, per unitatem indiuiduæ diuinitatis, nouerat se esse in Christo, per susceptionem fidei, & sacramentorum eius, qui nouerant veraciter viuere tunc, esse Christum in patre, in se esse Christum per dilectionem & obseruantiam mandatorum eius, nouerat & hoc sancta Dei Ecclesia, sed longè melius & plenius in illa die, de qua dixit. Et vos viuetis, in qua veraciter viuere incipietis, hoc est in die resurrectionis, quando perfectius cuncta quæ scienda sunt scient, quando ipsum scientiæ fontem vicinior sine fine conspicient. Et quia omnibus huius promissionem beatitudinis promitteret, non solummodo Apostolis, mox subiungit Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est qui diligit me: Qui autem diligit me, diligetur à patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum. Vbi omni intentione considerandum est, quia Christum vere diligere, est non solum ipsam dilectionem confiteri, sed mandata Christi, quæ discendo habemus, operando seruare. Qui habet (inquit) mea mandata, & seruat ea, ille est qui diligit me. Qui habet in memoria, & seruat in vita, qui habet in sermonibus, & seruat in moribus, qui habet audiendo, & seruat faciendo. Aut, qui habet faciendo, & seruat ea perseverando: ipse est, inquit, qui diligit me. Notandum quia cum præsentis temporis verbo diceret, qui autem diligit me, adiicit de futuro, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum. Diligit nanque etiam nunc dilectores suos cum Patre filius, sed nunc diligit ad hoc, ut rectè viuant ex fide, quæ per dilectionem operatur, tunc ad hoc diligit, ut perueniant ad visionem veritatis, quam per fidem gestaerunt. Non autem frustra addidit, Et manifestabo ei meipsum. Si verò secundum humanitatem se cunctis in iudicio manifestabit, solis vero iustis & sanctis diuinitatis gloriam, in qua æqualis est Patri, & Spiritui sancto, ad æternam beatitudinem manifestaturus erit.



THEOPHYLACTI EPI-  
scopi Bulgar. superioris Euang.  
expositio.

Quid sit di-  
ligere Deum.

**S**I diligitis me, praecepta mea servate, &c. Dixerat Superius. Quaecumque petieritis, faciam: ostendit nunc quod non simpliciter oporteat petere, sed cum dilectione erga eum, & observatione mandatorum: tunc enim faciam, quum sic petieritis. Et aliter; Non hoc, inquit, est diligere me, tritari, & mæsto esse vultu, sed credere his quæ à me dicuntur. Mandatum enim dedi vobis, ne timeamini ab his qui occidunt corpus, atque ita si diligitis me, hoc observate, & posthac ne sitis tristes in morte mea. Nam tristitia affici, non est eius qui observat mandatum meum. Quomodo igitur non observantes mandatum meum, sed timeantes mortem, dicitis, quod diligatis me? Insuper quia verisimile est dixisse illos ad hæc, & quomodo non afficeremur tristitia privandi tanto solatio, & refocillatione, quam ex te habemus? inquit. Non erit hoc, non priuabimini consolatione. Rogabo enim, hoc est obsecrabo patrem, & alium paraclētū mittere vobis, alium sicut me.

Sabellius.

Confundatur hoc loco & Sabellius, dicens; Vnā personam patris & filij & spiritus sancti. Ecce enim audit. Alium paraclētum dabo, & ita aliam personam spiritus. Confundatur & Macedonius, qui dicit alterius substantiæ esse spiritum, & minorem filio. Audi enim quod & ipse persona sit sicut filius. Eiusdem enim substantiæ est cum filio, utique autem & cum patre: nam pater & filius eiusdem substantiæ. Ne miretis autem quod dicit; Rogabo patrem, non enim ut servus orat, sed vult quod sufficientibus argumentis testetur discipulis quod omnino veniat super eos spiritus paraclētus, eiusque gratia condescendens illis dicit, rogabo patrem. Nam si dixisset: Mittam, non sic credidissent, nunc autem credibiliorem faciens sermonem, inquit, rogabo patrem. Et si opus fuerit patrocinio & oratione omnibus modis operam dabo: ut veniat super vos spiritus. Id quod & nos sæpenumero dicere solemus. Animā meam ponam ut hoc fiat, quamuis paruo labore plerumque res egeat, attamen volentes ostendere quod non detrectemus studium, ita dicimus. Et aliter; Quia pro nobis Dominus semetipsum obtulit hostiam patri placens illum per suam mortem ut pontifex, deinde spiritus venit in nos, ut pote peccato soluto, & inimicitis sublatis: propterea dicit. Rogabo patrem, & paraclētum dabit vobis, hoc est placabo vobis patrem, & reconciliabo illum vobis, solutus propter peccatū inimicitis, & ita mittet vobis spiritum per me, pro vestra morte placatus & reconciliatus vobis. Quod autem dicit. Ut maneat vobiscum in æternum, dixit consolans eos. Non enim ita, inquit, temporalis erit eius consuetudo vobiscum, ut mea, sed vsque in æternum durabit: neque deficiet, quum vos mortui fueritis, sed simul permanebit, & gloriosiores reddet: cumque omnibus sanctis semper est, & quum mortui fueritis, magis quanto scilicet sublimiores tūc corporalibus affectionibus. Spiritum autem veritatis, inquit, hoc est spiritum non veteris testamenti, nam illa figura est & umbra, sed novi quod est veritas. Habebant igitur & ille qui in lege spiritum, sed in figura est

Vetus testa-  
mentum figu-  
ra, novum ve-  
ritas.

& vmbrosum, nunc veritas ipsa substantialiter venit cum discipulis, ut ita quis dicat. Ne autem quis opinetur, quod etiam spiritus sicut ipse incarnandus sit, inquit. Quem mundus non potest capere. Non, inquit, versabitur vobiscum sicut ego. Non enim mundus eum corporaliter capere potest, hoc est habitabit in ipsis animabus vestris. Et aliter. Non potest accipere mundus, hoc est populus ille promiscuus & sapiens quæ huius mundi, quia non videt eum eo quod incomprehensibilis sit eius substantia. Contemplationem enim & visionem hoc loco mentis dicit: unde subdit: neque cognoscit eum. Vides quod & non videt, dicens; Non cognoscit, propterea solatur discipulos, dicens; Mundus non potest capere illum: vobis autem hoc donum egregiū datum est, & in vobis erit. Apud vos enim extremū subsidium & viciniam: in vobis autem, internam habitudinem & corroborationem significat. Posterior autem illud, quod & Deus sit spiritus, significat, quū dicit. Habitabo & ambulabo in eis. Igitur mundus quidem non potest accipere spiritum, quia non cognoscit eum, vos autem cognoscitis eum. Quare? Quia non estis ex hoc mundo, propterea capaces eius estis & manet nunc apud vos, sed & erit semper in vobis. Non relinqua vos orphanos, veniam ad vos. Ne metuatis, inquit, credentes, quia dixi vobis me alium paraclētum vobis missurum, quod me ultra non sitis visuri: non enim abero à vobis vsque in finem. Veniam enim & nō relinquam vos orphanos. Quia prius filios eos dixerat, nunc consequenter, inquit: Non relinquam vos orphanos. Ut autem non existiment, quod prius sit manifestandus & ipsis, & omnibus in corpore, inquit. Mundus iam me nō videt: vos enim, inquit, soli videbitis me, etiam post resurrectionē. Vivo enim, & quamuis mortem feram, resurgam: & vos quoque vivetis, hoc est quum videbitis me, lætabimini, & quasi occisi reuiuiscetis in mea manifestatione. Vel etiam sic. Quemadmodum, inquit, mors mea facta est ad vitam, ita etiam si vos moriamini, vivetis. Ne igitur estote tristes, vel propter me, qui morior vel propter vos: nam licet moriamini, vivetis in eternam vitam. Illa enim die scietis, quod ego in patre: hoc est, quum resurgam scietis quod non sum à patre separatus, sed eandem habeam potestatem. Et vos in me estis: quos ego custodio. Et ego in vobis, hoc est, vobiscum sum: vos eripiens ex periculis, miracula per vos operans, glorificansque vos per omnia. Et aliter: In vobis sum, ut caput in membris. Membra enim Christi, Apostoli, & vos in me, sicut membra in capite. Quando ergo resurrexit, manifestam de his omnibus scientiam tradidit. Gratia enim spiritus post resurrectionem omnia illa docuit eos. Quum autem audis quod ego in patre, & vos in me, & ego in vobis, ne similiter intelligas, nam filius quidem in patre, ut illi consubstantialis, in Apostolis autem, ut adiutor & cooperarius, & Apostoli in eo, ut qui adiuuantur & cooperatores habentes, & ab ipso fouentur. Quia & multa alia nomina de Deo & hominibus dicuntur, sed non similiter dicuntur. Dijenim dicimur & nos, sed non ex æquo. Dicitur filius imago & gloria patris, & homo quoque, sed non similiter. Ita hæc quoque hic intelligenda sunt, sicut & hoc. Quemadmodum misit

me

me pater, & ego mitto vos. Num igitur sic debemus intelligere simpliciter. Igitur misit quidem filium suum patrem, quum esset incorporeus, & deinde incarnatus est, & ex virgine natus est, ut & apostoli ex cælo sint, & incorporei, & deinde incarnati, & virginibusque nati sint? Sed ita exponere scripturas, manifestè delirare est. Qui habet mandata mea & servat ea, ille est qui me diligit. Sicut & superius diximus verbis huiusmodi tristitiā illorum sedat, docens eos, quod ille diligit ipsum, non qui dolet in morte eius, quod & illi patientur, sed qui mandata eius & praecepta servat, de contemnenda vita presente, & ponenda anima pro Christo & virtute, quasi ita dicēs eis. Vos quidem putatis quod prae dilectione doleatis in morte mea, ego autem pro charitatis argumento habeo non dolere. Quod autem hoc dicit, manifestum est ex his quæ postea dicit. Si diligeretis me gauderetis vtrique, quod ad patrem eam. Qui ergo diligit me, habet mandata mea, & custodit ea, ne fur diabolus veniens rapiat thesaurū. Opus enim est diligenti custodia, ut ne perdamus ea. Qui autem diligit me, quale præmium inueniet? Diligetur, inquit, à patre meo, & ego diligā eum, & manifestabo illi memetipsum. Quare hoc dixit, manifestabo illi memetipsum. Quia post resurrectionem se eis manifestaturus erat cum diuiniore corpore: ut ne putent ipsum spiritum & phantasma esse, propterea prædicat eis hoc ut videntes eum nō discredant, sed recordentur quod ea quæ prae dixerit ipsis, & quod propter mandatorum suorum observationem manifestetur eis: studeantque semper seruire illa, ut & illis semper manifestetur.

EVTHYMII ZIGABONI

superioris Euang. expositio.

**S**I diligitis me, praecepta mea servate. Nam dilectionis meæ signum est observatio praeceptorum meorum: eorum vero observatio est completio aut operatio illorum. Quia autem verisimile erat corporalem eius conuersionem, affueratque colloquia eos expetere: adhuc consolator illorū dolorem, dicens: Et ego rogabo patrem & alium paraclētum dabit vobis. Hinc incipit discipulis noticiam dare de Spiritu sancto. Alium inquit paraclētum tanquam me, siue admonitorem ac præceptorem in certaminibus virtutis: solatium ac subsidium in afflictionibus. Dicens itaque Aliū, ostendit personarum differentiam. Dicendo autem paraclētum siue consolatorem, docuit naturā identitatem, siquidem consolatores sunt & filius & Spiritus sanctus. Non tamē dixit Mittam, ne Dei aduersarius esse videretur, & quasi alicuius alterius virtute facere sermones: sed nunc quidem rogaturum se Patrem promisit, & propter dictam causam, & ut fide dignus haberetur. In sequentibus autem propriam ostendit dignitatem dicens; Si ego non abiero, paraclētus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam vobis eum. Et rursum accipere spiritum sanctum. Sed quomodo ab alio datur ac mittitur, qui ubique præsens est, suaque diuidit singulis prout vult charismata? Non tanquam seruus datur ac mittitur, sed tanquam eiusdem nature, & eadem volens cum patre ac filio. Non enim sicut hæc in creaturis significant, ita & in Trinitate increata. Et datur quidem à Patre,

Inf. 16.

Inf. 20.

ut pote ab illo procedens, mittitur vero à filio quasi cooperans & non contrarius. Nunc itaque dari ac mitti ait Spiritum sanctum: in sequentibus autem etiam huius ostendit potestatem dicens: Quum autem venerit ille, & cætera.


† Tangit hic dogma Græcorum.  
† Ut maneat vobiscum in æternum. Qui nec post mortem vestram separetur. Deinde etiam docet quis sit alius paraclētus. Spiritum veritatis. Hoc est verum siue præcipuum, quantum ad alios spiritus. Nam & angelus dicitur spiritus & anima & ventus ac pleræque alia. Ne autem aliam spiritum audientes, suspicentur etiam illum esse in carne, ac sensibilibus visibilem oculis, ait: Quem mundus non potest accipere. Non potest accipere sensibilibus. Quia non videt eum. Corporaliter, quum sit incorporealis. Nec cognoscit eum. Quum illum non videat. Intelligitur autem & aliter, quod is cui mundana curæ sunt, nō potest illum suscipere, quia non videt eum, siquidem ex cæcatus est oculis intellectualibus: nec cognoscit eum, quum nihil sublime possit intelligere. Vos autem cognoscitis eum. Propemodum illum cognoscitis. Nam post breue tempus descendet ac docebit vos. Vel: Cognoscitis eum ex mei cognitione. Sicut enim qui nouit me, nouit & Patrem: ita rursum qui nouit me, nouit & Spiritum sanctum. Nam tres vnus sunt substantiæ ac naturæ, potentiæ ac dignitatis. Quia apud vos manet. Sicut enim pater mecum est, ita & spiritus sanctus. Inseparabilis siquidem est beata Trinitas. Et in vobis erit. Non moriens sicut ego: neque enim incarnatus est sicut ego. Quia verò quum tam multa dixisset, nondum tristitiā illorum repulerat: quia grauiter adhuc ferebant ac mœrebant, ut qui iam orphani relinquerentur huiusmodi curat mœstitiam. Non relinquam vos orphanos. Paternæ miserationis verbum est multam adferens consolationem ac oblectationem. Nequaquam vos relinquam orphanos, qui filij mei estis. Veniam ad vos. Veniam rursum post tertij diei resurrectionem, quanquā non ut prius conuersans. Alibi modicum & mundus iam me non videbit. Quum tanquam homo moriar. Vos autem videbitis me. Apparentē vobis per intermissa tempora, conuersante semper vobiscum alio paraclēto. Quia ego viuam. Viuam rursum à mortuis resurgens. Et vos vivetis. Non statim mecum interfecisti, sed mea virtute multo adhuc tempore conuersati. Vel: Vos vivetis etiam post mortem vita beata. In illo die cognoscetis vos, quod ego in Patre meo sum. In illo die, resurrectionis meæ videlicet cognoscetis quod ego à Patre meo indiuisus sim, eadem potens cum illo. Et vos in me, & ego in vobis. Et quod vos etiam in me, custoditi ac roborati: & ego in vobis, custodiens ac roborans vos. Hæc autem cognoscetis, repressis inimicis, vobisque liberè loquentibus, ac Euangelio in dies florente. Christus itaque in patre, ratione eiusdem potentiæ: Apostoli verò in eo, & ipse in illis, ratione auxiliij. Siquidem nouit frequenter scriptura eiusdem verbis de Deo & homine positus, non similiter vti. Nā & Christus & nos filij Dei ac Dei dicimur, & imago ac gloria Dei: sed magna est differentia, & multa variis in locis similia inueniuntur. Qui habet praecepta mea, & servat ea, ille est qui diligit me. Neque enim sufficit ea rātum habere, sed & facere illa oportet. Quum autem hoc primū dixisset, nunc rursum idem dicit, ostēdens

Bibl. Hom. tom. 3. R. 2. quod



quod dilectionis ipsius signum non est, dolere de separatione eius: nam id timiditatis potius est, sed præcepta eius seruate. *Qui vero diligit me, diligitur à patre meo, & ego diligam eum.* Et ego tanquam post resurrectionem in pristinam restitutus dignitatem. Considera verò consequentiam admirabi-

lem. Qui seruat inquit præcepta mea, diligit me: qui autè diligit me, diligitur à Patre meo, quoniam verò pater dilexerit, & ego omnino diligam, ut pote ambobus eadem & volentibus & suscipiendis. *Et manifestabo ei meipsum.* Interdum quidem humano more, quadoque vero diuino splendore.



## IN DIE SANCTO PENTECOSTES.

I O A N. 14.



**I**n illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Si quis diligit me,

<sup>a</sup> *Causa est dilectionis, quæ probatur in custodia sermonum.*

<sup>b</sup> sermonem meum seruabit & pater meus diliget eum, & ad

<sup>c</sup> *Ego & pater & spiritus sanctus.* <sup>d</sup> *Et erit interna visio & mansio, non transitoria, sed æterna.* <sup>e</sup> *Hi sunt qui nunquam vident patrem & spiritum, sed nec filium in forma Dei, & si in forma serui.*

eum <sup>c</sup> veniemus, & <sup>d</sup> mansionem apud eum faciemus. <sup>e</sup> Qui non

diligit me, sermones meos non seruat. Et sermonem quem audistis non est meus,

<sup>f</sup> *Quia non est suum verbum, sed patris. Et quia se voluit intelligi, singulariter dixit qui prius pluraliter dixerat, sermones meos.* <sup>g</sup> *Corporali præsentia, quæ si iam auferretur, ne timeatis quia paraclætus.*

<sup>f</sup> sed eius qui misit me patris. Hæc loquutus sum vobis <sup>g</sup> apud vos manens.

Paraclætus autem spiritus sanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille vos

<sup>h</sup> docebit, ut sciatis suggerere, ut velitis. <sup>i</sup> *Ab occulto, non ministrabit, quod inferior. alias commemorabit vobis, id est, faciet vos memores omnium. Ecce hoc etiam gratia spiritus est, quod non obliuiscimur.* <sup>k</sup> *Iturus ad patrem.*

<sup>h</sup> docebit omnia, & <sup>i</sup> suggeret vobis omnia quæcumque dixerò vobis. <sup>k</sup> Pacem

relinquo vobis, pacem meam <sup>l</sup> do vobis. <sup>m</sup> Non quomodo mundus dat, ego

do vobis. Non turbetur cor vestrum neque <sup>n</sup> formidet. Audistis, quia ego <sup>o</sup> dixi

vobis: <sup>p</sup> vado, & <sup>q</sup> venio ad vos. Si diligeretis me, gauderetis utique <sup>r</sup> quia

<sup>s</sup> vado ad patrem, quia pater maior me est. Et nunc <sup>t</sup> dixi vobis priusquam fiat,

ut cum factum fuerit credatis. Iam non multa loquar vobiscum. <sup>v</sup> Venit enim

<sup>x</sup> princeps <sup>y</sup> mundi huius, & in me non <sup>z</sup> habet <sup>a</sup> quidquam. Sed vt cognoscatur

mundus, quia <sup>b</sup> diligo patrem: & sicut mandatum dedit mihi pater, sic facio.

<sup>x</sup> *Diabolus.* <sup>y</sup> *Id est, peccatorum non creaturarum.* <sup>z</sup> *Quod ad se pertinet.* <sup>a</sup> *Nullum omnino peccatum suum.*

<sup>b</sup> *Quasi diceretur: Cut ergo morieris, si non habes peccatum? quia pater mandauit.*

<sup>c</sup> *Quia vado ad patrem.*

<sup>d</sup> *Accepta licentia à Deo.*

<sup>e</sup> *De eo quod.*

<sup>f</sup> *De eo quod.*

<sup>g</sup> *De eo quod.*

<sup>h</sup> *De eo quod.*

<sup>i</sup> *De eo quod.*

<sup>j</sup> *De eo quod.*

<sup>k</sup> *De eo quod.*

<sup>l</sup> *De eo quod.*

<sup>m</sup> *De eo quod.*

<sup>n</sup> *De eo quod.*

<sup>o</sup> *De eo quod.*

<sup>p</sup> *De eo quod.*

<sup>q</sup> *De eo quod.*

<sup>r</sup> *De eo quod.*

<sup>s</sup> *De eo quod.*

<sup>t</sup> *De eo quod.*

<sup>u</sup> *De eo quod.*

<sup>v</sup> *De eo quod.*

<sup>w</sup> *De eo quod.*

<sup>x</sup> *De eo quod.*

<sup>y</sup> *De eo quod.*

<sup>z</sup> *De eo quod.*

<sup>a</sup> *De eo quod.*

<sup>b</sup> *De eo quod.*

<sup>c</sup> *De eo quod.*

Et repetes de eodem. *Pacem meo.* Et hoc est quod propheta dicit: Pacem super pacem. Pax est in hoc seculo, in qua manentes hostem vincimus, inuicem diligimus, & de occultis inuicem non iudicamus. Pax enim in futuro, cum sine hoste regnabimus, vbi alter ab altero non poterit dissentire, vbi omnia aperta, & laus vnicuique. In illo autem & ab illo est vtraque pax. Ipse enim est pax nostra, & eum credimus, quia est: & eum videbimus, sicuti est. Vnde quod dicit me, à posteriori, etiam ad prius subaudiendum est. Vel pax in hoc seculo est nostra, quæ est aliqua & non plena: & ab illo in futuro sua est pax, vbi nihil repugnat qualiter ipse habet. *Non turbetur.* quia in pace vos relinquo, non turbetur cor vestrum de eo quod dixi vado: quasi pastoris absentia lupus inuadit, quia sicuti homo vado, ut Deus præsens sum. *Si diligeretis.* August. Hoc erat ire ad eum, & recedere à nobis: mutare atque immortale facere, quod suscepit ex nobis mortale, & leuare in cælum, per quod fuit in terra pro nobis. Naturæ ergo humanæ gratulandum est, eo quod sic est assumpta à verbo, ut immortalis constitueretur in cælo: atque ita fieret terra sublimis, vt incorruptibilis puluis sederet ad dexteram patris. *Gauderetis, &c.* Quia humanæ naturæ congratulandum est, quæ leuatur ad dexteram patris, in quo idem sibi sperant cæteri. *Credatis.* Non quod factum videritis, quia non est laus vel meritum fidei, imo nec fides est de eo quod videtur, sed de eo quod non videtur. Sed credatis me filium Dei, non noua fide, quia etiam prius crediderant: sed aucta fide & refecta, quia & modo cum hæc diceret parua erat: & cum moretur, nulla. *Et in me non.* Noluit dominus habere quod perderet: pauper venit, ne haberet diabolus, quod auferret.

### CATENA AVREA

in idem Euang.

**R**espondit Iesus & dixit eis, Si quis, &c. Gregor. in ho. Probatio enim dilectionis, exhibitio est operis, nunquam amor Dei est ociosus, operatur enim magna si est: si verò operari renuerit, amor non est. August. Dilectio autem sanctos discernit à mundo, quæ facit vnanimes habitare in domo, in qua facit pater & filius mansionem, qui donat & ipsam dilectionem, quibus in fine donabunt suam manifestationem. Est enim quædam Dei manifestatio interior, quam profus impij non nouerunt, quibus Dei patris & spiritus sancti manifestatio nulla est: filij verò esse potuit, sed in carne quæ nec talis est qualis illa, nec semper illis adesse potest, sed ad modicum tempus: & hoc ad iudicium non ad gaudium, ad supplicium, non ad præmium: vnde sequitur; *Et ad eum venie.* Veniunt quidem ad nos, dum venimus ad eos: veniunt subueniendo, venimus obediendo: veniunt illuminando, venimus intuendo: veniunt implendo, venimus capiendo, vt sit nobis eorum non extranea visio, sed interna: & in nobis eorum non transitoria mansio, sed æterna: vnde sequitur; *Et man. apud eum faci.* Gregor. in ho. In quorundam etenim corda venit & mansionem non facit, qui per compunctionem quidem respectum Dei percipiunt, sed tentationis tempore hoc ipsum quod compuncti fuerunt, obliuiscuntur, sicque

ad perpetranda peccata redeunt, ac si hæc minime planxissent. Qui ergo Deum verè diligit, in eius corde dominus & venit & mansionem facit, quia sic eum diuinitatis amor penetrat, vt ab hoc amore tentationis tempore non recedat. Ille enim verè amat cuius mentem dilectio praua ex consensu non superat. August. An fortè putabit mansionem in dilectore suo facientibus patre, & filio exclusus esse ab hac mansione spiritus sanctus? Quid est ergo quod superius ait de spiritu sancto, apud vos manebit, & in vobis erit: nisi fortè quisque sic absurdus est, vt arbitretur cum pater & filius venerint discessurum inde spiritum sanctum tanquam locum daturum maioribus: Sed & huic carnali cogitationi occurrit scriptura, cum dicit, *Vt maneat nobiscum in æternum.* In eadem ergo mansione cum ipsis erit in æternum: quia nec ille sine ipsis venit, nec illi sine eo, sed propter insinuationem trinitatis, personis singulis nominatis dicuntur quædam, non tamen aliis separatis intelliguntur, propter eiusdem trinitatis substantiam. Gregor. in hom. Tantò autem quisque à superno amore disingitur: tantò inferius delectatur: vnde subditur; *Qui non diligit me, &c.* De dilectione ergo conditoris lingua, mens, & vita requiratur. Chrysof. Vel aliter totum. Estimauit Iudas sicut mortuos videmus in somno, ita & se eum esse visuros: vnde quærit; Quid est quod debes te manifestare nobis & non mundo, quasi dicat, vobis quoniam morieris, & mortuus debes nobis assistere. Ne igitur hoc suspicetur dicit, *Ego & pater ad eum veniemus,* quasi dicat, Sicut pater manifestabit seipsum, ita & ego, & mansionem apud eum faciemus, quod somniorum non est. Sequitur; *Et ser. quem au. non est meus, sed eius qui misit me patris,* quasi dicat non me solum, sed neque patrem amat, qui hunc non audit sermonem. Dicit autem hoc, quoniam nihil extra patrem loquitur: neque præter id quod illi videtur. August. Et fortasse propter aliquam distinctionem, vbi suos dixit: pluraliter sermones dixit, dicens; *Qui non diligit me, sermones meos non seruat.* Vbi autem sermonem, hoc est verbum, non suum esse dixit, sed patris se ipsum intelligi voluit: non enim solum sed patris est verbum, quomodo nec sua imago sed patris: nec suus filius, sed patris. Rectè igitur auctori tribuit quod facit æqualis à quo habet hoc ipsum quod illi est indifferens æqualis. Chrysof. Quia verò eorum quæ dixerat, quædam manifesta erant, & quædam non intellexerunt vt non turbarentur, subiungit; *Hæc lo. sum. vob. apud vos manens.* August. Alia est illa mansio quam promissit futuram, alia verò hæc quam præsentem esse testatur: illa spiritualis est atque intrinsecus mentibus redditur: hæc corporalis forinsecus oculis atque mentibus adhibetur. Chrysof. Vt tamen eius corporalem recessum facilius sustinerent, præparat eos promittens quod eius recessus magnorum eis esset futura causa honorum: quia donec ipse apud eos corporaliter manebat: & spiritus non venerat, nihil magnum poterant scire: vnde sequitur; *Paraclætus autem spiritus sanctus, quem mittet pater in no. meo ille vos do. omn. & sug. vo. omnia quæcumque dixerò vobis.* Gregor. Græca locutione paraclætus: Latina aduocatus dicitur vel consolator: Qui idcirco aduocatus dicitur: quia pro errore delinquentium apud iustitiam patris interuenit, dum eos, quos replerit, errantes facit. Consolator

Bibl. Hom. tom. 3. R 3 tor

### GLOSSA ORDINARIA

in superius Euang.



**A**d eum. Venit Deus ad hominem, dum homo venit ad Deum. Venit homo credendo, obediendo, intuendo, capiendo; Deus venit subueniendo, illuminando, implendo. *Et mansionem.* Charitas facit habitare in domo, in qua pater, & filius facit mansionem, vnde & dabit manifestationem de qua ille quæsierat. *Hæc loquitur.* Hæc de mansione in dilectoribus suis, in quo significatur ecclesia futura spiritualis, in qua beati à quibus non recedit. *Apud vos.* Hic ecclesia præsens corporalis, in qua visitat liberando, & redit. *Paraclætus.* Consola-

ri cum sit opus trinitatis, ad personam tamen maximè spiritus sancti pertinet, quia in scriptura nomine bonitatis, spiritus sanctus designatur, per bonitatem ergo Deus nos consolatur, per eam omnia bona sua nobis tribuit. Vnde cum ipse filius doctrina sit patris, de spiritu dicit; *Ille vos.* Quia & si filius doceat nos & reuelat patrem, hoc totum facit per suam bonitatem. *Ille vos do. omnia.* Docebit quæ dixerò, non quod dicat filius, & spiritus doceat: quia quod dicit & docet, & ipsa trinitas dicit & docet. Sed quia trinitas est, oportet singulas personas insinuari: quos nos distincte audire, in separabiliter intelligere debemus. Cum ergo dicimus, pater & filius & spiritus sanctus, non eos simul dicimus, cum non possint esse non simul. *Pacem relin. vo.* Iturus ad patrem. Pacem re-

Et se

tor autem idem spiritus vocatur, quia de peccati perpetratiōe merentibus dum spem veniē preparat, ab afflictione tristitię mentem leuat. Chry. Continū autem eum paraclētum vocat propter continentes eos tribulationes. Dydimus de spiritu sancto: Spiritum autem sanctum à patre in suo mitti nomine saluator affirmat: cum propriē nomen saluatoris sit filius, siquidem naturę confortium, & vt ita dicam proprietates personarum ex ista voce significatur: filij quippe tāummodo est in nomine patris venire, salua proprietate filij ad patrem, nullus autem alius venit in nomine patris: sed verbi gratia: In nomine domini Dei & omnipotentis. Quomodo igitur serui qui in nomine domini veniunt, per hoc ipsum quod subiecti sunt & seruiunt indicant dominum, serui quippe domini: sic & filius qui venit in nomine patris, portat eius nomen per hoc quod vnigenitus Dei filius approbatur. Quia ergo spiritus sanctus in nomine filij à patre mittitur: ostendit quia vnitate sit inuictus ad filium: vnde & filij dictus est spiritus per adoptionem suam, filios faciens eos, qui se recipere voluissent. Ille autem spiritus sanctus qui venit in nomine filij missus à patre docebat omnia eos qui in fide Christi perfecti sunt. Omnia autem illa quę spiritualia sunt & intellectualia veritatis & sapientię sacramenta. Docebit verò non sicut qui artes aliquas & sapientiam studio, industrięque didicerit, sed quasi ipsa ars, atque doctrina & sapientię veritatis spiritus inuisibiliter mētē insinuat scientiam diuinorum. Greg. Nisi autem idem spiritus cordi adsit audientis, otiosus est sermo doctoris: nemo ergo docenti homini tribuat quod ex ore docentis intelligit, quia nisi intus sit qui doceat, doctoris lingua exterior in vacuum laborat. Sed & ipse conditor non ad eruditionem hominis loquitur: si eidem homini per vnctionem spiritus non loquatur. Aug. Nunquid autem dicit filius & docet spiritus sanctus: vt docente filio verba capiamus, docente autem spiritu sancto eadem verba intelligamus? Omnis igitur & dicit & docet Trinitas. Sed nisi etiam sigillatim commendaretur, eam nullo modo humana capere vtunque posset infirmitas. Gerg. Requirendum verò nobis est, cur de eodem spiritu dicatur, *Suggeret vobis omnia*, cum suggerere soleat esse minoris: sed quia suggerere aliquando dicimus subministrare, inuisibilis spiritus suggerere dicitur: non quòd nobis scientiam ab imo inferat, sed ab occulto. Aug. Vel quòd addit, *Suggeret vobis*. Id est, commemorabit vos, intelligere debemus etiam quòd iubemur non obliuisci saluberrima monita ad gratiam pertinere, qua nos commemorat Christus. Theop. Spiritus itaque sanctus & docuit & commemorauit: docuit quidem quęcunque non dixerat eis Christus, tāquam non valētibz portare. Commemorauit verò quęcunque dominus dixerat, sed obscuritatis causa vel intellectus tarditate, commendare memorię nequiverunt. Chryf. Quia verò & hæc audientes turbabantur excogitantes odia & pręlia sibi imminere post eius recessum, rursus eos consolatur dicens: *Pacem relinquo vobis*, &c. Aug. Pacem nobis reliquit in hoc seculo in qua manētes hostem vicimus, & vt etiam hic inuicem diligamus, pacem suam nobis dabit in futuro seculo, quando sine hoste regnabimus vbi nunquam dissentire possumus. Pax autem no-

bis ipse est & cum credimus quia est, & cum videmus eum sicuti est. Sed quid est quòd vbi dicit, *Pacem relinquo vobis*, non addit, *meam*: vbi verò ait, *Do vobis*, sibi dixit, *meam*, vtrum subaudiendum est *meam*, & vbi dictum non est: an fortè & hic aliquid latet? Pacem enim suam eam voluit intelligi qualem habet ipse. Pax verò ista quam nobis reliquit in hoc seculo, nostra potius dicēda est, quam ipsius. Illi quippe nihil repugnat in seipso, quia nullum habet omnino peccatum, nos autem talem pacem nūc habemus in qua adhuc dicamus: Dimitte nobis debita nostra. Itēque inter nos ipsos est nobis pax: quia inuicem nobis credimus quòd inuicem diligamus. Sed nec ipsa plena est: quia cogitationes cordis nostri inuicem non videmus. Nec ignoro ista domini verba etiam sic accipi posse, vt eiusdem sententię repetitio videatur. Quod verò dominus adiunxit, *Non quomodo mundus dat ego, &c.* Quid est aliud, nisi non quomodo homines dant qui diligunt mundum? qui propterea sibi dant pacem, vt sine molestia perfruantur. Et quando iustis dant pacem, vt non eos persequantur: pax esse non potest vera, vbi non est vera concordia, quia distincta sunt corda. Chryf. Pax etiam exterior ad malum fit multoties, & eis qui habent eam nihil prodest. Aug. de ver. do. Est autem pax serenitas mentis, tranquillitas animi, simplicitas cordis, amoris vinculum, cōsortium charitatis. Nec poterit ad hereditatem domini peruenire, qui testamentum pacis noluerit obseruare: nec potest concordiam habere cum Christo, qui discors voluerit esse cum Christiano. *Non turbetur cor vestrum, neque formidet, &c.* Chry. Quia dixerat, *Pacem relinquo vobis*, quod erat recentis: hoc poterat eos conturbare: ideo dicit, *non turbetur cor vestrum neque formidet*: quoniam hoc quidem ex dilectione: illa verò ex formidine patiebantur. Aug. Hinc autem turbati & formidare poterat cor illorum: quòd ibat ab eis, quamuis vērurus ad eos, ne forsitam gregem lupus hoc interuallo, inuaderet pastoris absentia. vnde sequitur: *Audistis quia ego di. vob. Pa. & re. ad vos.* Ibat autem per id quòd homo erat: & manebat per id quòd Deus erat. Cur itaque turbaretur & formidaret cor, quando sic deserebat oculos vt non desereret cor? Vt autem intelligeret secundum id quòd homo erat eum dixisse, *Vado & venio*, ad hoc subiecit atque ait, *Si dilige. me. gaudere. vti. que, &c.* Per hoc ergo filius non est æqualis patri, per hoc erat iturus ad patrem, à quo & venturus iudicaturus viuos & mortuos. Per illud autem in quo est æqualis gignenti, nunquam recedit à patre, sed cum illo est vbiq; totus pari diuinitate, quam nullus continet locus. Ipse ergo filius Dei æqualis patri in forma Dei: quia semetipsum exinavit, non formam Dei amittens, sed formam serui accipiēs: maior est etiam seipso, quia maior est forma Dei quę amissa non est, quam forma serui, quę accepta est. Hęc igitur est forma serui in qua Dei filius minor est, non patre solo, sed etiam spiritu sancto: secundum hanc formam serui, puer Christus etiam parentibus minor erat, quando paruus maioribus, sicut Scriptum est, subditus erat. Agnoscamus igitur geminam substantiam Christi: diuinam, scilicet, quę æqualis est patri, & humanam qua maior est pater? vtrumque autem simul, non duo, sed vnus est Christus, ne sit quaternitas, sed trinitas Deus, ideo ergo dixit: *Si dilig.*

me.

S. CYPRIANI EPISCOPI  
*Carthage de Sancto Spiritu,*  
Sermo.

**A**desto, sancte spiritus, & paraclēsim tuam expectantibus illabere cęlitus, sanctificatemplum corporis nostri, & consecra inhabitaculum tuum: desiderantes te animas tua presentia laticifera: digna te habitatore domum componere: adorna thalamum tuum, & quietis tuę reclinatorium circunda varietatibus virtutum, sterne pauimenta pigmentis, niteat mansio tua carbunculis flammeis, & gemmarum splendoribus, & omnium charismatum inrinfecus spirent odoramenta: affatim balsami liquor fragrantia sua cubiculum tuum imbuat, & abigens inde quicquid tabidum est, quicquid corruptelę seminarium, stabile, & perpetuum hoc facias gaudiū nostrum, & creationis tuę renouationem in decore immarcescibili solidas in æternum. Interfuimus sacre verbi infantię, & puerperio virginis obsequanti sumus cum cęlesti militia, gloriam decantauimus paruulo: confessi sumus omnipotentem, quem in cunabulis vidimus vagientem: circumcisionis celebrauimus sacramēta, & truncato pręputio voluptatum sanctimonię didicimus mancipari. Interfuimus baptismati saluatoris, & audita patris voce de cęlis, ad obediendum Christo traditi sumus, & instructi cęlitus quomodo patrem, & filium dilectio iungat, & vniat, ita vt in ipsis nominibus intimeret distinctio personarum, & naturę vnitas euidentissime innotescat. Sed & spiritum sanctum in specie columbę inter illa mytheria vidimus, & intelleximus, ex illa specie geminus pœnitentię & desideria contemplationis diuinę, ex simplicitate cordis, & innocentia vitę immaculatę incessanter prodire: & neminem nisi suspiriis huiusmodi pręcedentibus, & inspiratione diuina monente, posse ad cęlestia aspirare: vt suspiratio, & inspiratio, & aspiratio à sancto spiritu & causam habeant, & effectum, & materiam, & prouentum. Sequuti quoque sumus in æternum Dominum ieiunantem, & repulsa potenter diaboli vidimus tentamenta. Interfuimus cœnę, & de calice Domini bibimus, pedes lauimus, mortui sumus cum Christo, & ecce viuimus: prosequimur ascendentem, & pręstolamur promissum nobis spiritum sanctum, cuius vnctio nos de omnibus doceat, qui inuisibili magisterio nos doceat, & cęlestibus instruat disciplinis, qui carnales hebetet sensus, & cōterat appetitus. Hic spiritus sanctus ab ipso mundi initio aquis legitur superflus, non materialibus aquis quasi vehiculo egens, quas potius ipse ferebat, & completentibus firmamētum dabat congruum motum, & limitem pręfinitum. Huius sempiterna virtus, & diuinitas cum in propria natura ab inquisitoribus mundi antiquis philosophis propriē inuestigari nō posset, subtilissimis tamen intuiti sunt coniecturis compositionē mundi, compositis, & distinctis elementorum affectibus presentem omnibus animam affuisse, quę secundum genus, & ordinem singulorum vitam pręberet & motum, & intransgressibiles figeret metas, & stabilitatem assignaret, & vsum. Hanc vitam, hunc motum, hanc rerum essentiam animam mundi philosophi vocauerunt: putantes cęlestia corpo-

*me. gau. vti. que, quia va ad patrem*, quia naturę humanę gratulandum est, eo quòd sic assumpta est à verbo vnigenito, vt immortalis constitueretur in cęlo: atque ita heret in terra sublimis, vt incorruptibilis puluis sederet ad dexteram patris. Quis non hinc gaudeat, qui sic diligit Christum, vt suam naturam iam immortalem gratuletur in Christo, atque ipsum speret futurum esse per Christum? Hil. 9. de trin. vel aliter: Si donantis autoritate pater maior me est, nunquid per doni confessionem minor filius est? Maior itaque donans est: sed minor iam non est cui vnus esse donatur. Chryf. Vel aliter: Nondum nouerant apostoli quid sit resurrectio quam prędixerat, dicens: *Vado & venio ad vos*: neque qualem oportebat de eo opinionem habebant, patrem esse verò magnum esse æstimabant. Dicit igitur eis, Etsi de me formidatis ve non sufficiente mihi ipsi assistere, neque confiditis quòd post crucem rursus vos videbo, tamen audientes quoniam ad patrem vado oportebat lætari, & de reliquo quoniam ad maiorem vado, & potentem omnia versuta dissoluere. Hęc autem omnia ad imbecillitatem discipulorum dicebantur. Et ideo subdidit, *Et nunc dixi vobis priusquam fiat vt cum factum sue credatis*. Aug. Quid est hoc, cum magis credere homo debeat antequam fiat id quod credendum est? Hęc est enim laus fidei si quod creditur non videtur. Nam & ille cui dictum est, Quia vidisti credidisti: aliud vidit, aliud credidit: vidit hominem, credidit Deum. Sed si dicuntur credi quę videntur sicut dicit vnusquisque oculis suis credidisse, non tamen ipsa est quę in nobis edificatur fides, sed ex rebus quę videntur, acquiritur in nobis vt ea credantur quę non videntur. Illud itaque dicit: Cum factum fuerit, quòd eum post mortem visuri erant viuentem, & ad patrem ascendētem, quo viso fuerant credituri quòd ipse esset Christus filius Dei, qui hoc potuit facere & predicere antequam faceret. Credituri autem hoc non fide noua, sed aucta, aut certè cum mortuus esset defecta, cum resurrexisset resecta. Hila. 9. de trini. Glorię autem refumendū meritum continuo subiecit dicēs: Iam non multa loquar vobiscum. Bed. Ideo dicebat, quoniam iam instabat tēpus vt comprehenderetur, & ad mortem traderetur. *Veni enim princeps mundi huius*. Aug. Quis nisi diabolus? non autem creaturaru, sed peccatorum princeps est diabolus. Vnde Apostolus cum dixisset aduersus rectores mundi: sequenti verbo exposuit quid dixisset mundi, cum subiungit tenebrarum harum, id est, hominum impiorum. *Et in me non habet quicquam*. Quia neque cum peccato Deus venerat, nec eius carnem de peccati propagine virgo pepererat. Et tanquam ei diceretur, Cur ergo morieris si non habes peccatum cui debetur mortis supplicium? continuo subiungit, *Sed vt cog. mundus quia dili. pa. & sicut man. de. mibi pater. sic facio*. Surgite eamus hinc, discumbens enim discumbētibus loque batur. Eamus autem dixit ad illum locum, vnde fuerat iradendus ad mortem: qui nullum habebat meritum mortis, sed habebat vt moreretur mādaturum patris. Aug. contra Arria. Quòd autem voluntari & pręcepto patris obediens est filius, nec in hominibus demōstrat diuersam imparēque naturam patris pręcipiētis, & filij obediētis: huc accedit quòd Christus non tantum Deus est, qua natura æqualis est patri: sed etiam homo, qua natura minor est patre.

Non videtur esse Cyprianum.

ra, Solem dico, & Lunam, & Stellam, ipsūque firmamentum, huius animæ virtute moueri, & regi, & aquas, & terram, & aërem huius semine imprægnari: qui si spiritum & dominum, & creatorem, & viuificantem, & nutritorem crederent, omnium, quæ sub ipso sunt, conuenientem haberent ad fidem accessum. Sed abscondita est à sapientibus, & prudentibus tantæ rei maiestas, nec potuit humani fastus ingenij secretis interesse cælestibus, & penetrare ad supersubstantialis naturæ altitudinem: & licet intelligerent quoddam verè esset creatrix, & gubernatrix rerum diuinitas, distinguere tamen nullo modo potuerunt quæ esset deitatis trinitas, vel quæ vnitas, vel quæ personarum proprietates. Superferebatur quidem elemento purificatorio spiritus sanctificator, iam tunc baptismi virtutem enuntians. Iam tunc illa præfigurabantur tempora, quibus arca Noë aquis inuicta diluuii viri iusti familiam conseruauit illæfam, abolita generatione adultera, qui in filiabus hominum bestialia petulantia effrænes, impudenter se illis commiserat, nec diuinos, nec humanos in flagitijs publicis verebantur aspectus. Arcam illam, quæ typum gerebat ecclesiæ, spiritus sanctus & tunc regebat, & adhuc regit, extra quam quisquis perfidus euagatur, inuolutus fluctibus mergitur in profundum: & impossibile est eum viuere, cui non superfertur spiritus vitæ, cuius viuificus calor animat omnia, & fouet, & prouehit, & fecundat. Hic spiritus sanctus omnium viuifici animam ita largitate sua se omnibus abundanter infundit, vt habeant omnia rationabilia & irrationabilia secundum genus suum ex eo quoddam sunt, & quoddam in suo ordine suæ naturæ competentia agunt, non quoddam ipse sit substantialis anima singularis, & in se singulariter manens: de plenitudine sua distributor magnificus, proprias efficitur singulis diuidit & largitur, & quasi sol omnia calefaciendi subiecta, omnia nutrit, & absque vlla sui diminutione integritatem suam de inexhausta abundantia, quod satis est & sufficit omnibus, commodat & impartit. Hic spiritus rubri maris aquas siccauit, & suspensus hinc inde vehementibus fluctibus, ab ollis carniū, & Egypti pulmentarijs populū ad spirituale eremi libertatem eduxit incolūm, & alimonijs cælestibus pavit, manna quasi rorem matutinū infundens graminibus, quod colligi iussū est ad mensuram. Aderat plena mensura per totam hebdomadam, vacante sabbati die, cui sexta præcedens dies confueri victus duplicans quantitatem octauæ præfigurabat quietem, in qua absque labore & sollicitudine in delicijs epulabuntur electi, & saturabuntur in terra sua duplicia possidentes, corporis, & animæ felici perennitate, & perenni felicitate ditati. Hic est spiritus sanctus, quem magi in Egypto terrij signi ostensione conuicti, cum sua defecisse præstigia faterentur, Dei digittum appellarunt, antiquis Philosophis eius intramarunt præsentiam defuisse. Et licet de patre, & filio aliqua sensissent Platonici, spiritus tamen tumidus, & humani appetitor fauoris sanctificationem intellectus diuini mereri non potuit, & vbi ad profunditatem sacramentorum ventum est, omnis eorum caligauit subtilitas, nec potuit infidelitas sanctitudini propinquare. Hic digittus Dei mundanæ iudex, & vindex perfidie, noui tempore testamenti potenter expellit dæmonia; nec

laborat agendo, sed solo nutu perficit omnia: quod dicit, facit: quod iubet, implet: secreta indicat, pandit occulta, reuelat ignota, hebetat acutos, & perspicaces confutat. Hoc digito in lapideis tabulis lex primū conscripta, quinquagesimo die post egressum Israel de Egypto in monte Sina Moyse est commendata: sed populus nequam, & gens duræ cervicis, à quorum animis terror ille recesserat, quem mons ardens, & flammae iuga, & clangor buccinæ, & lampades coruscæ, & horrenda tonitrua nuper incusserant, in apostasiam conuersi, & de Moyse reditu desperantes, lege diuinitus missa indigni iudicati sunt: quia in oculis eorum Moyses frangens tabulas, tam verba quam instrumenta comminuit, & deleuit. Quin etiam sceleris vltione patrata, reuersus in motem ad Dominum, quadraginta diebus ieiunans, & colloquens, tandem obtinuit vt ipse alias de saxo ad instar priorum excideret tabulas, in quibus eandem, quæ in primis fuerat scripturam insculperet, & formaret. Factūque est mirabili dispensatione superni iudicij, vt lex, quam sanctus scripserat spiritus, deleteretur: & quam manus humana restituit, in posterum teneretur. Quod ea ratione credi potest sic actum, vt populus prior secundum carnem ambulans, & viuens, diuinis colloquijs, & spiritualibus mandatis ostenderetur indignus: nec posse mentes perfidas sancta percipere, nec intelligere sacramenta, quæ exemplarium regimine velabantur. Porro testamenti noui, quæ Christo euangelizante, patuit veritas verbo Christi prolata, indissolubilis permansit, & solida deinde stabilitatis perpetuæ autoritate sulcita est, eod quoddam oblatam gratiam humiles susceperunt, & quoddam filius inter pauperes spiritu inuenit sibi domum, in qua caput reclinaret, & merito reprobato visibiles tabulæ inuisibilis Dei iudicant contemptores, & ampliori dignos honore incarnati verbi credulos auditores, & deuotos veneratores. Lex igitur à paschalis agni immolatione die quinquagesimo datur, & Pentecostes nomen tantæ rei solennitas ex lege accepit, in ipso dierum numero sacramenti magni complicans rationem. Septenarius quippe numerus à conditione mundi autoritatem obtinuit: quoniam in sex diebus prima Dei opera patrata sunt, & septima cōsecrata quieti, & quasi sancta, & sanctificans solennitate uocationis honorata, & spiritui sanctificatori attribulata. Vnde & celsanti à seruilibus operibus populo iubetur vt diē sabbati sanctificet, & spiritui rectitudinis, & sanctitudinis, & fortitudinis adscribat, quoddam directè, quoddam honestè, quoddam viriliter incedit: quia totum ex eius constat ducatu, quoddam deuij diriguntur, quoddam impij conuertuntur, quoddam debiles confirmantur. Spiritus rectus, spiritus sanctus, spiritus principalis regit, componit, consummat, & perficit, quas inhabitat mentes, & corda, quæ possidet: nec errare patitur, nec corrumpi, nec vinci, quos docuerit, quos possederit, quos gladio potentissimæ virtutis accinxerit. Septenarius iste ex quaternario, & ternario constans, cum in se propter prædictas causas honorabilis habeatur, habet

bet ex partibus suis excellentiam maximam: quia artificis, & materiz videtur exprimeret, & distinguere primarias substantias, vt ternarius creatorem propter trinitatem enuntiet, & quaternarius creaturam propter quatuor elementa, quæ rerum omnium causa sunt, & femina, sub huius numeri breuitate concludat. Spiritus sanctus à patre procedens, à patre, & filio, quaternario superfertur, & conditor benignus opus suum amplectitur, & diligit quod palmauit, & creaturam suam sanctus ipse sanctificat, & consociat sibi, & charitatis nexu statuit, & conquadrat. His, alijsque secretioribus rationibus, quas illustrium virorum subtiliora ingenia indagauerunt, septenarius numerus in scripturis sanctis sepe sacramentales causas complectitur, & simplex & multiplicatus necessarios ad intelligentiam diuinorum operum parturit intellectus. In hebdomadibus apud Hebræos dies septimus sabbatum idem requies appellatur, qui numerus non tam in septimanis, sed etiam obseruatur in annis, & annorum hebdomada consummata, septimus annus requiesionis est, & ipsi terre sabbatum imperatur: nec fas est cuiquam eo anno ferere, vel metere quippiam, sed quæ sponte siue in terra, siue in vineis, vel in arboribus nascuntur, alimoniz pauperum deputantur. Annorum quoque septimanæ apud Hebræos quinquagesimus annus facit, quem iubileum appellant, in quo decreto legis (vt supra dictum est) sic terre remissio, & seruorum libertas, & restitutio possessionum, & quæ eatenus distractio alienauerat, & cetera huiusmodi gratis ad hereditatis ordinem reuertuntur. De numero septenario cum multa dicta sint, plura supersunt, quæ in lege & Euangelio præcipue commendantur. Quinquagesimus itaque annus perficit iubileum, quinquagesimus dies à pascha Pentecosten facit, in quo verè spiritui sancto infuso apostolis, ad hereditatem cælestem, à quo venundati sub peccato exulabant, quos diabolo Domino mendicitas, & egestas subiecerat, reuertuntur. Septem sacerdotibus clangentibus tubis, Hiericho corruir: septem petitionibus oradum patrem filius docuit. Remissio peccatorum duplicato septies septenario Petro mandat. Leprosus septimi diei inspectione à sacerdote iudicatur: summi sacerdotis in septem diebus consecratio consummatur. Dominus Iesus Christus de septem panibus quinque millia hominum reficit: & iustus quisque Deo laudes per diem septies dicit. Ipse Dominus Iesus ab Adam secundum generationes, quas Lucas commemorat, septuagesimo septimo inuenitur, vt vltionem in Lamech septuagesies septies promulgatam veniens terminaret. Septem diebus in pascha editur azyma, septem diebus mensē septimo tabernaculorum solennitas celebratur. In septem annis templum à Salomone construitur, septem brachijs, & totidem luminibus candelabrum adornatur. Celebramus tam nos quam Iudæi quinquagesimum diem, sed illi in typo: nos autem in veritate, non tam significamus, quam agimus. Pentecosten igitur celebrantes commemorauimus, quæ olim sub Moyse in veteri testamento sunt acta, & quæ sub Christo facta sunt, post cuius ascensionem in cælos spiritus sanctus visibiliter super apostolos in linguis igneis apparuit, & ad instar prioris seculi, vniuersitatem fidelium vnus labij esse voluit: vt quorum erat cor

vnus, & anima vna, vna esset & lingua, nec posset impedire intellectum credentium aliqua diuersitas verborum, sed Euangelica doctrina propria lingua prolata ad omnium auditum eandem efficientiam obtineret, vt Græcis, & barbaris omnibusque gentibus verbum Euangelij sic esset intelligibile, ac si in eorum auribus lingua, in quæ nati erant, idiomatica resonarent. Aderant Medi, & Elamitæ, Mesopotameni, & Arabes: hi omnes dum Hebræa lingua Apostoli prædicarent, locutio Iudaica enuntiationis suæ articulos cuius cōsuetudo euoluens nullo exponebatur interprete, sed verbo eorum per spiritum sanctum inerat virtus, & gratia, vt habitantes Pontum, & Asiam, suam esse dicerent linguam, quam audiebant: quasi primitiue lingue libertas ad antiquitatis reuerfa originem confusionis contumeliam epasisset. Nec tantum apostolis collata est hæc gratia, sed multitudini credentium idem spiritus superfusus est, intus ardentibus, extra loquentibus, & complectebantur se dilectio & verbum, & de calore spiritus sermo feruebat ignitus. Iam omni timore excluso, obedire, sed Deo magis quam hominibus publice profitebantur: & videbatur eis gloria, si pro Christo iniuriam paterentur. Ad hunc modum olim Moyse iussū est, vt in viros septuaginta, quos ipsos presbyteros iudicaret, de spiritu suo partiretur, vt in negotijs partem gererent sollicitudinis: quibus cum imposuisset Moyses manus, requieuit in eis spiritus sanctus, qui non Moyse ablatus est, quasi ipse sine spiritu remaneret, vel idem spiritus secaretur in partes, sed secundum mensuram donationis diuinæ, quæ erat in Moyse, gratia singularis facta est multiplex, & communis, & data est multis in eo potestas, quod prius solius Moyse disponebat autoritas. Sic Heliaz spiritum duplicem recepit Helisæus, non quoddam in duas substantias idem spiritus sit diuisus, & duos Propheta sanctus habuerit spiritus, sed quod populo Christiano, cuius typum Helisæus gerebat, accepto spiritu sancto, data sit potestas in opere, & sermone, & ascendente Heliam, id est Christum pio desiderio prosequutus fide claruerit & intellectu, & vita, & signis, & miraculis fulserit, & exemplis. Hic factorum ordinum distributor reges creat, & principes, facit pontifices, eligit sacerdotes. Hic sapientia Salomonem, intellectum Danielem, Ioseph consilio, Samsonem fortitudine, Moysen scientia, David pietate, Iob timore prosequitur, & sanctorum animas omnimodis fecundat virtutibus, in tantum affectus pacificos prouehens, vt iam in calis nostris, sit conuersatio, diffusa in nobis charitate per spiritum sanctum, qui datus est nobis. Hic in pudicis mentibus sibi statuit mansionem. Hic humiles, & cœlibes habet domesticos, abominatur ærarios, falsarios detestatur. Hic Giezi mercenarium lepra condemnat, & Ieroboam vendentem sacerdotia cum apostatis locat. Hic Simonem gratia Dei nundinatorem à sanctorum consortio exheredat, cuius detestabiles ausus vltix ruina confundit & quat. Hic Balaam ad maledicendum conducto silentium imponit, & per asinam redargutum, colliso ad parietem pede, vacuum pecunia, contumelia oneratum, claudicantem ad propria remisit confusum. Hic omnibus ecclesiæ sacramentis interest, quæ ipse efficit, & consummat. Hic peccata diligit, hic iustificat impios, & ad vitam

Luc. 11.  
Matth. 14.  
Psalm. 118.  
Genes. 4.  
Luc. 3.  
Exod. 12.  
Leuit. 23.  
Act. 2.

Num. 11.  
4. Reg. 2.  
4. Reg. 5.  
3. Reg. 13.  
Act. 8.  
Num. 22.

ad vitam reuocat mortuos. Hic discordes pacifi-  
cat, & vinculo dilectionis astringit & ligat. Hic  
nos celo inuehit, & à mundi huius vanitatibus  
a uillos superni regni constituit hæredes, cuius  
summa est felicitas, quòd corpus istud spiritali  
effectu cum Angelis conuersabitur, nec ultra erit  
carnis, & sanguinis aliquis appetitus, sed erit om-  
nium plena sufficientia, cognoscibilis Deus, &  
inhabitor spiritus sanctus.

S. AMBROSII MEDIO-  
lanensis Episcopi de eodem  
Homilia 1.

*Est sermo 61.* **N**osse credo vos, fratres, quæ sit ratio, quòd  
venerabilem hanc Pentecostes diem nõ mi-  
nore lætitia celebremus, quàm sanctum pascha  
curauimus, & quòd eadem deuotione huius so-  
lennitatis obseruantiam decurrimus, sicut illius  
obsequia festiuitatis impleuimus. Tunc enim, si-  
cut modo fecimus; ieiunauimus sabbaro, vigilias  
celebrauimus, orationibus pernoctanter inbeti-  
mus: unde necesse est similis obseruantia similem  
lætitiam subsequatur. Est lætitia plane consimi-  
lis: tunc enim ab inferis resurgentem suscepimus  
saluatorem: modo autem spiritum sanctum expec-  
ctamus è caelis. Tunc anxij, vel solliciti Christi  
prædicabamus aduentum: modo trepidi, vel iei-  
uni paraleti desideramus aduentum. In omni-  
bus enim Deus saluti prouidit humanæ. Tunc  
enim nobis ad resurgendum tartara saluator aper-  
uit: modo nobis ad regnandum paracletus cæle-  
stia referauit: & quibusdam quasi profectum gra-  
dibus tunc de morte ad vitam didicimus remeare:  
modo autem de terris ad caelos meditatur  
ascendere. Hæc autem omnia operatur in nobis  
Christus dominus, qui prius quàm rediret ad cæ-  
los, promisit discipulis suis dicens; Cum autem  
ascendero, rogabo patrem meum, & mittet uobis  
alium paracletum, qui uobiscum sit in æternum,  
spiritum ueritatis. Unde credendum est ad pa-  
trem peruenisse Christum, cum uidemus ad Apo-  
stolos descendisse paracletum. Credendum, in-  
quam est, sicut ait de saluatore Dauid, in Dei dex-  
tera considerare: quia cernimus spiritum sanctum,  
sicut promisit dominus, in discipulis exultare. Ait  
ergo propheticus Psalmorum; Dixit dominus do-  
mino meo, sede à dextris meis. Secundum con-  
suetudinem nostram illi concessus offertur, qui  
aliquo opere perfecto victor adueniens honoris  
gratia promeretur, ut sedeat. Ita ergo & homo Ie-  
sus Christus passione sua diabolum superans resur-  
rectione sua inferna referans tanquam perfec-  
to opere ad caelos victor adueniens audit à Deo  
patre sede ad dexteram meam. Nec mirũ, si unius  
sedis offertur filio concessus à patre: qui unius est  
substantiæ, & naturæ cum patre. Cur autem ad  
dexteram filius esse dicatur, moueat aliquem for-  
tasse. Licet enim dignitatis gradus non sit, ubi  
plenitudo diuinitatis est: tamen ideo ad dexte-  
ram sedet filius, non quo præferatur patri, sed ne  
inferior esse credatur. Et ideo ad dexteram filius,  
quia secundum euangelistam ad dexteram oues,  
ad sinistram uero constituentur hædi. Necesse est  
ergo partem ouium primus agnus obtineat: &  
secuturo immaculato gregi locũ dux immacula-  
tus anticipet: sicut ait Ioannes in Apocalypsi di-

gens; Hi sunt, qui sequuntur agnum, quocunque  
vadit: qui se cum mulieribus non coinquinaue-  
runt. Refert ergo Propheta Dauid; Dixit dominus  
domino meo: sede ad dexteram meam: hoc est,  
dominus pater domino Deo Christo filio throni  
sui offert sublimem concessum, & honoris gratia  
ad dexteram suam illũ æterna sede constituit. Le-  
gimus autem in actibus Apostolorũ dicere Beato  
Stephano, cum lapidaretur à Iudæis; Ecce video  
caelos apertos: & statem dominum Iesum ad  
dexteram Dei. Videamus ergo, quæ sit ratio, quòd  
idem dominus à Dauid sedens Prophetatur, itans  
uero à Stephano prædicatur. Primo omnium Deus,  
qui incorporalis est, & inuisibilis: Est enim spiri-  
tus sicut ait dominus; Deus autem spiritus est: se-  
dere aut stare quomodo potest? deinde aut quali  
subfello sedeat Deus, qui infinitus est, & immen-  
sus: & intra se ipse magis creaturam cunctam con-  
tineat? Hæc autem propterea à sanctis uiris dicta  
arbitror esse de domino: non quo sint contraria  
sibi, sed ut modo eius omnipotentia, modo mis-  
ericordia describatur. Nam utique pro potestate  
regis sedere dicitur, pro bonitate intercessoris sta-  
re suggeritur. At enim Bearus Apostolus; Quia  
aduocatum habemus apud patrem Iesum Chri-  
stum. Iudex ergo est Christus, cum residet: aduo-  
catus est, cum assurgit. Iudex plane Iudæis: aduo-  
catus Christianis. Hic enim stans apud patrem  
Christianorum licet peccantium causas exorat:  
ibi residet cum patre Phariseorum persequentiũ  
peccata condemnans. Illis indignans uehemen-  
ter uisceratur: his interueniens leniter miseretur.  
Hic stat, ut suscipiat Stephani martyris spiritum:  
ibi residet, ut condemnet Iudæ proditoris ad-  
missum.

EIVSDEM DE EODEM  
Homilia 2.

**S**cire debet sanctitas uestra, fratres, hanc san-  
ctam Pentecostes diem, qua ratione curemus:  
vel cur iustorum quinquaginta dierum numero  
sit nobis iugis, & continuata festiuitas: ita ut hoc  
omni tempore neque ad obseruandum indica-  
mus ieiunia, neque ad exorandum Deum geni-  
bus succidamus: sed sicut dominica solemus fa-  
cere, erecti, & feriaty resurrectionem domini cele-  
bramus. Dominica enim nobis, id est, uenerabilis  
est, atque solennis, quia in ea saluator uelut sol  
oriens, discussis infernorum tenebris, luce resur-  
rectionis emicuit: ac propterea ipsa dies ab homi-  
nibus sæculi dies solis uocatur: quòd ortus eam  
sol iustitiæ Christus illuminet. Instat ergo domi-  
nicæ tota quinquaginta dierũ curricula celebran-  
tur, & omnes isti dies uelut dominici deputan-  
tur. Resurrectio enim dominica est. Nam in do-  
minica resurgens saluator reuersus ad homines  
est: & post resurrectionem tota quinquagesima  
cum hominibus commoratus est. Aequalis ergo  
eorum, necessarium ut esset festiuitas, quorum  
æqualis esset, & sit quantitas. Sic enim disposuit  
dominus, ut, sicut eius passione in quadragesimæ  
ieiuniis contristaremur: ita eius resurrectione in  
quinquagesimæ feriis lætaremur. Non igitur iei-  
unamus in quinquagesima, quia in his diebus  
nobiscum dominus commoratur. Non inquam  
ieiunamus, præsentem domino: quia ipse ait; Nun-  
quid

*Luc. 5.* quid possunt filij sponsi ieiunare, quandiu cum  
illis est sponsus? Cur enim abstinetur corpus à  
cibo, cum anima præsentia domini saginatur? Non  
potest enim esse ieiunus, qui reficitur gratia sal-  
uatoris. Societas enim Christi quodammodo esca  
est Christiani. Reficimur ergo in quinquagesima,  
nobiscum domino conuertente. Cum autem post  
hos dies ascendit ad cælum, iterum ieiunamus: si-  
cut ait idem saluator dicens; Venient autem dies,  
cum auferetur ab eis sponsus: & tunc ieiunabunt  
in illis diebus. Cum enim Christus ascendit ad  
cælum, nostris auferetur obuentibus, famem pati-  
mur non corporis sed amoris, & non tam cibi  
ieiunio quàm desiderio laboramus. Desideria  
enim quædam nostri sustinent oculi: dum non  
perspiciunt, quem requirunt: sicut ait Prophe-  
ta; Defecerunt oculi mei, dum spero in Deo  
meo. Defecerunt enim Propheta oculi, quia non-  
dum uidebat, quem sperabat se esse uisurum.  
Sic namque apostolorum defecerunt oculi, cum  
euntem ad cælum dominum nequeunt inueniri:  
secundum quòd ait Lucas dicens; Et uidentibus  
illis, eleuatus est: & nubes suscepit eum ab oculis  
eorum. Stabant enim beati apostoli toto suspen-  
si corpore, & ascendente ad cælum dominum:  
quia incessu pedum non poterant, oculis seque-  
bantur: & licet ad deducendum saluatorem uisio  
humana deficeret: fidei tamen deuotio non defi-  
cit. Usque ad nubem enim Christum deducunt:  
usque ad caelos autem cum Christo fidei deuo-  
tionem comitantur. Unde ait Apostolus: sciens fidẽ  
nostram in caelis esse cum domino: Nostra autem  
conuersatio in caelis est. Nubes ergo ab oculis apo-  
stolorum suscepit saluatorem. Videamus ergo,  
quæ ista nubes sit, quam splendida, quam præcha-  
ra, quæ lucem mundi Christum suscipere mere-  
tur. Neque enim poterat obscura esse, ac tetra, uel  
renebrosa: quia scriptum est; Et tenebræ eam non  
comprehenderunt. Tenebræ enim lucem gesta-  
re non poterant. Illa enim est nubes, quæ ascen-  
dentem suscipit Christum: quæ & testimonium  
Christo etiam in monte perhibuit: de qua ait  
euangelista; Vox in nube audita est dicens; Hic  
est filius meus dilectus: ipsum audite. Non igitur  
nubes suscepit Christum: sed Deus pater recepit  
filium: & occursum quodam pietatis ascendentem  
illum gremio molliore complectitur. Nam ideo  
pater dicitur suscipere filiũ nubis umbraculo, ut  
ostendatur refrigerio quodam fouere eius vulne-  
ra passionis. Post crucem enim, post iniurias, post  
inferos non est maius Christo refrigerium: nisi  
quòd uirtute diuinitatis obumbraretur, sicut in-  
natiuitate eius ad Mariam dicitur; Et uirtus altis-  
simi obumbrabit tibi. Altissimus ergo pater, qui  
nascente Christo obumbravit in uirtute Mariæ,  
ascendentem eum suscepit in nube. Semper enim  
Deus, quos post iniurias perducit ad requiem,  
protegit eos nubis umbraculo, sicut filios Israël  
liberatos de Ægypto nubis columna protegit, &  
ut post multum laborem eos in terram repromis-  
sionis induceret, refrigerij fouit umbraculo, sicut  
ait propheta; Expandit nubem ad protegendum  
eos. Expandit enim nubem, ne siccitate eremi  
fatigarentur etiam solis ardore. Lætetur ergo in  
hac sancta die, sicut in pascha lætati sumus. Est  
enim in ueraque die similis, eademque solenni-  
tas. In pascha enim omnes gentes baptizari so-  
lent: In pentecoste autem apostoli baptizati sunt

sicut ait dominus discipulis suis ascensurus ad  
cælum; Ioannes baptizauit aqua: vos autem spi-  
ritu sancto baptizabimini: quem acceperunt estis  
non post multos hos dies. Et ideo dicit Lucas;  
Cum autem completerentur dies pentecostes, fa-  
ctus est subito sonus de celo tanquam aduenien-  
tis spiritus ualidi, seditque super singulos eorum.

EIVSDEM DE EODEM  
Homil. 3.

**N**on incommode ante dies cõmplures, sicut  
recinetis, fratres, prædicatio nostra pro-  
cessit: in qua descripsimus, quòd caro domini re-  
ditura uelut in horto floris de uinculo germina-  
uerit: quem tumulum suum in hortulo euangeli-  
sta testatus est: unde non incongruè profecti  
sumus. Conueniens enim erat, ut flos preciosior  
in hortulo gigneretur: & bona frugis cõmimen-  
datum solo semine intra septa domestica tamen  
uicentia salutem omnium pullularet; Christi enim  
resurrectio cõctorum est redemptio populorum.  
Ergo in hortulo saluator redituum corpus as-  
sumit, & inter florentes arbores, & candentia lili-  
catne iam mortua reforescit: & ita geminata de  
sepulchro, ut germinantia, & uicentia cuncta te-  
periat. Sic enim post hyemalis rigoris frigidam  
quodammodo sepulchram pullulare elementa  
omnia festiuarunt: ut resurgente domino, & ipsa  
erigerent. Nam utique ex resurrectione Chri-  
sti aer salubrior est, sol candidior, terra fecundior,  
ex eo surculus in fructum, herba erescit in sege-  
tem, uinea pubescit in palmitem. Si igitur eum  
reforescit Christi caro: omnia floribus uestimur,  
necesse est ut eum idem fructum afferat, etiam  
uicentia fructificent, sicut ait idem dominus;  
Nisi granita tritici cadens in terram mortuum  
fuerit, ipsum solum manet: cum autem mortuum  
fuerit, multum fructum afferit. Resoruit igitur  
dominus: cum resurrexerit è tumulo: fructificat,  
cum ascendit ad cælum. Flos est cum de inferiori-  
bus terræ gignitur, fructus est, cum altissima se-  
de reconditur. Granum est, sicut ipse ait, cum so-  
lus crucem patitur: fructus est, cum plurima apo-  
stolorum credulitate circundatur. His enim post  
resurrectionem quadraginta diebus cum disci-  
pulis conuersatus tota illos sapientia maturitatis  
edocuit: & ad bonam frugem eos omni discipli-  
narum fecunditate conuertit. Deinde ascendit  
ad cælum ad patrem, secum fructum carnis per-  
ferens, in discipulis iustitiæ semina derelinquens.  
Ascendit ergo ad patrem dominus. Meminit san-  
ctitas uestra, quòd aquila illi de psalterio, cuius  
innotatam iuuentutem legimus, comparauerit  
saluatorem. Est enim similitudo non parua. Sicut  
enim aquila humilia deserit, alta petit, caelorum  
vicina conscendit: ita & saluator humilia inferni  
deseruit, paradisi altiora petit, caelorum fastigia  
penetravit. Et sicut aquila relictis terrenis sordid-  
ibus, sublime uolans purioris aënis sublimitate per-  
fructur: ita & dominus terrenorum facie deserens  
peccatorum in sanctis suis uolans: purioris uitæ  
simplicitate lætatur. Per omnia igitur aquila cõ-  
paratio conuenit saluatori. Sed quid facimus,  
quòd aquila prædam facit frequenter in alienum.  
Nec in hoc tamen dissimilis est saluator. Prædam  
enim quodammodo sustulit, cum hominẽ, quem  
suscepit



suscepit, inferni raptum faucibus portavit ad cælum: & aliæ dominationis, id est, diabolicæ potestatis seruum de captiuitate erutum duxit ad altiora captiuum, sicut scriptum est in propheta; *Psal. 67.* Ascendēs in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. Quæ sententia vtrique sic intelligitur: eo quod captiuitatē hominis, quem sibi diabolus captiuauerat, illi eruendo sibi dominus captiuauit: & ipsam, sicut ait, captiuitatem captam ad cælorum alta sustulerit. Vtraque igitur captiuitas vno vocabulo nuncupatur: sed non æqualis vtraque est. Diaboli enim captiuitas seruituti subicit: Christi autem captiuitas restituit libertati. Ascendit, inquit, in altum: captiuam duxit captiuitatem. Quia bene triumphum domini propheta describit. Solebat, sicut dicunt, regum triumphantium curus captiuorum pompa præcedere: Ecce dominum euntem ad cælos non præcedit, sed comitatur gloriosa captiuitas: non ante vehiculum ducitur, sed ipsa euehit saluatorem. Quodam enim mysterio dum filius Dei filium hominis sustulit ad cælum: ipsa captiuitas portatur, & portat. Quia autem ait; Dedit dona hominibus: hoc victoris insigne est. Post triumphum enim victor semper dona largitur, & proprio regno residens seruuorum gaudia muneratur. Sic Christus dominus victor diabolicum post triumphum residens ad dexteram patris hodierna die discipulis dona largitus est, non auri talenta, non argenti metalla, sed spiritu sancti celestia munera: vt inter cætera apostoli etiam linguis variis loquerentur, hoc est, vt Hebrææ nationis homo Christi gloriam Romanæ facundiæ eloquentia pertonaret: & redemptionem generis humani peregrinæ aures, quia Iudæa prædicante lingua non caperent, propria loquela cognoscerent. Omnis lingua in prædicatione Christi resoluatur: vt maiestatem eius omnis loquela fateatur: sicut ait sanctus Dauid; Non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum. Ne mitemini autem, quod ad dexteram patris residere dixi filium. Ad dexteram enim residet: non quia maior patre, sed ne minor patre esse credatur, sicut hæretici blasphemare consueuerunt. Sicut enim diuinitas honorificentia gradum nescit: ita scriptura sancta nouit obuiare blasphemis.

### S. GREGORII NAZIANZENI in eodem festo, Oratio.

**D**E hoc festo pauca differamus, vt spirituali modo festum diem agitemus. Alius nanque alla festi celebrandi ratione oblectatur: at cultor Verbi sermone gaudet, eoque præsertim, qui temporis maxime congruit. Nec quicquam elegantem & honestum hominem perinde delectat, vt festi amantem spiritualis festorum celebratio. Quod vt perspicuum fiat, ita rem consideremus. Festos dies Iudæus etiam agit, verum iuxta literam. Legem enim corpoream consecrans ad spiritualem legem non peruenit. Festos quoque dies Gentilis agit, verum iuxta corpus, deosque suos & demones: quorum alij obscenarum rerum effectores atque architecti sunt, quemadmodum ipsimet assentunt, alij ex obscenarum rebus honorem consecuti sunt, ac proinde fæda quoque & obscena est eo-

rum festi celebrandi ratio, vt hoc ipsum quod peccant, in Dei honorem cedat, ad quem vitium quasi res quædam honesta & prædicanda confugit. Feriamur ipsi quoque, verum vt Spiritui gratum est. Gratum est porro eam à nobis feriandi rationem iniri, vt eorum, quæ in rem sunt, vel aliquid dicamus vel agamus. Nec feriari nostrum quicquam est aliud, quàm animæ thesaurum aliquem earum rerum condere, quæ firmæ sunt ac stabiles, & manibus tenentur, non autem suffugiunt & dilabuntur, leuiterque duntaxat sensum demulcent: magna autem ex parte, meo quidem iudicio, labefactant, noxamque inferunt. Sufficit enim corpori malitia sua. Quid flammæ materia vberiore opus est, aut bellæ copiosiore alimento, vt insolentius, effrenatiusque feratur, rationemque vitibus superet? Quocirca nobis spiritualiter feriandum est. Orationis porro principium erit huiusmodi. Licet enim hinc auspicari (etsi ab instituto argumeto disputatio hæc non nihil digredi videatur) atque in studioforum gratiam elaborare, vt velut condimentum quoddam huius diei solennitati admisceamus. Septenarium numerum ex legis Mosæicæ præscripto in honore habet Hebræi, quemadmodum postea Pythagorei quaternarium, per quem iustitiam concipiunt, atque octonarium & tricenarium, qui Simonis ac Marcionis doctrinam profitentur, quibus etiam & patem Æonum numerum assignant. Et quidem qua proportionis ratione, aut propter quam huius numeri vim ac potentiam eum honorēt, haud scio, sed honore tamen complectuntur. Quamquam ea perspicua causa afferri potest, quod cum Deus sex dierum spatio materiam produxisset & informasset, atque omnigenis speciebus commixtionibusque decorasset, mundumque hunc, quem nunc cernimus, condidisset, septimo die ab operibus conqueiuit, velut ipsum quoque sabbati nomen indicat, quietem Hebræa lingua significans. Quod si circa hæc sublimior quædam est ratio, alij eam explicent. Porro hic honor apud eos non in diebus tantum est, sed ad annos quoque porrigitur. Ac dierum quidem honor sabbatum est, hoc inquam, quod apud illos assidue celebratur, cui etiam fermenti sublatio atque submotio pari dierum numero respondet. Annorum autem honor septenarius ille remissionis annus. Nec verò in hebdomadis solum, sed etiam in hebdomadarum hebdomadis in diebus iuxta atque annis. Enimvero dierum hebdomades Pentecosten pariunt, nobilem apud illos & sanctum diem: annorum autem septimanæ Iubilæum annum, sicut ipsi nominant, eam vim habentem, vt simul & terræ remissionem, & seruis libertatem afferat, & prædiorum emptores possessione sua excedere cogat. Nam hæc ratio non modò frugum & primogenitorum, sed dierum etiam & annorum primitias Deo consecrat. Hic eximius septenarius Pentecosten honorē inuexit. Septenarius enim in seipsum ductus quinquagenarium progignit vno die excepto, quæ ex futuro seculo assumptimus, Octauum eundem & primum, vel vt rectius loquat, vnum & sempiternum. Illic enim sabbatissimus, qui animis nostris in hac vita contingit, delinat necesse est, vt detur pars septem atque ad eodē octo, quemadmodum iam nonnulli maiorum nostrorum hunc Salomonis locum exposuerunt. Quamquam autem de septenarij honore multa sint scri-

pturæ

pturæ testimonia: nobis tamen pauca è multis producere satis erit. Septem itaque præclari spiritus nominantur. Spiritus enim actiones, vt opinor, Esaiæ spirituum nomine appellare visum est. Eloquia item Domini iuxta Dauidem septuplo purgata sunt. Atque iustus de necessitatibus sexies liberatur, in septimo autem ne leuiter quidē percutitur. Peccator autem non septies tantum, sed septuagies etiam septies noxa liberatur. Ac rursus ex aduersa parte (nam scelerum quoque poena laudanda est) facinus Cain septies vindicatur, hoc est fraternæ cædis ab eo poenæ repetuntur, scelus autem Lamech septuagesies septies: nempe quia lege iam & condemnatione promulgata eadem perpetravit. Eodem pertinet, quod de sceleratis vicinis scriptum est, eos septuplum in sinum suum recipere, quod etiam de septem columnis, quibus sapientia domus nititur, quod de totidem oculis, quibus Zorobabelis lapis ornatur. Quinetiam septies in die laudatur Deus. Atque ad eodē steriles septem filios, qui perfectus est numerus, parit, illa inquam imperfectæ sobolis partu ex aduerso opposita. Quod si veteres etiã historie expēdende sunt, animaduertit septimum inter primæuos homines Enoch translationis honore affectum. Perspicio item viceßimum primum Abraham Patriarchatu ornatum mysterij maioris accessione, septenarius enim ter in se ductus numerum hunc efficit. Ausit autem fortasse quispiam iuuenili animi impetu teruens ad nouum quoque Adamum venire, Deū inquam meum, & Dominum Iesum Christum, qui iuxta Lucæ descriptionem à veteri & sub peccato cõstitit Adamo septuagesimo septies numeratur. Tū septē illas Iosue filij Naue buccinas mecum reputo, totidemque circuitus, & dies & sacerdotēs à quibus muri Hiericho labefactantur ac deiiciuntur. Cõsimili modo septenam Helix Propheta conversionem, mysticamque illam triplicem insufflationem, qua Sareptianæ viduæ filio vita inspirata est, eisdemque numero parem lignorum prolutionem, tum cum igni diuinitus immisso sacrificiū absumpsit, ignominiaque prophetas, qui ab eo prouocati idem facere nequieuerant, obruncant. Quo etiam in genere ponenda est septenaria illa nubes speculario puerulo imperata, & æqualis Elizei circum Sunamitidis filium inflexio, qua vitalis halitus suscitatus est. Ad eandem quoque ni fallor, doctrinam pertinet (vt septem hastilibus & lucernis instructum templi candelabrum præteream) quod & sacerdos septem diebus cõsecratur, & septem diebus leprosus purgatur, ac toridem diebus templum dedicatur. Eodem denique referendū, quod septuagesimo anno populus ex captiuitate reducitur, vt quã vim in vnitatibus habet hic numerus, eadē quoque in decadibus habeat, ac perfectiori numero septenarij mysterium honoretur. Quid autem longinquæ colligo? Iesus ipse qui pura perfectio est, quinque panibus in deserto quinque hominum millia aluit, ac rursus septem panibus quatuor millia. Atque expleta populi fame reliquæ collectæ sunt, illic duodecim cophini, hic septem portæ: neutrum opinor temere, nec aliter quam Spiritu dignum erat. Quin per te quoque ipse Scripturas petiuolus, multos numeros obseruaueris, qui profundius aliquid habeant, quàm quod prima fronte obicitur. Quod autem præfenti temporis commodissimum est, ob has fortasse rationes

vel his proximas, vel etiam sublimiores quasdam magisque diuinas, Pentecosten diem Hebræorum more colimus: quemadmodum & alios nonnullos Hebræicos ritus obseruamus, apud illos quidem figura tenus celebratos, à nobis autem mysticè restitutos atque perfectos. Atque hæc de die nobis dicta sunt: nunc ad ea, quæ sequuntur, pergat oratio. Pentecosten celebramus, ac Spiritus aduentum, & præfinitum pollicitationis exequendæ diem, speique impletionem. Ac Deus bone, quantum est hoc mysterium, quàm magnum & venerandum! Corporea Christi finem habent, vel, vt rectius dicam, ea quæ ad corpoream ipsius peregrinationem spectabant, vereor enim dicere res ad corpus pertinentes, quo ad mihi cuiusquam oratio persuaserit, præclarior esse corpus, exiisse atque excussisse. Spiritus autem actiones principium capiunt. Quænam porro, ea erant, quæ ad Christum spectabant? Virgo, natiuitas, præsepe, fasciatio, angeli cum admiratione laudantes, pastores accurrentes, stellæ cursus, Magorum adoratio, & munerum oblatio, ab Herode patrata puerorum cædes, ipse in Ægyptum fugiens, ex Ægypto rediens, circumcisus, Baptismi aqua perfusus, testimonio cœlitus misso comprobatus, tentatus, lapidibus propter nos impetrus, vt pote quibus afflictionis pro fide ac recta doctrina subeundæ exemplū dari oportebat, proditus, clavis affixus, humo conditus, vitæ restitutus. Quorum nunc etiam plurima patitur, ab impijs quidem ea quæ ignominiam habent, ac pro sua lenitate patienter fert: à pijs autem & Christi amore præditis, ea quæ cum honore coniuncta sunt. Atque vt illis iram, eodem modo nobis quoque benignitatem differt hoc fortasse consilio, vt & illis poenitentia tempus concedat, & nostrum amorem cupiditatemque probet, atque exploret, an afflictionibus fragemur certaminibusque pietatis causa susceptis, quemadmodum iam olim diuinæ dispensationis & imperuestigabilium ipsius iudiciorum, quibus res nostras sapienter moderatur, est ratio. Atque huiusmodi quidem sunt, quæ ad Christum pertinent, & quæ postea sequuntur, gloriosiora spectabimus, vtrinamque & ipsi spectemur. Ad Spiritus autem mysteria explicanda Spiritus ipse mihi adsit, tantamque mihi dicendi facultatem suppeditet, quantam cupio: aut si nõ tantam, ac certè quæ huic festi celebrati par sit. Ac profectò aderit heriliter, nõ seruiliter, nec iustum atque imperiū, vt quibusdam videtur, expectans. Spiritus enim vbi vult, & super quos vult, & quando, & quantum. Sic nos Spiritu afflati & cogitamus & loquimur. Qui Spiritum sanctum in creaturarum ordinem deiiciunt, contumeliosi sunt & scelerati serui, atque ad eodē sceleratorum sceleratissimi. Sceleratorum enim seruorum est imperium aspernari, & aduersus dominationem insurgere, atque id quod liberum est, in eandem tecum seruitutis classem redigere. Qui autem Deum eum censent, diuini profectò viri sunt, atque illustri mente præditi. Qui verò non modò existimant, sed etiam assentunt ac presententur, siquidem apud æquos & probos auditores, sublimes & excelsi sunt: sin autem apud abiectos & humili pronolutos, haud satis prudentes, vt pote qui luto margaritam, & imbecillæ auri tonitruum sonum, & solem infirmis oculis, & lacte adhuc ventibus solidum cibū committant: cum eos paulatim ad vltiora promouere,

Bibl. Hom. tom. 3. S atque

atque ad sublimiora prouehere contineat, luminis impertiendo, ac veritati veritatem conuolando. Quocirca nos quoque perfectiori intentione sermone missio facto, nondum enim tempus id postulat, ad hunc modum cum ipsis differemus. Siquidem, o viri, nec increatum, nec temporis expertem Spiritu sancto creditis, Spiritu aduersario hanc dubie afflatum: dabitur enim ventura si zelo per motus asperius aliquod verbum extuleris: quod si hactenus saltem recte sentitis, ac bellè valeretis, quia a manifesta impietate abhorretis, atque eum, qui nos quoque liberis efficit, a feruili ordine eximitis, quod sequitur, vna cum Spiritu sancto ac nobis expendite. Vos quippe aliquatenus ipsius patetis esse confido, ac iam velut cum iis qui a nostris partibus stant, simul rem considerabo. Aut mihi aliquid, quod inter seruitutem & dominationem interiectum sit proferte; ut illie Spiritus dignitatem constituam: aut cum seruitutis nomine fugatis, non obscurum erit, quo loco atque ordine id quod exquiratur, collocetis. At syllabas auersamini, atque ad vocem intrinsecis, lapsique offensiohis & perra scandali hoc vobis efficitur, (nec mirum cum Christus quoque ipse nonnullis scandalo fuerit.) Humanus quidem affectus. Verum spiritualiter inter nos hanc controuersiam itansigamus: fraternae potius charitatis studium quam perditum nostri amorem pra nobis feramus. Vni diuinitatis ac potentiam nobis date, & nos vicissim diuinitatis vocem vobis concedemus. Naturam aliis vocibus, quibus plus tribuitis, consisteamini: ac vos ut infirmos curabimus, nonnulla vobis grata neque iuuanda firmiter elargientes. Quamquam enim vobis turpe est, turpestiquam, & per absurdum, cum animo optime valeatis, sortidè circa vocis sonum litam creare, ac thesaurum abditum habere, quasi aliis eum inuidentes, aut meruentes, ne linguam quoque vestram sanctificeris: turpius tamen est nobis eodem vitio teneri quod vobis obiciamus, & cum anxiam & fordidam de paruis rebus contentionem damnemus circa literas tamen inepta cōtentione immorari. Trinitatem, viti boni, viti diuinitatis esse fateamini, aut, si magis placet, vni naturae: atque hanc vocem, Deus, a Spiritu vobis postulabimus. Dabit enim profectò secundum, qui primum dedit, idque potissimum, si conscientia hanc vestra non a diabolica contradicendi libidine, sed a spirituali timiditate proficiatur. Atque, ut apertius & compendiosius loquar, sic inter nos agamus, ut nec vos sublimioris vocis ergo nos in crimen vocetis (nec enim inuidia & reprehensione premi debet huiusmodi ascensus) nec nos vicissim eam vocem, cuius adhuc capaces estis, vobis obiciamus: quandiu alio itinere ad idem diuersorium feremini. Non enim victoriam ambimus, sed ut fratres, quorum secessione distorquemur, ad nos redeant laboramus. Atque haec ad vos dicta sint: apud quos vitale quidpiam reperimus, quippe qui sane atque integrè de Filio sentiatis, quorum cum vitam iustitiae probemus, doctrinam tamen non omni ex parte laudamus, qui cum ea, quae sunt Spiritus, habeatis, Spiritum quoque in super assumite, ut non solum erreretis, sed etiam legitime hanc coronam decus comparatur. Hoc vobis praclare vita praemium detur, ut Spiritum plenè perfectèque consisteamini, ac nobiscum, iam id etiã ante nos, quantum est, ut dicitis. Atque

Modus disputandi cum haereticis.

Tom. 2.

etiam maius quiddam vestra causa dico, re, illudque Apostoli proloqui non dubitabo. Ad eum vos amplector atque exosculor, ad eum concinam hanc vestram & compositam vestem reuereor, & colorem eum, quem vobis vita frugalitas affert, & sacros hos carus, & angustam virginitatem ac purgationem, & in psalmorum cantillatione permutacionem, & propensum in pauperes, & fratres, & hospites studium atque amorem, ut anathema etiam a Christo esse, ac non nihil vel damnatus periri non recudem: modò nobiscum adiungamini, communibusque animis Trinitatem concelebremus. Nam quid de aliis dicam perspicue mortuis & extinctis (quos ad vitam reuocare Christi solius est, qui sua potentia mortuos viuificat) qui locorum spatium sceleratè distrahuntur, cum doctrina vinculo constructi sint, tantumque inter se contendunt, quantum distorti oculi vnam eandemque rem cernentes, ac non obtutu, sed situ duntaxat inter se diffidentes: si tamen illis distortio ac peruersitas potius quam caritas obicienda est. Postquam autem ad vos viciniam differui, agendum ad Spiritum iam ipsum redeamus: ac vos iam, ut opinor, dicere sequemini. Spiritus sanctus & semper erat, & est, & erit, nec villo ortu generatus, nec finem habiturus, sed semper cum Patre & Filio coninctus atque connumeratus: nec enim conueniebat, ut vel Pater Filium, vel Filius Spiritum sanctum aliquando desideraret. Maximam enim alioquinominiam perferret diuinitas, ut quae ad perfectionis cumulum velut ex poenitentia venisset. Erat igitur semper, particeps non particeps: perficiens non ab alio, perfectus: explet non expletus: sanctificatus: diuinitatem afferens non accipiens: ipse semper, & secum, & cum iis, quibus adiunctus est, idem & aequalis: & inuisibilis, temporis expert, nullo spatio circumscriptus, immutabilis, qualitate, quantitate, forma & tactu carens, suopte & sempiterno motu agibilis, arbitrij libertatem & potestatem a se habens, omnipotens (tamen si ad primariam causam, omnia quae Spiritus sancti sunt, quemadmodum & quae vni geniti, referantur) vita & vitæ parens, lumen & luminis suppeditator, bonitas ipsa & fons bonitatis, Spiritus rectus, principalis dominus, mitens, segregans, templum sibi extruens, viam praemonstrans, arbitratu suo affans, gratiasque diuidens, Spiritus adoptionis, veritatis, sapientie, prudentiae, scientiae, pietatis, consilij, fortitudinis, timoris, quemadmodum superius commemorauimus, per quem Pater cognoscitur, & Filius celebratur, & a quibus solis ipse cognoscitur, vna classis, vna adoratio, potentia, perfectio, sanctitas. Quid pluribus verbis opus est? Omnia quaecunque Pater habet, sunt Filij, praeterquam quod ingentis non est. Omnia quaecunque Filius, Spiritus sancti sunt, si generationem exceperis. Haec porro nequaquam substantiam fecerunt, ut quidem ipse sentio, verum circa substantiam fecerunt. Parturis obiectiones? at ego orationis cursum. Diem Spiritui sacrum honori habere: linguam paululam, si fieri potest, comprime. De aliis linguis oratio nobis instituta est: has reuere vel extimeste, videlicet cum igne conspicuas. Hodie dei dogma proponamus: cras argute & artificiosè differemus. Hodie festum agamus: cras ab honesto & decoro recedemus. Haec mysticè; illa theatricè: haec Ecclesiis, conueniunt, illa foro: haec sobriis,

Hominis dicitur fieri vna san.

sobriis, illa temulentis: haec seridè agentibus, illa aduersus Spiritum ludentibus. Posteaquam autem alienos submouimus, age nostros instauremus. Primū igitur Spiritus sanctus in angelicis & caelestibus copiis, iisque quae post Deum primae sunt, eumque circumstant, vim suam exercebat, neque enim aliunde perfectionem atque splendorem habent, eumque status praesentiam, ut ad malum non facile, vel nullo profus modo moueri queant, quam a Spiritu sancto. Deinde in Prophetis, qui partim Deum per imaginem conspexerunt aut cognouerunt, partim etiam res futuras praesciuerunt, impressam nimirum per Spiritum sanctum principem animi partem habentes, & futura quasi praesentia cernentes. Huiusmodi quippe Spiritus vis est ac potentia. Tam in Christi discipulis (Christum enim praetermitto, cui non ut afflator aderat, sed ut honore aequalem comitans) iisque trifariam (prout ipsorum captus ferebat) tribusque temporibus, nempe antequam Christus per passionem glorificatus esset, postquam per resurrectionem glorificatus fuit, ac denique post eius ad caelos ascensionem siue restitutionem, siue quocunque alio nomine res ea sit appellanda. Hoc autem perspicue ostendit tum prima illa morborum spirituumque depulso, quae certe non absque Spiritus numine fiebat: tum illa post expletum salutis nostrae negotium inhalatio, quae diuinius proculdubio inspirationis specimen habebat, tum postremò praesens haec ignearum linguarum diuisio, quam solenni festo celebramus. Verum obscurius primum in eis efficax erat, secundò expressius, nunc verò plenius. ut pote qui non iam actu praesens sit ut prius, sed essentia, ut sic loquar, adsit, simulque versetur. Nam cum Filius corpoream nobiscum consuetudinem habuisset, Spiritum quoque corporeo modo certini conueniebat, & cum Christus ad sese reuersus esset, Spiritum quoque ad nos descendere, & quidem ita, ut & tanquam Dominus veniret, & tanquam Deo nequaquam oppositus mitteretur. Etenim huiusmodi voces non minus concordiam declarant, quam naturam distrahunt. Idcirco post Christum quidem accedit, ne Paracletus nobis desit: alius autem, ut tu honoris aequalitatem cogites. Haec enim dictio, Alius, alium mihi aequalem constituit. Hoc porro nomen parem imperij gradum indicat, non ignominiam. Vox enim, Alius, non de alienis, sed de iis, quorum eadem est substantia, praedicatur. Iam verò in linguis apparet propter cognationem eam, quam cum Verbo habet. Cur autem in linguis igneis? vtrum propter purgationem (Ignis enim purgantis Scriptura meminit, quemadmodum cuius volenti discere promptum est) an verò propter essentiam? Deus enim noster ignis est, & quidè ignis improbitatem absumentis, discrucieris rursus licet, in eas angustias adductus, ut eum eiusdem cum Patre substantiae esse tibi sit constituendum. Atque in dispersis quidem linguis apparet ob gratiarum diuersitatem: sedentibus autem, propter regiae dignitatis excellentiam, eiusque super sanctos dignitatem, quandoquidem Deus quoque pro throno Cherubinos habet. In caenaculo verò (nisi forte curiosius quam par sit, ista persequi videor) propter eorum, qui accepturi sunt, ascensionem atque a terra subuectionem: nata & caenacula quaedam diuinis aquis, a quibus Dei quoque lau-

des celebrantur, regi audinimus. Atque ipse Iesus cum sublimioribus mysteriis discipulos initiaret, sacramentum ipsis in caenaculo impertit, ut illud ostendatur, partim Deum ad nos descendere, quemadmodum olim in Mose contigisse scimus, partim nos ad eum subuehi, sicque inter Deum & homines consortium iniri, vtriusque videlicet dignitate inter se commixta. Quandiū autem & ille in sua specula, & homo in humilitate & depressione sua manserit, nec bonitatem ipsius villo modo misceri, nec beneficentiam comunicari posse: chaos enim vastū atque imperiū interiectū esse, non modò diuitem a Lazaro & expetēdo illo Abrahāe sinu dirimens, verum etiam procreatam & fluxam atque caducam naturam ab increata & stabili. Hic a Prophetis promulgatus est, quemadmodum ex his Scripturae locis patet, Spiritus Domini super me, propterea vnxit me: Et, Requiescent super eum Spiritus septem. Item, Descendit Spiritus domini, & deduxit eos. Ad haec, Spiritus scientiae, a quo Beeseel tabernaculi architectus impletus est. Ac praeterea Spiritus, ad iracundiam prouocatus. Insuper, Spiritus qui Hebraeam in curru extulit, ac duplex ab Elia postulatus est. Adde Spiritum bonum & principalem, quod Dauid ducitur atque confirmatur. Promissus autem est, prius quidem a Iocle in haec verba loquente. Et erit in nouissimis diebus, Effundam de Spiritu meo super omnem carnem, scilicet fide praeditam, & super filios vestros & super filias vestras, & quae sequuntur. Postea autem ab ipso quoque Iesu, qui ut a Spiritu glorificatur, ita vicissim quoque ipsum glorificat: quemadmodum & Patrem glorificat, & a Patre glorificatur. Et quidem quam larga & effusa promissio fore ut in aeternum permaneat, siue nunc cum his qui ad tempus digni erunt, siue in posterum cum his, qui alterius saeculi bonis digni habebuntur, posteaquam videlicet ipsum per honestam & praeclearam vitam rationem integrum serauerimus, ac non hactenus amiserimus, quatenus in peccatum prolapsi fuerimus. Hic Spiritus & cum Filio rerum creationem ac resurrectionem fabricatur, quemadmodum his Scripturae locis comprobatur: Verbo domini caeli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum. Et, Spiritus diuinus, qui fecit me, status omnipotentis, qui docet me. Et rursus, Emittes spiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terrae. Atque spiritualis regenerationis author est, Huius rei tibi fidem faciat, quod Christus ait, Neminem regnum videre aut accipere posse, nisi qui superne per Spiritum progenitus fuerit, ac per diuinam & loculentam creationem, qua per sese quisque fingitur, a priori generatione, quae noctis arcanum est, purificatus fuerit. Hic Spiritus utpote sapientissimus atque hominum amatissimus, si pastorem nactus fuerit, citharæ dum facit peruersos Spiritus excantantem, atque Israelis regem designat: si captarium moros vellicantem, Prophetam efficit. Dauidem & Amos cogita, si adolescentem elegantem acceperit, presbyterorum iudicem constituit, idque supra quam aetatis ratio ferre videatur. Testis est Daniel, qui leones in lacu superauit. Si pisces inuenerit, e verriculo eos ad Christum trahit orbem vniuersum sermonis rebus complectentes. Exemplo tibi sint Petrus & Andreas tonitruque filij, qui spiritualia intonerunt.

Luc. 16.

Si publicanos, ad discipulatum elucratum, animarumque negotiatores efficit. Testis Matthæus heri publicanus, hodie Euangelista. Si feroces persecutores, zelum commutat, ac Paglos pro Saulis facit, nec minus pios reddit, quam impios offendat. Hic & lenitatis est Spiritus: & tamē in eos qui peccant, incitatur. Proinde si eum lenem & clementem, ac non iracundum experiri volumus, dignitatem ipsius conſtreamur, cauēamūque ne quid in illum conuiriū blasphemiarūque dicamus, nec nobis in mentem ueniat, uelle eum implacabiliter irascentem uidere. Hic me hodierno die fortem & intrepidum cōcionatorem reddit. Quæ res siue quid grauius mihi allatura est, Deo sit gratia, siue nihil mali allatura, sic quoque Deo gratia: alterum quod hac ratione eos, qui nobis infesti sunt, à maleficio reprimat: alterum quod nos sanctificare ita uelit, hunc uidelicet sacræ Euangelicæ functionis fructum ferentes, ut uitam cum cruenta morte commutemus, martyriūque perſungamur. At uerò linguis externis ac non uernaculis. Apostoli loquebantur, singularique miraculo sermo ab his, qui non didicerant, proferbatur: signūque illud infidelibus erat, non fidelibus, ut infidelium accusator esset: sicut scriptum est, Quoniam in aliis linguis, & in labiis aliis loquitur populo huic, ac ne sic quidem exaudient me dicit dominus. Audiebant autem. Verū hic Paulum cōsiste, atque addubita quo modo distinguenda sit oratio. Textus enim nonnullam ambi gūitatem habet, puncto dirimendam. Vtrum enim audiebant sua quisque dialecto, ita ut, uerbi gratia, uox quidem una resonaret, ceterum multæ audirentur, sic uidelicet pulsato ac perſtrepente aëre, pluribusque uocibus, ut magis perspicua dicam, ex una uoce effectis: an potius in hoc uerbo, Audiebant, punctum statuendum est, atque hæc uerba, Loquentes suis linguis, cum his quæ sequuntur, iungenda sunt: ut sic legatur, Loquentes linguis, propriis scilicet audientium, hoc est, externis: qui sensus mihi magis arridet. Nam si priorem modum sequamur, eorum potius qui audiebant, quam qui uerba faciebant, hoc miraculum fuerit: at iuxta posteriorem sensum, eorum qui loquebantur: qui etiam tumulentia insimulantur, haud dubie quia ipsi Spiritus afflatu noui miraculi aliquid circa uoces designabant.

Genes. 9.

Quamquam autem præclara quoque ac laudabilis fuit uetus illa linguarum diuisio (cū scilicet nefarie impiæque inter se concordēs erant qui turrim extruebant, quemadmodum nūc quoque quidam facere non uerentur) animorum enim & uoluntatum cōsensus cum linguarum distinctione soluta susceptum negocium abruptit. præclarior tamen laudabiliorque est ea, quæ nunc insigni miraculo patrat. Ab uno enim Spiritu in multos diffusa ad unum concentum rursus contrahitur. Atque gratiarum diuersitas est alia gratia opus habens ad discernendum quænam sit præstantior: quandoquidem nulla est, quæ laude careat. Quin præclara quoque illa diuisio dici possit, de qua loquitur Dauid, Præcipita Domine, & diuide linguas eorum. Quid ita? Quoniam dilexerunt omnia uerba præcipationis, linguam dolosam: modò non apertis uerbis huiusce loci ac tempestatis linguas accusans, quæ diuinitatem scindunt. Ac de his quidem hæcenus. Quoniam autem habitantibus Hierusalem religiosissimis

Psal. 54.

Iudæis, Parthis, Medis & Elamitis, & Egyptiis & Libycis, Cretenſibus & Arabibus, Mesopotamitis & Cappadocibus meis lingua loquebantur, atque ex omni gente qua sub cælo est, Iudæis, illic (si cui intellectus hic placet) congregatis, operæ precium fuerit uidere, tum quoniam hi erant, tum cuius captiuitatis. Nam illa Egyptiaca & Babylonica præter quam quoddam circumscripta ac certo loco definita erat, iam etiam olim per capti uorum reditum soluta fuerat. Illa autem Romana, qua sceleris ac uesanæ aduersus salutis auctorem audaciæ pœna ab ipsis expetebatur, nondum acciderat, sed imminēbat. Relinquitur igitur, ut hanc captiuitatem Antiochenam esse censeamus, iis temporibus non multò antiquiorem. Quod si cui hæc expositio minus probatur, ut curiosus alieniūque perita (neque enim captiuitatem hanc ueterem esse, neque in multas orbis partes diffusam) ac probabiliorē querit, illud forsasse rectius fuerit existimare, quod eum sæpe atque à multis hæc natio exilij causa solum uertere coacta sit, quemadmodum Esdras historiae monumentis prodidit, aliæ uero in tribus in patriam restituta fuerint, aliæ uero in exilio relicta: quibus, ut uerisimile est, in multas nationes dispersis, tum temporis quidam adfuerint, Apostolicæque miraculi participes exiterint. Atque hæc à nobis perpenſa & cōsiderata sint, quæ etiam eiusmodi esse arbitramur, ut literarum studioſi, ea pro superfluis superuacaneis que nequam habituri sint. Quod si quis aliud quidpiam ad huius diei solennitatem cōulerit, nobis quoque id collegerit. Sed iam concio quidem soluenda est (satis enim longè se porrexit oratio) festi autem celebratio nunquā abrumpenda. Quin potius festum agendum est, nunc quidem corporaliter quoque, paulò post autem profusus spiritualiter. Illic nimirū, ubi rationes harum rerum purius apertiusque cognoscemus in ipſo uerbo & Deo & Domino nostro Iesu Christo, uero eorum, qui salutem consequuntur, festo & exultatione, cum quo gloria & ueneratio Patri cum sancto Spiritu nunc & in sæcula sæculorū, Amen.

## S. IO. CHRYSOSTOMI

Episcopi Constantinop. præcedentis  
euang. explicatio.

**T**VM Iudas; Quid factum est (inquit) quia manifestaturus es nobis teipsum? Ecce quanta formidine tenebantur: commotus enim, & perturbatus erat eorum animus, & ut mortuos in somniis, ita eum uisuros se arbitrabantur. Ad quam suspicionem tollendam, audi quid respondeat; Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, &c. Tantum non dicens; Sicut pater manifestat seipsum, ita & ego: neque hoc tantum, sed dicendo; Mansionem apud eum faciemus. Aufert suspicionem non in somniis se manifestaturum. Tu autem contemplantur turbatum discipulum, neque aperte sententiam suam dicere audentem. Non enim dixit, uerè nobis, quod motieris, & mortuus nobis appariturus es: sed, Quid factum est, quod manifestaturus es nobis teipsum, & non mundo? Dicit ergo se eos charos habere, quia mandatū ipsius seruant: ut enim uisum postmodum phantasma non existimarent, ideo hæc prædicat & ne ita, ut dixi, sibi apparitum

Ex Hebr. in Lat.

rum putarent, affert etiam causam, quod ob matatorum obseruationem spiritus ad eos uenturus sit. Quod si tam diuturna consuetudine ipsius substantiam ferre, imò ne intelligere quidem possunt, quid nam futurum esset: si à principio ita eis apparuisset? Ideo cum his comedit, ne phantasma putaretur. Nam, si super eum ambulantes uidentes id opinati sunt, cum eis non multum distantem uiderant, qui credi poterat, si repente resurgentem uiderent, quem captum uiderant, & ligatum? Ideo frequenter eis se apparitum, & quare, & quomodo prædicat, ne phantasma existimaretur. Qui non diligit me, sermones meos non seruat, &c. Itaque non me solum non diligit, sed ne patrem quidem, qui hæc uerba non audit. Nam, si amoris indicium est, mea audire mandata, quæ patris mei sunt: qui audit, non filium solum, sed & patrem diligit. Et quomodo sermo hic tuus est, & non tuus? hoc est, quod nihil à patre loquor, neque aliquid, quàm quod illi placitū est. Hæc loquutus sum uobis apud uos manens. Cū hæc obscuriora essent, & partim non intelligerent, partim & plura dubitarent, ne iterum perturbarentur, & quæ mandata diceret seiscitarentur, hanc amouit sollicitudinem, inquit, Paracletus autem, quem mittet pater in nomine meo, ille uos docebit. Fortasse quæ dixi, non intelligitis, sed ille manifestus magister erit. Illa autem particula, Apud uos manebit, signat quod ipse abeat, quare ne tristrentur, ait, quousque ipse apud eos maneat & spiritus non ueniat, nihil magnum, nihil altum poterunt intelligere. Quod dicit, ut ad ipsius abitum magno animo ferendum eos disponat, tanquam magnorum honorum causam futurum. Frequenter autē paracleti meminit, propter eam, qua afficiebantur tristitia: & cū his uerbis perturbarentur intelligētes molestias, bella, magistri discessum: uide quomodo iterum eos cōsolatur inquit; Pacem relinquo uobis. Tantū non dicens; Quid mundi perturbationibus mouemini, cū pacem mecum habeatis? Neque enim huiusmodi est pax mundi, quæ in malo sit sæpenumero, & nihil ipsam habentibus confert. Ego do pacem, ut inuicem eam habeatis, & uos fortiores efficiat. Sed cū iterum dixisset; Relinquo: quod uerbum discedentis est, & par esset eos perturbari, ideo rursus dixit; Non turbetur cor uestrum, neque formidet. Ecce quod partim amore, partim metu mouebantur. Audistis quia ego dixi uobis, uado, &c. Et quodnam gaudium hoc eis allaturū erat, quam consolationem? Quid hoc signat? Nōdum resurrectionem intelligebant, neque debitam de eo habebant sententiā. Et quomodo poterant, cū nondū resurrexisse uiderent? Patrem autem magnum esse existimabant. Dicit ergo; Si mihi timetis, quod me defendere nequeam: neque cōfidiris, quod post mortem iterum uos uideam: tamen audiendo, quod ad patrem uado, lætandū uobis est, quod ad maiorem uado, & qui omnia potest molesta dissoluere. Vos audistis, quia ego dixi uobis. Quare hoc posuit quasi dicat, ut intelligatis, quantum uerbis meis tribuam, cū prædicere non sim ueritus. Hæc ergo, & quæ futura sunt, Dixi uobis, priusquam fiant, ut, cū facta fuerint, credatis, quia ego sum. Quasi dicat; Non scieritis, nisi ego dicerem: neque dicerem, nisi mihi confiderem. Vides sermonem imbecillitati accommodatum? Etenim cū diceret; An putas, quia non possum

Matth. 26.

rogare patrem meum, & exhibebit mihi modò plusquam duodecim legiones angelorum? ad auditorum opinionem locutus est. Neque enim illud diceret quispiam, uel stultissimus crederet, quod sibi ipse auxilio esse non poruerit, sed angelorum egerit, ueritamen eum tanquam hominem arbitrantur: ideo dixit, duodecim legiones angelorum. Atqui simpliciter Iudæos interrogans, reiecit retrosum. Quod si quis maiorem filio patrem, in quantum principium, diceret, neque hoc contradicerem: non tamen hoc alterius facit filium esse substantiæ. Quod autem dicit, hoc est, quoad hinc sum, par est, ut uos arbitremini, quod nos periclitemur: si autem illuc abiero, cōfudite, quia securi sumus, illum enim nemo uincere potest. Quæ omnia ad discipulorum imbecillitatem dicta sunt: ipse enim confido, neque curo mortem, ideo inquit, Hæc dixi uobis, priusquam fierent. Cū enim nondum hunc sermonem capere possitis, à patre, quem magnum appellatis, uos consolor, inde etiam tristitia admiscet, tam non multa loquor uobiscum. Quare? Venit enim princeps mundi huius, &c. Principem mundi diabolum, & malos homines appellat. Non enim cælo, & terræ imperat, cū omnia strauisset, imperat autem iis, qui se ei in seruitutem tradunt, ideo & principem tenebrarum sæculi, & tenebras opera appellat. Quid ergo diabolum te perdit? Minime, nihil enim in me habet. Cur ergo te Iudæi interficiunt? Quoniam uolo, & ut cognoscat mundus quia diligo patrem, non enim quod sim reus mortis, atque ei obnoxius, sed ob meam in patrem dilectionem hoc patior: hoc ait, ut iterum eorum animos exciter, & intelligant non inuitum, sed uerò mortem subire, & diabolum contemnere: neque contentus fuit dicere; Modicum uobiscum, sed id ipsum quod molestum erat, frequenter repetit, nec iniuria: quousque enim tristitiam eorum molliat, & faciliorem toleratu reddat, lætiora annectit, idcirco ait; Uado & uenio, & ubi ego sum, & uos sitis: & non potestis me sequi modò, sequimini autem postea, & ad patrem uado: & pater maior me est: & priusquam fierent, dixi uobis. Et non necessariò hoc patior, sed propter patris dilectionem, ut cognoscant, quod nihil mali feci, nisi quod ualde cum diligo, & qui diligitur, ita uult, ideo læta hæc tristioribus frequenter admiscet, eorum mentem aperiens. Nam quod dixit; Apud uos manebit: ostenditque ueritatem suam fore discessum, eis cōsolandi gratia dixit, propterea multa de spiritu locutus est: Et in uobis erit, & mundus non potest accipere, & ille docebit omnia, & spiritum ueritatis, & spiritum sanctum, & paracletum, & suggeret uobis omnia, ne ægrè ferrent, ac si parum possent proficere. Dicit autem, Suggester, ostendens se eos spirituales effecturum, ut uenisse nō ignoramus. Qui enim prius tremebant, & formidabant, post spiritus acceptionem in media pericula proficuerunt, per ferrum, ignem, bestias, pelagus, & ad omnem calamitatem se intrepidi exposuerunt: & illiterati, & idiotæ audenter disputabant, ut auditores in admirationem adducerent, & stuporem: ex luteis ferreos, & in cælum erigens, nulli humano affectui subiectos reddidit spiritus. Talis illa gratia, quæ merorem soluit, malas cupiditates consumit, formidinem pellit, nec sinit amplius hominem esse, quem afflat. Sed tanquam in id ipsum

Iust. 18.



cælum translatus omnia, quæ illic sunt, contem-  
platur. Quamobrem nemo aliquid suum propriū  
dicebat. In orationibus, læticia, simplicitate per-  
feuerabant: hoc maximè opus est spiritus sancti.  
Fructus enim spiritus, læticia, pax, fides, manife-  
studo. Sed tristantur nonnunquam spiritales ho-  
mines. Verùm tristitia illa læticia suauissima est:  
nam & Cain tristatus, sed mundi tristitia: & Pau-  
lus, sed Dei: Quicquid enim spiritale est, lucrum  
habet maximum: vt mundana omnia maximum  
dispensium. Imploremus ergo insuperabile spi-  
ritus auxilium, seruemus mandata, neque erimus  
angelis inferiores: neque enim illi, quoniam cor-  
pus non habent, tales sunt: ita enim nullus eor-  
um malus fuisse, sed voluntas omnium causa  
est. Propterea ex iis, qui corpore carent, etiā bru-  
tis peiores inuenti sunt, & ex corporeis illis etiam  
incorporeis præstantiores: & omnes iusti, qui  
terram habitant, qui corpori sociantur, rectè faci-  
unt, quæ faciunt: tanquam enim hospites, &  
peregrini terram habitant, cælum vt ciues. Noli  
ergo, quod carnem habeas, de victoria, & labore  
pro virtute subeunda desperare. Noli rerum opi-  
ficem accusare: Si enim carnem ferre virtuti pror-  
sus viam præcluderet nobis culpa non esset im-  
putanda: quod autem id non faciat, sanctorum  
coetus ostendit: neque enim carnis natura Paulo  
fuit impedimento, quin qualis fuit euaderet: non  
Petro, vt cæli claus acciperet. Et Enoch in carne  
translatus, nusquam apparuit, ita & Helias cum  
carne raptus est, & Abraham, Isaac, & Iacob in  
carne claruerunt. Ioseph in carne impudicæ mu-  
lierem superauit. Et quid carnem dico? quam si  
etiam catenis deuincias, nihil ei nocueris. Nam,  
si ligatus sum, inquit Paulus, at sermo Dei non li-  
gatur. Et quid vincula, quid catenas memini? Ad-  
das & carcerem, & compedes, nihil horum vllum  
affert virtuti impedimentum. Ita docet Paulus.  
Vinculum animæ non ferrum, sed timor, & cupi-  
ditas pecuniarum, & animæ passiones: hæc sunt  
vincula, licet corpus solutum sit. Sed à corpore hæc  
veniunt, inquit. Nugæ hæc, & mendacium: nam,  
si ita esset, omnes iidem subderemur affectibus:  
Vt enim lassitudinem, somnum, famem, sitim  
cuiare non possumus, quoniam naturalia sunt:  
ita & illa neminem immunem, & sibi non obno-  
xium relinquerent. Quod si multi his non subij-  
ciuntur: constat pigritiæ nostræ, quicquid perpe-  
ram faciamus, adscribendum. Omnia igitur vitia  
abscindamus, neque corpus accusemus, sed subij-  
ciamus animæ gubernaculis, vt facile sempiterna  
bona consequamur, gratiā, & benignitate do-  
mini nostri Iesu Christi, cum quo patri, simul &  
spiritui sancto gloria, in secula seculorum, Amen.

S. AVGVST. EPISCOPI

Hippon. in superius Euang.

Homilia 1.

Ex tract. 76. in Ioan.

**R**espondit Iesus & dixit ei, Si quis diligit me, ser-  
monem meum seruet, & pater meus diligit eum,  
& ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.  
Qui non diligit me, sermones meos non seruat. Ecce ex-  
posita est causa, quare se suis manifestaturus est,  
non alienis, quos mundi nomine appellat, & ipsa  
est causa, quod hi diligant, illi non diligant: ipsa  
causa est de qua facer insonat Psalmus; Iudica

me, Deus, & discerne causam meam de gente nõ  
sancta. Qui enim diligunt, quia diligunt, eligun-  
tur: qui vero non diligunt, si linguis hominum  
loquantur & angelorum, sunt etamentum so-  
nans, & cymbalum tinniens, & si habuerint pro-  
phetiam, & scierint omnia, sacramenta, & omnem  
scientiam, & habuerint omnem fidem vt montes  
transferant, nihil sunt: & si distribuerint omnem  
substantiam suam, & tradiderint corpus suum, vt  
ardeant, nihil eis prodest. Dilectio sanctos discer-  
nit à mundo, quæ facit vnanimes habitare in do-  
mo, in qua domo pater, & filius mansionem faci-  
ciunt, qui donant & ipsam dilectionem, quibus  
donent in fine etiam ipsam manifestationem. De qua discipulus magistrum interrogabat,  
vt non solum illi, qui tunc audiebant per os eius,  
sed etiam nos per Euangelium eius hoc nosse  
possemus: quæserat enim de Christi manifesta-  
tione, & audiuit de dilectione, atque mansione.  
Est ergo quædam Dei manifestatio interior, quã  
prorsus impij non nouerunt, quibus Dei patris, &  
spiritus sancti manifestatio nulla est: filij vero po-  
tuit esse, sed in carne, quæ nec talis est qualis illa,  
nec semper illis adesse potest qualiscunq; sit,  
sed ad modicum tempus, & hoc ad iudicium, non  
ad gaudium: ad supplicium, non ad præmium.  
Nunc est ergo vt intelligamus quantum aperite  
ille dignatur, quomodo dictum sit; *Adhuc modicum  
& mundus me iam non videt, vos autem videbitis  
me.* Verum est quidem, quod post paululū etiam  
corpus suum in quo poterat eum & impij o-  
culis videre, oculis eorū fuerat subtracturus quan-  
doquidem post resurrectionem nemo eorum vi-  
dit illorum, sed quoniam dictum est testantibus  
angelis. Sic veniet quemadmodum vidistis eum  
euntem in cælum, nec aliud credimus quàm eum  
in eodem corpore ad iudicium viuorum & mor-  
tuorum esse venturum. Proculdubio tunc enim  
videbit mundus, quo nomine significati sunt à  
regno eius alieni: ac per hoc longè melius intel-  
ligitur iam illud tempus significare voluisse in eo  
quod ait; *Adhuc modicum & mundus me iam non vi-  
det,* quādo in fine seculi auferetur ab oculis dam-  
natorum, vt illi eum de cætero videat apud quos  
diligentes eum facit pater atque ipse mansionem.  
Modicum autē dixit, quia & id quod prolixum  
videtur hominibus, breuissimum est ante oculos  
Dei: de hoc quippe modico iste ipse Ioannes, Fi-  
lioli, inquit, nouissima hora est. Ne quis porro  
existimet patrem tantummodo & filium sine spi-  
ritu sancto apud dilectores suos facere mansio-  
nem, recolat quod superius de spiritu sancto di-  
ctum est, *Quem mundus nõ potest accipere,* quia  
non videt eum, nec scit eum: vos autem cogno-  
scetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis  
erit. Ecce facit in sanctis cum patre & filio san-  
ctus etiam spiritus mansionem, intus vtique tan-  
quam Deus in templo suo. Deus trinitas pater, &  
filius, & spiritus sanctus veniunt ad nos, dum ve-  
nimus ad eos: veniunt subueniendo, venimus obe-  
diendo: veniunt illuminando, venimus intuendo:  
veniunt implendo, venimus capiendo, vt sit no-  
bis eorum non extranea visio: sed interna, & in  
nobis eorum non transitoria mansio, sed æterna:  
sic mundo non se filius manifestat. Mundus enim  
dictus est hoc loco, de quibus continuo subiun-  
xit atque ait, *Qui non diligit me, sermones meos non  
seruat.* Hi sunt, qui patrem, & spiritum sanctum  
nunquam

nunquam videt: filium autem non vt beatificen-  
tur, sed vt iudicentur, ad modicum vident: nec  
ipsum in forma Dei, vbi est cum patre, & spiritu  
sancto pariter inuisibilis, sed in forma hominis,  
vbi esse voluit mundo patiendo contemptibilis,  
iudicando terribilis: quod vero adiunxit, *Et sermo  
quem audistis non est meus, sed eius, qui misit me pater.*  
Non miremur, non pauemus, non est minor pa-  
tre, sed non est nisi à patre, non est impar ipso, sed  
non est à seipso: neque enim mentitus est dicen-  
do, *Qui non diligit me, sermones meos nõ seruat,*  
ecce suos dixit esse sermones. Nunquid sibi ipse  
est contrarius, vbi rursus dixit, *Et sermo quem au-  
distis, non est meus?* Aut quia secundum hominem  
non est suus? Et fortasse propter aliquam distin-  
ctionem, vbi suos dixit, pluraliter dixit, hoc est  
sermones: vbi autem sermonem, hoc est, verbum,  
non suum dixit esse, sed patris, seipsum intelli-  
git voluit. In principio enim erat verbum, & verbum  
erat apud Deum, & Deus erat verbum. Nõ itaque  
suum, sed patris est verbum, quomodo nec sua  
imago, sed patris est, nec suus filius idem ipse, sed  
patris. Rectè igitur tribuit auctori, quicquid facit  
æqualis, à quo habet hoc ipsum quod illi est  
indifferenter æqualis.

EIVSDEM IN IDEM

Homil. 2.

Ex tract. 77. in Ioan.

**I**n præcedenti lectione sancti Euangelij, quam  
sequitur ista, quæ modo recitata est, dominus  
Iesus dixerat se, & patrem ad dilectores suos esse  
venturos, & apud eos mansionem esse facturos.  
Iam verò & superius dixerat de spiritu sancto. Vos  
autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit,  
& in vobis erit, vnde intelleximus in sanctis tan-  
quam in templo suo simul manere trinitatē Deū:  
nunc autem dicit, *Hæc locutus sum vobis, apud vos  
manens.* Illa itaque mansio alia est, quam promisit  
futuram: hæc verò alia, quam præsentem esse tes-  
tatur. Illa spiritalis est, atque intrinsecus menti-  
bus redditur: hæc corporalis forinsecus oculis, at-  
que auribus exhibetur: illa in æternum beatificat  
liberatos, hæc in tempore visitat liberandos, se-  
cundum illam dominus à suis dilectoribus non  
recedit, secundum hanc it, & redit. *Hæc,* inquit, *lo-  
cutus sum vobis, apud vos manens,* vtique præsentia  
corporali, qua cū illis visibilis loquebatur. *Para-  
cletus autē,* inquit, *spiritus sanctus, quem mittet pater  
in nomine meo, ille vos docebit omnia, & commemorabit  
vobis omnia quæcunq; dixero vobis.* Nunquid nam  
dicit filius, & docet spiritus sanctus, vt dicente fi-  
lio verba capiamus, docente autem spiritu san-  
cto, eadem verba intelligamus? Quasi dicat filius  
sine spiritu sancto, aut spiritus sanctus doceat si-  
ne filio, aut verò non & filius doceat, & spiritus  
sanctus dicat, & cum Deus aliquid dicit, & docet  
trinitas ipsa dicat, & doceat: sed quoniam trinitas  
est, oportebat eius singulas insinuare personas,  
easque nos distincte audire, inseparabiliter intel-  
ligere: Audi patrem dicentem vbi legis, Dominus  
dixit ad me, filius meus es tu: audi & docentem  
vbi legis; Omnis qui auditur à patre, & dicitur, ve-  
nit ad me: filium vero dicentem modo audisti: de  
se quippe ait, *Quæcunq; dixero vobis.* Quem etiam  
docentem vis nosse, magistrum recole, Vnus est,  
inquit, magister vester Christus. Spiritum porro

1. Ioh. 1. 1. Ioh. 6. 1. Ioh. 14.

sanctum, quem modo audisti docentem, vbi di-  
ctum est, *Ipse vos docebit omnia:* audi etiam dicentē,  
vbi legis in Actibus Apostolorum, beato Petro di-  
xisse spiritum sanctū, *Vade cū illis, quia ego misi  
eos.* Omnis igitur & dicit & docet trinitas: sed ni-  
si etiam sigillatim cōmendaretur, eam nullo mo-  
do humana capere vtique possit infirmitas.  
Cum ergo omnino sit inseparabilis, nunquam  
trinitas esse sciretur, si semper inseparabiliter di-  
catur: nam & cum dicimus patrem & filium &  
spiritum sanctum, non eos vtique dicimus simul,  
cum ipsi non possint esse nisi simul. Quod verò  
addidit, *commemorabat vobis,* intelligere debemus  
etiam, quod iubemur non obliuisci saluberrimos  
monitus ad gratiam pertinere, quam nobis com-  
memorat spiritus. *Pacem, inquit, relinquo vobis, pa-  
cem meam do vobis.* Hoc autem est quod legimus  
apud Prophetam, *Pacem super pacem, pacem no-  
bis relinquit irurus, pacem suam nobis dabit in  
fine venturus, pacem nobis relinquit in hoc secu-  
lo, pacem suam nobis dabit in futuro seculo, pacem  
nobis relinquit, in qua manentes hostem vinci-  
mus, pacem suam nobis dabit, quando sine hoste  
regnabimus, pacem relinquit nobis, vt etiam hic  
inuicem diligamus, pacem suam nobis dabit, vbi  
nunquam dissentire possumus, pacem relinquit  
nobis, ne de occultis nostris inuicem iudicemus,  
cum in hoc seculo, pacem suam dabit nobis,  
cum manifesta bit cogitationes cordis, & tūc  
laus erit vnicuique à Deo. In illo tamen atque ab  
illo nobis est pax, siue quam nobis relinquit iru-  
rus ad patrem, siue quam nobis dabit nos perdu-  
cturus ad patrem. Quid autem nobis relinquit  
ascendens à nobis, nisi seipsum dum non recedit  
à nobis? Ipse est enim pax nostra, qui fecit vtraque  
vnum. Pax ergo ipse nobis est, & cum credimus  
quia est, & cum videmus eū sicut est: si enim quā-  
diu sumus in corpore corruptibili quod aggrauat  
animam, cum per fidem ambulamus, non per spe-  
ciem, non deserit peregrinantes à se, quanto ma-  
gis cum ad ipsam speciem venerimus, nos imple-  
bit ex se. Sed quid est quod vbi ait, *Pacem relinquo  
vobis,* non addidit meā: vbi vero ait, *pacem do vobis,*  
ibi dixit meam? Vtrinque subaudiendū est meam,  
& vbi dictū non est, quia postea dictum est, potest  
referri ad vtrūque etiam quod semel dictū est. An  
forte & hic aliquid latet quod petendū est, & que  
rendum, & ad quod pulsantibus aperiendū: *Quid  
si enim pacem suam eam voluit intelligi, qualem  
habet ipse? Pax verò ista, quam nobis relinquit in  
hoc seculo, nostra est potius dicenda quam ipsius.  
Ille quippe nihil repugnat in seipso, qui nullum  
habet omnino peccatū: nos autem talem pacem  
nunc habemus, in qua adhuc dicamus, Dimitte  
nobis debita nostra. Est ergo nobis pax aliqua,  
quoniam condelectamur legi Dei secundum in-  
teriore hominem, sed non est plena, quia vide-  
mus aliam legem in membris nostris, repugnan-  
tem legi mentis nostræ. Itēque inter nos ipsos  
est nobis pax, qua inuicem nobis credimus quod  
inuicē diligamus: sed nec ipsa plena est, quia co-  
gitationes cordis nostri inuicem non videmus &  
quædam de nobis, quæ non sunt in nobis, vel in  
melius inuicem, vel in deterius opinamur. Itaque  
ista etiam si ab illo nobis relicta est, pax nostra est:  
nisi enim ab illo non haberemus & talem, sed  
ipse non habet talem. Si tenuerimus vsque in fi-  
nem qualem accepimus, qualem habet habebi-  
mus**

1. Cor. 4.

Ephes. 2. 1. Ioh. 3. 2. Cor. 5. Sap. 9.

1. Petr. 2. Math. 6. Rom. 7.



mus, vbi nihil nobis repugnet ex nobis, & nihil nos inuicem lateat in cordibus nostris. Nec ignoro ista domini verba etiā sic accipi posse, vt eiusdē domini sententię repetitio videatur. *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis*, vt quod dixerat, pacem, hoc reperierit dicens, *pacem meam*: & quod dixerat, *relinquo vobis*: hoc reperierit dicens, *do vobis*. Vt vollet quisque accipiat, me tamen delectat, credo & vos, fratres mei, delectet sic tenere istam pacem, vbi aduersarium concorditer vincamus, vt desideremus pacem, vbi aduersarium non habebimus. Quod vero dominus adiunxit, atque ait, *Non quomodo mundus dat, ego do vobis*. Quid est aliud, nisi non quomodo homines dant, qui diligunt mundum, ita do vobis: Qui propterea dant sibi pacem, vt sine molestia litium, atque bellorum, non Deo, sed amico suo mundo perfrauantur: & quando iustis dant pacem, vt non eos persequantur, pax nō potest esse vera, vbi non est vera concordia, quia distincta sunt corda; quomodo enim confors dicitur, qui sortem iungit: ita ille concors dicens est, qui corda iungit. Nos ergo, charissimi, quibus Christus pacem relinquit, & pacem suam nobis dat, non sicut mundus, sed sicut ille, per quem factus est mundus, vt concordēs simus, iungamus inuicem corda, & cor vnum sursum habeamus, ne corrumpantur in terra.

EIVSDEM IN IDEM  
Homilia 3.

Ex tract. 78. in Iohn.

**A**ccepimus, fratres, verba domini dicentis ad discipulos suos, *Non turbetur cor vestrum, neque formidet. Audistis quia ego dixi vobis, & vado & venio ad patrem, quia pater maior me est*. Hinc ergo turbari, & formidare poterat cor illorum, quod ibat ab eis, quamuis vēturus ad eos ne forsitan gregē lupus hoc interuallo inuaderet pastoris absentia, sed à quibus homo abscedebat, Deus non recedebat, & idem ipse Christus homo, & Deus. Ergo & ibat per id, quod homo erat, & manebat per id, quod Deus erat: ibat per id, quod vno loco erat, manebat per id, quod ubiq; erat. Cur itaque turbaretur, & formidaret cor, quando ita deserebat oculos, vt nō desereret cor? Quamuis Deus etiam qui nullo cōtinetur loco, discedat ab eorum cordibus, qui eum relinquunt moribus, non pedibus, & veniat ad eos, qui conuertuntur ad eum non facie, sed fide, & accedunt ad eum mente, non carne. Vt autem intelligerent secundum id, quod homo erat, eum dixisse, vado & venio ad vos: adiecit atque ait; *Si diligeretis me, gauderetis vtiq; quia vado ad patrem, quia pater maior me est*. Per quod ergo filius non est æqualis patri, per hoc iturus erat ad patrem, à quo venturus est viuus indicaturus, & mortuos. Per illud autem in quo æqualis est gignenti vnigenitus, nunquam recedit à patre, sed cum illo est vbiq; totus pari diuinitate, quam nullus continet locus. Cum enim in forma Dei esset, sicut Apostolus loquitur, non rapinam arbitratus est, esse æquali Deo: quomodo enim rapina possit esse natura, quæ non erat vsurpata, sed nata: Semetipsum autem exinaniuit, formam serui accipiens, non ergo amittens illam, sed accipiens istam, eo modo sed exinaniens, quo hic minor apparebat, quam apud patrem manebat. For-

ma quippe serui accessit, non forma Dei recessit: hæc est assumpta, nō illa consumpta: propter hanc dicit, Pater maior me est: propter illam vero, Ego, & pater vnum sumus. Hoc attendat Arrianus, & hac attentione sit sanus, non contentione sit vanus, aut quod est peius, insanus. Hęc est enim forma serui in qua Dei filius minor est, non patre solo, sed etiam spiritu sancto, neque id tantum, sed etiam seipso: quia idem ipse in forma Dei maior est seipso. Neque enim homo Christus non dicitur filius Dei, quod etiam sola caro eius in sepulchro mernit appellari: nam quid aliud confitemur cum dicimus credere nos in vnigenitum Dei filium, qui sub Pontio Pilato crucifixus est, & sepultus? Et quid eius nisi caro sepulta est sine anima? Ac per hoc cum credimus in Dei filium, qui sepultus est, profecto filium Dei dicimus & carnem, quæ sola sepulta est. Ipse ergo Christus filius Dei, æqualis patri in forma Dei, quia semetipsum exinaniuit nō formam Dei amittens, sed formam serui accipiens, maior est & seipso: quia maior est forma Dei, quæ amissa non est, quam serui, quæ accepta est. Quid itaque mirum, vel quid indignum, si secundum hanc formam serui loquens, ait Dei filius, *Pater maior me est*: & secundum Dei formam loquens, ait idem ipse filius, *Ego & pater vnum sumus*. Vnum sunt secundum id, quod Deus erat verbum: & maior est pater, secundum id, quod verbum caro factum est. Dicam etiam quod Arriani, & Eunomiani negare non possunt, secundum hanc formam serui puer Christus etiam parentibus suis minor erat quando paruulus maioribus, sicut scriptum est, subditus erat. Quid agitur, hæretice, cum Christus Deus sit, & homo, loquitur vt homo, & iam in calumniari Deo? Ille in se naturam commendat humanam, tu in illo audes deformare diuinam? Infidelis, ingratus, ideō ne tu minuis eum, qui fecit te, quia dicit ille, quid factus sit propter te? Æqualis enim patri filius, per quem factus est homo, vt minor esset patre factus est homo, quod nisi fieret, quid esset homo? Dicit planē dominus & magister noster: *Si diligeretis me, gauderetis vtiq; quia vado ad patrem, quia pater maior me est*. Cum discipulis audiamus verba doctoris nō cum alienis sequamur astutiam deceptoris. Agnoscamus geminam substantiam Christi, diuinam scilicet, qua equalis est patri, humanam, qua maior est pater. Vtrumque autem simul non duo, sed vnus est Christus, ne sit quaternitas, nō Trinitas Deus: sicut enim vnus est homo anima rationalis & caro, sic vnus est Christus Deus, & homo: ac per hoc Christus est Deus, anima rationalis, & caro. Christum in his omnibus, Christum in singulis cōstitimur. Quis est ergo, per quem factus est mundus? Christus Iesus, sed in forma Dei. Quis est sub Pontio Pilato crucifixus? Christus Iesus, sed in forma serui. Idem de singulis quibus homo cōstat. Quis non est derelictus in inferno? Christus Iesus, sed in anima sola: quis resurrexerit triduo iacuit in sepulchro? Christus Iesus, sed in carne sola. Dicitur ergo & in his singulis Christus. Verum hæc omnia non duo vel tres, sed vnus est Christus: ideo ergo dixit, *Si diligeretis me, gauderetis vtiq; quia vado ad patrem*: quoniam naturæ naturæ humanæ gratulandum est, eō quod sic assumpta est à verbo vnigenito, vt immortalis constitueretur in cælo, atque ita fieret terra sublimis, vt incorruptibilis puluis

puluis federet ad dexteram patris: hoc enim modo se iturum dixit ad patrem: nam profecto ad illum ibat, qui cum illo erat: sed hoc erat ire ad eum & recedere à nobis, mutare atque immortale facere, quod mortale suscepit ex nobis, & leuare in cælum, per quod fuit in terra pro nobis. Quis non dehinc gaudeat, qui sic diligit Christum, vt & suam naturam iam immortalē gratuletur in Christo, atque id se speret futurum esse per dominum Christum? Qui cum patre, & spiritu sancto viuunt, & regnat Deus, per omnia secula seculorū, Amen.

EIVSDEM IN IDEM  
Homil. 4.

Ex tract. 79. in Iohn.

**D**ominus, & saluator noster Iesus Christus dixerat discipulis suis: *Si diligeretis me, gauderetis vtiq; quia vado ad patrem, quia pater maior me est*. Quod ex forma serui eum dixisse, non ex forma Dei in qua equalis est patri, nouit fides, quæ religiosus est mentibus fixa, non à calumniis, & dementiis facta: deinde subiunxit: *Et nunc dixi vobis priusquam fiat vt cum factum fuerit credatis*. Quid est hoc, cum magis homo credere debeat antequam fiat id quod credendum est? Hęc est enim laus fidei, si quod creditur non videtur: nam quid magnum est, si id creditur, quod videtur, secundum illam eiusdem domini sententiam, quando discipulum arguit dicens: *Quia vidisti me, credidisti, beati, qui non vident, & credunt? Et nescio vtrum credere dicendum est quique quod videt: nam ipsa fides in epistola; quæ scribitur ad Hebræos, ita est definita: Est autem fides sperantium substantia, & cōiunctio rerum quæ non videntur*. Quapropter si fides est rerum, quæ creduntur, eademque fides earum rerum est quæ non videntur, quid sibi vult quod dominus ait: *Et nunc dixi vobis, priusquam fiat, vt cum factum fuerit credatis? Nōne potius dicendum fuit, & nunc dixi vobis, priusquam fiat, vt credatis, quod cum factum fuerit videatis? Nam & ille cui dictum est, Quia vidisti, credidisti: non hoc credidit quod vidit, sed aliud vidit, aliud credidit. Vidit enim hominem, credidit Deum: cernebat quippe atque tangebatur carnem viuentem, quam viderat morientem, & credebat Deum in carne ipsa latentem. Credebat ergo mente quod non videbat, per hoc quod sensibus corporeis apparebat: sed etsi dicuntur credi, quæ videntur, sicut dicit vnusquisque oculis suis se credidisse, non tamen ipsa est, quæ in nobis edificatur fides, sed ex rebus, quæ videntur, agitur in nobis, vt ea credantur quæ non videntur. Quocirca, dilectissimi, vnde nunc mihi sermo est, quod dominus ait: *Et nunc dixi vobis, priusquam fiat, vt cum factum fuerit credatis*, illud vtiq; dicit, cum factum fuerit, quod eum visuri erant post mortem viuentem, & ad patrem ascendentem. Quo viso illud fuerant credituri, quod ipse esset Christus filius Dei viui, qui potuit hoc facere cū prædixisset, & prædicere antequam faceret. Creditur autem hoc nō fide noua, sed aucta, aut certe cum mortuus esset defecta: cum resurrexisset refecta: neque enim cum Dei filium non & antè credebant, sed cum in illo factum esset quod antè prædixit, fides illa quæ nunc quando illis loquebatur fuit parua, & cum moreretur pendē iam nulla, & reuixit, & creuit: deinde quid dicit: *Iam non multa**

loquar vobiscum: venit enim princeps mundi huius. Quis nisi diabolus? Et in me non habet quicquam: nullum omnino scilicet peccatum: sic enim ostendit non creaturarum, sed peccatorum principem diabolus, quos nūc nomine mundi huius appellat. Et quotiescunq; mundi nomen in mala significatione ponitur, nō ostendit nisi mundi istius amatores: de quibus alibi scriptum est, *Quicumque voluerit amicus esse seculi huius, inimicus Dei constituitur*. Absit ergo vt sic intelligatur diabolus princeps mundi, tanquam gerat vniuersi mundi, id est, cæli, & terræ, atque omnium, quæ in eis sunt principatum: de quali mūdo dictum est, cum de Christo verbo sermo esset, *Et mundus per eum factus est*, Vniuersus itaq; mundus à summis cælis vsque ad infimam terram creatori est subditus, non deseratori, redemptori, non interemptori, liberatori, non captiuatori, doctori, non deceptor: quemadmodum autem sit intelligendus princeps mundi diabolus, euidentius aperuit Paulus Apostolus, qui cum dixisset, *Non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem, id est, aduersus homines: subiecit atque ait, sed aduersus principes, & potestates, & rectores mundi tenebrarum harum*. Sequenti enim verbo exposuit quid dixisset, mundi: cum subiecit, *tenebrarum harum: ne quisquam mundi nomine intelligeret vniuersam creaturam, cuius nullo modo sunt rectores angeli desertores*. Tenebrarum, inquit, harum, id est, mundi istius amatorum, ex quibus tamen electi sunt, non per suum meritum, sed per Dei gratiam: quibus dicit, *Fuistis enim aliquando tenebræ, nūc autem lux in domino*. Omnes enim fuerant sub rectoribus tenebrarum harum, id est, hominum impiorum, tanquam tenebræ sub tenebris, sed gratias Deo, qui eruit nos, sicut dicit idem Apostolus, de potestate tenebrarū, & transfuit in regnum filij claritatis suæ: In quo princeps huius mundi, hoc est, tenebrarum harum, non habebat quicquam, quia neq; cum peccato Deus venerat, nec eius carnem de peccati propagine virgo pepererat. Et tanquam ei diceretur, cur ergo moreris si non habes peccatum, cui debetur mortis supplicium? continuo subiecit. *Sed vt cognoscat mundus, quia diligo patrem, & sicut mandatum dedit mihi pater, sic facio, surgit eamuis hinc*. Dicumbens enim discumbentibus loquebatur, eamuis autem dixit: quod nisi ad illum locum, vnde fuerat tradendus ad mortem, qui nullum habebat meritum mortis, sed habebat vt moreretur mandatum patris, tanquam ille, de quo prædictum erat: quæ non rapuit, tunc exolvebam mortem sine debito soluturus, & nos à morte debita redempturus. Rapuerat autem Adam peccatum, quando manum in arborem præsumptione deceptus extendit, vt incommunicabile nomen inconcessæ diuinitatis inuaderet, quam filio Dei natura contulerat, non rapina.

EIVSDEM IN IDEM  
Homilia 5.

**D**omini vox est, fratres charissimi, *Pacē meam do vobis, pacem meam relinquo vobis*. De pace dicturi, prius quæ pacis sint commoda videamus. Est pax serenitas mentis, tranquillitas animi, simplicitas cordis, amoris vinculum, cōfortium charitatis.

Iohn. 1.

Ephes. 6.

Ephes. 5.

Coloss. 1.

Psal. 68.

Sermo 57. de ver. domin.

ritatis. Hæc est quæ similitates tollit, bella compescit, comprimit iras, superbos calcat, humiles amat, discordes sedat, inimicos concordat, cunctis est placita. Non querit alienum, nihil deputat suum, docet amare quæ odisse non novit. Nescit extolli, nescit inflari. Hanc ergo qui accepit teneat, qui perdidit repetat, qui amisit exquirat, quoniam qui in eadem non fuerit inventus, abdicatur à patre, exheredatur à filio, nihilominus & à sancto spiritu alienus efficitur. Respuit enim munus oblatum, qui datæ legis contempserit bonum. Nec poterit ad hereditatem Dei pervenire, qui testamentum noluerit observare. Non potest concordiam habere cum Christo, qui discors voluerit esse cum Christiano. Contumaciæ ergo crimen est, quod iubetur contemneret, quod præcipitur nolle, quod imperatum est declinare, Quid tibi commune cum discordia, Christiane? Quid similitates amas, quod auctori pacis placere non potuit? Quid exeres inimicitias, quas evadere non potuit, nec ille, qui eas primus invenit? Initio nanque inimicitias in protoplastum, dum serpens exierit, interfecit, dum homini invidet, ipse prosternitur. Dum Adam cupit decipere, ipse primitus iugulatur. Quare aut Christi charitatem amplectere, Christiane, aut discordiæ auctori de similitudine operum parem te esse cognosce.

EIVSDEM IN IDEM

Homilia 6.

**A**Ccepimus, fratres, verba domini dicentis ad discipulos suos, *Non turbetur cor vestrum neque formidet. Audistis quia ergo dixi vobis, quia vado et venio ad vos. Si diligereis me, gauderetis utique, quia vado ad patrem, quia pater maior me est.* Hinc ergo turbare, & formidare poterat cor illorum, quod ibat ab eis, quamvis venturus ad eos, ne forsitan gregem lupus hoc intervallo inuaderet pastoris absentia. Sed à quibus homo abscedebat, Deus non relinquebat, quia idem ipse Christus homo, & Deus. Ergo & ibat per id, quod homo erat, & manebat per id quod Deus erat. Ibat per id quod vno loco erat, & manebat per id quod ubique erat. Cur itaque turbaretur, & formidaret cor, quando sic deserere oculos, ut non desereret cor? Quamvis Deus etiam, qui nullo continetur loco, discedat ab eorum cordibus, qui eum relinquunt moribus, non pedibus, & veniat ad illos, qui conuertuntur ad eum, non facie, sed fide, & accedunt ad eum mente, non carne. Ut autem intelligerent secundum id, quod homo erat, eum dixisse, *Vado, et venio ad vos.* Adiecit atque ait, *Si diligereis me, gauderetis utique quia vado ad patrem, quia pater maior me est.* Per quod ergo filius non est æqualis patri, per hoc erat iturus ad patrem, à quo & venturus est vivos indicaturus, & mortuos. Per illud autem in quo æqualis est gignenti vngeneris, nunquam recedit à patre, sed cum illo est, ubique totus, pari divinitate, quam nullus continet locus. Cui enim in forma Dei esset, sicut Apostolus loquitur, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo. Quo modo enim rapina possit esse natura, quæ non erat usurpata sed nata? Semeripsum autem exinanivit, formam servi accipiens. Nō ergo amittens illam, sed accipiens istam eo modo se exinanit, quo hic minor apparebat, quàm apud patrem manebat. Forma quippe servi accessit, non forma Dei re-

Sermo 58. de ver. domini.

Ioan. 14.

Philip. 2.

cessit. Hæc assumpta est, non illa consumpta. Propter hanc dicit, *Pater maior me est.* Propter illam vero, *Ego & pater meus vnum sumus.* Hoc attendat Arrianus, & hac attentione sit sanus, nec contentione remaneat insanus. Hæc est enim forma servi, in qua Dei filius minor est, non patre solo, sed etiam spiritu sancto. Neque id tantum, sed etiam seipso, quia idem ipse in forma Dei maior est seipso. Neque enim homo Christus non dicitur filius Dei, quod etiam sola caro eius in sepulchro meruit appellari. Nam quod aliud confitemur, cum dicimus credere nos in vngeneritum filium Dei, qui sub Pontio Pilato crucifixus est & sepultus? Et quid eius sepulchrum est, nisi caro sine anima? Ac per hoc cum credimus in Dei filium, qui sepultus est, profecto filium Dei dicimus & carnem, quæ sola sepulta est. Ipse ergo Christus filius Dei æqualis patri in forma Dei, quia semetipsum exinanivit, non formam Dei amittens; sed formam servi accipiens, maior est & seipso, quia maior est forma Dei, quæ amissa non est, quàm servi, quæ accepta est. Quid itaque miri, vel quid indignum, si secundum formam servi loquens ait [Dei filius, *Pater maior me est.* & secundum Dei formam loquens ait] idem Dei filius, *Ego & pater vnum sumus.* Vnum enim sunt secundum id quod Deus erat verbum, & minor est patre secundum id quod Deus verbum caro factus est. Dicat etiam quod Arriani, & Eunomiani negare nō possunt. Secundum hanc servi formam puer Iesus etiam parentibus suis minor erat, quando parvus maioribus, sicut scriptum est, subditus erat. Quid igitur, hæretice, cum Christus sit Deus, & homo, loquitur ut homo, & calumniaris Deo? Ille in te naturam commendat humanam, tu in illo audes deformare diuinam? [Infidelis, ingratus, idcirco te minus æstimas eum qui fecit te, quia dicit ille quid factus est propter te?] Æqualis enim patri filius, per quem factus est homo, [ut minor esset patre, factus est homo,] Quod nisi fieret, quid esset homo? Dicat planè dominus, & magister noster, *Si diligereis me, gauderetis utique, quia vado ad patrem, quia pater maior me est.* Cum discipulis audiamus verba doctoris, non cum alienis sequamur astuciam deceptoris, Agnoscamus geminam substantiã Christi, diuinam scilicet, quæ æqualis est patri: humanam, quæ maior est patre. Vtrunque autem simul, non duo, sed vnus Christus, ne sit quaternitas, nō trinitas Deus. Sicut enim vnus est homo anima rationalis, & caro, sic vnus est Christus Deus & homo. Ac per hoc Christus Deus & anima rationalis & caro. Christum enim in his omnibus, Christum in singulis confitemur. Quis est ergo, per quem factus est mundus? Christus Iesus, sed in forma Dei. Quis est sub Pontio Pilato crucifixus? Christus Iesus, sed in forma servi. Item de singulis quibus homo constat. Quis non est derelictus in inferno? Christus Iesus, sed in anima sola. Quis resurrecturus triduo iacuit in sepulchro? Christus Iesus, sed in carne sola. Dicitur ergo & in his singulis Christus. Verum hæc omnia non duo, vel tres, sed vnus Christus. Ideo dixit, *Si diligereis me, gauderetis utique, quia vado ad patrem.* Quia naturæ humanæ gratulandum est, eo quod sic assumpta est à verbo vngenerito, ut immortalis constitueretur in cælo, atque ita fieret terra sublimis, ut incorruptibilis pulvis sederet ad dexteram patris: [hoc enim modo se iturum dixit ad patrem.] Nam profe

1. sent. ad ca. Noviss.

Maury.

Phil.

Ioan.

Ioan.

Luc.

Ioan. 14.

3. sent. ad ca. 14.

Ioan. 14.

profecto ad illam ibat, qui cum illo erat. Sed hoc erat ius ad eum, & recedere à nobis, mutare, atque immortale facere quod mortale suscepit ex nobis, & levare in cælum per quod fuit in terra pro nobis. Quis non hinc gaudeat, quis nō sic diligat Christum, ut & suam naturam iam immortalem gratuletur in Christo, atque se speret futurum immortalem per Christum? Obiciunt nobis Arriani, creaturam Dei filium asserentes. Quid est quod Salomon ad hoc ex persona Christi consentit & dicit, *Dominus creavit me, in principio viarum suarum, in opera sua ante seculum fundavit me: in initio priusquam terram faceret, priusquam prodirent fontes aquarum, priusquam montes stabilirentur, ante omnes colles genui me?* Adversus quos ita respondemus. Multi quidem doctissimi vii, hoc ex persona illius sapientie dictum asserunt, quam Salomon ad iudicandum, regendumque populum acceperat. Sed quia vos animo pertinaci hoc à nobis ex Christi persona dictum exigitis, nō relinquamus, neque sentiamus, sed ipsius veritatis auxilio roborari, quoqueque duxeritis sequimur. Primo quia iam, ut superius diximus, licet vnam personam in Christo credamus, duas tamen substantias, id est, naturas, scilicet, diuinitatis, scilicet, & humanitatis, assumptas, & adsumptas, creatricis, & creatæ. Quæ tamen substantiæ non sunt confusæ, sed vnitæ, atque in vna, eademque persona inseparabiles, & in sua semper proprietate manentes. Quapropter vnicuique substantiæ propria vique aptanda sunt, id est, inferiori humanitati, quæ creatæ est, signa, verò, vel mirabilia diuinitatis, quæ creatrix est. Intantum enim hæc diuinitas subinet vnitæ sunt, atque coniunctæ, ut idem Christus Deus, & homo, aliquando res aut agat, aut loquatur humanas, aliquando diuinas. Sicut illud est quod dormit in nauis, & imperat ventis, & mari, & quod est uentus, & quod est quicunque millia hominum de quinque panibus & duobus piscibus saturavit. Postremo quod a mortuis, & quod Lazarum quatuordecim annorum a morte reuocari. Ex quo mirari non debes, si Christus de humanitate sua dixerit, Dominus creauit me in initio viarum suarum in opera sua: quia subsequens dictum, quod diuinitati conueniebat, priori præmissis ostendit, dicens, *Ante seculum fundavit me in initio, priusquam terram faceret, & priusquam abyssos faceret, priusquam prodirent fontes aquarum, priusquam montes stabilirentur, ante autem omnes colles genui me.* Hoc est dicere, *Licet creauerit me Deus, ut in initia viarum, atque operum eius per Euangelium demonstrarem, sed ante seculum, id est, ante initium, antequam vel cælum vel terra, vel tempora fierent, genui me, hoc est, ut sine tempore & sine initio separati genitum demonstraret.* Nam, ut totū breuiter comprehendam, Christus filius Dei Deus & homo, secundum diuinitatem ante tempora sine initio inenarrabiliter à patre genitus est, sicut Elias dicit, *Generationem eius quis enarrabit?* Nouissimo autem tempore secundum humanitatem creatus est, Adueniens enim diuinitas in uterum virginis Mariæ, auctoritate illa, qua in paradiso Adam de limo formauit, carnem sibi ex substantia ipsius Mariæ fabricauit, quam pro salute nostra suscipiens, & sibi coadunans natus est Deus, & homo. Quam generationem Matheus

Prover. 8.

Matth. 8.

Matth. 4.

Matth. 14.

Ioan. 14.

Prover. 8.

1. sent. ad ca. 14.

Epi. 33.

Luc. 2.

Gen. 2.

enarrat dicens, *Christi autem generatio sic erat, &c.* Item solè aduersum nos huiusmodi venenarum componere syllogismum dicentes. Si coeternum patri creditis filium, dicite, quæsumus, dum esset genitus est, an dum non esset? Si dum esset, duo ergo ingenui ante fuerunt, & postmodum vnus alii generauit, aut si, ut ratio vera permittit, dum non esset, genitus est, erit utique patre posterior. Ad quam rem nobis non aliud agendum est, nisi ut tam grandi hæreticorum maliciæ, exemplis Apostolicis resistamus, quibus facile sapientia secularis eliditur. Dum ergo nobis memorata superius obiecerint, dicimus. Nos sicut solum patrem semper, & sine initio ingenuum nouimus, ita filium semper & sine initio ex patre genitum confitemur. Nec alia aliqua causa est quæ diuisionem faciat personarum, nisi quod hic ingenuus est, & ille genitus, id est, hic pater est & ille filius: quia pater semper pater est, nunquam filius, quia ut diximus non est genitus sed ipse genuit. Et filius semper filius est, nunquam pater, quia non genuit sed genitus est. Quæ de re non alius quam Apostolus ipse in medio provocandus est. Qui præuidens Eunomij & Arrij maliciam, exemplis rerum visibilibus, inuisibilibus, & inenarrabilem, & incoherentem rem, in quantum potuit, vel res ipsa permisit explanare conatus est. Quid enim scribens ad Hebræos de filio dicit? *Qui est, inquit, splendor gloriae, & figura substantiæ eius.* Videamus ergo quid causa est, quod filium splendorem nominauit. Splendor enim, nisi fallor, non dicimus nisi aut solis, aut lunæ, aut cuiuslibet certi luminis. Quid ergo est? Nunquid, tam insanimus, ut Apostolum putemus inæstimabilem illam diuinitatis speciem, soli aut igni assimilasse? Absit. Sed ut exemplo illo intelligamus, quia sicut splendor ex substantia solis nascitur, ita & filium ex substantia patris genitum. Et sicut non est sol aut ignis prior splendore suo, licet ex illo nascatur, sic ex quo sol aut ignis processit, simul & cum eo splendor eius apparuit, nec dici potest splendor sole vel igne posterior, cum tamen, ut dixi, ex ipso nascatur. [sic agnoscamus non esse patrem filio priorem, aut filium patre posteriorem.] Si ergo in creaturis aliquid inuenitur quod & nascatur, & posterior non sit genitore suo, cur hoc, hæretice, à creatore fieri posse deperas? Accipe etiam huius rei aliam similitudinem. Sicut splendor ex sole natus, replet orbem terrarum, & tamen à genitore suo non absconditur aliquando nec recedit: ita & filius ex patre genitus ubique dum sit, in patre semper permanet. Et sicut substantialiter splendor in sole est, & sol in splendore: ita substantialiter pater in filio, & filius in patre est. Et sicut soli & splendori vna substantia dum sit, non tamen est vna persona, quia nec solem splendorem esse, nec splendorem dicimus solem, quia scimus quod sol genuit splendorem, splendor verò natus ex sole est: ita & pater & filius cum sint vnus essentia, non tamen sunt vnus persona, sicut iam superius ad plenum memorauimus. Et sicut sol per splendorem & calefacit, & illuminat, & siccit, & candidat, & denigrat, & omnia quæ ei à Deo iniuncta sunt operatur: ita & patrem per vngeneritum filium suum omnia legimus fuisse operatum. Creatum inquit esse filium à patre, non genitum. Ad quod breuiter respondendum est. Si creatus est, utique & seruus, quia omne quod creatum est, necesse est

Matth. 1.

Hebr. 1.

ut crea

Philipp. 2. s. sent. dyl. 8. cap. 2.

vt creatori deseruiat. Et si seruus est filius quomodo in forma Dei constitutus formam serui accepit? Seruus enim serui formam accipere non potest. Idem dicunt, non natura esse Dei filium, sed creatum. Aduersus huiusmodi quaestiones solito respondendum est. Quia si natura Deus non est filius, sed creatura, nec colendus est omnino, nec vt Deus adorandus, Dicente Apostolo, Et coluerunt & seruiertur creaturae potius quam creatori, qui est benedictus in secula: Et ad Galatas, Sed tunc ignorant Deum, his qui natura non sunt dii, seruiebatis, Sed illi ad haec replicabunt & dicent: Quid quod carne eius, quam creaturam esse non negas, simul cum diuinitate adoras, atque ei non minus quam diuinitati deseruis? Ego dominicam carnem, imò perfectam in Christo humanitatem, propterea adoro, quòd à diuinitate suscepta, atque deitati vnita est, vt non aliu atque alium, sed vnum eundemque Deum & hominem Dei filium constrear. Denique si hominem separaueris à Deo, vt Photinus, vel Paulus Samoatenus, illi ego nunquam credo, nec serui. Velut si quis nostram aut purpuram, aut diadema regale iacens inueniat, nunquid ea conabitur adorare? Cum vero ea rex fuerit indutus, periculum mortis incurrit, si ea simul cum rege quis adorare contempserit. Ita etiam in Christo domino humanitatem non solum aut nudam, sed diuinitati suae vnitam, vnum Dei filium Deum verum & hominem verum qui adorare contempserit, aeternae mortis poenam patietur.

Rom. 1.

Gal. 4.

**EIVSDEM IN FESTO Pentecostes, de missione Spiritus sancti, Homil. 7.**

Serm. 183. de temp.

**S**anctitati vestrae, charissimi, votorum iam nota debet esse festiuitas. Quid enim qua ratione curemus, ex ipsa annua celebritate condiscimus. Nam, cum in vestigia sua iterum reuoluitur tractata solennitas, doctiores efficiuntur, dum eam saepius celebramus. Pentecosten ergo agamus hodie, hoc est, quinquagesimum diem à resurrectione dominica: non quòd hac die, sicut plerique putant, ad caelos Saluator ascenderit. Nam post resurrectionem cum Apostolis conuersatus, quadagesima die ad Dei patris dexteram remeavit, sicut Lucas Euangelista ait, Quibus etiam exhibuit seipsum viuum post passionem suam, per dies quadraginta appatens eis. Quadraginta ergo temporum curriculo conuersationem suam discipulis suis saluator exhibuit, scilicet vt tanto numero resurrectionis eius gratia latamur, quanto & passionis eius iniurias fleueramus, totidemque temporum spatio eo reficeremur praesente, quo ieiunauimus absente. Nò igitur hodie Christus ascendit ad caelum, sed Christi spiritus descendit de caelo, sicut ipse dominus promittens ait, Cum autem ascendero ad patrem, mittam vobis paraclerum spiritum veritatis, & ipse vos docebit omnia, Magna planè gratia, duplex gaudium, quod abeuntem Christum non amisimus, & venientem spiritum possidemus. Nam illum retinemus fidei merito, hunc sanctificationis accessu. Cum abiero, inquit, ad patrem, mittam vobis paraclerum. Credimus enim ad patrem peruenisse filium, cum videmus ad Apostolos descendisse paraclerum.

Act. 1.

Rom. 16.

Credimus nanque eum regnare in caelis, quem cernimus munera sancta donare in terris, sicut scriptum est per Prophetam, Ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. Victor vtique muneratur, victor dona largitur. Vnde & saluator victor diaboli, post triumphum discipulos, quos liberauerit à captiuitate, etiam benedictione ditauit. Liberauerit autem nos, cum ad resurgendum per seipsum tartara nobis aperuit: ditauit nos, cum ad regnandum per paraclerum nobis caelestia referauit. Quibusdam enim quasi profectuum gradibus tunc de morte ad vitam didicimus remeare, modò autem de terris ad caelos docemur ascendere, sicut scriptum est, Ipse vos docebit omnia. Quid docet spiritus sanctus? Vtique hoc nouit docere quod sanctum est. Quid docet nos paraclerus? Illud vtiq; docet, quod dicit saluator, Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò: cum venerit ille spiritus veritatis, ipse vos docebit omnia. Bonus itaque magister est paraclerus, quia dicit, quae Christus dicenda seruauit. Hoc enim docet spiritus sanctus, quod dominus docendum habere se dicit. Bonus planè magister est, qui praceptorum executor est saluatoris. Necessè est igitur, vt vnus sit substantiae natura cum Christo, quem videmus vnus cum Christo esse doctrinam. Et ideo, charissimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis, vt spiritum sanctum promereri, & accipere possimus. Si hunc mundum relinquimus, nos similem paraclerum, sicut Apostoli, id est, spiritum veritatis, quem mittit nobis pater, accipiemus. Quoniam non est personarum acceptio apud Deum patrem, sed promissa Apostolorum nobis proficiunt, si opera & desideria, & actus gerimus quos Apostoli fecerunt. Si vero legem domini immaculatam, & conuertentem animas implendo mandata eius perficiamus, nosmetipsos haeredes domini, & coheredes Christi ad hereditatem sempiternam, & ad commemorationem angelorum cum gratia Christi committimus, quòd ipse praestare dignetur, qui viuunt, & regnat in secula seculorum, Amen.

Phil. 2.

Ioan. 14.

Ioan. 16.

Rom. 1.

Phil. 2.

**EIVSDEM IN EODEM festo, de missione Spiritus sancti, Homilia 8.**

**D**iscessurus è mundo isto, & ascensus in caelum dominus noster, atque saluator, fratres charissimi, promisit Apostolis suis quòd spiritum sanctum ad eos mitteret, quòd ad Deum patrem ipse remeasset. Sic enim vt nunc audistis ad discipulos suos locutus est dicens, Cum autem venerit paraclerus, quem ego mittam vobis, spiritum veritatis, qui à patre procedit, ille testimonium perhibebit de me. Impleta est, charissimi fratres, promisso saluatoris, Ascendit dominus Iesus Christus, descendit spiritus sanctus. Superest vt vtrunq; hoc impleatur in vobis, id est, vt habeatis spiritum sanctum qui descendit, & per bonam vitam Christum sequamini qui ascendit. Misit ergo nobis saluator spiritum sanctum, sicut discipulis suis ipse promisit dicens, Expedi vobis vt ego vadam: si enim nò abiero, paraclerus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos. Quòd dixit, mittam eum, ne fortè aliquis vestrum cogitet,

Serm. 184. de temp.

Ioan. 15.

Ioan. 16.

cogitet, quòd quasi de inferiore dixerit mittam: vel sicut heretici dicunt, quòd spiritus sanctus quasi subiectus, ac seruiens Deo pareat imperanti. Absit à vobis ista suspicio. In trinitate enim nò minus aliquid aut maius, quia si in Deo aliquid minus dicitur, imperfecta diuinitas acculatur. Vnde obsecro vos, fratres charissimi, vt fide integra vnum Deum in trinitate, & trinitatem in vnitatem credatis, ne pedes vestrorum sensum claudicent, aut oculi parum videant, aut manus aridae fiant. Omnis enim qui fidem catholicam non bene sequitur, pedes debiles habet. Qui veritatis lucem non videt, oculorum caliginem patitur. Qui misericordiae fructum non habet, manuum ariditate siccat. Id ergo agite, id elaborate, ne aliqua membrorum vestrorum portio hac debilitate vtiatur, ne aut gula in vos horreat, aut auaritia displiceat, aut infidelitas langueat, vt emundati penitus, ac purificati, habitaculum Dei efficiamini, vt spiritus sanctus, qui descendit in Apostolos hodie legitur, in vobis semper esse dignetur, praestante domino nostro Iesu Christo, qui viuunt, & regnat in secula seculorum, Amen.

Serm. 185. de temp.

Ioan. 14.

Math. 28.

**EIVSDEM IN EODEM, de missione Spiritus sancti, Hom. 9.**

**P**ost illam singularem, insignemque victoriam, qua publicus propugnator mundo & militauit, & vicit, postquam fragilitatem conditionis nostrae, non solum de inferis eruit, sed etiam in regni sui excelsa subuexit, in hac die intra verbum suum sancti spiritum donauit, de quo iam Apostolis suis dixerat, Et ego rogabo patrem, & alium paraclerum dabit vobis. Alium vtiq; non minorem, alium paraclerum, id est, similis gloriae, vel naturae, eiusdemque substantiae, vt discipulorum fides veridica sponcione ad expectationem tanti muneris preparata, illum, quem sibi à domino in locu Dei promissum esse meminisset, verum Deum esse cognosceret. Et alium, inquit, paraclerum, maiestatis intellige socium, quem maiestati propispicis comparat. Et ego rogabo, inquit, patrem, & alium paraclerum dabit vobis. Quam bene sub titulo promissionis, distinctionem applicuit trinitatis. Pater est qui indicatur rogandus, filius est qui intelligitur rogaturus, spiritus sanctus qui promittitur à patre mittendus. Quanta & quam ineffabilis pietas redemptoris? Hominem portauit ad caelum, & Deum misit ad terras. Quanta est auctori cura pro instauratione facturae suae? Ecce iterum noua de supernis medicina mittitur, ecce iterum infirmos suos per seipsam maiestas visitare dignatur. Ecce iterum humana diuina miscetur, id est, vicarius redemptoris: vt beneficia, quae saluator dominus inchoauit, peculiari spiritus sancti virtute consummet, & quod ille redemit, iste sanctificet, quòd ille acquisiuit, iste custodiat: ac sic vnitas deitatis per vnitatem gratiae ac muneris approbatur, vt spiritus sanctus Deus in substantia vnus, in persona alius, aequali miseratione vnicus, equali reuerentia sit colendus. Ergo spiritus sanctus in hac die ad praeparata sibi Apostolorum suorum templa, velut imber sanctificationis illapsus est. Non iam visitator subitus, sed perpetuus consolator, & cohabitator aternus. Nam sicut de semetipso apostolis suis dixerat, Ec-

ce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi: ita etiam de spiritu sancto, paraclerum, inquit, dabit vobis pater, qui vobiscum sit in aeternum. Affuit ergo in hac die fidelibus suis nò iam per gratiam viuificationis & operationis, sed per ipsam praesentiam maiestatis: atque in vasa non iam odor balsami, sed ipsa substantia sacri defluxit vnguenti, ex cuius fragrantia latitudo totius orbis impleteretur, & appropinquantes ad eorum doctrinam, Dei fierent capaces atque participes. Sedit ergo super singulos quasi ignis, de quo saluator noster testatur, Ignem veni mittere in terram. De quo dictum est, Deus noster ignis consumens est, Ipse itaque Apostolos suos viuae lucis fonte perfudit, vt ipsi postmodum vniuersum mundum tanquam duodecim solis radij ad totidem lampades veritatis illuminent, & inebriati nouo vino repleant atque irrigent sitientia corda populorum. Inquiramus hoc loco post resurrectionem vel ascensionem domini, quid adhuc adici possit Apostolorum perfectioni per participationem spiritus sancti. Erat quidem in eis fides, sed fiduciae constantia deerat. Iam quidè Christum per vniuersa poterant praedicare, sed adhuc pro Christo vsque ad mortem certare non poterant, vsque adeo vt nullum ex discipulis coronauerit palma martyrij ante aduentum spiritus sancti. Praeterea iam recesserat ex oculis eorum dominus Iesus, qui eos praedicatione visibiles ad os loquens corroborabat, & virtutum miraculis instruebat, & dum cum eo erant, facile credebant quae videbant. Fides adiuuabatur aspectibus, praesentibus confirmabatur operibus, signis, ac virtutibus pascebatur. Postquam verò dominus Iesus sublatus ex oculis eorum, recessit in caelum, non sufficiebant attonitae ac trepidae eorum mentes, non sufficiebant vt dignum erat caelestia, & aeterna cogitare: nec praeualebant adhuc portare angusta eorum pectora diuinorum sensuum magnitudinem vt possent intelligere Christum, quomodo erat verbum Deus apud Deum: sic vt eis ipse dominus adhuc in corpore constitutus euideter insinuaret dicens, Multa habeo vobis dicere: sed nò potestis ea portare modo: cum autem venerit spiritus veritatis ipse vos docebit omne veritatem. Vides quòd post discessionem adorandae, summæq; virtutis discipulorum pectora dilatata sunt, ad sustinendam magnitudinem diuini luminis, & intelligentiam veritatis? Deus itaq; est, qui potest post munificetiam suam accumulare gratiam, augere sapientiam, confirmare constantiam. Videamus ergo ante visitationem caelestis consolatoris, quatum eis de magnanimitate, quatum de perfectione defuerit. Nà primum cum eum supra tumētia maris dorsa vidissent substratis fluctibus ambulantes, & cum aquarum iter instabile sub diuinis solidaret vnda famula vestigijs: turbati sunt dicentes, Phantasma est, & praetimore clamauerunt. Post infusionem vero spiritus sancti iam non dicunt, quia phantasma est, sed in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Et iterum, Erat, inquit, lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Et Apostolus dicit, Quia ipse est ante omnes, & omnia per ipsum constant. Vnus autem ex discipulis Thomas nondum huius muneris benedictione ditatus, cum in corpore iam glorificato, in corpore iam caelesti per carnis vulnera Deum quaereret, & ad credendam

Act. 1.

Luc. 11.

Deut. 4.

Act. 1.

Ioan. 1.

Math. 14.

Ioan. 14.

Ioan. 1.

Coloss. 1.



*Joan. 20.* dam incorruptibilem diuinitatem fixuris clauorum & cicatricum testimoniis indigeret, Nisi videro, inquit, in manibus eius fixuram clauorum, & mittam manum meam in latus eius non credam. Alius vero iam sancti spiritus eruditione repletus, confidenter exclamat, Quod erat ab initio, quod audiimus, quod vidimus oculis nostris, quod perpeximus, & manus nostrae palpaerunt, de verbo vitae, & annunciamus vobis vitam aeternam, quae erat apud patrem, & apparuit nobis, Et iterum alio loco Paulus Apostolus tantae maiestatis locupletatus illapsi, fiducialiter protestatur. Et si cognouimus secundum carnem Christum, sed nunciam non nouimus. Beatus Petrus domini passione iam proxima, nondum diuina paraclati inspiratione fundatus, nolens a se Christum corporaliter separari, in tractorem & gladiatores gladium stringit, & vim vi estimat repellendam: Stephanus autem plenus spiritu sancto, iam non in terra Christum requirit, sed aperto caelo vidit gloriam Dei, neque iam de vindicta cogitat, sed pro persecutoribus suis exorat & supplicat, Domine, ne statuas illis hoc peccatum.

*Act. 7.* Ante aduentum vero spiritus sancti sub ipso crucis dominicae tempore, alij ex discipulis effugantur, alij vnus ancillae voce terrentur, & metu corda trepida penetrante, dominum suum negare coguntur. Post illustrationem vero spiritus sancti & confirmationem, custodiis excruciat, verberibus afflicti, ibant gaudentes, quia digni essent pro Christi nomine contumeliam pati. Et qui ante negauerant cum iuramento, quia non nouimus hominem istum: nunc propter eum in suppliciis gloriantur, & operante in se spiritu sancto, parum putant esse quod pro Christi amore patiuntur. Et qui ante verbis deterrebantur, nunc poenis & cruciatibus roborantur, & Christum dominum non iam vocibus, sed motibus consentunt, ac dilectionis magnitudinem sanguinis effusione testantur. Et inter haec calefacti & accensi mero dominicae charitatis exclamant, Non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam, quae reuelabitur in nobis. Ergo beati Apostoli illo fidei igne feruentes, de quo ipse dominus dicit, Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi ut accendantur: ab impia multitudine putabantur ebrii & multo pleni. Et dicebant adiuuicem, quia multo pleni sunt isti. At vero nouo vino repleti erant, quia spiritu sancto iam fuerant innouati, & apparebat in eis quod ipse dominus dixerat, Nouum vinum in vtres nouos mittendum est. Istud vero nouum vinum non putemus solos tunc Apostolos suscepisse. Hoc multo inflammantur, & hoc praclaro poculo quotidie inebriantur etiam corda fidelium, & animae conuertentium. Quod frequenter fieri videmus, quando pro desiderio salutis suae parentes, & patriam suam fugiunt. Exeunt nullo compellente de terra & de cognatione sua, & mortui huic mundo, alios spiritualiter animarum inquirunt parentes, & liberi sub iugo veniunt, & paulo ante elati, atque sublimes humilia affectant, superba fastidiunt, & capiunt esse, quod ante despexerant, & odisse incipiunt, quod fuerant. Praesentium hospites futurorum appetitores, aeternam illam patriam, contempta temporalium falsitate, suspirant. Hoc itaque multo spirituales animae inebriatae, & penitus commutatae, abstinentiam deliciis, vigilias dulci-

bus somnis, paupertatem diuitiis anteponunt. Arduum contra vitia laborem, iocundissimam computant voluptatem, Dulcescunt eis vilia, & quae prius fuerant preciosa vilescunt. Diligunt inimicos suos, & benefaciunt his, qui se oderunt, non conuincuntur indignantibus, non irritantur in opprobriis, non franguntur in iniuriis, proflus horum nihil sentiunt propter feruorem spiritus sancti, & propter aeternam retributionem. Hoc spiritali mero calebant martyres, quando abiicientes, & post se iactantes omnia seculi blandimenta, ibant ad passiones, obliuiscetes facultates & affectiones, patrimonia, ac matrimonia sua, & vincentes armatam contra se paruulorum pignorum stetit pietatem, vociferantes quidem parentes, puluerem mittentes in capita sua, & matres facies suas auulsis crinibus dilacerantes. Sed illi haec omnia tanquam ebrii non videbant, nec cognoscebant suos, quia infuso praecordiis suis spiritu sancto ad dolores, ad supplicia, tanquam ad consolationes, & ad praemia festinabant. Itaque anniuersarium quidem diem celebramus de aduentu spiritus sancti, sed nos ita agamus, ut quotidie eum ad nos castis operibus, & castis precibus inuitemus. Ita enim puri, atque purgati sensibus, & cogitationibus esse debemus, ita nos oportet ori, & cordi adhibere custodiam, ut nos dignos eius visitatione, & illuminatione faciamus, & videamur liberi esse ab omni immunditia cogitationum, quia ut dixi, Peruersae cogitationes separant a Deo. Studeamus liberi esse ab omni obreccatione, omnique malitia, quia in maleuolam animam non ingreditur sapientia, nec habitat in corpore subdito peccatis. Per iram ac superbiam, animae negligentium spiritus sancti custodia, & protectione nudantur. Non ergo per huiusmodi passiones contristemus spiritum sanctum, sed potius eum ad sedem cordis nostri per gratiam humilitatis, & pacis mansuetudinem euocemus, ac laetificemus eum operibus & profectibus nostris: quia ipse dicit, Super quem requiescam, nisi super humilem, & quierum, & tremem sermones meos? Si ergo promereri cupimus tanti uisitatoris ingressam, mandemus primam domum animae nostrae ab indignis carnalis concupiscentiae passionibus, a superbia dominatione, a fectore iactantiae, a temporis horrore: de quo ipse dominus dicit, Vinam, inquit, frigidus es, aut calidus: nunc vero, quia tepidus es, incipiam te euomere ex ore meo: id est, ex visceribus mei intimi cordis expuere. Praeparemus itaque hanc domum quotidie ad sacri regis aduentum, eamque diuersis probabilium morum floribus adornemus: Repleamur iucundis, pretiosisque odoribus castitatis, fidei, & compunctionis incenso, balsamo beneuolentiae, & thymiamate charitatis, ut amputatis vitiis, & virtutibus insertis, destructa in nobis habitatione diaboli, mutemur in templum Dei, ut tam beatus hospes nitido delectatus hospitio, stabilem, ac perpetuam in nobis faciat mansionem. Propter hoc enim ad nos ille descendit, ut nos ad illum possimus ascendere: cui est gloria cum patre, & spiritu sancto in secula seculorum, Amen.

EIVS

EIVSDEM IN EODEM

die, de aduentu Spiritus sancti,

Homilia 10.

Serm. 186. de imp.

**H**odierni diei solennitas Domini Dei magni, & magnae gratiae, quae superfusa est super nos, recordationem facit. Deo enim solennitas celebratur, ne quod semel factum est, de memoria deleatur, Solennitas enim ab eo quod solet in anno, nomen accepit: quomodo perennitas fluminis dicitur, quia non siccatur estate, sed per totum annum fluit: ita idem est, per annum, sic & solenne quod solet in anno celebrari. Celebramus hodie aduentum spiritus sancti. Dominus enim spiritum sanctum de caelo misit, quem in terra promisit, & quia sic promiserat de caelo esse missurum, Non potest ille venire, ait, nisi ego abiero, dum autem abiero mittam illum ad vos: Passus est, mortuus est, resurrexit, ascendit, restabat ut impleret quod promisit. Hoc expectantes discipuli eius, animae, ut scriptum est, centum viginti decuplato numero Apostolorum, duodecim enim elegit, & centum viginti spiritum misit. Hoc ergo promissum expectantes in vna domo erant orantes, quia desiderabant iam ipsa fide, quod ipsa oratione, ipso spiritali desiderio: vtres noui erant, vinum nouum de caelo expectabatur, & venit. Iam enim fuerat magnus botrus ille calcatus, & glorificatus. Legimus enim in Evangelio, Spiritus enim nondum erat datus, quia Iesus nondum fuerat glorificatus. Iam quid respondit, audistis, magnum miraculum, Omnes qui aderant, vnam linguam dederant. Venit spiritus sanctus, impleti sunt, ceperunt loqui, linguis variis omnium gentium, quas non nouerant, nec didicerant, sed docebat ille, qui venerat intravit, impleti sunt, sudit. Et tunc hoc erat signum, quicumque aspiciebat spiritum sanctum, subito impletus spiritu, linguis omnium loquebatur, non illi solum centum viginti. Docent nos literae ipse, postea crediderunt homines, baptizati sunt, ceperunt spiritum sanctum, linguis omnium gentium locuti sunt. Expauerunt qui aderant, alij admirantes, alij iridentes: ita ut dicerent, Isti ebrii sunt, multo pleni sunt. Ridebant, & aliquid verum dicebant. Impleti enim erant vtres nouo vino. Audistis cum Euangelium legeretur, Nemo mittit vinum nouum in vtres veteres: spiritalia non capit carnalis. Carnalitas vetusta est, gratia nouitas est. Quotocumque homo in melius fuerit innouatus, tanto amplius capit, quod verum sapit: bulliebat multo, & multo bulliente lingue gentium profluabant. Numquid modo fratres non datur spiritus sanctus? Quisquis hoc putat, non est dignus accipere. Datur & modo. Quare ergo nemo loquitur linguis omnium gentium, sicut loquebatur qui tunc spiritu sancto implebatur? Quare? Quia quod illud significabat impletum est. Quid est illud? Quando celebrauimus quadragesimam, recolite, quia commendauimus vobis dominum Iesum Christum Ecclesiam suam commendasse, & ascendisse. Querebant discipuli, quando erit finis seculi? Et ille, Non est vestrum scire tempora, vel momenta, quae pater posuit in sua potestate. Adhuc promittebat, quod hodie copleuit, Accipietis virtutem spiritus sancti superuenientis in vos, & eritis mihi testes in Hierusalem, & in

tota Iudaea, & Samaria, & vsque in fines terrae. Ecclesia tunc in vna domo erat, accepit spiritum sanctum, in hominibus paucis erat, in linguis totus orbis erat. Ecce quod praetendebat modo. Nam quod illa ecclesia parua linguis omnium gentium loquebatur: Quid est, quod ecclesia ista magna a solis ortu vsque ad occasum linguis omnium gentium loquitur? Modo impletur, quod tunc promittebatur. Audiuius, videmus. Audi filia, & vide: ipsi reginae dictum est, Audi filia, & vide. Audi promissum, vide completerum, non te fecellit Deus tuus, non te fecellit spousus tuus, non te fecellit, qui suo sanguine te dorauit, non te fecellit qui de foeda pulchram, de immunda virginem fecit. Tu tibi promissa es, sed promissa in paucis, impleta in multis. Nemo ergo dicat, accipi spiritum sanctum. Quare non loquitur linguis omnium gentium? Si vultis habere spiritum sanctum, intendite, fratres mei, spiritus noster, quo viuunt omnes homines, animae vocatur, spiritus noster quo viuunt singuli quisque homo, anima vocatur & videtis quid faciat anima in corpore. Omnia membra vegetat, per oculos videt, per aures audit, per nares olfacit, per linguam loquitur, per manus operatur, per pedes ambulat, omnibus simul adest membris ut viuat, vitam dat omnibus, officia singulis. Non audit oculus, non videt, auris, non videt lingua, nec loquitur, auris & oculus, sed tamen viuunt, viuunt auris, viuunt lingua, officia diuersa sunt, vita communis. Sic est ecclesia Dei, in aliis sanctis facit miracula, in aliis sanctis loquitur veritatem, in aliis sanctis custodit virginitatem, in aliis sanctis custodit pudicitiam coniugalem, in aliis hoc, in aliis illud, singuli propria operantur, sed pariter viuunt. Quod autem est anima corporis hominis, hoc est spiritus sanctus corporis Christi, quod est ecclesia: hoc agit spiritus sanctus in tota ecclesia, quod agit ecclesia in omnibus membris vnus corporis. Sed videte, quid caueatis, videte quid obseruetis, videte quid timeatis. Contingit ut in corpore humano, imò de corpore aliquod praecidatur membrum, manus, digitus, pes, nunquid praecisum sequitur anima? Cui in corpore esset viuere, praecisum amittit vitam. Sic & homo Christianus catholicus est, dum in corpore viuunt, praecisus haereticus factus est membrum amputatum, non sequitur spiritus. Si ergo vultis viuere de spiritu sancto, tenere charitatem, amate veritatem, desiderate vnitatem, ut perueniatis ad aeternitatem, Amen.

EIVSDEM DE EODEM

festo, Homil. 11.

**D**ies nobis, fratres, gratus illuxit, quo sancta ecclesia fidelium fulget aspectibus, feruet in cordibus. Celebramus quippe istum diem, quo dominus Iesus Christus post resurrectionem, ascensione glorificatus misit spiritum sanctum. Sic enim scriptum est in Evangelio cum diceret. Si quis sitit, veniat ad me, & bibat, qui credit in me, flumina fluent de ventre eius aquae vivae. Euangelista secutus exponit & ait, Hoc autem dicebat de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum. Nondum enim erat spiritus datus, quia Iesus nondum fuerat glorificatus. Restabat ergo ut clarificato Iesu, cum resurrexit a mortuis

Bibl. Hom. tom. 3. T 2 & ascen



& ascendit ad celos, iam daretur Spiritus sanctus ab eo missus, à quo promissus, sicut & factum est. Quadraginta enim Dominus post resurrectione diebus cum discipulis conuersatus, ascendit in celum, & die quinquagesimo, quem hodie celebramus, misit Spiritum sanctum, sicut scriptum est. Factus est subito sonus de celo quasi ferretur flatus vehemens, & visæ sunt illis lingue diuise sicut ignis, qui insedit super unumquemque, & ceperunt linguis omnibus loqui, quomodo Spiritus dabat eis pronuntiare. Flatus ille à carnali palea corda mundabat, ignis ille fenem veteris concupiscentie consumebar, lingue illæ, quibus loquebatur à Spiritu sancto impleti per omnium gentium linguas futuram ecclesiam designabant. Sicut enim post diluuium impietas superba hominum turrim contra dominum ædificauit excelsum, quando per linguas diuersas diuidi meruit genus humanum, vt vnaquæq; gens lingua propria loqueretur, ne ab aliis intelligeretur: sic humilis fidelium pietas earum linguarum diuersitate Ecclesie contulit vnitatem, vt, quod discordia dissipauerat, colligeret charitas, & humani generis tanquam vnus corporis membra dispersa ad vnum caput Christum cõpagnata redigeret, & in sancti corporis vnitatem dilectionis igne conflaret. Ab hoc itaq; dono Spiritus sancti profusus alieni sunt, qui oderunt gratiam, qui societatem non retinent vnitatis. Licet enim etiam ipsi hodie solenniter congregentur, licet istas audiant lectiones, quibus Spiritus sanctus promissus, & missus est, ad iudicium audiunt, non ad præmium. Quid enim eis prodest percipere auribus, quod cordibus respuunt, & eius diem celebrare, cuius lumen oderunt: Vos autem, fratres mei, membra corporis Christi, gemina veritatis, filij pacis, hunc diem agite læti, celebrate secuti. Hoc enim in vobis impletur, quod illis diebus, quando venit Spiritus sanctus, præsignabatur. Sicut enim tunc, qui Spiritum sanctum percipiebat, etiam vnus homo linguis omnibus loquebatur: sic & nunc per omnes gentes omnibus linguis ipsa veritas loquitur, in qua constituitur Spiritum sanctum habebis, qui Christum Ecclesia loquente omnibus linguis à nobis schismate non dissidetis.

**EIVSDEM IN EODEM**  
*festo, de missione Spiritus sancti,*  
*Homil. 12.*

**P**atres charissimi, hodierna die anniuersaria solennitas agitur, qua die dominus noster Iesus Christus Spiritum sanctum paraclenum misit, quem discipulis ante promissit. Dixerat enim: Non potest ille venire, nisi ego abiero. Quadragesimo itaque die post resurrectionem suam, cuius solennitatem ante decem dies egimus, ascendit in celum, nec iam memor pollicitationis suæ hodie misit Spiritum sanctum, quo impleti sunt prius centum viginti, qui simul fuerant congregati eandemque domini promissionem fideliter expectabant. Scriptum est enim, Subito de celo sonus factus est, quasi ferretur flatus vehemens, & visæ sunt illis lingue diuise sicut ignis, qui & insedit super unumquemque illorum, & ceperunt linguis omnibus loqui, quomodo Spiritus sanctus dabat eis pronuntiare. Flatus ille à carnali

li palea corda mundabat, ignis ille fenem veteris concupiscentie consumebar. Ita quippe tunc placuit Spiritus sancti significari præsentiam, vt qui eum acceperunt, linguis omnibus loquerentur. Prius itaque videamus breuiter, quare dixit, quando eum promissit: non potest ipse venire, nisi ego abiero. Neque enim separabilis est à filio Dei Spiritus sanctus, aut impotens erat eo præsentem venire, à quo non potest omnino discedere. Sed quoniam discipulis adhuc infirmis formam serui dominus demonstrabat, in qua verbum caro factum est, & habitauit in nobis: causam vero serui, id est, carnem domini etiam carnales poterant intueri: forma autem Dei, in qua non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, non potest nisi à spiritualibus cogitari, propterea dixit, Non potest ille venire, nisi ego abiero: tanquam diceret, quando circa carnem meam occupatur vester carnalis affectus, tandiu meam diuinitatem non suscipit spiritualis vester obrutus. Dono enim Spiritus sancti promiserat eos introducendos in omnem veritatem, sicut scriptum est, Fide mundans corda eorum. Beati autem mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Abscessit itaque corporalis forma domini à corporalibus oculis eorum, vt per spiritum sanctum diuinitas domini insinuaretur cordibus eorum. Nunc deinde videamus, quare tunc hoc erat signum præsentie spiritus sancti, vt, qui eum acceperunt, linguis omnium loquerentur. Neque enim etiam nunc cum datur spiritus sanctus, qui eum accipiunt, loquuntur linguis omnibus, quo euidenti miraculo se illo tempore demonstrabat. Hic intelligendum est, fratres charissimi, hunc esse spiritum sanctum, quo charitas Dei diffunditur in cordibus nostris, & quo Ecclesiam Dei congregata fuerat toto orbe terrarum: & quod tunc etiam vnus homo poterat, vt spiritum sanctum acciperet linguis omnium loqueretur, nunc spiritu sancto congregata ipsa vnitas Ecclesie linguis omnibus loquitur. Proinde si quisquam dixerit alicui nostrum, Accepisti spiritum sanctum, quare non linguis omnibus loqueris? Respondere debet, Loquor omnibus linguis, quia in eo sum Christi corpore, hoc est in ecclesia quæ loquitur omnibus linguis. Quid enim tunc aliud significat Deus per Spiritus sancti præsentiam, nisi ecclesiam suam linguis omnibus locuturam? Impletum est itaque quod promiserat dominus, Nemo mittit vinum nouum in vtres veteres: sed vinum nouum in vtres novos mittit, & vtraq; seruabuntur. Merito ergo, cum audirentur, linguis omnibus loqui, nonnulli dicebant, Hi misisti pleni sunt. Iam enim facti fuerant vtres noui sanctitatis gratia renouati, vt vino nouo, hoc est, Spiritu sancto repleti linguis omnibus loquendo seruerent, & ecclesiam catholicam per omnium gentium linguas futuram euidentissimo illo, miraculo præsignarent: ac per hoc recte creduntur hæretici Spiritum sanctum non habere qui diuiduntur à corpore, quod per omnes gentes linguis omnibus meruit personare, Hunc itaque diem dilectissimi sic celebrate tanquam membra vnitatis corporis Christi, Non enim frustra celebratis, si hoc estis quod celebratis, illi ecclesie coherentes, quam dominus implens spiritu sancto toto mundo crescentem cognoscit suam & agnoscitur à sua, & tanquam sponsus sponsam non perdit propriam,

proptiam, quia nemo supponit alienam. Vobis enim in omnibus generibus constitutis, hoc est, ecclesie Christi, membris corporis Christi, sponsa Christi, Apostolus dicit, Sufferentes inuicem in dilectione, studentes seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis. Videte quia vbi præcepit vt sustineamus inuicem, ibi posuit dilectionem: vbi spiritum nominauit vnitatis, ibi ostendit vinculum pacis. Hæc est domus Dei de vniis lapidibus fabricata, in qua talem patremfamilias delectat habitare, cuius oculos ruina diuisionis non debet offendere.

**S. CYRIL. EPISCOPI**  
*Alexandr. superioris Euang.*  
*expositio.*

**R**espondit Iesus, & dixit eis: si quis diligit me, &c. Cum non recte à discipulo intellecta verba sua Christus videret, repetit rursus, quod dixit, dilucideque docet, non solum cognitione ista communi amicis se suis manifestaturum sed excellentiore quodam fulgoris modo. Nam radiore ab impio idolorum cultu ad cognitionem Dei vocati, solummodo per fidem discent quod vnus Deus, qui nos creauit, colendus sit. Qui vero omni virtute mentem suam purgarunt, apti iam ad maiora facti spiritus illuminatione recepta oculis animi habitantem in ipsis Deum videbunt. Non est ergo communis sanctorum cognitio sed eximia, & certa longæque à communiore illa differens. Ita vndique verbis Christi ad fidem, & virtutem iuuamur. Primum enim breuiter definiuit: à quibus diligitur, vt ostenderet (vix ego arbitror) non omnibus concedi virtutem huius gratia sed eis tantummodo, qui sic eum diligunt, vt mandata eius seruent. Deinde quomodo in ipsis fulgebit & quomodo inhabitabit, declarat dicens, pater meus diligit eum. Qui enim opere filij mandata seruado patrem, ex quo filius naturaliter est, honorabit, huius operationis fructum dilectionem patris habet. Vnde vide, quæso, & pater veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Cum enim in vobis Christus per spiritum sanctum habitauerit, ibi & ipse pater necessario erit, spiritus enim Christi etiam spiritus patris est. Quapropter Paulus nunc patris, nunc filij spiritum proprium appellat: nec sibi ipsi repugnat cum vtrunque verissimum sit. Qui enim, inquit, Iesum Christum à mortuis suscitauit, is mortalia etiam corpora vestra per spiritum suum, qui habitat in vobis, viuificabit: & rursus, misit Deus spiritum filij sui in corda vestra, clamantem abba pater. Vides, quia idem est spiritus patris, ac filij. Cum igitur vnigenitus in cordibus nostris habitet, non abest inde pater, qui est in filio, & in quo filius naturaliter est. Sed fidei quidæ vera, recteque diffinitio hæc est. Libenter autem interrogauerim eos, qui aduersus gloriam spiritus linguam impie armant; quomodo, si spiritus creatura est, & à substantia Dei (vt illi dicunt) alienus, per ipsum in nobis Deus habitet? quomodo Dei particeps, qui spiritum accipit, efficitur? Nam, si possibile aliquo modo est, vt per creaturam Deo participemus, quid prohibebit non per spiritum, sed per aliam creaturam nos sanctificari? Quod quia impossibile omnino est (Dei enim particeps effici nemo potest, nisi per

spiritum) Deus omnino, & ex Deo spiritus est, nec villo modo est inter creaturas connumerabilis. Præterea quod aliquo vt meliore secundum substantiam, & excellentiore secundum naturam participat, aliud est naturaliter quam sit ipsum participatum: si ergo spiritus creatura est, quomodo eo creatura participabit? Creati autem nos, spiritu tanquam alio secundum naturam quam nos sumus, participamus. Quare, cum nihil præter Deum, increatum sit, spiritus Deus est, qui increatus est: quoniam, cum à creatura participetur, increatum ipsum esse necesse est. Procedit vero ineffabiliter ex Deo, & habitat in nobis, sicut & Deus, vnde est, proprius enim est substantie eius. Sed de his quidem satis. Ad eos autem, qui aduersus filium insanunt illud necessario dicendum est: Si quis me diligit, sermonem meum seruabit: & pater meus diligit eum, & ad eum veniemus & mansionem apud eum faciemus. Quid igitur, o generosi, vos dicetis, si quis hoc modo interroget, vtrum duos deos in nobis habemus habitantes, patrem scilicet, atque filium, an vnum solummodo? Nam, si aliud natura filius quam pater est, quomodo non duo dii in seruantibus mandata habitabunt? Sin vero, patre, ac filio in nobis habitante, vnus Dei templum sumus, quæ ratione duæ personæ vnus erunt Deus, si substantie identitas locum non habeat? nisi coacti necessario dicatis verba Christi non esse vera, sed aut patrem, aut filium solum in nobis per spiritum habitare. Sed hæc omnino absurda, & impia sunt. Non est ergo alienus à substantia patris, qui ex eo, & in eo est vnigenitus, sicut in luce splendor lucis. Quare diuinus etiam ille Paulus non duorum nos deorum, sed vnus templum, vocauit dicens, nescitis, quia templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis? Perpicis, quia non deorum, sed Dei templum hominem nuncupauit, identitate substantie, Trinitatem personarum, vnum Deum appellans. Cur ergo stultis rationibus veritatem eueritis, & impietatis vestra venenum imperitioribus immittere non veremini? Qui non diligit me, &c. Cum breuiter quinam ipsum diligunt definiuerit, & præmia eorum quæ sunt, aperuerit, transitum modo ad illos facit, qui eum non diligunt. Vniuersaliter enim intelligitur, quod sic de vno dici videretur. Consequenter autem valde ista connectuntur. Nam, si seruare mandata, diligere est, non seruasse mandata, odisse necessario est. Signum enim non diligendi, est mandata paruipendere, & præcepta, quasi iniuriam inferant, contemnere. Quemadmodum igitur in seruantibus mandata cum patre habitat, eodem certe modo à non seruantibus deuolat. Vere namque Salomon dixit, quia non ingreditur in malignam animam sapientia, nec habitat in corpore peccatis addicto. Natura vero id fieri à nobis quoque ipsis videbis. Cum consentientibus enim, & idem volentibus, atque nolentibus, libentius vnusquisque cohabitabit, imo vero simile sibi, omne animal diligit, vt scriptum est: quæ cum ita se habeant, quomodo multo magis sic in Deo fieri non putabimus? Nam, cum bonus natura, & sors, atque origo virtutis sit, virtutis amatores amplectitur, & impuros, atque sordidos depellit. Si, cum nos quoque ipsi ab omni sordem mundam habitare domum studemus, quomodo igitur Deus, qui sanctissimus est, sordibus deuolutam animam non abiciet? quomodo peccatis inuolutam non as-

pernabitur? Quod autem, qui mandata non seruat, impurus, atque sordidus sit, ipsa theorematis vis aperitissimè docet: peccatum enim à contemp-  
 ptu mādatorum originem trahit. Nam, quemad-  
 modum lucis privatio, cōtrarium, id est, tenebras  
 efficit, sic improbitas, à non operandi probe vo-  
 luntate originem habet. Nunquam enim in vno,  
 eodémque subiecto cōtraria simul conspici pos-  
 sunt: virtus autem, atque vitium maxime inter se  
 distant: quare, cum vnum à nobis abfit (alterutrū  
 enim necessario semper subiecti sumus) alterutrū  
 certe adest. Quare, si seruare mandata, virtus est,  
 patet, quia ex non seruando, improbitas oritur:  
 & sicut in seruante pater, & filius habitet, quæ  
 origo, & fundamentum supremæ gloriæ, ac bea-  
 titudinis est, sic in non seruante natura diuina  
 nunquam habitabit, quod nihil aliud est, quàm  
 nullo vnquam bono participare. Quas ob res, si  
 cui gloriosa, & optima res participatio Dei vide-  
 tur, si quis optat patrem per filium in spiritu in  
 abditis sui cordis habitare, is studeat iugiter om-  
 nem prauitatis maculam bene agendo detergere.  
 Sic enim templum Dei constituetur, requiescēt-  
 que in ipso Deus, & mansionem faciet, vt scribitur:  
 nec erit similis illi legis doctore, qui, saluatoris  
 gratia non expectata, magister, inquit, sequar te,  
 quocunque vadas. Ad quem dominus ænigma-  
 tice, atque in parabola, vulpes foueas habent, &  
 volucres cæli nidos, filius autem hominis nō ha-  
 bet, vbi caput reclinet suum. Vulpeculas enim, &  
 volucres cæli immundos, & malignos dæmones  
 appellauit, & spiritus hos aëreos, atque munda-  
 nos, qui libidinosorum hominum corda inhabi-  
 tantes, voluntatem suam consequuntur, ac im-  
 plent, & miserorum animas sic exagitant, vt nul-  
 lum in eis locum Deus inueniat, id enim est, non  
 habet, vbi caput suum reclinet. Mundemus igitur  
 ab omni sordide animas nostras, vt Deus in nobis  
 habitet, & diuinæ naturæ participes, ac beatos con-  
 stituat. Et sermonem, quem audistis, &c. Firmamen-  
 tum rursus affert in medium, quo mētem audien-  
 tium inuictō confirmet robore: vt, Iudæorum im-  
 peritia spreta, euāgelicam magno animo doctri-  
 nam sequantur. Quod autem volo dicere, latius  
 aperiendum videtur. Vmbram quandam, atque  
 figuram vsque ad emendationis tempora iuxta  
 Paulum legalis continens disciplina, ad Christū,  
 & ad veram pietatem nos præparabat: nec erra-  
 bit quisquam, si veri, & spiritalis cultus præmedi-  
 tationem, Mosaicam legem appellabit. Idcirco à  
 lege nihil consummatum: dominus autem noster  
 Iesus Christus non figuram, sed ipsam veritatem,  
 consummatamque nobis virtutem descripsit. Di-  
 sciplina ergo Christi figurarum in veritatem est  
 transformatio. Quoniam igitur veritas splendē-  
 re iam incipiebat, & umbræ imminuebantur, nec  
 legali disciplina viuere Christus fideles volebat,  
 idcirco moleste hanc rem Iudæi ferebant, cum  
 putarent ad soluendam legem Christum venisse:  
 quem tamen dicentem audiebant, non veni solu-  
 uere legem, sed adimplere. Dico enim vobis, quia  
 iota vnum, aut vnus apex non auferetur à lege,  
 quousque omnia fiant. Adimpletio enim umbræ  
 legalis vera, spiritalisque Christi doctrina est, vt  
 modo dicebamus. Quoniam igitur furorē non  
 ratione legem defendētes, incredulitate sua Chri-  
 stum pellebant, propterea, ne quisquam putet

Math. 8.

Hebr. 9.

Math. 5.

contra voluntatem Dei patris, mandata, legēque  
 statuere, necessario subiunxit, quia sermonem, quem  
 audistis, non est meus, sed eius, qui misit me patris. Nul-  
 lus ergo vestrum ætmet, inquit, aliquid à me di-  
 ci, quod Deo patri nō placeat: ipsius enim patris,  
 nec alterius hæc euāgelica est prædicatio: quæ  
 non nuper inuenta est, sed in tempore oportu-  
 no ab inuolucris figurarum euoluitur. Qui enim  
 per me p̄ficus locutus est, is etiam nunc ad vos  
 hæc per me loquitur. Verbum enim Dei patris  
 viuum sum, ineffabilis voluntatis eius interpre-  
 tatiuum: propterea magni consilij angelus ap-  
 pellor. Et hic quidem vnus modus exponēdi hu-  
 ius loci est, quem aliter etiam intelligere possu-  
 mus: Dei enim patris sermonem hunc esse asserit,  
 vt sciāt seruantes mandata sua, Deum, quia sibi  
 crediderunt, honorare: contra etiam non seruantes  
 intelligant, in ipsum se Deum peccare. Vnde  
 dupliciter, qui hæc audiunt, firmanur. Aur enim  
 honorare Deum volentes, aut offendere timētes,  
 mandata Christi seruabunt. Cum autem dixerit,  
 non esse suum sermonem, non inquantum ver-  
 bum, ac Deus, sed inquantum serui formam ha-  
 bebat, hoc dictum est. Non enim humanum vult  
 hunc sermonem videri, sed diuinum certe, ac re-  
 gium: idcirco personæ patris illum attribuit, ne, si  
 diuinitati suæ attribueret, in duos se filios distin-  
 guere videretur, qui vnus & ante, & post incarna-  
 tionem est: vnus enim Christus est, non duo, vt  
 nonnulli improbe opinantur: verbum enim ca-  
 ro factum est, non mutatum in carnem, sed tem-  
 plo naturæ nostræ à virgine assumpto. Ne igitur  
 humanitas traditam euāgelij doctrinam arbi-  
 tremur, néve à Deo hanc disciplinam separemus,  
 sed Deo eam attribuamus, optimo dispensationis  
 modo, quia in serui habitum cernebatur, diuinæ  
 naturæ per personam patris sermonem attribuit,  
 ex quo, & in quo secundum naturam est vt ver-  
 bum, & splendor eius, & substantiæ eius perfe-  
 ctissimus character. Hæc locutus sum vobis, &c. Ha-  
 bet rursus hic sermo expressiorem humanitatis  
 eius significationem. Quando enim nobiscum  
 Christus ratione deitatis non manet, qui omnia  
 replet, & à nulla re abest, qui terram, cælum, &  
 ipsos abyssi recessus ineffabili sua virtute guber-  
 nat, & continet? Vt ab homine igitur dictum est,  
 quia hæc locutus sum vobis, apud vos manēns enim  
 hinc ad cælos secundum carnem abiturus erat.  
 Verum exquisitam reuelationem mysterij per  
 spiritum sanctum à patre missum futuram nobis  
 affirmat. In nomine autem suo, id est, per se  
 ipsum: spiritus enim filij est: ideo ait, quia ille  
 vos docebit omnia, in memoriāque reducet, quæcum-  
 que ego vobis dixi. Spiritus enim, & mens eius  
 cum sit, vt scribitur, non est aliud secundum na-  
 turam, quamuis in propria persona subsistat:  
 propterea omnia scit, quæ filij sunt. Nullus enim,  
 ait, ea, quæ sunt Dei, nouit, nisi spiritus Dei.  
 Omnia igitur, quæ vnigeniti sunt, nouit, non di-  
 sciplina quadam, ne minister filij esse intelligatur,  
 sed vt spiritus eius, sicuti modo dictum est. Sine  
 disciplina igitur omnia sciens, quæ sunt eius, ex  
 quo, & in quo est, sanctis reuelat, sicuti vult. Quæ-  
 admodum mens omnia cognoscit, quæ in animo  
 sunt, & prolatione sermonis ad exterius quæcun-  
 que vult, profundit, nec est aliud natura, quā ani-  
 ma sit; sed pars quædam eius ex ipsa, & in ipsa:  
 longe abest exemplum: nihil enim ad illam natu-  
 ram

Eph. 4.

Rom. 3. 1. Cor. 1.

ram accedere potest. Perfecta ergo, quārum cape-  
 re possumus, cognitio per spiritum in sanctis im-  
 mittitur. Vnde Paulus quoque ait: Propterea &  
 ego audiens, fidem vestram, quæ est in Christo Ie-  
 su, & dilectionem in omnes sanctos, nō cesso gra-  
 tias agens pro vobis, memoriam vestri faciens in  
 orationib⁹ meis, vt Deus domini nostri Iesu Chri-  
 sti pater gloriæ det vobis spiritum sapientiæ, & re-  
 uelationis in cognitione eius, illuminatos oculos  
 cordis vestri, vt sciatis, quæ sit spes vocationis  
 eius, & quæ diuitiæ gloriæ hereditatis eius in san-  
 ctis, & quæ sit supereminens magnitudo virtutis  
 eius in nos, qui credidimus, secundum operatio-  
 nem potentie virtutis eius, quam operatus est in  
 Christo, suscitans illum à mortuis, & constituens  
 ad dexteram suam in cælestibus, supra omnē prin-  
 cipatum & potestatem, & virtutem, & domina-  
 tionem, & omne nomen, quod nominatur nō so-  
 lum in hoc seculo, sed etiam in futuro. Harum  
 enim rerum reuelatione, quæ per spiritum in nobis  
 ineffabiliter fit, in carnationis profunditatem,  
 & abditam virtutem mysterij speculamur. Quod au-  
 tem Christi præsentiam spiritus in sanctis habitas  
 implet, & omnia docet, quæ illæ locutus est; Pau-  
 lus rursus declarat dicens: huius rei gratia flecto  
 genua mea ad patrem domini nostri Iesu Christi,  
 ex quo omnis paternitas in cælis, & in terra no-  
 minatur, vt det vobis secundū diuitias gloriæ sue,  
 & virtutem; corroborari per spiritum eius in in-  
 teriorem hominem, habitare Christum per fidem  
 in cordibus vestris, in charitate radicati, & funda-  
 ti, vt possitis cōprehendere cum omnibus sanctis,  
 quæ sit lōgitudo, & latitudo, & sublimitas, & pro-  
 fundum: scire etiā supereminētē scientiæ chari-  
 tatem Christi, vt impleamini in omnem plenitu-  
 dinem Dei. Cum igitur spiritus doctrinæ sanctos  
 committat, non alij tradidit eos doctore quā si-  
 bi ipsi, cum in spiritu suo animi oculis esse perspi-  
 ciat. Pacem meam relinquo vobis, &c. Cum de suo  
 recessu mentionem fecerit (dixit enim; quia hæc  
 locutus sum vobis, apud vos manēs) vidit vt Deus  
 non parua formidine, ac dolore animos illorum  
 turbatos fuisset: quid enim maiorem potest infer-  
 re dolorem, quā iocundissimarum, amicissimarum  
 que rerum non sperata ablatio? Ad tranquil-  
 litatem ergo animos eorum reducit dicens: pacem  
 relinquo vobis, pacem meam do vobis. Sæpius iam,  
 inquit, dixi, quia nō dimittā vos orphanos, nec ope-  
 mea priuati terram habitabitis; nam, etsi corpore  
 abfuero, præsens tamen ero vt Deus, ab omnibus  
 malis vos liberans, vt nullo modo possit fortitu-  
 dinem vestram hostium pernicacia superare. Ita  
 timor à vobis aberit, & diuina proteget virtus,  
 quæ supra quāms hominum intelligere potest,  
 tranquillo animo vestro mysteria reuelabit.  
 Nunc vero pacem non simpliciter, neque quam-  
 libet: sed meam do vobis. Id autem nihil aliud est:  
 quam spiritum eis dare, & per eum in eis habita-  
 re, Pax enim Christi, spiritus eius est, quod et si lō-  
 ga oratione vt probetur non eget: illud tamen  
 liquido patet, ipsum filium Dei pacem esse, quo-  
 modo igitur spiritus eius pax non erit? Beatius etiā  
 Paulus ait: pax Dei, quæ exuperat omnem sensum,  
 custodiat corda vestra, & intelligentias vestras,  
 Neceste de hac pace, quam vulgo intelligere  
 solemus, ista dicuntur. Qualitas enim quædam est  
 in animo habitu firmata, & non subsistens aliqua  
 res tranquillitas huiusmodi animæ, quam pacem  
 appellamus. Quomodo igitur talis pax, quæ per se

Eph. 1.

Eph. 3.

Eph. 4.

nihil est (non enim ipsa subsistit, sed secundum ha-  
 bitum animo accidit) omnem mentem, atque in-  
 tellectum, non dico hominum, verum etiam an-  
 gelorum (quos & mentes, & intelligentias appel-  
 lamus) excedere, ac superare videbitur? Pax ergo;  
 quæ principatus, quæ dominationes, quæ thro-  
 nos, quæ cherubin & seraphim excedit, Christi  
 spiritus est, in quo Deo patri vnica filius reco-  
 ciliauit: qui nihil aliud vult, nihil aliud intelligit,  
 nihil aliud operatur, nisi quæ filius. Nam quem-  
 admodum vita, virtus, sapientia secundum natu-  
 ram filius est, ac ideo spiritus eius vita, virtus, &  
 sapientia nuncupatur; sic, quoniam ipse vera, &  
 propria pax est, merito spiritus quoque eius, pax  
 nominabatur. Hac de causa sibi ipsi propriam pa-  
 cem, id est, spiritum suum attribuit, dicens: pacem  
 meam do vobis. Sed pacem appellare spiritum etiam  
 prophetas inueniemus. Dominus enim Deus no-  
 ster (inquit Esaias) pacem dat nobis: omnia enim  
 reddidit nobis: quoniam enim nihil per legē perfe-  
 ctum est (nam eius iustitia non potuit perfecte ad  
 pietatem humanū genus reducere) idcirco spiri-  
 tum sanctū dari deprecamur, per quem reuocati à  
 seruitute, ad quam transfugimus propter pecca-  
 tum, Deo patri reconciliemur, omnia enim reddi-  
 dit nobis, id est omnia tunc habebimus; nihil no-  
 bis tunc deest, quādo nobis plenitudinem Chri-  
 sti spiritum præbebit. Quoniam igitur spiritus  
 omnem formidinem, atque turbationem mentis  
 sedare maxime potest, propterea eum se discipulis  
 daturum pollicetur, dicens: pacem meam relinquo vo-  
 bis: vado, & venio ad vos, non turbetur cor vestrū, neque  
 formidet. Audistis, quia ego dixi vobis, vado, &c. Non  
 ab alio inquit sed à me ipso, qui mentiri nescio,  
 audistis quia vado & venio ad vos. Quod si nan-  
 quam rediturum me dixissem, non iniuria ingenti  
 dolore, atque formidine perculsi essetis. Quo-  
 niam autem non abiturum solum, sed rediturum  
 me affirmavi, cur, quod merorem afferre potest,  
 animo voluitis, & quod lætitiæ causa est, non re-  
 eordamini? Opponite dolori gaudiū: nō enim so-  
 lum ascēsurum me ad patrem nuntiauit, sed redi-  
 turum rursus pollicitus sum. Hoc modo tanquam  
 filiorum studiosissimus, atque amantissimus pa-  
 ter, si cum abire quopiam cogatur, dolorem, &  
 lachrymas conspexerit, recessus emolumenta me-  
 stitiæ, ac dolori opponēs, turbatos discipulorum  
 animos in tranquillitate reducit. Non enim igno-  
 rabat, quamuis per spiritum semper in eis habi-  
 taturus esset, molestissimam tamē absentiam eius  
 illis futuram: quod & charitatis, & sanctitatis ma-  
 gnæ non contemnendum est argumentum. Decet  
 enim sanctos viros præsentiam Christi desiderare.  
 re: quod Paulus ostendit dicens: cupere se resolui,  
 & esse cum Christo. Quod nullo modo filius minor, sed  
 æqualis secundum naturam patri est. Si diligetis me,  
 gauderetis vtrique, &c. Reprehendere videtur, quia  
 non gaudent, cum ad patrem vadat, & quo illi  
 dolebant, id lætitiæ causam magis esse affirmat, &  
 simul docet oportere illos, qui vere aliquem dili-  
 gunt, non solummodo suum, verum etiam amici  
 commodū querere. Propterea & Paulus ait, cha-  
 ritas non agit perperam, non inflatur, non est am-  
 bitiosa, non querit quæ sua sunt: Et rursus? non  
 sua quærentes, sed ea, quæ sunt aliorum, dilec-  
 tionis enim veræ opus est, non solum sibi,  
 verum etiam dilectis providere: quo modo disci-  
 pulis faciendum esse Christus asserit. Sed age in  
 nobis tanquam in tabula theorematis vi primum  
 descri

Esa. 26.

Phil. 1.

1. Cor. 13.

Phil. 2.

descripta, ad Christi mysterium deinde gradu facto ascendamus. Exempla enim, & similitudines huiusmodi quamvis minimæ sint, sæpenu-mero tamen maximas, supernaturalesque res clariores quodam modo faciunt. Iocundum verbi gratia fuit discipulis Pauli ut cum eo semper viueret, sed Paulo melius erat resolui, & esse cū Christo. Erat igitur officium eorum, si doctorem suum amabant, non contumodum suum semper considerare, sed doctoris sui etiam conducibilia perspicere. Hæc obumbratio theorematum est; quam variis Christi mysterij coloribus depingentes, ipsam veritatem conspiciamus. Cum enim in forma Dei esset vnigenitus, non rapinam arbitratus est, se esse æqualem Deo; sed suo erga nos amore exinaniuit seipsum, formam serui accipiens. Quod facere voluit, ut omnes ad veram pietatem, & virtutem cōduceret, ut miraculorum suorum splendore, & gloria potentiam deitatis suæ ostenderet. Sic enim lapsus persuadere poterat, à dementia cultorum idolorum ad orandum vnum Deum transilire; nec isto tantum pacto, sed multis etiam aliis modis nobis homo factus opitulatus est: imperium enim mortis euerit, vim peccati destruxit, effecitque, ut supra serpentes, & scorpiones, & supra omnem hostis virtutem ambulemus. Erat igitur iocundissimum nobis, aut sanctis discipulis simul semper esse cum tantorum largitore Christo & præsentem semper, conuientemque aspiciere. Sed non videbatur illi commodum esse qui propter nos humiliatus est, in hac humilitate longioribus temporibus viuere. Oportebat enim potius, dispensatione incarnationis ad exitum iam adducta, ad gloriā cum homine, quem assumpsit & ad æqualitatem patris ascendere, quam non rapuit, sed ut proprium bonum natura possidebat. Sed cum ad humanam (ut ita dicam) ingloriam descenderit, ad gloriam rursus rediit suam. Nam, donec in terris ut homo erat etiam Deus verus, ac dominus omnium esset, qui tamen gloriam eius ignorabant non meliorem ceteris hominibus arbitrabantur, ita spūis dedecoratus, cæsus, & crucifixus & à sceleratis Iudæis impie derisus est, vah, dicentibus, qui destruis templum Dei salua te ipsum: sed post exitum horum omnium humilitatis tempore iam exacto, in cælos ad patrem ascendens à superioribus virtutibus ut Deus adorabatur, Non enim ignorauerunt angeli domini suum; sed alius alium hortabatur, cum carne ascendente suscipere, & principibus portarum iubebat dicentes; Attollite portas, principes, vestras, & euamini, portæ æternales, & introibit rex gloriæ; dominus fortis, & potens, dominus potens in prælio, dominus virtutum ipse est rex gloriæ. Innotuit enim principibus, ac potestatibus varia admodum sapientia Dei, quam fecit in Christo, ut ait Paulus. Cum enim ad patrem redierit, qui maior ideo ipso est, quia in eisdem semper mansit, ipse vero, sponte serui accepta forma, seipsum exinaniuit, ad suam rursus gloriam ascendit, audiuitque sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum. Nam, ne quasi nolente patre honorem rapuisse videatur, ipse pater introducitur dicens, sede à dextris meis, nec propter hoc; quia in dextris filius est, putare quisquam poterit minorem esse honorem patris. Sed illud vnusquisque non demens cogitabit, oportuisse magis dexterum, & nullius in-

Phil. 2.

Luc. 10.

No putes hic duas personas ab auctore introduci, sed humanitatem, quæ verbis assumptas, intelligat.

Matth. 7.

Psal. 23.

Ephes. 3.

Psal. 109.

minutionis suspectum locum non patri, sed filio propter exinanitionem attribuit, ne, qui minor humanitate est, minor etiam deitate iis videretur qui mysteriū incarnationis intelligere nequeunt. Ideo ergo à dextris sedet eius, quem nullus vquam tanquam minorem inculcauit, ut æqualis ei omnino esse credatur. Sed rursus totum huius loci sensum ab initio repetentes dicamus; iocundissimum, atque optatissimum esse cum Christo semper conuersari; qui propter nos ad seruilium habitum, & humanæ naturæ, in gloriam descendit. Sed non est ipsi hoc commodum, sed illud potius glotiosum, ut ad dignitatem, potestatem, ac gloriam deitatis aperte redeat, & à dextris patris sedeat, ipso quoque patre ita volente, qui proprium filium ut substantiæ suæ fructum diligit. Propterea: si diligeretis me, inquit, gauderetis vti que vado ad patrem. Et certe argumentum amoris discipulorum erga Christum fuisse, non dolere, ipso abeunte, sed meminisse potius à Iudæorum turba ad Deitatis gloriam illum redire; ac ideo cum psalmista gaudere; qui cum spiritus gratia hæc prænderet, magna voce ad lætitiā genus humanum hortatur dicens; Omnes gentes, plauite manibus. Et causam exultationis huius, ac plausus assumptionem in cælos saluatoris fore ostendit: ascendit Deus, inquit, in iubilatione, & dominus in voce tubæ: iubilationem, & tubam altisonam, spiritus vocem nominans, qua superioribus iubeat virtutibus, ut portas tollerent, & dominum gaudentes suscipiant. Et rursus de hoc ipso nunc ait; leretur terra; quia dominus regnauit: nunc dominus regnauit, decorem indutus est; indutus est dominus fortitudinem, & præcinxit se: homo enim ille, qui ante crucem nobiscum conuersabatur, quando ad patrem ascendit, tunc decorem, proprium indutus, virtute se pristina cinxit, vna cum patre sedens, ac regnans. Quare gaudendum discipulis, amicisque eius magnopere est. Maiorem autem patrem appellat, non in quantum à dextris eius, ut Deus, sed in quantum adhuc nobiscum erat, id est, secundum nos factus est: non aderat tempus, in quo deitatis dignitatem assumere debebat. Vnde, cum acerum, & sel sicuti daretur in cruce, dixit postquam gustauit; consummatum est: tunc enim finem humilitatis tempus accepit. Crucifixus enim ut homo fuit, sed imperium mortis non ut homo, sed ut Deus deicit. Maior igitur pater; quoniam adhuc in seruitute filius erat. Propterea Deum quoque suum patrem appellabat, humanitati suæ id etiam attribuens. Pater enim, quod à suprema excellentia ad seruilium descendit naturam, & ab æqualitate patris ad nostrum habitum, quorum nihil à patre factum esse credimus. Quare hac ratione maior est filio, qui se humiliavit, donec ad primam gloriam humilitatem suam reduceret. Sed par esset, cum multa de æqualitate patris, ac filij dicta nobis in superioribus sint, expositionem euangelij, istis relictis, profsequi. Verum, quoniam quidam hæreticorum etiam apud Iudæos sacrarum peritiam litterarum illustris hunc locum exponens, intolerabiles in vnigenitū scripsit blasphemias, mei officij putauit falsitate orationis eius arguere. Sed quædam de eius scriptis prius mihi transcribenda esse arbitror. Maiorē vero patrem, inquit, appellat, nō solum ingratiudinis crimen effugiens, verum etiam falsam eorum opinionem arguens, qui eadem

Phil. 4.

Phil. 4.

Phil. 4.

Phil. 4.

Ioan. 14.

1. Cor. 5.

Galat. 1.

Phil. 3.

eadem vtrique inesse arbitrat, & Sabellij simul opinionem exterminans. Et post pauca; ad hoc arrogantiæ quidam processerunt, inquit, ut nullo modo audire patrem filio deitate maiorem esse, sed sola humanitate naturam patris excedere arbitrentur: qui nequeunt intelligere non posse, quæ diuersorum generum sunt, inter se comparari. Nemo quippe præditiorem hominem dicit iumento, nec velociorem equum testudine, sed hominem homini, & equum equo conferunt omnes. Quæ cum ita sint, necesse est ipsos vel nolentes concedere patrem filio deitate maiorem esse. Nam, qui ad humanitatem vnigeniti hoc referri arbitrantur, quantum in eis est, dignitatem patris dimittunt. Hæc nugæ illius sunt. Et considera, quæso quomodo, si nihil aliud, secum tamē pugnet oratio: laudat filium, quia gratus erga patrem esse videatur, cum se minorem profiteatur, sed non cōsiderauit, quamnam obrem theologicas modo sententias Christus tetigit. Non enim parum est, congruo vniversa tempore dicere. Quid igitur oportebat modo, mæstis hæc discipulis dicere? Quam enim consolationem dolentibus hæc potuissent afferre? quare autem quasi acerbe inceperunt ait; si diligeretis me, gauderetis vti que, quia vado ad patrem, quia pater maior me est? An putas turbationem illos animi potuissent abicere, quoniam eos relinqueret, & maiorem peteret? Quis in hoc sensu consolationis modus? Et certe, quando Philippus rogabat dicens; domine, ostende nobis patrem, & sufficit nobis; tūc oportune patrem in se, & seipsum rursus in patre esse affirmans, æqualitatem summam ostendebat, non cognouisti adhuc, Philippe, inquit, quod, qui vidit me, vidit & patrem: non credis, quia ego in patre, & pater in me est; ego, & pater vnum sumus. Sed tunc quidem oportune, ut diximus, æqualem se patri esse aperuit. Nunc vero qua ratione, cum discipulorum mærorem lenire vellet, hoc remedium accommodari potest, gaudendum sibi potius esse, quia vadit ad patrem? nōne omnibus conspicuum erit, quoniam ad gloriam patris, vnde vtro descendit, redibat, iure amicis suis iussisse, ut propter hoc gaudeant? sed hæc modo prætermittantur. Quod autem putant naturæ deitatis humanitatem nos Christi conferentes, cum exinanitum filium propter humanitatem fuisse dicamus, vana vti comparatione; vehementer errant. Minorem enim patre filium, in quantum factus est homo, credimus, & ad æqualitatem patris, posteaquam in cælos ascendit, reuertisse fateamur, non ut ad nouam, aut aduentitiam æqualitatem, ac gloriam, sed ad illam, in qua semper fuit ut Deus. Vnde doctor ille genitum Paulus post resurrectionem, assumptionemque, conuenientem homini humilitatem non amplius ipsi attribuit. Si enim cognouimus Christū secundum carnem, inquit, sed modo non amplius cognoscimus. Et de seipso, Paulus, inquit, apostolus Iesū Christi, non ex hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum. Cur nam, cum nos reformatum iri ad corpus gloriæ ipsius prædicaret, qui certe homines sumus, negat se ab homine, & à Iesu Christo concedit in apostolatus dignitatem fuisse assumptum? Cur, ne cognoscere quidem nunc ipsum ait secundum carnem? an putas dominum à se negari: nequaquam, sed, exacto iam tempore exinanitionis, atque humilitatis vnigeniti, non à

natura, qua se humiliavit, sed à dignitate, ac gloria, qua secundum naturam Deus est, & cognoscere, & prædicare Christum oportet. Cum enim cognitum, creditumque fuerit, quia homo factus est, illud oportet credentibus itidem inculcare, quia Deus etiam secundum naturam est. Hac de causa oratione vtitur, Deo magis quam homini conueniente. Valde autem miror, quomodo non erubescit, deitate filio maiorem esse patrem dicere, idcirco quod consiteri nobis necesse est, quia sola, quæ sunt eiusdem generis, alteri alteri possit comparari: nec sentit, quam valde sibi repugnet oratio. Respondeat enim nobis, quæso, vnde nam eorum, quæ vnus speciei sunt, comparationes sumantur? vtrum ab iis, quæ ratione naturæ communiter insunt, an ab iis, quæ accedunt, & abeunt, ac esse, & non esse propter alias causas possunt? Sed quod dico, exemplo eius clarius faciam: homini homo confertur. Si ergo communem substantiæ rationem aspicias, nullam inuenies differentiam: vna enim, & eadē in omnibus est. Nunquam enim homo distabit ab homine, in quantum animal rationale, mortale, ac disciplinæ capax est. Sed nec equus ab equo, ea ratione, qua equus est. Differt autem homo ab homine, quia hic grammaticus, ille grammaticus non est. Sed hæc substantialia non sunt: equus etiam equo velocior, aut corpore maior est: sed hæc in ratione substantiali non continentur. Æqualiter igitur omnibus naturalia insunt, quæ vero forinsecus accidunt, diuersitatem suscipiunt. Quoniam ergo sola quæ generis eiusdem sunt, inter se comparari possunt, confiteatur primum eiusdem generis, id est, eiusdem naturæ, atque substantiæ (sic enim genus hic intelligitur, quod exemplis eius patet) patrem, & filium esse. Deinde doceat, quam obrem deitate filio pater maior est: substantialiter enim, ac naturaliter maior esse non potest: non enim perfectius in vno quam in alio ratio naturæ vnquam inuenitur: sed æqualiter de omnibus indiuiduis prædicatur: quæ tamen accidentibus, quæ accedunt, & abeunt propter alias causas inter se comparantur: nulla enim inter hominē, & hominem, in quantum homines sunt, differentia est, sed alius pius, alius impius, & hic robustus, ille imbecillus est. Quorum omnium si quis causas rimari voluerit, nunquam naturæ rationem in medium afferret, sed corporis quibusdam, aut animæ passionibus causam attribuet. Cum igitur deitatis ratio (vel quomodo cunque placet dicere, dummodo sciamus ab his inferioribus de superioribus verba fieri) vna, & eadem in patre, & filio sit (comparantur enim, ut etiam ipse fatetur, sola quæ generis eiusdem, id est, substantiæ atque naturæ sunt) doceat, oro, quid effecit, ut filius patre minor esse videatur, quæ passio, quæ negligentia, quid aliud eorum, quæ generabilibus accidere solent? sed quis ita delirus est, ut hæc audire patiatur? Quoniam igitur eiusdem cum patre vnigenitus est naturæ, & hæc, quæ diuersitatem faciunt, accidere illi substantiæ non possunt; certe, cum patri conferatur, æqualitatis collatione comparatur. Verum, quoniam ausus est deitate filio patrem aperte maiorem profiteri; age (ratione incarnationis silentio tradita) deitatem filij deitati patris (ut illi dicunt) conferamus. Illud ergo primum ab eo perimus, vtrum, cum Deum dicat vnigenitū, natura Deum intelligat, an nomine solo deitatis honorari opinetur,



226

S. CYRILLI EPISCOPI.

netur, sicut multi dicuntur in cælo, multi etiam in terris dij, ac domini? Si enim vltimum dicitur, cur ergo (exclamabimus) si natura Deus non est, creaturam adoramus? nec solum nos id facimus, verum etiam virtutes cælorum, & sancti omnes, qui Deum verum esse prædicarunt, hoc crimine accusandi sunt, & præcipue Ioannes euangelista, qui de ipso ait; scimus quia filius Dei venit, & dedit nobis sensum, vt verū Deum cognoscamus, & finis in vero filio eius Iesu Christo, hic est verus Deus, & vita æterna. Sin autem vniuersam scripturam veritas, Deum secū dum naturam profiteretur, quomodo minor erit quam pater aut quomodo alium omnino Deum naturali habitudine à patre penitus dissepaturum prædicare non videbitur? siquidem, cum in propria substantia, esse ipsum credat, alienum à patris substantia putet. Nam, si nihil prorsus maius, aut minus ipso est sed minus ad aliud maius minus & maius ad aliud minus maius est, quomodo non erit necesse duos deos secundum naturam & deos veros ita confiteri vt alter maior alter minor esse credatur? Nulla igitur est fides ecclesiæ, cum non vnus Deus natura sed duo sint. Cuius ergo tempra sumus? an eius, qui spiritū suum in animos nostros immittit? sed, cum à sacra scriptura didicerimus patris, & filij spiritum esse, quid dicemus, quem depellemus, aut quem suscipiemus? Nam, si vtroque minorem scilicet, at maiorem in nobis per spiritus suos habitare dicamus, non Dei, sed deorum templa erimus. Quis hæc audiens, non euomet? Sed forte, ne duos deos fateri cogatur, ad illud consuerū sibi, arque tritum confugiet, dicetque naturā filij huiusmodi esse, vt nec à creaturis omnino aliena sit, nec à Dei patris natura omnino excidat. Sic enim, qui creaturam esse filium contendunt, ad has fictas fabulas confugiūt. Cum igitur ita se habere naturam filij dicant, vt quasi media inter creaturam, & increatam sit, interrogabimus, à quonam sanctorū ita loqui didicerunt? Nam, si à sacris literis id non acceperunt: confundantur, proprias in fidem sententias afferentes. Sed ab eo, quod ipse proposuit, hanc falsitatem redarguamus. Nam, si sola, quæ speciei eiusdem sunt, inter se comparantur: comparatur autem filius patri, pater, inquit, maior me est: quomodo eius naturæ filius esse negabitur, cuius pater est? quod si eiusdem naturæ est, quomodo erit medius? cum nulla natura maior eo vt Deo esse inueniatur. Si vero, vt ipse vnigenitus dicit, patri comparatur (pater enim, inquit, maior me est) comparantur autem solummodo, quæcunque eiusdem generis, id est naturæ sunt, quomodo filius patri consubstantialis non erit? Hæc absurda, inaudita, & impia cum sequi à blasphemia, & ex cogitationibus vestris videatis, date hoc vnigenito, vt æqualem patri esse confiteamini. Sic enim vnus erit Deus, à vobis, & nobis, & sanctis angelis in trinitate personarum adoratus. Et nunc dixi vobis, priusquam fiat, &c. Stabile, firmūque deitatis suæ pignus futurorum prædictio est, quo discipulorum animos inducit, vt ascensurum in cælos sicuti natura Deum, & ex Deo natum, nō dubitent. Nolite enim, inquit, in prophetarum conditionem me ponere. Nam illi, quoniam nudi homines erant, à morte detenti sunt, ego vero, cum Deus sim secundum naturam, detineri à morte nequeor: vno enim semper, & vita natura-

liter sum. Mirram igitur paracletum, & pacem meam dabo vobis, qua illuminati rerum periculo in horum memoriam verborum venietis, vt cum patre me in cælis sedere firmiter credatis. Quomodo enim hæc facere poterō, quæ vobis pollicitus sum, nisi vna cum eo regnem? hæc, vt prædixit, secuta re ipsa firmiorem credentium fidem effecerunt. *Iam non multa loquar vobiscum, &c.* Quoniam impia Iudæorum cetera cum principe suo, qui traditurus eum erat, ventura iam iam fuit, eum ad crucem tandem actura: idcirco breuitate temporis non multa cum discipulis loqui se posse asserit. Nam *venit, inquit, mundi princeps, & in me non habet quicquam*: moriar tamen libenter pro omnibus, quoniam voluntatem patris libenter facio. Hic quidem sensus perspicue patet, quem subtilius enodantes, dicimus, primum quidem Adam, quoniam præcepta Dei contempsit, iure morti subiectum fuisse, secundum autem Adam, id est, dominum nostrum Iesum Christum, quoniam peccatum non fecit, nec inuentus est in eius ore dolus, nullam penitus causam mortis habuisse: sed, vt voluntatem patris ageret (diligit enim eum, & diligitur ab eo) pro redimenda vita omnium seipsum morti tradidisse. Voluit enim pater proprium filium pro nobis hominem fieri, & pro vita nostra mortem non erubescere, vt interitus imperium deitueret, & nos ad vitam reduceret. Idcirco ait breue modo reliquum esse tempus: *venit enim princeps mundi huius, & non habet in me quicquam*: id est, nulla mei causa moriar, nec quicquam de suis diabolus poterit in me inuenire. Peccatum enim, & peccati origo, diaboli sunt, Christus vero natura Deus, naturæque immutabilis peccare non poterat. Sed ab historia etiam ipsa passionis hoc verum esse percepimus; Ego enim, dicebat Pilatus, nullam in eo inuenio causam. Sic enim Ioannes scriptum reliquit. Mathæus vero innocentiam Christi adeo miratum fuisse Pilatum ostendit, vt coram Iudæis laueret manus, ac diceret, innocens ego sum à sanguine iusti huius. Et cū ad pontifices fuit delatus, pontifices, inquit, & omne concilium quærebant aduersus Christum falsa testimonia, vt eum morti traderent, & non inuenerunt. Cūque multi testes falsi accessissent, tamen non inuenerunt. Quæ omnia etiam ab hominibus quærebantur, tamen diabolus hominū ministerio vsus, falsum saltem aliquid inuenire in Christo conabatur. Nihil ergo de suo diabolus in Christo habebat: quem nō ideo principem mundi appellat, quia eius vere dominus sit, sed quia tyrannice decepit, & rapuit eos, qui sui non erant. Subiecit enim sibi delictis hominem, & ab oculi diuino distractum vi detinebat. Quare non iniuria à tyrannide sua deiectus est: regnat enim iam in nobis Christus. Nunc enim (ait) princeps huius mundi foras eijcietur: & rursus, si exaltatus fuerit à terra, omnes traham ad meipsum.

## S. MAXIMI EPISCOPI

*Taurinensis in eodem festo,  
Homilia 1.*

Nosse credo vos, fratres, quæ sit ratio, quod venerabilem hanc Pentecostes diem non minore læticia celebremus, quam sanctum pascha

cha curauimus: & quod eadem deuotione huius solennitatis obseruantiam decurrimus, sicut illius obsequia festiuitatis impleuimus. Tūc enim, sicut modo fecimus, ieiunauimus sabbato, vigiliis celebrauimus, orationibus pernoctantes institimus, vnde necesse est similis obseruantia similem læticiam subsequatur. Est læticia plane cōsimilis, tunc enim ab inferis resurgentem suscepimus saluatorem, modo autē spiritum sanctum expectamus de cælis: tunc anxij, vel solliciti Christi prædicabamus aduentum, modo trepidi, vel ieiuni paraclæti desideramus aduentum. In omnibus enim Deus saluti prouidit humane. Tunc enim nobis ad resurgendum tartara saluator aperuit, modo nobis ad regnandum paraclæti cælestia referauit. Et quibusdam quasi profectuum gradibus, tunc de morte ad vitam didicimus remeare, modo autem de terris ad cælos meditatur ascendere. Hæc autem omnia operatur in nobis Christus dominus, qui, priusquam rediret ad

ad cælos, promisit discipulis suis dicens: Cum autem ascendero, rogabo patrem meum, & mittere vobis alium paraclætum, qui vobiscum sit in æternum, spiritum veritatis. Vnde credendum est ad patrem peruénisse Christum, cum videmus ad Apostolos descendisse paraclætum. Credendum, inquam, est, sicut ait de saluatore David, in Dei dextera considerare, quia cernimus spiritum sanctum, sicut promisit dominus, in discipulis exultare. Ait ergo Propheta Psalmorum: Dixit dominus domino meo, sede à dextris meis. Secundum consuetudinem nostram illi cōsessus offertur, qui aliquo opere perfecto, victor aduentens honoris gratia promeretur, vt sedeat. Ita ergo & homo Iesus Christus passione sua diabolum superans, resurrectione sua inferna referans, tanquam perfecto opere, ad cælos victor adueniens, audit à Deo patre, sede ad dexteram meam. Nec mirum, si vnus sedis offertur filio cōsessus à patre, qui vnus est substantiæ, & naturæ cū patre. Cur autem ad dexteram filius esse dicatur, moueat aliquem fortasse. Licet enim dignitatis gradus non sit, vbi plenitudo diuinitatis est, tamen ideo ad dexteram sedet filius, non quo præferatur patri, sed ne inferior esse credatur. Et ideo ad dexteram filius, quia secundum Euangelistam ad dexteram oues, ad sinistram vero constituentur hædi. Necessè est ergo partē onū primus agnus obrineat, & secuturo immaculato gregi locū dux immaculatus anticipet, sicut ait Ioannes in Apocalypsi dicens: Hi sunt, qui sequuntur agnū, quocumq; vadit, qui se cū mulieribus nō coinquinauerūt. Refert ergo propheta David. Dixit dominus domino meo, sede ad dexterā meā. Hoc est, dominus pater domino Deo Christo filio throni sui offert sublimē cōsessum, & honoris gratia, ad dexterā suam illum æterna sede constituit. Legimus autem in actibus Apostolorum, dicente beato Stephano, cum lapidaretur à Iudæis. Ecce video cælos apertos, & stantem dominum Iesum ad dexterā Dei. Videamus ergo, quæ sit ratio, quod idem dominus à David sedens prophetatur, stans vero à Stephano prædicatur. Primo omnium Deus, qui incorporalis est, & inuisibilis, (est enim spiritus, sicut ait dominus: Deus autem spiritus est) sedere, aut stare quomodo potest: deinde autem quali subsellio sedeat Deus, qui infinitus est, & immensus, & intra se ipse magis creaturam cunctam contineat.

Hæc autē propterea à sanctis viris dicta arbitror esse de domino, non quo sint contraria sibi, sed vt modo eius omnipotentia, modo misericordia describatur. Nam vtique pro potestate regis sedere dicitur, pro bonitate intercessoris stare suggeritur. Ait enim beatus Apostolus: Quia aduocatum habemus apud patrem Iesum Christum. Iudex ergo est Christus, cum resider, aduocatus est, cum assurgit. Iudex plane Iudæis, aduocatus Christianis. Hic enim stans apud patrem, Christianorum licet peccantium causas exorat, ibi resider cum patre Phariseorum persequentium peccata condemnans. Illis indignans vehementer vlciscitur, his interueniens leniter miseretur. Hic stat, vt suscipiat Stephani martyris spiritum, ibi resider vt condemnet Iudæ proditoris admissum.

EIVSDEM IN EADEM  
solemnitate, Homil. 2.

NON incommode ante dies complures, sicut retinetis, fratres, prædicatio nostra præcessit, in qua descripsimus, quod caro domini rediitua velut in nitore floris de tumulo germinauerit, quem tumulum situm in hortulo Euangelista testatus est, vnde non incongrue profecti sumus. Conueniens enim erat vt flos preciosior in hortulo gigneretur, & bonæ frugis commendatum solo semen, intra septa domestica tamen virentia salutē omnium pullularet. Christi enim resurrectio cunctorum est redemptio populorum. Ergo in hortulo saluator rediituum corpus assumit, & inter florentes arbores, & candentia lilia carne iam mortua reslorescit, & ita germinat de sepulchro, vt germinat, & nitetia cuncta reperiat. Sic enim post hyemalis rigoris frigidā quodāmodo sepulchuram pullulare elementa omnia festinant, vt resurgente domino, & ipsa cōsurgent. Nam vtique ex resurrectione Christi aer salubrior est, sol candidior, terra fecundior, ex eo furculus virescit in fruticem, herba crescit in getem, vinea pubescit in palmitem. Si igitur cū reslorescit Christi caro, omnia floribus vestiuntur, necesse est, vt, cum idem fructum affert, etiam vniuersa fructificet, sicut ait idem dominus: Nisi granum tritici cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; cum autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Resloruit igitur dominus, cum resurrexit è tumulo, fructificat, cum ascendit ad cælum. Flos est, cum de inferioribus terræ gignitur, fructus est, cum altissima sede receditur. Granum est, sicut ipse ait, cum solus crucem patitur. Fructus est, cum plurima Apostolorum credulitate circundatur. His enim post resurrectionem quadraginta diebus cum discipulis conuersatus, tota illos sapientia maturitatis edocuit, & ad bonam frugem eos omni disciplinarum fecunditate conuertit. Deinde ascendit ad cælum, ad patrem scilicet fructum carnis præferens, in discipulis iustitiæ semina derelinquens. Ascendit ergo ad patrem dominus. Meminit sanctitas vestra, quod aquile illi de psalterio, cuius innouatā iuuentutē legitimus, comparauerim saluatorem. Est enim similitudo non parua: Sicut enim aquila humilia deserit, alta petit, cælorum vicina conscendit, ita & saluator humilia inferni deseruit, paradisi altiora petit, cælorum fastigia penetravit. Et, sicut aquila relictis



relictis terrenis sordibus, sublimis volans purioris aëris salubritate perfuitur, ita & dominus terrenorum foecem deserens peccatorum, in sanctis suis volitans purioris vitæ simplicitate lætatur. Per omnia igitur aquilæ comparatio conuenit saluatori. Sed quid facimus, quod aquila prædam frequenter diripit, tollit frequenter alienum? Nec in hoc tamen dissimilis est saluator. Prædam enim quodammodo sustulit, cum hominem, quem suscepit, inferni raptum faucibus portauit ad cælum, & alienæ dominationis, id est, diabolicæ potestatis seruum de captiuitate erutum duxit ad altiora captiuum, sicut scriptum est in propheta. Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. Quæ sententia vtiq; sic intelligitur, eo quod captiuitatem hominis, quem sibi diabolus captiuauerat illi eruendo, sibi dominus captiuauit, & ipsam, sicut ait, captiuitatem captam ad cælorum alta sustulerit. Vtraque igitur captiuitas vno vocabulo nuncupatur, sed non æqualis vtraque est. Diaboli enim captiuitas seruituti subiicit, Christi autem captiuitas restituit libertati. Ascendit, inquit, in altum, captiuam duxit captiuitatem. Quam bene triumphum domini propheta describit. Solebat, sicut dicunt, regum triumphantium cursum, captiuorum pompa præcedere. Ecce dominum eundem ad cælos non præcedit, sed comitatur gloriosa captiuitas, non ante vehiculum ducitur, sed ipsa euehit saluatorem. Quodam enim mysterio dum filius Dei filium hominis sustulit ad cælum, ipsa captiuitas portatur, & porratur. Quod autem ait: Dedit dona hominibus, hoc victoris insigne est. Post triumphum enim victor semper dona largitur, & proprio regno residens seruulorum gaudia muneratur. Sic Christus dominus victor diabolicum post triumphum residens ad dexteram patris, hodierna die discipulis dona largitus est, non auri talenta, non argenti metalla, sed spiritus sancti celestia munera, vt inter cæteras gratias Apostoli etiam linguis variis loquerentur, hoc est, vt Hebrææ nationis homo Christi gloriam Romanæ facundiæ eloquentia perfonaret, & redemptionem generis humani peregrinæ aures, quia Iudæa prædicante lingua nõ caperet, propria loquela cognoscerent. Omnis lingua in prædicatione Christi resoluatur, vt maiestatem eius omnis loquela fateatur, sicut ait sanctus Dauid. Non sunt loquela, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum: ne miremini autem, quod ad dexteram patris residere diximus filium. Ad dexteram enim residet, non quia maior patre, sed ne minor patre esse credatur, sicut hæretici blasphemare consueuerunt. Sicut enim diuinitas honorificentiam gradum nescit, ita scriptura sancta nouit obuiare blasphemis.

**EIVSDEM DE EADEM**  
*Solemnitate, Homilia 3.*

**S**cire debet sanctitas vestra, fratres, hanc sanctam Pentecostes diem qua ratione curemus, vel cur istorum quinquaginta dierum numero sit nobis ingis, & cõtinuata festiuitas, ita vt hoc omni tempore neque ad obseruandum indicamus ieiunia, neque ad exorandum Deum genibus succidamus, sed sicut dominica solemus facere, cre-

di, & feriari resurrectionem domini celebramus. Dominica enim nobis ideo venerabilis est, atque solennis, quia in ea saluator velut sol oriens, discussis infernorum tenebris, luce resurrectionis emicuit, ac propterea ipsa dies ab hominibus seculi dies Solis vocatur, quod ortus eam sol iustitiæ Christus illuminet. Instat ergo dominicæ tota quinquaginta dierum curricula celebrantur, & omnes isti dies velut dominici deputantur. Resurrectio enim dominica est. Nam in dominica resurgens saluator reuersus ad homines est, & post resurrectionem tota quinquagesima cum hominibus commoratur. Nõ, inquam, ieiunamus necessarium, vt esset festiuitas, quorum æqualis esset & sic quantitas. Sic enim disposuit dominus, vt sicut eius passio in quadragesimæ ieiunamus contristaremur, ita eius resurrectione in quinquagesimæ feriis lætaremur. Non igitur ieiunamus in quinquagesima, quia in iis diebus nobiscum dominus commoratur. Nõ, inquam, ieiunamus presente domino, quia ipse ait. Nunquid possunt filij sponsi ieiunare quamdiu cum illis est sponus? Cur enim abstineat corpus a cibo, cum anima presentia domini faginatur? Non potest enim esse ieiunus qui reficitur gratia saluatoris. Societas enim Christi quodammodo esca est Christiani. Reficimur ergo in quinquagesima, domino nobiscum conuerlante. Cum autem post hos dies ascendit ad cælum, iterum ieiunamus, sicut ait idem saluator dicens, Venient autem dies, cum auferetur ab eis sponus & tunc ieiunabunt in illis diebus. Cum enim Christus ascendit ad cælum, nostris auferitur obtutus: famem patimur non corporis, sed amoris, & non tam cibi ieiunio quam desiderio laboramus. Desideria enim quædam nostri sustinent oculi, dum non perspicunt, quem requirunt, sicut ait propheta: Defecerunt oculi mei, dum spero in Deo meo. Defecerunt enim propheta oculi, quia nondum videbat, quem sperabat se esse visurum. Sic namque Apostolorum defecerunt oculi, cum euntem ad cælum dominum nequeunt intueri, secundum quod ait Lucas dicens: Et videtibus illis eleuatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum. Stabant enim beati Apostoli toto suspensi corpore, & ascendentem ad cælum dominum, quia incesu pedum nõ poterant, oculis sequebantur, & licet ad deducendum saluatorem visio humana deficeret, fidei tamen deuotio non deficit. Vique ad nubem enim Christum deducunt, vsque ad cælos autem cum Christo fidei deuotione comitantur. Vnde ait Apostolus sciens fidem nostram in cælis esse cum domino. Nostra autem cõuersatio in cælis est. Nubes ergo ab oculis Apostolorum suscepit saluatorem. Videamus ergo, quæ ista nubes sit, quàm splendida, quàm præclara, quæ lucem mundi Christum suscipere meretur. Neque enim poterat, obscura esse, ac terra, vel tenebrosa, quia scriptum est. Et tenebræ eam non comprehenderunt. Tenebræ enim lucem gestare non poterant. Illa enim est nubes, quæ ascendentem suscepit Christum, quæ & testimonium Christo etiã in monte perhibuit, de qua ait Euangelista. Vox in nube audita est dicens. Hic est filius meus dilectus, ipsum audite. Non igitur nubes suscepit Christum, sed Deus pater recepit filium, & occursum quodam pietatis ascendentem, illum gremio molliore complectitur. Nam ideo pater dicitur suscipere filium nubis vmbraculo, vt ostē-

datur refrigerio quodam fouere eius vulnera passionis. Post crucem enim, post iniurias, post inferos non est maius Christo refrigerium, nisi quod virtute diuinitatis obumbratur, sicut in natiuitate eius ad Mariam dicitur. Et virtus altissimi obumbrabit tibi. Altissimus ergo pater, qui nascente Christo, obumbrabit in virtute Mariæ, ascendente eum suscepit in nube. Semper enim Deus, quos post iniurias perducit ad requiem, protegit eos nubis vmbraculo, sicut filios Israel liberatos de Aegypto nubis columna protexit, & vt post multum laborem eos in terram repromissionis induceret, refrigerij fouit vmbraculo, sicut ait Propheta: Expandit nubem ad protegendum eos. Expandit enim nubem, ne siccitate eremi fatigaretur, etiam solis ardore. Lætetur ergo in hac sancta die, sicut in pascha lætati sumus. Est enim in vtraque die similis, eademque solennitas. In pascha enim omnes gentes baptizari solent. In Pentecoste autem Apostoli baptizati sunt, sicut ait dominus discipulis suis ascensus ad cælum. Ioannes baptizauit aqua, vos autem spiritu sancto baptizabimini, quem accepturi estis non post multos hos dies. Et ideo dicit Lucas: Cum autem completerentur dies Pentecostes, factus est subito sonus de celo tanquam aduenientis spiritus validi, seditque super singulos eorum.

**S. LEONIS PAPAE**  
*de Pentecoste, Sermo 1.*

**H**odiernam solenitatem, dilectissimi, in præcipuis festis esse venerandam, omnium Catholicorum corda cognoscunt. Nec dubium est, quanta huic diei reuerentia debeatur, quem spiritus sanctus excellentissimo sui muneris miraculo consecrauit. Nam ab illo die, quo dominus super omnem altitudinem cælorum ad dexteram Dei patris confessus ascendit, decimus iste est, qui ab eiusdẽ resurrectione quinquagesimus nobis in co, a quo cœpit, illuxit, magna mysteria in se continens & veterum sacramentorum & nouorum: quibus manifestissime declaratur, gratiam prænucciariam fuisse per legem, & legem impletam esse per gratiam. Sicut enim Hebræo quondam populo ab Aegyptiis liberato, quinquagesimo die post immolationem agni, lex data est in monte Sina: ita post passionem, qua verus Dei agnus occisus est, quinquagesimo a resurrectione eius die, in Apostolos, plebemque credentium, spiritus sanctus illapsus est, vt facile diligens Christianus agnoscat initia veteris testamenti Euangelicis ministrasse principis, & ab eodem spiritu conditum scædus secundum, a quo primum fuerat institutum. Nam sicut Apostolica testatur historia, dum completerentur dies pentecostes, essentque omnes discipuli pariter in eodem loco, factus est repente de cælo sonus tanquam aduenientis spiritus vehementis: & repleuit rotam domum, vbi erant sedentes. Et apparuerunt illis dispartitæ linguæ, tanquam ignis, seditque supra singulos eorum. Et repleti sunt omnes spiritu sancto, & cœperunt loqui variis linguis, prout spiritus sanctus dabat eloqui illis. O quam velox est sermo sapientiæ, & vbi Deus magister est, quã cito discitur, quod docetur. Non est adhibenda interpretatio ad audiendum, non consuetudo ad

ysum, non tempus ad studium, sed spirante vbi voluit, spiritu veritatis, propriæ singularum gentium voces, facte sunt in Ecclesiæ ore communes. Ab hoc igitur die tuba Euangelicæ prædicationis intonuit, ab hoc die imbres charitatum, flumina benedictionum, omne desertum, & vniversam aridam rigauerunt: quoniam ad renouandam faciem terræ spiritus Dei ferebatur super aquas, & ad veteres tenebras abigendas, nouæ lucis fulgura coruscabant, cum micantium splendore linguarum, & verbum domini lucidum, & eloquiũ conciperetur igitur, cui ad creandum intellectum, consumendumque peccati & efficacia illuminandi, & vis inesset vrendi. Quamuis autem dilectissimi, valde fuerit ipsa rei gesta forma mirabilis, nec dubium sit, in illo, omnium humanarum, vocum exultante concentu, maiestatem spiritus sancti fuisse præsentem, nemo tamen exilimet in iis, quæ corporeis visis sunt oculis, diuinam eius apparuisse substantiam. Natura enim inuisibilis, & patri, filioque communis, qualitate muneris, atque operis sui, qua voluit significatione monstrauit. Proprietatem verò essentia suæ, in sua deitate continuit, quia sicut nec patrem, nec filium, ita nec spiritum sanctum humanus potest visus attingere. In trinitate enim diuina nihil dissimile, nihil impar est, & omnia quæ de illa possunt substantia cogitari, nec virtute, nec gloria, nec æternitate discreta sunt. Cumque in personarum proprietatibus alius sit pater, alius sit filius, alius spiritus sanctus: non tamen alia deitas, nec diuersa natura est. Siquidem cum & de patre sit filius vnigenitus, & spiritus sanctus patris, filijque sit spiritus, non sicut quæcunque creatura, quæ & patris, & filij est: sed sicut cum vtroque viuens, & potens, & sempiternus, & ex eo quod est pater, filiusque subsistens. Vnde cum dominus ante passionis suæ diem discipulis suis sancti spiritus sponderet aduentum, Adhuc, inquit, multa habeo vobis dicere, sed non potestis modo illa portare. Cum autem venisset ille spiritus veritatis, dirigit vos in omnem veritatem. Non enim loquetur a semetipso, sed quæcunque audiet, loquetur, & futura annuntiabit vobis. Omnia, quæ habet pater, mea sunt, propterea dixi, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis. Non ergo alia sunt patris, alia filij, alia spiritus sancti: sed omnia, quæcunque habet pater, habet & filius, habet & spiritus sanctus, nec vnquam in illa trinitate defuit ista communio. Quia hoc est ibi omnia habere, quod semper existere, nulla ibi tempora, nulli gradus, nullæ differentia cogitentur, & si nemo de eo potest explicare, quod est, nemo audeat affirmare, quod non est. Excusabilis enim est de natura ineffabili non eloqui digna, quàm definire contraria. Quicquid itaque de sempiterna, & incommutabili gloria patris, pia possunt corda concipere, hoc simul & de filio, & de spiritu sancto, inseparabiliter, atque indifferenter intelligant. Idco enim hanc beatam trinitatem, vnũ consistens Deum, quia in his tribus personis, nec substantia, nec potentia, nec voluntatis, nec operationis est vlla diuersitas. Sicut ergo detestamur Arrianos, qui in tres patres, & filium aliquam volunt esse distantiã, ita etiam Macedonios pariter detestamur, qui licet patri & filio tribuant æqualitatem, spiritum tamen sanctum inferioris putant esse nature, non considerantes

Matth. 12.

1. Cor. 12. Ibidem.

Ieiunij peccata purgat.

humilitate.

derantes in eam blasphemiam se incidere, quæ neque in præfenti seculo neque in futuro sit remittenda iudicio, dicente Domino; Quicumque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei. Qui autem dixerit contra spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc seculo, neque in futuro. Permanens itaque in hac impietate, sine venia est, quia exclusit eum à se, per quem poterat confiteri. Nec unquam pervenit ad indulgentiæ remedium, qui patrocinarum sibi non habet advocatum. Ab ipso enim est invocatio patris, ab ipso sunt lachrymæ poenitentium, ab ipso sunt gemitus supplicantium. Et nemo potest dicere dominum Iesum, nisi in spiritu sancto. Cuius equalitatem cum patre, & filio omnipotentiam, vnamque deitatem evidentissimè prædicat Apostolus dicens; Divisiones autem gratiarum sunt, idem autem spiritus. Et divisiones ministracionum sunt, idem autem dominus. Et divisiones operationum sunt, idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus. His, dilectissimi, aliisque documentis, quibus innumerabiliter divinorum eloquiorum corroborat auctoritas, ad venerationem pentecostes unanimiter incitemur, exultantes in honorem sancti spiritus, per quem omnis Ecclesia catholica sanctificatur, omnis anima rationalis imbuitur. Qui inspirator fidei, doctor scientiæ, fons dilectionis, signaculum castitatis, & totius est causa virtutis. Gaudeant fidelium mentes, quod in toto mundo vnus Deus, pater, & filius, & spiritus sanctus, omnium linguarum confessione laudatur, quodque illa significatio, quæ in specie ignis apparuit, & opere perseverat, & munere. Ipse enim spiritus veritatis, facit domum gloriæ suæ luminis sui nitore fulgere, & in templo suo, nec tenebrosam aliquid vult esse, nec tepidum, de qua opus, atque doctrina etiam ieiuniorum nobis, atque elemosinatum est collata purgatio. Nam hunc venerabilem diem sequitur saluberrimæ observantiæ consuetudo, quam vtilissimam sibi omnes sancti semper experti sunt, & ad quam seculo celebrandam, pastorali vos sollicitudine cohortamur; ut, si quid macularum proximis diebus negligentia incauta contraxerit, id & ieiunij censura castiget, & devotio pietatis emendet. Quarta igitur, & sexta feria ieiunemus. Sabbato autem in id ipsum consueta devotione vigiliis celebremus, per Christum dominum nostrum, Amen.

**EIVSDEM DE PENTECOSTE, Sermo 2.**

Plenissimè quidem nobis, dilectissimi, causam atque rationem solennitatis hodiernæ divinorum eloquiorum textus ostendit, quo sanctum spiritum quinquagesimo post domini resurrectionem die, qui ab ascensione eius decimus est, infusum Christi discipulis, sicut promissus sperabatur, agnovimus. Sed ad novos Ecclesiæ filios instruendos, addendum est etiam nostri sermonis obsequium. Non enim timemus, ut spirituales, & eruditi nota fastidiant, ad quorum fructum pertinere, ut quam plurimis insinuari velint, quod ipsi cum magna sui vtilitate didicerunt. Fiat ergo per corda omnium, dispensatio munerum divinorum, & servitutem oris nostri, docti, indoctiq;

non spernant. Illi ut probent se amare, quod norunt, isti ut ostendant se desiderare, quod nesciunt. Huic enim præparationi nostræ aderit ipsius largitas, de cuius loqui maiestate gestimus, ut ad profectum totius Ecclesiæ & vos capaces, & nos faciat abundantes. Cum igitur ad intelligendam dignitatem spiritus sancti aciem mentis intendimus, nihil diversum ab excellentia patris, & filij cogitemus, quia in nullo ab unitate suâ discrepat divinitatis essentia. Sempiternum est patri, consempiterni sibi filij sui esse genitorem. Sempiternum est filio, intemporaliter à patre esse progenitum. Sempiternum quoque est spiritui sancto, spiritum esse patris, & filij: ut niquam pater sine filio, nunquã filius sine patre, nunquã pater, & filius fuerint sine spiritu sancto, & omnibus existentiæ gradibus exclusis, nulla ibi persona sit anterior, nulla posterior. Huius enim beatæ Trinitatis, & incommutabilis Deitatis, vna est substantia, indivisa in opere, & concors in volutate, par in omnipotentia, & equalis in gloria. De qua cum sancta scriptura sic loquitur, ut aut in factis, aut in verbis aliquid assignet, quod singulis videatur convenisse personis, non perturbatur fides catholica, sed docetur, ut per proprietatem aut vocis, aut operis insinuetur nobis veritas Trinitatis, & non diuidat intellectus, quos distinguit auditus. Ob hoc enim quædam sine sub patris, siue sub filij, siue sub spiritus sancti appellatione promuntur, ut confessio credentium in Trinitate non erret. Quæ cum sit inseparabilis, nunquam intelligeretur esse Trinitas, si semper inseparabiliter diceretur. Bene ergo ipsa difficultas loquendi cor nostrum ad intelligentiam trahit, & per infirmitatem nostrâ cælestis doctrina nos adiuuat, ut, quia in deitate patris, & filij, & spiritus sancti, nec singularitas est, nec diversitas cogitanda, vera unitas, & vera Trinitas possit quidem aliquatenus mente sentiri, sed non possit simul ore profiteri. Fundata igitur in cordibus nostris, dilectissimi, fide, qua salubriter credimus, quod simul tota trinitas vna virtus est, vna maiestas, vna substantia, indisereta opere, inseparabilis dilectione, indifferens potestate, simul implens omnia, simul continens vniuersa. Quod enim est pater, hoc est & filius, hoc est & spiritus sanctus, & vera deitas, in nullo esse aut minor, aut maior potest: quæ sic in tribus consistenda est personis, ut & solitudinem non recipiat Trinitas, nec unitatem seruet æqualitas. Hac, inquam, dilectissimi fratres, fide firmiter apprehensa, nõ ambigamus, quod cum in die pentecostes discipulos domini spiritus sanctus implevit, non fuit inchoatio muneris, sed adiectio largitatis: quoniam & patriarchæ, & prophete, & sacerdotes, omnesque sancti, qui prioribus fuere temporibus, eiusdem sunt spiritus sancti sanctificatione vegetati: & sine hac gratia, nullã unquam instituta sacramenta, nulla sunt celebrata mysteria: ut eadem semper fuerit virtus, charismatum, quamvis non eadem fuerit mensura donorum. Ipsi quoque beati Apostoli ante passionem domini spiritu sancto non carebant, nec potentia huius virtutis aberat ab operibus saluatoris. Et cum discipulis daret infirmitatum curationem, & efficiendotum dæmonum potestatem, eius vique spiritus largiebatur effectum, in quo ipsum mundis spiritibus imperantem Iudæorum negabat impietas, & diuina beneficia diabolo deputabat.

Matth. 11.

inuatione

Rom. 8.

1. Cor. 13.

1. Iam. 20.

1. Iam. 16.

\*proficientes

tabat. Vnde taliter blasphemantes merito illam domini exceperent sententiam, qua ait; Omne peccatum, & blasphemiam remittetur hominibus: Spiritus autem blasphemiam non remittetur hominibus. Et quicumque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc seculo, neque in futuro. Vnde manifestum est, peccatorum remissionem sine spiritus sancti aduocatione non fieri, nec quenquam sine illo, sicut expedit, ingemiscere, aut sicut oportet, orare, dicente Apostolo; Quid enim oremus, sicut oportet, nescimus, sed spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Et nemo potest dicere dominum Iesum, nisi in spiritu sancto: quo vacuari nimis exitabile est, nimisque mortiferum, quia nunquam veniam meretur, qui ab intercessore deseruit. Omnes igitur, dilectissimi, qui in dominum Iesum crediderant, infusum sibi habebant spiritum sanctum, & remittendorum peccatorum iam tunc Apostoli acceptant potestatem, quando post resurrectionem suam dominus infusit, & dixit; Accipite spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittentur eis, & quorum retinueritis, retinebuntur. Sed illi perfectio, quæ erat discipulis conferenda, maior gratia, & abundantior inspiratio seruabatur, per quam & quæ nondum acceperant, sumerent, & excellentius possent habere, quæ sumserant. Propter quod dominus dicebat; Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis illa portare modo. Cum autem venerit spiritus veritatis, ille diriget vos in omnem veritatem. Non enim loquetur à semetipso, sed quæ audierit, loquetur, & futura annunciat vobis. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annunciat vobis. Quid ergo est, quod dominus promittens discipulis spiritum sanctum, qui iam dixerat, omnia, quæ audiuistis à patre meo, nota feci vobis: adhuc, inquit, multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. Quum autem venerit spiritus ille veritatis, ille nos diriget in omnem veritatem? Nunquid sese dominus veritatis, inferioris scientiæ volebat intelligi, aut minus aliquid quàm spiritum sanctum à patre didicisse? cum ipse sit veritas, & nihil patet dicere, nihil possit docere sine verbo, idè quæ dictum sit; De meo accipiet, quoniam quod accipit spiritus, parte dante, dat filius? Non itaq; alia erat insinuanda veritas, nec alia prædicanda doctrina, sed oportebat capacitatem eorum, qui docebantur, augeri, & multiplicari constantiam illius charitatis, quæ omnem formidinem foras mitteret, & furorem persequentium non timeret. Quod utique Apostoli, posteaquam spiritus sancti noua abundantia sunt repleti, ardentius velle, & efficacius posse ceperunt, \*proficientes à præceptorum scientia ad tolerantiam passionum: ut sub nulla iam tempestate trepidantes, fluctus seculi, & elationes mundi, fide supergredientes, calcaret, & morte contempta, omnibus gentibus Evangelium veritatis inferrent. Quod verò addidit dominus dicens; Quæcumque audierit, loquetur, & futura annunciat vobis, non segni intellectu, dilectissimi, nec transitorio accipiamus auditu. Præter alias enim veritatis locutiones, quibus Manichæorum confutatur impietas, hac apertissimè sententia totum sacrilegæ falsitatis dogma profernitur. Nam ut magnam quandam, & fu-

blimem videretur sequi autorem, in magistro suo Manichæo apparuisse spiritum sanctum crediderunt, promissumque à domino paracletum non prius venisse, quàm hic infelicium deceptor oriretur, in quo ita spiritus sanctus manserit, ut non aliud fuerit Manichæus ipse, quàm spiritus, qui per ministerium corporæ vocis, & linguæ, discipulos suos in omnem induceret veritatem, & nunquam cognita præteritorum secreta seculorum refereret. Quod quàm sit ridiculum, quàmque vanum, tæderet ostendere, nisi adhuc quosdam non puderet hoc credere. Manichæus ergo magister falsitatis diabolicæ, & conditor superstitionis obsecræ, eo tempore damnandus innotuit, quo post resurrectionem domini ducentesimo, & sexagesimo annis impletus est. Præbo imperatore, Paulinoque consule, cum octava iam in Christianos ebulliret persecutio, & innumera martyrum millia ipsi suis victoriis probauissent impletum esse, quod dominus promiserat, dicens; Cum autem tradent vos, nolite cogitare, quomodo, aut quid loquamini. Dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini. Non enim vos estis, qui loquamini, sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis. Non ergo potuit promissio domini tanta per ætatum intervalla differri, nec ille spiritus veritatis, quem mundus non accepit impiorum, ita septiformem illam donorum suorum continuit largitatem, ut tot Ecclesiæ generationes, sapientia, & intellectu, consilio, & fortitudine, scientia, & pietate, atque ipso Dei timore fraudaret, donec prodigiosus turpium mendaciorum signifer nasceretur, cui nec hoc quidè tribui potest, quod vel exiguam diuinæ inspirationis acceperit portionem: quoniam & hic de illa mundi exitu parte, quæ non potest spiritum veritatis accipere. Repletus enim spiritu diaboli, spiritui resistit Christi, & cum sanctis Dei hoc paracleti doctrina contulerit, ut futura prædicerent, hic ne falsitatis eius ipse rerum processus argueret, ridendarum impudentiam fabularum in præteritis retorisit ætates. Et quasi nos nihil de sempiternitate creatoris, nihil de ordine creaturæ in vniuersum mundum bene lex sancta, & diuinitus inspirata prophetia docuisset, in contumeliâ Dei, & omnium iniuriam naturarum inexplicabili mendaciorum monstra contulit. Quibus tandem suas insinuaturos infanias, nisi multum incestis, & nimium à lumine veritatis auerfis, qui siue per ignorantie cæcitatem, siue per turpitudinis appetitum, ad illa non sacra, sed execramenta perueniunt: quæ propter communem verecundiam non sunt nostro sermone promenda, cum iam abundantissimè ipsorum sint confessione patefacta. Nulli ergo vestrum, dilectissimi, suadeatur, quod tantæ impietatis autorem spiritus sanctus aliqua ex parte dignatus sit. Nihil ad istum prorsus de illa virtute peruenit, quam Ecclesiæ suæ Christus & promissit, & misit. Dicente enim Ioanne; Spiritus nondum fuerat datus, quia Iesus nondum fuerat clarificatus, domini ascensio, dandi spiritus fuit ratio, quem ille necesse est, ut neget datum, qui ad confessum paternæ dexteræ verum in Christo hominem negat esse prouectum. Nos autem, dilectissimi, ad beatam æternitatem & animæ & carnis per regenerationem sancti spiritus adoprari, sacratissimi istius festi diem, rationabili obsequio, & casta lætitia celebremus, confitebitur. Bibl. Hom. tom. 3. V 2 centes

Psal. 67. Ephes. 4. Phil. 2.

Ieiunium post Pentecostem ex Apostolica dicitur manat.

tentes cum beato Paulo Apostolo, quod dominus Iesus Christus ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus: vt Euangelium Dei per omne humanae vocis eloquium praediceretur, & omnis lingua confiteatur, quia dominus Iesus in gloria est Dei patris. Ad presentem autem solenitatem etiam ista nobis est assumenda deuotio, vt ieiunium, quod ex Apostolica traditione subsequitur, sancta obseruantia celebremus: quia & hoc inter maxima sancti spiritus dona numerandum est, quod nobis aduersum illecebras carnis, & insidias diaboli, ieiuniorum sunt collata praesidia, quibus omnes tentationes, Deo adiuuante, vincamus. Quarta igitur, & sexta feria ieiunemus: Sabbaro autem apud beatum Petrum Apostolum vigiliis celebremus, patrocinante eodem spiritu orationibus nostris, vt in omnibus misericordiam Dei obtinere mereamus, per eundem dominum nostrum Iesum Christum uiuentem, & regnantem cum patre, & eodem spiritu sancto in secula seculorum, Amen.

EIVSDEM DE PENTECOSTE, Sermo 3.

HOdiernam, dilectissimi, festiuitate toto terrarum orbe venerabilem, ille sancti spiritus consecrauit aduentus, qui post resurrectionem domini quinquagesimo die in Apostolos, populūque credentium, sicut sperabatur, influxit. Sperabatur autem, quia illū dominus Iesus promiserat ad futurum, non vt tunc primum esse sanctorum habitator inciperet: sed vt sacra sibi peccata, & feruentius accenderet, & copiosius inundaret, cum sua dona, non inchoans, nec ideo nouus opere, quia ditior largitate. Nūquam enim ab omnipotentia patris, & filij spiritus sancti est discreta maiestas, & quicquid in dispositione rerum omnium agit diuina moderatio, ex totius venit prouidentia Trinitatis. Vna est ibi benignitas misericordiae, vna censura iustitiae, nec aliquid est in actione diuinum, vbi nihil est in voluntate diuersum. Quae ergo illuminat patrem, illuminat filium, illuminat spiritus sanctus. Cunque alia sit persona missi, alia mittentis, alia promittentis, simul nobis & vnitas manifestatur, & Trinitas, vt essentia habens aequalitatem, & non recipiens solitudinem, & eiusdem substantiae, & non eiusdem intelligatur esse personae. Quod ergo salua cooperatione inseparabilis deitatis, quaedam pater, quaedam filius, quaedam proprie spiritus sanctus exequitur, nostrae dispositio redemptionis, nostrae salutis est ratio. Si enim homo ad imaginem, & similitudinem Dei factus, in suae honore naturae mansisset, nec diabolica fraude deceptus, à lege sibi posita per concupiscentiam deuiasset, creator mundi creatura non fieret, neque aut sempiternus temporalitatem subiret, aut aequalis Deo patri filius Deus, formam serui, & similitudinem carnis peccati assumeret. Sed, quia inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum, & aliter solui captiuitas humana non potuit, nisi causam nostram ipse susciperet, qui sine maiestatis suae damno, & verus homo fieret, & solus peccati contagium non haberet, diuisi sibi opus nostrae reparationis misericordia Trinitatis, vt pater propi-

Act. 2. Luc. 24. Act. 1.

Genes. 1.

Nota id contra quosdam, qui contrarium asserunt.

Sap. 2.

ciaretur, filius propiciaret, spiritus sanctus igniret. Oportebat enim, vt aliquid etiam saluandi pro se agerent, & conuersis ad redemptorem cordibus, ab inimici dominatione desciscerent. Quoniam sicut Apostolus ait; Misit Deus spiritum filij sui in corda nostra clamantem, Abba pater. Vbi autem Spiritus domini, ibi libertas. Et nemo potest dicere dominum Iesum, nisi in Spiritu sancto. Si ergo duce gratia, dilectissimi, fideliter, sapienterque noscamus, quid patri, quid filio, quid Spiritui sancto in reparatione nostra proprium, quidve commune sit, ea, quae pro nobis humiliter, & corporaliter gesta sunt, ita proculdubio suscipimus, vt nihil indignum de vna, atque eadem Trinitatis gloria sentiamus. Quamuis enim nulla mens ad cogitandum de Deo, nulla ad loquendum lingua sufficiat, tamen, quantumcunque illud est, quod humano intellectu de essentia paternae deitatis attingitur, nisi vnū, atque idem est, cum vel de vnigenito eius, vel de Spiritu sancto cogitatur, non pie sapitur, sed nimis carnaliter caligatur, & ipsum, quod de patre congruenter sentiri videbatur, amittitur: quia à tota Trinitate receditur, si in ea vnitas non tenetur. Nulla autem ratione vere est vnus, quod aliqua est inaequalitate diuersum. Quam igitur ad confitendum patrem, & filium, & Spiritum sanctum aciem mentis intēdimus, procul ab animo formas visibilium rerum, & aetates temporalium naturarum, procul corpora locorum, & loca corporum repellamus. Discadat a corde, quod spatio extenditur, quod sine concluditur, & quicquid nec semper vbiq; nec totum est. Cogitatio de deitate Trinitatis concepta, nihil per distantiam intelligat, nihil per gradus quaerat. At si quid de Deo dignum senserit, nulli hoc ibi audeat negare personae, tanquam honorificentius patri ascribat, quod filio, spirituique non tribuat. Non est pietas vnigenito preferre genitorem: filij contumelia, patris est iniuria: quod vni demitur, vtrique detrahitur. Nam cum illis & sempiternitas sit communis, & deitas, nec omnipotens pater, nec incommutabilis aestimatur, si aut minorem se genitum, aut quem non habuit, habendo profecit. Dicit quidem dominus Iesus discipulis suis, sicut Euangelica lectione recitatum est; Si diligeretis me, gauderetis vtrique, quia ad patrem vado, quia pater maior me est. Sed hoc illae aures, quae saepius audierunt; Ego, & pater vnus sumus, & Qui me videt, videt & patrem, sine deitatis accipiunt differentia, nec de illa hoc essentia intelligunt, quam sempiternam cum patre, & eiusdem naturae nouerunt esse firma ratione. Commēdatur etiam sanctis Apostolis in incarnatione verbi dominici humana prouectio, & qui denunciato sibi domini turbabantur abcessu, ad aeterna gaudia honoris sui incitantur augmento. Si diligeretis me, inquit, gauderetis vtrique, quia vado ad patrem, hoc est, si perfecta scientia videretis, quid vobis gloriae confertur per hoc, quod ex Deo patre genitus, etiam ex homine matre sum natus, quod dñs aeternorum, vnus volui esse mortalium, quod visibilem me inuisibilis praebui, quod formam serui in forma Dei sempiternus accepi, gauderetis, quia vado ad patrem. Vobis enim praestatur haec ascensio, & super omnes caelos ad patris dexteram collocanda vestra in me humilitas eleuatur. Ego autem qui hoc sum cum patre, quod pater est, inuiduus

Galat. 4. 1. Cor. 12.

Joan. 14. 1. Joan. 14.

Ibidem.

\* iustitia

Nota confirmatio

Nota confirmatio

Eadem ad verbum

uiduus cum genitore permaneo, & sic ab illo, ad vos veniens, non recedo, quemadmodum & vos ad illum rediens, non relinquo. Gaudete ergo, quia vado ad patrem, & factus sum filius hominis, vt vos filij Dei esse possitis. Vnde licet vnus in vtroque sim, tamen quo vobis conformor, pater sum minor. Quod autem à patre non diuidor, etiam me ipso sum maior. Natura itaque, quae minor est patre, vadit ad patrem, vt ibi sit caro, vbi semper est verbum: & vna Ecclesiae catholicae fides, quem secundum humanitatem non differtur minorem, secundum deitatem credat aequallem. Contemnat igitur, dilectissimi, vana, & caeca veritas haereticae impietatis, quae sibi huius scientiae serua interpretatione blanditur, ac dicente domino; Omnia, quae habet pater, mea sunt, non intelligit se patri demere, quicquid filio audeat negare. Et ita in illis, quae humana sunt, desipit, vt putet, quod ideo vnigenito paterna defuerint, quia nostra suscepit. Non minuit in Deo misericordia potestatem, nec delata reconciliatio creaturae, sempiternae defectus est gloria. Quae habet pater, habet filius, & quae habet pater, & filius habet, & Spiritus sanctus: quia tota simul Trinitas est vnus Deus. Hanc autem fidem terrena sapientia non reperit, nec opinio humana persuasit, sed ipse vnigenitus filius docuit, ipse Spiritus sanctus instituit, de quo nihil est aliter, quam de patre, & filio sentiendū. Quia licet non sit pater, non sit filius, non tamen est à patre, filioque diuisus, & sicut propriam habet in Trinitate personam, ita vniam habet in patris, & filij deitate substantiam, omnia implentem, omnia continentem, & cum patre, & filio vniuersa moderantem, per infinita secula seculorum, Amen.

HILARII ARELATENSIS Episcopi in eodem festo, Hemil.

IN illis diebus, dicit dominus, effundam de spiritu meo super omnem carnem. Aduertamus summam diuitias bonitatis: quod nunc in confirmandis neophytis manus impositio tribuit singulis, hoc tunc spiritus sancti descēso in credentium populo donauit vniuersis. Sed quia diximus quod manus impositio, & confirmatio ei, qui iam renatus in Christo est, conferre aliquid possit, forte cogitat sibi aliquis: Quid mihi prodest post mysterium baptismatis, ministerium confirmantis? Aut quantum video non totum de fonte suscepimus, si post fontem adiectione noui generis indigemus. Non ita est, dilectissimi: attendat charitas vestra. Sic enim exigit militaris ordo, vt cum imperator quemcūque in militem receperit numerum, non solum signet receptum, sed etiam armis competētib; instruat pugnaturum. Ita in baptizato benedictio illa, munus est. Dediti militem, da ei adiumenta militiae. Nunquid prodest si quisquam parentum magnam paruulo conferat facultatem, nisi prouidere studeat & tutorem? Ita paracletus regeneratis in Christo & consolator, & tutor est. Ideo dicit sermo diuinus: Nisi dominus custodierit ciuitatem, in vanum vigilat qui custodit eam. Ergo spiritus sanctus qui super aquas baptismi salutariter descendit illapsus, in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in confirmati-

one augmentum praestat ad gratiam. Quia hoc in mundo tota aetate victuris inter inuisibiles hostes, & pericula gradiendum est, in baptismo regeneramur ad vitam, post baptismum confirmamur ad pugnam: in baptismo alimur, post baptismum roboramur. Ac sic continuè tranſituris sufficienti regenerationis beneficia, victuris autem necessaria sunt confirmatiōis auxilia. Regeneratio per se saluat mox in pace beati seculi recipiendos, confirmatio armat, & instruit ad agones mundi huius, & praelia refectandos. Qui autem post baptismum cum acquisita innocentia immaculatus peruenit ad mortem, confirmatur morte: quia iam non potest peccare post mortem. Hic si forte illud etiam requirere velimus, post passionem, & resurrectionē Christi quid apostolis profuerit aduentus spiritus sancti, ipse dominus eis hoc euidenter exponit: Quae dico (inquit) vobis non potestis ea portare modo. Cum autem venerit ille spiritus veritatis, ipse vos docebit omnem veritatem. Vides quia cum spiritus sanctus infunditur, cor fidele ad prudentiam dilatat. Itaque ante descensionem spiritus sancti vsque ad negationem apostoli deterrerentur, post visitationē verò eius vsque ad martyrium cōtempnū salutis armantur. Secundum haec per Christū redimimur, per spiritū verò sanctū dono sapiētiē spiritualis illuminamur, & edificamur, erudimur, instrumimur, cōfirmamur, vt illam sancti spiritus vocem audire possimus: intellectum tibi dabo, & instruaui te in via haec, qua gradieris. De spiritu sancto accipimus, vt spirituales efficiamur, quia animalis homo non percipit ea quae sunt spiritus Dei. De spiritu sancto accipimus, vt sapiamus inter bonū, malūq; discernere, iusta diligere, iniusta respuere: vt malitia, ac superbiae repugnemus, vt luxuria, ac diuersis illecebris & scedis, indignisq; cupiditatibus resistamus. De spiritu sancto accipimus vitae amore & gloriae ardore succens, vt erigere à terrenis mentē ad superna & diuina valeamus: ad hoc enim sensum rationabilem naturae munere & secundae naturae reparatione suscepimus, vt secundum apostolum magis quae sursum sunt, sapiamus, nō quae super terram. Quia sapientia huius mundi, stultitia est apud Deum. Quid autē suadet, charissimi, sapientia huius seculi, nisi noetura querere, amare peritura, negligere salutaria, pro nihilo putare perpetua? Cupiditatem commendat, de qua dicitur: Radix omnium malorum est cupiditas. Quae in primis hoc malum habet, quod dum ingreditur transitoria, abscondit aeterna: & dum à foris posita conspicit, intra se latentia non introspicit: & dum aliena quaerit, factori suo semetipsum reddit alienum. Ecce quid suadet seculi sapientia, viuere in deliciis, de quibus dicitur: Anima quae in deliciis est, viuens mortua est. Suadet ergo mollissimis suauitatibus, peccatis, vitiis & flammis nutrire carnem, eibi & vini intemperantia animā premere, ac vitam spiritus intercludere, & contra se hosti suo de se gladium ministrare. Ecce quid suadet seculi sapientia, vt, qui boni facti sunt, mali esse malint: & per errorem mentis fieri etiam studeant peccatores: & non cogitent illam terribilem Dei vocem, cum exurentur peccatores sicut fenem. Quod audis sicut fenem, non hic sceleris supplicij putes esse compendium, nō hic quasi penitus asurum & in nihilum redigendum hominē dixit: sed peccatorem vili materiei comparauit. Bibl. Hom. tom. 3. V 3 parauit.



paravit, cum exurentur peccatores sicut fenum. Non hic intelligenda est in illo igne velocitas consumendi, sed violentia concremandi. Non hic peccata terminum, sed flammam signare dominatum, & ideo contra adversa mala futura prospiciens beatus Apostolus dicit: Si quis inquit vult esse sapiens inter vos, stultus fiat, ut sit sapiens. Quid est hoc, stultus fiat, ut sit sapiens? An non videtur aliquantisper stultus homo, quando amore salutis suae & caelestis tremore iudicij, vitiis impletus diversa vitae huius oblectamenta quae solebat ambire refugit, quae solebat congregare contemnit, imo per sinus pauperum seminantis more dispergit? Affluencia offenditur, inedia pascutur, ieiuniis delectatur, corde humiliatur, habitu mutatur: affectorem prodignum despiciens, & spem avidus sequens dimittit, quod possessione tenet, & quare cogitatione, quod non videt, animum celo inferens, quod amavit, odit, studet velle, quod noluit. Trahit enim post se cor illius eruditiones, & fidelium veridica promissa sanctorum, de quibus dictum est: ut seductores, & veraces. Quare seductores? Quia docent hominem despiciere quod habet, & sperare quod non habet. Quae oculis exposita sunt auersis, & clausis sensibus praeterire, & quae ab oculis remota sunt inexplorabilibus desiderijs explorare.

**B. GREGORII PAPAE**  
in *superius Euang. Homil.*

*Est homil. 30. in Euang.*

**L**ibet, fratres charissimi, Evangelicae verba lectionis sub breuitate transcurrere, ut post diuitius liceat in contemplatione tantae solennitatis immorari. Hodie namque spiritus sanctus repentino sonitu super discipulos venit, mentesque carnalium in sui amorem permutauit: & foris apparentibus linguis igneis, intus facta sunt corda flammantia: quia dum Deum ignis visione suscipiunt, per amorem suauiter arserunt. Ipse & filio spiritus sanctus amor est. Vnde & Ioannes dicit: Deus charitas est. Qui ergo mente integra Deum desiderat, profectus iam habet quem amat. Neque enim quisquam posset Deum diligere, si eum quem diligit, non haberet. Sed ecce vnusquisque vestrum si requiratur an diligat Deum, tota fiducia, & secuta mente respondet; Diligo. In ipso autem lectionis exordio audistis, quid veritas dicit. *Si quis diligit me, sermonem meum seruetur.* Probatio ergo dilectionis, exhibitio est operis. Hinc in epistola idem Ioannes dicit; Qui dicit quia diligo Deum, & mandata eius non custodit, mendax est. Verum enim diligimus, si mandata eius seruamus. Verum diligimus, si a nostris nos voluptatibus coartamus. Nam qui adhuc per illicita desideria distulit, profectus Deum non amat, quia ei in sua voluptate contradicit. *Et pater meus diligit eum: & ad eum venimus, & mansionem apud eum faciemus.* Pensate, fratres charissimi, quanta sit ista solennitas, habere in cordis hospitio aduentum Dei. Certum si domum vestram quisquam diues, & prepotens amicus intraret, omni festinantia domus tota mundaretur, ne quid fortasse esset, quod oculos amici intrantis offenderet. Tergat ergo sordes prauis operis, qui Deo preparat domum mentis. Sed videte quid veritas dicat; *Venimus, & mansionem apud eum faciemus.* In quorundam eternum

*1. Ioan. 4.*

*1. Ioan. 2.*

corda venit, & mansionem non facit: quia per compunctionem quidem Dei respectum percipiunt, sed tentationis tempore hoc ipsum quod compuncti fuerant obliuiscuntur, sicque ad perpetranda peccata redeunt, ac si haec minimè planxissent. Qui ergo Deum verè diligit, qui eius mandata custodit, in eius corde Dominus venit, & mansionem facit: quia sic eum diuinitatis amor penetrat, ut ab hoc amore tetationis tempore non recedat. Ille ergo verè amat, cuius videlicet metem delectatio praua ex consensu non superat, nam tanto quisque à superno amore disiungitur, quanto inferius delectatur. Vnde & adhuc subditur. *Qui non diligit me, sermones meos non seruat.* Ad vosmetipsos ergo, fratres charissimi, introrsus redite, si Deum verè amatis exquirite: nec tamen sibi aliquis credat, quicquid sibi animus sine operis attestacione responderit. De dilectione conditoris, lingua, mens, & vita requiratur. Nunquam est Dei amor ociosus, operatur enim magna, si est: si verò operari renuit, amor non est. *Et sermonem, quem audistis, non est mens, sed eius, qui misit me patris.* Scitis, fratres charissimi, quia ipse, qui loquitur vnigenitus filius, verbum patris est: idem sermo, quem loquitur filius, non est filij, sed patris, quia ipse filius verbum est patris. *Hec locutus sum vobis apud vos manens.* Quando non maneret apud eos, qui ascensurus caelum, promittit dicens: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem saeculi. Sed verbum incarnatum & manet, & recedit: recedit corpore, manet diuinitate. Apud eos ergo tunc se mansisse perhibet, quia is, qui inuisibili semper potestate praesens erat, corporali iam visione recedebat. *Paracletus autem spiritus sanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quaecumque dixerit vobis.* Notis plurimi, fratres mei, quod Graeca locutione paracletus, Latina aduocatus dicitur, vel consolator. Qui idcirco aduocatus dicitur, quia pro errore delinquentium apud iustitiam patris interuenit. Qui vnus substantiae cum patre, & filio exorare pro delinquentibus perhibetur, quia eos quos repleuerit, exorantes facit, vnde & Paulus dicit: Ipse enim spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Sed dixerit quis; Minor est, qui postulat, quam qui postulatur. Quomodo ergo spiritus postulare dicitur, qui minor non est? Sed ipse spiritus postulat, quia ad postulandum eos, quos replerit, inflamat. Consolator autem idem spiritus vocatur, quia de peccati perperratione merentibus dum spem veniae preparat, ab afflictione tristitiae mentem leuat. De quo rectè promittitur: *ipse vos docebit omnia*: quia nisi idem spiritus cordi adsit audientis, ociosus est sermo doctoris. Nemo ergo docenti homini tribuat, quod ex ore docentis intelligit: quia nisi intrus sit, qui doceat, doctoris lingua exterius in vacuum laborat. Ecce vnus loquentis vocem omnes pariter auditis, nec tamen pariter sensum auditus vocis percipitis. Cum ergo vox dispar non sit, cur in cordibus vestris dispar est vocis intelligentia, nisi quia per hoc, quod vox loquentis communiter admonet, est magister interior, qui de vocis intelligentia quosdam specialiter docet? De hac vnctione spiritus rursus per Ioannem dicitur: Sicut vnctio eius docet vos de omnibus. Per vocem ergo non instruitur, quando mens per spiritum non vnctur. Sed cur ista de doctrina hominum loquimur, quando

*Rom. 8.*

*1. Ioan. 1.*

*Genes. 4.*

*Act. 2.*

*Genes. 4.*

*Hebr. 12.*

*Luc. 12.*

quanto & ipse conditor non ad eruditionem hominis loquitur, si eidem homini per vnctionem spiritus non loquatur? Certè Cain priusquam fratricidium opere perpetraret, audiuit; Peccasti, quiesce. Sed quia culpis suis exigentibus, voce est admonitus, non vnctione, audire Dei verba potuit, sed seruate contempsit. Requendum verò nobis est, cur de eodem spiritu dicatur; *Et suggeret vobis omnia*, cum suggerere esse soleat minoris? Sed quia suggerere aliquando dicimus subministrare, inuisibilis spiritus suggerere dicitur, non quod nobis scientiam ab imo inserat, sed ab occulto. *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* Hic relinquo, illic do: sequentibus relinquo, peruenientibus do. Ecce, fratres charissimi, verba sacrae lectionis sub breuitate discussimus, nunc ad contemplationem tantae festiuitatis animum transferamus. Sed quia cum lectione Evangelica nobis est etiam actuum Apostolorum lectio recitata, ex ea ergo aliqui in usum nostrae contemperationis trahamus. Audistis enim, quia spiritus sanctus super discipulos in igneis linguis apparuit, omniumque linguarum scientiam dedit: quid scilicet hoc miraculo designas, nisi quod sancta Ecclesia eodem spiritu repleta, omnium gentium erat voce locutura? Qui verò contra Deum turrim aedificare conati sunt, communionem vnus linguae perdidit. In his autem qui Deum humiliter tuebant, linguae omnes vnitae sunt. Hic ergo humilitas virtutem meruit, illic superbia confusio. Sed querendum nobis est, fratres dilectissimi, cur spiritus sanctus patri, & filio coaeternus, in igne apparuit, cur in igne simul, & linguis, cur aliquando in columba, aliquando verò in igne monstratur, cur super vnigenitum filium apparuit in specie columbae, & super discipulos in igne, ita ut neque super Dominum veniret in igne, neque super discipulos monstraretur in columba? Per quatuor itaque haec, quae proposuimus, soluendum redeamus. Patri namque, & filio coaeternus spiritus in igne monstratur, quia incorporeus, inuisibilis, atque ineffabilis ignis est Deus, attestante Paulo; Deus noster ignis consumens est. Deus quippe ignis dicitur, quia per hunc peccatorum rubigo consumitur. De hoc igne veritas dicit; *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi ut accendatur?* Terra enim vocata sunt corda terrena, quae dum semper infimas in se cogitationes congerunt, à malignis spiritibus conculantur. Sed ignem Dominus in terram mittit, quum afflatu sancti spiritus corda carnalium inflamat; & terra ardet, cum cor carne in suis prauis voluptatibus frigidum, relinquit concupiscentias praesentis saeculi, & incenditur ad amorem Dei. Bene ergo in igne apparuit spiritus, quia ab omni corde, quod replet, torporem frigoris excutit, & hoc in desiderio suae aeternitatis accendit. In igneis autem linguis monstratur est, quia idem spiritus coaeternus est filio, & habet cognitionem maximam lingua cum verbo. Verbum quippe patris est filius. Et quia vna est spiritus, & verbi substantia, idem spiritus debuit monstrari in lingua. Vel certè, quia per linguam procedit verbum, in linguis igneis apparuit spiritus: quia quisquis spiritu sancto tangitur, Dei verbum, id est, vnigenitum Dei filium confitetur, & negare Dei verbum non valet, quia iam sancti spiritus linguam habet. Vel certè in linguis igneis appa-

ruit spiritus: quia omnes, quos replerit, ardent pariter, & loquentes facit. Linguae igneae doctores habent, quia dum Deum amando praedicant, corda audientium inflamat. Nam & ociosus est sermo doctoris, si praebere non valet incendium amoris. Hoc doctrinae incendium ab ipso veritatis ore conceperat, qui dicebant, Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis scripturas? Exaudito quippe sermone exardescit animus, torporis frigus recedit, fit mens in superno desiderio anxiosa, à concupiscentiis terrenis aliena. Amor verus, qui hanc repleuerit, in fletibus cruciat: sed dum tali ardore cruciatur, ipsis suis cruciatibus pascutur: audire ei libet praecipua caelestia, & quot mandatis instruitur, quasi tor facibus inflammatur: & quae torpebat prius per desideria, ardet postmodum per verba. Vnde bene per Moysen dicitur; *In dextera eius ignea lex, Sinistra quippe reprobi, qui ad dextram ponendi sunt: dextera autem Dei appellantur electi.* In dextera ergo Dei ignea lex est, quia electi mandata caelestia nequaquam frigido corde audiunt, sed ad haec amoris intimi facibus inardescunt. Sermo ad aurem ducitur, & mens illorum sibi met irata, internae dulcedinis flamma concrematur. In columba verò spiritus sanctus & in igne monstratus est, quia omnes, quos repleuerit, simplices, & ardentis facit: simplices puritate, ardentis emulatione. Neque enim placet Deo aut simplicitas sine zelo, aut zelus sine simplicitate. Hinc ipsa veritas dicit; *Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbae.* Qua in re notandum est, quod discipulos suos nec de columba sine serpente, nec de serpente sine columba voluit Dominus admonere, quatenus & columbae simplicitatem astutia serpentis accenderet, & serpentis astutiam columbae simplicitas temperaret. Hinc Paulus ait; *Non lite pueri effici sensibus.* Ecce prudentiam serpentis audiuius, nunc de simplicitate columbae monemur. Sed malitia paruuli estote. Hinc de beato Iob dicitur; *Erat vir simplex, & rectus.* Quae est autem rectitudo sine simplicitate, aut quae simplicitas sine rectitudine? Quia ergo & rectitudinem docet iste spiritus, & simplicitatem, & in igne monstrari debuit, & in columba: quatenus omne cor, quod eius gratia tangitur, & mansuetudinis lenitate tranquillum, & zelo iustitiae accensum fiat. Ad extremum verò querendum est, cur in ipso redemptore nostro, mediatore Dei, & hominum, per columbam apparuit, in discipulis verò per ignem. Certè vnigenitus Dei filius, iudex est generis humani: Sed quis eius iustitiam ferret, si priusquam nos per mansuetudinem colligeret, culpas nostras per zelum rectitudinis examinare voluisset? Homo ergo pro hominibus factus, mitem se hominibus praebuit: noluit peccatores ferire, sed colligere. Prius voluit mansuetè corripere, ut haberet, quos postmodum in iudicio saluaret. In columba ergo apparere super eum debuit spiritus, qui non veniebat ut peccata iam per zelum percuteret, sed adhuc per mansuetudinem toleraret. At contra super discipulos in igne debuit spiritus sanctus demonstrari, ut hi, qui erant simplices homines, atque ideo peccatores, eos contra semetipsos spiritalis feruor, accenderet, & peccata quae Deus per mansuetudinem parceret, ipsi in se per poenitentiam puniret.

*Luc. 42.*

*Dexter. 37.*

*Math. 10.*

*1. Cor. 13.*

*Iob 1.*



Nec ipsi quippe esse poterant sine peccato, qui adhærebant cælesti magisterio, Ioanne attestante, qui ait; si dixerimus, quia peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus, & veritas in nobis non est. In igne venit ergo in hominibus, in colūba verò apparuit in domino: quia peccata nostrā, quæ piè dominus per mansuetudinem tolerat, nos per zelum rectitudinis, debemus cautè conspicerè, & ardore semper pœnitentiæ cremare. Igitur per columbam spiritus in redemptore monstratus est, per ignem verò in hominibus: quia quanto nobis nostri iudicis facta est severitas temperata, tanto erga se debet fieri nostra infirmitas accensā. Quatuor itaque propositionum expleta ratione, ad eiusdem spiritus dona contemplanda transeamus. De isto quippe spiritu scriptum est;

*Iob 26.* Spiritus eius ornauit cælos. Ornamenta enim cælorum, sunt virtutes prædicantium, quæ videlicet

*I. Cor. 12.* ornamenta Paulus enumerat dicens; Alij datur per spiritum sermo sapiens, alij sermo scientiæ, secundum eundem spiritum: aliter fides, in eodem spiritu: alij gratia sanctorum, in vno spiritu: alij operatio virtutum: alij prophetia: alij discretio spirituum: alij genera linguarum: alij interpretatio sermonum. Hæc autem omnia operatur vnus, atque idem spiritus, diuidens singulis prout vult. Quot ergo sunt bona prædicantium, tot sunt ornamenta cælorum. Hinc rursum scriptum est; Verbo domini cæli firmati sunt. Verbum enim domini, filius est patris. Sed eisdem cælos, videlicet sanctos Apostolos, vt tota simul Trinitas ostendatur operata, cuius virtus firmauerit, repente de spiritu sancti diuinitate adiungitur: Et spiritu oris eius omnis virtus eorum. Cælorum igitur virtus de spiritu sumpta est, quia mundi huius potestibus contraire non præsumerent, nisi eos spiritu sancti fortitudo solidasset. Quales nanque doctores sanctæ Ecclesiæ ante aduentum huius spiritus fuerint scimus, & post aduentum illius cuius fortitudinis sint facti aspicimus. Certè iste pastor Ecclesiæ, ad cuius sacratissimum corpus sedemus, quantæ debilitatis, quantæque formidinis ante aduentum spiritus fuerit, ancilla ostentia requisita dicat. Vna enim mulieris voce percussus, dum mori timuit, vitam negauit. Et pensandum, quia eum comprehensum Petrus negauit in terra, quem suspensum latro confessus est in cruce. Sed vir iste tantæ formidinis, qualis post aduentum spiritus existat, audiamus. Fit cõuentus magistratus, atque seniorum, cæsis denunciatur apostolis, ne in nomine Iesu loqui debeant.

*Act. 5.* Petrus magna autoritate respondet; Obedire oportet Deo magis, quàm hominibus. Et rursum; Si iustum est in conspectu Dei vos potius audire quàm Deum, iudicate. Non enim possumus, quæ vidimus, & audiimus, non loqui. Et illi quidem ibant gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habitus sunt pro nomine Iesu contumeliam pati. Ecce gaudet Petrus in verberibus, qui antè in verbis timebat. Et qui prius ancille voce requisitus timuit, post aduentum spiritus sancti vires principum cæsus premit. Liber oculos fidei in virtute opificis huius atollere, atque sparsim patres testamenti noui, ac veteris considerare. Ecce apertis eiusdem fidei oculis David, Amos, Danielem, Petrum, Paulum, Matthæum intueor, & sanctus iste spiritus qualis sit artifex considerate volo, sed in ipsa mea consideratione deficio. Implet

enim citharcedum puerum, & psalmistam facit. Implet pastorem armentarium sycororos vellitantem, & prophetam facit. Implet abstinentem puerum, & iudicem senum facit. Implet piscatorem, & prædicatorem facit. Implet persecutorem, & doctorem gentium facit. Implet publicanum, & Euangelistam facit. O qualis artifex est iste spiritus! Nulla ad descendendum mora agit. In omne quod voluerit, mox vt tetigerit mentè, docet, solumque terigisse, docuisse est. Nam humanum animum subito vt illustrat, immutat: abnegat hinc repente quod erat, exhibet repèdè quod non erat. Pensemus sanctos prædicatores nostros quales hodierna die reperit, quales fecit. Certè qui in vno conclauis propter Iudæorum metum residebant, natiuitatis suæ singuli linguam nouerant, & tamen nec ea ipsa lingua, quam nouerant, apertè Christum loqui præsumebant. Venit spiritus, & in ore eos per diuersitatem linguarum docuit, in mente autem ex autoritate roborauit. Cœperunt & in aliena Christum eloqui, qui de illo prius & in sua lingua loqui metuebant. Inflammatum enim cor despectit tormenta corporis, quæ antè metuebant. Vicit vim carnalis formidinis, præ amore conditoris: & qui prius suis aduersariis succumbebant formidine, eis iam præerant autoritate. Qui ergo in tantæ eos celsitudinis culmè erexit, quid aliud dixerim, nisi quod mētēs terrenorum hominum cælos fecit? Pensate, fratres charissimi, post incarnationem vnigeniti filij, qualis sit hodierna solennitas de aduentu spiritus sancti. Sicut enim illa, ita quoque hæc est honorabilis. In illa quippe Deus in se permanens, suscepit hominem: in ista verò homines venientem desuper susceperunt Deum. In illa Deus naturaliter factus est homo, in ista homines facti sunt per adoptionem dij. Si ergo remanere carnales in morte nolimus, hunc, fratres charissimi, viuificantem spiritum amemus. Sed quia caro spiritum nescit, dicat fortasse carnali cogitatione aliquis; Quomodo diligere valeo, quem ignoro? Hæc & nos concedimus, quia mens visibilibus intenta, videre nescit inuisibilem. Nulla enim nisi visibilia cogitat, eaque cum non agit, eorum imagines in trorsus trahit: dumque in imaginibus corporis iacet, surgere ad incorporea non valet. Vnde fit, vt tanto deterior creatorem nesciat, quanto in cogitatione sua familiaris creaturam corpoream portat. Sed cum Deum videre non possumus, habemus aliquid quod agamus, vnde iter fiat, quo ad eum nostræ intelligentiæ oculus veniat. Certè quem in se nullo modo videre valeamus, hunc in seruis suis iam videre possumus: quos dum mira conspiciamus agere, certum nobis sit in eorum mentibus Deum habitare. In re autem incorporea à rebus corporalibus vsus trahamus. Nemo etenim nostrum orientem clarè solem, in sphæram illius intendendo, valet conspicerè, quia tensi in eius radiis oculi reuerberantur: sed sole illustratos montes aspicimus, & quia iam sol ortus est, videmus. Quia ergo solem iustitiæ in seipso videre non possumus, illustratos montes claritate illius videamus, sanctos videlicet apostolos, qui virtutibus emicant, miraculis coruscant, quos nati solis claritas perfudit, & cum in seipso inuisibilis sit, per eos nobis quasi per illustratos montes se visibilem præbuit. Virtus enim diuinitatis in se, quasi sol in cælo est: virtus

virtus diuinitatis in hominibus, sol in terra. Solem ergo iustitiæ intueamur in terra, quem videre non possumus in cælo: vt dum inoffenso peccati operis per hunc in terra gradimur, ad intruendum illicita quandoque oculos & in cælum leuamus. Sed inoffenso pede iter nostrum in terra agitur, si Deus, ac proximus integra mente diligitur. Nec enim Deus verè sine proximo, nec proximus verè diligitur sine Deo. Hinc est, quòd, sicut in alio sermone iam diximus, idem Spiritus secundo legitur discipulis datus: prius à domino in terra degente, postea à domino cælo præsidente. In terra quippe datur, vt diligitur proximus: cælo verò, vt diligitur Deus. Sed cur prius in terra, postmodum è cælo, nisi quòd patenter datur intelligi, quia iuxta Ioannis vocem, qui nõ diligit fratrem suum, quem videt; Deum, quem non videt, quomodo potest diligere? Diligamus ergo proximum, fratres, amemus eum, qui iuxta nos est, vt peruenire valeamus ad amorem illius, qui super nos est. Meditetur mens in proximo, quod exhibeat Deo, vt perfectè mereatur in Deo gaudere cum proximo. Tunc ad illam supernæ frequentiæ lætitiæ perueniemus, de qua nunc sancti spiritus pignus accepimus. Ad istum finem toto amore tendamus, in quo sine fine lætatur. Ibi supernorum ciuium societas sancta, ibi solennitas certarum, ibi requies secuta, ibi pax vera, quæ iam nobis non relinquitur, sed datur per dominum nostrum Iesum Christum, qui viuuit & regnat in vniuersitate spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum, Amen.

**BEDAE VENERABILIS**  
*presbyteri in superius Euang.*  
*expositio.*

*Ex comment. in Ioh.*  
**R**espondit ei Iesus, & dixit ei, Si quis diligit me, &c. Ecce exposita est causa, quare suis se manifestaturus est, non alienis, quos mundi nomine appellat: & ipsa causa est, quòd hi diligant, illi non diligant. Ipsa est causa, de qua facer in sonat psalmus, Iudica me, Deus, & discerne causam meam de gente non sancta. Qui enim diligitur: quia diligitur, diligitur: qui vero non diligitur, si linguis hominum loquantur, & angelorum, sicut ærumentum sonans, & cymbalum tinniens: & si habuerint prophetiam, & scierint omnia sacramenta, & omnem scientiam, & habuerint omnem fidem vt montes transferant, nihil sunt: & si distriperint omnem substantiam suam, & traderint corpus suum, vt ardeat, nihil eis prodest. Dilectio sanctos discernit à mudo, quæ facit vnam nimes habitare in domo. In qua domo facit pater, & filius mansionem, qui donant & ipsam dilectionem, quibus donent in fide etiam suam manifestationem: de qua discipulus interrogauit magistrum, vt non solum illi, qui tunc audiebant per os eius, sed etiam nos per Euangelium eius hoc nosse possemus. Qua si uerit enim de Christi manifestatione, & audiuit de dilectione, & mansionem. Est ergo quedam Dei manifestatio interior, quam protus impij non nouerunt, quibus Dei patris, & spiritus sancti manifestatio nulla est, filij vero esse potuit, sed in carne: quæ nec talis est, qualis illa: nec semper illis adesse potest, qualiscunque sit, sed ad modicum tempus, & hoc ad iu-

dicium, non ad gaudium: ad supplicium, non ad præmium. Nunc est ergo vt intelligamus, quatum aperite iple dignatur, quomodo dictum sit; Adhuc modicum, & mundus me non videt: vos autem videtis me. Verum est quidè quòd post paululum etiam corpus suum, in quo eum poterant & impij videre, oculis eorum fuerat subtracturus: quandoquidem post resurrectionem nemo eum vidit illorum. Sed quoniam dictum est, testantibus angelis, sic veniet, quemadmodum eum vidistis euntem in cælum: nec aliud credimus, quàm illum in eodem corpore ad iudicium viuorum & mortuorum esse venturum: proculdubio tunc eum videbit mundus, quo nomine significati sunt à regno eius alieni. Ac per hoc longe melius intelligitur aliud iam tempus significare voluisse in eo quod ait; Adhuc modicum, & mundus me iam non videt, quando in fine seculi auferetur ab oculis damnatorum, vt illi eum de cætero videant apud quos diligentes eum facit pater atque ipse mansionem. Modicum autem dixit, quia & id quod prolixum videtur hominibus, breuissimum est ante oculos Dei. De hoc quippe modico iste ipse Ioannes Euangelista, Filij, inquit, nouissima hora est. Ne quis porro existimet patrem tantummodo, & filium sine spiritu sancto apud dilectores suos facere mansionem, recolat quòd superius de spiritu sancto dictum est; Quem mundus nõ potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum: vos autem cognoscitis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit. Ecce facit in sanctis cum patre, & filio sanctus etiam spiritus mansionem: in usque, tanquam Deus in templo suo. Deus trinitas, pater, & filius, & spiritus sanctus veniunt ad nos, dum venimus ad eos. Veniunt subueniendo, venimus obediendo. Veniunt illuminando, venimus intuendo. Veniunt implendo, venimus capiendo: vt sit nobis eorum non extraria visio, sed interna: & in nobis nõ transitoria mansio, sed æterna. Sic mundo non se filius manifestat. Mundus enim est dicitur hoc loco, de quibus continuo subiunxit atque ait; Qui non diligit me, sermones meos non seruat. Hi sunt, qui patrem, & spiritum sanctum nunquam vident: filium autem, non vt beatificentur, sed vt iudicentur, ad modicum vident: nec ipsum in forma Dei, vbi est cum patre, & spiritu sancto inuisibilis, sed in forma hominis, vbi esse in mundo voluit patiendo cõtempnibilis, iudicando terribilis. Quod vero adiunxit; Et sermo, quem audivistis, non est meus, sed eius, qui misit me patris: non miremur, non pauemus: non est minor patre, sed non est nisi à patre: non est impar ipso, sed non est à seipso. Neque enim mentitus est dicendo; Qui non diligit me, sermones meos non seruat. Ecce suos dixit esse sermones. Nunquid libi est ipse contrarius vbi rursus dixit; Et sermo quem audivistis non est meus? Et fortasse propter aliquam distinctionem vbi suos dixit, pluraliter dixit, hoc est, sermones. Vbi autem sermonem, hoc est verbum, non suum dixit esse, sed patris, seipsum intelligi voluit. In principio enim verbum, & verbum apud Deum, & Deus verbum, non vtique suum, sed patris est verbum: quomodo nec sua imago, sed patris: nec suus filius idem ipse, sed patris. Rectè igitur actori tribuit, quicquid facit æqualis, à quo habet hoc ipsum quod illi est indifferenter æqualis. Hæc locutus sum vobis apud vos manens, illa vtique mansio

sio alia est, quam promissit futuram: hæc vero alia, quam præsentem esse testatur. Illa spiritalis est, atque intrinsecus mentibus redditur, hæc corporalis extrinsecus oculis atque auribus exhibetur. Illa in æternum beatificat liberatos, hæc in tempore visitat liberandos. Secundum illam dominus à suis dilectoribus non recedit, secundum hanc it & redit. *Hæc, inquit, locutus sum vobis, apud vos manens, utique præsentia corporali, qua cum illis visibilis loquebatur. Paracletus autem, inquit, spiritus sanctus, quem mittet pater in nomine meo, &c.* Nunquidnam dicit filius, & docet spiritus sanctus, ut dicente filio, verba capiamus, docente autem spiritu sancto, eadè verba intelligamus? quæ si dicat filius sine spiritu sancto, aut spiritus sanctus doceat sine filio? Aut vero non & filius doceat, & spiritus sanctus dicat? & cum Deus aliquid dicit, & docet, trinitas ipsa dicat, & doceat? Sed quoniam Trinitas est, oportebat eius singulas insinuare personas; eamque nos distinctè audire, inseparabiliter intelligere. Audi patrem dicentem vbi legis; Dominus dixit ad me, filius meus es tu. Audi & docentem vbi legis; Omnis, qui audiuit à patre, & didicit, venit ad me. Filium vero dicentem modo audisti: de se quippe ait; *Quicumque dixerit vobis, quem & si docentem vis nosse, magistertrum recole.* Vnus est, inquit, magister vester Christus. Spiritum porro factum, quem modo audisti docentem, vbi dictum est; *Ipse vos docet omnia;* audi etiam dicentem, vbi legis in Actibus Apostolorum beato Petto dixisse spiritum sanctum; *Vadè cum illis, quia ego misi eos.* Omnis igitur & dicit, & docet Trinitas. Sed nisi etiam sigillatim commendaretur, eam nullo modo humana capere vtrunque posset infirmitas. Cum ergo sit omnino inseparabilis, nunquam Trinitas esse sciretur, si semper inseparabiliter diceretur. Nam & cum dicimus patrem, & filium & spiritum sanctum, non eos utique dicimus simul, cum ipsi non possint esse non simul. Quod vero addidit, *commemorabit vobis,* intelligere debemus etiam quod iubemur non obliuisci saluberrimos monitus ad gratiam pertinere, qua nos commemorat Christus. *Pacem, inquit, relinquo vobis, pacem meam do vobis.* Hoc est quod legitur apud prophetam, *Pacem super pacem.* Pacem nobis relinquit iturus, pacem suam nobis dabit in fine venturus. Pacem nobis relinquit in hoc seculo, pacem suam nobis dabit in futuro seculo. Pacem nobis relinquit, in qua manentes, hostem vincimus; pacem suam nobis dabit, quando sine hoste regnabimus, quid autem nobis relinquit ascendens à nobis, nisi seipsum, dum non recedit à nobis? Ipse est enim pax nostra, qui fecit vtraque vnum. Pax ergo ipse nobis est, & cum credimus quia est, & cum videmus eum, sicuti est. Sed quid est quod vbi ait; *Pacem relinquo vobis,* non addit, *meam;* vbi vero ait, *do vobis,* ibi dicit *meam?* Vtrum subaudiendum est *meam,* & vbi dictum non est, quia postea dictum est, & potest referri ad vtrumque etiam quod semel dictum est? An forte & hic aliquid latet, quod petendum est, & querendum, & ad quod pulsantibus aperiendum? Quid enim si pacem suam eam voluit intelligi, qualem habet ipse? Pax vero ista, quam nobis relinquit in hoc seculo, nostra potius est dicenda quam ipsius. Illi quippe nihil repugnat in seipso, quia nullum habet omnino peccatum. Nos autem talem pacem

*Pal. 2.*

*Joan. 6.*

*Math. 23.*

*Act. 10.*

*Ephes. 12.*

nunc habemus, in qua adhuc dicamus; Dimitte nobis debita nostra. Est ergo nobis pax aliqua, quoniam condelectamur legi Dei secundum interioriorem hominem: sed non est plena, quia videmus aliam legem in membris nostris repugnantem legi mentis nostræ. Itémque inter nos ipse est nobis pax, quia inuicè nobis credimus, quod inuicem diligamus. Sed nec ista plena est, quia cogitationes cordis nostri inuicem non videmus: & quædam de nobis, quæ non sunt in nobis, vel in melius inuicem, vel in deterius opinamur. Itaque ista etiam si ab illo nobis relicta est pax, nostra est. Nisi enim ab illo, non haberemus & talem: sed ipse non habet talem. Si tenuerimus vique in finem qualem accepimus, qualem habet, habebimus, vbi nihil nobis repugnet ex nobis, & nihil nos inuicem lateat in cordibus nostris. Nec ignoro ista domini verba etiam sic accipi posse, ut eiusdem sententiæ repetitio videatur. *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis:* ut quod dixerat, *pacem,* hoc repetuerit, dicens, *pacem meam;* & quod dixerat, *relinquo vobis,* hoc repetuerit dicens, *do vobis.* Ut volent quisque accipiat: me tamen delectat (credo quod & vos, fratres mei dilecti) se tenerem istam pacem, vbi aduersarium concorditer vincimus, ut desideremus pacem, vbi aduersarium non habebimus. Quod vero dominus adianxit, atque ait; *Non quomodo mundus dat, ego do vobis:* Quid est aliud, nisi, quomodo homines dant, qui diligunt mundum, ita do vobis? qui propterea sibi dant pacem, ut sine molestia litium atque bellorum, non deo, sed amico suo mundo perfruantur: & quando iusti dant pacem, ut non eos persequantur, pax esse non potest vera, vbi non est vera concordia: quia disiuncta sunt corda. Quomodo enim confors dicitur, qui forte iungitur: ita ille confors dicendus est, qui cor iungit. Nos ergo, charissimi, quibus Christus pacem reliquit, & pacem suam non nobis dat sicut mundus, sed sicut ille, per quem factus est mundus, ut concordem simus, iungamus inuicem corda, & cor nostrum sursum habeamus, ne corrumpatur in terra. *Non turbetur cor vestrum, neque formidet, &c.* Hinc ergo turbati, & formidate poterat cor illorum, quod ibat ab eis, quamvis venturus ad eos, ne forsitan gregem lupus hoc intervallo inuaderet pastoris absentia. Sed à quibus homo abscedebat, Deus non relinquebat, idem ipse Christus, homo, & Deus. Ergo & ibat per id quod homo erat, & manebat per id quod Deus erat. Ibat per id, quod vno loco erat, manebat per quod vbi que erat. Cur itaque turbarentur, & formidarent, quando sic deserebat oculos, ut non desereret cor? quamuis Deus etiã qui nullo continetur loco, discedat ab eorum cordibus, qui eum relinquunt moribus, non pedibus: & veniat ad illos qui cõuertuntur ad eum non facie, sed fide: & accedunt ad eum mente, non carne. Ut autem intelligerent secundum id, quod homo erat, cum dixisset; *Vado & venio ad vos,* adiecit atque ait; *Si diligereis me, gauderetis utique, quia vado ad patrem quia pater maior est.* Per quod ergo filius non est æqualis patri, per hoc erat iturus ad patrem, à quo & vterus est iudicaturus viuos, & mortuos. Ipse ergo Christus filius Dei, æqualis patri in forma Dei, quia semetipsum exinanivit, non formam Dei amittens, sed formam serui accipiens, maior est & seipso, quia maior est forma Dei, quæ amissa non est, quam serui, quæ accepta

est. Quid ita quod mirum, vel indignum, si secundum hanc serui formam loquens ait; *Dei filius, Pater maior me est?* & secundum Dei formam loquens ait idem ipse Dei filius. Ego, & pater vnum sumus: Vnum sunt enim secundum id quod Deus erat verbum: & maior est pater secundum id quod verbum caro factum est. Secundum hanc serui formam pater Christus etiam parentibus suis minor erat, quando paruius maioribus; sicut scriptum est, *subditus erat.* Æqualis enim patri filius, per quem factus est homo, ut minor esset pater, factus est homo. Quod nisi fieret, quid est homo? Dicit plane dominus & magister noster; *Si diligereis me, gauderetis utique, quia vado ad patrem, quia pater maior me est.* Agnoscamus geminam substantiam Christi, diuinam scilicet, quæ æqualis est patri: humanam, quæ maior est pater: vtrique autem simul, nõ duo, sed vnus Christus, ne sit quaternitas, non trinitas Deus. Sicut enim vnus est homo anima rationalis, & caro, sic vnus est Christus Deus, & homo. Ac per hoc Christus est Deus, anima rationalis, & caro Christus in his omnibus: & Christum in singulari confitemur. Quis est ergo per quem factus est mundus? Christus Iesus, sed in forma Dei. Quis est sub Pontio Pilato crucifixus? Christus Iesus, sed in forma serui. Item de singulari, quibus homo constat. Quis non est derelictus in inferno? Christus Iesus, sed in anima sola. Quis resurrexerit triduo iacuit in sepulchro? Christus Iesus, sed in carne sola. Dicitur ergo & in his singulari Christus Iesus: verum hæc omnia non duo, vel tres, sed vnus est Christus. Ideo ergo dixit; *Si diligereis me, gauderetis utique, quia vado ad patrem:* Quoniã, naturæ humanæ gratulandū est eo quod sic assumpta est in verbo vniuerso, ut immortalis constitueretur in celo: atque ita fieret terra sublimis, ut incorruptibilis puluis sederet ad dexteram patris. Hoc enim modo se iturum dixit ad patrem, nam profecto ad illum ibat, qui cum illo erat. Sed hoc erat ire ad eum, & recedere à nobis, mutare atque immortale facere, quod mortale suscepit ex nobis, & leuare in celum per quod fuit in terra pro nobis. Quis non hinc gaudeat, qui sic diligit Christum, ut suam naturam iam immortalem gratuletur in Christo, atque id speret futurum esse per Christum? *Et nunc dixi vobis prius quam fiat, ut, cum factum fuerit, credatis.* Quid est hoc, cum magis credere homo debeat ante quam fiat id quod credendum est? Hæc est enim laus fidei, si quod creditur, non videtur. Nam quid magnum est, si creditur, quod videtur? Secundum illam eiusdem domini sententiam, quando discipulum arguit, dicens, *Quia vidisti, credidisti:* beati, qui non viderunt, & credent. Et nescio vtrum credere dicendus est quisquam, quod videt. Nam ipsa fides in epistola, quæ scribitur ad Hebræos, ita est definita; *Est autem fides, sperandorum substantia, coniectio rerum, quæ non videntur.* Quapropter si fides est rerum, quæ non videntur, quæ fides earum rerum est, quæ non videntur, quid sibi vult, quod dominus ait; *Et nunc dixi vobis prius quam fiat, ut, cum factum fuerit, credatis?* Nonne potius dicendum fuit; *Et nunc dixi vobis prius quam fiat, quod cum factum fuerit, videatis?* Nam & ille, cui dictum est; *Quia vidisti, credidisti:* non hoc credidit quod vidit, sed aliud vidit, aliud credidit. Vidit enim hominem, credidit Deum. Sed & si dicuntur credi,

*Joan. 10.*

*Luc. 2.*

*Joan. 20.*

*Heb. 11.*

quæ videntur, sicut dicit vnusquisque oculis suis se credidisse: non tamen ipsa est, quæ in nobis edificatur fides, sed ex rebus, quæ videntur, agitur nobis ut ea credantur, quæ non videntur. Quocirca dilectissimi, vnde nunc sermo est, quod dominus ait; *Et nunc dixi vobis, prius quam fiat, ut, cum factum fuerit, credatis:* Illud utique dicit, cum factum fuerit, quod eum post mortem visuri erant viuentem, & ad patrem ascendentem: quo viso illud fuerant credituri, quod ipse esset Christus filius Dei, qui posuit hoc & facere cum prædixisset, & prædicere, antequam faceret: credituri autem hoc non fide noua, sed aucta, aut certe cum mortuus esset defecta, cum resurrexisset resecta. Neque enim eum filium Dei non & ante credebant: sed cum in illo factum esset quod ante prædixit, fides illa, quæ tunc quando illis loquebatur, fuit parua, & cum moretur, pene iam nulla, & reuixit, & creuit. Deinde quid dicit? *Nam non multa loquar vobis, venit enim princeps mundi huius.* Quis, nisi diabolus? *Et in me non habet quicquam:* Nullum scilicet omnino peccatum. Sic enim ostendit non creaturarum sed peccatorum principem diabolum, quos nunc nomine mundi huius appellat. Et quotiescunque mundi nomen in mali significatione ponitur, non ostendit nisi mundi istius amatores: de quibus alibi scriptum est, *Quicumque voluerit amicus esse seculi huius, inimicus Dei constituitur.* Absit ergo ut sic intelligatur diabolus princeps mundi, tanquam gerat vniuersi mundi, id est, cæli, & terræ, atque omnium, quæ in eis sunt, principatum: de quali mundo dictum est, cum de Christo verbo sermo esset; *Et mundus per eum factus est.* Vniuersus itaque mundus à summis cælis usque ad infimam terram creatori est subditus, non desertori: redemptori, non interemptori: liberatori, non captiuatori: doctori, non deceptoris. Quemadmodum autem sit intelligendus princeps mundi diabolus, euidentius aperuit Apostolus Paulus, qui cum dixisset; *Non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem, id est aduersus homines, subiecit, atque ait, Sed aduersus principes, & potestates, & rectores mundi tenebrarum harum.* Sequenti enim verbo exposuit quid dixisset mundi, cum subiecit, *tenebrarum harum;* ne quisquam mundi nomine intelligeret vniuersam creaturam, cuius nullo modo sunt rectores angeli desertores. Tenebrarum, inquit, harum, id est, mundi istius amatorum. Ex quibus tamen electi non sunt, non per suum meritum, sed per Dei gratiam: quibus dicit; *Fuistis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in domino.* Omnes ergo fuerunt sub rectoribus tenebrarum harum, id est, hominum impiorum, tanquam tenebræ sub tenebris. Sed gratias Deo, qui eruit nos, sicut dicit idem Apostolus, de potestate tenebrarum, & transfudit in regnum filij charitatis suæ: in quo princeps huius mundi, hoc est tenebrarum harum, nõ habebat quicquam: quia neque cum peccato Deus venerat, nec eius carnem de peccati propagine virgo pepererat, & tanquam ei diceretur; *Cur ergo moretis, si non habes peccatum, cui debeat mortis supplicium continuo subiecit; Sed ut cognoscat mundus, quia diligo patrem, &c.* Discumbens enim discumbentibus loquebatur, eamque autem dicit, *Quo? nisi ad illum locum vnde fuerat tradendus ad mortem,*

*Joan. 4.*

*Joan. 1.*

*Ephes. 6.*

*Ephes. 5.*

*Joan. 6.*

tem, qui nullum habebat meritum mortis, sed habebat, ut moreretur, mandatum, patris tanquam ille, de quo predictum erat: Quae non rapui, tunc exolvebam: mortem sine dubio soluturus, & nos a morte debita redempturus.

EIVSDEM IN EODEM

Homil.

Q Via sancti spiritus hodie, fratres charissimi, celebramus aduentum, debemus ipsi congruere solennitati quam colimus, Hoc etenim ordine tantum festivitatis huius digne gaudia celebramus, si nos quoque domino opitulante aptos reddiderimus, ad quos spiritus sanctus advenire, & in quibus habitare dignetur. Ea autem solummodo ratione aduentu & illustratione sancti spiritus apti existimus, si & corda nostra diuino amore repleta, & corpora sint dominicis mancipata praeceptis. Vnde in exordio lectionis huius euangelicae discipulis veritas ait: Si diligitis me, mandata mea seruate. Et ego rogabo patrem, & alium paraclatum dabit vobis. Paraclatus quippe consolator interpretatur. Et spiritus sanctus recte paraclatus vocatur, quia corda fidelium ne inter huius seculi aduersa deficiant, celestis vitae desiderii subleuat ac reficit. Vnde in actibus Apostolorum crescente sancta ecclesia dicitur: Et edificabatur ambulans in timore domini, & consolatione sancti spiritus replebatur. Quod ergo ait: Si diligitis me, mandata mea seruate. Et ego rogabo patrem, & alium paraclatum dabit vobis, In ipsi quidem discipulis, qui eum vere dilexerunt, vere mandatis eius obedisse non dubitantur, hodierna die completum est, quando illis in cenaculo orantibus, repente spiritus sanctus in igneis linguis apparuit, eosque & in ore per diuersitatem linguarum docuit, & in corde per amoris sui consolatione roborauit. Habebat autem & prius paraclatum, ipsum videlicet dominum secum in carne commotantem, cuius & miraculorum dulcedine, & ope praedicationis, ne infidelium persecutione scandalizari possent, erigi & confortari solebant. Verum quia ille post resurrectionem ascendens in caelum eos corporaliter deseruit, quibus tamen diuina praesentia maiestatis nunquam absuit, recte de hoc paraclato, id est, spiritu sancto subiunxit: Ut maneat vobiscum in aeternum. In aeternum namque manet cum sanctis quos & in hac vita semper inuisibiliter intus illustrat, & in futuro ad contemplandum perpetuo speciem suae maiestatis introducit. Sed & nos, fratres charissimi, si Christum perfecte diligimus, ita ut eiusdem dilectionis veritate mandatorum eius obseruatione probemus, rogabit etiam pro nobis patrem, & alium paraclatum dabit nobis pater. Rogabit patrem per humanitatem, qui dabit cum patre per diuinitatem. Neque enim putandum est, quia ante passionem suam tantummodo pro ecclesia rogauerit, & non etiam nunc post ascensionem roget, cum dicat de illo Apostolus: Qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis. Habemus autem & nos paraclatum dominum nostrum Iesum Christum, quem & si corporaliter videre nequimus, ea tamen quae in corpore gessit & docuit, in euangelicis scripta tenemus. Et si his audiendis, legendis, in-

Act. 9.

Act. 1.

Rem. 8.

uicem conferendis, corde & opere conseruandis curam impedimus, constat nimirum quod erumnas seculi facillime, quasi domino nobiscum perpetuo commorante ac nos consolante, vincamus. Si ergo hunc paraclatum diligimus, eiusque mandata seruamus, rogabit patrem, & alium paraclatum dabit nobis, id est, spiritus sui gratiam nostris cordibus clementer infundet, quae nos inter aduersa praesentis exilij, patriae celestis expectatione laetificet, ita ut cum Propheta possimus dicere: Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo paraclatus, id est, consolationes tuae domine laetificauerunt animam meam. Alium ergo, inquit, paraclatum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum. Et addidit: Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere. Mundum autem appellat homines mundi huius amori deditos, sicut econtra sancti qui celesti desiderio flagrant, caeli recte vocantur, dicente Psalmista: Et annuntiabunt caeli iustitiam eius populo qui nascetur, quod est aperte dicere: annuntiabunt ex caeli mente, voce, actione, doctores iustitiam eius populo qui ad fidem veniendi nuper in illo nasci desiderat. Quisquis igitur consolationem foris in mundi rebus inquirat, hic diuinae consolationis munere intus reformari non valet. Quisquis infimis delectationibus inhiat, non potest accipere spiritum veritatis. Fugit enim spiritus veritatis cor quod vanitati subditum cernit, solosque hos quos mandata veritatis per dilectionem operari conspicit, aduentus sui luce reficit. Vnde benedicere diceret, quem mundus non potest accipere, mox addidit dicens: Quia non videt eum, nec scit eum. Vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit. Dominum namque saluatorem, & infideles ante passionem in carne viderunt, sed quia Dei filius esset, quia paraclatus a Deo missus in mundum, non nisi fideles scire potuerunt. Spiritum autem sanctum neque oculis videre infideles, neque animo valebant cognoscere, quia non indurus humanitate discipulis apparuit, sed ita ad eos venire, ita apud eos maluit manere, ut in ipsis eorum cordibus gratissimam sibi sedem consecraret. Hoc est enim quod ait, Vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit. Qui autem inuisibiliter in hac vita manet cum electis, inuisibiliter utique eis gratiam suae cognitionis exhibet. Non relinquam vos orphanos, veniam ad vos. Videbatur infidelibus quia moriens in cruce dominus discipulos relinqueret orphanos, sed non reliquit orphanos, quibus & praebuit viuum post passionem suam in multis argumentis per dies quadraginta, & post dies decem assumptionis suae, hoc est, hodierna die, spiritus sancti illos de caelo charismate donauit. Vbi ipsum Christum ad eos venisse nullus ambigit, qui inseparabilem sanctae trinitatis naturam, virtutem, & operationem esse cognouit. Quod ipsum latius exequens, quantum causa illorum de gente non sancta sit discreta denunciat. Adhuc modicum, & mundus me iam non videt. Vos autem videtis me, quia ego vivo, & vos viueteis. Nam quia haec ad passionem iturus loquebatur, modicum erat vsque ad tempus expletae passionis, ex quo illum reprobi nunquam videre valebant. Solum etenim iusti qui morte illius erant contumeliosi, gaudium resurrectionis eius videre meruerunt. At qui visa morte eius exultabant, nequaquam ipsi visa eius resurrectione laetati,

Phil. 1.

Phil. 1.

Phil. 1.

Phil. 1.

1. Ioan. 3.

rati, sed audita conturbati ac dolere prout decebar habebant. Vos autem videtis me, inquit, quia ego vivo, & vos viueteis. Ego vivo. Praesentis temporis verbo posuit, & vos viueteis futuri, quia nimirum in proximo esse cernebat: ideoque quasi praesentem nominabat horam, in qua ipse morte destructa in aeternam resurgeret vitam: illorum vero vitam in futurum nouerat esse differendam, quos & vsque ad praefinitum mortis suae tempus singulos pro ingressu vitae perennis agonizari, & vsque ad finem seculi resurrectionem sui corporis expectare oportebat. Air ergo: Adhuc modicum, & mundus me iam non videt: vos autem videtis me, quia ego vivo, & vos viueteis. Ac si aperte dicat: Adhuc modicum, & mundi amatores me mortalem ultra videre desistunt, resurgentem vero a mortuis cernere nequeunt: quia illa nesciunt vitam, cuius soli amatores gloriam meae resurrectionis merentur intueri. Vos autem ideo me post haec videre valetis, quia & ego vivo resuscitatus a mortuis, & vos digni estis meae resurrectionis exemplo confortari, qui & ipsi ad perpetuam vitam, & beatae resurrectionis estis gaudia venturi. In illo die vos cognoscetis, quia ego in patre meo, & vos in me, & ego in vobis. Nouerat etiam tunc Apostoli Christum esse in patre per unitatem indiuiduae diuinitatis, nouerat se esse in Christo per susceptionem fidei & sacramentorum eius, nouerat in se esse Christum per dilectionem & obseruantiam mandatorum eius. Dixit enim eis ipse: Si quis diligit me sermonem meum seruauit, & pater meus diligit eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Haec vti que & tunc imbuti a Christo nouerant Apostoli, & nunc apostolicis imbuta literis, nouit omnis ecclesia Christi. Sed in illo nimirum die quo veraciter viuere incipiunt, longe melius ea iusti cognoscunt, hoc est, in die resurrectionis, quando eo perfectius cuncta quae scienda sunt sciunt, quo ipsum scientiam fontem vicinius sine fine conspiciunt. Quod etiam de quibusdam perfectioribus sanctis, & ante tempus resurrectionis fieri dubium non est, illis videlicet, qui fiducia bonorum operum dicere cum Apostolo valent: Cupio dissolui, & esse cum Christo: mihi enim viuere Christus est, & mori lucrum. Haec quidem omnia dominus quasi Apostolis specialiter diceret videtur, sed ne putaremus eum illis solummodo & non etiam nobis, si aliorum exempla sequeremur, beatitudinem diuinae cognitionis polliceri, generalem post haec sententiam subintulit, & omnibus se diligentionibus eadem suae visionis & cognitionis praemia promittit, dicens: Qui habet mandata mea, & seruat ea: ille est qui diligit me. Qui autem diligit me, diligetur a patre meo: & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum. Vbi omni intentione considerandum, quia Christum vere diligere est non ipsam dilectionem labijs profiteri, sed mandata Christi quae discendo habemus, operando seruare. Vnde & Ioannes admonens ait: Filioli mei, non diligamus verbo neque lingua, sed opere & veritate. Omni gaudio amplectendum est, quia merces verae dilectionis illa erit, quae esse maior nulla poterit, nos scilicet a patre, & filio diligi, nobis contemplandam perpetuo filij Dei gloriam reuelari. Non autem dubitandum, quia quibus gloria filij reuelabitur, eisdem quoque patris, & spiritus sancti liceat adesse conspe-

ctui: quia quorum vna est diuinitas, vna utique & inseparabilis visio est. Hinc etenim dicit: Qui me videt, videt & patrem. Et notandum, quia cum praesentis temporis verbo diceret, qui autem diligit me, adiecit de futuro, diligetur a patre meo: & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum. Diligit namque etiam nunc dilectores suos cum patre filius, sed nunc diligit ad hoc ut recte viuant ex fide, quae per dilectionem operatur: tunc ad hoc diligit, ut perueniant ad visionem veritatis quam per fidem gustauerant, & pro qua ad mortem vsque certauerant. Non autem frustra cum additamento ait, & manifestabo ei meipsum. Se enim cunctis hominibus, seipsum vero solis manifestabit electis. Nam & reprobi in iudicio Christum videbunt, sed sicut scriptum est, videbunt in quem transixerunt, soli autem regem in decore suo videbunt oculi iustorum. Beati enim mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Haec de lectione euangelica fraternitati vestrae, charissimi, prout dominus dedit, exponendo diximus. Videtur autem opportunum de solennitate adhuc hodierna breuiter aliqua disserere. In primis autem sciendum est, quod haec solennitas non euangelicis tantum consecrata charismatibus, verum etiam iam olim legalibus praesignata est mysteriis, ac domino iubente per omnes annos sacris obseruata ceremoniis. Hodierna etenim die ut nouimus, positus in cenaculo discipulis, factus est repente de caelo sonus, & spiritus sanctus in visione ignis apparens, scientiam illis omnium linguarum tradidit. Facta autem hac voce, conuenere viri religiosi, qui de diuersis nationibus Hierosolymam paschalis festiuitatis gratia confluxerant, stupebantque mirantes, quoniam audiebat vnusquisque lingua sua illos loquentes magnalia Dei. Exponentibus autem discipulis quia spiritus sancti esset gratia, quam cernebant, olim quidem voce prophetarum promissa, tunc autem Christi munere missa, crediderunt ex eis tria millia virorum, & baptizati acceperunt etiam ipsi donum spiritus sancti. Haec est diei huius annua celebritas, haec gratiae celestis semper grata festiuitas. Ob huius memoriam fidelium cordibus arctius imprimendam pulcherrimus sanctae Ecclesiae mos inoleuit, ut annis singulis in ea baptismatis mysteria celebrentur, ablutisque fonte salutari credentibus, superuenienti spiritu sancto templum venerabile pareretur. Ac per hoc non solum veteris facti recordatio, verum etiam in novos adoptionis filios nouos in ea spiritus sancti celebratur aduentus. Attendat ergo charitas vestra, fratres mei, qualiter huic nostrae festiuitati legalis festi typus & figura concinat. Liberati de Aegyptiaca seruitute filij Israel, per immolationem agni paschalis exierunt in desertum, ut venirent ad terram repromissionis, peruenieruntque ad montem Sinai: & descendens dominus in igne super montem, comitante sonitu buccinae, tonitruis ac fulgoribus quinquagesimo die peracti paschae, legis decalogum eis aperta voce disposuit, atque in memoriam datae legis statuit, eodem die per annos singulos sacrificium sibi nouum de frugibus eiusdem anni, panes videlicet primitiarum duos ad altare deferri. Quae autem sit agni paschalis immolatio, quae Aegyptiae seruitutis absolutio, cunctis legentibus liquet, quia videlicet pascha nostrum immolatus est Christus: & ipse verus est

Ioan. 14.

Galat. 5.

Ioan. 19. Esa. 33. Matth. 5.

Act. 2.

Exod. 12.

Exod. 19.

Leuit. 13.

1. Cor. 5.



agnus, qui abstulit peccata mundi, qui sui sanguinis pretio nos à peccatorum seruitute redemit, suæ resurrectionis exemplo nobis spem vite & perpetuæ libertatis ostendit. Quinquagesimo vero die post occisionem agni data est lex, descendente domino super montem in igne, & quinquagesima equè die post resurrectionem nostri redemptoris, quæ est hodie, data est gratia spiritus sancti discipulis in cenaculo constitutis, quæ apparente foris igne visibili, invisibiliter eorum pectora luce scientiæ irradiavit, ac inextinguibili charitatis ardore succedit. Et hic autem altitudo cenaculi, & ibi cacumen montis, sublimitatem præceptorum, & donorum indicat caelestium: & quia nemo infimis adhuc desideris inharens, vel diuinis obtemperate mandatis, vel supernis possit dignus existerè donis, sed hic in maioris signû perfectionis omnes qui accipiebant spiritum, in cenaculo erant positi: illic ad designanda infirmorum corda auditorum, populus quidem omnis infra montem stabat, at pauci seniorum montis partem conscenderant. Solus autem Moyses in ipsum eius verticem, ubi in igne, & caligine diuina maiestas præfulgebat ascendit: quia nimirum altiora & intima legis arcana perfectiores solum capere & seruare nouerunt, populus vero carnalis literæ superficie contentus, quasi exterius & infra positus verbi caelestis astabat auditui: at nunc data latius gratia sancti spiritus, ad intelligenda sublimius simul & implenda perfectius sancti Euangelij dicta, fidelium corda subleuatur. Ibi inter flammam ignium & micantia fulgura, fragor quoque tonitruorum, & clangor sonabat buccinæ: hic cum ignearum visione linguarum sonitus pariter de caelo tanquam spiritus vehementis aduenit. Sed cum in viraque datione, & legis videbatur & gratiæ, foris audiretur sonitus, hic tamen ampliori miraculo cum auditu sonitus adfuit virtus doni caelestis, quæ intus sine sonitu discipulorum corda doceret. Ibi auditus legalibus edictis, respondet omnis populus vna voce, dicens: Omnia verba, quæ locutus est dominus, & audimus & faciemus. Hic accepta illustratione spiritus nascentis ecclesiæ, cætus omnium nationum linguis Dei magnalia loquebatur, certe utique discretionis gratia: quia legis observatio vni tantum genti iudææ data sit, verbum vero Euangelij cunctis per orbem gentibus prædicandum, cunctorum linguis populorum Christiana fidei essent præconia dicenda, impleta propheta quæ dixit: A solis ortu vsque ad occasum laudabile nomen Domini, excelsus super omnes gètes dominus. Sed & hoc quoddam in venerationem acceptæ legis omnibus annis sacrificiû nouum domino die Pentecostes offerri iustum est, in nostra quoque festiuitate spiritualiter agi ex acceptæ gratiæ tempore nunquam desit. Nouum quippe in ea sacrificiû offert ecclesiæ, cum sabbato incipientis sanctæ Pentecostes, nouum adoptionis populum per baptismum domino consecrat ritu vere decentissimo, sicut & supra monuimus, vt non solum populis Christianis veteris facti memoria innouetur, sed & in nouam remanentium sobolem, noua paraclæti à patre missio celebretur. Nouum in ea sacrificiû domino ipsi quoque apostoli, mox accepto dono spiritus obrulerunt, cum euangelizantes his, qui conuenerant, plurimos conuerterunt ad fidem, & hos fonte baptismatis renatos, ac spiritus gra-

Exod. 19. & 24.

Psal. 112.

Leuit. 23.

tia sanctificatos viuas vtrique noui testamenti primitias ad communionem dominici altaris obtulerunt. Bene autem duo panes primitiarum de nouis frugibus inbebantur offerri, quia nimirum ecclesiæ de vtroque populo, iudæorum scilicet & gentium colligit, quos in nouam suam redemptori familiam conferet. Inter hæc vero solerter intuentum est, quoddam sine magno mysterio quinquagenarius numerus in datione vel legis, vel gratiæ obseruatus est. Nam quinquagesima die paschæ & illa in monte populo data, & hæc discipulis in cenaculo missa est. Sed hoc nimirum numero perpetuitas futuræ quietis ostenditur, in quo recte vel legis decalogus mādatur, vel spiritus sancti gratia datur hominibus, vt aperte monstratur quia quicumque diuinæ legis iussa inuante spiritus gratia perficiunt, ad veram profecto requiem tendunt. Quia enim quinquagesimus annus in lege iubilæus, id est, dimittens siue mutatus appellari iustus est, in quo populus ab omni operatione quiesceret, omnium debita laxarentur, serui liberi redirent, annus ipse maioribus solenniis ac laudibus diuinis eminentior cæteris existeret, merito per hunc numerum illa summa pacis tranquillitas indicatur: quando, sicut Apostolus ait, canente nouissima tuba mortui resurgēt, & nos immutabimur in gloriam: ubi cessantibus huius seculi laboribus & ærumnis, dimissis omnium culpam debitis, in solâ diuinæ visionis contemplatione cunctus electorum populus in æternum gaudebit, impleto illo desiderabili domini ac saluatoris nostri mandato, vacare & videte, quoniam ego sum Deus. Ad quam profecto vacationem, & visionem incommutabilis veritatis, quia non nisi per obseruantiam præceptorum caelestium ac spiritus sancti donum pertingitur, recte & legem decalogi, & eiusdem spiritus gratiam in eo dierum numero, qui requiem designaret dari decebat. Neque hoc prætereundum, quoddam ideo numerus quinquagenarius significationi internæ quietis aptatur, quia ex septem septimanis & monade perficitur. Sex quippe diebus in lege populus operari, septima quiescere, sex annis arare & metere, septimo iustus est cessare: quia & dominus sex diebus mundi ornatum perfecit, septimo ab opere suo cessauerit. Quibus omnibus mysticè admoneamur, quoddam hi, qui in hoc seculo, quod sex ætatibus constat, bonis operibus pro domino instant, in sabbatum in futuro, id est, in requiem à domino inducuntur æternam. Quod autem septem dies vel anni septies ducuntur, multiplicem eiusdem quieti abundantiam designant, in qua præmium illud sublime datur electis, de quo Apostolus ait, quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se. Cuius præmij cognitionem quia in cor hominis, id est, humana adhuc sapientis ascendere nõ potest, testatur, aperit subsequenter vnde hoc diligentibus Deum possit ostendi: Nobis autem, inquit, reuelauit Deus per spiritum suum. Per spiritum ergo reuelatur præmij magnitudo perennis, quia dum ipse corda quæ implet appetitu inuisibilium inflamat, eadem bona inuisibilia quàm sint præclara, quàm terrenis omnibus præferenda manifestat. Vnde bene eiusdem spiritus gratia septiformis à propheta describitur, quia nimirum & per eius inspirationem ad requiem peruenitur, &

Leuit. 25.

Rom. 5.

1. Cor. 13.

Psal. 45.

Exod. 31.

Genes. 2.

Eph. 4.

1. Cor. 13.

1. Ioh. 3.

Eph. 4.

in eius plena perceptione ac visione requies vera possidetur. Porro ipse dies vel annus quinquagesimus, qui septem septimanis superest, & maiore præ cæteris erat solennitate venerabilis, tempus futuræ resurrectionis indicat, in quo illa requies qua nunc animæ fruuntur electorum, corporum quoque receptorum gloria cumulabitur. Vbi sollicitius intuentum est, fratres mei, quia spiritus sanctus non solum in futuro perfectam, sed & in præsentem maximam iustis quietem tribuit, cum eorum mentes caelesti igne charitas accendit. Dicit namque Apostolus: Spes autem non confundit, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis. Et hæc est vera, imò hæc est sola in hac vita requies animarum, diuina dilectione repleti, spe supernæ retributionis prospera mundi simul & aduersa contemnere, terrena à se desideria funditus extirpare, concupiscentiis renunciate secularibus, illatis pro Christo contumeliis & persecutionibus gaudere, & cum Apostolo dicere posse: Et gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei: non solum autem, sed & gloriamur in tribulationibus. Nam qui in rerum mundanarum delectationibus, & opulentiæ se requiescere posse confidit, fallitur: etenim & creberrimis eiusdem mundi perturbationibus, & ipso sine conuincitur, quia super arenam fundamentum suæ quietis posuerit. At quicumque sancto afflatus spiritu, suauissimum illud dominicæ dilectionis iugum super se leuauerint, atque exemplo illius mites esse & humiles corde didicerint, nonnulla etiam in præsentem futuræ quietis imagine fruuntur, dum à conturbatione hominum secularium tota mente secreti, vultum sui conditoris semper reminisci gaudent, atque ad perfectam eius contemplationem pertingere sistant, dicentes sibi cum apostolo Ioanne: Scimus quia cum apparuerit, similes ei erimus, videbimus enim eum sicuti est. Ad cuius præmium visionis si peruenire desideramus, oportet, fratres charissimi, vt huius euangelicæ lectionis perpetuò memores, à mundi nos illecebris immunes exhibeamus, quatenus ad percipiendam spiritus sancti gratiam, quam mundus non potest accipere, digni existere valeamus. Diligamus Christum, eiusque mādata quæ habemus incipiendo, seruemus perseverando. Fit enim iusta mercede, vt illum diligendo diligamur amplius mereamur à patre, sed & ipse maiorem dilectionis suæ gratiam præstare dignetur in futurum. Dat enim nunc diligendo nos vt credentes speremus in eum, tunc autem vt videamus eum facie ad faciem, manifestabitque seipsum nobis, hoc est in claritate, quam habuit priusquam mundus esset apud patrem, cum quo viuit & regnat Deus in vnitate spiritus sancti, per omnia secula seculorum, Amen.

Rom. 5.

Rom. 5.

1. Ioh. 3.

**HAYMONIS EPISCOPI**  
Halberst. superioris Euang.  
expofitio.

**S**i quis diligit me, sermonem meum seruat. De dilectione Dei omnipotentis requirenda est mens, lingua & opus. Siquis diligit me, id est, si quis amat me, sermonem meum seruat. Sermonem filij Dei debemus hic intelligere textum euangelij, quia ipse loquutus est ea quæ in euangelio continentur.

Possumus & intelligere eius sermonem, epistolas Petri, Pauli & cæterorum apostolorum, dicta legis & prophetarum. Quia ipse loquutus est euangelio, ipse loquutus est per prophetas, & per apostolos. Vnde Paulus dicit: An experimètum quæritis eius, qui in me loquitur Christus? Et propheta: Hæc dicit dominus. Siquis diligit me sermonem meum seruat. Id est, præcepta noui & veteris testamenti custodiet. Probatio dilectionis est exhibitio operis. Tunc enim verè Deum diligimus: si præcepta eius fide, ore & opere custodimus. Et pater meus diligit eum. Nunquid pater diligit aliquem sine filio & spiritu sancto? Non. Quia quorum est vna substantia & vna natura, horum est & inseparabilis dilectio. Quemcumque enim diligit pater, hunc & filius diligit cum spiritu sancto. Et pater meus diligit in præsentem vt custodiat, diligit in futuro vt remuneret. Et ad eum. Qui præcepta mea custodit, veniens ego & pater cum spiritu sancto & mansionem apud eum faciemus. In hoc loco dat B. Gregorius comparationem. Si aliquis hominum deberet potentem aut diuitem recipere in domum suam, tota festinatione ipsa domus mūdaretur: ne aliquid ibi posset inueniri, quod oculos amici intrantis offenderet. Si homo homini ita præparat domum suam mundam, quanto magis Deo omnipotenti præparandum est hospitium cordis, vt Deus omnipotens dignetur in eo habitare? Certè multò magis. Sunt tales in sancta ecclesiâ, qui quando audiunt verbum Dei, reminiscuntur peccatorum suorum præteritorum, & compunguntur vsque ad lachrymas: sed cum tempus tentationis aduenit, continuo redeunt ad pristinas iniquitates. In talium corda venit dominus per inspirationem compunctionis, sed non facit ibi mansionem propter prauitatem operis, quam repetunt post compunctionem cordis. Econtra sunt boni, ad quorum corda dominus venit, & mansionem facit: quia & præcepta corde diligunt, & ore confitentur, & opere implent. Qui non diligit me, sermones meos non seruat. Diligo dicitur de omnibus eligo, qui non diligit me, id est, non amat me, sermones meos non seruat, id est, nõ custodit. Qui sunt qui non diligunt Deum? Pagani, iudæi, hæretici, & falsi Christiani. Hi tales videbunt dominum venientem ad iudicium: non ad suam remunerationem, sed potius ad suam damnationem. Videbunt eum venientem in forma humanitatis, quia iudicatus est iniuste, vt iudicet iuste, non in forma deitatis qua æqualis est patri, quia scriptum est, Tollatur impius, ne videat gloriam Dei. Et sermonem quem audistis, non est meus, sed eius, qui misit me, patris. Superius vbi dicit: Qui non diligit me, sermones meos non seruat, sermones meos intelligit doctrinam euangelicam. Hic autem vbi dicit, & sermo, quem audistis, non est meus, sed eius qui misit me, patris, seipsum vult intelligi: qui non est sermo suus, neque verbum suum, sed verbum patris est, iuxta quod Ioan. de eo dicit istius libri compositor: In principio erat verbum. Et sermonem, quem audistis. Ac si diceret. Ego, quem loquentem audistis, nõ sum meus sermo, nec meus filius, sed filius patris: non sum à meipso, sed à patre sum genitus. Omnem gloriam suam, & posse suum, totum ad laudem Dei patris referebat, dans nobis exemplum, vt, quicquid boni agimus, quicquid scimus, quicquid possumus, non ad nostram, sed ad gloriam, & honorem Dei omnipotentis referamus.



juxta quod alibi dicit: Sic luceat lux vestra coram hominibus, &c. *Hæc loquutus sum vobis, apud vos manens.* Superius vbi dixit: &c. ad eum venimus, & mansionem apud eum faciemus, de spiritali mansionem dixit, qua semper manet cum electis. Hic autem cum dixit: *Hæc locutus sum vobis, apud vos manens,* de præsentia corporali dixit, qua erat ab eis recessurus. Quando enim hæc loquebatur, pridie videlicet quam pareretur, cum illis manebat corporaliter. Quando non maneret cum eis, qui ascensus in cælum, promissit eis: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi? Sed verbum Dei incarnatum & manet, & recedit. Manet deitate, qua æqualis est Deo patri: recedit humanitate, qua minor est patre nascendo de virgine Maria. Diuinitas verbi omnia implet, & cælum, & terram, & omnia, quæ in eis sunt. Per hanc plenitudinem deitatis, nunquam recessit ab apostolis, *Paracletus autem, quem mittet pater in nomine meo.* Paracletus Græcè, Latine dicitur consolator. Quare? Quia corda apostolorum, quæ recessus domini mortificauerat, per illius aduentum lætificari meruerunt. Vel ideo dicitur consolator, qui corda electorum, ne deficiant in præsentis seculo, spe regni cælestis consolari dignatur. Vel paracletus dicitur aduocatus. Quare aduocatus, id est, postulator? quia pro erroribus delinquentium interuenit apud Deum patrem. Et quare dicitur postulare spiritus sanctus cum vnus substantia sit cum patre, & filio? Sed postulare dicitur, quia eos, quos repleuerit, postulantes facit. Est & spiritus sanctus in te orans pro salute tua, & pro salute aliorum. *Quem mittet pater in nomine meo,* id est, vice mei, & vice nominis mei. *Ille vos docebit omnia.* Bene dicit, *ille vos docebit omnia,* quia nisi spiritus sanctus cordi adsit audientis, in vanum laborat exterioris lingua docentis. Et hoc est quod Psalmista dicit: Nisi dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt, qui ædificant eam. Nisi dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat, qui custodit eam. Multa loquutus est dominus Iudæis, quæ non valuerunt in cordibus eorum inuenire locum. Quare? quia non docuit eos spiritus sanctus interior, vt intelligerent corde, quæ dominus proferebat ore. Multa etiam loquitur quotidie per doctores suos, quæ non possunt capi ab auditoribus. Quare? quia gratia spiritus sancti non adest illis. Et quid mirum, si dicamus hoc de doctrina hominum, cum ipse conditor noster aliquando loquatur, & non ad vtilitatem auditorum, nisi spiritus sanctus adfuerit? Legimus in Genesi quod dixerat dominus Cain, ante quam occiderit fratrem suum Abel: Quare concidit facies tua? Nunquid si bene egeris, recipies: sin autem malè, statim in foribus tuis peccatum tuum aderit? Sed subter te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius, Cain iam peccauerat voluntate, sed tamen nondum malam cogitationem ad effectum perduxerat: ideo redarguit eum dominus. Sed ipse non audiuit eum, quia vnctio sancti spiritus non adfuit illi, *Et suggeret vobis omnia.* Suggestere dicimus subministrare. Quicquid moralibus sciendum fuit de Deo omnipotente, totum spiritus sanctus adueniens die Pentecostes in linguis igneis suggestit apostolis, id est, subministravit, vt intelligerent dominum Iesum Christum ante omnia secula genitum à patre, & coæternum illi, quod veram carnem suscepit in fi-

Psal. 120.

ne temporum ex virgine Maria, quod passus est, quod felle, & aceto potatus est, &c. Vel suggerere dicitur commemorare. Quicquid dominus Iesus Christus egit ante passionem, vel quicquid loquutus est: omnia ad memoriam reduxit apostolis spiritus sanctus quinquagesimo die. Quomodo enim tanta miracula, & tanta verba à domino prolata potuissent corde retinere, nisi à spiritu sancto edocti fuissent? *Quæcumque dixerit vobis, Loquitur spiritus sanctus, pater & filius loquitur, quia vnus substantia est cum patre & filio. Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* Quid est, quod in natiuitate domini, & eius passione appropinquante, ac perfecta resurrectione, pax oblata est generi humano? Nato domino in Bethlehæm, angeli astiterunt pastoribus, & dixerunt: Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus. Ipse dominus appropinquans passioni pacem discipulis commendauit dicens: Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis, sicut hic legitur. Resurrexit à mortuis, iterum pacem obrulit eis, dicens: Pax vobis. Quid designatur per hoc? Mystice innuit nobis in hoc facto, quia ideo natus est temporaliter ex virgine Maria, ideo passus est pro nobis, id est, crucifixus & mortuus, ideo resurrexit à mortuis, vt nos reconciliaret Deo patri, iuxta quod apostolus Paulus dicit: Ipse est pax nostra: cuius inimici facti eramus peccando. *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* Pacem relinquit dominus nobis in præsentis, vt inuicem diligamus nos, caueamus odium & discordiam & tranquillitatem mentis erga fratres teneamus. Pacem suam dabit nobis in futuro, vbi nihil abinuicem dissentire poterimus, quia vera concordia erit in nobis. Querendum est, quomodo dominus primum dixerit: *Pacem relinquo vobis,* quare non dixit meam, sicut fecit subiungens, *pacem meam do vobis.* Quia aliter habuit veram pacem, quia neque peccatū loquutionis, neque peccatum mali operis illi restitit. Et si tentari potuit hoc modo per suggestionem, sicut legimus, quando tentauit eum diabolus in deserto, tamen delectatio peccati mentem illius non momordit, atque ideo omnis illa tentatio diabolica foris nõ intus fuit. Electi verò, qui fide, & opere Deum sequuntur, quando in præsentis seculo sunt, semper prelia gerunt, cum vitiis scilicet, cum demonibus, cum malis hominibus, cum inimicis desyderiis, cum voluptate carnis: quæ omnia volunt eos à statu rectitudinis suæ mouere, & ad peccatum trahere. Ideo dixit dominus primum: *pacem relinquo vobis,* in sequentibus addidit, *pacem meam do vobis,* pro eo quod est dabo. Vt demonstraret quod pacem, quam ipse habuit, qui neque cogitatione, neque loquutione, neque opere deliquit, eandem pacem habebunt sancti Dei post generalem resurrectionem, quomodo immortales, & incorruptibiles fuerint corpore, & immutabiles in anima: vt iam illis, neque in cogitatione, neque in loquutione, neque in opere aliquid restat: *Non quomodo mundus dat, ego do vobis.* Mündus hic in malam significationem accipitur, id est, in significationem reproborum. Iam diximus in alio euangelio, quod tripliciter accipitur mündus in sacra scriptura. Dicitur mundus vniuersitas, quæ consistit ex cælo, & terra, vnde scriptum est Genesi primo. In sex diebus fecit Deus mundum, id est, cælum, & terram, & quæ in eis sunt. Ponitur mundus pro electis, vt ibi, sic Deus dilexit mundum, id est, electos.

ctos. Hic autem pro reprobis ponitur mundus. *Non quomodo mundus dat,* id est, mundi amatores. Qui sunt mundi amatores? Adulteri, rapaces, homicidæ, latrones, & cæteri vitiis seruientes, qui plus amant mundum quam creatorem mundi. Hic tales dant sibi pacem adinuicem, sed illorum pax polluta est. De qua pace dicit dominus alibi: Non veni pacem mittere, sed gladium, id est, diuisionem inter bonos, & malos. *Non quomodo mündus dat,* subauditur pacem, ego do vobis, pro eo quod est dabo, id est, non dabo vobis illam pacem, quam mundus, id est, mundi amatores habent inter se, qui concordant in malitia sua: homicidæ cum homicidis, adulteri cum adulteris: sed illam pacem dabo vobis, in qua nihil abinuicè dissentire poteritis. Vbi erit pax illa? In numero sanctorum noui, & veteris testamenti in cælesti beatitudine, vbi erit pax, & vera pax, & vera tranquillitas: quia nihil in electis, neque in cogitatione, neque in loquutione, neque in opere Deo resistit. *Non turbetur cor vestrum, neque formidet.* Poterant sancti apostoli turbari, quæ viderunt dominum Iesum Christum flagellari, aceto, & felle potari, crucifigi, mori, & sepeliri. Ne fortè eo mortuo inuaderet lupus, id est, diabolus gregem Christi, & auferret fidem à cordibus illorum: ideo antea vult dominus eos confortare, dicens: Non turbetur cor vestrum de mea morte, id est, intellectus vester non recedat à mea fide: neque formidetis diabolum, quia si mortuus fuero vt homo, resurgam vt Deus. *Audistis quia ego dixi vobis: Vado, & venio ad vos.* Vado ad mortem per passionem, & reuertar ad vos per resurrectionem, Vel vado, id est, ascendo in cælum, & reuertar ad vos cum spiritu sancto. Vel vado ad dexteram patris, & veniam ad vos in die iudicii, vt reddam præmium labori vestro. *Si diligereis me, gauderetis vti que, quia vado ad patrem.* Quomodo iuit filius Dei ad patrem, qui vnus substantia est cum patre, ipso dicente: Ego, & pater vnus sumus. Resurgendo à mortuis, & illud, quod mortale erat, id est, corpus humanum immortale faciendo, & ad dexteram patris collocando, taliter iuit ad patrem. *Quia pater maior me est.* Per hoc quod filius Dei minor est patre, id est, per humanitatem, de qua dicit Psalmista, Minuisti eum paulominus ab angelis, per hoc reuerfus est ad patrem, per hoc verò quod æqualis est patri, id est, per naturam deitatis, fuit semper eum patre, Nec quando reuerfus est ad patrem, deseruit nos, quia vbique est per plenitudinem deitatis suæ, iuxta quod sapientissimus hominum Salomon dicit de eo: Sapietia, id est, Christus, pertingit à fine vsque ad finem fortiter. A fine vsque ad finem, id est, ab oriente vsque ad occidentem, ab altitudine cæli vsque in abyssum. Cælo præsidet, & sustinet terram, totum mundum implet, & totum mundum circundat. Præsidendo mundum sustinet, & sustinendo præsidet, circundando implet, & implendo circundat. *Ecce nunc dixi vobis, prius quam fiat,* id est, prædixi vobis meam passionem, meam mortem, meam resurrectionem, meam ascensionem ad cælos, aduentum spiritus sancti ad vos. *Et, quomodo factum fuerit, credatis.* quia ego sum verus filius Dei, qui potui futura prædicere, & ea quæ prædixi, opere complere. Si dominus mortuus fuisset, sicuti & fuit secundum humanitatem, & non resurrexisset à mortuis, potuissent de eo dubitare, quod filius Dei esset: sed vt omnis ambiguitas tolleretur de cordibus eorum, prædixit eis dominus quod re-

Sap. 8.

Ierem. 10.

surrecturus esset: & hoc quod prædixit ore, adimpleuit opere. *Iam non multa loquar vobiscum.* Manifestum est, quod dicit, *iám non multa loquar vobiscum:* quia ea nocte, qua tradendus erat à discipulo Iudæa, loquutus est & hæc verba, & superiora multa. Completo hoc sermone, perrexit ad comprehensionis locum. *Venit enim princeps mundi huius, & in me non habet quicquam.* Principem mundi appellat diabolum, nõ principem cæli, aut maris: sed principem mundi, id est, amatorum mundi. De quo principe dicit Paulus apostolus: Nõ est nobis coluctatio aduersus carnem, & sanguinem, id est, aduersus homines: sed aduersus principes, & potestates, id est, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, id est, peccatores, qui in tenebris manent iniquitatis. Iste est princeps hæreticorum, Iudæorum, paganorum & prauorum Christianorum, quia principatum tenet in cordibus & operibus illorum. *Venit princeps mundi huius,* id est, diabolus tempore passionis domini imminente volens illius animam auferre, & ad societatem illius perducere. Sed nihil in eo inuenit, nullum scilicet omnino peccatū, neque peccatū cogitationis, neque loquutionis, neque prauis operis. Dicamus & aliter: Princeps mundi potest hic intelligi Pilatus, qui princeps mundi fuit, id est, amatorum mundi Iudæorum. Venit Pilatus tempore passionis domini, & discutens verba accusatorum Christi, nihil inuenit in eo dignum morte de omnibus in quibus accusabat eum, vnde & dixit. Ego nullam causam mortis inuenio in eo. Poterat aliquis domino dicere: O domine, si princeps mundi, id est, diabolus, non potuit vllum in te reperire peccatum, neque Pilatus: quare pergis sponte ad mortem, quum mors peccato debeat, non iustitiæ, quia mors propter peccatum illata est generi humano? Quasi huic interrogatori respondit dominus, quomodo subiunxit: *Sed vt cognoscat mundus, quia diligo patrem.* Mündus hic in bonam significationem accipitur, id est, pro electis, de quibus alibi dicitur: Sic Deus dilexit mündum, id est, electos, Sed vt cognoscat mundus. Ac si diceret dominus. Ideo vado ad passionem, ideo tendo ad mortem pro salute generis humani vt cognoscat mundus, id est, electi quia diligo patrem. Et sicut mandatum dedit mihi pater, sic facio. Mandatum Dei patris fuit ad filium, vt moreretur pro peccatoribus, qui mortui erant peccato, & sua morte reuocaret eos ad vitam. Et post hæc ait: *Surgite eamus hinc.* Quod nisi ad locum vbi erat comprehendendus. Ac si diceret dominus: Non nos inueniant retardantes, nõ trepidantes: vltro pergamus ad passionem, vt videant confidentiam nostram, &c.

## INCERTI AVTHORIS

sub nomine Eusebii Episcopi Emisensis  
superioris Euangelij expositio.

Dominus & saluator noster paulò superius discipulis loquitur, dicens, Qui habet mandata mea, & seruat ea, ipse est, qui diligit me. Et mox quo fructu, quæ ueritate hoc faciat, subdens manifestat. *Qui autem diligit me, diligitur à patre meo.* Et quid inde? *Et ego diligam eum.* Qua ueritate? *Et manifestabo ei meipsum.* Si ergo non sufficit tibi vt diligaris à patre, si non sufficit tibi vt te filius diligat, sufficit tibi quod ille qui sapientia est, qui ueritas est, qui iustitia est, manifestabit se.   
Bibl. Hom. tom. 3. X 3 ipsium

ipsum tibi. In his enim omnis animæ beatitudo consistit. Hoc solum desiderabat Moyses, cum domino diceret, Si inveni gratiam in oculis tuis, ostende mihi faciem tuam ut videam te. Hinc & Psalmista ait, Ego autem cum iustitia apparebo in conspectu tuo, satiabor dum manifestabitur gloria tua. Satiabor, inquit, satis mihi erit, nihil amplius quæram, postquam te ipsum mihi manifestabis. Beatus igitur ille, cui ille manifestabitur, quo manifestato, nihil deerit ad beatitudinem. Scimus enim, quia, cum apparuerit, & reuelabitur nobis, similes ei erimus, quia videbimus eum, sicut est. Sed cui non sufficit, ut sit similis filio Dei? Similis autem eius est, qui videt eum, sicuti est. Sufficiat ergo nobis hoc, quod se ipsum manifestabit nobis, *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, &c.* Magna questio, magnæque questionis nobilissima solutio. Ideo (inquit) mundo, id est, mundi amatoribus me non manifesto, quia me non diligunt. Quod ex eo quidem apertissime probatur, quia sermonem meum non servant. Mei autem discipuli & fideles, quia diligunt me, & quia mandata mea custodiunt, digni sunt quibus me ipsum manifestare debeam: ut cognita sapientia sint sapientes, cognita iustitia sint iusti, cognita veritate sint veraces, & vita cognita in æternum vivunt. Hæc enim omnia Christus est, omnia hæc manifestantur in Christo. Et non solum hæc (inquit) habebit ille qui diligit me, sed & pater meus diligit eum. Quanta dilectione? Vis audire quanta? *Et ad eum veniemus.* Et non tantum veniemus, sed mansionem quoque apud eum faciemus. In illis enim mansionem dominus facit, in quibus veniens manet, & à quibus postquam venit non recedit. Venit enim dominus in eos, sed mansionem non facit in eis, qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Sequitur: *Et sermonem quem audistis, non est meus, sed eius, qui misit me patris.* Hoc est enim quod alibi ait, Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me. In hoc enim apertissime monstrat, omnia hæc verba, quæ discipulis audientibus loquutus est, non humanitatis, sed divinitatis esse. Et eius igitur erat sermo iste secundum divinitatem, & eius non erat secundum humanitatem. Potest autem & aliter intelligi, ut sic dicatur, *Et sermonem quem audistis, non est meus, sed eius qui misit me, patris id est, ego non sum à meipso, sed à patre qui misit me, cuius utique verbum, & sermo, & sapientia ego sum.* Me igitur loquente, quid audistis nisi verbum patris, quod in principio erat verbum, & sermonem, & sapientiam patris? Verbum autem, sermo, & sapientia, non à se, sed ab alio sunt. Sermo igitur, quem audistis, non est meus: quia ego non sum à meipso. *Hæc loquutus sum vobis, apud vos manens.* Hæc (inquit) omnia verba loquutus sum ego verbum: mea sunt igitur hæc verba, sed ego non sum meum verbum. Cuius ergo illius, de quo dicitur, Verbo domini cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. *Paracletus autem spiritus sanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcumque dixerit vobis.* Doletis (inquit) quia non semper vobiscum corporaliter maneo, & quia hæc mea verba, meæque carnis præsentiam subtraham vobis: sed nolite contristari, quia mea vice, & in meo nomine magnus consolator, & doctor sapientissimus dabitur vobis. Ille vos consolabitur, ille vos docebit, ille vobis omnia suggeret, &

ministrabit, quæcumque dixerit vobis. *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis: sed non quomodo mundus dat, ego do vobis.* Mundus enim non dat pacem nisi his, à quibus accipit pacem. Sed quid dicit Apostolus? Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem, &c. Et Psalmista, Cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus, cum loquebar illis, impugnabant me gratis. Et talem quidem pacem dedit Iesus discipulis suis, dicens eis, Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos. Hanc autem pacem debemus habere cum malis, non ut eis in malitia consentiamus, sed ut ab iniquitate eos ad iustitiam viam trahamus. Inde est enim quod do minus ait, Nolite putare, quia veni pacem mittere in terram: non veni pacem mittere, sed gladium. *Non turbetur cor vestrum neque formidet: audistis quia ego dixi vobis, vado, & venio ad vos.* Non turbetur cor vestrum de morte mea, neque formidet de absentia mea. Estote semper memores quia ego dixi vobis, vado & venio ad vos. Non dixi solummodo vado, sed vado, & venio. Sicut igitur turbamini quia dixi vado, ita confortamini quia dixi venio. Ad patrem vado, sed vos non relinquo: maior est divinitas quæ vobiscum remanet, quam humanitas quæ cælos ascendit. Iam enim & illius imbecillitatem & huius potentiam cognovistis. Vadit igitur Christus ad patrem per humanitatem, qui ubique est per divinitatem. Quomodo ergo venit? Ipse utrunque dicit, & vado & venio. Venit enim, & invisibiliter venit, præbendo auxilium, dando solatium, corroborando fidem, & confirmando charitatem. Sic enim de minus ad apostolum venerat, qui ait, An experimentum quaeritis eius, qui in me loquitur Christus? Hoc autem modo non solum filius, sed pater quoque vadit, & venit. Unde & modo superius, Ad eum (inquit) veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Si diligereitis me, gauderetis utique, quia ad patrem vado, quia pater maior me est. Diligebant enim eum apostoli, sed nondum spiritali, perfectoque amore, dum solam carnis præsentiam se amittere dolebant. Hoc enim non fecit Iohannes Baptista: neque corporaliter cum eo cõversatus est, quem secundum divinitatem apud se semper habebat, semperque mentis oculis inspiciebat. Si diligereitis me (inquit) sicut me diligere debetis, & sicut post adventum spiritus sancti diligetis, unde vos modo doletis, inde utique gauderetis. Doletis igitur quia ad patrem vado, quia portas paradisi aperio, quia cæli ianuam pando, quia vitam sempiternam vobis ostendo, & spiritum paracletum vobis mando. *Nisi enim ego abiero, paracletus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos.* Vado igitur ad patrem, quia pater maior me est: id est, secundum hoc vado ad patrem, secundum quod maior est pater. Aequalis est enim patri secundum divinitatem, minor vero secundum humanitatem. *Et nunc dixi vobis prius, quàm fiat, ut cum factum fuerit credatis.* Quid credatis? Quæcumque vobis dixi & credere iussit. Iam non multa loquar vobiscum. Quare? Vultis audire quare? Quia iam passioni appropinquo, iam cum satellitibus suis princeps mundi huius ad prædam occurrit. Et hoc est quod ait, *Veni enim princeps mundi huius, & in me non habet quicquam.* Venit aduersum me, quia & fremit contra me, sed nihil habet in me. Potestatem enim habeo ponendi animam meam, & iterum sumendi eam.

eam. Nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à meipso. Considera modò quid in aliorum exitu facit, qui contra ipsum mundi saluatorem, & dominum venire præsumpsit. Sed quare princeps mundi dicitur diabolus? quare, huius? non enim sine causa dicitur est, *Huius*: aliquid enim determinatur dum dicitur, *Huius*, non enim diceretur princeps mundi huius, si totius mundi princeps esset. Est igitur princeps mundi huius: huius nequam, & præsentis, & Christum occidere cupientis. Est denique princeps mundi huius, id est omnium illorum, qui non habent curam alterius nisi seculi huius. Et quasi aliquid diceret, si princeps mundi huius non haberet quicquam in te, & si nihil potest aduersum te, quare te non defendis? quare te occidi permittis? ait, *Sed ut cognoscat mundus, quia diligo patrem, & sicut mandatum dedit mihi pater, sic facio.* Amor (inquit) est impotentia, non est defectus, sed obedientia, poteram enim me defendere, si voluissem, nunquam moterem, si noluissem. Sed ut cognoscat mundus quia diligo patrem, & cognoscendo me imiteretur, factus sum obediens patri usque ad mortem, & sicut mandatorum dedit mihi pater, sic facio: sicut voluit pater, sic facio. Ipsum enim voluisse, mādasse fuit, quoniam vna eademque voluntas est in utroque. *Surgite, camus hinc.* Non est hic locus nostræ habitationis, cælum attendite, quia inde originem habetis.

#### THEOPHYLACTI EPI- scopi Bulgar. superioris Euang. expositio.

**R**espondit Iesus, & dixit ei, si quis diligit me, sermonem meum, &c. Iudas quidem præ multa formidine exultimabat, quòd mortuus dominus spectrum se exhibiturus esset eis, unde & interrogabat, sicut dictum est. Dominus autem refellens eius suspensionem, inquit; Sicut pater manifestat seipsum, ita & ego manifestabo memetipsum. Ego enim (inquit) & pater veniemus ad eos, qui custodiunt sermones meos: atque ita non in somniis manifestabimur vobis; sed, quia cum patre venturus sum, ut par est patrem manifestari, ita fiet & mea manifestatio, qua vobis manifestabor. At dicendo; *Mansionem apud eum faciemus*, subuertit Iudæ suspensionem. Non enim somnia manent, inquit. Ego autem quum manifestabor, maneo cum patre: non igitur quasi in somnio erit visitatio mea. Prædicat autem eis (ut dixi) se manifestandum, ut ne phantasma ipsum putent: & interim exhortatur eos ad seruandum mandata sua, scientes, quòd seruantibus illa manifestandus sit & pater. Sic quoque ab eo, qui non seruat mandata, discedit & ipse pater, tanquam à non diligente. Nam, qui non diligit me (inquit) sermones meos non seruat. Atque ita neque patrem diligit, qui non diligit filium. Nam sermo filij, & patris est. Qui igitur non custodit sermonem filij, vel patris: sicut odit filium, ita & patrem. Vos igitur discipuli custodite sermones meos, ita enim declarabitis dilectionem tam erga me, quam erga patrem. Quidam autem dicunt Iudam discipulum non ex formidine, sed misericordiam mente dixisse. Quare manifestaturus es te nobis, & non mundo? Volebat enim non solos discipulos, sed

& totum mundam vilitatem ex manifestatione eius percipere. At saluator ostendit non omnes talia consequi, sed nos dumtaxat, qui mandata sua seruamus, digni videbimur sua manifestatione, patrisque dilectione. In eo autem, qui custodit mandata, est Deus, & pater, & non sicut in filio, ita & in hoc. In filio quidem natura est, in homine autem secundum habitudinem quandam. *Hæc locutus sum vobis apud vos manens, &c.* Quoniam obscura erant discipulis, quæ dicebantur, & alia quidem non intelligebant, & de aliis multum dubitabant: ut ne iterum interrogent eum, & dicant: Quæ mandata seruare debemus? liberat eos à turbatione, dicens; Paracletus obscura, & intellectu difficilia, cognita vobis faciet. Nam, hæc, quæ vobis videntur obscura, dixi quum manerem, & essem apud vos. Si autem abiero, de omnibus docebimini. Igitur de discessu non oportet vos esse tristes, qui tanta vobis bona, tantamque sapientiam afferet. Quandiu enim ego apud vos maneo, & spiritus non venit, nihil magnum, neque sublime intelligere potestis. Subinde autem paracletum nominat, propter cõtinuas ipsorum afflictiones, bono illos animo esse faciens, quòd ab illo refocillandi essent. Quod autem dicit, *In nomine meo*, veniet paracletus, hoc vult, quòd nihil alienum à me docturus sit vos, neque propriam opinionem sibi vindicabit: sed in nomine meo veniet, hoc est, in gloriam mei nominis, non sui: id quod faciunt contraria docentes, auditoribus suis proprium nomen commendantes. Quidam autem intelligunt, *in nomine meo*, nomen Christi, paracletus. Habemus enim (inquit) paracletum Iesum Christum. Quia igitur & spiritus, qui venit ad discipulos, paracletus factus est, mestitias illorum consolaturus, in nomine Christi venit, paracletus enim & ipse sicut Christus, sed & Christum Paulus nominavit spiritum, dum dicit, Vos autem non estis in carne, sed in spiritu, siquidem spiritus Dei habitat in vobis: si autem quis spiritum Christi non habet, hic non est eius. Deinde subdit, Si autem Christus in vobis. Vides quomodo supra dicens spiritum Dei habitare in eis, deinde subdat, Christus in vobis, Christum scilicet spiritum nominans? Quia igitur spiritus Christus nominatur, ita debes intelligere, In nomine meo mittet eum pater, hoc est, & ipse nominabitur Christus. Igitur & spiritus sanctus & docuit, & suggestit. Docuit quidem, quæcumque non dixerat eis Christus, utpote portare non valentes. Suggestit vero, quæcumque dixerat quidem dominus, sed obscuris, vel quæ propter imbecillitatem rationis memoria comprehendere non valuerunt Apostoli. *Pacem relinquo vobis, &c.* Iterum in maiore erant discipuli, audientes dominum dicentem, Ego quidem discedo, spiritus autem veniet. Ideo videns turbari eorum, & maxime propter afflictiones imminentes, & certamina, dixit; *Pacem relinquo vobis*, quasi ita dicens, Quid nocent vobis mundi turbationes, quum mecum pacem habeatis? Non enim talis est pax mea, qualis mudi, quæ sæpe in malo fit, & planè stulta est: sed talem ego do, ut & inter vos pacem habeatis, & vnum corpus sitis. Hoc autem fortissimos omnium vos faciet: etiam si multi contra vos insurrexerint, nihil tamen patiemini, concordia, paceque mutua muniti. Deinde, quia iterum dixit, *relinquo*, id quod recedentis erat, &

fatis eos turbare poterat, subdit; *Ne turbetur cor vestrum, neque formidet.* Igitur turbationem patiebantur ex affectu amoris & dilectione erga illum, quod illo privandi essent: timebat autem, eo quod euentura erant illis mala post mortem eius. Ipse igitur neque turbationem ex amore, neque timorem ab afflictionibus absque medicamine relinquit: sed utraque sedat, dicens, *Ne turbetur cor vestrum, neque formidet.* Audistis quod ego dixi vobis, *Vado, &c.* Quia vidit dominus Apostolos non plene resurrectionem suam sperare, neque scire quid esset, & propterea valde merere, & turbari ut se privandos, attemperans se illorum infirmitati, dicit; *Quia ego dixi vobis, vado, & iterum veniam,* adhuc tamen & tristes estis, & mihi non fiditis: quamvis enim moriar etiam, in afflictionibus non relinquam vos. Nunc ergo, quum audiueritis, quod ad patrem meum vado, qui magnus, & me maior videtur: deberetis gaudere, quod ad illum eam, qui me maior & omnia dura poterit auferre. Vides consequentiam sententiae: Quomodo quum dicit; *Pater meus maior me est,* ut consoletur discipulos dixerit? Nam, quia illi tristes erant, quasi non posset, saltem pater meus, quem vos me maiorem putatis, non tantus habitus est, qui vos iuaret? sicut & alio loco dicit; *Ne existimetis quod non possum orare patrem meum, & exhibebit mihi duo decim legiones angelorum.* Non enim hoc loco quasi non possit, hoc dicit. Quomodo enim, qui sola interrogatione Iudaeos collectos prostravit, retroque cedere fecit? Verum, quia de eo ut homine habebant opinionem, ea propter haec inquit; Ita igitur pater maior me est. Dixit enim hoc iuxta illorum sententiam, credentium ipsum quidem infirmum, patrem autem posse in tempore afflictionis sufficere. *Et nunc dixi vobis, priusquam fiat, ut, quum factum fuerit, credatis,* hoc est, ita bene fido, mortem que non timeo, neque tristis sum, ut & praedicam, & gaudere vos iubeam, ut, quando factum fuerit, credatis mihi, quod, sicut scivi afflictiones vobis obuenturas, & praedixerim eas non mentiens, ita neque de adventu paracliti, & consolationis praedicens mentiar, sed omnia vobis iucunda occurrerent. Quidam autem patrem, secundum quod principium, & causa est filii, intelligunt maiorem esse. Maior enim me est, inquit, pater, secundum quod principium, & causa mea est. Ex ipso enim natus sum. At maiorem ipso esse patrem, non facit ipsum alterius substantiae. Nam, quamvis in his (ut ita dicam) maior sit pater filio, sed non iam alterius naturae est. Dein dicant haeretici, secundum quid venit ad patrem Christus? secundum quod Deus, vel secundum quod homo? Quia secundum quod Deus semper in caelis erat, & inseparatus a patre: secundum humanam igitur naturam maior eo dicitur esse pater. *Post hac non multa loquar vobiscum, &c.* Quum consolatus esset discipulos per ea, quae supra dicta sunt, iterum dicit de morte sua, *Venit enim,* inquit, *princeps huius mundi,* hoc est diabolus. Principem autem hunc intellige mundi, non creaturam, sed mundi confusum, & mundana sapientis. Non enim celum gubernat, ac terram, quia omnia euertisset, & conturbasset, sed ea, quae sponte se illi tradidit: deo & princeps tenebrarum dicitur. Per tenebras intellige prava opera. Et, quia verisimile erat, quosdam suspicari, num & Christus propter peccata esset morti traditus, propterea subdit; *In me non habet*

Math. 26.

Joan. 18.

Receptor  
est haec  
expositio,  
quae  
superioribus  
et  
sanctis  
vobis  
haec  
asserit  
est.

quicquam, quum non obnoxius sum morti, neque quicquam debeam diabolo: sed propter dilectionem erga patrem, voluntarius sustineo passionem. Continuo autem repetit sermones de morte, illis adiungens & quae ad consequentiam pertinebant, ut credibilitatem illis faceret. Audientes enim, quod moriatur, discant & quod voluntarius, & quod contemnat diabolus, & quod propter charitatem erga patrem moritur. Si igitur perniciofa fuisset passio, & non salutaris quomodo approbasset pater, qui diligebat? quomodo item filius, qui diligebatur, obiisset eam? Quomodo autem intelligemus, quod propter amorem erga patrem moriatur? Pater, inquit, qui diligit mundum, exposuit me pro illorum morte. Ego quoque patrem diligens, voluntatem eius approbo, & offendo, quod diligam patrem, per hoc quod mandatum ab eo, hoc est, quod complacitum illi, & decretum ab eo suscipio, & perficio: dicit, Arrianista. Si servus fuit filius, non dixisset, Propter dilectionem erga patrem morior. Servus enim, non quia diligit dominum suum, facit voluntatem eius, sed quia servus est, & timeret supplicia. Dominus autem Iesus, quia ut diligens facit voluntatem Dei, non servus est, neque creatura, sed reuera filius, patris implens voluntatem. Quum igitur audieritis, quod mandavit mihi pater, non propter hoc, quod mandatum dedit, mancipium facias dominum, ut subditum: sed quia pater, cognosceret quod ipse filius sit eiusdem substantiae patri: mandatum dedit, hoc est voluit, dixit, approbavit, decrevit.

E V T H Y M I I Z I G A B O N I  
superioris Euang. expositio.

Si quis diligit me, sermonem, &c. Ad eum, qui me diligit, ego, & pater veniemus, hoc est, ita apparebimus sicut pater meus, & non sicut mortui: & mansionem apud eum faciemus, more diuino in eo inhabitantes, quod somniorum non est. Qui non diligit me sermones meos non servat, &c. Ostendit, quod illis, qui sermones suos non servat, nec se, nec patrem diligit: ait enim; *Qui non diligit me, sermones meos non servat:* quae autem dico non mea sunt, sed patris mei. Itaque qui meos non servat sermones, nec patris servat sermones: qui vero patris non servat sermones, neque patrem diligit, siquidem dilectionis signum est observatio praepiorum, Quomodo autem sermo, quem loquitur, sit eius, & non sit eius, iam praediximus. Verum quia sciebat, eos quaedam non intelligere, in quibusdam autem etiam dubitare: promittit & eorum, quae ignorabant, & eorum, de quibus ambigebant, intelligentiam, *Hac loquutus sum vobis, apud vos manens.* Haec, quae obscura videntur. Addidit autem *apud vos manens:* etiam hinc ostendens, quod paulo post abit ad patrem. *Paraclitus autem spiritus sanctus, quem mittet pater nomine meo, ille vos docebit omnia.* Quae videlicet ad vos spectant. *Nomine meo* autem, id est, ut hic me referat, & meis fungatur vicibus. Nam, quia ipse, completa dispensatione ascendit ad patrem, reliquum erat, ut loco eius descenderet spiritus sanctus, ne paraclitus, siue exhortator nobis deficeret, sicut ait Gregorius Theologus. Et quare tunc non docuit quae ad illos pertinebant? Quia amplius ferre non poterant, sicut dicit in sequentibus. *Et suggeret vobis omnia, quae dixi vobis.* Perfe

Perfectius ad memoriam reducet, nam verisimile est eos quaedam oblivioni tradidisse. *Pacem relinquo vobis.* Alij quidem homines morientes pecunias, ac possessiones domesticas relinquunt: Christus vero pacem suis relinquit pacem, cuius & res, & nomen dulce. *Pacem,* inquit, *relinquo vobis,* ut pacifici erga vos mutuo sitis & erga me, & ita vobis nulla mundi turbatio quicquam nocebit, neque impedimento erit. *Pacem meam do vobis,* Quae a me amatur, quae propter illa, quae animae profunt, conceditur, non mundi pacem, quae ob ea, quae nocent animae, servatur. *Non quomodo mundus dat, ego do vobis.* Si quidem mundus, siue mundana sapientes, pacem mutuo dant mali causa: ego vero pacem do vobis boni causa. Aut aliter: mundus pecunias, ac possessiones suis largitur: ego vero pacem do vobis, qui mei estis. Quia autem dicens; *Pacem relinquo vobis,* quo separationem indicabat, maiorem eis iniecerat turbationem, ait; *Ne turbetur cor vestrum, neque formidet.* Vides, quod non tantum amoris magnitudine movebantur, quantum formidine; putantes se discerpandos ab illius inimicis: *Vado, & venio ad vos.* Non solum dixi quod vado, sed etiam quod venio ad vos. Quid ergo formidatis? *Si diligeretis me, gauderetis utique, quod dixerim, Vado ad patrem.* Quia de mea nondum certiores facti estis potentia: & quia morior, putatis me post mortem non posse vos conservare, debetis tamen gaudere quod dixerim; *Vado ad patrem,* qui potens est, vos ab omnibus infidiis eripere, cognoscentes quod omnino legatione fungar pro vobis. *Quia pater meus maior me est. Ma-*

ior me est, ut vos putatis, tanquam manifestus in scripturis promulgatus. Haec autem omnia dicit indulgens suspicioni, ac imbecillitati illorum, & ex ipsa non recia eorum opinione arguens illos. Nam in veritate pater maior quidem est, at non potentia, sed solo principij modo, quia filio principium est generationis: siquidem ex patre est filius. *Et nunc dixi vobis, priusquam fiat, ut, quum factum fuerit, credatis.* Dixi vobis, quae sunt de mea professione, ac rursus de meo reditu, & de alio paraclito, ut quum fieri videritis, credatis quod omnia & noverim, & possim. Ita consolatur eos, rursus tristitia dicit: horum frequentia illos exercens ne periculorum tempore turbarentur: siquidem quod expectatum est, leuius ferri solet. *Iam non multa loquar vobiscum: venit enim princeps mundi.* Mundum appellat hic malitiam, principem vero diabolus: non enim caelo, ac terrae dominatur, sed malitiae, quod omnia straverit ac perverterit. Ipse autem dicitur etiam princeps tenebrarum, siue peccati. Ait ergo; *Venit aduersum me diabolus cum peruersis Iudaeis, data sibi à supernis potestate.* Nam & apud Lucam dixit ad eos, qui se comprehendebant: *Haec est hora vestra, & potestas tenebrarum.* *Et in me non habet quicquam.* In alijs quidem hominibus peccatum est causa mortis: nullus siquidem peccati expertus est, ideo nullus immortalis: in me vero non habet vlla mortis causam. *Sed ut cognoscat mundus, quod diligam patrem.* Sed morior, ut cognoscat omnes, quod diligam patrem obediens illius voluntati: voluntas autem eius est, ut moriar pro salute hominum, *Et sicut praecipit mihi pater, sic facio.* Ut cognoscat, quod praecipit eius moriens adimpleam.

Luc. 22.



FERIA II. POST PENTECOSTEN.

IOAN. 3.



In illo tempore: Dixit Iesus Nicodemo. Sic dilexit Deus mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam aeternam. Non enim misit Deus filium suum in mundum: sed ut saluetur mundus per ipsum. Qui credit in eum, non iudicatur. Qui autem non credit, iam iudicatus est: quia non credit in nomine unigeniti filij Dei. Hoc est autem iudicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quam lucem. Erant enim eorum mala opera. Omnis enim qui male agit, odit lucem: & non venit ad lucem, ut non arguantur opera eius. Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur opera eius: quia in Deo facta sunt.

a Id est, humanam naturam.

b In mortem, ut omnis aspiciens in eius morte non periret, sed ha. vi. arer.

c Verè salus per filium Dei: Non enim alia causa venit, nisi ut saluet, non ut iudicet, id est, damnet.

d In humanam naturam.

e Vnde Saluator mundi dicitur.

f Ne dicam iudicabitur.

g Cur? h In quo solo est salus, non habet multos filios. Deus, per quos saluet.

i Verbum in carnem.

k Peccata arguentem.

l Quae ex se.

m Quae aperit mala. Non coniungitur luci, sed fugit eam.

GLOSSA



## GLOSSA ORDINARIA

in superius Euang.

**H**oc quia dixerat de filio hominis, ne hoc solum putet Nicodemus, subdit eundem etiam esse filium Dei. *Sic enim dile. etc.* Aperit causam humanæ salutis, scilicet dilectionem Dei patris, ex quo omnis restauratio est per filium suum in spiritu sancto. *Mundum.* Cosmos Græcè, quod Latine mundus interpretatur, ornatus dicitur. Per mundum igitur humana natura significatur, non quodd secundum corpus ex quatuor elementis constet, sed quia secundum animam à Deo est ornata, & ad imaginem Dei est facta, quæ ad hoc diligit Deus ut eam æternam faciat. *Vi filium.* Ecce idem dicit de filio Dei quod supra de filio hominis, ut per quem in deitate conditi sumus, per eundem in homine restauramur. *Vi in.* Nondum apparuit iudicium, sed iam factum est iudicium. Nouit dominus qui sunt eius. Nihil enim aliud est iudicium, id est, æterna damnatio, quam non cognoscere, & non credere in filium Dei: sicut nihil aliud est beatitudo & vita, nisi credere & cognoscere filium Dei. unde dicitur: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum.* Sed *ut saluetur, etc.* Ex eo saluetur homo, non iudicatur: sed si iudicatur ex se habuit, quia non credidit. *Hoc est autem in.* Cur qui non credit iudicatur? quia lux venit quæ excitat homines & admonet cognoscere sua mala, in quibus omnes sunt sed alij oderunt admonentem lucem, & fugiunt, ne arguantur eorum mala quæ diligunt. Alij admoniti per lucem accusant sua mala, quod est facere veritatem & sic illuminantur. *Erant enim eorum.* Qui est in tenebris, & diligit lucem, non est malus, sed ille dicitur malus, & opera eius mala, qui postquam lux venit odit lucem & diligit mala. Et hoc est quod dicit: *Erant enim opera eorum mala.* Opera, id est impietas, & incredulitas, & odium æternæ lucis & nolle eam aspicere, sed velle in tenebris peccatorum remanere. *Qui autem fa.* Ostenso qua iustitia damnatur qui non credit, ostendit qua iustitia saluetur qui credit. Qui autem factus est, cui displicent mala sua & accusat, non sibi ignoscit, non sibi parcit, sed venit ad lucem. Et incipit agere cum Deo, qui mala accusat: quia initium homini est accusatio mali, ergo opera eius hæc, scilicet quod se accusat, sicut Deus accusat, manifestat, quia in Deo sunt facta, nisi enim Dei lux sibi lucraret, sibi non displiceret.

## CATENA AVREA

in idem Euang.

**S**ic enim Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum, etc. Chrys. Quia dixerat, oportet exaltari filium hominis, quo mortem occultè significavit, ne auditor tristis ab his fieret verbis humanum quid de eo suspicans: & mortem eius æstimans non esse salutarem, hoc ad rectitudinem reducit, filium Dei dicens eum qui datur ad mortem, & mortem eius causam esse vitæ æternæ. unde dicit: *Sic enim Deus dile. mun. etc.* quasi dicat, Ne miteris, quoniam ego debeo exaltari ut vos saluemini: etenim & patri hoc videtur qui ita nos

dilexit, ut pro servis indeuotis filium dederit: dicendo autem, Sic Deus dile. mun. multam indicat amoris intentionem. Multa enim est & infinita distantia, qui enim immortalis, qui sine principio, qui magnitudo infinita, eos qui sunt ex terra & cinere infinitis plenos peccatis dilexit. Sed & ea quæ post hoc ponit, ostensura sunt magni amoris, non enim seruum, non angelum, non archangelum dedit, sed filium suum. Rursus si filios plures habuisset, & dedisset vnum: hoc etiam esset maximum. Nunc verò filium unigenitum dedit: unde subdit, *Unigenitum.* Hyl. 6. de tri. Sed si dilectionis hinc fides est creaturam creaturæ præstitisse, non facit magni meriti fidem vilis & spernenda iactura. Preciosa autem sunt quæ commendant charitatem, & ingentia ingentibus æstimantur. Deus diligens, mundum filium non adoptiuum, sed suum & unigenitum dedit, hinc proprietas est, naturitas est, veritas est. Non creatio est, non adoptio est, non falsitas est, hinc dilectionis & charitatis fides est, & ut ad mundi salutem & filium suum & unigenitum præstitisset. Theo. Videtur autem mihi quodd sicut superius dixit, quodd filius hominis descendit de caelo, cum caro de caelis non descenderit: sed propter vnam personam in Christo quæ Dei sunt attribuit homini: sed & nunc econuerso quæ sunt hominis, verbo Dei appropriat. etenim Dei filius impassibilis mansit, sed quia vnus erat secundum hypostasim Dei filius & homo qui passionem sustinuit, filius dari dicitur in mortem, qui passibiliter patiebatur, non natura propria, sed carne propria. Est autem maxima utilitas consecuta ex huiusmodi datione mentem excedens humanam. Sequitur enim: *Ut om. qui cre. in eum, etc.* Vetus namque testamentum his qui seruabant illud dierum longitudinem promittebat, euangelium verò æternam & insolubilem vitam. Aug. Notandum verò quodd eadem de filio Dei vnigenito replicat, quæ de filio hominis in cruce exaltato præmiserat dicens: *Ut omnis qui credit in eum,* quia idem redemptor & conditor noster filius Dei ante secula existens, filius hominis factus est in fine seculorum: ut qui per diuinitatis suæ potentiam nos creauerat ad perficiendam beatitudinem perennis vitæ, ipse per fragilitatem humanitatis nos restauraret & ad percipiendam quam perdidimus vitam. Alcuin. Verè autem per filium Dei habebit mundus vitam, quia non alia de causa venit in mundum nisi ut saluet mundum. unde sequitur: *Non enim misit Deus filium suum, etc.* Aug. Quare enim saluator mundi dictus est, nisi ut saluet mundum? ergo quantum in medico est sanare venit ægrotum. Ipse se interimmit, qui præcepta medici seruare non vult aut contemnit. Chry. Sed quia hoc dicit, multi pigrorum & peccatorum magnitudine & negligentia superabundantia, Dei abutentes misericordia dicunt, non est gehenna, non est supplicium, omnia nobis Deus peccata dimittit. Sed considerandum quodd duo sunt Christi aduentus: qui iam factus est, & qui futurus est. Et prior quidem factus est, non ut iudicet quæ facta sunt à nobis, sed ut dimittat. Secundus autem non ut dimittat, sed ut iudicet. De priore igitur ait: Non veni ut iudicem mundum: quia enim clemens est, non facit iudicium: sed in teris remissionem omnium peccatorum per baptismum primò, & postea per penitentiam: quia si hoc modo non fecisset, vniuersi simul perditii essent.

essent. Omnes enim peccauerunt, & egent gratia Dei. Ne igitur aliquis crederet se impune peccare, subdit de pena non credentis: *Qui credit in eum, non iudicatur,* qui credit (inquit) non qui inuestigat, quid igitur si immundam habeat vitam? maxime quidem Paulus tales non fideles esse dicit. Confitentur (inquit) se nosse Deum, factis autem negant: sed hoc illud significat, quia secundum hoc qui credit non iudicatur, sed operum quidem grauiorem sustinebit penam: infidelitatis autem causa non torquetur. Alcuin. Vel quia credit in eum & adhæret ei ut membrum caput, non iudicabitur. Aug. Quid autem dicitur sperabas de eo qui non credit: nisi quodd iudicatur? Sed vide quid dicit: *Qui autem non credit, iam iudicatus est.* Nondum apparuit iudicium: sed iam factum est iudicium. Nouit enim dominus qui sunt eius: nouit qui permaneant ad coronam, & qui permaneant ad flammam. Chry. Aut hoc dicit quia ipsum discredere, impœnitentis supplicium est: esse enim extra lumen, etiam secundum se maximum supplicium est: vel quod futurum est præiudicat. Sicut enim qui occidit hominem, etiam nondum sententia iudicantis condemnatus sit, rei tamen natura condemnatus est: ita & qui incredulus est, sicut & Adam qua die comedit de ligno mortuus est. Greg. 7. mor. Vel aliter: In extremo iudicio alij qui non iudicantur & pereunt, de quibus hic dicitur: *Qui non credit, iam iudicatus est.* Non enim eorum tunc causa discutitur, qui à conspectu districti iudicis iam cum damnatione suæ infidelitatis abscedunt, professionem verò fidei retinentes, sed professionis opera non habentes redarguuntur ut pereant. Qui verò nec fidei sacramenta tenuerunt, increpationem iudicis in extrema examinatione non audiunt, quia præiudicati in infidelitatis suæ tenebris eius quem despexerant, inuectione argui non merentur. Princeps namque terrenam rempublicam regens aliter punit ciuem interius delinquentem, aliter hostem exterius rebellantem. In illo iura sua consulit, contra hostem verò bella mouet, dignaque eius malitiæ tormenta tribuit, de malo verò eius quid lex habeat non requirit: neque enim lege necesse est perire eum, qui lege nunquam potuit teneri. Alcuin. Quare autem iudicatus est qui non credit, causam assignat, dicens: quia non credit in nomine vnigeniti filij Dei. In hoc enim solo nomine est salus. Non habet Deus multos filios qui possint saluare, hunc habet unigenitum per quem saluat. Augustinus de bapt. paruulorum. Vbi ergo paruulos ponimus baptizatos nisi inter eos qui crediderunt? hoc enim eis acquiritur per virtutem sacramenti, & offerentium responsonem: ac per hoc eos qui baptizati non sunt, inter eos qui non crediderunt, statuiamus. *Hoc est autem iudicium, etc.* Chry. Quasi dicat, nunquid ipsi eam quæ fuerant vel laborauerunt ut inuenirent ipsa lux venit ad eos nec ei occurrerunt. unde sequitur: *Et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem.* Hic de reliquo omni eos priuat exultatione, venit enim eripere à tenebris & ad lucem ducere. Quis ergo eius qui non vult ad lucem accedere miserabitur? Beda. Lucem seipsum appellat, de qua supra euangelista dixit: Erat lux vera. Tenebras verò appellat pec-

cata. Deinde quia videbatur multis esse incredibile quod dictum est, nullus enim tenebras præhonorat luci, subdit causam quare hæc passi sunt, dicens: *Erant enim eorum opera mala.* Et siquidem in iudicium venisset, haberet hoc aliquam rationem. Qui enim malorum sibi conscius est, fugere iudicem consuevit: patenti verò qui deliquerunt, occurrunt, dicens igitur, Erat mos qui malorum sibi ipsi erant conscij peccatorum, maxime Christo ad ignoscendum venienti occurrere, quod & in multis factum est. Etenim publicani & peccatores venientes recumbebant cum Iesu. Quia verò quidam sunt ita molles ad eos qui pro virtute sunt labores, ut vsque ad vltimum velint adhætere malitiæ, in horum inturiam subdit: *Ornis enim qui malè agit, odit lucem.* Quod quidem dictum est de his qui eligunt in malitia manere. Alc. Quia omnis qui malè agit, odit lucem, id est, qui est in intentione peccandi, cui placet peccatum, odit lucem quæ detegit peccatum. Aug. 10. con. Quia enim falli noluit & fallere volunt, amat eam cum seipsam indicat, & oderunt eam cum eos ipsa lux indicat, inde retribuerunt eis ut eos nolentes manifestet, & eis ipsa non sit manifesta. Amant ergo veritatem lucentem, oderunt eam redarguentem: unde sequitur: *Et non ve. ad lu. etc.* Chry. Eum enim qui in paganismo viuit, nullus redarguit: quia Deus tales habet, & digna dogmatibus opera demonstrat. Qui verò Christi sunt malè viuentes, ab omnibus rectis accusantur. Si autem gentiles sunt rectè viuentes, hoc manifestè non noui. Non enim mihi dicas eos qui à natura sunt mites & honesti: non enim est hoc virtus: sed eum dic qui à passionibus sustinet violentiam, & sapienter viuit: sed non utique habes. Si enim regni enuntiatio & gehennæ minæ & alia tanta documenta vix detinent homines in virtute, nullo horum persuasi pertransibunt virtutem: si verò hypocritam fingunt, gloriæ gratia hoc faciunt: unde cum potuerint latere, non omittent uti malis desideriis: quæ etiam utilitas est, cum aliquis sobrius sit & non rapit, sit verò vanæ gloriæ seruus, hoc enim non est rectè viuere. Inanis enim gloriæ fornicatio non minor est, multò enim plura & grauiora operatur. Si autem quidam rectè sunt viuentes in gentilibus, non hoc aduersatur huic sermone, quia non frequenter contingit, sed raro. Bed. Moraliter etiam illi magis tenebras quam lucem diligunt, qui suos prædicatores bene docentes odii & detractionibus insequuntur: sequitur: *Qui autem verit. etc.* Chry. Non autem de his qui ab initio facti sunt Christiani hoc dicit, sed tantum de his qui ex Gentibus vel iudæis ad rectam disponendi erant fides: ostendit enim quoniam nullus vique eligerit in errore viuens ad fidem venire, nisi prius inscribat sibi ipsi viam rectam. August. de bapt. par. In Deo autem facta dicit opera eius qui venit ad lucem, quia intelligit iustificationem suam non ad sua merita, sed ad Dei gratiam pertinere. August. su. Joan. Sed si omnia opera Deo mala inuenit, quomodo quidam fecerunt veritatem, & venerunt ad lucem, id est, ad Christum? Sed dilexerunt (inquit supra) tenebras magis quam lucem, ibi posuit vim. Multi dilexerunt peccata sua, multi ea cõfessi sunt. Accusat Deus peccata tua, si & tu accuses, ad iugem Deo oportet ut oderis in te opus tuum, & ames in te opus Dei. Initium operum bonorum, confessio est



est operum malorum: & tunc facis veritatem, quia non te palpas, non tibi blandiris. Venis autem ad lucem, quia hoc ipsum quod tibi displicuit peccatum tuum, non tibi displiceret, nisi Deus tibi luceret, & eius veritas tibi ostenderet. Facit autem aliquis veritatem confessionis & venit ad lucem in operibus bonis, etiam propter illa quae videntur minuta esse peccata linguae, aut cogitationum, aut immorationis in rebus coefferis, quoniam minuta plura peccata, si negligantur, occidunt. Minuta sunt guttae quae flumen implent, minuta sunt grana arenae, sed si multa arena imponatur, arena premit atque opprimit. Hoc facit sentina neglecta, quod facit fluctus irruens paulatim per sentinam intrat, sed diu intrando & non exhauriendo mergit nauem. Quid est autem exhaurire, nisi bonis operibus agere ne obruant peccata, gemendo, ieiunando, tribuendo, ignoscendo?

S. IO. CHRYSOSTOMI  
Episcopi Constantin. in superius  
Euang. Homil. 7.

Ex homil. 26. in Ioan.

Rom. 5.

**S**ic enim dilexit Deus mundum, ut filium suum unigenitum, &c. Quod autem dicit, huiusmodi est. Ne mireris, quod exaltari debeam, ut saluamini, ita enim patri videretur, qui ad eos dilexit, ut proferuis, & quidem ingratum, filium daret. Atqui neque pro amico, neque pro iusto sponte qui ipsam id fecit, quod Paulus his verbis ostendit, Vix enim pro iusto quis moritur. Sed longiori hic sermone usus est, quoniam fideles alloquebatur; Christus breui, quoniam Nicodemum, verum significans. Etenim singula verba magnam vim habent. Nam illud verbum; Sic dilexit: & illud, Deus mundum, immensam amoris significant vehementiam. Magna enim inter haec differentia est, & minime coferenda. Qui enim immortalis est, & nullo sine comprehenditur, qui potentissimus ex terra, & cinere factus, & innumeris peccatis obnoxios, & male de se meritos, & ingratos dilexit. Quae praeterea sequuntur, magnam vim habent; Ut filium suum unigenitum, inquit, daret. Non seruum, non angelum, non archangelum. Nemo vnquam pro filio tantam praese tulit charitatem, quam pro seruis, & ingratum seruis Deus. Passionem itaque non aperte, sed in umbra praedicit. Ex ea autem emolumentum manifestus enarrat. Et omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam. Et cum ea particula; Exaltari oportet: moriturum se significaret, ne Nicodemus humanis affectibus perturbaretur, & omnino interitum putaret, vide quo pacto auferat dubitationem. Nam, cum Dei filium datum dicat, & vitae, & sempiternae vitae authorem eum esse profiteretur: & profecto qui morte sua vitam aliis elargitur; perpetua in morte minime est futurus. Nam, si credentes in crucifixum, non pereunt, multo minus ipse crucifixus, qui alios ab interitu, longe magis seipsum vindicat. Qui vitam aliis, eam sibi potius elargitur. Animaduertis semper fide opus esse. Fontem vitae crucifixum dixit, hoc non facile humanae menti persuaderetur, ut ex gentilibus apparet, qui adhuc eum irridet, & contemnunt. Verum in numero fides perquam facile humanae mentis imbecillitatem superans ad credendum nos illuminat. Vnde autem tantopere dilexit Deus mundum? Sola charitate. Eam igitur dilectionem ne con-

temnamus. Pudeat tam immensa non respondere dilectioni. Ipse ne vnigenito quidem filio nostri gratia pepercit; nos pecuniis in nostrum paricum detrimentum. Ipse dilectissimum filium pro nobis obtulit, nos pro eo, imo pro nobis argentum offerre nolumus: & quam haec venia digna sunt? Si hominum quempiam pericula, & mortem nostri gratia subeuntem videmus, eum omnibus praerimus, in primis amicis adnumeramus, & omnia nostra ei credimus, neque adhuc eius nos meritis respondere arbitramur. Erga Christum autem eum gratitudinis modum minime seruamus. Sed ipse animam pro nobis posuit, & preciosum sanguinem fudit, neque propterea nos sibi conciliare potuit, qui neque pro nobis pecunias erogamus, sed ipsum nudum, & hospitem pro nobis mortuum contemnimus: & quisnam, quae, a futuro nos supplicio liberabit? Nam, si non Deus nos, sed nosmetipsos damnamus, nonne contra nos sententiam ferimus: nonne gehennam in nos prouocamus, cum, qui pro nobis animam posuit, eum fame pereuntem contemnimus? Et quid ego pecunias memoro, cum, etiam si innumerae animae nobis essent; omnes pro eo ponere oporteret, neque etiam sic pro acceptis beneficiis gratiam retulisset. Nam, qui prior beneficiis est, maximum praese fert bonitatis indicium. Qui beneficium accipit, quando eumque reddit, non gratiam inquit, & maxime cum qui primum exhibuit, inimicos beneficiis profectus sit: qui vero accepit, gratiam refert, rursusque accipit. Sed minime his mouemur ingratis, imi, seruos, mulos, equos auro exornamus, dominum nudum, errantem, ostiatum mendicantem despiciamus, & torno nonnunquam oculo indignamur. Atqui propter nos ea liberet malatolerat. Esurit, ut deliciis perfruatur: nudus erat, ut in corruptionis vestem induaris: nihil tamen exhibetis, sed vestimenta vestra partim a tineis corroduntur, partim arcae oneri sunt, & superfluae cura possessoribus. Ille & haec, & alia vobis metuens, nudum se exhibet: sed vos non in arca vestes receditis, sed induimini, ut ornati appareatis: cur, nisi ut vulgus vos admiraret? Verum non tam his indutos vestibus, quam sua indigentibus erogantem, multitudo admiratur. Si igitur in admiratione haberi cupis, nudos vesti, ita etiam innumeris te plausus prosequuntur. Tunc & Deus te, & homines laudabunt, vestibus autem conspiciunt, nemo inuidebunt potius omnes, cum corpus ornatum, animam neglectam intuebuntur. Huiusmodi cultus corporis meretrices excolant: quibus vestimenta quam anima chariora sunt, ornamenta animae virtutis: duntaxat amici amplectantur. Haec ego frequenter repeto, repetamque, nec cessabo, non tam pauperum quam vestraum animarum gratia. Illi enim, & si nihil a nobis, aliunde tamen aliquid adiumenti consequuntur. Et si nullum consequuntur, sed fame pereant; non multum capiunt detrimentum. Quid enim nocuit Lazaro paupertas: quid famies? Vos autem nemo a

EIVSDEM IN IDEM

Homilia 2.

2 Tim. 27. in Ioan.

Eccl. 5.

Pal. 19.

Rom. 2.

Heb. 10.

Matth. 23.

Rom. 3.

**N**on enim misit Deus filium suum in mundum, ut iudicet mundum, &c. Magna peccantium pars in scelerum sordibus diuina abutens clementia, nullam gehennam; nullum esse supplicium, omnia Deum peccata dimittere assuevit, quorum os Sapiens his verbis obstruit; Ne dicas, misratio eius magna, multitudinis peccatorum meorum miserebitur: misericordia enim, & ira ab illo citro proximant. In peccatores respicit ira eius, & secundum magnitudinem misericordiae eius multa reprehensio eius. Vbi igitur Dei clementia est, si pro peccatorum nostrorum meritis accipiemus? Quod autem ira se res habeat, audi prophetam, & Paulum dicentem, alterum quidem; Tu retribuere vnicuique secundum opera eius: alterum vero; qui reddet vnicuique secundum opera eius. Quod autem in hoc multa Dei clementia ostendatur: hinc constat. Duas vobis vitas Deus constituit, praesentem, & futuram in certaminis praemium. Quam ratione? Multa, & grauius commisit, neque a pueris in vltimum usque senectutem abstinnimus, quin innumeris animam sceleribus coquinaremus, nullam eorum a nobis rationem exegit, sed per regenerationis lauacrum his nos absoluit, iustitiam, & sanctificationem largitus est: quid ergo dices, qui a cunabulis diuinis mysteriis initiatus, deinde multa in peccata prolapsus est? Is profecto maioris reus est supplicij: ex ipsis namque peccatis post mysteriorum initiationem longe grauius affligimur, quod Paulus his verbis significauit; Ireram quibus faciens legem Mosi, sine vlla miseratione duobus, vel tribus testibus moritur: quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & spiritui gratiae contumeliam fecerit? Maiori igitur supplicio hic obnoxios, veruntamen etiam huic poenitentiae portas aperuit, & multas abluendi peccati vias praebuit. Considera, quae, quanta haec sint benignitatis exempla, ut post lapsum a gratia peccanti, & reo non supplicium, sed emendationis spatium diuina largiatur clementia. Propterea inquit, Christus Nicodemo; Non misit Deus filium suum in mundum, ut iudicet mundum, sed ut saluetur mundus per ipsum. Duo enim sunt Christi aduentus, & praeteritus, & futurus, sed non iisdem de causis sed praeteritus non ut iudicaret, sed ut dimitteret: futurus contra, non ut dimitteret, sed iudicaret. Propterea de praeterito inquit; Non veni ut iudicem mundum, sed ut saluum faciam mundum. De futuro; Quum venerit filius in gloria patris sui, statuet oues quidem a dextris, haedos autem a sinistris: & alias, quas in hanc sententiam parabolas locutus est. Atqui & prior aduentus iudicij erat secundum iustitiae rationem. Quamobrem? Quoniam ante ipsum naturalis lex fuit, & prophetae: propterea lex scripta, & doctrina, signa; & alia plura, quae nos admonuisse poterant: quorum ratio non iniuria fuisset exigenda, sed immensa benignitate, sua haec non inquit, sed parciuitam, si peccata iudicasset, omnes repete perissent. Omnes enim peccauerunt, inquit, & egret gloria Dei. Vides summam Dei clementiam? Atqui, si tunc

non venit, ut iudicaret mundum: quo pacto, qui non credit, iam iudicatus est, si nondum adest iudicij tempus? Aut igitur, inquit, ipsam incredulitatem sine poenitentia supplicium (siquidem priuatio lucis per se supplicium maximum est) aut futurum praenunciat. Nam, quemadmodum homicida, etiam iudicis sententia sit indamnatus, damnatur tamen ipsius rei natura, ita & incredulus: si quidem & Adam, qua die comedit de ligno, mortuus est, ea enim lata est sententia, in quacumque die comederitis a ligno, morte moriemini. Atqui vivebat, quomodo igitur mortuus est? Diuina sententia, & rei natura: quippe qui seipsum supplicio facit obnoxios, sub supplicio est; si non re, tamen sententia. Sed, ne quis, quum audiret eum non venire, ut iudicaret mundum, impunitum peccatum arbitretur, & pigrior fieret, hanc tollit opinionem, inquit, iam iudicatus est. Nam, cum multo post tempore futurum sit iudicium, eius iam formidinem incutit, quod incredibile est ipsius praese fert humanitatem: quod non solum filium daret, sed iudicij quoque tempus differret in longum, ut abluendi criminis potestas fieret peccatoribus, & infidelibus. Qui credit in filium, non iudicatur. Qui credit, non curiosus inuestigat, non percuratur diligentius. Quid igitur, si immundam vitam viueret, si non recte operaretur? Hominem verem quidem fideles esse Paulus inquit? Constat se scire nomine Deum, factis autem negant. Veruntamen in hac vita propter hoc ipsum non iudicari, sed operum grauius postmodum supplicium daturum dicit, in delictis autem eam, ea quod semel credidit, non puniunt. Vides quo pacto ab horrendis principiis in eandem rursus rationem descendit? Primum inquit, Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & spiritu, non introibit in regnum Dei: nunc autem, Qui non credit in filium, iam iudicatus est. Noli, inquit, arbitrari quicquam ei dilationem coferre. Iam reus est, nisi mutet sententiam, nihil autem meliori conditione erit infidelis, quam qui iam damnatus sunt, & supplicio affecti. Hoc est autem iudicium; Quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quam lucem. Cuius particulae haec est sententia; Idcirco plectuntur, quod tenebras dimittere, luci obuiam fieri noluerunt. His verbis omnem auferit infidelibus excusationem. Nam, si ad operum rationem exigendam, & errata punienda venissem, possent sane excusari, si me non sequerentur: sin vero ad diuidendam lucem a tenebris, quisnam eius miserebitur, qui, cognita luce, in tenebris potius degere persenerat? Quum enim nulla in re nos accusare possint, sed innumera a nobis accepert beneficia, resiliunt tamen, quod alibi significauit; Oderunt, inquit, me gratis. Et rursus; Si non venissem, & locutus non fuisset eis, peccatum non haberent. Siquidem, qui in tenebris versatur, deficiente lumine, aliqua fortassis venia dignus est: qui vero, adueniente luce, tenebras sectatur, mali profecto, prauique animi praese fert argumentum. Sed quum multis hoc incredibile videatur, ut quisquam luci tenebras praeferat, adducit causam, quare ita affecti sint; Erant, inquit, eorum mala opera, &c. Et profecto non ad iudicandum, neque ad inquirendum venit, sed ad dimittenda peccata, & salutem per fidem largiendam. Qua igitur ratione fugerunt? Si iudicatum venisset, aliquid habuissent excusationis. Qui enim alicuius sibi

Genes. 2.

Vides posse  
ri ut alig  
sit uere fide  
& iam p  
pior praua  
za damnet

Pal. 34

68.

Heb. 15.

culpæ conscius est, iudicem fugere solet: indulgenti autem errantes quoque obuiam sunt: quod si ad indulgendum venit, consentaneum erat, ut plurimorum criminum conscij prompto animo se exhiberent, quod multi fecerunt: etenim publicani, & peccatores Iesum sequebantur. Quid ergo his verbis significauit? qui semper in malitia perseuerant. Ipse idcirco venit, ut vetera peccata dimitteret, & in posterum cautiorem hominem redderet: verum, quum nonnulli ita ad virtutis labores tolerandos fluxi sint, & imbecilles, ut ad mortem vsque malitiæ studeant, nunquam se absoluerit curâtes, eos hoc in loco Christus significauit. Nam, cum Christi assertor, ad doctrinæ fecunditatem vitam etiam sanctam addat, ideo ad me venire formidant, inquit, quoniam à recta formidant vita. Qui enim gentilium errores sectatur, à nemine liberè reprehenditur: quippe qui eiusmodi deos colunt, & ipsis turpes, & ridiculos, quales ipsi sunt, honores exhibent, non aliena à doctrina sua opera præ se ferunt: qui autem Dei sunt, & desidiôsè viuunt, omnes & expostulant eos, & accusant: tantæ etiam apud inimicos admirationi est veritas. Vide igitur quam diligenter omne prosequitur. Non enim, inquit, qui malè facit, non venit ad lucem: sed, qui in malis perseuerat operibus, hoc est, qui semper in perditionis vitiorum luto versatur, neque vult meis subiici legibus: sed, his præuicatis, fornicatur licenter, & cetera, quæ prohibentur, exequitur: huc enim tanquam in lucem prodiens, sur manifestus deprehenditur, idcirco sub ditionem meam venire recusat. Multi gentilium inueniuntur, qui ideo Christianæ religioni se inhaerere non posse causantur, quoniam ab ebrietate, fornicatione, & cæteris huiusmodi affectibus nequeant abstinere. Quid igitur? Nonne & Christiani mala, & perditæ vitæ, & gentiles veræ philosophiæ studiosissimi inueniuntur? Quod multi Christiani perditè viuunt, non ignoto: quod autem Gentiles rectè faciunt, hoc adhuc mihi non satis constat: neque tu mihi natura ipsa mansuetos, & modestos adduxeris, hoc enim non est virtus: sed eos, qui, cum affectibus trahuntur, fortiter resistunt, hos tamen non habes. Futurorum bonorum spes, & gehennæ merus, & alia huiusmodi vix hominem in virtute continent: quibus enim nihil horum persuadent, hi minime virtutem amplectuntur: si qui autem simulant, gloriæ causa simulant: & qui ita affectus est, cum latere opera sua posse confidet, minime à prauis cupiditatibus abstinere. Verum, ne cuiuspiam contentiosi esse videamur, concedamus ex Gentilibus esse, qui rectè viuunt, neque hoc positioni nostræ contradicit. Quod enim frequenter, non quod raro contigit, intelligendum est. Considera autem quo pacto aliunde etiam omnem aufert Gensilibus excusationem. In mundum lucem venisse dicitur: num eam quaesierunt, inquit, num laborarunt, num adnixi sunt, ut eam inuenirent? Venit ad eos lux, neque obuiam facti sunt: quod si Christianorum nonnulli malè viuunt, respondemus non de his intelligi, qui Christiani nati sunt, & à maioribus suis pietatem didicerunt, licet hi sæpè numero doctrina vitiosa vitam mutauerint: sed de iis, ut arbitror, qui, Gentilium, vel Iudæorum professione contempta, veram fidem complectuntur. Ostendit etiam errantium neminem fidei se subiecturum, nisi prius rectam sibi

*Ergo non omnia infidelium opera sunt peccata.*

vitam persuadeat, & neminem, nisi profus malitiæ deditum in incredulitate persistere: neque mihi dixeris, eum neque incontinentem esse, neque raptorem: non enim hæc sola virtus est. Quid hæc illi profunt, si inanis gloriæ seruus sit, & amicorum sodalitate veritus, in errore permaneat? Hoc non est rectè viuere: neque enim gloriæ seruus minus peccat quam fornicator, imò longè plura, & grauiora committit: sed da mihi apud Gentes aliquem omnibus affectibus, & malitia liberum: non inuenies. Nam, qui apud eos magni habentur, & pecuniis, & ventri dediti: ut inquit, maxime omnium hominum gloriæ seruiunt: quæ malorum omnium est causa. Hinc & Iudei in perfidia manserunt, quos arguens Christus inquit: Quomodo potestis vos credere, qui gloriam ab inimicem accipitis? Et qui tandem ad Nathanaël, cui etiam veritatem testatus est, hæc verba non habuit, neque longiori sermone usus est: Quoniam nõ eo studio venerat: hic enim hoc sibi faciendum constituerat, & quod alij quieti, hic auditioni tempus exhibuit: ille ab alio persuasus, non tamen quin admoneret, preterit. Siquidem inquit: Amen dico vobis, videbitis cælum apertum, & angelos Dei ascendentes & descendentes supra filium hominis. Huic nihil tale, sed de generatione, & vita æterna, diuerso sermone secundum subiectam materiam locutus est. Nam, cum ille prophetarum dicta procul dubio crederet, tantum audire satis habuit: hic autem, cum adhuc dubitaret, non quidem manifestè omnia ei Christus aperuit: sed eius mouit mentem, ut in timore timorem crederet, cum non credentem iudicari, & non credere à praua conscientia proficisci diceret. Humanam namque gloriam magni faciebat, & pluris quam supplicium. Multi enim, inquit, ex principibus crediderunt in eum, sed propter Iudæos non confitebantur: præterea eum coarguit, cum dicat nulla alia ratione hominem non credere, quam quod vitam immundam viuunt: & in sequentibus inquit: Ego sum lux: hic autem, *Venit lux in mundum.* Principiis enim obscurus, inde apertius locutus est. Verum tamen Nicodemus multitudinis gloria mulcebatur: quam obrem de bitami fiduciam habere non poterat. Fugiamus igitur inanem gloriam, quæ cæteris est affectibus violentior: hinc auaritia, hinc pecuniarum amor, hinc odium, bella, pugna. Quippe, qui plura amat, minime constare poterit, amat autem nullam aliam ob rem, quam inanem gloriam. Et quam gratia, dic, quælo, eunuchorum, & mancipiorum gregibus, & huiusmodi rebus friuolis, & inanibus multi stipari volunt? non necessitatis gratia, sed ut impertuni huius affectus obuios omnes testes habeant, horum caput est inanis gloria, quod si absceindemus, reliqua malitiæ membra interibunt, & nil prohiberit, quin terram ut cælum incolamus: neque ad malitiam tantum, quos caput animos, impellit inanis gloria, sed & virtutibus se insinuat: à quibus cum nos abstrahere non possit, in ea maiorem in modum nos offendit, multis nos laboribus subiicit, quorum omnem fructum penitus aufert. Siquidem, qui inani gloria mulcetur, ieiuniorum, orationum, misericordiæ omnem mercedem amittit. Quid hoc damno miserius, cum frustra verberemur, & ridiculi fiamus, & superna excidamus gloria? Neque enim vtrunque & desiderare, & consequi possumus: sed, si vnam optauerimus,

*Ex Math. 12. et Luc. 11.*

*Supra.*

*2. Tim. 2.*

*Infra.*

rimus, calorum videlicet gloriam, vtrunque consequemur. Quamobrem, si gloriam volumus, humanam fugiamus gloriam, & diuinam duntaxat prosequamur: hoc pacto & hæc, & illam adipiscemur, gratia, & benignitate domini nostri Iesu Christi, per quem & cum quo patri gloria, simul & spiritui sancto in secula seculorum, Amen.

S. AVGVST. EPISCOPI  
*Hippon. in superius Euang.  
Homilia*

**N**on enim misit Deus filium suum ut iudicet mundum, sed ut saluetur mundus per ipsum. Ergo quantum in medico est, sanare venit ægrotum. Ipse se interimit, qui præcepta medici obseruare non vult. Venit saluator ad mundum. Quare saluator dicitur mundi, nisi ut saluet mundum, non ut iudicet mundum? Saluari non vis ab ipso ex teipso iudicaberis. Et quid dicam iudicaberis? Vide quid ait: *Qui credit in eum, non iudicatur: qui autem non credit. Quid dicitur sperabas, nisi iudicatur? Quod addit, Iam, inquit, iudicatus est.* Nondum apparuit iudicium, & iam factum est iudicium: nouit enim dominus qui sunt eius, nouit, qui permaneant ad coronam, qui permaneant ad flammam. Nouit in area sua triticum, nouit & paleam, nouit & segetem, nouit & zizaniam, iam iudicatus est qui non credit. Quare iudicatus est? *Quia non credidit in nomine vnigeniti filij Dei. Hoc est autem iudicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quam lucem? erant enim mala opera eorum.* Fratres mei, quorum opera bona inuenit dominus? Nullorum. Omnia enim opera mala inuenit. Quomodo ergo quidam fecerunt veritatem, & venerunt ad lucem? Et hoc enim sequitur: *Qui autem facit veritatem venit ad lucem, ut manifestentur opera eius, quia in Deo sunt facta.* Quomodo quidam opus bonum fecerunt, ut venirent ad lucem, id est, ad Christum? Et quomodo quidam dilexerunt tenebras? Si enim omnes peccatores inuenit, & omnes à peccato sanat, & serpens ille, in quo figurata est mors domini, eos sanat, qui mori fuerant, & propter morsum serpentis erectus est serpens, id est, mors domini, propter mortales homines, quos inuenit iniustos: quomodo intelligitur, *Hoc est iudicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quam lucem: erant enim mala opera eorum? Quid est hoc? Quorum enim erant bona opera? Nonne venisti, ut iustifices impios, sed dilexerunt, inquit, tenebras magis quam lucem: ibi posuit vim. Multi enim dilexerunt peccata sua, & multi confessi sunt peccata sua: quia qui constitetur peccata sua, & accusat peccata sua, iam cum Deo facit. Accusat Deus peccata tua: & si tu accuses, coniungeris Deo. Quasi duæ res sunt, homo, & peccator. Quod audis homo, Deus fecit: quod audis peccator, ipse homo fecit: dele quod fecisti, ut Deus saluet quod fecit. Oportet ut oderis in te opus tuum, & ames in te opus Dei. Cum autem ceperit tibi displicere quod fecisti, inde incipiunt bona opera tua, quia accusas mala opera tua. Initium operum bonorum, confessio est operum malorum. Facis veritatem, & venis ad lucem: quid est, facis veritatem? Non te palpas, non tibi blandiris, non tibi adularis, non dicis, iustus sum*

cum sis iniquus, & incipis facere veritatem. Venis autem ad lucem, ut manifestentur opera tua, quia in Deo sunt facta: quia & hoc ipsum quod tibi displicuit peccatum tuum, non tibi displiceret, nisi Deus tibi luceret, & eius veritas tibi ostenderet. Sed qui etiam admonitus diligit peccata sua, Odit admonentem lucem, & fugit eam, ut non appareant opera eius mala, quæ diligit: qui autem facit veritatem, accusat in se mala sua, non sibi parcat, non sibi ignoscit ut Deus ignoscat: quia quod vult ut Deus ignoscat, ipse agnoscit & venit ad lucem: cui gratias agit, quod ille quid in se odisset, ostenderit. Dicit Deo: *Auertere faciem tuam à peccatis meis.* Et qua fronte dicit, nisi iterum dicat; *Quoniam facinus meum ego cognosco, & peccatum meum coram me est semper? Sit ante te quod non vis esse ante Deum: Si autem post te feceris peccatum tuum, retorquet illud tibi Deus ante oculos tuos, & tunc retorquet, quando iam penitentia fructus nullus erit. Currite, ne tenebræ vos comprehendant. Fratres mei, euigilate ad salutem vestram, euigilate, dum tempus est, nullus retardetur à templo Dei, nullus retardetur ab opere domini, nullus auocetur ab oratione continua, nullus à solita deuotione fraudetur. Euigilate cum dies est, lucet dies: Christus est dies, paratus est ignoscere reis, sed agnoscitibus: punire autem defendentes se, & iustos se iactantes & putantes se esse aliquid cum nihil sint. In dilectione autem eius & in misericordia eius qui ambulat, etiam liberatus ab illis leuhalibus, & grandibus peccatis, qualia sunt facinora hominum, homicidia, furta, adulteria, præter illa, quæ minuta videntur esse peccata, linguæ aut cogitationum, aut immoderationis in rebus concessis, facit veritatem confessionis, & venit ad lucem in operibus bonis. Quomodo minuta peccata si negligantur, occidunt? Minuta sunt guttæ quæ flumina implent, minuta sunt grana arena: sed si multa arena imponatur, premit, atque opprimit. Hoc facit sentina neglecta, quod facit fluctus irruens. Paulatim per sentinam intrat, sed diu intrando, & non exhauriendo, mergit nauim. Quid est autè exhaurire nisi bonis operibus agere, ut non obruat peccata, gemendo, ieiunando, tribuendo, ignoscendo? Iter autem huius seculi molestum est, plenum est tétationibus, in rebus prosperis ne extollat, in rebus aduersis ne frangat. Qui tibi dedit felicitatem huius seculi, ad consolationem tuam dedit, non ad corruptionem: Rursus qui te flagellat in isto seculo, ad emendationem, non ad damnationem facit. Ferto patrem erudiantem, ne sentias iudicem punientem. Hæc quotidie dicimus vobis, & sæpe dicenda sunt, quia bona & salutaria sunt.*

*\* al. arguantur.*

*Pal. 50.*

*Ioan. 12.*

*Nota dist. vtiam leuhalium, & venialium peccatorum.*

*Vide satisfactoria, & expurgatoria opera peccatorum.*

S. CYRIL. EPISCOPI  
*Alexandr. superioris Euang.  
expofitio.*

**S**ic enim dilexit Deus mundum, &c. Plane his verbis Deum se natura esse significat; Siquidem necesse est filium Dei vnigenitum, patris similem, Deum esse, qui non deforis filiationis (ut nos) habeat dignitatem, sed illud ipsum vere sit, quod dicitur. Charitatis autem erga homines Dei patris, inktionem opportune fecit, ut Nicodemi durities  
Bibl. Hom. tom. 3. Y 2 aut

aut molliatur, aut apertius pateat. Quid enim aliud est Deo prædicanti non credere, quam veritatem mendacij crimine accusare: Præterea, cum se datum pro vita mundi affirmet, magna supplicia impendere monet omnibus, qui arrogantia sua tantam Dei patris gratiam negligunt. Sic enim Deus dilexit mundum: ut filium suum unigenitum daret. Audiant hæc, quæso, rursus omnes, qui Christo aduersantur, nobisque petentibus explicent; quid magni Dei patris haber secundum ipsos dilectio, aut quomodo ipsam merito admirabimur? Respondent, ut puto, mirandam esse Dei patris erga nos charitatem, quia filium suum pro nobis tradidit, & filium unigenitum, ut ergo mirabilis sit hæc Dei patris charitas, filius datus non creatura esse credatur, filium autem eum dico, qui, cum ex substantia patris sit, genitori est consubstantialis, & verus profecto Deus, Nam, si vt vos dicitis, ex substantia Dei patris non est, non poterit secundum naturam filius Dei esse. Ita mirabilis illa charitas patris nulla esse videbitur. Creaturam enim pro creaturis, non vere filium dedit. Et ad hæc frustra nos apostolus terret, cum dicat. Si qui duobus, aut tribus testibus legem Mosaicam spernit, morte puniatur; quanto peiore putatis dignum supplicio eum, qui filium Dei conculcavit: Conculcat enim, qui spernit. cur igitur, si filius verus non est, sed Moysis cõseruus (cognata enim est creaturæ creatura creationis ratione, etiam si quadam præstantia dignitatem alterius superare videatur) maiora supplicia luet, qui eum spernit, quam qui legem Moscos cõtempnit? quia videlicet non in creaturam, neque in Moysis cõseruum peccauit, ingens igitur, atque admirabilis charitas Dei patris est: qui filium suum (qui ex substantia eius est) pro mundi vita misericorditer tradidit. Non enim misit Deus filium suum, &c. Quoniam filium Dei se liquido nuncupauit: idcirco à qualitate, magnitudinèque rerum quasi firmissimo quodam testimonio id comprobat. Nõ enim inquit missus sum, vt lege orbem terrarũ, quem admodum Moyses, damnem, nec vt mandata in redargutionem peccatorum tradam, nec vt seruilis ministerio fungar; verum vt per misericordiam Deo conuenientem, tanquam filius, ac hæres patris à seruitute homines vendicem, damnante lege in iustificantem gratiam commutata, & sic à peccatorum vinculis genus humanum eripiam. Ad saluandum ergo, non ad damnandum veni. Nam, vt decens erat, inquit, damnantis legis Mossem (qui seruus erat) ministrum fuisse: sic me decet (cum sim filius Dei) à maledictione legis orbem liberare, & misericordiæ cumulo ægritudinem mundi curare. Quod si iustificans gratia, dampnante mandato legis præstantior est; quomodo non intelligetur consequenter seruilis is conditionem omnino excedere, qui potestate diuina vt Deus à peccatorum vinculis hominem liberat? Et hæc quidem vna horum euangelij verborum ratio est; Altera superioribus affinis, atque coniuncta, perspiciebat Nicodemum saluator Mosais nimum inhærete mādatis, & regenerationem spiritalem horrescere, ac euāgelicam viuendi disciplinam ideo aspernari, quia difficiliorem mandatis legalibus futuram putaret. Hæc veluti Deus nequaquam ignorās, hominis imperiti formidinem vnica ratione dissoluit: onerosam nimum legem esse ostendens, quæ mundum non

Heb. 10.

Rom. 7.

1. Cor. 3.

liberet, sed damnet; se vero gratiæ, ac misericordiæ largitorem. Non enim (inquit) Deus filium suum misit in mundum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum. Qui credit in filium, &c. Cum rebus ipsis filium se Dei esse approbasset, sublimiorèque gratiã mundo præberi à se dixerit, quam Mosais lex contulerit (Melius enim, atque altius est, gratia iustificari, quam lege condemnari) mirabilem quandam aliam vt Deus viam comperit, qua ad suscipiendam salutem homines impellit. Credenti enim, singulare, diuinumque proposuit præmium: minime ipsum in iudicium peruenturum affirmans. Non credenti autem certa imminere supplicia dicit: ad vnam, eandemque viam vtrosque compellens, illos enim cupiditate laudabili gratiæ istos terrore cruciatus ad fidem misericorditer conuocat. Magnum autem crimen esse incredulitatis ostendit: quoniam vnigenitus ipse sit Dei filius. Nam quanto præstantius est, quod contemnitur; tanto maioribus, qui spernit, supplicii subiacebit iudicatum vero iam ait esse incredulum: quod ipse in seipsum (quoniam largitorem indemnationis non suscepit) condemnationis intulit sententiã. Hoc autem est iudicium, &c. Causas condemnationis incredulorum atulit: ostenditque probe admodum in prouerbis dici, non iniuria volucris retia tenduntur, si enim, cum ad lucem venire poterant, in tenebris iacere maluerunt: quomodo non sunt ipsi condemnandi qui prauo sibi iudicio cruciatus asciscunt, peiora melioribus, & tenebras luci anteferentes; liberum etiam iudicium hominis his verbis ostendit; qui ad alterutrum secundum animi sui iudicium, potest proficisci. Sic enim iuste laudem, si bene agimus; & contrarium, si mala cõmittimus, inuenimus: hoc per prophetam etiam quendam dixit; si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis; quod si nolueritis, neque audieritis me; gladius vos deorabit. Omnis enim, qui male agit, &c. Latius exponit, quod dixerat, ostendens idcirco segnitie homines impediri, ne bona consequantur, quoniam praua diligant. Segnitie autem radices sunt: quod discere, ac pendere illa nolint, quibus bonus quisque, ac sapiens fieret. Recusat enim (inquit) omnis, qui male agit, lucis illuminationem? nõ, quia malorum eum pudeat, pigeatque (saluaretur enim, si id esset) sed, quia ignorare meliora manult, ne conscientie stimulis quotidie peccans exagitetur: & quoniam putat, maiora sese supplicia subiturum, si, cum exquisitiorem bonorum cognitionem teneat, voluntatem Dei agere nolit. Qui autem facit veritatem, &c. Qui veritatem facit, spiritalem illuminationem non spernit, per ipsam maxime ad eam cognitionem perductus, vt intelligere possit, an omnia secundum diuina peregerit præcepta, nec voluntatem Dei transgressus sit. Certissimum igitur inefrenatæ libidinis signum est, si quis ea recuset discere, quibus possit ad meliora reuocari: virtutis autem, atque pietatis, si quis eam vitam Deo placere arbitretur, quæ secundum præcepta eius peragitur. quod ita se habere non ignorat Psalmista, cum dicat. Lex domini immaculata, conuertens animas; testimonium domini fidele, sapientiam præstans paruulis. Iustitiæ domini rectæ, lætificantes corda; præceptum domini lucidum illuminans oculos.

BEDÆ

FERIA II. POST PENTECOSTEN.  
 BEDÆ VENERABILIS  
 presbyteri in superioribus Euang.  
 expositio.

Ex comment. in Iohan.

Sic enim dilexit Deus mundum, &c. Vnde notandum, quod eadem de filio Dei vnigenito replicat, quæ de filio hominis in cruce exaltato promiserat, dicens; Vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Quia profecto idem redemptor, & conditor noster filius Dei ante secula existens, filius hominis factus est in fine seculorũ: vt qui per diuinitatis suæ potentiã nos creauerat ad perfuendam vitæ beatitudinem perennis, ipse per fragilitatem humanitatis nostræ nos restauraret ad recipiendam, quam perdidimus vitam. Sequitur autem; Non enim misit Deus filium suum in mundum, &c. Ergo quantum in medico est, sanare venit ægrotum; se interemit, qui præcepta medici obseruare non vult. Venit saluator ad mundum. Quare saluator dicitur mundi nisi vt saluet mundum, non vt iudicet mundum. Saluari non vis ab ipso: Ex te iudicaberis. Et quid dicam, iudicaberis? Videre quid ait, Qui credit in eum, non iudicatur, &c. Quid dicturum sperabas, nisi iudicatus? iam, inquit, iudicatus est. Nondum apparuit iudicium, sed iam factum est iudicium. Nouit enim dominus, qui sunt eius. Nouit qui permaneant ad coronam, qui permaneant ad flammam. Nouit in area sua triticum suum, nouit & paleam: nouit & segetem, nouit zizaniã. Iam iudicatus est, qui non credit. Quare iudicatus? quia non credit in nomine vnigeniti filij Dei. Hoc est autem iudicium, &c. Fratres mei, quorum opera bona inuenit dominus: Nullorum. Omnia enim mala opera inuenit. Quomodo ergo quidam fecerunt veritatem, & venerunt ad lucem? Hoc enim sequitur; Qui autem facit veritatem, &c. Quomodo ergo quidam bonum opus fecerunt, vt venirent ad lucem, id est ad Christum? & quomodo quidam dilexerunt tenebras, si omnes peccatores inuenit, & omnes à peccato sanat; Et serpens ille, in quo figurata est mors domini, eos sanauit, qui mori fuerant, & propter mortus serpentis erectus est serpens, id est, mors domini propter mortales homines, quos inuenit iniustos. Quomodo intelligitur hoc iudicium, quoniam lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quam lucem? Erant enim mala opera corũ. Quid est enim hoc? Quorum enim erant bona opera? Nonne venisti vt iustifices impios? Sed dilexerunt, inquit, magis tenebras quam lucem: ibi posuit vim. Multi enim dilexerunt peccata sua: quia qui confitetur peccata sua, & accusat peccata sua, iam cum Deo facit. Accusat Deus peccata tua: si & tu accuses, coniungeris Deo. Quasi duæ res sunt; homo, & peccator. Quod audis homo, Deus fecit: quod audis peccator, ipse homo fecit. Dele quod fecisti, vt Deus saluet quod fecit. Oportet vt oderis in te opus tuum, & ames in te opus Dei. Cum autem exeperit tibi displicere, quod fecisti, inde incipiunt bona opera tua, quia accusas mala opera tua. Initium bonorum operum; cõfessio est operum malorum. Facis veritatem, & venis ad lucem. Quid est facis veritatem? Non te palpas, non tibi blandiris. Non te adulas. Non dicis, iustus sum, cum sis iniustus: & incipis facere veritatem. Venis autem ad lucem, vt manifestetur opera tua, quia in Deo

facta sunt, quia & hoc ipsum, quod tibi displicuit peccatum tuum, non tibi displiceret, nisi Deus tibi luceret, & eius veritas te tibi ostenderet. Sed qui etiam admonitus diligit peccata sua, odit admonentem lucem, & fugit eam, vt non arguantur opera eius mala, quæ diligit. Qui autem facit veritatem, accusat in se mala sua: non sibi parcit, non sibi ignoscit, vt Deus ignoscat: ipse agnoscit, & venit ad lucem: cui gratias agit, quod ille quid in se odisset ostenderet: dicit domino; Auerte faciem tuam à peccatis meis. Et qua fronte dicit, nisi iterum dicat, quoniam facinus meum ego agnosco, & peccatum meum contra me est semper. Si autem post te feceris peccatum tuum, retorquet tibi illud Deus ante oculos tuos: & tunc retorquet, quando iam penitentia fructus nullus erit. Currite, ne tenebræ vos comprehendant.

Psal. 50.

HAYMONIS EPISCOPI  
 Halberst. superioris Euang. expositio.

Vnde notandum, quod eadem de filio Dei vnigenito replicat, quæ de filio hominis in cruce exaltato promiserat dicens. Vt omnis qui credit in ipso non pereat, sed habeat vitam æternam. Quia profecto idem redemptor & conditor noster filius Dei ante secula existens: filius hominis factus est in fine seculorum vt qui nos per diuinitatis suæ potentiã creauerat, ad perfuendam vitæ beatitudinem perennis, ipse per fragilitatem humanitatis nostræ nos restauraret, ad recipiendam quam perdidimus vitam: sequitur; Non enim misit Deus filium suum in mundum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum. Ergo quantum in medico est, sanare venit ægrotum, sed interimittur qui præcepta medici seruare non vult. Venit saluate mundum. Quare saluator dicitur mundi; nisi vt saluet mundum, non vt iudicet mundum? saluari non vis ab ipso, ex te ipso iudicaberis. Et quid dicam iudicaberis? Videte quid ait. Qui credit in eum non iudicabitur. Qui autem non credit. Quid dicturum sperabas, nisi iudicetur. Iam, inquit, iudicatus est. Nondum apparuit iudicium, sed iam factum est iudicium. Nouit dominus qui sunt eius, nouit qui permaneant ad coronam, & qui permaneant ad flammam, nouit in area sua triticum suum, nouit & paleam, nouit & segetem, nouit zizaniã. Iam iudicatus est qui nõ credit. Quare iudicatus est? Quia non credit in nomine vnigeniti filij Dei. Hoc est autem iudicium; quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quam lucem. Erant enim eorum mala opera. Fratres mei, quorum opera bona inuenit dominus? Nullorum. Omnia enim opera mala inuenit. Quomodo ergo quidam fecerunt veritatem, & venerunt ad lucem? Hoc sequitur; Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, vt manifestetur opera eius, quia in Deo facta sunt. Quomodo ergo quidam bonum opus fecerunt, vt venirent ad lucem, id est, ad Christum? Et quomodo quidam dilexerunt tenebras. Si enim omnes peccatores inuenit, & omnes à peccato sanat, & serpens ille in quo figurata est mors domini eos sanat, qui mori fuerant & propter mortus serpentis erectus est serpens; id est, mors domini propter mortales homines, quos inuenit iniustos, quomodo intelligitur; Hoc est iudicium, quoniam lux venit in mundum, & dilexerunt homines

Bibl. Hom. tom. 3. Y 3 nes







ad se veniat, fugit, & a sua auertitur salute. Deinde etiam causam ponit propter quam dilexerunt tenebras. Erant enim mala eorum opera. Ideo ergo lucem fugerunt, ne ea manifestaret. Atqui non venit ut inquirat, sed potius ut ignoscat: & ideo accurrere magis oportebat. Nam omnis, qui male agit, odit lucem. Quamdiu mala operatus fuerit, quamdiu in his permanserit. Et non venit ad lucem, ne manifestentur opera eius. Timens videlicet. Qui autem operatur

veritatem, venit ad lucem. Qui operatur, quod recte est, qui recte conuersatur, venit ad lucem, amat lucem. Ut manifestentur opera eius. A luce: neque enim erubescit, aut veretur ea. Quod per Deum sit facta. Quod secundum Deum sint, quod Deo placencia. Quod autem dictum est: Ut manifestentur, non est intelligendum quasi hoc in facto suo querat, sed tanquam rei consequentia hoc faciente: solet namque lux manifestare, quae proxima sunt.



# FERIA III. POST PENTECOSTEN.

6639

I O A N. 10.

**I**n illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis. Amē amē dico vobis, qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde, ille fur est, & latro. Qui autem intrat per ostium, pastor est ouium.

**H**uic ostiarius aperit, & oues vocem eius audiunt. Et proprias oues vocat nominatim, & educit eas. Et cum proprias oues emiserit, ante eas vadit: & oues illum sequuntur, quia sciunt vocem eius. Alienum autem non sequuntur, sed effugiunt ab eo, quia non nouerunt vocem alienorum. Hoc prouerbium dixit eis Iesus. Illi autem non cognouerunt quid loqueretur eis. Dixit ergo eis iterum Iesus: Amē amen dico vobis: quia ego sum ostium ouium. Omnes quotquot venerunt fures sunt & latrones, sed non audierunt eos oues. Ego sum ostium: per me si quis introierit, saluabitur: & ingreditur, & egredietur, & pascua inueniet, Fur non venit, nisi ut furetur & mactet & perdat. Ego veni, ut vitam habeant, & abundantius habeant.

**GLOSSA ORDINARIA**  
*in superius Euangelium.*

**A**MEN amen di. Quia Pharisei iactabant se videre, quod possent, si oues Christi essent, dominus contra eorum arrogantiam de grege suo, & de ostio quo intratur in ouile similitudinem proponit: ostendens quod nec sapientia, nec obseruatio legis, nec bona vita quidquam valet nisi per eum: sine eo nihil sunt in quocumque Iudæo, vel gentili & philosopho vel Phariseo qui docent beatè viuere, vel hæretico sub nomine Christi: nec tamen in Christo prædicante, sed omnes sine eo rapiunt & occidunt. Per ostium. Id est per me, ut post expo-

nit. Hæc ianua est humilis qui per hanc vult intrare, oportet ut se humiliet, ne si erectus est, offendat in humilem ianua. Fur. Quia quod alienum est suum dicit, id est, oues Dei suas facit latro, quia quod furatus est occidit. Sed omnes qui veritatem tenent & docent in Christo pastores, sunt vnus pastor. Past. est o. Christus proprie pastor est secundum officium pascendi oues: ut ipse post exponit, qui per se ostium intrat in ouile ouium. Sed quia alij cum participes sunt ei pastoralis officij: quæ de eo proprie dicuntur, etiam eis suo modo congruunt. Ostium est quo intratur Christus: ergo pastor per se ostium, & quicumque sub eo pastor, per ipsum ostium intrat in corda ouium: quia si aliud prædicat, non audiunt oues: si Christum, oues Christi hanc vocem agnoscunt. Quod ostium est

est Christus sibi soli tenuit: quia non est alius qui prædicetur ouibus, vel in quem credatur: non est alius per quem prædicans intrat ad corda ouium, vel per quem oues intrant ad Deum. Quod pastor est communicat suis. Pastor autem intrat per ostium, quia & ipse se Christum prædicat, ut lumen, & alia: & se ostendit: intellectus & alia & se intelligit: & alij pastores similiter Christum prædicant. Huic osti. Ostiarius, id est, Christus qui se aperit, vel scriptura, quæ dicit ad Christum, vel spiritus sanctus qui docet omnem veritatem. Et oues ro. &c. August. Aliqui sunt veræ oues, quia nouit dominus qui sunt eius, sue iam ceperit, siue nondum: & tamen sunt errantes foris, audientes vocem alienorum in multis. Econtra lupi sunt intrus, & audiunt vocem pastoris in multis. Sed est quedam propria vox pastoralis, scilicet. Qui perseuerauerit vsque in finem, saluus erit. Hanc nullus proprius contemnit, nullus alienus audit. Illi au. non cog. prædestinata oues ad tempus se nesciunt, nec vocem pastoris audiunt: sed in fine perseuerant: econtra lupi ad tempus audiunt & intrant, sed retro abeunt. Omnes quo. Fur est qui per simoniam vel aliquo alio modo contra Christum intrat, & postquam intrauerit malo exemplo occidit: & sic aperte latro. Nec talis dicendus est mercenarius: id est lupus veniente non resistit, sed pro mercede cedit. Si lupus violenter distrahenti non resistit, mercedem hanc recipit, quod non distrahitur cum ouibus: sed postea male viuendo oues corrumpit, & iam in aliam partem relapsus fit fur vel latro, nomen mercenarij amittens. Si quis. Hic euidenter ostendit, non solum pastorem, sed & oues intrare per ostium. Et ingreditur. Intus bene cogitando, egredietur extra exemplo aliorum bene operando. Vel, ingreditur in ecclesiam, ut hic viuat per fidem. Vnde post dicit: ut vitam habeat: & egredietur de ista vita: ut in æternam viuat. Vnde post: & abundantius habeat vitam, & pascua inueniet, ingrediens & egrediens. Nisi ut furetur, &c. Furetur, alienam rem sibi vsurpando, mactet, a fide retrahendo, perdat in æternam damnationem.

## CATENA AVREA in idem Euangelium.

**A**men, amen dico vobis, qui non intrat per ostium in ouile ouium, &c. Chry. Quia dominus de cæcitate Iudæorum disputaauerat, ne dicant: Non est ex nostra cæcitate, quod ad te non accedimus, sed à te auertimur, ut erroneum fugientes, vult ostendere quod non est erroneus, sed pastor, ponens signa latronis & pastoris. Et primò ostendit quis est erroneus & fur, dicens: Amen, amē dico vob, qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde, ille est fur & latro. Hoc autem & eos qui ante eum fuerunt, occultè insinuat, & eos qui post eum futuri sunt Antichristum & pseudochristos: ostium autem scripturas vocauit, hæ enim Dei cognitionem aperiant, hæ oues custodiunt & lupos superuenite non permittunt, hæreticis introitum præcludentes. Qui ergo non scripturis vitur sed aliunde ascendit, hoc est, aliam sibi & non legitimam viam facit, hic fur est: dicit autem, Ascendit & non intrat, ad similitudinem furis maceriam transcendere volentis, & periculosè omnia agen-

tis, dicens autem, Aliunde: etiam scribas occultè insinuat, qui docebant mandata & doctrinas hominum, & legem præuaricabant. Si autem infra seipsum ostium dicit, non oportet turbari, etenim pastorem seipsum & ouem differenter prædicat: quia enim adducit nos patri, ostium se dicit: quia verò procurat, pastorem. Aug. Vel aliter: Multi sunt qui secundum quandam vitæ huius consuetudinem dicuntur boni homines, qui ea quæ in lege mandata sunt, quasi obseruant & Christiani non sunt: & plerumque se iactant sicut pharisei, nunquid & nos cæci sumus? quia verò omnia ista quæ faciunt, & nesciunt ad quem finem referant, inaniter faciunt dominus de grege suo & ostio quo intratur ad ouile similitudinem posuit, dicens: Amen, amen, &c. Dicant ergo Pagani, vel Iudæi, vel hæretici, bene viuimus, si per ostium non intrant, quid eis prodest? Ad hoc enim debet vnique prodesse bene viuere, ut detur illi semper viuere: quia nec bene viuere dicendi sunt, qui finem bene viuendi, vel cæcitate nesciunt, vel inflatione contemnunt. Non est autem cuiquam spes vera semper viuendi, nisi cognoscat vitam, quod est Christus: & per hanc ianuam intret in ouile. Quicumque ergo vult intrare ad ouile, per ostium intret: non solum Christum prædicet, sed Christi gloriam querat, non suam. Humilis autem ianua est Christus, qui intrat per hanc ianuam, oportet humilem esse, ut sano capite possit intrare. Qui autem se non humiliat, sed extollit, per maceriam vult ascendere ideo exaltatur ut cadat. Querunt ergo plerumque tales homines etiam persuadere hominibus ut bene viuant, & Christiani non sint: per aliam partem volunt ascendere, rapere, & occidere. Tales ergo fures sunt, quia quod alienum est, suum dicunt. Latrones, quia quod furantur, occidunt. Chryf. Vidisti qualiter descripsit latronem, in tuere & pastoris diffinitionem. Sequitur enim: Qui autem intrat per, &c. Aug. de ver. do. Intrat per ostium qui intrat per Christum, qui imitatur passionem Christi, qui cognoscit humilitatem Christi: ut cum Deus factus sit homo pro nobis, cognoscat se homo non esse Deum, sed hominem. Qui enim vult Deus videri cum sit homo, non imitatur illum qui cum Deus esset, homo factus est: Tibi autem non dicitur, Esto aliquid minus quam es, sed agnosce quid es. Sequitur: Huic ostiarius aperit. Chryf. Nihil prohibet ostiarius vocare Moysen, ille enim est cui eloquia Dei credita sunt. Vel spiritus sanctus est ostiarius, per quem scripturæ referat nobis indicat Christum. Aug. Vel aliter: Ostiarius ipsum dominum debemus accipere: multo sunt enim maius inter se diuersa in rebus humanis pastor & ostium, quam ostiarius & ostium: & tamen dominus & pastorem se dixit, & ostium. Cur ergo non intelligamus ipsum ostiarius? ipse enim se aperit, qui seipsum exponit. Si aliam personam queris ostiarij, vide ostiarius fortè spiritum sanctum: de quo dominus dicit, Ipse vos docebit omnem veritatem: ostium est Christus, qui est veritas: quis aperit ostium, nisi qui docet veritatem? Cauendum tamen est, ne maior æstimetur ostiarius esse quam ostium, quia in domibus hominum ostiarius ostio, non ostium præponitur ostiario. Chryf. Quia vero dicebant eum esse deceptorè, & hoc ex infidelitate sui ipsorum certificabant, dicentes: quis principum

pum credit in eum? ostendit nunc quod ex hoc non attendunt ei, ex ordine ouium excluduntur. vnde sequi. *Oves vocem eius audiunt.* Si enim pastoris est per legitimum intrare ostium per quod ipse intravit, ab ouium congregatione se abstrahunt qui ipsum non audiunt. Sequi. *Et proprias oves vocat nominatim.* Aug. Nouit enim nomina prædestinatorum, vnde discipulis ait: Gaudere quoniam nomina vestra scripta sunt in celo. Sequitur: *Et educit eas.* Chry. Oves educebat, quando eas mittebat, non extra lupos, sed in medio luporum. Videtur autem & de cæco occultè insinuare. Etenim illum eduxit vocans eum in medio Iudæorum. Aug. Sed & quis alius oves emittit, nisi qui earum peccata dimittit: vt eum sequi duxis liberatè vinculis possint. Sequitur enim: *Et cum proprias oves emisit, ante eas vadit.* Glos. Emittit siquidem eas de tenebris ignorantie ad lucem, dum ante eas vadit, quasi in columna nubis & ignis. Chry. Nimirum pastores contrarium faciunt oves sequentes, sed ipse ostendit se contrarium facere, quoniam oves deducit ad veritatem. Aug. Et quis est qui oves præcessit, nisi qui surgens à mortuis iam non moritur? & patri dixit: Quos dedisti mihi, volo vt vbi ego sum & ipsi sint mecum? Sequitur: *Et oves illum sequuntur, &c.* Chry. Alienos dicit eos qui circa Theudam & Iudam, aut eos qui post hæc alios debent decipere pseudoapostolos: vt enim non dicatur vnus illorum esse, per multa se ab eis separat. Primò quidem, per doctrinam scripturarum, per quas Christus ad se homines adducebat: Illi verò ab eis homines abstraherent. Secundò, per ouium obedientiam. Nam in eum quidem non solum viuentem, sed etiam mortuum homines crediderunt, illos autem confestim reliquerunt. Theo. Significat etiam antichristum qui paululum decipiens non obtinebit sequaces post eius mortem. Aug. Sed quomodo soluetur ista quæstio? Audiunt vocem Christi quandoque non oves: audiunt enim Iudas, sed lupus erat: & non audiunt oves, aliqui enim eorum qui Christum crucifixerunt non audierunt, sed oves erant. Sed dicit aliquis, quando non audiebant, oves non erant: vox audita eos mutauit, & ex lupis oves fecit. Me autem adhuc mouet quod per Ezechielem obiurgat dominus pastores, & dicit inter cætera de ouibus: Errantem non reuocastis, & errantem dicit, & ouem appellat. Non erraret, si vocem pastoris audiret: sed ideo errauit, quia vocem alieni audiuit: Dico ergo: Nouit dominus qui sunt eius: nouit præcitos: nouit prædestinatos. Ipsi sunt oves, aliquando se ipsi nesciunt, sed pastor nouit eas. Multæ enim oves foris sunt, & multi lupi intus. De prædestinatis ergo loquitur. Est autem aliqua vox pastoris in qua oves non audiunt alienos: in qua non oves non audiunt Christum. Quæ est ista vox? Qui perseverauerit vsq; in finem, hic saluus erit. Hanc vocem non negligit proprius, non audit alienus. Sequi. *Hoc prouer. dicit eis Ie. Illi au. non cogn. quid lo. eis.* Pascit enim dominus manifestis, exercet obscuris. Cum autè duo audiunt verba euangelij: vnus impius, alter pius: & talia fortè sunt, vt ambo non intelligant. Vnus dicit, Verum est quod dixit, & bonum est quod dixit, sed nos non intelligimus. Ille quia credit, iam pulsatur, dignus est cui aperiatur, si pulsare perstiterit. Alius dicit, Nihil dixit quia adhuc audiat, Nisi credideritis,

non intelligitis. Dixit ergo eis iterum Iesus: Amen amen dico vobis, quia ego sum ostium ouium, &c. i. y. Dominus attentiores volens Iudæos facere, manifestat quod supra dixerat. vnde dicitur. *Dixit eis iterum eis Iesus, Amen amen di. vobis, &c.* Aug. Ecce quod clausum posuerat aperuit: ipse est ostium intramus, & nos intrasse gaudeamus. Sequitur: *Omnes quotquot uenerint, fures sunt & latrones.* Chry. Non de prophetis hoc dicit, sicut hæretici dicunt: sed de seditionis. vnde & laudans oves subiungit. *Sed non audierunt eos oves.* Nusquã autè videtur laudare eos qui non obediunt prophetis: sed eis detrahit vehementer. Aug. Intellige ergo: Quotquot uenerint præter me: non autè præter illum prophetæ uenerunt, quia cū illo uenerunt qui cum verbo Dei uenerunt: qui veraces fuerunt, quia ipse uerbum & veritas uenturus præcones mittebat: sed eorum corda, quos miserat, possidebat: carnem quippe ipse accepit ex tempore qui est semper. In principio erat uerbum. Ante aduentum autem eius quo humilis uenit in carne præcesserunt iusti, sic eum credentes uenturum, quomodo nos credimus in eum qui uenit: tempora uariata sunt nõ fides. Eadem enim fides utrosque cõiungit, & eos qui uenturum esse, & eos qui uenisse, crediderunt. Quotquot ergo præter illum uenerunt, fures fuerunt & latrones, id est, ad furandum & occidendum uenerunt. *Sed non audierunt eos oves,* illi scilicet, de quibus dictum est: Nouit dominus qui sunt eius. Eos ergo non audierunt oves, in quibus non erat vox Christi: errantes, uana fingentes, miseris seducen-tes. quare autem se ostium dixerit, aperit subdens: *Ego sum ostium, per me si quis intro. saluabitur.* Alcu. quasi dicat, Illos non audiunt oves, sed me audiunt, quia ego sum ostium, & qui per me non fictus, sed uerus introierit perseverando, saluabitur. Theo. Educit autè ad pascua dominus oves per ostium, vnde sequitur: *Et ingreditur & egreditur, &c.* Quæ sunt autem hæc pascua nisi delectatio futura & requies in quam nos dominus introducit? Aug. Sed quid est quod dicit, *ingreditur & egreditur?* Ingredi quippe in ecclesiam per ostium ipsum, ualde bonum est, exire autem de ecclesia, non est bonum. Potest ergo dici ingredi nos, quando interiorius aliquid cogitamus: egredi autem, quando exteriorius aliquid operamur: secundum illud, Exiit homo ad opus suum. Vel ingredi dicitur, cui est cura homo interior: egredi uerò, qui hominem exterioriorem, id est, membra quæ sunt super terram in Christo mortificat, hic enim pascua in futuro reperiet seculo. Chr. Vel hoc dicitur propter apostolos, qui cum otio introierunt & exierunt, vt totius orbis terrarum facti domini, & nullus eos eiicere uoluit, & nutrimentum habuerunt. Aug. Sed plus me delectat quod ipse quodammodo nos admonuit, cum securus adiunxit: *Fur non uenit, nisi vt furetur.* Alcu. quasi dicat, Meritò oves, non audiuit uocem furis, quia non uenit fur nisi vt furetur, alienam rem sibi usurpando, non de præceptis Christi suos sectatores instruet, sed suis exemplis eos uiuere suadet. vnde subditur: *Et maledictus, mala doctrina retrahendo à fide. Et perdat, in æterna damnatione.* illi ergo furantur & occidunt. *Ego ueni, &c.* Au. Videtur mihi dixisse vt vitam habeant ingredientibus, hoc est per fidem quæ per dilectionem operatur, per quam fidem in ouile ingrediuntur vt uiuant, quia iustus ex fide uiuit. *Et abundantius habeant,* scilicet egredientes, scilicet quando

quando ueri fideles moriuntur: & abundantius habeant vitam, vbi nunquam deinde moriantur. Quamuis ergo & hic in ipso ouili non desint pascua, inuenient tamen pascua vbi saturantur, quæ inuenit cui dictum est, Hodie mecum eris in paradiso. Greg. su. Eze. in ho. 13. Ingreditur ergo ad fidem, egredietur ad spem, pascua uerò inueniet in æterna fatietate. Chry. Quod autem dicit, *Fur non uenit nisi vt furetur & mactet & perdat.* de seditionis dicit, quod ad literam est factum omnibus occisis & perditis, qui eos sequebantur, & sic etiam præsentis uita eos priuauerunt. Ego autem ueni pro salute ouium vt vitam habeant, & abundantius habeant in regno cælorum, & hæc est tertia differentia, qua se discernit à pseudo prophetis. The. Mystice autem fur diabolus est, qui uenit tentando vt furetur per cogitationes illicitas, & mactet per consensum, & deinde per opera destruat.

### S. IO. CHRYSOSTOMI Episcopi Constantinop. in superius Euang. Homilia.

<sup>Ex Hom. 58.</sup> <sup>in Iud.</sup> **V**nde ergo non deceptorem, sed pastorem probat, adducendo utriusque indicia, & sic eis rei ueritatem inquirendam relinquit. Et primum quis deceptor, & fur sit, demonstrat iniquiens: *Amen amen dico vobis, qui non ingreditur per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde, ille fur est, & latro.* Ecce latronis signa: primum palam non ingreditur, neque audet: inde non per scripturarum testimonium, quod per ostium significat, hic & qui fuerunt, & qui futuri sunt notat, & Antichristum, & falsos Christos, & Iudam, & Theudam, & alios huiusmodi. Meritò autem ostium scripturas appellat, quoniam nos ad Deum ducunt, & eius nobis cognitionem aperiant, ipsæ oves faciunt, ipse custodiunt, neque lupos irrumperere permittunt. Tanquam enim ostium firmissimum hæreticos arcent, & in tuto constituunt, neque nos, modò uelimus, aberrare unquam sinent. Et nisi hoc ostium infringamus, nunquam nos inimici nostri poterunt expugnare. Per hoc ostium & pastores, & alij omnes ingrediemur, in ouile autem, hoc est, ad oves & earum curam. Qui enim sacra non ueritur scriptura, sed ascendit aliunde: id est, non concessa uia, is fur est. Ecce cum patre conuenientiam, cum scripturas in medium proferat. Ideo Iudæis dicebat: Scrutamini scripturas. Et <sup>Supr. 5.</sup> Mosen, & prophetas omnes adducit in testimonium. Omnes inquit, qui audiunt ex prophetis, uenient ad me, Et, si credideritis mihi: hic idem per translationem ponit, Hac autè particula, *Ascendit aliunde,* & scribas significat, quia docebant præcepta, doctrinas hominum, & ipsi legem transgrediebantur, quod ipse exprobrauit dicens: Nemo uestrum facit legem. Et recte inquit, *ascendit,* & non ingreditur, nam furis est seipem, uel parietem ascendere, & cum periculo omnia moliri. Ecce quo pacto descripsit latronem. Considera pastoris signa: *Qui ingreditur per ostium hic est pastor ouium, &c.* Hæc pastoris, & furis differentia. Videamus quo pacto sequentia conueniant: *Amicus, inquit, ostiarius aperit.* Manet in translatione vt significantiùs loqueretur. Quod si ad uerba parabolam

vis accommodare, nihil prohibet hoc in loco per ostium Mosen significari, cui eloquia Dei credita sunt, cuius uocem oves audiunt. *Et proprias uocat nominatim.* Cum enim frequenter eum deceptorem uocarent, idque ex incredulitate sua confirmarent, dicentes: Quis principum credit in eum: non ex ipsorum pertinacia, sed illos deceptores putandos: quod sibi non crederent, & meritò ab ouium numero expellendos ostendit. Nam, si pastoris est, per solitum ingredi ostium, ipse per hoc ingressus est, & omnes securi poterunt oves esse: qui inde se auerterunt: non ipsos pastor, sed ipsi se ab ouium numero abdicarunt. Quod autem se ostium appellat, nemo perturbetur: siquidem & pastorem se, & ouem dicit: & uariè suam prædicat dispensationem. Quando nos patri offert, ostium: quum nostri curam gerit, pastorem se profertur. Ne uel ipsum patri tantum offerre non putes, etiam se pastorem dicit. Et oves uocem eius audiunt, & proprias oves uocat, & educit eas, & ipse ante eas vadit. At contrarium pastores faciunt, sequuntur, non præcedunt, sed, vt se omnium ad ueritatem inueniendam ducem ostendat, contrarium pastoribus morem seruauit: quemadmodum, cum oves per orbem dimisit, non extra, sed in medio luporum misit. Longe enim admirabilius ars nostra pastoralis est. Videtur autem & cæcus hoc in loco significari, quem è medio Iudæorum uocauit, & audiuit uocem eius, & cognouit. *Alienum oves non sequuntur, quoniam eius uocem nesciunt.* Sive de Theudæ, & Iudæ assertoribus hic loquitur. Omnes, inquit, qui in eos credunt, dispersi sunt: sive de futuris, qui à pseudo christis decipiendi erant. Et ne dicerent ipsum unum illorum esse, plurimum se ab illis diuersum ostendit, & primum à doctrina scripturarum, quibus eos adducit, illi aliunde: inde ab ouium obedientia, quæ omnes ipsi non uiuenti tantum, sed & mortuo paruenerunt, illos quam primam dimiserunt. Præterea, quod non paruim est, illi tanquam tyranni per seditionem omnia faciebant: à qua suspicione tantum hic aberat, vt, cum uellet ipsum regem facere, recusaret: & cum <sup>Supr. 6.</sup> rogarent, an liceret censum dari Cæsari, asserti præciperet, vt numisma cognosceret. Ad hæc ipse pro ouium salute uenit, vt vitam haberent, & abundantius haberent: illi autem præsentis uita priuarunt, qui etiam tradiderunt sibi commissos, & fugarunt. Hic adeo generose perstitit, vt animam traderet; illi inuiti, coacti, fugientes, quæ passi sunt, pertulerunt, hic sponte omnia subiuit. *Hoc prouerbiu dixit eis Iesus, Illi autem non cognouerunt, quid loqueretur eis.* Et qua gratia obscurius locutus est? Vt attentiores redderet: quod mox exponit, inquit: *Ego sum ostium: per me si quis introierit, &c.* Hoc est, securus erit, & liber. Pascua autem, & pabulum, ouium potestatem atque libertatè signat, hoc est, nemo inde eum expellit: quod & Apostolis usu uenit, qui audenter ingressi sunt, & egressi, tanquam uniuersi orbis domini, & a nemine eiici potuerunt. *Omnes quotquot ante me uenerunt, fures sunt, &c.* Non de prophetis hoc intelligendum, vt aiunt hæretici: illos enim audierunt, & per eos Christo crediderunt, sed de Theuda, & Iuda, & aliis seditionis. Illud præterea uerbum, *non audierunt,* in ouium laudem dictum est, quod contra esset, si prophetas non audissent, fuissent enim maximè reprehendendi. *Fur non uenit, nisi vt furetur,*

suetur, & mactari, & perdat. Ut tunc vltu venit, siquidem omnes mactati sunt, & deperditi. Ego autem veni, ut vitam habeant, & abundantius habeant. Et quid, quæso, vita abundantius? Regnum cælorum, sed adhuc vitæ nomine, tanquam eis noto contentus est.

S. AVGVST. EPISCOPI  
Hippon. in superius Euang.  
Homilia.

Tract. 45. in  
Joan.

DE illuminato illo, qui cæcus natus est sermo ad Iudæos domini exortus est. Huic itaque lectioni hodiernam esse contextam, scire debuit, & commoneri charitas vestra. Cum enim dominus dixisset; In iudicium enim ego veni in hunc mundum: ut qui non vident, videant: & qui vident, cæci fiant: quod eo tempore, quâdo lectum est, ut potuimus exposuimus, quidam ex Pharisæis dixerunt; Nunquid & nos cæci sumus? Quibus respondit dominus; Si cæci essetis, non haberetis peccatum: Nunc autem dicitis, quia videmus, peccatum vestrum manet. His verbis subiunxit ea, quæ hodie cū recitentur, audiuius, Amen amen dico vobis, qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde, ille fur est, & latro. Dixerunt enim se cæcos non esse, videre autem tunc possent, si oves Christi essent. Vnde sibi vsurpabant lumen, qui furebant contra diem. Propter illorum ergo vanam, & superbam, & insanabilem arrogantiam dominus Iesus ista contexit, in quibus salubriter nos, si aduertamus, admonuit. Multi enim sunt, qui secundum quandam vitæ huius consuetudinem dicuntur boni homines, boni viri, bonæ semina, innocentes, & quasi obseruantes ea, quæ in lege præcepta sunt deferentes honorem parentibus suis, non mæchantes, non homicidium perpetrantes, non furtum facientes, non falsum testimonium aduersus quenquam perhibentes, & cætera, quæ in lege mandata sunt, velut obseruantes: Christiani non sunt, & plerumque se iactant, quomodo isti: nūquid & nos cæci sumus? Quia vero ista omnia, quæ faciunt, & nesciunt ad quem finem referant, inaniter faciunt. Dominus de grege suo, & de ostio, qua intratur ad ouile, similitudinem proposuit in hodierna lectione: dicant ergo Pagani, Bene viuimus. Si per ostium non intrant, quid prodest eis? vnde gloriantur? Ad hoc enim debet vnicuique prodesse viuere, ut detur illi semper viuere: nam cui non datur semper viuere, quid prodest bene viuere? Quia nec bene viuere dicendi sunt, qui finem bene viuendi vel cæcitate nesciunt, vel inflatione contemnunt. Non est autem cuiquam spes vera, & certa semper viuendi, nisi agnoscat vitam, quod est Christus, & per ianuam intret in ouile. Quærunto ergo plerumque tales homines etiam persuadere hominibus ut bene viuant, & Christiani non sint. Per aliam partem volunt ascendere, rapere, & occidere, non ut bonus pastor conseruare atque saluare. Fuerunt ergo quidam Philosophi, de virtutibus, & vitiis subtilia multa tractantes, diuidentes, definiens, ratiocinationes acutissimas concludentes, libros implentes, suâ sapientiam buccis crepantibus ventilantes qui etiam dicere audent hominibus, nos sequimini, sectam nostram tenete, si vultis beatè viuere. Sed non

intrabant per ostium, perdere volebant, mactare & occidere: Quid de istis dicam? Ecce ipsi Pharisæi legebant, & in eo quod legebant, Christum sonabant, verum sperabant, & presentem non agnoscebant, iactabant se etiam ipsi inter videntes, hoc est, inter sapientes, & negabât Christum, & non intrabant per ostium. Ergo & ipsi si quos forte seducerent, mactandos, & occidendos, non liberandos seducerent. Et hos dimittamus, videamus illos si forte ipsi intrant per ostium, qui ipsius Christi nomine gloriantur. Innumerabiles enim sunt, qui se videntes non solum iactant, sed à Christo illuminatos videri volunt: sunt autem hæretici. Forte ipsi per ianuam intrauerunt? Absit. Sabellius dicit, Qui filius est, ipse est pater: sed filius non est pater. Non intrat per ostium qui filium dicit patrem. Arius dicit, Aliud est pater, aliud est filius. Recte diceret, si diceret, alius, non aliud: Quando enim dicit aliud, ei contradicit à quo audit, Ego & pater vnus sumus. Nec ipse ergo per ostium intrat: prædicat enim Christum, qualem sibi fingit, non qualem veritas dicit: nomen habes, rem non habes. Alicuius rei nomen est Christus, tene ipsam rem, si vis prodesse tibi: nomen aliud, nescio vnde sit, sicut Photinus, Christus homo est, inquit, Deus non est: nec ipse intrat per ostium, quia Christus homo & Deus est. Et quid opus est multa percurrere, & multa vana hæresum enumerare? Hoc tenete, ouile Christi esse catholicam Ecclesiam. Quicunque vult intrare ad ouile, per ostium intret, Christum verum prædicet, non solum Christum verum prædicet, sed Christi gloriam quærat, non suam: nam multi quærendo gloriam suam, oves Christi sparserunt potius, quàm congregauerunt: humilis est enim ianua Christus dominus: qui intrat per hanc ianuam, oportet humilem esse, ut sano corpore possit intrare: qui autem se non humiliat, sed extollit, per maceriam vult ascendere: qui autem per maceriam ascendit, ideo exaltatur ut cadat. Tecte tamen adhuc loquitur dominus Iesus, non dum intelligitur: nominat ostium, nominat ouile, nominat oves: commendat hæc omnia, sed nõdum exponit. Legamus ergo, quia venturus est ad ea verba, in quibus nobis aliqua, quæ dixit dignetur exponere, ex quorum expositione dabit nobis fortasse etiam illa, quæ non exposuit intelligere: pascit enim manifestis, exercet obscuris. Qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde, vix misero, quia casurus est. Sit ergo humilis, per ostium intret, plano pede veniat, & nõ offendet. Ille, inquit, fur est & latro, qui oves suas vult dicere oves alienas, ad hoc suas, id est, furto ablatas, ut non saluet, sed occidat. Ergo fur est, quia quod alienum est, suum dicit: latro, quia & quod est furatus occidit. Qui autem intrat per ostium pastor est ouium: huic ostiarius aperit. De ostiario isto tunc quæramus, quando ab ipso domino audierimus quod sit ostium, & qui sit pastor. Et oves vocem eius audiunt, & proprias oves vocat nominatim. Habet enim nomina eorum scripta in libro vitæ. Proprias oves vocat nominatim: hinc dicit Apostolus, Nouis dominus, qui sunt eius. Et adducit eas, & cum proprias oves miserit, ante eas vadit, & oves illum sequuntur, quia sciunt vocem eius. Alieni autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo, quia non nouerunt vocem alienorum. Tecta sunt verba hæc, plena quæstionibus, grauida sacramentis. Sequamur ergo, & audiamus

audiamus magistrum ex his obscuris aliquid aperientem, & per id quod aperit, nos forte intrare facientem. Hoc proverbium dixit illis Iesus, illi autem non cognouerunt, quid loqueretur eis. Forte nec nos. Quid ergo interest inter illos, & nos, antequam ista verba agnoscamus & nos? Quia nos pulsamus ut aperiat nobis, illi autem Christum negando nolabant intrare seruandi, sed foris remanere perdendi. Quod ergo nos audimus hæc pie, quod antequam illa intelligamus, credimus vera esse, atque diuina, magna ab istis diuersitate distamus. Cum enim duo audiuimus verba Euangelij, vnus impius, alter pius, & talia sunt, ut forte ambo non intelligant, vnus dicit, nihil dixit: alius dicit, verum dixit, & bonum est, quod dixit, sed nos non intelligimus: iste quia credit, iam pulsat, & dignus est, cui aperiat, si pulsare persistat, ille vero adhuc audiatur, Nisi credideritis, non intelligetis. Quare ista commendo: quia etiam cum verba hæc obscura, sicut possum, exposuero, aut quia valde sunt abdita, vel ego eorum non apprehendero intelligentiam, vel explicandi quod intelligo non habuero facultatem, vel tam fuerit quisque tardus, ut etiam exponentem non sequatur, non de se desperet: maneat in fide, ambulet in via, audiat Apostolum dicentem; Et si quid aliter sapitis, hoc quoque vobis Deus reuelabit veritatem in quod peruenimus, in eo ambulemus: incipiamus ergo audire exponentem, quem audiuius proponentem. Dixit ergo iterum eis Iesus, Amen amen dico vobis, quia ego sum ostium ouium. Ecce ipsum ostium quod clausum posuerat aperuit. Ipse est ostium, agnouimus, intremus: ut nos intrasse gaudeamus. Omnes quotquot venerunt, fures sunt, & latrones. Quid est hoc, domine. Omnes quotquot venerunt? Quid enim? Tu non venisti sed intellige: Omnes quotquot venerunt, dixit utique præter me. Recolamus ergo. Ante aduentum ipsius venerunt Prophetæ, nunquid fures, & latrones fuerunt? Absit, non præter illum venerunt, quia cum illo venerunt. Venturus præcones mittebat, sed eorum corda quos miserat, possidebat. Vultis nosse quia cum illo venerunt? Qui est ipse semper, carnem quippe accepit ex tempore. Quid est ergo semper? In principio erat verbum. Cum illo ergo venerunt, qui cum verbo Dei venerunt. Ego sum, inquit, via, & veritas, & vita. Si ipse est veritas, cum illo venerunt qui veraces fuerunt: quotquot ergo præter illum, fures sunt & latrones, id est, ad furandum & occidendum. Sed non audierunt eos oves. Maior hæc quæstio est, non audierunt eos oves. Ante aduentum domini nostri Iesu Christi, quo humilis venit in carne, præcesserunt iusti: sic in eum credentes venturum, quomodo nos credimus in eum, qui venit. Tempora variata sunt, nõ fides, quia & ipsa verba pro tempore variantur, cum varie declinantur, Alium sonum habet, venturus est: alium sonum habet venit: mutatus est sonus, venturus est, & venit: eadè tamè fides vtrosque coniungit, & eos qui venturi esse, & eos, qui eum venisse crediderunt: diuersis quidem temporibus sed vtrosque per vnū fidei ostium, hoc est, per Christum, videmus ingressos. Nos credimus dominum nostrum natum ex virgine, venisse in carne, passum esse, resurrexisse, in cælum ascendisse, totum hoc sicut verba auditis præteriti temporis impletum esse iã credimus: in eius sunt fidei societate nobiscum & illi patres, qui crediderunt de vir-

gine nasciturum, passurum, resurrecturum, in cælum ascensurum, illos enim ostendit Apostolus vbi ait; Habentes autem eundem spiritum fidei, sicut scriptum est, Credidi propter quod locutus sum: & nos credimus, propter quod & loquimur. Propheta dixit, Credidi, propter quod locutus sum, Apostolus dicit, Et nos credimus, propter quod & loquimur: ut scias autem quod vna sit fides, audi dicentem, Habetes eundem spiritum fidei & nos credimus: sic & alio loco. Nolo enim vos, inquit, ignorare, fratres, quia patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes in Moyse baptizati sunt in nube & in mari: & omnes eandem escam spiritalem manducauerunt, & omnes eidem potum spiritalem biberunt. Mare rubrum significat baptismum, Moyse ductor per mare rubrum significat Christum, populus transiens significat fideles, mors Ægyptiorum significat abolitionem peccatorum. In signis diuersis eadem fides, sic in signis diuersis quomodo in verbis diuersis, quia verba sonos mutant per tempora, & utique nihil aliud sunt verba quam signa? significando enim verba sunt, tolle significationem verbo, strepitus inanis est. Significata sunt ergo omnia: nunquid non eadem credebant, per quos hæc signa ministrabantur, per quos eadem quæ credimus, prophetata prænunciabantur: utique credebant: sed illi ventura esse, nos autem venisse: ideo & sic ait; Eundem potum spiritalem biberunt: si spiritalem eundem, nam corporalem non eundem. Quid enim illi bibebant? Bibebant enim de spiritali sequente petra: petra autem erat Christus: videre ergo fide manente, signa variata. Ibi petra Christus nobis Christus quod in latari Dei ponitur, & illi pro magno sacramento eiusdem Christi biberunt aquam fluentem de petra, nos quid bibamus, norunt fideles. Si speciem visibilem intendas, aliud est: si intelligibilem significationem, eundem potum spiritalem biberunt. Quotquot ergo illo tempore crediderunt vel Abrahæ, vel Isaac, vel Iacob, vel Moyse, vel aliis Patriarchis, aliisque prophetis Christum prænunciatis, oves erant, & Christum audierunt, non alienam vocem sed ipsius audierunt. Iudex fuerat in præcone, quia & quâdo iudex loquitur per præconem, exceptor nõ facit, præco non dixit, sed iudex dixit. Alij sunt ergo, quos non audierunt oves, in quibus non erat vox Christi, errantes, falsa dicentes, inania garrientes, vana fingentes, miseros seducentes. Quid est ergo quod dixit? Maior hæc quæstio est, quid habet obscurum & ad intelligendum difficile? audite obsecro: ecce dominus ipse Iesus Christus venit, prædicauit, utique multo magis vox pastoris erat, expressa ipso ore pastoris: si enim per Prophetas vox pastoris erat, quanto magis vocem pastoris proferebat lingua ipsa pastoris: non omnes audierunt. Sed quid putamus? Qui audierunt oves erant? Ecce audiuit Iudas, & lupus erat: sequebatur, sed pelle ouina tectus, pastori insidiabatur. Aliqui vero eorum, qui Christum crucifixerunt, non audiebant; & oves erant: ipsos enim videbat in turba, quando dicebat, Cum exaltaueritis filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum. Quomodo ista soluitur quæstio? Audiuimus non oves, & non audiunt oves: sequuntur vocem pastoris quidam lupi, & ei quædam contradicunt oves, postremo pastorem occidunt quæ. Soluitur quæstio: respon-

Tolletis interpretatione: dicit enim eundem in ter se, non nobiscum.

Intelligi de fructu sacramenti.

Joan. 8.



det enim aliquis & dicit; Sed quando non audiebant, oves nondum erant; tunc lupi erant: vox audita eos mutavit, & ex lupis oves fecit. Quando autem factæ sunt oves, audiverunt, & pastorem inveniunt, pastoremque secutæ sunt: pastoris promissa speraverunt, quia iusta fecerunt. Soluta est utique ista quæstio, & cuiquam forte sufficiat. Me autem adhuc mouet, & quid me moueat, communico vobiscum, ut quodammodo quærens vobiscum, reuelante illo, vobiscum merear inuenire: quid ergo me moueat accipite, per Ezechielem Prophetam dominus obiurgat pastores, & dicit inter cætera de ouibus; Errantem ouem non reuocastis. Et errantem dicit, & ouem appellat: si quando errabat, ouis erat cuius vocem ut erraret audiebat: Proculdubio enim non erraret, si vocem pastoris audiret: sed ideo errauit, quia vocem audiret alieni, vocem furis, & latronis audiret. Certe latronum voces non audiunt oves: Qui venerunt, inquit, & intelligimus præter me, id est, qui venerunt præter me, fures sunt & latrones, & non audierunt eos oves. Domine si non audierunt eos oves, quomodo errant oves, si oves non audiunt nisi te? Tu autem veritas es: quisquis veritatem audit, non vti que errat: illi autem errant, & oves appellantur: nam si in errore ipso oves non appellarentur, non diceretur per Ezechielem Prophetam; Errantem ouem non reuocastis. Quomodo & errat, & ouis est? vocem alieni audit, certe non audierunt eos oves. Deinde modo multi colliguntur ad ouile Christi, & ex hereticis fiunt catholici: a furibus tolluntur, pastori redduntur. Et aliquando murmurant, tædium patiuntur ad reuocantem, & non intelligunt iugulantem, veruntamen etiam cum renitentes venerunt, quæ oves sunt, agnoscunt vocem pastoris, & se venisse lætantur, & errasse erubescunt. Quando ergo in illo errore tanquam in veritate gloriabantur, & vti que non audiebant vocem pastoris, & alienum ideo sequebantur, oves erant an non erant? Si oves erant quomodo alienas voces audiunt? Si oves non erant, quare obiurgantur illi, quibus dicitur, Errantem ouem non reuocastis? In ipsis etiam iam factis catholicis Christianis bonæ spei fidelibus, aliquando mala contingunt, seducuntur in errorem, & post errorem, reuocantur. Quando seducti sunt in errorem, & rebaptizati sunt, aut post ouilis dominici societatem, rursus in errorem pristinum reuoluti sunt, oves erant an non erant? Vti que catholici erant: si catholici, fideles erant, oves erant. Si oves erant, quomodo vocem alieni audire potuerunt, cum dominus dicat, non audierunt eos oves? Audistis, fratres, altitudinem quæstionis. Dico ergo, Nouit dominus, qui sunt eius: nouit præscitos, nouit prædestinatos: de illo quippe dicitur; Quos autem præsciuit, & prædestinavit conformes fieri imaginis filij sui, ut sit primogenitus in multis fratribus: quos autem prædestinavit, ipsos & vocauit: & quos vocauit, ipsos iustificauit: quos autem iustificauit, ipsos & glorificauit. Si Deus pro nobis, quis contra nos? Adde adhuc, Qui proptio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum, quomodo etiam non cum illo omnia nobis donauit? sed quibus? Nobis præscitis, & prædestinatis, iustificatis, glorificatis, de quibus sequitur, Quis accusabit aduersus electos Dei? Nouit dominus qui sunt eius, ipsæ sunt oves. Aliquando se ipsæ nesciunt, sed pastor nouit eas, secundum istam prædestina-

Exech. 3.

1. Tim. 2. Rom. 8.

Rom. 8.

1. Tim. 2.

tionem, secundum istam Dei præscienciam, secundum electionem ouium, ante constitutionem mundi. Nam de hoc dicit Apostolus; Sicut elegit nos in ipso ante constitutionem mundi. Secundum istam ergo præscienciam Dei, & prædestinationem, quam multæ oves foris, quam multi lupi intus, & quam multæ oves intus, & quam multi lupi foris. Quid est quod dixi, quam multæ oves foris? quam multi blasphemant Christum, credituri in Christum: quam multi se inebriant, futuri sobrii; quam multi rapiunt res alienas, donaturi suas, veruntamen modo vocem alienam audiunt, alienos sequuntur. Item quam multi intus laudant, blasphemanturi: casti sunt, fornicaturi: sobrii sunt, se vino postea sepulturi: stant cæcari: & non sunt oves: de prædestinatis enim loquimur. De his loquimur, quos nouit dominus, qui sunt eius, & tamen ipsi, quandiu recte sapiunt, Christi vocem audiunt. Ecce audiunt ipsi, non audiunt illi, & tamen secundum prædestinationem non oves isti, oves illi. Adhuc manet quæstio, quæ mihi interim nunc videtur ita posse dissolui. Est aliqua vox, est, inquam, vox aliqua pastoris, in qua oves non audiunt alienos, in qua non oves audiunt Christum: quæ est ista vox? Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Hanc vocem non negligit proprius, non audit alienus: nam & ille hoc ei prædicat, ut perseueret apud ipsum vsque in finem, sed non apud eum perseuerando non audit hanc vocem. Venit ad Christum, audit alia, & alia verba, illa, & illa omnia vera, sana omnia, inter quæ omnia est & illa vox; Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit, istam qui audierit ouis est: sed audiebat illam nescio quis & desipuit, refrigit, audiuit alienam: si prædestinatus est, ad tempus errauit, in æternum non periiit, redit ut audiat, quod neglexerit, faciat quod audiuit: si enim de his est, qui prædestinati sunt, & errorem ipsius Deus præsciuit; & conuersionem futuram, si aberrauit, redit ut audiat illam vocem pastoris, & sequatur dicentem: Qui perseuerauerit vsque in finem hic saluus erit. Bona vox, fratres, vera pastoralis ipsa & vox salutis in tabernaculis iustorum: nam facile est audire Christum, facile est laudare Euangelium, facile acclamare disputatori: perseuerare vsque in finem, hoc est ouium, vocem pastoris audientium. Tentatio accidit, perseuera vsque in finem, quia tentatio non perseuerat vsque in finem: vsque in quem finem perseuerabis? Quousque finies viam. Quandiu enim non audis Christum, aduersarius tuus est in ista via, hoc est, in ista mortali vita: sed quid dicit? Concorda cum aduersario tuo cito, cum es cum eo in via. Audisti, credidisti, concordasti: si aduersabaris, concordas, si tibi præstitum est, concordare: si aduersabaris, concordas, noli vltius litigare: quando enim finitur via nescis, sed tamen ille scit, scit ille si ouis es: & si perseueraueris vsque in finem, saluus eris: ac per hoc istam vocem non contemnunt sui, non audiunt alieni. Ut potui, ut ipse donauit, profundam multum quæstionem aut exposui vobis, aut tractaui vobiscum: si qui minus intellexerunt, maneat pietas, & reuelabitur veritas: qui autem intellexerunt, non se extollant, quasi celeriores super tardiores, ne extollendo se exorbitent, & facilius perueniant tardiores.

Omnnes

7. 11. 8. Omnes autem perducatur cui dicimus; Deduc me domine in via tua, & ambulabo in veritate tua. Per hoc ergo quod exposuit dominus, quia ipse est ostium, intemus ad ea quæ proposuit, nec exposuit. Et pastor quidem quisnam sit, quamuis non dixerit in ista lectione quæ hodie recitata est, tamen in ea, quæ sequitur, aperitissime dicit; Ego sum pastor bonus: quod & si non diceret, quem alium præter ipsum intelligere deberemus in eis verbis ubi ait; Qui intrat per ostium pastor est ouium, huic ostiarius aperit, & oves vocem eius audiunt, & proprias oves vocat nominatim, & educit eas: & cum proprias oves emisserit, ante eas vadit, & oves cum sequuntur quia sciunt vocem eius? Quis enim alius oves proprias vocat nominatim, & educit eas hinc ad vitam æternam, nisi qui nouit nomina prædestinatorum? Vnde ait discipulis suis: Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in celo: hinc enim vocat eas nominatim. Et quis alius eas emittit, nisi qui carum peccata dimittit, ut eum sequi duris liberatæ vinculis possint? Et quis eas præcessit, quod eum sequantur, nisi qui surgens à mortuis, iam non moritur, & mors ei vltra non dominabitur. Et cum hic conspicuus esset in carne, ait; Pater quos dedisti mihi volo ut ubi ego sum, & ipsi sint mecum: vnde illud est quod ait: Ego sum ostium per me si quis introierit saluabitur & ingredietur & egredietur, & pascua inueniet. In hoc euidenter ostendit, non solum pastorem, sed etiam oves intrare per ostium: sed quid est, ingredietur & egredietur, & pascua inueniet? Ingre di quippe in Ecclesiam per ostium Christum valde bonam est exire autem de Ecclesia, sicut ait iste ipse Ioannes Euangelista in epistola sua: Ex nobis exierit, sed non erant ex nobis: non est vti que bonum. Talis ergo egressus non posset à bono pastore laudari ut diceret, & ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet. Est ergo aliquis non solum ingressus, verum etiam egressus bonus per ostium bonum, quod est Christus: sed qui sit iste laudabilis, & beatus egressus? Possem quidem dicere ingredi nos, quando interiorius aliquid cogitamus, egredi autem, quado exteriorius aliquid operamur. Et quoniam, sicut dicit Apostolus, per fidem habitat Christus in cordibus nostris, ingredi per Christum esse secundum ipsam fidem cogitare: egredi autem per Christum, secundum ipsam fidem etiam foris, id est, coram hominibus operari: vnde & in Psalmo legitur: Exierit homo ad opus suum: & ipse dominus dicit: Luceant opera vestra coram hominibus: sed plus me delectat quod ipsa veritas tanquam pastor bonus, & ideo bonus doctor quodammodo nos admonuit, quemadmodum intelligere debeamus, quod ait; Ingre ditur & egredietur, & pascua inueniet: consecutus adiuuauit, Fur non venit nisi ut furetur, & mactet, & perdat: ego veni ut vitam habeant, & abundantius habeant. Videtur enim mihi dixisse, ut vitam habeant ingredientes, & abundantius habeant egredientes. Non autem potest quisque per ostium, id est, per Christum egredi ad vitam æternam, quæ erit & specie, nisi per ipsum ostium, hoc est, per eundem Christum in Ecclesiam eius quæ est ouile eius, intraverit ad vitam temporalem, quæ est in fide: id est, ait; Ego veni ut vitam habeant: hoc est, fidem, quæ per dilectionem operatur, per quam fidem in ouile ingreduntur ut viuant, quia iustus ex fide viuunt. Et abundantius habeant, qui perseuerando vsque in

Luc. 10.

Rom. 6.

1. Tim. 2.

1. Tim. 2.

1. Tim. 2.

Matth. 5.

Galat. 4.

Abac. 1.

Rom. 1.

finem, per illud ostium, id est, per fidem Christi egrediuntur, quoniam veri fideles moriuntur, & abundantius habebunt vitam, veniendo quod pastor ille præcessit, ubi nunquam deinde moriantur. Quamuis ergo & hic in ipso ouili non desinat pascua, quoniam ad vtrumque possumus intelligere quod dictum est, & pascua inueniet, id est, & ad ingressum, & ad egressum: tamen tunc vera pascua inueniet ubi saturantur, qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, qualia pascua inueniet cui dictum est; Hodie mecum eris in paradiso. Quomodo autem ipse sit ostium, ipse pastor, ut per se ipsum quodammodo etiam ipse ingredi, & egredi intelligatur, & quisnam sit ostiarius, longum est hodie quærere, & differendo sicut ipse donauerit explicare.

Matth. 5. Luc. 23.

BEDAE VENERABILIS  
presbyteri in idem Euang.  
expositio.

Amen amen dico vobis, Qui non intrat per ostium, &c. Propter Phariseorum (qui se videre iactabāt, cum cæci essent) venenatam, & superbam, & insanabilem arrogantiam dominus Iesus ista contexit, quæ in hac parabola leguntur, quam ipse illis intelligentibus exponere dignatus est: in qua nos salubriter, si aduertamus, admonuit non gloriari in sapientia humana, non in morum dignitate, si humilitas fidei catholicæ in Christum desit. Multi enim sunt pagani, qui secundum quandam vitæ huius consuetudinem dicuntur boni homines, innocentes, & quasi obseruantes ea, quæ in lege præcepta sunt, deferentes honorem parentibus suis, non mœchantes, non homicidium perpetrantes, non furtum facientes, non falsum aduersus quenquam testimonium perhibentes, & cætera, quæ in lege mandata sunt, velut obseruant, & Christiani non sunt, & plerumque se iactant, quomodo isti Pharisei, dicentes; Numquid & nos cæci sumus? Sed hæc omnia inaniter faciunt, quia non intrant per ostium, sed aliunde tumido saltu quasi per seipsos ascendere quærunt; Quapropter dominus similitudinem proposuit de grege suo, & de ostio, quæ intratur ad ouile. Quid enim prodest vana iactantium de bene viuendo inflatio, dum ad finem perpetualiter bene viuendi, vita eorum non perueniat? Ad hoc enim debet vnicuique prodesse bene viuere, ut deatur illi semper bene viuere. Nam, si cui non deatur semper bene viuere, quid prodest ei bene viuere? Ad tempus igitur, nec bene viuere dicendi sunt, qui finem bene viuendi vel cæcitate nesciunt, vel inflatione contemnunt. Non est autem cuiquam spes vera & certa semper bene viuendi, nisi agnoscat vitam, quæ est Christus, & per ianuam intret in ouile. Sunt enim quidam homines, qui in suis gloriantur moribus, & alios post se trahere quærunt, non de Christi præceptis instruentes suos sectatores, sed suis exemplis viuere eis suadentes: de quibus alio loco ipsa veritas ait; Docetes doctrinas hominum, & mandata Dei contemnentes. Hi per aliam partem ascendere quærunt, tæpere, & occidere, non, ut pastor, saluare atque conseruare. De talibus hic dictum est; Sed ascendit aliunde, ille fur est, & latro. Non solum vero tales inueniuntur doctores inter eos, qui sine nomine Christi sunt, sicut multi philosophorum, qui sunt Bibl. Hom. tom. 3. Z 2 sapien

Matth. 23.



sapientiam buccis crepantibus ventilabant, & vitam beatam suis sectatoribus promittebant, verumetiam plurimi, qui Christiano nomine censebantur, & illuminatos à Christo se esse iactabant, fingentes sibi noua quæque nomina de Christo, eaque fidei catholice contraria, sicut innumerabiles hæretici faciebant, existimantes se falso nomine per ianuam quæ Christus est, intrare. Sabellius dicit; Qui filius est, ipse est pater, sed filius non est pater. Non intrat per ostium, qui filium dicit patrem. Arius dicit; Aliud est pater, aliud filius. Recte diceret, si diceret alius, non aliud: quando enim dicit aliud, ei contradicit, à quo audit; Ego & pater vnum sumus. Nec ipse ergo intrat per ostium. Prædicat enim Christum, qualem sibi pingit, non qualem veritas habet. Photinus dicit; Christus homo est tantum, non Deus. Nec ipse intrat per ostium, quia Christus & homo, & Deus est. Huic enim noua hæresis, quæ nostris temporibus orta est, consentire videtur, affirmando & prædicando, Christus, sicut quilibet sanctorum, nuncupatiuus est Deus, & non verus. Quid opus est multa percurrere, & multa vana hæresum dinumerare? Hoc tenete, ouile Christi, Ecclesiam catholicam esse credite. Quicumque vult intrare ad ouile, per ostium intrat, id est, per Christum, & Christum verum Deum, & verum filium Dei prædicet. Nec solum Christum prædicet, sed Christi quoque gloriam quærat, non suam. Nam multi querendo gloriam suam, oues Christi sparserunt potius quam congregauerunt. Humilis est enim ianua Christus dominus Deus noster, qui ait; Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Qui intrat per hanc ianuam, oportet humiliter se, ut sano capite possit intrare. Hi sunt, qui vocem veri pastoris audiunt. Hi sunt, quos proprias oues nominatim verus pastor vocat; de his dictum est; Gaudete & exultate, quoniam nomina vestra scripta sunt in cælis. Hinc enim eas vocat nominatim. Et quis alius eas emittit, nisi qui eorum peccata dimittit, ut eum sequi, duris liberata vinculis possint? Et quis eas præcedit, quo eum sequantur, nisi qui resurgens à mortuis, iam non moritur, & mors illi ultra non dominabitur? Has vero educit à fide ad speciem: & ante istas vadit, quia prior omnium ascendit in cælum; & quæ sunt oues suæ, illum sequuntur, quia sciunt vocem doctrinæ suæ. Alienos vero ductores non sequuntur, sed fugiunt ab eis, quia non nouerunt vocem, id est doctrinam alienorum. Sed loquente domino Iesu, non intellexerunt, qui audierunt. In crassatum enim habuerunt cor, & grauer audierunt. Nominat ostium, nominat ouile, nominat oues, commédât hæc omnia, sed nondum exponit. Legamus ergo, quia venturus est ad ea verba, in quibus nobis aliqua, quæ dixit, dignetur exponere; ex quorum expositione dabit nobis fortasse etiam illa, quæ non exposuit, intelligere. Pascit enim manifestis, exercet obscuris. Audiamus exponentem, qui audiuimus proponentem. *Dixit ergo eis Iesus, Amen amen dico vobis quia ego sum ostium ouium. Ecce ipsum ostium, quod clausum posuerat, aperuit. Ipse est ostium. Agnouimus, intremus, ut nos intrare gaudeamus. Omnes quotquot venerunt fures sunt & latrones. Quid est hoc, domine? Omnes quotquot venerunt. Quid enim tu venisti. Sed intellige, omnes quotquot venerunt, dixit, vrique præter me. Recolamus ergo. Ante aduentum ipsius venerunt propheta: nunquid fures fuerunt, & latrones? Absit. Non præter illum venerunt, sed cum illo venerunt. Cum illo inquam venerunt, quia venturus præcones mittebat: & eorum corda quos miserat, possidebat. Cum illo ergo venerunt, quia cum verbo Dei venerunt. Ego sum, inquit, via, veritas, & vita. Ipse est veritas. Cum illo venerunt, quia veraces fuerunt, & veritatem prædicauerunt. Quotquot autem præter illum venerunt, fures sunt, & latrones. Per se venerunt, quia per eum missi non fuerunt, dicente Apostolo; Quomodo prædicabunt, nisi mittantur? Et quia per se venerunt, non sunt ab eo missi, fures sunt, & latrones. Nam ante aduentum Christi falsi fuerunt in populo Dei propheta, falsi doctores, sicut post aduentum illius sub nomine Christiano quæ plurimi falsi fuerunt doctores, nec doctores, sed seductores: non prædicatores, sed prædicatorum: latrocinia exercetes, non sanæ doctrinæ inherentes, sed falsæ: de quibus dictum est. *Fures sunt, & latrones, id est, ad furandum & occidendum venerunt. Sed non audierunt eos illa, quæ veræ sunt oues, non sub pelle ouina lupinum cor abscondentes. Igitur qui ante aduentum Christi prædicauerunt, eodem spiritu prædicauerunt, quo Apostoli & sancti doctores, qui post aduentum Christi veritatis viam nullo ostenderunt. Quotquot autem illo tempore crediderunt, vel Abraham, vel Isaac, vel Iacob, vel Moysi, vel alii patriarchis, aliique propheta, huiusmodi prædicauerunt, oues erant, & Christum crediderunt, non aliam vocem, sed ipsius Christi audierunt. Nam iudex clamabat in præcone, dum præco iudicem annuntiabat venturum. Alij sunt ergo, quos non audierunt oues, in quibus non erat vox Christi, errantes, falsi doctores, inania garrientes, vana fingentes, miseros seductores, sicut pseudopropheta, sicut Scribae & Pharisei temporibus ipsius domini. Hi sunt, qui venerunt per se, & non sunt à iudice missi. His vero cum doctrinis suis procul expulsi; videmus quo nos pastor bonus vocat. Dicit enim; *Ego sum ostium: per me si quis introierit, &c.* Et per hoc euidenter ostendit, non solum pastorem, sed etiam oues intrare per ostium. Sed quid est, *ingredietur & egredietur, & pascua inueniet*; ingredi quippe in ecclesiam per ostium Christum, valde bonum est. Exire autem de ecclesia, sicut ait ipse Iohannes Evangelista in epistola sua; Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis: non est vti que bonum. Talis ergo egressus non potest à bono pastore laudari, ut diceret; *Et ingredietur & egredietur, & pascua inueniet*. Est ergo aliquis non solum ingressus, verumetiam egressus bonus per ostium bonum, quod est Christus. Sed quis est ille laudabilis, & beatus egressus? Possim quidem dicere ingredi nos, quando interius aliquid cogitamus: egredi autem, quando exterius aliquid operamur: & quoniam, sicut dicit Apostolus, per fidem habitat. Christus in cordibus nostris egredi per Christum, esse secundum ipsam fidem etiam foris, id est, coram hominibus operari. vnde & in Psalmo dicitur, *Exiet homo ad opus suum: & ipse dominus dicit, Luceant opera vestra coram hominibus. Sed plus me delectat quod ipsa veritas, & quam pastor bonus, & ideo doctor bonus, quodammodo nos admonuit secundum quem modum intelligere debeamus quod ait; *Ingredietur & egredietur, & pascua inueniet*: cum sequutus ad iuxta *Et non venit nisi ut furetur & mactet, & perdat: ego veni,****

Orta autem est circa tempora Caroli Magni.

Math. 23.

Luce. 10.

Esai. 6. Act. 2.

veni, &c. Videtur enim dixisse, ut vitam habeant ingredientem. Non autem potest quisquam per ostium, id est per Christum egredi ad aeternam vitam, quæ erit in specie, nisi per ipsum ostium: hoc est per eundem Christum, in ecclesia eius, quod est ouile eius, intraret ad vitam temporalem, quæ est in fide: ideo ait; *Ego veni ut vitam habeant, hoc est fidem, quæ per dilectionem operatur: per quam fidem in ouile ingrediuntur, ut viuant, quia iustus ex fide viuit. Et abundantius habeant, qui perseverando vsque in finem: per illud ostium, id est, per fidem Christi egrediuntur, quoniam veri fideles moriuntur, & abundantius habebunt vitam, veniendo, quo pastor ille præcessit, ubi nunquam deinde moriantur. Quamuis ergo & hic in ipso ouili non desint pascua (quoniam ad vtrunque possumus intelligere, quod dictum est, *Et pascua inueniet, id est, ad ingressum, & egressum) tamen vere pascua inuenient qui saturantur qui fuerint, & sitiant iustitiam. Quidam pascua inuenit, cui dictum est; Hodie mecum eris in paradiso.**

**HAYMONIS EPISCOPI**  
*Halberst. superioris Euang. expositio.*

**A**men amen dico vobis, qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde, &c. Propter Phariseorum qui se videre iactabant, cum cæcerant, venenatam, & superbam, & insanabilem arrogantiam Dominus Iesus ista contexit quæ in hac parabola leguntur, quam ipse illis non intelligentibus exponere dignatus est. In qua nos salubriter (si aduertamus) admonuit non gloriari in sapientia humana, non in morum dignitate, sed in humilitate fidei catholice, quæ in Christum non desit. Multi enim sunt pagani, qui secundum quandam vitam huius consuetudinem dicuntur boni homines, innocentes, & quasi obseruantes ea quæ in lege præcepta sunt, deserentes honorem parentibus suis, non mœchantes, non homicidium perpetrantes, non furtum facientes, non falsum aduersus quenquam testimonium perhibentes, non concupiscentes domum proximi sui, non desiderantes aut uxorem, aut seruū, aut ancillam proximi, & cætera talia quæ in lege mandata sunt, velut obseruant Christiani, & Christiani non sunt, & plerumque se iactant quomodo isti Pharisei dicentes: Nunquid & nos cæci sumus? Sed hæc omnia inaniter faciunt, quia non intrant per ostium, sed aliunde tumidi fastu, quasi per seipos ascendere quærunt. Quapropter Dominus similitudinē proposuit de grege suo, & de ostio quo ingrediatur ad ouile. Quid enim prodest vana iactantium de bene viuendo inflatio, dum ad finem perpetu aliter bene viuendi vita eorum non perueniat. Ad hoc enim debet unicuique prodesse bene viuere, ut detur illi semper bene viuere. Nā si cui non datur semper bene viuere, quid prodest ei bene viuere ad tempus? Igitur nec bene viuere dicendi sunt, qui finem viuendi, vel cæcitate nesciunt, vel inflatione contemnunt. Non est autem euiquam spes vera vel certa semper viuendi, nisi agnoscat vitam quæ est Christus, & per ianuam intrat in ouile. Sunt enim quidam homines, qui in suis gloriantur moribus, & alios post se trahere quærunt non de Christi præceptis instruentes

suos sectatores, sed suis exemplis viuere eos suadentes. De quibus alio loco ipsa veritas ait: *Docentes doctrinas hominum, & mandata Dei contemnent.* Hi per aliam partem ascendere quærunt, rapere, & occidere: non ut pastor saluare atque conseruare. De talibus hic dictum est; *Sed qui ascendit aliunde ille fur est & latro.* Nō solum verò tales inueniuntur doctores inter eos qui sine nomine Christi sunt, sicut multi Philosophorum, qui suam sapientiam buccis crepantibus ventilabant, & vitam beatam suis sectatoribus promiserunt; Verum etiam plurimi qui Christiano nomine censebantur, & illuminatos à Christo se esse iactabant, fingentes sibi noua quæque nomina de Christo, & fidei catholice contraria, sicut innumerabiles hæretici faciebant, existimantes se falso nomine per ianuam, quæ Christus est, intrare. Sabellius dicit; *Qui filius est, ipse est pater, sed filius non est pater.* Non intrat per ostium, qui filium dicit patrem. Arius dicit; *Aliud est pater, aliud filius.* Recte diceret si diceret alius, non aliud. Quando enim dicit aliud, ei contradicit, à quo audit: *Ego & pater vnum sumus.* Nec ipse ego intrat per ostium. Prædicat ergo Christum, qualem sibi fingit, non qualem veritas habet. Photinus dicit; *Christus homo est tantum, non Deus.* Nec ipse ergo intrat per ostium, quia Christus, & homo & Deus est. Huic enim noua hæresis, quæ nostris temporibus orta est consentire videtur, affirmando & prædicando; Christus, sicut quilibet suorum, nuncupatiuus Deus est, & non verus. Quid opus est multa percurrere & multa vana hæresis dinumerare? Hoc tenete, ouile Christi, Ecclesiam catholicam esse credite. Quicumque intrare vult in ouile per ostium, intrat, id est, per Christum, & Christum verum Deum, & verum filium Dei prædicet. Non solum Christum verum prædicet, sed Christi gloriam quærat, non suam. Nam multi querendo gloriam suam, oues Christi sparserunt potius, quam congregauerunt. Humilis est enim ianua Christus dominus noster. Qui intrat per hanc ianuam oportet ut humiliet se, ut sano capite possit intrare. Hi sunt qui veri pastoris vocem audiunt. Hi sunt, quos proprias oues nominatim verus pastor vocat: de his dictum est; *Gaudete & exultate, quoniam nomina vestra scripta sunt in cælis, hinc enim eas vocat nominatim.* Et quis alius emittit, nisi qui peccata dimittit, ut eum sequi duris liberari vinculis possint. Et quis eas præcessit, quo eum sequantur, nisi qui resurgens à mortuis iam non moritur, & mors illi ultra non dominabitur? Has vero educit à fide ad speciem, & ante istos vadit, quia prior omnium ascendit in cælum, & quæ sunt oues suæ illum sequuntur, quia sciunt vocem doctrinæ suæ. Alienos vero doctores non sequuntur, sed fugiunt ab eis, quia non nouerunt vocem, id est doctrinam alienorum. Sed loquente domino Iesu, non intellexerunt quid audierunt. In crassatum enim habuerunt cor, & grauer audierunt. Nominat ostium, nominat ouile, nominat oues, commédât hæc, sed nondum exponit. Legamus ergo quia venturus est ad ea verba, in quibus nos aliqua quæ dixit dignetur exponere, ex quorum expositione dabit nobis fortasse etiam illa, quæ non exposuit, intelligere. Pascit enim manifestis, exercet obscuris. Audiamus exponentem, quem audiuimus proponentem. *Dicit ergo eis Iesus. Amen*  
Bibl. Hom. tom. 3. Z 3 amen

Math. 15. Mar. 7.

Ioan. 14.

Math. 5.

Deut. 32.

Mat. 2.

Rom. 1.

1. Iuan.

Epist.

Psal. 105. Math. 6.

amen dico vobis, quia ego sum ostium ovium. Ecce ipsum ostium, quod clausum posterat, aperuit. Ipse est ostium ovium. Agnovimus intremus, ut nos intrasse gaudeamus. Omnes quotquot venerunt, fures sunt & latrones. Quid est hoc domine, omnes quotquot venerunt? Quid enim, tu non venisti? Sed intellige, omnes quotquot venerunt dixit, utique prater me. Recolamus ergo. Ante adventum ipsius venerunt prophetae, nunquid fuerunt fures & latrones? Absit. Non prater illum venerunt, quia cum illo venerunt. Venturus preces mitterat, sed eorum corda quos miserat possidebat. Cum illo ergo venerunt, quia cum verbo Dei venerunt. Ego sum (inquit) via, veritas, & vita. Si ipse est veritas, cum illo venerunt, quia veraces fuerunt, & veritatem predicaverunt. Quotquot autem prater illum venerunt, fures sunt & latrones. Per se venerunt, quia per eum missi non fuerunt, dicente Apostolo: Quomodo predicabunt nisi mittantur? Et quia per se venerunt, & non sunt ab eo missi, fures sunt & latrones. Nam ante adventum Christi falsi fuerunt in populo Dei prophetae, & falsi doctores, sicut post adventum illius sub nomine Christiano quam plurimi falsi fuerunt doctores, nec doctores, sed seductores. Non predicatores, sed pradatores: latrocinia exercentes, non sanae doctrinae inhaerentes, de quibus dictum est. *Fures sunt & latrones, id est ad furandum & occidendum venerunt.* [Sed non audierunt eos oves] Illa quae verae sunt oves, non sub pelle ovina lupinum cor abscondentes. Igitur qui ante adventum Christi predicaverunt, eodem spiritu predicaverunt quo Apostoli & sancti doctores, qui post adventum Christi veritatis viam mundo ostenderunt. Quotquot autem illo tempore crediderunt, vel Abraham, vel Isaac, vel Iacob, vel Moyse, vel aliis patriarchis & prophetis Christum praeannuntiantibus, oves erant, & Christum audierunt: non alienam vocem, sed ipsius Christi audierunt. Nam iudex clamat in praecone, dum praeco iudicem annuntiat venurum. Alij sunt ergo quos non audierunt oves in quibus non erat vox Christi, errantes, falsa dicentes, inania garrientes, vana fingentes, miseros seducendo, sicut pseudo prophetae, sicut scribae & pharisaei temporibus ipsius domini. Hi sunt qui venerunt per se, & non sunt a iudice missi. His vero cum doctrinis suis procul expulsis, videamus quo nos pastor bonus vocat. Dicit enim: *Ego sum ostium ovium. Per me si quis introierit.* Et hoc evidenter ostendit, non solum pastorem, sed etiam oves intrare per ostium. Sed quid est. *Ingreddietur & egredietur, & pascua inueniet?* Ingreddietur quippe in Ecclesiam. Christi per ostium valde bonum est, exire autem de Ecclesia (sicut ait ipse Ioannes evangelista in epistola sua. Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis) non est vitae bonum. Talis ergo egressus non potest a bono pastore laudari, ut diceret. *Et ingreddietur.* Est ergo aliquis non solum ingressus verum etiam egressus bonus, per ostium bonum, quod est Christus. Sed quis est ille laudabilis & beatus egressus? Possunt quidem dicere ingredi nos quando interius aliquid cogitamus, egredi autem quando exterius operamur. Ex quo patet (sicut dicit Apostolus, per fidem habitat Christus in cordibus nostris) ingredi per Christum esse secundum ipsam fidem cogitare, egredi autem per Christum, secundum ipsam fidem etiam

Ioan. 14.

Rom. 10.

1. Ioan. 2.

foris, id est, coram hominibus operari. Vnde & in Psalmo dicitur: Exibit homo ad opus suum. Et ipse dominus dicit: *Luceant opera vestra coram hominibus.* Sed plus me delectat quod ipsa veritas tanquam pastor bonus & ideo doctor bonus, quo dammodo nos admonuit, quem admodum intelligere debeamus, quod ait: *Ingreddietur, & egredietur, & pascua inueniet, cum securus adiunxitur.* *Fur non venit, nisi ut furetur, & mactet, & perdat.* *Ego veni ut vitam habeant, & abundantius habeant.* Videtur enim dixisse, ut vitam habeant egredientes, & abundantius habeant egredientes. Non autem potest quisque per ostium, id est per Christum egredi ad aeternam vitam, quae erit in specie, nisi per ipsum ostium, hoc est per eundem Christum in ecclesia eius, quod est ovile eius, intraverit ad vitam temporalem, quae est in fide. Ideo ait: *[Ego veni ut vitam habeant]* hoc est, si dem, quae per dilectionem operatur, per quam fidem in ovile ingrediuntur, ut vivant, quia iustus, ex fide vivit. Et abundantius habeant, quia per se verando usque in finem, per illud ostium, id est per fidem Christi egrediuntur. Quoniam viri fideles moriuntur, & abundantius habebunt vitam, veniendo quo pastor ille praecessit, ubi nunquam deinde moriantur. Quamvis ergo & hic in ipso ovili non desint pascua, quoniam ad utrumque possunt intelligere quod dictum est. *Et pascua inueniet, id est ad ingressum & ad egressum.* tamen tunc vera pascua inuenient, ubi saturantur, qui esuriunt & sitiunt iustitiam: qualia pascua inuenit, cui dictum: *Hodie mecum eris in paradiso.*

**THEOPHYL. EPISCOPI**  
*Bulgar. superioris euangelij*  
*expositio.*

**A**men dico vobis, qui non intrat per ostium in stabulum ovium, &c. Postquam illis incredulitatem obiecit, dicens, Vere caeci estis secundum animam propter incredulitatis morbum: ut ne possint dicere, non auersamur quasi caeci, sed ut seductorem te fugimus, de hoc nunc facit prolixum sermonem: & quid facit? Indicia ponit veri pastoris, & lupi perniciosi, & sic seipsum ostendit a patre bonorum esse, testimonium ab operibus sumens. Et prius indicia ponit perniciosi. Ille enim (inquit) non ingreditur per ostium, hoc est, per scripturas. Non enim vitur scripturis testibus, neque prophetis. Nam profecto scripturae ostium sunt, per quas adducimur ad Deum, illa lupos non permittunt intrare. Prohibent autem haereticos, ut nos securi simus: & de omnibus rationem dant, de quibus voluerimus. Fur igitur est, qui non per scripturas ingreditur in stabulum ovium, & ita per illas deprehenditur: sed ascendit aliunde, hoc est, aliam sibi viam, & insolitam parat, sicut & corrupti sunt. Talis erit Antichristus. Non enim ex scripturis illius testimonia. Insuper & scribas notat. Nam hi quidem mandata legis paruis faciebant, mandata autem hominum, & traditiones docebant diligenter. Dicit, *qui ascendit, id quod furis est, sepem transilientis, & omnia cum periculo facientis.* Vidisti indicia latronis: vide & quae sint pastoris. Pastor enim per scripturas ingreditur, & ei ostiarius aperit. Ostiarium autem vel Moisen intelligit, cui divina eloquia concedita

ta fuerunt. Aperit autem Moyses domino de ipso omnino dicens, sicut & ipse dicit. Si crederis Mosi, crederis utique mihi. Vel spiritus sanctus est ostiarius. Nam, quia in spiritu sancto intelliguntur, & aperitur scripturae, quae ostendunt nobis Christum, merito ostiarius dicitur spiritus sanctus, in quo ut spiritu sapientiae, & scientiae scripturae aperuntur, per quas ingreditur dominus ad nostri curam, & per quas ostenditur pastor. Vocem autem eius pastoris audiunt oves. Nam, quia illi sepe cum dicebant deceptorem, & hoc ex incredulitate confirmabant, deceptes; Num quis principum credidit in illum? ostendit Christus, quod non oporteat haberi se pro damnofo; ed, quod illi non credant, sed ipsos abijciendos esse ex ovium genere. Nam, si ego quidem (inquit) per ianuam ingredior, manifestum, quod vere sum pastor. Vos autem, qui non secuti estis, videmini non esse oves. Vnde autem educit oves proprias? Vel ex medio infidelium, sicut & caecum de medio ludaeorum, quia & audiuit eum, & agnovit eum. *Et ante oves, quaque vadit;* quamvis secus sit eum corporalibus ovibus, post illas enim vadunt pastores. Sed illo loco ostendit, quod omnes ducit ad veritatem: quia & discipulos quasi oves in medium luporum mittit: sic igitur rarior est pastoralis cura Christi. *Alienum autem non sequitur:* cognoscunt enim alienorum vocem. Iterum hoc loco Theudas, & Iudam notat, quos non secuti sunt oves. Nam paucos quosdam suffragati sunt: & hi post mortem illorum discesserunt. Post Christum autem vivunt, & mortuum maxime totus mundus est secutus. Notat autem & Antichristum. Hic enim, quum seduxerit ad parvum tempus, non habebit eos, qui sequantur suam perditionem. Nam, quod non sequantur, hoc manifestat: quia post mortem seducendum non erit, qui attendat, vel sequatur. Ianuam quidem scriptura est. Educit autem ad pascua dominus oves per ianuam hanc. Quod autem pabulum? Vel futurae deliciae, vel sedes, in quam nos introduci dominus. Quamvis autem & alio loco seipsum ostium nominat, non est mirandum. Quum enim curam suam vult demonstrare erga nos, pastorem se nominat: quando autem ostendere vult, quod ipse sit ille, qui ducit ad patrem, tunc ianuam se dicit: quia ipse iuxta alium, & alium sensum ovium est, & pastor. Insuper, si quidem sermones diuinarum scripturarum sunt ostium, & dominus ipse esse dicitur sermo, merito vocatur, & ostium. *Hanc parolam dixit eis Iesus, illi autem non cognoverunt, &c.* *Hanc* (inquit) *parolam;* hoc est parabolam, dixit eis Iesus, obscure illis loquens, ut attentiores illos faceret. Postquam igitur hoc docuit, soluit nunc obscuritatem: sic dicens: *Ego sum ostium.* Quod autem dicit, *Omnes, qui venerunt,* non de prophetis dicit, sicut Manichaei delirant. Nam illi volentes ostendere vetus testamentum non esse a Deo, & prophetas non esse missos a Deo, utuntur hoc dicto: *Omnes, qui venerunt ante me, fures sunt, & latrones.* Non igitur de prophetis hoc dicit, sed de aliis seditiosis. Quod autem de his dicat, manifestum. *Non audierunt enim* (inquit) *illos oves.* Seditiosos enim illos non audierunt oves, prophetas autem audierunt, & per illos crediderunt. Et aliter, *Non audierunt illos oves,* laudans dicit. Nusquam autem videtur laudare inobedientes prophetas, sed e diverso vehementer accusat, & per-

Insa evan.

sequitur. Insuper diligenter attende verbum ipsum; *Quicumque venerunt* (inquit) non, quicumque missi sunt. Nam prophetae quidem missi fuerunt: pseudo prophetae autem, quales & seditiosi illi dicti, a nullo missi venerunt, sicut & dominus dixit, *Currebant, & ego non mittebam eos.* *Ego sum ostium.* Qui ingrederis, inquit, per meum ostium, & oblati patri, & ovis illius factus fuerit, salvabitur: & non solum salvabitur, sed & sicut dominus, magnam habebit securitatem. Hoc enim significat per hoc, quod dicit, *Et egredietur, & egredietur;* sicut & Apostoli egrediebantur, & egrediebantur coram tyrannis libere loquentes: nam & eiectioni erant, & iniuriis. *Et pascua,* inquit, *inueniet;* hoc est, copiosum cibum, Et aliter; Quia duplex est noster homo, internus, & externus, ut dicitur a Paulo: *ingreditur quidem ille,* dixerit quis, qui curam gerit interni hominis: & egredietur iterum, qui mortificat membra super terram, & opera corporis in Christo. Talis igitur pascua inueniet & in futuro seculo, secundum quod dicit propheta, *Dominus regit me, & nihil mihi deerit, &c.* *Fur non venit nisi ut furetur, &c.* *Quoniam Theudas, & Iudas;* etiam cum ceteris apostolis abducti, occisi fuerunt, & perierunt: propterea subdit dicens: *Fur non venit, nisi ut furetur, & mactet, ac perdat.* Illos, & similes eis fures vocas, ego autem, inquit, *veni ut vitam habeant.* Illi occiderunt, & perdiderunt eos, qui secuti sunt; *ego veni ut vitam habeant, & abundantius habeant,* sancti spiritus communionem per quam, & regnum caelorum intelligere oportet. Habent igitur omnes fidem in Christo. Omnes enim resurgent, & vivent, sed iusti quid amplius habent regnum caelorum, & ceterorum.

Hier. 23. 27.

Rom. 7.

Psal. 12.

Act. 5.

1. 1. 2.

**EVTHYMII ZIGABONI**  
*superioris Euang. expositio.*

**A**men dico vobis, qui non intrat per ostium, &c. Anagogice hic per ostium, intelligimus leges, sive scripturas, eo quod ad Dei cognitionem inducant, & transitum omnem, qui adversus divinum cultum est, haereticis, ac Gentibus excludant populumque a daemonum insidiis, custodiant. Caulas vero curam, ac providentiam ovium. Oves autem Israelitas, populum Dei. Nos autem inquit, populus eius, & oves pascuae eius. Qui ergo non per scripturas ad curam populi Dei ingreditur, ut pote non utens eis, nec iuxta illas gubernans, sed ascendens aliunde, quasi ostium transiliens, aut per alium irrumpens introitum, ille non pastor, sed fur est, & latro: fur quidem tanquam volens ea ad se detruere quae non conveniunt: latro autem tanquam devastans. Huiusmodi fuerunt ante eum Iudas, & Theudas: post eum vero pseudo christi, & Antichristus, & si qui sunt alij seductores. Atingit quoque scribas, ac phariseos qui docebant doctrinas praecipua hominum, legem autem transgrediebantur. Vidisti quomodo furem, latronem, ac seductorem descriperit? confidera etiam pastoris insignia, quibus dignosci possit. *Qui autem intrat per ostium, pastor est ovium.* Qualis ipse erat ut pote scripturis utens, & secundum eas gubernans: quanquam enim etiam in sabbato operaretur, ea tamen divina erant opera quum lex prohiberet humana, sive temporalia,

Psal. 94.

Iosephus lib. ant. 18. cap. 1. & 2. lib. 20. cap. 4. Math. 15.

ac secularia. *Hic ostiarius aperit.* Ostiarius iuxta anagogem Moses erat, vt cui conceditur sunt diuina leges. Tali ergo Moses aperit, & ad ouium curam admittit, vt pote cognoscens eum. Scripsit enim vt eum audirent. *Et oues vocem eius audiunt.* Obediunt parent, ac sequuntur: agnoscunt enim illam. Oues autem dixit, eos videlicet, qui vere oues sunt, digni vt pascantur. Nam, sicut, qui per ostium intrat, hic pastor est: ita & qui vocem eius audiunt, vt dictum est, hi oues sunt: qui vero non ita se habent, ab ouium ordine auulsi sunt, *Et proprias oues vocat nominatim.* Etiam hoc pastoris signum est; Cuiusque ouis diligentem ostendere curam: neque enim illas vocat nominatim, qui singulas diligenter non agnoscit, ob summam de vnaquaque curam, *Et educit eas.* Ad pasqua: pasqua autem rationalium ouium, doctrina est diuinorum sermonum, quae animam nutrit, ac pascit. *Et, quum proprias oues emiserit, ante eas vadit.* Recto eas tramite deducens, & pro eis pugnans: Atqui pastores contrario modo faciunt, sequentes oues, quarum habent curam. Verum pascendi ars huius pastoris maxime admiranda est: nam & oues sunt rationales. Siquidem etiam quando discipulos emittebat, dicebat, Ecce ego mitto vos tanquam oues in medio luporum: pastores vero extra lupos mittunt oues. Vadit autem ante eas, & tanquam is, qui primus conuersationis viam calcavit, & sicut qui ea fecit, quae docet, *Et oues eum sequuntur.* Per vestigia eum sequuntur, eadem incedentes via, ipsiusque legibus parentes. *Quia nouerunt vocem eius.* Quae est ex scripturis, quibus assuetae sunt, ex cognitis vocibus. *Alienum autem non sequuntur, &c.* Alieni sunt, qui non intrant per ostium. Non nouerunt autem vocem illorum oues, vt quae non sit à scripturis, quibus assuetae sunt, vt dictum est, sed à ventre ipsorum. *Hoc prouerbiū dixit illis Iesus.* Hanc parabolam. Illi vero non cognouerunt, quae essent ea, quae loquebatur ipsis. Obscure enim loquebatur, attentiores eos reddens. Deinde alio modo seipsum & ianuam vocat, & pastorem. *Amen amen dico vobis, ego sum ostium ouium.* Per quod ingrediuntur oues ad supernam man-

sionem. Neque enim quisquam aliter ingreditur nisi per ipsum, & per fidem, quae in ipsum est, ac per eius doctrinam. *Omnes, quotquot venerunt fures sunt, & latrones.* Quotquot à seipsis venerunt, quotquot venerunt non per praedictum ostium, vt Iudas, & Theudas, & si quis alius huiusmodi: prophetae namque non à seipsis venerunt, sed à Deo missi sunt: nec aliunde, sed per ostium intrauerunt. Scire enim oportet, quod frequenter scriptura vniuersalem representans formam, particularem insinuat intelligentiam. Nam quod nunc dicit *Omnes*, non simpliciter significat omnes, qui ipsum praecesserunt. Simile etiam est, quod ait Dauid, *Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt:* tales siquidem non erant qui etiam tunc Deum colebant. Et illud Solomonis: *Omnia sunt vanitas; neque enim talis est virtus.* Est autem vbi *Omnia*, idem significat, quod nullus, vt in dicto illo Saluatoris; Et nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro, id est, nulla caro. In illo quoque Dauidico versu; *Et non dominetur mihi omnis iniustitia, hoc est, nulla.* Multa quoque sunt similia. *Sed non audierunt eos oues.* Qui vere erant oues. Et hinc manifestum est, quod non comprehenderat etiam prophetas: nam hos audierunt. *Ego sum ostium.* Verbi repetitione sermonem confirmat. *Per me si quis introierit, saluabitur.* Per mea praecipia si quis ambulauerit, saluabitur ascendens in supernam mansionem. *Et ingreditur & egreditur.* Ad omnem mundi locum: quod de Apostolis factum est. *Et pasqua inueniet.* Non spiritualia solum, sed & temporalia: nam omnia, quae sunt credentium, eis data sunt. *Eur non venit nisi vt furetur, &c.* Non venit propter salutem ouium, sed tantum ad furandum, inactandum, ac perdendum. Nam & ij, qui furto ablati sunt à Theuda, & Iuda, iugulati sunt, & continuo perierunt. *Ego veni, vt vitam habeant, &c.* *Vitam:* hic quidem, eam, quae secundum Deum est, quae abundantior est regni caelorum: ibi vero beatam, quibus abundantiora sunt, quae oculus non vidit, & auris non audiuit, & in cor hominis non ascenderunt: aut etiam perfecta sanctae trinitatis cognitio.

Math. 10.

Phil.

Math.

Phil.

<sup>d</sup> Qui pascit donec pastor iungam vitæ.  
 vobis, qui credit in <sup>d</sup> me, habet vitam æternam. Ego sum panis vitæ. Patres ve-  
<sup>e</sup> Non morte carnali communi cum Moyse & aliis sed morte spirituali. <sup>f</sup> Id est, in hoc loco panis: vel demonstratio dicit. <sup>g</sup> Quam  
 manna significauit.  
 stri manducauerunt manna in deserto, & <sup>e</sup> mortui sunt. Hic est panis de caelo  
<sup>f</sup> Latius in corde intelligendo & amando. <sup>g</sup> Spiritu.  
 descendens, vt si quis ex ipso manducauerit, non <sup>f</sup> moriatur. Ego sum <sup>g</sup> panis  
<sup>h</sup> Etideo viuus, quia de ca. de cen.  
<sup>i</sup> Non tantum in presenti per iustitiam.  
 viuus qui de caelo descendit. Si quis manducauerit ex hoc pane, <sup>i</sup> viuet in  
 æternum. Et panis quem ego dabo caro mea est, pro mundi vita.

GLOSSA ORDINARIA in superius Euang.

**N**emo potest veni ad me. Alibi dicitur: Nemo cognoscit patrem nisi per filium quod contrarium videtur huic dicto: *Ne. po. ve. ad me.* Sed non est, quia pater reuelat trahit, &c. per filium. *Nisi pater.* Illum pater trahit ad filium, qui ideo credit in filium, quia cogitar patre eius esse Deum, id est, qui credit æqualem patri genitum. Trahit hanc non est violentie, nec necessitatis nec est inipiti: sed voluntatis & desiderij, vnde dicitur: *Trahit vnu quemque sua voluptas.* Si ergo in his in quibus non est vera dilectio, trahitur homo amore, & desiderio, quando magis trahitur aliquis vehementi delectatione, cui pater reuelat panem qui est vita & beatitudo & omne bonum? In quo commendatur magna gratia. *Et ego resuscitatus.* Ego æqualis patri faciam eum videre quod credit, manducare quod esurit, habere quod amauit & desiderauit: quod non potest esse in presenti, vbi tantum trahitur. *Est scriptum.* Verè nemo venit ad me nisi pater docuerit, quia ita testantur prophetie. Omnes homines regni illius, id est, Christianæ fidei: erunt doci. Dei: quia & si homines foris loquuntur, tamen Deus solus intus sensum aperit, intus instruit veritatis cognitione & amore: ita quicunque audit & discit à patre, venit ad me. *Et ne quis excuset se di.* Nūquam vidi patrem, quomodo disco ab eo? Subdit ratio quia pater visibilis sit alicui, & tamen nemo credit nisi ipse docuerit, quomodo docet? Dum audis verbū eius, id est, mei, dum ego homo verbum eius coæternum, factus homo vobis loquor, & hoc est: Is qui est à Deo, id est, filius vidit patrem, id est, nouit & vos docet, & ideo me audite. *In prophetis.* Prophetis, dicit pluraliter: quia omnes prophetae vno & eodem spiritu repleti, licet diuersa prophetarant, tamen ad idem tendebant: quapropter cum quouis eorum omnes alij concordabant, sicut in Joel, qui dicit: *Et erunt omnes docibiles Dei.* *Non quia patrem, &c.* id est, ego noui patrem, quia ab illo sum: & ideo credite quia qui credit in me, habet vitam æternam. Potuit dicere: habet me, sed reuelat quod ipse sit vita æterna, quia verbum est vita hominum quod & carni suae quam susceperat, cui interuenit mors vt mortem tolleret, dat vitam in resurrectione: sic & aliis credentibus in se. *Ego sum panis vita.* *Patres ve.* Manna de quo superbitis, patribus murmuratoribus quorum estis filij murmurando, non fuit panis vitæ: quia non intellexerunt in eo spiritualem cibum, sic & vos qui me auditis, non spiritualiter intelligitis. Vixit autem Moyse & alij electi de manna, quia spiritaliter manducauerunt: Sic & qui mo-

do verba mea spiritualiter accipiunt. *Ego sum pa. vi.* Ecce sacramentum verbis tegit, vt Iudæi & etiam aliqui discipuli non credentes verbis illius magis scandalizentur, & humiles apostoli humiliter credentes probentur. vnde Petrus: *Verba vitæ æternæ habes. Et panis quem.* Quomodo sit panis determinat non solum secundum verbum quo viuunt omnia, sed etiam secundum carnem assumptam pro mundi vita. Humana enim caro quæ erat peccato obnoxia, & ideo mortua, carni eius mundæ vnita, incorporata, vnū cum illo effecta, viuunt de spiritu eius, sicut viuunt corpus de suo spiritu: qui vero non est de corpore Christi, non viuunt de spiritu Christi. Qui autē Iudæi non erant huius vnitatis, litigabant: nec talibus exponitur quomodo dominus carnem suam det ad manducandum, sed audiunt, vnde magis moueantur.

CATENA AVREA in idem Euang.

**N**emo potest venire ad me, nisi pater qui misit me traxerit illum. August. Magna gratiæ commendatio, nemo venit nisi trahatur: quem trahat, & quem non trahat: quare illum trahat, & illum non trahat, noli velle iudicare, si non vis errare: semel accipe & intellige: si non traheris, ora vt traharis. Chry. Hic autem insiliunt Manichæi dicentes, quoniam nihil in nobis est positum: sed hoc non quod in nobis est destruit, sed ostendit nos diuino auxilio indigentes: ostendit enim hic non eum qui inuitus venit, sed eum qui multa patitur oppugnationem; August. Si enim inuiti trahimur ad Christum, ergo inuiti credimus, ergo violentia adhibetur, non voluntas excitatur: sed inuitate quisquam ecclesiam potest nolens; credere non potest nisi volens: cor enim creditur ad iustitiam: si ergo inuitus venit qui trahitur, non credit: si non credit, non venit: non enim ad Christum ambulando currimus, sed credendo: nec motu corporis, sed voluntate cordis accedimus; ergo voluntate traheris. Quid est autem trahi voluntate? delectare in domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. Est quædam voluptas cordis, cui dulcis est panis ille cælestis. Porro si potest dicere licuit, Trahit sua quemque voluptas, quando fortius nos dicere debemus trahi hominem ad Christum, qui delectatur veritate, beatitudine, iustitia, sempiterna vita: quod totum Christus est. An non habent corporis sensus voluptates suas, & animus, deseritur à voluptatibus suis? Da amantem, da desiderantem, s. ruentem, fonti æternæ patriæ suspirantem: & scit quid dicam. Sed quare voluit dicere, quem traxerit pater: si trahendi sumus, ab illo trahimur, cui dicit quædam quæ diligit;



FERIA IIII QVATVOR TEMPORVM PENTECOSTES

IOAN. 6.



<sup>a</sup> Credere in me, nisi gratia eum præuenierit, nisi pater eum reuelauerit, quæ reuelatio est attritio.  
 Nillo tempore: Dixit Iesus turbis Iudæorum, Nemo potest venire ad me nisi pater qui misit me, traxerit eum: & ego resuscitabo eum in nouissimo die. Est scriptum in prophetis: Et erunt omnes docibiles Dei. Omnis qui <sup>c</sup> audiuit à patre & didicit, venit ad me. Nō quia patrem vidit quisquam, nisi is qui est à Deo, hic vidit patrem. Amen amen dico vobis,

<sup>b</sup> Qui facile doceantur à Deo. Quod non Iudæi.

<sup>c</sup> Quod est trahi à patre.



ligit, Trahe me post te. Sed quid intelligi voluit, aduertamus. Trahit pater ad filium eos, qui propterea credunt in filium, quia eum cogitant patrem habere Deum. Deus enim pater æqualem sibi genuit filium: & qui cogitat atque in fide sua sentit ac ruminat æqualem esse patri eum in quæ credit: ipsum trahit pater ad filium. Arius credit creaturam, non eum traxit pater. Photinus dicit; Homo solus est Christus: qui sic credit, non eum pater trahit: traxit Petrum qui dixit, Tu es Christus filius Dei viuit: vnde ei dictum est, Non tibi reuelauit caro. Ista reuelatio ipsa attractio est. Si enim qui inter delicias terrenas reuelantur amantibus trahunt, nõ trahit reuelatus Christus à patre: Quid enim fortius desiderat anima quàm veritatem? sed hic homines efuriunt, ibi saturantur. Ideo subiecit: *Et ego, &c.* Quasi dicat: Saturabitur, eo quod & hic sit in resurrectione mortuorum, quoniam ego resuscitabo eum. Aug. de quæ. nõ. & ver. test. Vel attrahit pater ad filium per opera quæ faciebat per illum. Chry. Non parua dignitas filij, si pater adducit, & ipse suscitatur: non diuidens ad patrem opera, sed ostendens parilitatem virtutis: deinde ostendit modum secundum quæ pater trahit, dicens: *Scriptum est in proph. Et erunt om. docil. Dei.* Vides fidei dignitatem: quoniam non ab hominibus neque homines, sed ab ipso Deo eam debeant addicere. Magister enim præsidet omnibus paratus existens sua tribuere, ad omnes suam doctrinam effundens. Si autem omnes docibiles Dei: qualiter quidam non credunt? quia hoc de pluribus dictum est: siue quoniam omnes qui volunt. Aug. de prædest. san. Vel aliter. Sicut integrè loquimur cum de aliquo literarum magistro, qui in ciuitate solus est dicimus, omnes iste hic literas docet: non quia omnes discunt, sed quia nemo nisi ab illo discit quicumque ibi literas discit. Ita rectè dicimus, Omnes Deus docet venite ad Christum, non quia omnes veniunt, sed quia nemo aliter venit. Aug. su. Ioan. Vel aliter. Omnes regni illius homines docibiles erunt Dei, non ab hominibus audiunt: et si hic ab hominibus audiunt, tamen quod intelligunt intrus datur: strepitum verborum ingero auribus vestris nisi reuelerit ille qui intrus est, quomodo ergo nõ Iudæi me potestis agnoscere, quos pater non docuit? Beda, dicit autem pluraliter, *In prophetis: quia omnes propheta, vno eodemque spiritu repleti, licet diuersa prophetarent, tamen ad idem tendebat: quapropter cum quouis eorum omnes alij concordabant, sicut cum Iocle Propheta qui dicit: Erunt omnes do. Dei.* Glof. Hoc in loeile non inuenitur, sed aliquid simile: dicitur enim ibi: Filij Sion exultate & lætamini in domino Deo nostro, quia dedit vobis doctorem. Expressus tamè est in Esaia vbi dicitur: Ponam vniuersos filios ruos doctos à domino. Chrysof. Quod quidem præcipuum est, quia ante per homines discabant quæ Dei sunt, nunc autem per vnicum filium Dei & spiritum sanctum. Aug. de prædest. san. Omnes autem docibiles Dei veniunt ad filium, quoniam audierunt & didicerunt à patre per filium: vnde subditur, *Omnis qui audiuit à patre & didicit, venit ad me.* Si autem omnis qui audiuit à patre & didicit, venit: profecto omnis qui non venit, non audit à patre nec didicit. Valde remota est à sensibus carnis hæc schola, in qua pater auditur & docet, vt veniatur ad filium: nec agit hoc cum

carnis aure, sed cordis, vbi est & ipse filius: quia ipse est verbum eius per quod pater sic docet, simul est & spiritus sanctus. Inseparabilia enim dicimus esse opera trinitatis, sed patri hoc potissimum est attributum, quia de ipso procedit & filius & spiritus sanctus. Itaque gratia quæ occultè & humanis cordibus diuina largitate tribuitur, à nullo corde duro respuitur: ideo quippe tribuitur, vt cordis duritia primitus auferatur. Cur ergo non omnes docet vt veniant ad Christum? nisi quia eos quos docet, misericordia docet: quos autem non docet, iudicio non docet: si autem dixerimus quod volunt discere quos non docet: respõdebitur nobis, Et vbi est quod ei dicitur: Deus tu conuertens viuificabis nos: aut si non facit volentes ex nolentibus Deus, vt quid orat ecclesia secundum præceptum domini pro persecutoribus suis: nõ enim quisquam dicere potest credidi, vt sic vocaret: præuenit quippe eum misericordia Dei, quia sic est vocatus vt crederet. Aug. su. Ioan. Ergo quomodo trahit pater docendo de veritate, non necessitatem imponendo: trahere enim Dei est. Omnis qui audiuit à patre & didicit, venit ad me: quid igitur Christus nihil docuit? quid quod patrem magistrum homines non viderunt, filium viderunt? filius ergo dicebat, sed pater docebat. Si ego homo cum sim illum doceo qui audiuit verbum meum, illum docet & pater qui audiuit verbum eius. Exponit autem hoc ipse & ostendit nobis quid dixerat, continuo subiungens: *Non quia pa. vi. qui que, &c. quasi dicat, Ne forte cū dico vobis: omnis qui audiuit à patre & didicit, dicatis apud vos: Nunquam vidimus patrem, quomodo ab eo discere poterimus? à me ipso audite.* Ego noui patrem, ab illo sum, quomodo verbum est ab illo cuius est verbum: non quod sonat & transit, sed quod manet cum dicente, & trahit audientem. Chryf. Omnes quidem à Deo sumus. Id verò quod est præcipuum filij & proprium, hæc nõ posuit propter auditorum imbecillitatem. *Amen amen dico vobis, qui credit in me, habet vitam æternam.* Aug. Reuelare voluit se dominus quid esset, vnde dicit: *Amen amen di. vo. &c. quasi dicat, Qui credit in me, habet me. quid est autem habere me? habere vitam æternam. vita enim æterna est verbū quod in principio erat apud Deum, & vita erat lux hominum: assumpsit vita mortem, vt vita accideret mortem.* Chry. Quia verò turbæ instabant cibum corporalem petentes, & eius cibi qui patribus eorum datus erat reminiscetes: vt ostendat quod omnia illa figura erant huius veritatis præsentis, mentionem de cibo spiritali facit dicens: *Ego sum panis vi. a. Panem quidem vitam seipsum vocat, quoniam vitam nostram continet & hanc & futuram.* Aug. Sed quia illi de manna superbiebant, subiungit: *Patres vestri manducauerunt manna in deserto & mortui sunt.* Ideo patres vestri, quia similes estis illorum, murmuratores patres murmuratorum filiorum. Nam de nulla re magis Deum offendisse ille populus dictus est: quam contra Deum murmurando. Ideo autè mortui sunt, quia quod videbant, credebant, quod non videbant, nõ credebant neque intelligebant. Chrysof. Non autem sine causa addit, *In deserto, sed occultè insinuans quoniam non longum tempus fuit, quo, scilicet, manna datum est, neque simul cum venit in terram promissionis, sed quia videbatur panem datum à Christo minus esse illo quod patribus datum erat, in*

eo quod illud desuper descendebat. Miraculum verò panis inferius gerebatur: propterea subiungit, *hic est panis de celo descendens.* Aug. Huc panem significauit manna, hunc panem significabat altare Dei. Sacramenta hæc sunt, & illa fuerunt. In signis diuersa sunt, in re quæ significatur, paria sunt. Apostolum audi: Omnes eandem escam spiritualem manducauerunt. Chrysof. Deinde ostendit quod maxime eos poterat persuadere quoniam ipsi patribus suis multo digniores effecti sunt, qui manna manducantes sunt mortui, & ideo subdit: *Præ si quis ex ipso manducauerit, non morietur.* A sine vtriusque cibi ostendit differentiam: panem autem hic dogmata salutaria dicit, & fidem quæ in ipsum est, aut corpus suum, hæc enim conseruant animam. Aug. Sed nunquid nos non morimur, qui manducauimus panem descendente de celo? sic illi sunt mortui quemadmodum & nos sumus morituri, quantum atinet ad mortem huius corporis visibilem atque carnalem: quantum autem pertinet ad mortem spirituales, qua patres istorum mortui sunt, manducauit manna Moyses, & multi qui domino placuerunt, & mortui non sunt: quia visibilem cibum spiritaliter intellexerunt, spiritaliter gustauerunt vt spiritaliter satiarentur. Nam & nos hodie accipimus visibilem cibum, sed aliud est sacramentum, aliud virtus sacramenti: quoniam multi de altari accipiunt, & accipiendo moriuntur: vnde Apo. Iudicium sibi manducat & bibit, panem ergo cælestem spiritualem manducare, est innocentiam ad altare apportare: peccata etsi sint quotidiana, non sint mortifera: antequam ad altare accedatis, attendite quid dicatis. Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, si dimittis, dimittentur tibi, securus accede, panis est, non venenum: si quis ergo ex hoc pane manducauerit, non morietur. Sed quod pertinet ad virtutem sacramenti, non quod pertinet ad visibile sacramentum: qui manducat, scilicet, intus, non foris. Alc. Ideo inquit, non moritur qui comedit hunc panem, quia ego sum panis viuus qui de celo descendendi. Theoph. Per hoc, scilicet quod incarnatus est: non ergo prius solum fuit homo, & postmodum assumpsit diuinitatem, vt Nestorius fabulatur. August. De celo descendit & manna, sed manna vmbra erat, ista veritas est. Alc. Est autem mea vita viuificans: vnde sequitur, *Si quis man. ex hoc pa. viuet,* non tantum in præsentia per fidem & iustitiam, sed in æternum. *Et panis quem ego dabo, caro mea est, pro mundi vita.* August. Determinat consequenter dominus quomodo se panem dicat non tantum secundum diuinitatem quæ pascit omnia, sed etiam secundum humanam naturam quæ est assumpta à verbo Dei, cum subdit: *Et panis quem ego dabo, &c.* Bed. Hunc panem tunc dominus dedit quando mysterium corporis & sanguinis sui discipulis tradidit, & quando semetipsum Deo patri obrulit in ara crucis, quod verò dicit, *Pro mundi vita: non debemus intelligere pro elementis, sed pro omnibus qui mundi nomine designantur.* Theoph. In hoc quod dicit, *Quem ego dabo:* potestatem suam demonstrat, quod non sicut seruus minor patre crucifixus est, sed voluntarie: nam etsi à patre dari diceatur, tamen seipsum tradidit ipse. Attende autem quod panis qui in mysteriis à nobis assumitur, non solum figuram gerit carnis Christi, sed ipse est vera caro Christi:

non enim dixit, Panis quem ego dabo figuram carnis meæ gerit, sed caro mea est. Transmutatur autem inenarrabilibus verbis iste panis per mysticam benedictionem & habitationem spiritus sancti in carnem Christi. Sed quate non videmus carnem? quia si caro videretur, horror nos in eius assumptione inuaderet: vnde vt nostræ infirmitati descendatur talis nobis videtur mysticus cibus, secundum quod nostræ consuetudini competebar: pro mundi autem vita carnem suam tradidit, quia moriendo mortem soluit. Ego etiam intelligo pro mundi vita resurrectionem: nam domini mors vniuersalem resurrectionem toti generi humano ministravit: forte autem & vitam quæ in sanctificatione, & beatificatione consistit & spiritu, mundi vitam dixit: quamuis enim non omnes susceperint vitam quæ est in sanctificatione & spiritu, tamè dominus seipsum pro mundo tradidit, & quantum in eo est, totus mundus sanctificatur. Aug. Quando autè caperet caro, quod dixit, panem, carnem, norunt autem fideles corpus Christi, si corpus Christi esse non negligant, hanc corpus Christi, si volunt viuere de spiritu Christi. De spiritu enim Christi non viuunt, nisi corpus Christi: nunquid enim corpus meum viuunt de spiritu tuo? Hunc panem exponit Apost. dicens: Vnum corpus multi sumus. O sacramentum pietatis, o signum vnitatis, o vinculum charitatis, qui vult viuere accedat, credat, incorporetur vt viuificetur.

## S. IO. CHRYSOSTOMI

*Episcopi Constantin. in superius*

*Euang. Homil. 1.*

Sed quid murmurantibus illis Christus? *Nemo potest venire ad me, nisi pater, qui misit me, traxerit eum.* Hic insurgunt Manichæi, nihil nos ex nobis ipsis posse huius particulæ testimonio contendere. Sed plane nos posse, quæ volumus, per hoc ostenditur: inquit enim, Si quis venit ad eum, quid opus est vt trahatur? Verum hoc nostrum nõ tollit arbitrium, sed diuino egere auxilio ostendit: & non inuitum, sed omni conatu contententem venire. Inde quo pacto trahat, ne quid sensibile de eo suspicaretur: his verbis prosequitur. *Nõ quia patre vidit quispia, nisi is, qui est à Deo, hic vidit patre.* Quomodo trahat, inquit, hoc propheta prædixerat, quod erunt omnes docibiles Dei. Vides fidei dignitatem, quod nõ ab hominibus, neque per hominem, sed per ipsum Deum ea imbuendi sunt? Idcirco vt fidem verbis suis comparet, eos ad prophetas relegat. Nam, si erunt omnes docibiles Dei, quare aliqui non credunt? Quoniam hoc de pluribus dictum est, Et præterea illud propheticum omnes volentes significat. Magister enim omnibus proponitur paratus ad docendum, & communicandum doctrinam suam. *Et ego resuscitabo eum in nouissimo die.* Non parua hoc in loco filij dignitas. Siquidè pater trahit, & hic resuscitat. Neque diuidit patris, & filij opera. Quoniam enim pacto, sed potestatis æqualitatem ostendit: vt in illo loco; Et qui misit me pater, testimonium perhibet de me. Quod ne rogando insisterent, ad scripturas relegauit: ita hoc in loco, ne quid suspicarentur, ad prophetas, frequenter ostendens se patri



patri non esse contrarium. Quid autem qui ante hac fuerunt, nunquid non docibiles erant Dei? Quid hoc in loco eximium est? quod tunc homines per res diuinas docebantur, nunc per vniuersum, & spiritum sanctum; deinde inquit, Non quia patrem vidit quissiam, nisi is qui à Deo est. Non secundum causæ rationem hic loquitur, sed secundum modum substantiæ. Nam si diceret, Omnes à Deo sumus: vbi præstantia, & differentia filij? Sed quare non apertius dixit? Propter illorum imbecillitatem. Etenim, si dicendo, de cælo descendit, tantum scâdalizati sunt: quidnam fecissent, si id addidisset? Panem autem vitæ se ipsum appellat, quoniam vitam nostram & hanc & futuram corroborat. Et inquit, Si quis manducauerit ex hoc pane vivet in æternum. Panem verò, siue doctrinam hoc in loco, & salutem, & fidem in se, siue corpus suum dicit. Vtrunque enim animam fortiorum reddit. Atqui alibi dixit, Si quis sermonem meum audierit, mortem nõ gustabit, & perturbati sunt: hic non itidem, quia iam ob panis miraculum eum reuerbatur. Animaduerte autem quam faciat huius panis, & mannae differentiam, ab vtriusque scilicet sine. Quod enim manna nihil magnum præberet, addidit; Patres vestri manducauerunt manna in deserto, & mortui sunt. Inde subdit maximam persuasionem, quod longè pluris, maioribus illis patribus Mose, & claris illorum temporum viris ipsi habiti sint. Quum enim dixisset mortuos, qui manna comedisent, profecutus est; Hic est panis de cælo descendens: ut si quis ex ipso manducauerit, &c. Illa præterea particula, In deserto: manna nõ diu durasse, neque in terram promissionis venisse significat. Hic autem panis non est eiusmodi. Et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Meritò hoc in loco dubitare quispiam posset, cur hæc nunc Christus loqueretur, quum nihil proficeret, nihil ædificaret, imò esset adificatus nocumento? Ex hoc enim (inquit) multi ex discipulis suis retrò abierunt, &c. Erant igitur hæc solis discipulis communicanda, vt Matthæus priuatum cum ipsis loqui testatur. Quid ad hoc dicemus: Quenam horum verborum utilitas? Magna quidem, & necessaria, Quæ enim in petendo cibo instarent, & patribus suis datum memorarent, & manna tanquam magnum quiddam laudarent, omnia illa figuram, & vmbra fuisse, rerum autem veritatem præsentem ostendit. Ideo spiritalis cibi meminit. Sed erat, inquit, dicendum; Patres vestri manducauerunt manna in deserto, ego autem vobis panem præbui. Sed magna sanè differentia: minus enim hoc, quam illud visum esset: propterea quòd manna ex alto laboretur, panum autem miraculum inferne gestum esset. Quum ergo de cælo cibum quærerent ideo frequenter de cælo se descendisse testatur. Quòd si quis percõraretur, cur mysteriorum sermonem adduxerit? Respondemus quod horum nunc maximè tempus erat. Obscurius enim dictum semper auditorem erigit, & attentiorè reddit. Non ergo perturbari debebant, sed interrogare, & quarere. Sed abierunt. Quòd si prophetam eum arbitrabatur, credere eius verbis oportebat. Itaque stultitia sua, non sermonis Christi obscuritate perturbabantur: tu autem considera, quomodo eos ad se paulatim trahit. Nam se, non patrem dedisse dicit, Quam ego dabo pro mundi vita. Sed aliena quædam doctrina erat, inquit, & di-

Eucharistia  
animam for-  
tiorum reddit.

uerfa. Atqui Ioannes superius hoc significat, agnum ipsum appellans, sed non intellexerunt. Non me latet, sed neque discipuli sciebant. Nam si de resurrectione nondum quicquam norant, & propterea ignorabant, quid sibi vellent, Soluite templum hoc, & in tribus diebus suscitabo illud: multo magis, quæ hic dicuntur, quæ obscuriora sunt. Quod enim propheta suscitasset, norant, quoniam non tam manifestè locuta sunt scripturæ: quod autem carnem quis comederit, nõquam quisquam illorum dixerat. Verum tamen persuasi sunt, & sequebantur, & habere eum verba vitæ confitebantur. Hoc discipuli est, quæ magister asserit, non curiosus inuestigare, sed audire, & credere, & idoneum solutionis tempus expectare. Quid igitur aiunt contrarium accidisse? Abierunt retrò: Hoc propter eorum stultitiam. Quando enim subit quæstio quomodo aliquid fiat, simul subit & incredulitas. Ita & Nicodemus perturbatus est inquit; Quomodo potest homo in ventrem matris suæ iteratò introire? Itidem & hi nunc; Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? Nam, si hoc inquit, cur non idem in quinque panum miraculo dixisti, quomodo eos intantum auxit? Quia tunc tantum saturari curabant, non considerare miraculum: sed res ipsa tunc docuit, inquit, Ergo ex eo & hæc credere oportuit ei facilia factu esse. Propterea id prius fecit miraculum, vt per illud non essent amplius incredulitas, quæ post modum diceret. Illi quidem tunc temporis nihil ex his dictis, nos ipsius beneficij utilitatem cepimus. Quare necessariò dicendum quam admiranda mysteria, & cur data sint, & quænam eorum utilitas. Vnum corpus sumus, & mēbra ex carne, & ossibus eius. Initiati autem, ea, quæ dicuntur, diligenter considerent, & sequantur. Quare initiati eius præceptis parere debent. Vt autem non solum per dilectionem, sed re ipsa in illam carnem conuertamur: per cibum id efficitur, quem nobis largitus est. Quum enim suum in nos amorem indicare vellent, per corpus suum se nobis comiscuit, & in vnum nobiscum redegit, vt corpus cum capite vniretur. Hoc enim amantium maximè est. Hoc Iob significabat de seruis, à quibus maxime amabatur, qui suum amorem præ se ferentes dicebant; Quis daret nobis, vt eius carnibus implemur? Quod Christus fecit, vt maiori nos charitate adstringeret, & vt suum in nos ostēderet desiderium, non se tantum videri permittens desiderantibus, sed & tangi, & manducari, & dentes carni suæ infigi, & desiderio sui omnes impleri. Ab illa igitur mensa tanquam Leones ignem spirantes surgamus, diabolo formidolosi, & caput nostrum intelligamus, & quam in nos præ se tulit charitatem. Parentes sæpenumero liberos suos aliis alendos dederunt: ego autem mea carne alo, me his exhibeo, omnibus optinam de futuris spem præbeo. Qui in hac vita ita se nobis exhibet, multo magis in futura. Vester ego frater esse volui, & communicauit carnem propter vos, & sanguinem: & per quæ vobis coniunctus sum, carnis vobis exhibui. Hic sanguis facit, vt imago in nobis regia floreat: hic sanguis pulchritudinem, atque nobilitatem animæ, quam semper irrigat, & nutrit, languescere nõ sinit. Sanguis enim à cibo non fit repente, sed prius aliud quiddam: hic quam primò irrigat animam, eamque

vi quadam magna imbuat. Hic mysticus sanguis demones procul pellit, angelos, & angelorum dominum ad nos allicit. Demones enim, quum dominicum sanguinem in nobis vident, in fugam vertuntur, angeli autem procurant. Hic sanguis effusus, vniuersum abluit orbē terrarum, de quo multa Paulus ad Hebræos profecutus est. Hic sanguis abdita, & sancta sanctorum purgabat. Quod si eius figura tantā habuit vim in templo Hebræorum, in medio Agypto liminibus aspersus: iogè magis veritas. Hic sanguis aureum altare significauit. Sine hoc princeps sacerdotum in penetralia ingredi non audebat. Hic sanguis sacerdotes faciebat, hic sanguis in figura peccata purgabat, in qua si tantam habuit vim, si vmbra ita mors horruit, quantopere quælo ipsam formidabit veritatem? Hic nostrarum animarum salus est, hoc lauat anima, hoc ornatur, hoc incenditur, hic igne clariorem nostram mentem reddit, & auro splendidiorum: Huius sanguinis effusio cælum peruium fecit. Admiranda sanè ecclesiæ mysteria, admirabile sacrarium. Ex paradiso fons scaturit, à quo sensibiles flumij emanarēt. A mensa hac prodit fons, qui fluuios spirituales diffundit: iuxta hunc fontem non steriles salices germinant, sed arbores cælum ipsum attingentes, quæ fructus tempestiuos, & solidos semper producant: si quis æstuat, ad hunc fontem se conferat, & recreabitur. Mūdā squalorem, & sordes, æstus mitigat, non solares, sed quos ignita sagitte imprimunt. Etenim ortum suum supernè habet, inde radicem, vnde irrigatur. Multi huius fontis riuu, quos paracletus diffundit, & filius arbiter est, neque bidente, aut ligone viam facit: sed animos nostros aperit. Hic fons lucis est fons diffundens radios veritatis, huic supernæ adstiterunt virtutes, fluctuum eius pulchritudinē inspicientes. Nā manifestius quam nos illa propostorum virtutum, & fulgorem inaccessibilem intuentur. Quemadmodum enim, si quis liquefacto auro manum, vel linguam iniiciat, quam primum deauratur: ita hæc nobis propostita animam auream reddunt. Resurgit enim vehementius igne fluuius, neque incendit, sed abluit tantum, quicquid comprehenderit: Hic sanguis præfiguratus est semper in altariibus, in istorum cædibus: Hic orbis terrarum decus est, hic est, quo Christus emit, quo vniuersam ornauit ecclesiam. Vt enim homo seruos auro erit, & ornat: ita nos sanguine suo Christus. Qui huius sanguinis sunt participes, cum angelis, & archangelis, & supernis virtutibus commorantur: ipsam regiam Christi stolam induti, spiritibus armis muniti. Sed nihil dixi, imò ipsum induti sunt regem, sed sicut magnum est, & admirabile: ita, si purè accesseris, ad salutem accessisti: si praua cõscientia, ad poenam, & supplicium Domini, iudicium sibi manducat, & bibit. Nam, si qui regiam purpuram coinquant, haud secus, quam qui scindunt, puniuntur, quid mirum, si qui immunda conscientia Christi corpus accipiunt, idem supplicium subeant quod qui eum clavis cruci affixerunt? Vide quam formidandam poenam his minerit Paulus; Irritam quis faciens legem Moysi, sine vlla miseratione duobus, vel tribus testibus moritur: quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pol-

lurum duxerit, in quo sanctificatus est? Consideremus igitur rem nostram, dilectissimi, cum tantis fruamur bonis, & cum turpe aliquod animum subit, cum ira, vel re, vel verbis rapimur: quid mereamur, quem spiritum acceperimus, nobiscum reputemus, & irrationabiles nostros cohibeamus affectus. Hæc cogitatio nostra sit. Quousque rebus presentibus incumbemus? Quousque non excitabimur? Quousque nullam salutem nostræ curam adhibebimus? Intelligamus quot in nos beneficia contulit Christus, Gratias habeamus, glorificemus, non fide tantum, sed & operibus, vt futura bona consequamur: gratia, & benignitate domini nostri Iesu Christi, per quem, & cum quo patri gloria, simul & spiritui sancto, in secula seculorum, Amen.

S. AVGVST. EPISCOPI  
Hippon. in superius Euang.  
Homilia

Nemo potest venire ad me, nisi pater qui misit me traxerit eum. Magnæ gratiæ commendatio. Nemo venit nisi trahatur. Quem trahat, & quem non trahat: quare illum trahat, & illum non trahat, noli velle iudicare, si non vis errare: semel accipe, & intellige. Non traheris? ora vt traharis. Quid hic dicimus, fratres? si trahimur ad Christum ergo inuiti credimus, ergo violentia adhibetur, non voluntas excitatur? Intrare quisquam Ecclesiam potest nolens, accedere ad altare potest nolens, accipere potest sacramentum nolens, credere non potest nisi volens. Si corpore crederetur, fieret in nolentibus: sed non corpore creditur ad iustitiam. Apostolum audi dicentem; Corde creditur ad iustitiam. Et quid sequitur; Ore autem confessio fit ad salutem. De radice cordis surgit ista confessio. Aliquando audis contententem, & nescis ardentem: vocas contententem, & nescis contententem. Sed nec debes vocare contententem, quem iudicas non contententem: hoc est enim confiteri dicere, quod habes in corde. Si autem aliud in corde habes, aliud dicis, loqueris, non cõfiteris. Cum ergo in Christum corde credatur, quod nemo utique facit inuitus: qui autem trahitur, tanquam inuitus cogi videretur, quomodo istam soluimus quæstionem: Nemo venit ad me, nisi pater qui me misit, traxerit eum? Si trahitur, ait aliquis, inuitus venit: si inuitus venit, nec credit: si non credit, nec venit. Non enim ad Christum ambulando currimus, sed credendo: nec motu corporis, sed voluntate cordis accedimus. Ideo illa mulier, quæ simoniam tetigit, magis tetigit quam turba, quæ presit. Ideo dominus dixit, Quis me tetigit? & mirantes discipuli dixerunt, Turba te comprimit, & dicis, quis me tetigit? Et ille repetiuit, Tetigit me aliquis. Illa tangit, turba premit: quid est, tetigit, nisi credidit? Vnde & mulieri illi post resurrectionem dixit volenti se mittere ad pedes eius, Noli me tangere, nondum enim ascendi ad patrem: quod vides hoc solum me esse putas. Noli me tangere, quid est? Hoc me solum esse putas, quod tibi appareo. Noli me sic credere, hoc est, noli me tangere; nondum enim ascendi ad patrem meum: tibi nondum ascendi, nam inde nunquam recessi. In terra non tangebatur stantem, & quomodo tangeret ad patrem ascendentem? Sic tamen sic te tangi. Bibl. Hom. tom. 3. A a gi

Eucharistia  
animam for-  
tiorum reddit.  
Eand. 12.  
Sanguis Chri-  
sti quæ nos su-  
mmis non est  
figura, sed ve-  
ritas.

Ex tract. 26.  
in Ioan.  
2. son. distinet.  
2. cap. non est  
ramon.  
Rom. 10.  
Luc. 8.  
Ioan. 20.

gi voluit, sic tangitur ab eis, à quibus bene tangitur, ascendens ad patrem, manens cū patre, æqualis patri. Inde & hic si adueris; Nemo venit ad me, nisi quem pater attraxerit, noli te cogitare inuitum trahi. Trahitur animus & amore. Nec timere debemus, ne ab hominibus qui verba perpendunt, & à rebus maxime diuinis intelligendis longe remoti sunt, in hoc scripturarum sanctarum euangelico verbo forsitan reprehendamus, & dicatur nobis; Quomodo voluntate credo, si trahor? Ego dico; Parum est voluntate, etiam voluptate traheris. Quid est trahi voluptate? Delectare in domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. Est quædam voluptas cordis, cui panis dulcis est ille cælestis. Porro si potæ dicere licuit, Trahit sua quemque voluptas: non necessitas, sed voluptas: non obligatio, sed delectatio: quanto fortius nos dicere debemus, trahi hominem ad Christum, qui delectatur veritate, delectatur beatitudine, delectatur iustitia, delectatur sempiterna vita, quod totum Christus est: An vero habent corporis sensus voluptates suas, & animus deserit à voluptatibus suis? Si animus non habet voluptates suas, unde dicitur; Filij autem hominum, sub tegmine alarum tuarum sperabunt. Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrete voluptatis delectationum tuarum potabis eos; Quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen. Da amantem, & sentit quod dico, da desiderantem, da esurietem, da in ista solitudine peregrinantem, atque sitientem, & fontem æternæ patriæ suspirantem, da talem, & scit quid dicam; si autem frigidus loquor, nescit quid loquor. Tales erant isti, qui inuicem murmurabāt. Pater, inquit, quem traxerit, venit ad me. Quid est autē, Pater quem traxerit, cum ipse Christus trahat? Quare voluit dicere, pater quem traxerit? Si trahendi sumus, ab illo trahimur, cui dicit quædam, quæ diligit; Post odorem vnguentorum tuorum curremus. Sed quid intelligi voluit, aduertamus, fratres, & quantum possumus capiamus. Trahit pater ad filium eos, qui propterea credunt in filium, quia eum cogitant patrem habere Deum. Deus enim pater æqualem sibi genuit filium, & qui cogitat, atque in fide sua sentit, & ruminat æqualem esse patri eū, in quem credidit, ipsum trahit pater ad filium. Arrius credidit creaturam, non eum traxit pater, quia non considerat patrem, qui filium nō credit æqualem; Quid dicis, o Arri, quid dicis, hæretice, quid loqueris? Quid est Christus? Non, inquit, Deus verus; sed quem fecit Deus verus. Non te traxit pater, non intellexisti patrem, cuius filium negas. Aliud cogitas, non est ipse filius, nec à patre traheris, nec ad filium traheris. Aliud est enim filius, aliud quod tu dicis. Photinus dicit? Homo solus est Christus, non est & Deus; Qui sic credit, non pater eum trahit. Quem trahit pater? Illum qui dicit; Tu es Christus filius Dei viui, non sicut Propheta, non sicut Ioānes, non sicut aliquis magnus iustus, sed sicut vnicus, sicut æqualis, Tu es Christus filius Dei viui, ait. Vide quia tractus est, & à patre tractus est. Et dominus quid? Beatus es, Simon Bar-jona, quia nō tibi reuelauit caro, & sanguis, sed pater meus, qui in cælis est. Ita est reuelatio, ipsa est attractio. Ramum viridem ostendit oui, & trahis illam, Nuces puero demonstrantur, & trahitur, & quod errit trahitur, amando trahitur, sine læsione corporis trahitur, cordis vin-

*Psal. 36.*

*Virg. in egl.*

*Psal. 35.*

*Can. 1.*

*Mat. 16.*

culo trahitur. Si ergo ista quæ inter delicias, & voluptates terrenas reuelantur amantibus, trahunt, quoniam verum est; Trahit sua quæque voluptas: non trahit reuelatus Christus à patre? Quid enim fortius desiderat anima, quàm veritatem? Quo auidas fauces habere debet, vnde optare, vt sanū sit intus palatum vera iudicandi, nisi vt manducet & bibat sapientiam, iustitiam, veritatem, æternitatem? Vbi autem hoc? Ibi melius, vetius ibi, planius ibi: nam hic facilius possumus esurire, & hoc si bonā spem habemus, quàm saturari: Beati enim inquit, qui esuriunt & sitiunt iustitiam, sed hic: quoniam saturabuntur, sed ibi. Ideo cū dixisset, Nemo venit ad me nisi pater qui misit me, traxerit eū: quid subiicit? *Et ego resuscitabo eū in nouissimo die.* Reddo illi, quod amat, reddo, quod sperat. Videbit quod adhuc non videndo credidit: manducabit quod esuriit: satiabitur eo quod sitit. Vbi? In resurrectione mortuorum? quia ego resuscitabo eum in nouissimo die: *Scriptum est enim in prophetis. Et erunt omnes docibiles Dei.* Quare hoc dixi, o Iudæi? Pater vos nō docuit, quomodo potestis me agnoscere? Omnes regni illius homines docibiles Dei erunt, non ab hominibus audient; & si ab hominibus audierint, tamen quod intelligunt, intus datur, intus coruscet, intus reuelatur. Quid faciunt homines forinsecus annūciantes? Quid facio modo ego, cum loquor? Strepitum verborum ingero auribus vestris, Nisi ergo reueler ille, qui intus est, quid dico, quid loquor? Exterior cultor arboris: interior est creator. Qui plantat, & qui rigat, exterior operatur: hoc facimus nos. Sed neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus: hoc est, erunt omnes docibiles Dei. Qui omnes? *Omnis qui audiuit à patre, & didicit, venit ad me.* Videte, quomodo trahit pater: docendo delectat, non necessitatem imponendo. Ecce quomodo trahit, erunt omnes docibiles Dei. Trahere Dei est. Omnis qui audiuit à patre, & didicit, venit ad me: trahere enim Dei est. Quid igitur, fratres? Si omnis, qui audiuit à patre, & didicit, ipse venit ad Christū, Christus nihil hic docuit. Quid quod patrem magistrum homines non viderūt filium viderunt? Filius dicebat, sed pater docebat. Ego cum homo sim, quem doceo? Quem, fratres, nisi eum, qui audit verbum meum? Si ego cum homo sim, illum doceo, qui audit verbum meum: illū docet pater, qui audit verbū eius. Si illum docet pater, qui audit verbum eius, quare quid sit Christus, & inuenies verbum eius. In principio erat verbum. Non in principio fecit Deus verbum, quomodo in principio fecit Deus cælum, & terram; ecce quia non est creatura. Discite trahi ad filium à patre, doceat te pater, audi verbum eius. Quod verbum, iniquies audio? In principio erat verbum. Non factum est, sed erat, & verbum erat apud Deū, & Deus erat verbum. Quomodo homines in carne constituti audiant tale verbum? Quia verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Exponit hoc & ipse, & ostendit nobis quid dixerit, qui audiuit à patre, & didicit, venit ad me. Continuo subiicit, quod cogitare possumus; *Non quia patre vidit quisquā, nisi is, qui est à Deo, hic vidit patrem.* Quid est, quod ait; Ego vidi patrem, vos non vidistis patrem, & tamen non venistis ad me, nisi trahamini à patre? Quid est autem nobis trahi à patre, nisi discere à patre? Quid est discere à patre, nisi audire à patre? Quid est audi-

*Mat. 16.*

*1. Cor.*

*1. Ioh.*

*Dei. dist. 2. cap. sancta. & cap. sicut. De. dist. 2. cap. panem de. 2. Mat. 6.*

re à patre, nisi audire verbum patris, id est, me: Ne forte ergo cum dico vobis; *Omnis qui audiuit à patre, & didicit, dicitur apud vos, sed nunquam vidimus patrem, quomodo ergo discere potuimus à patre? A me ipso audite; Non quia patrem vidit quisquā, sed qui est à Deo, hic vidit patrem:* ego noui patrem, ab illo sum, sed quomodo verbum ab illo, cuius est verbum, non quod sonat, & transit, sed quod manet cum dicente, & trahit audientem: admoneat quod sequitur; *Amen amen dico vobis, qui credit in me habet vitam æternam.* Reuelare se voluit quid esset: nam compendio dicere potuit, qui credit in me, habet me: ipse enim Christus verus Deus est, & vita æterna? Qui ergo credit in me, inquit, it in me: & qui it in me, habet me. Quid est autē habere me? Habere vitā æternam: vita æterna mortem assumpsit, vita æterna mori voluit: sed de tuo, non de suo accepit à te, vbi moreretur pro te: ab hominibus enim carnem assumpsit sed non lux hominum. Nam patrem habens in cælo, matrem elegit in terra, & illic natus sine matre, & hic sine patre. Assumpsit ergo vita mortem: vt vita occideret mortem. Nam qui in me credit, inquit, habet vitam æternam non quod patet, sed quod later. Vita enim æterna verbum, in principio erat apud Deum, & Deus erat verbum, & vita erat lux hominum. Ipse vita æterna, dedit & carni susceptæ vitam æternam. Mori voluit, sed die tertio resurrexit. Inter verbum suscipiens, & carnem resurgentem, mors media consumpta est. *Ego sum, inquit, panis vita.* Et vnde illi superbiebant? *Patres vestri, inquit, manducauerunt in deserto manna, & mortui sunt.* Quid est vnde superbitis? *Manducauerunt manna, & mortui sunt.* Quare manducauerunt, & mortui sunt? Quia quod videbant credebant, quod non videbant, non intelligebant: ideo patres vestri, quia similes estis illorum. Nam quantum pertinet, fratres mei, ad mortem istam visibilem, & corporalem, nunquid nos non morimur, qui manducamus panem de cælo descendente? Sic sunt mortui & illi, quem admodum & nos sumus morituri, quantum atinet, vt dixi, ad mortem huius corporis visibilem, atque carnalem. Quantum autem pertinet ad illam mortem, de qua terret dominus, quia mortui sunt patres istorum. Manducauit manna & Moyses, manducauit manna & Aaron, manducauit manna & Phinees, manducauerunt ibi multi, qui domino placuerunt, & mortui nō sunt. Quare? Quia visibilem cibum spiritualiter intellexerunt, spiritualiter esurierunt, spiritualiter gustauerunt, vt spiritualiter satiarentur. Nam & nos hodie accepimus visibilem cibum: sed aliud est sacramentum, aliud est virtus sacramenti. Quam multi de altari accipiunt, & moriuntur, & accipiendo moriuntur: vnde dicit Apostolus; Iudicium sibi manducant & bibunt. Nōne buccella dominica venenū fuit Iudæis? & tamen accepit, & cum accepit, in eum inimicus intrauit, non quia malum accepit, sed quia bonum male malus accepit. Videte ergo, fratres, panem cælestem spiritualiter manducante, innocentiam ad altare apportate. Peccata & si sunt quotidiana, vel non sint mortifera, antequam ad altare accedatis, attendite quod dicatis; Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Si dimittis, dimittetur tibi: secutus accede, panis est, non venenum. Sed vide si dimittis: nam, si non dimittis, mentis, & ei men-

ris, quem non fallis: mentiri Deo potes, Deum fallere non potes. Nouit ille quid agas, intus te videt, intus te examinat, intus inspicit, intus iudicat, intus aut damnat, aut coronat. Patres ergo istorum, id est, mali patres malorum, infideles patres infidelium, murmuratores patres murmuratorum. Nam de nulla re magis dominum offendisse ille populus dictus est, quàm contra Deum murmurando. Ideo & dominus volens ostendere eos talium filios, hinc ad eos cepit. Quid murmuratis in inuicem murmuratores, filij murmuratorum? *Patres vestri manna manducauerunt, & mortui sunt,* non quia malum erat manna, sed quia male manducauerunt. *Hic est panis, qui de cælo descendit.* Hunc panem significauit manna, hunc panem significauit altare Dei. Sacramenta illa fuerunt, in signis diuersa sunt, sed in re, quæ significatur, paria sunt. Apostolum audi; *Nolo enim vos, inquit, ignorare, fratres, quia patres nostri omnes sub nube fuerūt, & omnes mare transferūt, & omnes per Moysen baptizati sunt in nube, & in mari, & omnes eandem escam spiritalem manducauerunt.* Spiritalem vtique eādem, nam corporalem alteram, quia illi manna, nos aliud: spiritalem vero quam nos, sed patres nostri, non patres illorum, quibus nos similes sumus, non quibus illi similes fuerunt. Et adiungit; *Et omnes eūdem potum spiritalem biberunt.* Aliud illi, aliud nos: sed specie visibili quidem, tamen hoc idem significante virtute spiritali. Quomodo enim eundem potum? Bibebāt, inquit, de spiritali, sequente petra: petra autem erat Christus. Inde panis, inde potus. Petra Christus in signo, verus Christus in verbo, & in carne. Et quomodo biberunt? Percussā est petra de virga bis. Gemina percussio, duo ligna crucis significat. *Hic est ergo panis, qui de cælo descendit. Vt, si quis manducauerit ex ipso, non moriatur.* Sed quod pertinet ad virtutē sacramenti, non quod pertinet ad visibile sacramentum. Qui manducat intus, nō foris, qui manducat in corde, non qui premit dente. *Ego sum panis viuus, qui de cælo descendit.* Ideo viuus, quia de cælo descendit. De cælo descendit & manna: sed manna vmbra erat, iste veritas est. *Si quis manducauerit ex hoc pane, viuat in æternum.* Et panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Hoc quando caperet caro, quod dixit panem carnem? Vocatur caro, quod non capit caro. Et ideo magis non capit caro, quia vocatur caro. Hoc enim exhorruerunt, hoc ad se multum esse dixerunt, hoc non posse fieri putauerunt. *Caro mea est, inquit, pro mundi vita.* Norunt fideles corpus Christi, si corpus Christi non negligant esse. Fiant corpus Christi, si volunt viuere de spiritu Christi. De spiritu Christi non viuunt, nisi corpus Christi. Intelligite, fratres mei, quid dixerim, Homo es, & spiritum habes, & corpus habes. Spiritum dico, quæ anima vocatur, quæ constas, quod homo es: constas enim ex anima, & corpore. Habes enim spiritum inuisibilem, corpus visibile. Dic mihi quid ex quo viuat? Spiritus tuus viuunt ex corpore tuo, an corpus tuum ex spiritu tuo? Respondet omnis, qui viuunt, qui autem hoc non potest respondere, nescio si viuunt. Quid responderet omnis qui viuunt? Corpus vtique meum viuunt de spiritu meo: vis ergo & tu viuere de spiritu Christi, in corpore esto Christi. Nunquid enim corpus meum viuunt de spiritu tuo? Meum viuunt de spiritu meo, & tuum de spiritu tuo. Non potest viuere

*1. Cor. 10.*

*De conf. dist. 2. c. 1. inquit. Vltima interpretatio: non enim Apostolus dicit eadē nos eū illis, sed illos inter se.*

*Num. 20.*

1. Cor. 10.  
De cōsist. 1.  
ca. Hoc est sa-  
cramentum.

corpus Christi nisi de spiritu Christi. Inde est, quod exponens nobis Apollolus Paulus hunc panem; Vnus panis, inquit, vnum corpus multi sumus. O sacramētum pietatis, o signum vnitatis, o vinculum charitatis. Qui vult viuere, habet vbi viuat, habet vnde viuat, accedat, credat, incorporetur vt viuificetur. Non abhorreat à compage membrorum, non sit putre membrum quod resecari mereatur, non sit distortum, de quo erubescatur: sit pulchrum, sit aptum, sit sanum: hæreat corpori, viuat Deo de Deo, nunc laboret in terra, vt postea regnet in celo.

S. CYRILLI EPISCOPI  
Alex. superioris Euang. expositio.

**R**espondit ergo Iesus, & dixit eis, nolite murmurare inuicem. Nemo potest venire ad me, &c. Paruifaciunt Iudæi Iesum, cælestē eius patrem ignorantes, & terrestrem matrem solummodo, & Ioseph, qui pater videbatur, cognoscentes: propterea illis acrius respondit, & statim ad rem, quæ solius Dei est, inliit. Nam, cum inter se illi de ipso murmurarent, perfecit Iesus animum suum, vt ipsi se intelligant procul à veritate excedere. Nam, qui corda hominum nouit, & animorum consilia non ignorat: quomodo tantum hominibus non præstabit, quātum terrestribus natura Deus excellit? hac de causa mentem eorum aperiens, primo ait; nolite murmurare in inuicem, Deinde gratia Dei cognitionem sui haberi ostendit, cum dicat; neminem ad se venire posse, qui patris monitionibus non trahatur. ita eis persuadet pœnitentia, & lachrymis veniam de iis, quæ fecerunt, & dixerunt, à Deo patre postulare: vt per fidem in seipsum consilio patris, atque auxilio, meliore itinere facto, quod ipsi peccando exasperauerant, ad salutem renocentur, Susciturū autem à mortuis se credentes affirmat, deitatem suam hinc iterum ostendens. Deus enim solummodo potest, quod morte corruptum est, ad vitam reducere. Nam, qui naturaliter vita est, non qui ab alio viuendi gratiam consequitur, efficere illud potest. Scriptum est in prophetis, &c. Arrogantiam Iudæorum non ignorans, vt Deus, testimonio prophetarum firmavit, quod dixerat, ita & ignorantiam eorum denudat, & ora obstruit; non enim poterant etiam vocibus prophetarum se opponere: qui prædixerunt à Deo patre dignis hominibus ineffabili doctrina filium reuelatum iri. Non enim, cum dicat, neminem posse ad se venire, nisi pater traxerit eum, vi quadam cogi, trahiq; credentes putandum est, sed monitione, doctrina, reuelatione ineffabiliter facta, vt ille solus nouit, qui dignos cognouit. vnde intulit. Omnis qui audiuit à patre, &c. Vbi enim auditus disciplina, doctrinaque adest, ibi fides non vi, sed persuasione oritur, patrociniō igitur Dei patris, quod ex charitate dignis præstatur, non vi Christum fideles agnoscunt. Non enim possumus secundum ecclesiæ, veritatisque dogmata liberam potestatem hominis (quod liberum arbitrium appellamus) vilo modo negare. Ita iusti quidem præmiis propter iustitiam afficiuntur, qui vero male vixerunt, non iniuria puniuntur. Scire autem oportet, quando Christi mysterium pater dignis reuelare affirmatur, non absque filio, sed per filium

Gratia Dei  
cognitio Christi  
habetur.

Nemo quomodo  
diuinus trahitur  
sine intellectu  
legendus, ne  
cum nonatori  
bus erret.

Ecclesiæ veri  
tatis dogma  
est, hominem  
esse libero ar-  
bitrio præditi  
per quod aut  
pena, aut præ-  
mijs dignum  
reddat.

vt per sapientiam eius id ab eo fieri. Absurdum enim est, absque sapientia cognitionem aliquam factam esse putare, patris autem sapientia, filius est, quare per filium huiusmodi reuelationem dignis in hominibus pater efficit, & vt simpliciter, & vere dicam, omnia, quæ Deus pater velle, aut facere dicitur, filius quoque ac spiritus sanctus similiter patri & velle, & facere profecto dicentur. Idcirco, cum Deus pater reuelare fidelibus suum filium scribatur, ipse quoque filius, & spiritus sanctus id facere scribuntur, Petro enim constantissime cōfidenti, quia tu es Christus filius Dei, beatus, inquit, es tu, quia caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus, qui est in cælis. Paulus autem, non ab homine hoc ego accepi ministerium, inquit, sed per reuelationem Iesu christi, sed spiritus quoque sanctus non minus id facit. Ioannes enim in epistola scribit; Et vos vñtionem, quam accepistis ab eo, maneat in vobis, & non necesse habetis, vt aliquis doceat vos, sed, sicut vñctio eius docet vos de omnibus: ipse quoque saluator de spiritu dicit; Adhuc multa habeo vobis dicere; sed non potestis portare modo. Cum autem venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem, non enim loquetur à semetipso, sed quæcunque audierit, loquetur, & quæ ventura sunt, annuntiabit vobis: ille me clarificabit; quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis, Cum enim spiritus veritatis sit, non poterit non deducere ad veritatem omnes, ad quos peruenerit. Hæc dicimus, non sciendentes, aut diuidentes patrem à filio, aut spiritum à filio, atque patre, sed diffinientes, quia vna deitas est: ideo omne consilium, & operationem, quamuis vni personæ accommodetur, æqualiter tamen toti (vt sic dicam) trinitati necessario attribui, non enim diuisum operatur natura diuina, quamuis proprie vnaqueque trinitatis persona subsistere vere credatur: pater enim idipsum quod dicitur pater est; & filius similiter, ac spiritus sanctus. Ad hæc illud mihi dicendum videtur, quæ quodammodo ad aliquid se habeant: hæc ita se habent, vt alterum ab altero cognoscatur, quare necesse est: vt à patre filius, & à filio pater reueletur. Nam, si quis Deum vt patrem natura intelligat: is & filium eius ex Deo natum necessario intelliget: & si quis filium confiteatur, is patrem ignorare non potest: propterea saluator ait; manifestauit nomen tuum hominibus. Nam, quia filius Dei esse cognitus est: patris hinc vere nomen cognitum esse asserit. Cognitionem autem sui filij non sono, aut voce pater nobis immittit: sed illuminatione mentis, qua recte diuinas scripturas percipimus, quæ illustratio animi à filio quoque fieri dicitur, Scribitur enim, quia tunc adaperuit oculos eorum, vt scripturæ inuolucra possent intelligere. Non quia patrem vidit quisque, &c. Cum vt Deus præuiderit non recepturos illos doctrinam spiritus, nec de superna illustratione quicquam cogitatos, credentes ex imperitia non posse à Deo se doceri, nisi Deum oculis cernant, auribusque audiant, vt temporibus Moysis factum fuisse putabant, quasi fræno quodam connectit, hortaturque; ne adeo rudes sint, vt oculis posse vnquam cerni naturam deitatis arbitrentur. Nullus enim, inquit, patrem vnquam vidit, videtur autem occulte de Mose dicere: quem Iudæi putabant, quoniā in montem ascendit, & in tenebras ingressus fuit ipsam

Matth.

Galat.

1. Ioh.

1. Ioh.

1. Ioh.

1. Ioh.

Lucia

Extr.

ipsam ineffabilem Dei naturam oculis suis vidisset; verum ne turbarentur, non de ipso determinaret, sed de omnibus vniuersaliter dixit, non quia patrem vidit quisquam, nolite, inquit, quæ naturam excedunt, polcere: vel quod omni creaturæ impossibile est, ad illud furiosa cogitatione delabi, nullus enim Deum vidit, præter filium, qui vltra omnia est. Quomodo igitur, si cum nullus patrem vidit, & nihil id penitus posse præter filium intelligimus, non erit vltra omnem creaturam filius? quomodo, si omnia sint ex Deo (vt ait Paulus) nec quicquam præter filium, patrem videat, non erit ipse quodam alio modo ex Deo quam creaturæ, id est, ex substantia ipsius patris? Si enim ita non est, quamnam ob rem, cum omnia sint ex Deo, ipse solus idcirco, quia ex Deo est, patrem videt? Pater igitur per creationem cætera, filium autem altiore quodam, & veriore modo ex Deo esse, quia ex Deo naturaliter: propterea cæteris non connumeratur; quia creatura non est, sed tãquam patri consubstantialis videbit profecto eum, ex quo est, quomodo autem aut ipse patrem videt, aut pater eum: lingua hominum dici non potest, intelligere tamen id debemus, vt deitatem decer. Amen amen dico vobis, qui credit in me, &c. Audi audis, inquam, atque attende, Ianua, & via in vitam fides est, & recursus quidam, atque reductio à corruptione in immortalitatem. Mirari autem decet dispensationem, qua in his verbis vitur. Nam, quoniam insensatos omnino esse videt, & prophetarum etiam verbis parum ex imperitia credentes, imbecillitatem eorum ad fidem quasi inueiurando erigit, præmia credentibus præcipua, quibus ad se trahat, proponens: ita nolentes summa præmij spe ad fidem impellit; quid enim melius, aut suauius mortem, & corruptionem cimentibus, quàm vita æterna? Cum autem ipse sit vita, & vita æterna, seipsum credentibus daturum pollicetur, quod est, vt in cordibus nostris per fidem inhabitet. Ego sum panis vitæ, &c. Ex. 65. Liquido in istis videre licet, quod ab Esaia prædictum est, apparui non quærentibus me, inuentus sum à non inuestigantibus me; dixi ecce ego ad gentem, quæ non inuocabat nomē meum; expandi manus meas tota die ad populum incredulum, & contradicentem: omnibus enim orationis velaminibus remotis, aperte seipsum ostēdit dicens; ego sum panis vitæ, vt discerent, si mortem effugere vellent, necesse esse illo pane participare, qui mortem solus, & interitum potest destrueret, Id enim opus proprium vitæ est, verum, quoniam māna de cælo patribus suis pluuisse contententes, panem verum, qui de cælo descendit, id est, filium Dei non suscipiebant, necessario figuræ ad veritatem collationem subiecit; vt hinc discant non illum, sed eum esse panem de cælo, quem periculo rerum ita iure & esse, & appellari percipimus. Nam vestri maiores, ait, quamuis manna comēdissent, naturæ tamen concesserunt, breue, corporalēq; alimentū inde consequentes: quod certum argumentum est, nequaquam in immortalitatem transformatos fuisse, qui manna comederunt: contra vero id ipsum vestigium est, quod panis vitæ vere filius est, quia, qui eo participant, à vinculis mortis omnino liberantur. Imaginem autem, atque vmbra panis veri manna fuisse, & nobis in superioribus dictum est latius,

& Psalmista in spiritu clamauit; panem de cælo dedit eis: panem angelorum manducavit homo. Videtur enim hæc de maioribus suis dixisse; vere autem non de illis, sed de nobis potius dicit, furoris enim penitus plenum est, angelos (qui natura incorporei sunt) rudiore vt alimento putare, patrociniōq; indigere cibi, quemadmodum animata hæc, & terrestria corpora: pater enim, quia spiritus sunt, naturæque intellectus, spiritali quoque illos, ac intellectuāli sui alimento: quomodo igitur maiores Iudæorum panem hunc angelorum spiritalem comederunt? Conspicuum igitur est, quoniam Christi, qui vniuersa continet, atque nutrit, figura quædam erat manna sensibile, idcirco, quod vmbra veritatis erat, veritatis nomine in spiritu appellauit, & eo quod angeli terrestri participare cibo nequeunt, vel nolentes ad veritatem à figura impellit auditores: & ad Christum, qui etiam ipsorum angelorum panis est, ænigmatica oratione reducit. Mortui ergo sunt, inquit, qui manna manducauerunt: quia nullam inde vitæ perpetuæ virtutem acceperunt. Non enim viuificabar, sed famem solummodo corporalem remouebat, & figura erat veritatis: qui vero panem vitæ suscipiunt, immortalitatem consequentur, & omnia interitus mala effugiet, cum Christo æternaliter viuente. Nihil autem verbis nostris officit, nec idcirco mēiri videbimur, quia fideles, qui Christo participarunt, corpore moriuntur. Nam, etsi hac communi omnium morte cadere videantur, viuunt tamen Deo, vt Paulus ait. Ego sum panis vitæ, &c. Eadem ad vor dicere, Paulus ait, & vobis tutum, & mihi non molestum, ab ipsis, vt puto, Christi verbis ita perdoctus; Nam, quemadmodum cruditati vulnerum, non vnum, sed varia vicissim remedia conferuntur, neque semel, sed frequenter appositis remedijs molliuntur: sic duro animo varia quædam, & frequens accommodanda doctrina est, vt, si prima parum profecerit, secunda saltem, aut tertia, vel eisdem verbis allata, permulcere, atque attrahere possit. Quapropter saluator varia oratione modo ænigmatica, atque obscure, modo dilucide, atque aperte eandem rem Iudæis proposuit, vt excusari nequeant, si resiliierint: sed mali male perdentur, tanquam manu propria in animam suam gladium immittentes: iterum igitur plane clamat; Ego sum panis, qui de cælo descendi. Ille figura, imago, vmbraque solummodo fuit. Audiatis hoc dilucide dictum; ego sum panis vitæ: si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Non obdurescamus igitur, roties à Christo veritatem audientes, Non est enim ambigendum, qui summa supplicia subiri sint, qui sapius hæc à Christo iterata non capiunt: propterea etiam de Iudæis dicit, Si non venissem, locutusque ipsis non essem, peccatum non haberent: nunc autem non habet excusationem de peccato eorum. Nam, qui nihil audierunt, mitiorem forsan inuenient iudicem, nihil se audisse contententes: quamuis, quoniam non quæsiuerunt, relaturi rationem sint: qui autem sepius eadem doctrina monentur, qui seipso sponte obdurant, maiore cruciatu verabuntur, nihil habentes; quo iudex placari possit. Quod Christi corpus viuificat. Et panis, quem ego dabo, &c. Mortior, inquit, pro omnibus, vt per me ipsum omnes viuificem, & caro meā omnium redemptio fiat: morietur enim mors morte mea: & si-  
Bibl. Hom. tom. 3. Aa 3 mul

Psal. 77.

Rom. 6.

Philip. 3.

Matth. 22.

1. Ioh. 15.



mul mecum natura hominum resurget. Factus enim homo sum ex semine Abraham, ut in omnibus fratribus similis sim. Quod cum recte intellexerit beatus ille Paulus, ait; quia ergo pueri communicauerunt carni, & sanguini, & similiter ille participauit eisdem, ut per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, id est, diabolium. Non enim poterat mors aliter destrui, & mortis princeps deponi, nisi Christus seipsum in redemptionem pro nobis tradidisset: propterea in Psalmis immaculatam quasi hostiam patri se offerens, ait, sacrificium, & oblationem noluisti, aures autem perfecisti mihi: holocausta & de peccato tibi non placuerunt, tunc dixi, ecce venio: in capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam, Deus meus, volui. Nam, quoniam taurorum, hircorumque sanguis, & iuencarum cinis ad peccatorum ablationem non sufficiebat, nec brutorum vnquam animalium cædes mortem posset deicere, ipse Christus, ipse, inquam, vnus, pœnas pro omnibus luit. Liuore nanque ipsius sanati sumus, & delicta nostra ipse corpore suo in lignum tulit: crucifixus autem est pro omnibus, ut morte vnus in ipso omnes viuamus: non enim fuit amplius possibile à morte, atque interitu vitam nostram detineri. Quod autem pro vita mundi carnem suam obtulit, verbis eius cognoscemus; Pater, inquit, sancte, conserua eos: & rursum; pro eis ego sanctifico meipsum. Sanctificare autem seipsum dicit, non quia mundior ipse animo fieret, ut nos, nec quia spiritu sancto participaret, quippe in quo spiritus naturaliter est, atque ideo sanctus semper est, sed, quia se offert quasi hostiam immaculatam in odorè suauitatis, sanctificare seipsum dicit. Sanctificabatur enim, id est, sanctum secundum legem appellabatur, quod ad altare adducebatur. Dedit igitur pro vita omnium corpus suum dominus: & per illud rursus vitam in nobis immitte, & quomodo, dicam breuiter pro viribus meis. Nam, cum viuificans Dei filius in carne habitauerit, ad suum bonum eam, id est, ad vitam reformauit, & totus (ut ita dicam) toti, ineffabili modo vnionis coniunctus, viuificantem ipsam effecit, quia natura viuificans est, propterea participantes hæc caro viuificat, eicit enim mortem ab eis, & interitum penitus expellit. Sed obiiceret forrasse quispiam, ad dormientium exuscitationem mentis oculum dirigens; Nonne, qui Christi etiam fidem non susceperunt, ac ipsius corporis participes facti non sunt, resurrectionis tempore reuiuiscunt? Nonne vniuersum humanum genus, quod in mortem cecidit, ad vitam recurret? Omnino ita futuram respondebimus, resurgent enim mortui, propheta dixit: & ad omnem naturam humanam resurrectionis Christi mysterium peruenire credimus, & in ipso primo torum humanum genus ab interitu liberatum didicimus: omnes enim resurgent propter eum, qui primus resurrexit, & omnes ut homo in seipso continebat, & sicut in primo homine omnes mortui sumus, sic rursus in eo, qui primogenitus propter nos, & mortuus est, omnes reuiuiscunt, sed, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitam, ut scribitur; qui vero mala egerunt, in resurrectionem iudicij, morte autem ipsa ego puto acerbius, ad cruciatu aternos resurgere, vitam igitur proprie illam, quæ in Christo est, intelligere debemus, quæ beatitudine continetur aeterna, quam euangelii-

*Nō quod humanitas in diuinitate sit cōuersa, nec Eutychetis interpretatiōe, sed propter unitatē hypostaticam cōmunionem.*

*Esa. 26.*

*Ioan. 5.*

sta recte cognouit dicens; Qui credit in filium, habet vitam aeternam; qui autem incredulus est filio, non videbit vitam, sed ita Dei manebit super ipsum. Ecce enim, ecce inquam, non visuros vitam incredulos affirmat; quamuis per resurrectionem omnes reuincemus: quare patet præparatam sanctis gloriosissimam vitam, sic à saluatore appellatam fuisse: ad quam per participationem viuificantis carnis, certe perueniemus. Verum, quoniam sæpius se Christus panem appellauit, consideremus, si hoc vocabulo vsipiam à scriptura nominetur. Scriptum est ergo in numeris; Locutus est dominus ad Mosem, dicens, loquere filiis Israel, & dices ad eos; Cum veneritis in terram, quam ego dabo vobis, & comederitis de panibus regionis illius, separabitis primitias domino de pinguis panibus vestris, sicut de area primitias separabitis, ita & de pulmentis dabitis primitiam domino. Enigmatice, atque obscure nimum per figuram ista fiebant, quibus velut de celo panis, id est, Christus obumbrabitur. Recordari enim oportet, quod homo propter nos factus, & ad similitudinem nostram quasi primitia quedam, ac separatio nostræ massæ (ut scribitur) Deo patri oblatum est, primogenitum ex mortuis factus, & primitiam resurrectionis hominum, ad cælum vsque ascendentes. Cæpit enim à nobis hominem, ut scribitur, quia semè Abraham apprehendit, oblatumque est vnus ex omnibus, & pro omnibus, ut omnes viuificaret, sicut ex area primus manipulus Deo patri offerri solebat: & quem admodum, cum ipse sit vera lux, hanc rem discipulis quoque gratia attribuit, vos enim, inquit, estis lux mundi. Sic, cum ipse sit panis viuus, qui omnia viuificat, continetque, ut sint, similitudine, atque umbra legali per duodecim panes facrum apostolorum præfigurauit consortium. Legitur enim in Leuitico, & locutus est dominus ad Mosem dicens; Præcipe filiis Israel, ut offerant tibi oleum de oliuis purum, ac lucidum ad concinnandas lucernas iugiter extra velum testimonij in tabernaculo fœderis. Accipietis etiam simillam, & coquetis ex ea duodecim panes, qui singuli habebunt duas decimas, quorum senos altrifecus super mensam purissimam coram Deo struetis, & ponetis super eos thus lucidissimum, & salem: ut sint panes in monumentum oblationis domini. Lucernam igitur, quæ in sancto tabernaculo, & extra velum posita locum illuminabat, beatum esse Baptistam, in superius diximus, Oleo autem purissimo ardere dicitur, illuminatione scilicet spiritus sancti. Extra velum autem lucebat; quoniam doctrina eius præparabat, non perficiebat; præparate, inquit, viam domini, & rectas facite semitas Dei nostri. Non enim, quæ intra velum erant, id est, reconditum Christi mysterium aperte denudauit. Ego, inquit, baptizo vos ad pœnitentiam in aqua, qui vero post me venit, fortior quam ego est; cuius ego calciamenta nequeo portare. Ipse vos baptizabit in spiritu, & igne, vides quomodo simpliciore doctrina lucet ad pœnitentiam vocans, & interiora velaminis denudanda illi relinquens, qui spiritu, & igne baptizat; sed hæc latius tunc diximus; quando ille propositus locus erat; ille erat lucerna ardens, & lucens. Nunc vero tetigimus, ut ordine à Ioanne ad apostolos descenderemus. Hac enim (ut ego arbitror) de causa, cum de lucerna scriptura dixerit, duo

*Ioan. 1.*

*Nom. 1.*

*Col. 1.*

*1. Cor. 1.*

*Hab. 1.*

*Leuit. 1.*

*Matth. 1.*

*Leuit. 1.*

*Esa. 4.*

*Matth. 1.*

*Ioan. 1.*

xit, duodecim nobis cōtemplationes panum tradidit; Facietis, inquit, panes duodecim, qui singuli habebant duas decimas. Soler scriptura denarium numerum quasi plenum semper accipere; numerorum enim omnium deinceps ordo anfractum quendam, & reuolutionem denarii numeri continet; duabus igitur decimis vnnumquodque panum constare iubet, ut perfectionem duabus rebus eorum consideres, in actiua, scilicet virtute, atque contemplatiua. Altrifecus autem ponere bipartitos iussit, ut statione ipsam ostenderet, consueuisse nanque discipulos credendum est in medio sui semper Christum habere, & quasi ad doctorem semper circumfundi. Ut autem discamus, Christi eos odorem factos, ac Deo patri oblatos, ut Paulus ait, thus imponi super panes imperauit; sale autem spargi, quia ipsi sunt sal terræ: die quoque sabbati hæc afferri lex voluit; quia vltimis seculis apparuerunt: vltimus enim dies hebdomadæ, sabbatum est, neque id solum, verum etiam, quia saluatoris aduentu spiritaliter sabbatizamus, ocium peccati agentes; quo tempore sancti ad nos apostoli missi sunt, quorum diuina scriptura ad vitam, & sanctificationem nos alunt, idcirco die sabbati duodecim illos panes in altari, id est, in ecclesia Christi ponere lex iubebat. Significatur enim sæpe à parte totum, ut panis igitur in lege saluator figurabatur: panes autem rursus etiam discipuli similitudine ipsius dicuntur. Panis enim verus, Christus est, similitudine autem ipsius, per gratiam etiam in discipulos, ac in discipulorum successores appellatio ista tranfit.

*Leuit. 2. 4.*

*1. Cor. 2.*

*Matth. 5.*

**S. LEONIS PAPAE**  
*de ieiunio Pentecostes, Sermo 1.*

**H**odiernam, dilectissimi, festiuitatem descensione sancti spiritus consecratam sequitur, ut nostis, solenne ieiunium, quod animis, corporibusque curandis salubriter institutum, denotat nobis est obseruantia celebrandū. Repletis namque apostolis virtute promissa, & in corda eorum spiritu veritatis ingresso, non ambigimus inter cætera cælestis sacramenta doctrinæ, hanc spiritualis continentia disciplinam de paracleti magisterio primitus fuisse conceptam, ut sanctificata ieiunio mentes conferendis sibi charismatibus fierent aptiores. Aderat quippe Christi discipulis protectio omnipotentis auxilij, & principibus nascentis Ecclesiæ tota patris, filijque diuinitas, in præsentia sancti spiritus præsidebat. Sed contra instantes impetus persequentium, contra minaces fremitus impiorum, non corporis fortitudinem, nec carnis erat saturitate certandum, cum hoc maximè hominis interiora corrumpat, quod exteriora delectat, & tæto fiat rationalis anima purgator, quanto fuerit substantia carnis afflictior. Itaque doctores, qui exemplis, & traditionibus suis omnes Ecclesiæ filios imbuerunt, tyrocinium militiæ Christianæ sanctis ieiuniis inchoarunt, ut contra spirituales nequitas pugnaturi, abstinentiæ arma taperent, quibus incentiua victorum truncarent. Inuisibiles enim aduersarij, & incorporales hostes, non erunt contra nos validi, si nullis carnalibus desiderijs fuerimus immergi. Cupiditas quidem nocendi in tentatore perpetua est,

*Ieiunium animi, corporibusque curandis diuinitate salubriter institutum.*

*Leuit. 1.*

*Matth. 1.*

*Ioan. 1.*

sed inermis; atque inefficax erit, si nihil in nobis, vnde contra nos pugnet, inuenierit. Quis autem hac fragili carne circumdatus, & in isto mortis corpore constitutus, etiam qui multum, valideque profecerit, ita iam de sua salute securus sit, ut ab omni se illecebrarum periculo credat alienum? donet licet sanctis suis quotidianam gratia diuina victoriam, non auferat tamen dimicandi materiam. Quia & hoc ipsum de misericordia protegentis est, qui naturæ mutabili, ne de confecto prælio superbiat, semper voluit superesse quod vinceret. Igitur post sanctæ dies lætitiæ, quos in honorem domini à mortuis resurgentis, ac deinde in cælos ascendens, exegimus, postque perceptum sancti spiritus donum, salubriter, & necessariè consuetudo est ordinata ieiunij, ut, si quid fortè inter ipsa festiuitatum gaudia, negligens libertas, & licentia inordinata præsumpsit, hoc religiosæ abstinentiæ censura castiget. Quæ ob hoc quoque studiosius exequenda est, ut illa in nobis, quæ hæc die Ecclesiæ diuinitus sunt collata, permanceant. Templum enim facti spiritus sancti, & maiore quam vnquam copia diuini fluminis irrigati, nullis debemus concupiscentiis vinci, nullis vitis possideri, ut virtutis habitaculum, nulla sit contaminatione pollutum. Quod utique regente, atque adiuvante domino omnibus obrinere possibile est, si per ieiunij purificationem, ac per misericordiæ largitatē studeamus, & peccatorum fordibus liberari, & charitatis fructibus esse fecundi. Quicquid enim in cibos pauperum, in curationes debilium, in pretia captiuorum, & in quælibet opera pietatis impenditur, non minuitur, sed augetur, nec vnquam apud Deum perire poterit, quod fidelis benignitas erogarit, dum, quodcunque tribuit ad subsidium, id sibi recondit ad præmium. Beati enim misericordes, quoniam ipsorum miserebitur Deus; neque delictorum memoria erit, ubi testimonium pietatis adfuerit. Quarta igitur, & sexta feria ieiunemus. Sabbato autem apud beatissimum Petrum Apostolum vigiliis celebremus, cuius nos orationibus, & à spiritualibus inimicis, & à corporeis hostibus cōsidimus liberari, per dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui tecum viuat, & regnat in vnitae spiritus sancti Deus per omnia secula seculorum, Amen.

*Ieiunio, & eleemosyna peccata purgantur.*

*Matth. 5.*

*Intercessio sanctiorum efficacis.*

*Traditionis Apostolicæ autoritas.*

**EIVSDEM DE IEIUNIO**  
*Pentecostes, Sermo 2.*

**D**ubitandum non est, dilectissimi, omnem obseruantiam Christianam, eruditionis esse diuinæ, & quicquid ab Ecclesia in consuetudinem est deuotionis receptum, de traditione apostolica, & de sancti spiritus prodire doctrina, qui nunc quoque cordibus fidelium suis præsidet institutis, ut ea omnes & obedienter custodiant, & sapienter intelligant. Nam, cum in die Pentecostes, quem à pascha Domini quinquagesimum celebamus, promissus à domino spiritus sanctus, expectantium mentes maiori quam vnquam copia, & clariore præsentia suæ maiestatis impleuerit, manifestissimè patet inter cætera Dei munera, ieiuniorum quoque gratiam, quæ hodiernam festiuitatem indiuisa subsequitur, tunc fuisse donatam, ut, sicut fuit concupiscentia initium peccatorum,



carorum, ita sit continentia origo virtutum. In exercendo autem hoc Dei munere, non ideo se-gniores esse debemus, quia & Iudaei, & haeretici saepe ab edendi libertate se continent, & apud ipsos paganos sunt quaedam vana ieiunia. Aliud enim agit sub veritate ratio, aliud sub falsitate deceptio. Apud nos fides etiam sanctificat manducantem, apud illos infidelitas polluit ieiunantem. Vnde quia extra Ecclesiam catholicam nihil est integrum, nihil castum, dicente Apostolo; Omne quod non est ex fide, peccatum est, cum diuisis ab unitate corporis Christi, nulla similitudine comparamus, nulla communione miscemur, quod utique nobis saluberrimum maximumque ieiunium est. Ad virtutem enim continentiae nihil prius pertinet, quam ab erroribus abstinere, quia tunc demum bene ambulatur, cum per viam veritatis inceditur. Nam quia angusta, & ardua peritiam, proclivis, & lata sestando, cito in perditionem deveniunt, melior est gradus lentior per iter rectum, quam velocitas festina per devium. Agnoscat ergo catholicus Christianus fructus ieiunij sui, quod etiam inter maximas largitates sterilissimum erit, nisi de sancti spiritus rigatione processerit. Cum enim dicat Apostolus, nullas sibi virtutes sine charitate prodesse, idemque dicat, charitatem Dei diffusam esse in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis, cavendum est, ne bona, quae facere sine bonitate non possumus, elatione perdamus. Nam omni se merito laude dispoliat, qui de studiis industriae suae in se magis quam in domino gloriatur, cum beatus David doceat in sanctorum operibus Deum esse laudandum, dicens; Mirabilis Deus in sanctis suis, Deus Israel ipse dabit virtutem, & fortitudinem plebi suae. Et iterum; Domine, in lumine vultus tui ambulabunt, & in nomine tuo exultabunt tota die, & in iustitia tua exultabunt, quoniam gloria virtutis eorum est tu. Et ideo, dilectissimi, secundum eruditionem spiritus sancti, per quem Ecclesiae Dei, omnium virtutum collata sunt dona, suscipiamus alacri fide solenne ieiunium, & in mandatis, quae poterimus efficere, contineamus nos ab inflatione iactantiae, ad Dei gloriam cuncta referentes, qui & bonarum est inspirator voluntatum, & bonarum est auctor actionum, dicente domino; Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & magnificent patrem vestrum, qui in caelis est, qui vivit, & regnat per omnia secula seculorum, Amen.

Rom. 14. Intelligendum apud eos nihil esse meritorium: alioquin si sum est, omnia eorum opera esse peccata, ut declarat Concil. Trid.

1. Cor. 13.

Rom. 5.

1. Cor. 1.

2. Cor. 10.

Hierem. 9.

Psal. 67.

Psal. 88.

Matth. 5.

EIVSDEM DE IEIUNIO Pentecostes, Sermo 3.

Sanctarum solennitatum, dilectissimi, ordine scelebrato, & spiritalis laetitiae devotione completa, oportet nos ad salubritatem recurrere paritatis, remediumque ieiunij & exercendis mentibus, & castigandis adhibere corporibus, ut, quia nos satis de hoc & divina monita, & propria experimenta docuerunt, primum per sacrorum dietum recursum divinae pietati gratias referamus, quum sanctas continentiae delicias appetentes, aliquantulum nobis de terrenorum ciborum abundantia subtrahamus, ita proficiat eleemosynis, quod non impenditur mensis. Tunc enim demum ad animae curationem proficit medicina ieiunij, cum abstinentia ieiunantis esuriam reficit indigentis. Quia ergo scimus apud misericordem Deum ieiunij praecellere eleemosynam, & dicente ipso domino; Date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis, si animas nostras a peccatorum sordibus cupimus emundari, eleemosynam pauperibus non negemus, ut in die retributionis ad promerendam Dei misericordiam, misericordiae operibus adiuvemur, per Christum dominum nostrum, Amen.

EIVSDEM DE IEIUNIO Pentecostes, Sermo 4.

Inter omnia, dilectissimi, Apostolica instituta doctrinae, quae ex divina institutionis fonte manant, dubium non est, influente in Ecclesiae principes spiritu sancto, hanc primam ab eis observationem fuisse conceptam, ut sancti observatione ieiunij, omnium virtutum regulas inchoarent, quia multum ad praeccepta Dei exeunda prodesset, si Christiana militia contra incontinentia omnia vitiorum, continentiae se sanctificatione munit. Cum enim per illecebram cibi irreprehenso prima causa peccati, quo salubriore Dei munere vitium redempta libertas, quam ut noverit abstinere a concessis, quae frenare se nesciunt a veteris? Omnis quidem creatura Dei bona est, & nihil est abiiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur. Sed non ad hoc creati sumus, ut foeda, & impudenti aviditate omnes mundi copias expetamus, tanquam, quod licet sumi, non liceat praetermitti. Laudetur Deus, qui hominum vsui tam multa donavit, sed agnoscat rationalis animus, maiores delicias menti datas esse quam carni. Et cum audit sibi per spiritum sanctum dici, post concupiscentias tuas non eas, & a volutate tua auertere, intelligat sibi contra omnia, quae sensibus corporis blandiuntur, temperantia sestandam esse virtutem, per quam, dum exterioris hominis voluntas minuitur, sapientia interioris augetur. Non enim idem vigor cordis est sub onere cibi, qui sub lenitate ieiunij, nec eundem sensum potest fatietas generare, quem parcitas. Quia quum caro concupiscens aduersus spiritum, spiritali cupiditate superatur, libera obtinetur sanitas, & sana libertas, ut & caro mentis iudicio, & mens Dei regatur auxilio. Ad hanc ergo vilitatem nos, dilectissimi, praesens tempus inuitat, ut a resurrectione domini usque ad adventum spiritus sancti quinquaginta diebus emensis, quos in laetitia praecipue festiuitatis exegimus, ad ieiuniorum remedia recurramus, ne forte per occasionem licentiae blandioris, aliquas negligentiae culpas delectabili vsu inciderit. Terra enim carnis nostrae nisi affiduis fuerit subacta culturis, cito de segni ocio spinas, tribulosque producit, & parum degeneri dabit fructum non horreis inferendum, sed ignibus concremandum, dicente Domino; Omnis plantatio, quam non plantauit pater meus caelestis, eradicabitur. Custodienda igitur nobis omnium germinum, seminumque generositas, quam ex summi agricolae plantatione concepimus, & vigili sollicitudine prouidendum, ne Dei munera aliqua inuidentis inimici fraude violentur, & in paradiso virtutum non crescat sylua vitiorum. Ad declinandum autem hoc malum nihil est potentius eleemosynis, atque ieiunij, dum & car-

Luce.

1. Tim.

Luce.

1. Cor.

1. Cor.

1. Cor.

1. Cor.

1. Cor.

1. Cor.

1. Cor.

1. Cor.

1. Cor.

1. Cor.

1. Cor.

1. Cor.

1. Cor.

1. Cor.

1. Cor.

1. Cor.

1. Cor.

1. Cor.

1. Cor.

1. Cor.

1. Cor.

1. Cor.

1. Cor.

1. Cor.

1. Cor.

1. Cor.

1. Cor.

1. Cor.

1. Cor.

1. Cor.

1. Cor.

1. Cor.

1. Cor.

1. Cor.

nales cupiditates continentia necat, & desideriorum spiritalium fructus, misericordiae cura multiplicat. Vnde charitatem vestram solemniter admonemus, ut per castigationem corporis, & opera pietatis, mundari ab omnium peccatorum sordibus curemus. Quarta igitur, & sexta feria ieiunemus; Sabbatho autem apud beatissimum Petrum apostolum vigilias celebremus, cuius meritis, & orationibus ita nos per omnia credimus adiuuandos, ut misericordia Dei & ieiunij nostris adsit, & votis per Christum dominum nostrum, Amen.

BEDAE VENERABILIS presbyteri in superius Euang. expositio.

Nemo potest venire ad me, nisi pater qui misit me, traxerit eum. Ille venit, quem gratia Dei praenit: cui cum propheta dicamus, Misericordia eius subleuetur me. & iterum, Misericordia eius subleuetur me. Praenit velle, subsequitur perficere. Trahit pater ad filium eos, qui propterea credunt in filium, quia eum cogitant patrem habere Deum, Deus enim pater aequalem sibi genuit filium & qui cogitat, atque in fide sua sentit, & ruminat aequalem esse patri eum, in quem credidit, ipsum pater trahit ad filium. Qui enim de Christo dicit; Non est Deus verus, non trahit eum pater, sed pernera cogitatio trahit eum veritatis non consentire. Ille tractus est a patre, qui ait; Tu es Christus filius Dei vini. Cui dominus inquit; Beatus es, Simon Bar-jona, quia caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus, qui in caelis est. Ista reuelatio, ipsa est attractio. Dum enim dixit, Nemo potest venire ad me, nisi pater, qui misit me, attraxerit eum: continuo subiunxit; Et ego resuscitabo eum in nouissimo die. Reddam quod sperat, videbit, quod adhuc non videndo credidit. Manducabit quod esurit, satiabitur eo, quod sitit. Vbi in resurrectione mortuorum, quia ego resuscitabo eum in nouissimo die. Scriptum est enim in prophetis; Et erunt omnes docibiles Dei. Quare hoc dixit? O Iudaei, pater vos non docuit, quomodo potestis me cognoscere? Omnes regni illius homines docibiles Dei erunt. Non ab hominibus audient: & si ab hominibus audiunt, tam quod intelligunt, intus datur, intus coruscatur, intus reuelatur. Homines foris verbum sonare possunt, sed in vanum laborant, nisi intus Deus docens aperiat sensus. Ille est Dei docibilis, quem Deus intus veritatis instruit cognitione, & amore. Omnis qui audit a patre, & didicit venire ad me. Quomodo trahit pater? Docendo delectat, non necessitate cogendo: quia nemo necessitate credit, sed voluntate. Filius docebat, pater docebat, homo qui videbatur, loquebatur, sed ut Deus in corde audientis interius docebat. Ideo subiunxit, Non quia patrem vidit quisquam, &c. Ego sum a patre, & ideo patrem video. Quid est doceri a patre, nisi audite verbum patris, id est me? Ne forte ergo cum dico vobis; Omnis qui audit a patre, & didicit, dicatis apud vos; Sed nunquam vidimus patrem, quomodo ergo discere potuimus a patre? A me ipso audite: non quia patrem vidit quisquam: sed qui est a Deo, hic vidit patrem. Ego noui patrem, ab illo sum. Sed quomodo? Verbum ab illo, cuius

Ex comment.

in Iuan.

Psal. 122.

Matth. 6.

est verbum: non quod sonat, & transit, sed manet in dicente, & trahit audientem. Amen amen. dico vobis, qui credit in me, habet vitam aeternam. Reuelare se voluit quid esset, nam compendio dicere potuit, Qui credit in me, habet me. Ipse enim Christus verus est Deus, & vita aeterna. Qui ergo credit in me, inquit, venit ad me: & qui venit ad me, habet me. Quid est autem habere me? habere vitam aeternam. Mortem assumpsit vita aeterna, mori voluit: sed de tuo homo, non de suo. Accepit a te, vnde moreretur pro te. Assumpsit ergo vitam aeternam, ut vita occideret mortem. Nam qui credit, inquit, habet vitam aeternam, non quod patet, sed quod lateret. Vita enim aeterna verbi in principio erat apud Deum, & Deus erat verbum, & erat lux vita hominum. Mori venit, sed die tertia resurrexit, Ego sum, inquit, panis vitae. Et vnde illi superbiebant? Patres, inquit, vestri manducauerunt manna, & mortui sunt. Quare manducauerunt, & mortui sunt? Quia quod videbant, credebant: quod non videbant, non intelligebant. Ideo patres vestri, quia similes estis illorum. Manducauerunt Moyses, & Aaron, & caeteri sancti, qui fuerunt in populo, manna, & non sunt mortui, quia non spiritualiter visibilem cibum intellexerunt, spiritualiter esurierunt. Alij vero manducauerunt, & permanserunt in infidelitate: sicut Iudaei audierunt loquentem Christum, sed non spiritualiter verba eius intellexerunt. Ideo dixit eis; Patres vestri manducauerunt manna in deserto, & mortui sunt. Qua morte, nisi infidelitatis? Nam communi morte mortui sunt & sancti qui fuerunt inter eos. Ideo signauit dominus Iesus his verbis mortem spiritualem, non carnalem. Patres ergo istorum, id est, mali patres malorum, infideles patres infidelium, murmuratores patres murmuratorum. nam de nulla re magis Deum offendisse ille populus dictus est, quam contra Deum murmurando. Ideo & dominus volens ostendere talium filios, hinc ad eos cepit; Quid murmuratis inuicem, murmuratores, filij murmuratorum? Patres vestri manna manducauerunt, & mortui sunt. non quia malum erat manna, sed quia male manducauerunt. Hic est panis qui de caelo descendit. Hunc panem significauit manna, hunc panem significauit altare Dei. Sacramenta illa fuerunt in signis: diuersa sunt in re, quae significantur, paria sunt. Apostolum audi; Nolo enim vos, inquit, ignorare fratres, quia patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes per mare transierunt, & omnes in Moyse baptizati sunt in nube & in mari, & omnes eandem escam spiritualem manducauerunt. Spiritualem utique, non corporalem. Alteram illi, quia manna, nos aliud, spiritualem vero eandem quam nos, sed patres nostri, non patres illorum, quibus nos similes sumus, non quibus illi similes fuerunt. Hic est ergo panis de caelo descendens: ut si quis ex ipso manducauerit, non moriatur. Sed quod pertinet ad virtutem sacramenti, non quod pertinet ad visibile sacramentum: qui manducat intus, non foris, qui manducat in corde, non qui premit dente. Ego sum panis verus, qui de caelo descendit. Ideo verus, quia de caelo descendit, de caelo descendit & manna; sed manna umbra erat, iste veritas est. Si quis manducauerit ex hoc pane, &c. Hoc quando caperet caro, quod dixit panem carnem? Vocatur caro, quod non capit caro: & ideo magis non capit caro, quia vocatur caro. hoc

Iuan. 1.

1. Cor. 10.

Non dicit Apostolus Iudaeos in deserto comedisse eandem escam ac nos, sed omnes aequaliter comedisse de manna quod spiritaliter Christus exprimebat.



EVTHYMII ZIGABONI

superioris Euang. expositio.

**N**emo potest venire ad me, &c. Accessum ad se dicit non qualemunque; siquidem & illi, & multi alij ad ipsum veniebant, sed eum, qui ex fide est. Quod autem dicit hoc est: Merito non creditis mihi, neque enim attracti estis à patre, ut pote indigni; nemo enim potest venire ad me, siue credere in me, nisi pater, qui misit me, traxerit eum. Nam & superius dixit: Omne, quod dat mihi pater, ad me veniet: & illius dicti lege enarrationem, quin etiam ad propositum verbum conferat. *Et ego resuscitabo eum in novissimo die.* Eum videlicet, qui ad me venerit, vel in me crediderit. Rursum ergo repetens, & ego resuscitabo eum, propriam demonstrat dignitatem, & per talium sermonum frequentiam, carpit illorum insensibilitatem. *Scriptum est enim in prophetis, Et erunt omnes edocsi à Deo.* Addidit hoc confirmans, quod pater illos attrahat, qui ad se veniunt. Omnes (inquit) puta ad eum venientes, & in eum credentes, ac volentes: siquidem nullum attrahit nolentem. *Omnis ergo qui audivit à patre, & didicit, venit ad me.* Qui audivit intellectuali modo. Ne enim suspicarentur ipsi rudes & crassi, quod sensuali modo audiat quisquam à patre, videns eum humano modo, ait, *Non quod patrem quisquam viderit.* Ut sensibilibiter ab eo audire possit: Deum enim nemo vidit unquam. *Nisi is, qui est à Deo.* Nisi is, qui natus est à Deo. Hoc enim nunc significat esse à Deo. Et quare id non posuit manifestius? Propter illorum insensibilitatem: si enim, quum dixisset: De caelo descendit, offendiculum passi sunt, quidnam illis accidisset, si id etiam planius dixisset? *Hic vidit patrem.* Vtpote eiusdem naturæ, substantiæ, & scientiæ, & qui est in sinu patris. Atqui etiam spiritus sanctus videt eum, tanquam & ipse eiusdem naturæ, substantiæ, & scientiæ, & qui est in patre: sed nondum tempus erat, ut de spiritu sancto doceret; nam, qui de filio adhuc non crediderant, nequaquam de spiritu sancto credidissent. *Amen amen dico vobis, qui credit in me, habet vitam æternam.* Hoc etiam superius dixit, quum ait, *Ut omnis, qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam æternam. Ego sum panis vitæ.* Præterea & hoc in superioribus dixit. Est autem panis vitæ tanquam doctrina nutriens animas vitamque conferuans,

Sup. eodem.

Jerem. 31.

Sup. 11.

Sup. eodem.

& hanc æternam. Paulatim autem hos adducit, ac leniter quæ ad diuinitatem suam spectant, aperit. *Patres vestri comederunt manna in deserto, & mortui sunt.* Quia in superioribus dixerat: Patres nostri manna comederunt in deserto, nunc cõparationem facit inter illud manna, & hunc panem, qui videlicet de caelo descendit, & est panis vitæ. *Idcirco est panis qui de caelo descendit, &c.* Qui de caelo descendit, ut nutriat, ac immortales reddat. Deinde sermonem explanat, & docet quis sit panis, quem dicit. *Ego sum panis vitæ.* Semper viuens, ac vitam præbens. *Qui de caelo descendit.* Quo ad diuinitatem. Superius quoque idem de seipso variis in locis dixit, iteratione excitans eos, ut interrogarent, quomodo esset panis viuus, seu viuificans, & quonam modo de caelo descendisset. Verum illi solam ventris curam spectantes, cætera omnia superflua ducebant, quemadmodum prædiximus. *Si quis comederit ex hoc pane, vivet in æternum.* Si quis doctrinæ illius particeps fuerit. Nam, qui eam participat ex eo comedit: siquidem & ipsa cibus est animam nutriens. *Vivet in æternum,* siue semper, utpote nunquam moriturus morte animæ: mors autem animæ est separatio à Deo, quemadmodum etiam mors corporis est ipsius ab anima separatio: nam ipsa anima corpus viuificat, animam vero Deus. Atqui plures perierunt, qui doctrinæ Christi fuerunt participes: sed illi tali participatione male vsi sunt; nunc autem de iis est sermo, qui ea bene vsi sunt, non de illis, qui eam prauorum commixtione dogmatum, aut conuersationis prauitate corruperunt. Ostendit ergo quod præstantiorem illis cibum tribuat, quam fuerit manna, quod comederunt patres eorum in deserto: illi siquidem, postquam comederunt mortui sunt: qui vero ex hoc edunt, viuunt in æternum. *Et panis, quem ego dabo, caro mea est.* Duobus modis Christus dicitur esse panis, secundum diuinitatem videlicet, & humanitatem. Postquam ergo docuit de modo, qui secundum diuinitatem est, nunc etiam docet de modo, qui est secundum humanitatem, Non autem dixit, *Quem do, sed, Quem dabo:* daturus namque erat in vltima cœna, quando sumptum panem, actis gratis, fregit, deditque discipulis, & ait, *Accipite, comedite: hoc est corpus meum.* *Quam ego dabo pro mundi vita.* Dabo in mortem. Hic enim crucifixionem suam præsignat. Dicens autem, *Quam ego dabo,* vltionem fuisse significat huiusmodi passionem.

FERIA



FERIA V. POST PENTECOSTEN.

L V C. 9.



**N**illo tempore: Conuocatis Iesus duodecim apostolis, dedit illis virtutem, & potestatem super omnia dæmonia, & ut lægures curarent. Et misit illos prædicare regnum Dei, & sanare infirmos. Et ait ad illos: Nihil tuleritis in via, neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecuniam, neque duas tunicas habetis. Et in quamcumque domum intraueritis, ibi manete, & inde ne exeatis. Et quicumque non receperint vos, exeuntes de ciuitate illa, etiam puluerem pedum vestrorum excutite in testimonium supra illos. Egressi autem circuibant per castella, euangelizantes, & curantes vbique.

GLOSSA ORDINARIA in superioris Euangelium.



**C**onuocatis au. Concessa primum potestate signorum mittuntur prædicare regnum Dei, ut magnitudini promissorum attestetur etiam magnitudo factorum & fidem verbis daret virtus ostensa, & nona facerent qui noua prædicarent. *Nihil tu.* In Marco legitur, ut nihil tollerent in via nisi virgam tantum. Sed sciendum est: quia vtrumque præceptum est à domino, ut nihil nisi virgam ferrent, & ut nec virgam ferrent. Non ferre virgam, est non esse sollicitum de his quæ necessaria sunt humanæ sustentationi: quia hæc debentur prædicatoribus ab his quibus prædicant: quando sine scandalo possunt accipi. Nihil ferre nisi virgam, est ut illa potestate accipiendi necessaria quæ data est prædicatoribus. *Duas tunicas.* Simplex vestimentum est, quicquid est necessarium alicui secundum qualitatem loci vel temporis. Duplex est: quod vltra necessitatem est. *Allego, in duabus tunicis, duplicitatem prohibet. Ibi mane.* Ne excursus per domos & inuiolabilis hospitij iura mutetis. Vnde secundum Matthæum domus in qua manere debeant prius eligenda est, ut mutandi hospitij necessitas auferatur. *Puluerem pe.* Puluis excutitur in testimonium laboris sui: quod ingressi sunt in ciuitatem, & vsque ad illos prædicatio peruenit. Vel, excutitur ut nihil ab eis accipiant qui euangelium spreuerunt, nec etiam necessaria vitæ. *Allego.* Ne communicetis inanibus verbis & gestis perfidorum, quæ pulueri comparanda sunt ne castæ mentis vestigium polluantur. Puluerem verò fidelis populi qui humana fragilitate colligitur, debet prædicator euangelij abolere, & quasi suum in se suscipere. Vnde Apostolus: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non vror?* *Egressi au.* In Marco legitur: Exeuntes

Mar. 6.

Matth. 17.

1. Cor. 11.

Mar. 6.

prædicabant, ut poenitentiam agerent, & dæmonia multa eiiciebant, & vngebant oleo multos egros & sanabant.

CATENA AVREA in idem Euang.

**C**onuocatis autem Iesus duodecim Apostolis, dedit illis virtutem, &c. Cyril. Decebat institutos ministros sacrarum doctrinarum posse mira peragere, & per ipsos effectus credi quod essent Dei ministri: vnde sequitur, *Con. au. Ie. duodecim Apost.* &c. In quo elatum supercilium diaboli flectit, qui dicebat aliquando: Non est qui contradicere valeat. Euseb. Et ut per eos venetur genus humanum, non solum dat eis ut prauos spiritus pellat, sed etiam quamlibet infirmitatem sanent ex eius imperio: vnde sequitur, *Et ut lang. cura.* Cyril. Attendas hic diuinam filij potestatem naturæ corporali non conuenientem, agere namque miracula aderat sanctis, non natura, sed participatione spiritus sancti. Super hoc autem aliis concedere potestatem profus alienum erat ab eorum virtute. Qualiter enim posset natura creata super spiritus dona possidere dominium? At dominus noster Iesus Christus tanquam naturaliter Deus existens, impartitur huiusmodi gratiam quibus vult, non inuocans in eos alienam virtutem, sed infundens ex promptuariis propriis. Chryl. Postquam autem satis confortati fuerant ex eius comitina, & competens nacti sunt argumentum virtutis eius, mittit eos: vnde sequitur, *Et mi. il. præ.* &c. Vbi considera quod non committitur eis aliud quod sensibile dicere, sicut Moyses & Prophete qui terram & bona terrena promittebant. Hi vero regnum cælorum, & quæcunque continentur in eo. Gregor. Nazian. Mittens autem discipulos ad prædicandum dominus multa eis iniunxit, quorum summa est: sic eos virtuosos esse, sic con-



stantes atque modestos, & vt breuiter loquar, caelestes, vt non minus propter eorum modum viuendi, quam propter verbum Euangelica doctrina propagaretur. Et ideo cum aris & baculi carentia, & amictus singularitate mittebantur. Et ideo subdit: *Et ait ad illos. Nil. tul. in via, neque virgam, neque, &c.* Chryf. Plurima quidem per hoc continebat: primò quidem insuspectos reddens discipulos: secundò sequestratis eos à qualibet cura, vt totum studium adhiberent verbo: tertio docens eos propriam virtutem. Sed forsitan dicit aliquis, cetera quidem habere rationem, sed non habere peram in via, nec duas tunicas, nec baculum, cuius rei causa precipit? Volens scilicet excitare eos in qualibet diligentia. Et vt ita loquar ex hominibus angelos faciebat eos, dirimens à qualibet cura vitæ, vt vna sola cura detineantur doctrinæ. Euseb. Volens igitur eos carere cupidine rerum in solitudinibus vitæ protestatus est hæc, sumebat enim experimentum fidei & animositatis eorum, qui habito in mandatis extreme vitam ducere paupertatis, non effugiunt quæ iubentur: decebat enim eos quoddam commercium facere, & recipientes salubres virtutes recompensare obedientia madorum, & cum milites eos faceret regni Dei, accingit eos ad pugnam in hostes monens colere paupertatem. Nullus enim militans Deo implicat se vitæ secularis negotiis. Ambros. Qualis ergo esse debeat qui euangelizat regnum Dei, præceptis euangelicis designatur, hoc est vt subsidij secularis adminicula non requirat, fideique totus inhærens putet quo minus ista requirat, magis posse suppetere. Theo. Sic enim ipsos mendicos mittit, quòd neque panes ipsos portare vult, nec aliquid aliud quibus indigent multi. Aug. de con. euang. Vel dominus hæc possidere discipulos ac ferre noluit, nõ quòd necessaria non sint sustentationi huius vitæ, sed quia sic eos mittebat, vt eis hæc deberi monstraret, ab illis, quibus euangelium credentibus nunciarent, vt sic securi non possiderent, neque portarent huic vitæ necessaria, nec magna, nec minima. Ideo posuit secundum Marcum nisi virgæ: ostendens à fidelibus suis omnia deberi ministris suis, nulla superflua requirentibus. Hanc autem potestatem virgæ nomine significauit, cum diceret: Ne quid tollerent in via, nisi virgam tantum. Ambros. Possunt etiam qui volunt hoc ad eum deducere tractatum, vt spirituales tantummodo locus iste firmare videatur affectum, qui velut indumentum quoddam videatur corporis exuisse, non solum potestate reiecta contemptisque diuitiis, sed etiam carnis ipsius illecebris abdicatis. Theoph. Quidam etiam Apostolos non portare peram, neque baculum aut duas tunicas sic intelligunt, quòd non thesaurizent, hoc enim pera innuit congregans multa: neque sint iracundi & tribulati spiritus, quòd significat baculus: neque sint ficti & duplici corde, quòd significat tunica duplex. Cyril. Sed diceret aliquis: vnde eis necessaria erunt? Er ideo subdit, *Et in quam. do. int. ibi ma. & in. ne exe.* Quasi dicat: sufficiat vobis discipulorum fructus, qui recipientis à vobis spiritualia vos procurabunt. Iussit autem eos in vna domo manere, vt nec hospitem grauent eum, scilicet dimittendo, nec ipsi gulositatis & leuitatis suspicionem incurrant. Ambr. Alienum namque à prædicatore regni caelestis asserit curitare per

domos, & inuolabilis hospitij iura mutare. Sed vt hospitij gratia deferenda censeatur, ita etiam si non recipiantur excutiendum puluerem, egrediendumque de ciuitate mādatur, cum sequitur, *Et quicumque non rece. vos, &c.* Puluis excutitur de pedibus Apostolorum in testimoniū laboris sui, quòd ingressi in ciuitatem, & prædicatio apostolica ad illos vsque peruenerit: siue excutitur puluis, cum nihil ab eis accipiant, nec ad victum quidem necessarium, qui euangelium spreuerunt. Chryf. Nam improbabile valde est contemnentes sermonem & patrem familiās, se famulis benignos ostendere, vel benedictiones eorum exigere. Ambros. Vel mediocris etiam boni remuneratio docetur hospitij, vt non solum pacem tribuamus hospitibus, verum etiam si qua eos terrenæ obumbrant delicta leuitatis, receptis apostolicæ prædicationis vestigiis auferantur. Bed. Qui verò perfida negligentia, vel etiā studio verbum Dei contemnunt, horum vitanda communio est, excutiendus puluis pedum, ne gestis inanibus pulueri comparandis mentis castæ vestigium polluarur. Euseb. Cum autem præcinxisset dominus discipulos suos tanquam milites Dei diuinis virtutibus & sapientia monitis, mittens eos Iudæis, vt doctores & medicos ipsi secundum hoc procedebant: vnde sequitur, *Egref. au. cir. per cast. euang. & cur. vbi que.* Quasi doctores quidem euangelizantes, sed quasi medici præstantes remedia, & verba miraculis comprobantes.

S. AMBROSII MEDIO-  
lanensis Episcopi superioris Euang.  
expositio.

**C**onvocatis autem Iesus, &c. Qualis debeat esse, qui euangelizat regnū Dei, præceptis euangelicis designatur: vt sine virga, sine pera, sine calceamento, sine pecunia, hoc est, subsidij secularis adminicula non requirens; fideque tutus, putet sibi, quo minus ea requirat, magis posse suppetere: Quæ possunt qui volunt ad eum deriuare tractatum: vt spiritalem tantummodo locus iste formare videatur affectum: qui velut indumentum quoddam videatur corporis exuisse, non solum potestate reiecta, contempisque diuitiis, sed etiam carnis ipsius illecebris abdicatis. Quibus primo omnium datur pacis, atque constantiæ generale mandatum: vt pacem ferant, constantiam seruent, hospitalis necessitudinis iura custodiant, alienam à prædicatore regni caelestis astruens, curitare per domos, & inuolabilis hospitij iura mutare. Sed, vt hospitij gratia deferenda censeatur, ita etiam, si non recipiant, excutiendum puluerem, & egrediendum de ciuitate mādatur. Quo mandato non mediocris boni remuneratio docetur hospitij: vt non solum pacem tribuamus hospitibus, verum etiam, si qua eos terrenæ obumbrant delicta leuitatis, receptis apostolicæ prædicationis vestigiis, auferantur. Nec ociose secundum Matthæum domus, quam ingrediuntur apostoli, eligenda decernitur, vt mutandi hospitij, necessitudinisque violandæ causa non suspeterat. *Et quicumque non receperit vos, &c.* Puluis excutitur de pedibus in testimoniū laboris sui, quòd ingressi sint in ciuitatem, & prædicatio apostolica ad illos vsque peruenerit: Siue excutitur puluis, vt nihil ab eis accipiant, ne ad victum quidem necessarium, qui euangelium spreuerunt. Allegorice autem qui verbo humiliter intedunt, si quibus vt homines terrenæ leuitatis nequias obsecrantur, per ea vox, quæ recipiunt euangelicæ prædicationis vestigia purgantur. Qui verò perfidia, vel negligentia, vel etiam studio contemnunt, horum vitanda communio, fugienda synagoga censeatur, excutiendus pedum puluis, ne gestis inani

de mystetio sententia caelestis arderet. Etenim cum domus eligitur, dignus hospes inquitur. Videamus, ne forte ecclesia præfenda designetur, & Christus. Quæ enim dignior domus apostolica prædicationis ingressu quam sancta ecclesia? Aut quis præferendus magis omnibus videatur esse quæ Christus, qui pedes suis lauare conseruit hospitibus; & quoscunque sua receperit domo, pollutis non pariatur habitare vestigiis, sed maculosos licet vitæ prioris, in reliquum ramentum dignetur mutare processus? Hic est igitur solus, quem nemo deserere debet, nemo mutare. Cui bene dicitur, Domine, ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes: & nos credimus. Vides executorem caelestium præceptorum; qui; quoniam non mutauit hospitium, caelestis confortium consecrationis emeruit. Fides igitur in primis ecclesiæ quærenda mādatur: in qua si Christus habitator sit, haud dubie sit legenda. Sin vero populus perfidus, aut præceptor hereticus deformet habitaculum, vitanda hereticorum communio, fugienda synagoga censeatur. Excutiendus pedum puluis; ne, fatiscitibus perfidia sterilis siccitibus, tanquam humi arido; arenosoque mentis turæ vestigium polluarur. Nam, sicut corporeas infirmitates populi fidelis suscipere in se debet euangelij prædicator, & tanquam propriis inania gesta pulueri comparanda allenare, at quo aboleret vestigiis, iuxta quòd scriptum est; Quis infirmatur, & ego non infirmor: ita si qua est ecclesia, quæ fidem respuat, nec apostolicæ prædicationis fundamenta possideat, ne quam labem perfidia possit aspergere, deserenda est. Quod apostolus quoque euidenter asseruit dicens; Hæreticum hominem post vnam, & secundam correctionem deuita.

BEDAE VENERABILIS  
presbyteri in idem Euang.  
expositio.

**C**onvocatis autem Iesus duodecim apostolis, &c. Concessa primum potestate signorum, misit prædicare regnam Dei, vt promissorum magnitudini attestaretur etiam magnitudo factorum, fidemque verbis daret virtus ostensa, & noua facerent, qui noua prædicarent. Vnde nunc quoque cum fidelium numerositas excreuit, intra sanctam ecclesiam multi sunt, qui vitam virtutum tenent, & signa virtutum non habent: Quia frustra miraculum foris ostenditur, si deest, quòd intus operetur. Nam, ita magistri gentium vocem, lingue in signum sunt non fidelibus, sed infidelibus. *Et ait ad illos. Nihil videritis in via, &c.* Sole queri, quomodo Matthæus, & Lucas commemorauerint dixisse dominū discipulis vt nec virgam ferrent, cum dicit Marcus, & præcepit eis, ne quid tollerent in via, nisi virgam tantum. Quod ita soluitur, vt intelligamus sub alia significatione dictā virgam, quæ secundum Marcum ferenda est, & sub alia illam, quæ secundum Matthæum, & Lucam non est ferenda. Sicut sub alia significatione intelligitur tentatio, de qua dictum est; Deus neminem tentat, & sub alia, de qua dictum est; Tentat vos dominus Deus vester, vt sciat, si diligitis eum. Illa seductionis est, hæc probationis. Vtrumque ergo accipiendum est à domino apostolis dictum, & vt nec virgam ferrent, & vt non nisi virgam ferrent. Cum enim secundum Matthæum diceret eis; Nolite possidere aurum, neque argentum, &c. continuo subiecit; Dignus est enim operarius cibo suo. Vnde factis ostendit, cur eos hæc possidere, ac ferre noluerit. Non quo necessaria non sint sustentationi huius vitæ, sed quia se eos mittebat, vt eis hæc deberi monstraret ab illis, quibus euangelium credentibus annunciat. Claret autem hæc non ita præcepisse dominū, tanquam euangelistæ videre aliud non debeant, quam in eis præsentibus, quibus annunciant euangelium. Alioquin, eo nra hoc præceptum fecit apostolus, qui victum de manuum suarum laboribus trahere sigebat, ne cuiquam grauis esset, sed præstare videret, in qua seirent sibi ista deberi. Cum autem à domino aliquid imperatum nisi fiat, inobediētia culpa est. Cum autem potestas datur, licet eamque non vti, & tanquam de suo iure cedere. Hoc ergo ordinans dominus, quòd eum ordinasse se dicit apostolus, is, qui euangelium annuncians de euangelio viuere, illa apostolis loquebatur, vt securi non possiderent, neque portarent huic vitæ necessaria, nec magna, nec minima. Ideo posuit nec virgam, ostendens à fidelibus suis omnia deberi ministris suis, nulla superflua requirentibus. Ac per hoc addendo; Dignus est enim operarius cibo suo, prorsus aperuit & illustrauit, vnde hæc omnia loqueretur. Hanc ergo potestatem virgæ nomine significauit, cum dicit, ne quid tollerent in via, nisi virgam tantum. Vt intelligatur, quia per potestatem à domino acceptam, quæ virgæ nomine significata est, etiam quæ non portantur, non deerunt. Hoc & de duabus tunicis intelligendum est, ne quisquam eorum præter eam, quam esset indurus, aliam portandam putaret, sollicitus ne opus esset, cum ex illa potestate posset accipere. Quòd vero secundum Marcum non portari, vel haberi duas tunicas, sed expressius in dui prohibet dicens; Er ne induerentur duabus tunicis, quid eos monet, nisi non dupliciter sed simpliciter ambulare? Aliter. In duabus tunicis, videtur mihi duplex ostendere vestimentum: Nõ quòd in locis Scythiæ, & glaciali nibe rigentibus vna quis tunica debeat esse contentus, sed quòd in tunica, vestimentum intelligamus, ne alio vestitū, aliud nobis futurorum timore seruemus. *Et in quancunque domum intraueritis, ibi manete, & inde ne exeatis.* Dat constantiæ generale mandatum, vt hospitalis necessitudinis iura custodiant, alienam à prædicatore regni caelestis adstruens curitare per domos, & inuolabilis hospitij iura mutare. Nec otiose secundum Matthæum domus, quam ingrediuntur apostoli, legenda decernitur, vt mutandi hospitij, necessitudinisque violandæ causa non suspeterat. *Et quicumque non receperit vos, &c.* Puluis excutitur de pedibus in testimoniū laboris sui, quòd ingressi sint in ciuitatem, & prædicatio apostolica ad illos vsque peruenerit: Siue excutitur puluis, vt nihil ab eis accipiant, ne ad victum quidem necessarium, qui euangelium spreuerunt. Allegorice autem qui verbo humiliter intedunt, si quibus vt homines terrenæ leuitatis nequias obsecrantur, per ea vox, quæ recipiunt euangelicæ prædicationis vestigia purgantur. Qui verò perfidia, vel negligentia, vel etiam studio contemnunt, horum vitanda communio, fugienda synagoga censeatur, excutiendus pedum puluis, ne gestis inani

de mystetio sententia caelestis arderet. Etenim cum domus eligitur, dignus hospes inquitur. Videamus, ne forte ecclesia præfenda designetur, & Christus. Quæ enim dignior domus apostolica prædicationis ingressu quam sancta ecclesia? Aut quis præferendus magis omnibus videatur esse quæ Christus, qui pedes suis lauare conseruit hospitibus; & quoscunque sua receperit domo, pollutis non pariatur habitare vestigiis, sed maculosos licet vitæ prioris, in reliquum ramentum dignetur mutare processus? Hic est igitur solus, quem nemo deserere debet, nemo mutare. Cui bene dicitur, Domine, ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes: & nos credimus. Vides executorem caelestium præceptorum; qui; quoniam non mutauit hospitium, caelestis confortium consecrationis emeruit. Fides igitur in primis ecclesiæ quærenda mādatur: in qua si Christus habitator sit, haud dubie sit legenda. Sin vero populus perfidus, aut præceptor hereticus deformet habitaculum, vitanda hereticorum communio, fugienda synagoga censeatur. Excutiendus pedum puluis; ne, fatiscitibus perfidia sterilis siccitibus, tanquam humi arido; arenosoque mentis turæ vestigium polluarur. Nam, sicut corporeas infirmitates populi fidelis suscipere in se debet euangelij prædicator, & tanquam propriis inania gesta pulueri comparanda allenare, at quo aboleret vestigiis, iuxta quòd scriptum est; Quis infirmatur, & ego non infirmor: ita si qua est ecclesia, quæ fidem respuat, nec apostolicæ prædicationis fundamenta possideat, ne quam labem perfidia possit aspergere, deserenda est. Quod apostolus quoque euidenter asseruit dicens; Hæreticum hominem post vnam, & secundam correctionem deuita.

Medicare nõ  
essence, præ  
dicatio, &c.  
ambros.

Lucas.

Bibl. Hom. tom. 3. B b 2 inani



Vultio extreme ma ex apostolica traditione derivat.

inanius, & pulveri comparandis, mentis castæ vestigium polluatur. Egressi autem circumstantes per castella, &c. Quid evangelizarent, vel quomodo curarent Apostoli, Marcus exponit plenius; Prædicabant, inquit, ut penitentiam agerent, & vangebant oleo multos agros, & sanabant. Dicit & Iacobus; Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros ecclesie, & orent super ipsum, & ungentes eum oleo in nomine domini. Et, si in peccatis sit, dimittentur ei. Vnde patet ab ipsis Apostolis hunc sanctæ ecclesie morem esse contrarium, ut pontificali benedictione consecrato oleo, perungantur agros. Prædicabant autem, ut penitentiam agerent, & supra; Misit illos, inquit, evangelizare regnum Dei; Quia videlicet utrunque, iuxta Iohannis Baptiste, vel ipsius salvatoris exemplum prædicabant. Penitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum. Regni enim cælorum ianuis propinquare est, de iis, quemque, quibus ab eo discesserat, penitere.

HAYMONIS EPISCOPI Halberst. superioris Euang. expositio.

Commoditate Iesus duodecim Apostolis dedit illis virtutem & potestatem super omnia demonia, &c. Concessa potestate primo signorum, misit eos prædicare regnum Dei, ut promissorum magnitudinem attestarent etiam magnitudo factorum fidemque verbis daret virtus ostensa: & novâ facerent, qui novâ prædicarent. Vnde nunc quoque, cum fidelium numerositas excrevit intra sanctam ecclesiam multi sunt qui vitam virtutum tenent, & signa virtutum non habent. Quia frustra miraculum foras ostenditur, si deest quod intus operetur. Nam iuxta vocem Magistri gentium: Lingua in signum sunt, non fidelibus, sed infidelibus. Et ait ad illos. Nihil tuleritis in via, neque virgam, neque peram. Solet quartus, quomodo Matthæus & Lucas commemoraverint dixisse dominum discipulis, ut nec virgam ferrent, cum dicit Marcus: Et præcepit eis: ne quid tollerent in via, nisi virgam tantum? Quod ita soluitur, ut intelligamus sub alia significatione dictâ virgâ, quæ secundum Marcum ferenda est: & sub alia illam, quæ secundum Matthæum & Lucam non est ferenda. Sicut sub alia significatione intelligitur tentatio, de qua dictum est: Deus neminem tentat, & sub alia, de qua dictum est: Tentat vos Dominus Deus vester, ut sciat, si diligitis Deum, illa, seductionis est, hæc, probationis. Utrumque ergo accipiendum est à Domino Apostolis dictum, & ut nec virgam ferrent, & ut non nisi virgam ferrent. Cum enim secundum Matthæum diceret eis. Nolite possidere aurum, neque argentum, &c. continuo subiicit. Dignus est enim operarius cibo suo. Vnde satis ostendit, cur eos hæc possidere ac ferre noluerit, non quod necessaria non sunt sustentationi huius vite, sed quia se eos mittebat, ut eis hæc debere monstraret, ab illis quibus evangelium credentibus annuntiarent. Claret autem, hoc non ita præcepisse Dominum, tanquam evangelizantes vivere aliunde non debeant, quam eis præbentibus, quibus annuntiant evangelium, alioquin, contra hoc præceptum fecit Apostolus, qui victum de manuum suarum laboribus traherebat, ne cui-

Marc. 6. Matth. 10.

1. Cor. 9. 1. Tim. 5.

quam gravis esset, sed potestatem dedisse, in qua seirent sibi ista debere. Cum autem à Domino aliquid imperatur, nisi fiat, inobedientia culpa est; cum autem potestas datur, licet cuique non vni, & tanquam de suo iure recedere. Hoc ergo ordinans Dominus, quod eum ordinasse dicit Apostolus: iis qui evangelium annuntiant, de evangelio vivere. Illa Apostolis loquebatur, ut securi non possiderent, neque portarent huius vite necessaria, nec magna, nec minima. Ideo posuit, nec virgam, ostendens à fidelibus suis omnia debere ministris suis, nulla superflua requiritibus; ac per hoc addido. Dignus est enim operarius cibo suo. profusus aperuit & illustravit, vnde hæc omnia loqueretur. Hanc enim potestatem virgæ nomine significavit, cum dicit. Ne quid tollerent in via, nisi virgam tantum. Ut intelligatur quia per potestatem à Domino acceptam, quam virgæ nomine significavit etiam quæ non portantur, non deerunt. Hoc & de duabus tunicis intelligendum est, ut ne quisquam eorum, præter eam quæ esset indutus, aliam portantam putaret, sollicitus ne opus esset, eum ex illa potestate posse accipere. Quod vero se secundum Marcum non portare vel haberi duas tunicas, sed expressius indui perhibet dicens. Et ne induerentur duabus tunicis, quid eos monet, nisi non dupliciter: sed simpliciter ambulare? Aliter. In duabus tunicis videtur mihi duplex ostendere vestimentum. Non quod in locis Scythiæ & glaciis niue rigentibus, vna quis tunica debeat esse contentus, sed quod in tunica vestimentum intelligamus, ne alio vestiti, aliud nobis futurum timore seruemus. Et in quancunque domum intraveritis ibi manete, & inde ne exeatis. Dat constantiæ generale mandatū, ut hospitalis necessitudinis iura custodiant. Alienam namque à prædicatore regni cælestis astruit cursitare per domus, & inuolabilis hospitij iura mutare; Nec otiose secundum Matthæum domus, quâ ingrediatur Apostoli, eligenda decernitur, ut mirandi hospitij necessitudinisque violandæ causa non superet. Et quicumque non receperunt vos, exeuntes de civitate illa, etiam pulverem pedum vestrorum excutite in testimonium supra illos. Pulvis excutitur de pedibus in testimonio laboris sui, quod ingressi sunt in civitatem, & prædicatio apostolica ad illos usque pervenerit. Sive excutitur pulvis, ut nihil ab eis accipiant, nec ad victum quidem necessarium, qui evangelium spreverint. Allegorice autem, qui verho humiliter intendunt, si aliquibus ut homines terrenæ levitatis nâuis obscurantur, per ea mox quæ recipiunt evangelicæ prædicationis vestigia purgatur. Qui vero perfidia, vel negligentia vel etiam studio contemniunt, horum vitanda communio fugienda. Synagoga censetur. Excutiendus pedum pulvis, ne gestis inanius, & pulveri comparandis mentis castæ vestigium polluatur. Egressi autem circumstantes per castella, evangelizantes & curantes ubique. Quid evangelizarent, vel quomodo curarent Apostoli, Marcus exponit plenius; Prædicabant, inquit, ut penitentiam agerent, & demonia multa eiecerunt, & ungebant oleo multos agros, & sanabantur. Dicit & Iacobus; Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros ecclesie & orent super ipsum, & ungentes eum oleo sancto in nomine Domini, & si in peccatis sit, dimittentur ei. Vnde patet ab ipsis Apostolis hunc sanctæ ecclesie morem esse traditum, ut pontificali benedictione consecrato

1. Cor.

Luc. 10.

De omni est scripta hæc et capite 10. Mattheus quoque non ita hoc Evangelium ex scriptis erat.

crato oleo perungatur agros. Prædicabant autem ut penitentiam agerent, &c. Misit illos (inquit) evangelizare regnum Dei, quia videlicet utrunque iuxta Iohannis Baptiste, vel ipsius salvatoris exemplum prædicabant. Penitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum. Regnum enim cælorum ianuis propinquare est de his quæque, quibus ab eo discesserat, penitere.

THEOPHYLACTI EPISCOPI Bulgari superioris Euang. expositio.

Quum autem convocasset duodecim, dedit illis potestatem, &c. Ex hoc loco ostenditur excellentia deitatis Iesu, non enim ipse tantum miracula facit, sed & discipulis hoc concedit. Utrumque hoc non hominis, sed Dei fuerit tanta, ac talia dona præstare suis amicis. Dans autem eis potestatem contra malos spiritus, non illo contentus fuit, sed iussit etiam evangelium prædicare. Docet enim ut is, cui conceditur est doctrina, & prædicare, & miracula agere debeat. Tunc enim prædicatio per miracula confirmatur, miracula autem per prædicationem, multi enim multa miracula per dæmones fecerunt, quorum prædicatione sana non fuit, & miracula eorum ex Deo non fuerunt. Ita autem ab omni re superflua nudat, ut neque panem eos ferre vellet, neque aliud quid quæ plerique secum tollunt. Porro præcipit eis & hoc, ne à loco in locum transiliant, sed in quancunque domum intraverint, in illa maneat, ut ne videantur inconstantes, & mobiles. Pulverem vero excutiendum dicit, si non receperint vos, in testimonium illis, hoc est, in reprehensionem ipsorum, ac condemnationem, ostendentes eis, quod multum itineris propter eos excesserint, nullumque inde lucrum haberint. Quidam autem sic intelligunt apostolos non gestare vel virgam vel peram, & nec tunicas duas habere: Ne thesaurizetis, cuius symbolum pera, quæ multa congregat; neque virgam gestetis; hoc est, ne sitis importuni, & ad verberandum proni; neque duas tunicas habeatis, hoc est, ne sitis duplices, ac varij moribus.

EVTHYMI ZIGABONI superioris Euang. expositio.

Et accersitis duodecim discipulis suis, dedit eis potestatem adversus spiritus, &c. Quomodo ergo quum pauci essent discipuli, non addidit etiam dignitatem? Addidit utique illis: at non in numero, sed in virtute. Dedit, inquit, eis potestatem, ita ut paucos etiam dixerit illos, non secundum defectum virtutis, sed numeri. Primum ergo constituit eos medicos corporum, postmodum, quod maius est etiam committit, curâ videlicet animarum. Eiciebant autem demonia & morbos curabant, per nomen Christi. Nihil tuleritis, &c. Moris enim erat his qui per viam gradebantur, crumenas ferre zonis appensas, in quibus æreos numeros habebant. Dat autem primum discipulis legem perfectæ inopiæ, & volens ut non solum sine suspitione, sed etiam in admiratione sint. Nihil enim ita admirandos reddit, sicut vita frugalis ac

quibuslibet obuiis contenta. Deinde omni eos cura liberat, quæ frequenter impedimento esse solet: suamque vult ostendere potentiam, quæ eis ad omnia sufficiat. Ideoque postmodum dicebat. Quando misit vos sine loculis & pera, num aliquid defuit vobis?

Hæc dicit salvator Apostolis; nolens ut sub hoc prætextu facultates congregent. Neque ergo aurum, vel argentum, aut as, neque panem, neque peram nos habere vult, neque calcamenta, neque vestem, neque baculum vsus causa, aut opum cupiditate per viam accipere: non ad zonam as; neque ut duabus induamur tunicis, sed per viam omnia facillime & frugalissime accipiamus.

At qui loculos ipse ferebat: non tamen quasi pecunia cupidus, sed quasi dispensator eorum quæ offerbantur: possidens potius hæc ad necessitatem suam & discipulorum ac pauperum.

Neque peram ad viam; neque duas tunicas, neque calcamenta, neque baculum. Quia regnum cælorum annunciabant, oportebat eos quasi angelos de cælo descendentes, leues ac expeditos incedere, omni terrena cura liberos, & ad solû ministerium sibi commissum respicientes. Peram autem dicit marsupium, quod ad iter immittendo pani utebantur. Dignum est autem ut quæramus, quomodo Matthæus & Lucas dicunt iussisse, ut illi neque calcamenta, neque baculum haberent. Marcus vero ait: sola hæc eis permisisse. Quid ergo dicendum est? Quod primum quidem ita iussisset, sicut Matthæus & Lucas dixerunt; postmodum autem permiserit eis, ut calcarentur tantum sandaliis, & retinerent baculum ad pedum custodiam & sustentamentum corporis, demittens se ad imbecillitatem eorum, propter laborem qui ab itinere provenit. Lucas vero pro eo quod est, Nolite possidere: habet, Nolite portare: sicut etiam refert Marcus. Ne autem dicant, Vnde alemur si nihil tulerimus. Ideo dicit. Dignus est enim operarius cibo suo. Nullo, inquit, vobis opus est viatico: digni enim estis qui alimini ab his, qui à vobis iuvantur, apud quos operamini, apud quos laboratis; Nam hoc non donum, sed merces est operis vestri, ac necessarium tanquâ debitum. In quancunque civitatem aut vicum intraveritis, inquirete quis in ea dignus sit, & ibi manete donec exeatis.

Luc. 22.

Luc. 10.

Marc. 6.

Luc. 10.

quam imperfecti. Admirandum est autem, quomodo postquam omnibus eos nudauit, rursum illis omnia submisit. Quis enim læta fronte non suscipiat hospitio quibuslibet obuiis contentos, ac sollicitudine carentes, fulgentes non verbo tantum & miraculis, verum etiam quod magis est, bona vita? Et quicumque non susceperit vos, neque audierit sermones vestros, exeuntes de domo aut ciuitate

illa, excutite puluerem pedum vestrorum. Marcus dixit. Excute puluerem qui est sub pedibus vestris, in testimonium illis, siue ad redargutionem illorum. Manifestabant enim per talem excussionem quod non solum inde acceperant, sed etiam puluerem qui inde adhæssisset, à pedibus suis excuterent, tanquam propter illos impium.



# FERIA VI. QVATVOR TEMPORVM PENTECOSTES.



L V C. 5.



**N**illo tempore, Factum est in vna dierum, & Iesus sedebat docens: Et erant Pharisei sedentes, & legisdoctores qui venerant ex omni castello Galilææ & Iudææ & Hierusalem, & virtus domini erat ad sanandum eos. Et ecce viri portantes in lecto hominem, qui erat paralyticus: & quærebant eum inferre, & ponere ante eum. Et nõ inuenientes qua

<sup>a</sup> Diuinitate cognita.

parte illum inferrent præ turba, <sup>a</sup> ascenderunt supra tectum, & per tegulas sub-

<sup>b</sup> Non paralytici qui sensu carebat.

miserunt eum cum lecto in medium ante Iesum. <sup>b</sup> Quorum fidem vt vidit, dixit: Homo remittuntur tibi peccata tua. Et cœperunt cogitare Scribæ & Phari-

sæi dicentes: Quis est hic qui loquitur blasphemias? Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus? Vt autem cognouit Iesus cogitationes eorum, respondens

<sup>c</sup> Dico facere. Quod solus nõ ui, qui dimitto.

dixit ad illos: Quid cogitatis mala in cordibus vestris? Quid est facilius <sup>c</sup> dicere:

<sup>d</sup> Quid vos etiam videre potestis.

<sup>e</sup> Inquit resurrectionem omnium.

<sup>f</sup> Quia idem est filius hominis & Deus.

dimittuntur tibi peccata: an dicere: <sup>d</sup> surge & ambula? <sup>e</sup> Vt autem sciat, quia

filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, ait paralytico: Tibi

dico <sup>f</sup> surge, tolle lectum tuum, & <sup>g</sup> vade in domum tuam. Et <sup>h</sup> confestim con-

surgens coram illis, tulit lectum in quo iacebat: & abiit in domum suam magnificans Deum. Et stupor apprehendit omnes: & magnificabant Deum. Et repleti sunt timore dicentes: quia vidimus mirabilia hodie.

dico <sup>f</sup> surge, tolle lectum tuum, & <sup>g</sup> vade in domum tuam. Et <sup>h</sup> confestim con-

surgens coram illis, tulit lectum in quo iacebat: & abiit in domum suam magnificans Deum. Et stupor apprehendit omnes: & magnificabant Deum. Et repleti sunt timore dicentes: quia vidimus mirabilia hodie.

surgens coram illis, tulit lectum in quo iacebat: & abiit in domum suam magnificans Deum. Et stupor apprehendit omnes: & magnificabant Deum. Et repleti sunt timore dicentes: quia vidimus mirabilia hodie.

surgens coram illis, tulit lectum in quo iacebat: & abiit in domum suam magnificans Deum. Et stupor apprehendit omnes: & magnificabant Deum. Et repleti sunt timore dicentes: quia vidimus mirabilia hodie.

surgens coram illis, tulit lectum in quo iacebat: & abiit in domum suam magnificans Deum. Et stupor apprehendit omnes: & magnificabant Deum. Et repleti sunt timore dicentes: quia vidimus mirabilia hodie.

surgens coram illis, tulit lectum in quo iacebat: & abiit in domum suam magnificans Deum. Et stupor apprehendit omnes: & magnificabant Deum. Et repleti sunt timore dicentes: quia vidimus mirabilia hodie.

surgens coram illis, tulit lectum in quo iacebat: & abiit in domum suam magnificans Deum. Et stupor apprehendit omnes: & magnificabant Deum. Et repleti sunt timore dicentes: quia vidimus mirabilia hodie.

surgens coram illis, tulit lectum in quo iacebat: & abiit in domum suam magnificans Deum. Et stupor apprehendit omnes: & magnificabant Deum. Et repleti sunt timore dicentes: quia vidimus mirabilia hodie.

surgens coram illis, tulit lectum in quo iacebat: & abiit in domum suam magnificans Deum. Et stupor apprehendit omnes: & magnificabant Deum. Et repleti sunt timore dicentes: quia vidimus mirabilia hodie.

surgens coram illis, tulit lectum in quo iacebat: & abiit in domum suam magnificans Deum. Et stupor apprehendit omnes: & magnificabant Deum. Et repleti sunt timore dicentes: quia vidimus mirabilia hodie.

surgens coram illis, tulit lectum in quo iacebat: & abiit in domum suam magnificans Deum. Et stupor apprehendit omnes: & magnificabant Deum. Et repleti sunt timore dicentes: quia vidimus mirabilia hodie.

surgens coram illis, tulit lectum in quo iacebat: & abiit in domum suam magnificans Deum. Et stupor apprehendit omnes: & magnificabant Deum. Et repleti sunt timore dicentes: quia vidimus mirabilia hodie.

surgens coram illis, tulit lectum in quo iacebat: & abiit in domum suam magnificans Deum. Et stupor apprehendit omnes: & magnificabant Deum. Et repleti sunt timore dicentes: quia vidimus mirabilia hodie.

surgens coram illis, tulit lectum in quo iacebat: & abiit in domum suam magnificans Deum. Et stupor apprehendit omnes: & magnificabant Deum. Et repleti sunt timore dicentes: quia vidimus mirabilia hodie.

surgens coram illis, tulit lectum in quo iacebat: & abiit in domum suam magnificans Deum. Et stupor apprehendit omnes: & magnificabant Deum. Et repleti sunt timore dicentes: quia vidimus mirabilia hodie.

surgens coram illis, tulit lectum in quo iacebat: & abiit in domum suam magnificans Deum. Et stupor apprehendit omnes: & magnificabant Deum. Et repleti sunt timore dicentes: quia vidimus mirabilia hodie.

surgens coram illis, tulit lectum in quo iacebat: & abiit in domum suam magnificans Deum. Et stupor apprehendit omnes: & magnificabant Deum. Et repleti sunt timore dicentes: quia vidimus mirabilia hodie.

surgens coram illis, tulit lectum in quo iacebat: & abiit in domum suam magnificans Deum. Et stupor apprehendit omnes: & magnificabant Deum. Et repleti sunt timore dicentes: quia vidimus mirabilia hodie.

surgens coram illis, tulit lectum in quo iacebat: & abiit in domum suam magnificans Deum. Et stupor apprehendit omnes: & magnificabant Deum. Et repleti sunt timore dicentes: quia vidimus mirabilia hodie.

surgens coram illis, tulit lectum in quo iacebat: & abiit in domum suam magnificans Deum. Et stupor apprehendit omnes: & magnificabant Deum. Et repleti sunt timore dicentes: quia vidimus mirabilia hodie.

surgens coram illis, tulit lectum in quo iacebat: & abiit in domum suam magnificans Deum. Et stupor apprehendit omnes: & magnificabant Deum. Et repleti sunt timore dicentes: quia vidimus mirabilia hodie.

surgens coram illis, tulit lectum in quo iacebat: & abiit in domum suam magnificans Deum. Et stupor apprehendit omnes: & magnificabant Deum. Et repleti sunt timore dicentes: quia vidimus mirabilia hodie.

surgens coram illis, tulit lectum in quo iacebat: & abiit in domum suam magnificans Deum. Et stupor apprehendit omnes: & magnificabant Deum. Et repleti sunt timore dicentes: quia vidimus mirabilia hodie.

surgens coram illis, tulit lectum in quo iacebat: & abiit in domum suam magnificans Deum. Et stupor apprehendit omnes: & magnificabant Deum. Et repleti sunt timore dicentes: quia vidimus mirabilia hodie.

surgens coram illis, tulit lectum in quo iacebat: & abiit in domum suam magnificans Deum. Et stupor apprehendit omnes: & magnificabant Deum. Et repleti sunt timore dicentes: quia vidimus mirabilia hodie.

posita recluduntur: quia sæpe anima post infirmi corporis desidiã ad Deum respiciens, & diuina gratia innouari desiderans, pristina cõuersationis obstaculo retardatur. Sæpe dum cum Deo in orationibus colloquitur, turba cogitationum interueniens, aciem mentis ne Chæribus videatur intercludit. Sed non est exterius in infirmis, vbi turba tumultuantur remanendum: sed tectum domus in qua Christus docet ascendendum, id est, sacræ scripturæ sublimitas est appetenda, & lex Dei nocte dique meditanda: quia in custodiendo sermones Dei corrigit inuiriã suã. Et patefacto tecto, id est, referatis scripturis, æger submittitur: quia ad Christi humilitatem fidei pietate descenditur, & ad Christi noticiã venit. Et per tegu. Bed. Domus Iesu regulis tecta describitur, quia sub contemptibili litterarum velamine, si assit doctor, qui referet diuina, spiritualis gratiã virtus inuenitur. Quod cum lecto deponitur, significat ab homine adhuc in ista carne constituto Christum debere cognosci. Quorum s. Bed. Multum valet fides propria cuiusque; cum per alienam fidem homo interius & exterius sit sanuatus. Bed. Hæc curatio paralytici significat saluationem animæ suspirantis ad Deum de diuturna illecebra carnalis inertie, quæ indiget bonis doctoribus qui eum subleuent: & Christo offerant, & pro ea intercedant. Qui apud Marcum quatuor fuisse leguntur, propter quatuor euangeliorum libros, seu propter quatuor virtutes, quibus ad promerendam sospitatem mentis fiducia erigitur, quæ sunt, prudentia, fortitudo, temperantia, iustitia. Homo remittuntur, &c. Tu homo peccator: ego Deus qui peccata remitto, qui aliorum merito tibi peccata relaxo. Qui ergo peccatis grauat, adhibeat ecclesiã quæ pro eo precetur. Quia pro culpa animæ etiam corpus infirmabatur: ideo sanatus corpus prius sanauit animam. Quis potest dimittere, &c. Nemo dimittit peccata nisi Deus, qui per eos quoque dimittit quibus potestatem dimittendi dedit. Cum ergo Christus dimittat, verè Deus probatur. Verum testimonium Deo reddunt, sed personam Christi negando fallunt. Perfidia enim confiteri potest, credere non potest. Itaque testimonium non deest diuinitati, fides deest saluti. Deus autem volens saluos facere peccatores, & oculorum cognitione se Deum esse demonstrat, & admiratione factorum illis respondens: Quid cogitatis mala in cordibus vestris? Eadem maiestate & potentia qua cogitationes vestras intueor, possum hominibus delicta dimittere. Ex vobis intelligite quid paralyticus consequatur. Sed quia spiritualem gratiam non cognoscitis, nec creditis quod interius factum est, probetur signo visibili quod non minoris constet esse potentie, vt in filio hominis latentem cognoscatis potentiam maiestatis, qua potest peccata dimittere vt Deus. <sup>13.</sup> *Leuit.* Ambr. Magnus sacerdos lepram videbat in cordibus Iudæorum, & peiores ostendit illo leproso cui purgato iussit se offerre sacerdoti. Sed hos summos sacerdotes repudiat, ne alios quoque eorum lepra contaminet. Tibi dico s. Bed. Surge, est animam à carnalibus desiderijs abstrahere. Lectum tollere, carnem à terrenis desiderijs ad voluntatem spiritus atollere. Domum ire, ad patriam redire, vel ad internam sui custodiam, ne iterum peccet. Ecce per remissionem pœnæ, re-

missionem culpæ intellige. Et s. Amb. Spectant surgentem increduli, mirantur abeuntem, & diuini operis miracula malunt timere, quam credere. Nam si crederent, nõ timerent, sed diligerent. <sup>10b.4.</sup> Persecta enim dilectio foras mittit timorem.

## CATENA AVREA

in idem Euangelium.

**E**t factum est in vna dierum, & ipse sedebat docens, & erant Pharisei sedentes & legisdoctores, &c. Cyril. Scribæ & Pharisei qui facti fuerant prodigiorum Christi visores, audiebant ipsum quoque docentem: vnde dicitur, Et factum est in vna die, &c. Non quasi mutuo acciperet potestatem alterius, sed quasi Deus & dominus propria opetabatur virtute: sicut autem homines sæpe donorum spiritualium digni, sed plerunque deficiunt ea ratione quam mouit donorum largitor, quod in Christo nõ accidit: affluebat enim in præstãdis remedijs virtus diuina. Quia verò necessarium erat vbi tanta scribarum & Phariseorum turba conuenerat, aliquid fieri ex his quæ virtuti attestarentur ipsius, coram eis qui eum paruipendebat, factum est quoddam miraculum in paralytico: in quo quia defecisse videbatur medicinalis ars, portabatur à proximis ad supernum & cælestem medicum: vnde sequitur, Et ec. vi. &c. Chrysof. Mirandi verò sunt qui paralyticum adduxerunt, qualiter cum nequissent intrare per ostium, nouum aliquid & alienum attentauerunt: vnde sequitur, Et non inu. &c. Detegentes autem tectum deponunt grabatum & ponunt in medio paralyticum: vnde sequitur, Et per teg. &c. Dicit aliquis dimissum fuisse locum, à quo per regulas deposuerunt paralytici lectum. Bed. Hominem autem dominus à paralyti curaturus primò peccatorum vincula dissoluit, vt ostenderet eum ob nexus culparum artuum dissolutione damnari, nec nisi his relaxatis membrorum posse recuperatione sanari: vnde sequitur, Quorum s. d. vi. &c. Magnus dominus qui aliorum merito ignoscit alijs, & dum alios probat, alijs relaxat errata. Cur apud te homo collega non valeat, cum apud Deum seruas & interueniendi meritum & ius habeat impetrandi? si grauium peccatorum diffidis veniam, adhibe peccatores, adhibe ecclesiã quæ pro te precetur, cuius contemplatione quod tibi dominus negare posset, ignoscat. Chrysof. Occurrebat autem & in hoc ipsius patientis fides: non enim sustinisset se inferius submitti, nisi credidisset. Aug. de con. euan. Quod autem dicit, Homo, dimittuntur tibi peccata, ad hoc insinuandum valet, quia homini dimittebantur peccata, qui eo ipso quod homo erat, non posset dicere, Non peccavi. Simul etiam vt ille qui homini dimittebat, intelligeretur. Chrysof. Nos autem si corporaliter patimur, satagimus nocuum abicere: eum verò male sit animæ, differimus, atque ideo nec à corporis nocuitis curamur. Abscindamus igitur fontem malorum, & cessabunt ægritudinum fluxus. Metu autem multitudinis suam intentionem aperire Pharisei non audebant, sed solum in cordibus suis meditabantur: vnde sequitur, Et ec. &c. Cyr. In quo mortis præcipitant sententiam. Erat enim mandatum in lege, quod quicumque blasphemaret in Deum, morte puniretur. Ambr. Itaque ab ipsi ex operibus suis Dei filius accipit testimonium.

nium. Nam & validus est ad fidem quoddam confitentur inuiti, & perniciosus ad culpam quoddam negant qui suis assertionibus relinquuntur: unde sequitur. *Quis potest peccata dimittere?* Magna in fide plebis amentia, ut cum confessus fuerit solus Dei esse donare peccata, non credat Deo peccata donanti. Bed. Verum enim dicunt quia nemo peccata dimittere nisi Deus potest, qui per eos quoque dimittere quibus dimittendi tribuit potestatem. Et ideo Christus verè Deus esse probatur, quia dimittere peccata quasi Deus potest. Amb. Dominus autem saluos volens facere peccatores, ex occultorum cognitione Deum se esse demonstrat. unde sequitur. *Et au. cog. &c.* Cyril. quasi dicat. O Pharisei quia dicitis, Quis potest peccata dimittere, nisi solus Deus? Respondeo vobis, Quis potest secreta cordis scrutari, nisi solus Deus? qui per prophetas dicit: Ego dominus scrutans corda & probans renes. Cyril. Si ergo increduli estis erga primum, scilicet remissionem peccati, ecce aliud addicio dum intima vestra patefacio: quin etiam aliud dum paralytici corpus solidum: unde subdit, *Quid est factum?* Palam quidem est, quia consolidare corpus facilius est: quanto nanque nobilior est anima corpore, tanto est excellentior absolutio criminum: verum quia illud non creditis eo quod lateat, adiciam quod minus est, aperiri tamen, quatenus quod est magis occultum per hoc demonstreretur. Et quidem cum allocutus est infirmantem, non dixit dimitto tibi peccata, propriam exprimens potestatem, sed remittuntur tibi peccata. Cogentibus autem illis evidentiis propriam declarat potestatem, dicens: *Et au. rem. sciat. &c.* The. Vide quod inte. di. pec. Dum enim sumus in terra peccata nostra delere possumus. Postquam verò à terra tollimur, non valebimus confiteri, clauditur enim ianua. Chrysol. Demonstrat autem peccatorum veniam per corporis sanationem: unde sequitur, *Aut par. di. Sur.* Ipsam verò corporis sanationem demonstrat per lecti portationem, ut sic non reputeretur fantasia quod factum est: unde sequitur, *Tol. gra. tuum.* Quasi dicat. Ego volebam per tuam passionem curare illos qui sani videntur, infirmantur autem in anima: sed quia nolunt, vade tuam correcturus familiariam. Amb. Nec mora vlla sanitatis internenit, vnum dictorum remediorumque momentum est, unde sequitur, *Et confu. &c.* Cyril. Quo facto patuit, quod filius hominis potest in terra relaxare peccata, quod pro se & pro nobis dixerat: ipse nanque ut Deus factus homo tanquam dominus legis peccata dimittit. Sortiti sumus etiam nos ab eo tam mirabilem gratiam. Dicitur enim discipulis, Quorum remiseritis peccata remittuntur eis. Quomodo autem non magis ipse peccata dimittit, qui de cæteris potestatem faciendi hoc tradidit? Chrysol. Reges autem terreni & principes homicidas absoluentes à pœna præsentis liberant, à criminibus autem expiatis non possunt. Ambr. Spectant autem surgentem increduli, mirantur abeuntem: unde sequitur, *Et stupor, &c.* Chrysol. Paulatim serpunt Iudæi magnificantes Deum, non tamen putant eum Deum esse, obstabat enim eis caro, nec tamen erat modicum æstimare eum præcipuum esse mortalium & à Deo processisse. Ambr. Diuini autem operis miracula malunt timere quam credere: unde sequitur, *Et rep. sunt timore, &c.* Si autem credidissent non

timuissent vti que sed dilexissent, perfecta enim dilectio foras timorem excludit. Non otiosa autem huius paralytici nec angusta medicina est, quoniam orasse præmittitur, non propter suffragium, sed propter exemplum. August. de q. euang. De paralytico enim potest intelligi animam dissolutam membris, hoc est operationibus Christum querere, id est, voluntatem verbi Dei. Impediri autem à turbis, scilicet cogitationum, id est, opera scripturarum aperiat, & per hoc ad notitiam Christi perveniat, hoc est ad eius humilitatem fidei pietate descendat. Bed. Bene domus Iesu regulis contexta describitur, quia sub contemptibili literarum velamine spiritalis gratiæ virtus inuenitur. Ambros. Vnusquisque autem æger petendo prædicatore salutis debet adhibere, per quos nostræ vitæ compago resoluta, actuümque nostrorum clauda vestigia verbi celestis remedio reformantur. Sint igitur aliqui monitores mentis, qui animum hominis, quantum exterioris corporis debilitate torpentem ad superiora erigant, quorum rursus adminiculis & attollere, & humiliare se facilius ante Iesum locetur, dominico videri dignis aspectu: humilitatem enim respicit dominus. August. de q. euang. Hi ergo à quibus deponitur, bonos doctores ecclesiæ possunt significare: quod autem cum lecto deponitur, signat ab homine in ista carne adhuc constituto Christum debere cognosci. Ambros. Dominus autem plenam spem resurrectionis ostendens, peccata donat, animum debilitatem carnis excludit: hoc est enim totum hominem esse curatum. Quamuis igitur magnum sit hominibus peccata dimittere, tam è multo diuinius est resurrectionem donare corporibus: quoniam quidem Deus resurrectione est lectus autem qui tolli iubetur, nihil aliud est quam corpus humanum. Aug. de quæst. euang. Ut non iam in carnalibus gaudiis tanquam in lecto requiescat infirmitas animæ, sed magis ipsa contineat affectiones carnales & tendat ad domum suam, id est, requiem secretorum cordis sui, Ambros. Vel domum repetere suam, hoc est ad paradysum redire: ea enim est vera domus quæ hominem prima suscepit, non iure amissa sed fraude. Merito ergo restituitur, quoniam venerat qui nexum fraudis aboleret iusque reformaret.

**S. AMBROSII MEDIO-  
lanensis Episcopi superioris Euang.  
expositio.**

**ET factum est in vna die, &c.** Non otiosa huius paralytici, nec angusta medicina est, quando dominus & orasse præmittitur: non vti que propter suffragium, sed propter exemplum. Imitrandi enim speciem dedit, non præcædi ambitum requisivit. Et conuenientibus ex omni Galilæa, & Iudæa, & Hierusalem legis doctoribus, inter cæterorum remedia debilibus, paralytici istius medicina describitur. Primum omnium, quod ante diximus, vnusquisque æger petendæ precatores salutis debet adhibere, per quos nostræ vitæ compago resoluta, actuümque nostrorum clauda vestigia verbi celestis remedio reformantur. Sint igitur aliqui monitores mentis, qui animum hominis, quamuis exterioris corporis debilitate torpentem ad superiora erigant. Quorum rursus admini-

*Nam olim in  
fuerant pu-  
lice peniten-  
tia, & exco-  
municati, ve-  
niunt in  
libris eccle-  
sasticis.*

*Dei peccata  
omnis per  
se delictis  
quibus dimit-  
tendi tribuit  
potestatem.*

*1. Jan. 4.*

adminiculis & attollere, & humiliare se facilius ante Iesum locetur, dominico videri dignis aspectu. Humilitatem enim respicit dominus, quia respexit humilitatem ancillæ suæ. *Quorum fidem* (inquit) *ve vidit.* Magnus dominus, qui aliorum merito ignoscit albis, & dum albis probat, aliis relaxat errata. Cui apud te homo collega non valeat, cum apud Deum seruus & interueniendi meritum, & ius habeat impetrandi? Disce, qui iudicis, ignoscere: disce, qui eger es, impetrare. Si grauium peccatorum diffidis veniam, adhibe precatores, adhibe ecclesiam, quæ pro te precetur, cuius contemplatione, quod tibi dominus negare possit, ignoscit. Et quamuis historia fidem debeat non omittit, ut vere paralytici istius corpus credamus esse sanatum, cognosce tamen interioris hominis sanationem, cui peccata donantur. Quæ cum Iudæi afferunt à solo Deo posse concedi, Deum vti que confitentur, suoque iudicio perfidiam suam produunt: ut opus astruant, personam negent. Itaque ab ipsis & operis sui Dei filius accepit testimonium, & vocis suffragium non requirit. Perfidia enim confiteri potest, credere non potest. Itaque testimonium non deest diuinitati, fides deest saluti. Nam & validus est ad fidem, quod confitentur inuiti, & perniciosus ad culpam, quod negant, qui suis assertionibus reuincuntur. Magna itaque infidæ plebis amentia, ut cum confessus fuerit, solus Dei esse, donare peccata, non credat Deo peccata donanti. Dominus autem saluos volens facere peccatores, & occultorum cognitione Deum se esse demonstrat, & admiratione factorum adiciens ait: *Quid est factum dicere: Dimissa, &c.* Quo loco plenam speciem resurrectionis ostendit, qui mentis vulneribus, corporisque sanatis, peccata donat animum, debilitatem carnis excludit: hoc est enim, totum hominem esse curatum. Quis igitur magnum sit hominibus peccata dimittere. Quis enim potest peccata dimittere, nisi solus Deus, qui per eos quoque dimittit, quibus dimittendi tribuit potestatem) tamen multo diuinius est, resurrectionem donare corporibus, quadoquidem ipse dominus resurrectio est. Hic lectus, qui tolli iubetur, quid est aliud, nisi quia humanum iubetur corpus attolli? Ipse est, qui per singulas noctes lauat à David lectus doloris, in quo anima nostra graui conscientie ægra cruciatur iacebat. Sed, si quis secundum Christi præcepta se gesserit: iam non lectus doloris est, sed quietis. Miseratione etenim domini cepit quies esse, quod mors erat, qui nobis soporem mortis vertit in gratiam voluptatis. Nec solum leuare lectum, sed etiam domum suam repetere, hoc est, ad paradysum redire censetur. Ea est enim vera domus, quæ hominem prima suscepit, non iure amissa, sed fraude. Merito ergo restituitur domus, quoniam venerat, qui nexum fraudis aboleret, ius reformaret. Nec mora vlla sanitatis interuenit: vnum dictorum, remediorumque momentum est. Spectant surgentem increduli, mirantur abeuntem, & diuini operis miracula mirantur timere, quam credere. Nam, si credidissent, non timuissent vti que, sed dilexissent. Perfecta enim dilectio timorem excludit foras. Et ideo illi, quia non diligebant, calumniabantur. Calumniantibus autem dicit, *Quid cogitatis mala in cordibus vestris?* Quis hoc dicit? Sacerdos magnus, qui lepram videbat in cordibus Iudæorum,

ostendit eos peiores esse leproso. Ille sacerdoti est se iustus offerre purgatus: hos sacerdos tepidiat, ne alios quoque lepra eorum contaminet.

**BEDAE VENERABILIS  
presbyteri in superioris Euang.  
expositio.**

**ET factum est in vna die, & ipse sedebat docens, &c.** Ex comment. in Iohann. Vbi dominus sedens docuit quando scribis, & Phariseis confitentibus paralyticum curauit, Lucas breuiandi gratia præterit, sed Matthæus, & Marcus, quiarrant questionem facere videntur: Quoniam quidem Matthæus in ciuitate sua, Marcus in Capharnaum hoc eum fecisse testatur. Quæ difficiliter solueretur, si Matthæus etiam Nazareth nominaret. Nunc vero vel ipsa Galilæa, in qua erat Nazareth, intelligenda est dicta ciuitas Christi, ad distinctionem videlicet regionis transmarinæ Galæenorum, de qua transfretando sicut Matthæus scribit venerat Galilæam. Vel certe ipsa Capharnaum ciuitas Christi est dicta, quam non nascendo, sed virtutibus illustrando suam ipse fecerat. Et ecce viri portantes in lecto hominem qui erat paralyticus, &c. Curatio paralytici huius, animæ post diuturnam illecebræ carnalis inertiam ad Christum suspirantis indicat saluationem. Quæ primò omnium ministris qui ea subleuant, & Christo adferant, id est, bonis doctoribus, qui spem sanationis, opemque intercessionis suggerant, indiget. Qui bene Marco narrante, quatuor fuisse repetitur, siue quia quatuor Euangelij libris omnis prædicantium virtus, omnis sermo firmatur, seu quia quatuor sunt virtutes, quibus ad promerendam sospitatem fiducia mentis erigitur. De quibus in æternæ sapientiæ laude dicitur, Sobrietatem enim, & sapientiam docet, & iustitiam, & virtutem, quibus vtilis nihil est in vita hominibus. Quas nonnulli vestis nominibus, prudentiam, fortitudinem, temperantiam, & iustitiam appellant. *Et non inuenientes quæ patre illum inueniret, &c.* Desiderant paralyticum Christo offerre sed turba interposita, ab omni parte recluduntur. Quia sæpe anima post infirmi corporis desiderium ad Deum respiciens, superæque gratiæ remedio cupiens innouari, præter consuetudinis obstaculo retardatur. Sæpe inter ipsas orationis secretæ dulcedines, & quasi suauem cum domino colloquium, turba cogitationum interueniens aciem mentis ne Christus videatur intercludit. Et quid inter hæc agendum? non vti que in infinis exterius quæ turbæ tumultuantur remanendum, sed lectum domus, in qua Christus docet, ascendendum, id est, sacræ scripturæ sublimitas est appetenda, lexque domini cum Psalmista die, nocteque meditanda. In quo enim corrigi iunior viam suam? in custodiendo, inquit, sermones tuos. *Et submisserunt illum cum lecto in medium ante Iesum.* Parafacto lecto, æger ante Iesum submititur, quia referatis scripturarum mysterijs, ad notitiam Christi pervenitur, hoc est ad eius humilitatem fidei pietate descenditur. Et bene domus Iesu regulis contexta describitur, quia sub contemptibili literarum velamine si adsit, qui referat doctor, diuina spiritalis gratiæ virtus inuenietur. Quod autem cum lecto deponitur, significat ab homine in ista carne adhuc constituto Christum debere cognosci. *Quorum fidem*



fidem vt vidit dixit. Homo, remittuntur tibi peccata tua. Non enim dominus a paralyti curaturus primo peccatorum vincula dissoluit, vt ostenderet eum ob nexus culparum artuum dissolutione damnari, nec nisi his relaxatis membrorum posse recuperatione sanari, Sic & illi paralytico, qui iuxta probaticam piscinam diu motum aquae frustra praestolabatur, sanato a domino dicitur; Ecce sanus factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Et bene is, cui peccata dimittentur, homo vocatur, qui hoc ipso, quod homo erat, non posset dicere, non peccasti, simul etiā vt ille, qui homini dimittebat, intelligeret Deus. Intuendum sane quanti propria cuiusque fides apud Deum valeat, vbi tanti valuit aliena, vt totus homo repente, id est, exterius, interiusque iam saluatus exurgeret, aliorumque merito, aliis laxarentur errata. Et caeperunt cogitare scribae, & Pharisei, &c. Verum dicunt scribae, quia nemo dimittere peccata nisi Deus potest, qui per eos quoque dimittit, quibus dimittendi tribuit potestatem. Et ideo Christus, vere Deus esse probatur, quia dimittere peccata quasi Deus potest. Verum Deo testimonium reddunt, sed personam Christi negando falluntur. Errant itaque Iudaei, qui, cum Christum & Deū esse, & peccata dimittere posse credant, Iesum tamen Christum esse non credunt. Sed multo dementius errat Arrianus, qui cum Iesum, & Christum esse, & peccata posse dimittere Euangelij verbis deuicti negare non audeant, nihilominus tamen Deum negare non timent. At ipse perfidos saluare desiderans, & occultorum cognitione, & virtute operum, Deum se esse manifestat. Respondens enim, dixit ad illos. Quid cogitatis? Eidē namq; Deo, qui dicit, Ego sum, ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas, sapientissimus orator ait; Tu enim solus nosti corda omnium filiorum hominum. Eadem ergo, inquit, maiestate, & potentia qua cogitationes vestras intueor, possum & hominibus delicta dimittere. Ex vobis intelligite, quid paralyticus consequatur. Quid est factus dicit, dimittuntur tibi peccata, &c. Vtrum sint paralytico peccata dimissa solus nouerat, qui dimittebat. Surge autem, & ambula, tam ille, qui surgebat, quam ij, qui surgentem videbant, approbare poterant. Fit igitur carnale signum, vt probeatur spiritale. Et autem sciatis, quia filius hominis, &c. Si & Deus est iuxta memoratiuā Esaiā testimoniu, qui delet iniquitates nostras, & filius hominis potestatem habet in terra dimittendi peccata, ergo idem ipse & Deus, & filius hominis est, vt & homo Christus per diuinitatis suae potentiam dimittere peccata possit, & idem Deus Christus per humanitatis suae fragilitatem pro peccatoribus mori. At paralytico: Tibi dico, &c. Spirituiter de lecto surge, est animam se a carnalibus desiderijs, vbi agra quiescebat, abstrahere. Lectum vero tollere est, ipsam quoque carnem per continentiae siena conceptam, spe caelestrum praemiorum deliciis priuare terrenis. Ipse est enim Iesus, qui per singulas noctes lauabat a David; id est, pro vniuersisque noxae maculis signo penitentiae lumine castigatur. Sublato autem lecto, domum ita, ad praedilectam redire est. Ipsa est enim vera domus, quae hominem prima suscipit, non iure amissa, sed fraude; tandemque restituta per eum, qui fraudulenter hosti in thalibebus. Aliter sanus, qui languabat, lectum reportat domum;

cum anima peccatorū remissione accepta, ad internam sui custodiam cum ipso se corpore referre, ne post veniam quid, vnde iterum iuste feriat admittat. Et confestim surgens coram illis, &c. Mira diuinæ potentiae virtus, vbi nulla temporis interueniente morula, iusta saluatoris salus festina committatur. Mox qui adfuerant, damnatis blasphemiae iaculis ad laudem tantæ maiestatis stupentia corda conuerrunt.

THEOPHYL. EPISCOPI

Bulgar. superioris Euangel. expositio.


Et factum est quodam die, & ipse docebat eos inque Pharisei, &c. Oportebat dominū rariis quodam coram inimicis facere miraculum: proinde sanauit hominem difficillimi morbi, vt sanando tantum morbum, sanaret & mirabilem Phariseorum insaniam. Primum igitur animam sanat, dicens; Remittantur tibi peccata; vt discamus multas infirmitates a peccatis nasci: deinde & corpus sanat, visa afferentium fide. Sæpe enim alios propter aliorum seruat fidem. Porro Pharisei dicunt, Cur ille loquitur blasphemias? Quis potest remittere peccata, nisi solus Deus? Hæc autem dicunt mortis teum econdemnantes. Lege enim statutum, vt blasphemans in Deum morte puniretur. Dominus igitur monstrans eis se verum Deum, & non arrogantia illud a se dictum; alio signo illis suadet. Sciebat enim, quid illi cogitarent. Vnde omnino liquidum, cum esse Deum. Dei enim est videre cor propterea dixit; Quid vobis videtur? facilius ne remittere peccatum, vel sanare corpus? Omnino iuxta vestram sententiā videtur facilius remittere peccata, vt obscure, & non reprehensibile, quamuis difficilior sit sanare autem corpus, difficilior (vt apparet) videtur: quamuis natura facilius atramen ego & hoc & illud faciam; & idcirco sanabo corpus, quæ res vobis difficilior videtur, vt credibilem vobis faciam & animæ sanationem, quæ reuera difficilior est, quamuis vobis (quia non videtur) facilis videatur. Vide autem, qd super terram remittantur peccata. Quamdiu enim super terram sumus, poterimus delere peccata nostra: at postquæ a terra migrauerimus, nõ vltra nobis ipsis poterimus per confessionē: clausa enim est ianua.

EVTHYMI ZIGABONI

superioris Euang. expositio.

Et ipse erat docens. In hac oratione, & abundat. Hebraice autem lingue hoc peculiare est, & sapientius apud Lucam. Marcus vero etiam addidit, vbi tunc erat docens, nempe in domo. Qui venerant ab omni vico, &c. Qui vndique adueniant propter famam eius. Et virtus domini erat ad sanandum eos. Virtus Dei erat cum eo ad sanandum turbas. Virtutem autem domini dixit ob continentiam, & autoritatis plenam sanationem. Quam non inuenissent, quod illum inferebat. Quia via, per quem ingressum. Impletique sunt timore, dicens, &c. Ad miranda quippe timorem solent immittere peccatoribus; ne quo modo patiantur aliquid mali propter peccata sua.

Amplioem euangelijs huius explicationem, plurimumque autorum allegationem, require in Dominica 18. post Pentecostem, inueni in eodem tomo.



SABBATHO QVATVOR TEMPORVM IN OCTAVIS PENTECOSTES,

Euangelium vide supra tomo 2. Sabbatho post feriam IIII. Cinerum.

FESTO SS. TRINITATIS

Require supra tomo 2. feria VI. post Pascha.

DOMINICA PRIMA POST PENTECOSTEN.

L V C. 6.



In illo tempore: dixit Iesus discipulis suis. Estote misericordes sicut & pater vester misericors est. Nolite iudicare, & non iudicabimini. Nolite condemnare & non condemnabimini. Dimittite & dabitur vobis. Date & dabitur vobis. Mensuram

autem illis similitudinem. Nunquid non potest cæcus cæcum ducere? Nonne ambo in foueam cadunt? Non est discipulus super magistrum. Perfectus autem erit omnis, si sit sicut magister eius. Quid autem vides? festucam in oculo fratris tui, & trabem autem quæ in oculo tuo est? Aut quomodo potes dicere fratri tuo: frater, sine eiiciam festucam de oculo tuo, ipse in oculo tuo trabem non vides? Hypocrita, eiice primum trabem de oculo tuo & tunc perspicies vt educas festucam de oculo fratris tui.

GLOSSA ORDINARIA in superioris Euang.



STOTE misericordes. Pluit super malos, terra malis prouentum haud negat, idem sol bonos & malos illuminat. Mysticè: Populum Iudæorū propheticus pluuijs irrigat, & non merentibus radius

æterni Solis refultat. Si ergo illi crederint, esto te ergo eis misericordes docendo & exhortando, & nolite temere iudicare, ne quis conscius sui delicti, in alterum cogatur ferre sententiam. Nolite iudicare. Sunt quædam media & incerta, quo animo fiant: quia bene & male possunt fieri. Nescimus etiam, qualis futurus est, qui nunc apparet malus: de cuius correctione desperare, eumque quasi abiectum reprehendere temerarium est.



De apertis quæ bono animo fieri non possunt permittitur nobis iudicare. *Eadem quippe.* Generaliter potest accipi de omnibus, quæ mente, manu, lingua, aguntur, quia secundum opera singulorum reddet Deus. *Eadem quippe.* Ambrosius. Non iniqua mensura respondet Deus, sed est acsi dicat: Ipsa temeritas iudicandi & iniqua mensura tibi nocet, te punit, & sæpè non illum, de quo hoc agis. Vel si rectè iudicas & metiris tibi prodest, te saluat, etsi aliquando non illum, cui hæc impendit. *Dicebat autem illis similitud.* Per quam inuitat ad eleemosynam dandam & ad dimittendam iniuriam. *Numquid potest.* Si contra violentiam ira te cæcauerit. Si contra petentem te auarus eris, nunquid vitata mente tua, vitium eius curare poteris? Nec solum qui tibi iniuriam fecit, sed etiam tu qui ferre nescis reus eris. Sed si improbitas illius te tranquillum inuenit, & ille pœnitebit, & tu de patientia coronaberis: quia cæcum vidente oculo, id est, sereno corde ad lumen ducere curasti. *Sicut magister eius.* Deus non suas vlciscitur iniurias, sed tolerando persecutores mitiores reddere voluit: discipuli qui homines sunt, hanc regulam perfectionis debent imitari. *Quid autem.* verè peccas peccantem castigare nõ valer, quia qui superbia vel odio, vel alio vicio præuerti, leuiã hæc vel nulla iudicâtes, grauiter increpât illos, quos à statu mentis vident, vel ira, vel aliquo leui peccato: hi tales amant magis vituperare & condemnare, quam corrigere & emendare. *Non consideras?* Apertus oculus malè videt. Scilicet, iactantiam sui, dum alij vult mederi: sed cæcus se non valet intueri dum in hoc deterius cadit. *Hypocrita.* Si quem vis reprehendere, primum vide si similis eius sis. Quod si es pariter ingemisce, & noli eum tibi obtemperare, sed pariter conari mone. Quod si non es similis, tamen quia olim fuisti, vel esse potuisti condescende, & non ex odio, sed misericordia argue. Rato ergo non sine magna necessitate sunt oburgationes adhibendæ: & non nisi respectu Dei, remota ob oculo trabæ. Hi enim odio vel liuore omni aculare suscipiunt, & volunt videri consultores, sine exemplo suæ emendationis. Sed prius debet auferre trabem inuidiæ, vel malitiæ vel simulationis de oculo sui cordis, vt valeant eicere festucam iræ vel alicuius liuoris culpæ de oculo fratris.

### CATENA AVREA in idem Euangelium.

**E**stote misericordes, &c. Athanas. Vt scilicet aspicientes beneficia eius, bona quæ facimus non hominum sed eius intuitu faciamus: quatenus à Deo, non ab hominibus præmia consequamur. *Nolite iudicare, & non iudicabimini, &c.* Ambros. Ad didit dominus non temerè iudicandum, ne cuius conscius ipse delicti in alterum cogaris ferre sententiam: vnde dicit; *Noli iudic.* Chrysof. Non iudices præcedentes te, id est, qui discipulus es magister, peccator innocentem, quos non oportet increpare, sed monere & charitatiuè corrigere, nec etiam iudicandum est in incertis & qualibuscunque, quæ nec similitudinem habent peccati, aut quæ non sunt graua siue prohibita. Cyril. Sed dat ergo hic pessimam passionem nostram conscientiarum contemptus principum, quamuis enim

debeat aliquos se circumspicere & secundum Deum conuerti, hoc non faciunt, sed examinant aliena. Et si videant aliquos infirmari, tanquam propriarum passionum obliuisci, faciunt hoc detractio nis materia. Chrysof. Nec facile reperies quemquam, neque patrem familias, neque claustralem expertem huius erroris. Sunt autem & hæc diaboliæ tentationis insidiæ, nam qui seuerè discutit aliena, nunquam propriorum reatum merebitur veniam: vnde sequitur: *Et non iudicabit.* Sicut enim pius & mitis reprimat peccatorum timorem: sic seuerus & durus adicit criminibus propriis. Greg. Nise. Non igitur cum acrimonia præcipietis in seruos sententiam, ne similia patiamini, vocat enim iudicium asperiorum damnationem: vnde sequitur: *Nolite con. & non cond.* Non enim iudicium cura venia prohibet. Bed. Breui autem sententia cuncta quæ de cõuertiendo cum inimicis mandauerat, comprehendendo concludit, dicens, *Dimitt. & di. vo. &c.* Vbi dimittere nos iniurias, & dare beneficia iubet, vt & nobis peccata dimittantur, & vita detur æterna. Cyr. Quod autem ampliori manu recompensationem accipiemus à Deo, qui largitus donat diligentibus eum, ostendit subdens: *mensuram bonam & confer tam, &c.* The. quasi dicat. Sicut si farina sine paritate mensurare velles, conferres eam, coagitates & supereffunderes abundè: sic dominus mensuram magnam, & supereffluentem dabit in sinum vestrum. August. de con. euang. Dicit autem, Dabunt: quia per illorum merita quibus vel calicem aquæ frigidæ in nomine discipuli dederunt, mercedem cælestem recipere merebuntur. Sequitur: *Eadem quip. &c.* Basil. Qua enim mensura vnusquisque vestrum mensurat in bene operando aut peccando, eadem vel præmia vel pœnas feret. Theo. Interrogabit autem fortassis aliquis subtilius: Si enim supereffluenter redditur, quomodo eadem est mensura? Ad quod dicimus quod non dixit, In tanta mensura remeretur vobis, sed in eadem. Qui enim bene fecit, bene fiet ei, quod est remeri eadem mensura. Sed supereffluentem mensuram dicit, quia millies bene fiet ei. Sic & in iudicando. Qui enim iudicat, & deinde iudicatur, accipit eandem mensuram: secundum verò quod ad plura diiudicabatur, quia sibi simile iudicauit, secundum hoc supereffluens est mensura. Cyr. Hoc autem soluit Apost. dicens. *Qui parè seminat hoc est modicè & manu tenaci, parce & metet, hoc est non copiosè: & qui seminat in benedictionibus, in benedictionibus & metet, hoc est copiosè. Si quis autem non habet, si non faciat, non delinquit: in eo enim quod habet acceptatur, non in eo quo caret.* *Dicebat autem illis & similitudinem: Nunquid potest cæcus cæcum ducere?* Cyrilli. Addidit dominus prædictis parabolam valde necessariam: vnde dicitur, *Dice. an. ill. & similitudinem.* Erant enim eius discipuli futuri mundi doctores, vnde docebat eos scire viam conuersationis honestæ, quasi illustratam mentem habentes diuino fulgore, ne cæci cæcos ducerent: & ideo subdit, *Num. po. ca. &c.* At si contingat aliquos hoc attingere, vt æqualem virtutem doctorem virtuti possideant, sistant in mensura docentium, & illorum sequantur vestigia: vnde sequitur, *Non est dis. &c.* vnde & Paulus dixit. Imitatores mei estote sicut & ego Christi. Christo ergo non iudicante cur tu iudicas? neque enim venit iudicare mundum sed

misereri

misereri. The. Vel aliter, Si tu alium iudicas, & ipse in eisdem peccatis, nõne assimilaris cæco cæcum ducenti? quomodo enim ille à te ducetur ad bonum, cum & tu peccas? Non est enim discipulus super magistrum. Si igitur tu peccas qui te magister & ductorem putas, vbi erit qui à te discipulus, si sit sicut magister eius. Beda. Vel sensus huius sententiæ pender ex superioribus, vbi danda eleemosyna & iniuria dimittendi præcipitur. Si te, inquit, ira contra violentum, & contra petentem auaritia cæcauerit, nunquid tu mente vitata, vitium eius curare poteris? Si etiam magister Christus qui curat Deus poruit suas vlcisci iniurias, maluit persecutores patiendò reddere mitiores, eandem necesse est quod discipuli qui puri homines sunt regulam perfectionis sequantur. August. de quæst. euang. Vel quod dicit, Nunquid potest cæcus cæcum ducere, ideo subiungit, vt non sperarent à Leuitis se accepturos mensuram illam, de qua dicit; Dabunt in sinum vestrum: quoniam decimas dabunt eis, quos cæcos dixit, quia euangelium non tenerent: vt illam remunerationem per discipulos domini potius plebs inciperet iam sperare, quos imitatores suos volens ostendere addidit. *Nõ est discipulus super magistrum.* Theoph. Inducit autem dominus & aliam parabolam de eodem subdens, Quid autem vides festucam, id est modicum criminis in oculo fratris tui. Trabem autem quæ in oculo tuo est, &c. id est peccatum tuum maximè non consideras. Bed. Hoc autem ad superiorem sensum respicit, vbi cæcum à cæco duci, id est peccantem à peccatore castigari non posse præmonuit: vnde dicitur, *Aut quomodo potes dicere fratri tuo: Frater, sine eijam, &c.* Cyrilli: Quasi dicat. Qui grauibz obnoxius est peccatis, trabem vocat, qualiter damnat eum qui pauca vel quandoque nihil mali commisit? hoc enim festuca significat. Theophil. Conuenit autem hoc omnibus, & maxime doctoribus, qui subditorum cum minima peccata puniant, propria impunita relinquunt: propter hoc eos dominus hypocritas vocat, qui ex hoc aliorum peccata iudicant vt iusti videantur: vnde sequitur, *Hypocrita eijce primum, &c.* Cyril. Videlicet te ipsum primum mundum ostendas à magnis peccatis, consequenter cõsules proximo modica committenti. Basil. Videtur enim tenera cognitio sui ipsius grauisimum omnium: neque enim solus oculus exteriora videns super se visum non vitur, sed & ipse noster intellectus cum alieni velociter connectat peccatum, lenus est erga propriorum perceptionem defectuum.

### S. AMBROSII EPISCOPI Mediolanen. in superius Euang. expositio.

**E**stote misericordes, &c. Quanta misericordiæ merces, quæ in ius diuinæ adoptionis adsciscitur. Sequere igitur misericordiam, vt merearis gratiam. Late pater benignitas Dei, Super ingratos pluit, malis fecunda non negat terra prouentus. Idem mundus sol, sacrilegos religiososque pariter illuminat. Aut vt mystice ista pendamus, propheticis populum Iudæorum Dominus pluuiis irrigauit, & solis æterni refulsit radiis, etiam

non merentibus. Sed quoniam illi mundano rote maderunt, Ecclesia Dei ad cæleste lumen adsciscitur: ita tamen vt illis quoque misericordiz, si credant, prærogatiua seruetur. *Nolite ergo iudicare, &c.* Addit non temere iudicandum, ne cum sis tui conscius ipse delicti, dum alterum iudicas, in te ipsum cogaris ferre sententiam. Grate est. Vnde etiã scriptum est: *Nolite iudicare, &c.* Cum enim vnusquisque sit suorum conscius peccatorum, quomodo potest de alterius iudicare peccato: Iudicet de alterius errore, qui nõ habet quod in seipso condemnet. Iudicet ille, qui non agit eadem quæ in alio putauerit puniendæ: ne cum de alio iudicat, in se ferat ipse sententiam. Iudicet ille qui ad pronuntiandum nullo odio, nulla offensione, nulla leuitate ducatur. Audisti hodie quid iudex verus & iustus locutus sit: Non possum, inquit, ego à me facere quidquam. Nonnulli hæretici solebant hinc facere quæstiones, quasi infirmus esset filius, qui à se nihil faceret, quali secundum diuinitatem quoque subditus, & pater no subiectus imperio: nec aduertunt quod hoc quoque magis potestatis diuinæ vnitas comprobetur, vbi putant inter patrem & filium esse distantiam potestatis. Nihil à se facit filius, quia per vnitatem operationis nec filius sine patre facit, nec sine filio pater. Deniq; pater dicit ad filium: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram: communem asserens operationem esse, vbi commune consilium est, Quid sine sapientia facit, qui omnia in sapientia fecit? vt lectum est: Omnia in sapientia fecisti. Denique sapientia dixit: *Quom faceret cælos, cū illo eram, & ego eram cui applauderat.* Et Euangelista ait: Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, vt doceret non solum operatorem omnium filium, sed etiam paternæ operationis consortem esse. Ego tamen arbitror quod hic locus ad iudicij formam videatur esse referendus. Euangelium etenim non solum fidei doctrina, sed etiam mbrum est magisterium, & speculum iustæ conuersationis. Inuenio in Euangelio quod Dominus Iesus multorum affectus & officia suscepit, vt doceret quomodo nos in his conuersari oporteret officiis. Suscepit personam pastoris, & ait: Pastor bonus animam suam ponit pro ouibus suis. Ideoque pro rationabili grege seipsum passioni corporis non negauit, vt ouem lassam crucis suæ humeris superponens, pij oneris functione recrearet. Suscepit aduocati personam. Ipsum enim aduocatum habemus apud patrem. Pernoctabat in oratione pro nobis, vt nos suo informaret exemplo quemadmodum veniam nostris debeamus exorare peccatis. Non enim ideo pernoctauit, quasi qui aliter patrem nobis reconciliare non posset, sed vt qualis aduocatus esse debeat demonstraret, qualis sacerdos, vt non solum diebus, sed etiam noctibus pro grege Christi debeat precator assistere. An impetrandi egebat auxilio, qui facere ipse poterat quod rogabat, quemadmodum ipse dicebat: Ego ad patrem vado: & quodcumque ab eo petieritis in nomine meo, hoc faciam? Denique alibi ait, cū Lazarum resuscitaret: Sciebam quod semper me audis. Hic quasi infirmus pernoctabat, qui sciebat quod semper audiret, & clamauit: Lazare veni foras. Locuta est resurrectio, mors recessit. Suscepit etiã affectum rei, & stetit ante iudicem quasi reus, nec

Bibl. Hom. tom. 3. C c dedigna

dedignatus est Dominus omnium prædis vilitatem. Interrogatus tacebat, ostendens non in clamore vocis, nec in forens assertionem patrocini, sed in conscientia integritate esse innocentia defensionem: nec salutem corporis ambie: dam, sed animi puritatem. Denique qui Sannam absoluit tacentem, se obtulit morti. In illa causam ostendit, ut nemo desperaret: in hac, ut redimendæ vniuersitatis sacrificium non negaret. Cæsus postremò, non conuictus est, non repercutit: & Dominus cæli atque terrarum stidium deposuit vltionis, vocem humilitatis emisit, dicens: Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo: si autem bene, quid me cædis? Quasi infirmus, cædis deplorat iniuriam: & cum se posset vlcisci, queri maluit quàm vindicare. Ergo & hic personam iudicis propositumque suscepit, dicens: Non possum à me facere quidquam. Bonus enim iudex nihil ex arbitrio suo facit, & domesticæ proposito voluntatis: sed iuxta leges & iura pronuntiat, statutis iuris obtemperat, non indulget propriæ voluntati, nihil paratum & meditatum domo defert: sed sicut audit, ita iudicat; & sicut se habet negotij natura, decernit. Obsequitur legibus, non aduersatur: examinat causas merita, non mutat. Discite iudices fueritis, quem in iudicando tenere debeatis affectum, quam sobrietatem, quam sinceritatem. Dominus omnium dicit: Non possum ego à me facere quidquam. Alibi lego: Negare semetipsum non potest. Non potest vtiq; non per infirmitatem, sed per integritatem: non per impossibilitatem faciendi, sed per obseruantiam iudicandi. Quid non potest qui omnia potest, nisi quod posse nolit? Non vult posse quod damnet, non vult posse aduersus fidem, non vult posse aduersus veritatem. Audi postremò ipsum dicentem cur non possit à se facere quidquam: Sicut audio, inquit, iudico, hoc est, nò ex mea potestate decerno quod libitum, sed ex iudicandi religione quod iustum est: & ideo iudicium meum verum, quia non voluntati meæ, indulgeo, sed æquitati. Audite quid iudex dicat cælestis: Non possum à me facere quidquam, sed sicut audio, iudico. Et Pilatus dicebat ad Dominum Iesum: Potestatem habeo dimittendi te, & potestatem habeo crucifigendi te. Vsurpas ô homo, potestatem quam non habes, cum Dominus neget se habere, qui habet super omnia potestatem? Audi quid iustitia dicat: Non possum à me facere quidquam. Audite quid iudex æquitatis asserat: Sicut audio, ita & iudico. Audite quid iudex iniuictatis loquatur: Potestatem habeo dimittendi te, & potestatem habeo crucifigendi te. Tua Pilate voce constringeris, tua damnaris sententia. Pro potestate igitur, non pro æquitate crucifigendum Dominum tradidisti: per potestatem absoluisi latronem, auctorem verò vitæ interfecisti. Sed nec istam à te habuisti, quam habere te asseris potestatem. Denique dicit tibi Dominus Iesus: Non haberes potestatem aduersus me vllam, nisi data tibi esset desuper. Mala potestas posse quod non liceat. Potestas ista tenebrarum est, verum non videre, sed spernere. Audite quid verus iudex loquatur: Non quero voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me. Quasi homo loquitur, quasi iudex docet: quoniam qui iudicat, non voluntati suæ obtemperare debet, sed tenere quod legum est. Cõstitutus iudicem de hoc saculo: num-

quid potest aduersum imperialis formam venire rescripti? Numquid potest normam augustæ definitionis excedere? Quato magis diuini formam debemus seruare iudicij? Christus dicit: Nò quero voluntatem meam: hoc est, hominis, quæ vel odio dirigitur, vel studio intenditur, vel gratia inflectitur, vel aliorum mendacio deprauatur. Omnis enim homo mendax. Sed voluntatem, inquit, eius qui me misit: hoc est, diuinæ cognitionis formam veni docere, ut in iudicando magis cordi sit veritatis custodia, quàm obedientia voluntatis. Non ergo hic quoque infirmitas potestatis, sed forma est expressa iustitiæ. Iustum igitur est iudicium filij Dei, quia est secundum voluntatem Dei, non secundum hominis affectum. Deus enim misericordia plenus est, & misericordia eius cum iudicio, & iudicium cum misericordia. Neque enim sine iudicio miseretur, neq; sine misericordia iudicat. Denique scriptum est: Misericordia eius in stateras. Filij autem hominum mendaces in stateris, ut decipiant. Examinat ergo & trutinat Deus merita singulorum, & quemadmodum per mensuram dat gratiam, ne supra mensuram sit, ita per mensuram dat misericordiam. Vnde ait: *Mensuram bonam, confertam, commotam, superfluentem dabunt in sinum vestrum. Eadem verò mensura qua mensi fueritis, reddetur vobis.* Similiter in statera singulorũ opera pensantur, ut si bona malis præponderent, remuneratio præmij deferatur: si peccata virtutibus, tristior reum poena constringat. quod expressum habes ad Timotheum, dicente Apostolo Paulo: Quorũdam hominum peccata manifesta sunt præcedentia ad iudicium, quosdã autem & subsequuntur. Similiter & facta: bona manifesta sunt: & quæ aliter se habent, abscondi non possunt. Omnia ergo à Domino Deo nostro mensura quadam & pondere fiunt. Quis posuit, inquit, rupes in statera? Et supra: Quis mensus est manu aquæ, & cælum palmo? Qui nostra examinat, sua vtiq; examinata largitur, & saluo omnia decernit examine. Ponderat misericordiam, ponderat vltionem: in vtroque certum pondus, habiliq; mensura est. Vnde & David ait: Et potum dabis illis in lachrymis in mensura, ne sine moderatione mensuræ poenæ cumulo grauarentur, & sustinere non possent. Et alibi idem ait Propheta: Calix in manu Domini vini meri plenus est mixto. Et inclinavit ex hoc in hoc, verum tamen fæx eius non est exinanita. Et Hieremias ait: Calix aureus Babylon in manu Domini, à quo inebriatæ sunt gentes: hoc est, poena à nationibus persoluta est, ne diutius insultarent, quod Dei populum acerbissima populatione vexauerint. Sensus igitur versus Davidici hic est: Parata & plena est poena quæ debetur impijs, quam Dominus declinat in perfidos: sed tamen miseratione sua non vsque ad facem dignatur effundere, ne pleitudinem supplicij ferre nò possent. Inclinat ergo calicem, non euacuat. Quod inclinat, censuræ est: quod non euacuat, misericordiæ. Ergo iudicium quoque misericordia temperat Dominus Deus noster: Quis enim nostrum sine diuina potest misericordie ratione subsistere? Quid possumus dignum præmijs facere cælestibus? Quis nostrum ita assurgit in hoc corpore, ut animum suum eleuet, quo iugiter adhæreat Christo? Quo tandem hominum merito desertur, ut hæc corruptibilis caro induat incorruptionem, & mortale hoc induat immortalitatem?

talitatem? Quibus laboribus, quibus iniurijs possumus nostra leuare peccata? Indignæ sunt passionis huius temporis ad superuenturam gloriam. Non ergo secundum merita nostra, sed secundum misericordiam Dei cælestium decretorum in homines forma procedit.

S. IO. CHRYSOSTOMI  
Episcopi Constantinop. in idem  
Euang. Homilia.

**N**olite iudicare, ut ne iudicemini, &c. Quidã hunc locum secundum huiusmodi sensum exponunt, dicentes: quia dominus hoc mandato non prohibet Christianos ex beneuolentia corripere alios Christianos dignos correptione: sed ne aut per iactantiam iustitiæ suæ Christianos despiciant peccatores, derogantes frequenter de multis, & ex solis plerumque suspitionibus, odientes ceteros & condemnantes, & sub specie pietatis proprium odium exequentes. Et ut ne sic quidem Christiani corripiant Christianos, conuenit sermo, qui dicit: *Nolite iudicare.* Si autem corripuerint, vtrum conueniat illud quod dicit: *Ut non iudicemini, nescio.* Nunquid propter illud solum, si sic corripuerint peccatores, consequenter indulgentiam peccatorum suorum, secundum quod dictum est: *Et non iudicabimini:* Si enim iudicantes, sicut iudicare nò decet, malè faciunt: sine dubio non iudicantes, veniam peccatorum priorum ex hoc non consequentur, quia non iudicauerunt malè. Quis enim consequitur indulgentiam mali sui prioris, quia non addidit & alterum malum? Certè si in se peccantes non iudicauerint, nec ipsi iudicabuntur à Deo pro suo peccato. Hæc diximus, volentes ostendere, quia hic sermo non est positus de proximis non iudicandis, qui peccant in Deum, sed qui in nos peccant. Quid ergo est? Vtque nunc exposuit consequentiam ad iustitiam elemosynæ pertinentem, nunc autem incipit exponere consequentiam ad iustitiã orationis respicientem. Est doctrina hæc quodammodo pars ipsius orationis. Ut sit talis ordo narrationis: *Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo. Nolite iudicare, ut non iudicemini. Qui enim non iudicat proximum suum propter peccatum quod fecit in ipsum, illi nec Deus iudicat propter peccatum quod fecit in ipsum: sed dimittit Deus debitum eius, sicut & ipse dimittit debitoribus suis. Sicut autem cetera vniuersa mandata generaliter cunctis mandauit, tam sacerdotibus quàm laicis, præcipuè tamen doctoribus, qui quanto maiores sunt in ordine, tanto perfectiores esse debent in disciplina. Sic & hoc mandat de proximis non iudicandis, ad omnes quidem pertinet: præcipuè tamen ad doctores. Vnde quædam sunt mandatorum istorum, quæ si diligenter aspicias, penè nec conueniunt laicis, nisi forte parum, doctoribus autè omnino conueniunt. Quale est hoc ipsum, quod sequitur. *Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, &c.* Videre enim festucam in oculo fratris omnium est, eiecere illam posse non est omnium, sed tantum doctorum, qui per doctrinam, vel increpationem secundum Deum, possunt eiecere de mente fratris sui peccatum vel

magnum vel modicum. Sicut & illud quod dicit: *Nolite sanctum dare canibus, neque margaritas vestras miseris ante porcos.* Habere enim vel sancta, vel margaritas, & posse dispensare vel bona, vel mala; & discernere qui hominum sunt canes, qui porci, nò est omnium hominum, sed sanctorum. Vult ergo Dominus doctores Christianorum, sicut in omni iustitia, sic & hoc primùm facere, deinde docere, ut doctrinam suam bonam meliori vita commendent, ut benè docendo scientiam inferant, melius autem viuendo timorem: quia tales, sales sunt terræ, cõdientes omnes suæ vitæ exemplo, & luces sunt, doctrinis illuminantes. Quis audiat illum docentem, qui seipsum non audit? Ideo dicit ad omnes, præcipuè ad doctores. *Nolite iudicare, ut non iudicemini.* Quoniam si doctor memoretur sit iniuriæ & doloris, & memoriam malitiæ seruet in anima sua, soluitur totus Ecclesiæ status, siue ad tempus respicias Apostolorum, siue ad nostrum. Tunc enim, sicut legimus, difficile aliquos conuertebant ad fidem Christi, nisi multa prius paterentur ab ipsis. Nam quasi lassato diabolo & deuicto per sufferentiam eorum nimiam vsque ad mortem, & relincente corda infidelium, & iam non habente virtutem amplius eos armare, accendente gratia Dei conuertebantur ad Christum. Si ergo memores fuissent iniuriarum, quas fuerant passi ab eis, nunquam postmodum eos in charitate docuissent, nūquam eos libèter ad fidem Christi postmodum recepissent: sed & nunc quum frequenter doctores offenduntur à laicis, siue iustè siue iniuste, diabolo seminante occasiones, si memores sint iniuriæ & doloris, totam soluunt Ecclesiam. Nam vbi recordatio iniuriæ aut doloris in medio est, nec doctor beneuolenter docet laicum, nec libenter eum laicus auscultat: & doctor forsitan vel inuitus aperit os suum ad docendum: laicus autem quum sit omnino sine timore Dei, nec vsque ad faciem contentus est eum audire: sed conuerso egreditur dorso, & illum spernens & se, & amplius se quàm illum, & non sentit animæ suæ dispendium effecturatus, sicut nec bestia irritata vulnus in se fixum. Hoc caput Lucas Euangelista late prosequitur, dicens: *Nolite iudicare, & non iudicabimini: dimittite, & dimittimini: date, & dabitur vobis. Mensuram bonam & confertam, & commotam, & effluentem dabunt in sinum vestrum. Eadem mensura qua mensi fueritis, remeietur vobis. Et quis sit ille, qui nec iudicat: quis autem qui iudicat quidem, & non condemnat: & quis est qui condemnat quidem, & tamen dimittit: & quis est qui dat, exposuimus ibi. \* Et quoniam superflua quidem mensura datur ei, qui nec iudicat: commota autem ei, qui iudicat quidem, non autem condemnat: bona autem ei qui condemnat, sed dimittit. Quoniam sicut maior est superflua mensura quàm commota, & commota maior est, quàm bona & iusta; sic perfectior est ille qui nec iudicat, quàm ille qui iudicat & non condemnat: & ille qui iudicat & nò condemnat, melior est illo, qui condemnat & dimittit. Hic autem Matthæus omnia illa breui sermone conclusit, dicens: *Nolite iudicare, ut non iudicemini.* In quocunque enim iudicio iudicaueritis, iudicabitur de vobis. Intelligens quoniam iudicij sermo ad omnia pertinet illa. Nam qui iudicat tantum peccantem in*

Mat. hom. de  
supta est ex  
opere in Mat.  
Hom. 17.

1. Cor. 13.

1. Tim. 4.

1. Tim. 4.

1. Tim. 4.

1. Tim. 4.

1. Tim. 4.

1. Tim. 4.

1. Tim. 4.

1. Tim. 4.

1. Tim. 4.

1. Tim. 4.

1. Tim. 4.

1. Tim. 4.

1. Tim. 4.

1. Tim. 4.

1. Tim. 4.

1. Tim. 4.

1. Tim. 4.

1. Tim. 4.

1. Tim. 4.

1. Tim. 4.

1. Tim. 4.

1. Tim. 4.

1. Tim. 4.

1. Tim. 4.

1. Tim. 4.

1. Tim. 4.

1. Tim. 4.

Luc. 6.

Hic testatur  
aut se in  
Luc. in scrip.  
p. 177.

\* tibi.

se, & non condemnat, iudicat: & qui non solum iudicat, sed etiam condemnat, iudicat: hoc ipsum enim iudicare condemnare est. Ergo pro illo quod **Lucas** dixit: Nolite iudicare, aut iudicantes nolite condemnare, iste dixit; In quocunque iudicio iudicaveritis, iudicabitur de vobis: id est, Si iudicaveritis, & non condemnaveritis, simili iudicio & vos quidem iudicabimini à Deo, sed non condemnabimini: si autem iudicantes condemnaveritis, simili iudicio & vos iudicabimini, & condemnabimini. Et quidem ille dixit, Dimitte, & dimittemini: date, & dabitur vobis. Iste dixit, in qua mensura mensi fueritis, remerietur vobis; hoc est, si non rogati dimiseritis peccatum proximis vestris; sed solo respectu Dei, & Deus ex se prius quam rogetur à vobis, dimittet vobis. Si autem rogati veniam dederitis, & Deus tunc dabit vobis veniam: quum dignis precibus & congrua lamentatione eum rogaeritis. Quoniam ergo dixerat precipue, sicut dixi doctoribus, nolite iudicare, ut non iudicemini: convenienter addidit & dicit; *Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem vero in oculo tuo non vides?* Id est, qui trabem in oculo tuo non vides; ut quid vides festucam in oculo fratris tui? Ac si dicat; Melius est docere, nec reprehendere laicum, quam docere & reprehendere, & teipsum in reprehensione consistere: quoniam talis doctrina doctoris non est laudabilis, sed derisibilis. Propter quod omnis sacerdos, si vult docere populum, prius seipsum doceat: si autem seipsum non vult docere de omni quod docet, nec ipsum arguere de omni quod arguit, nec alios doceat, nec arguat quendam: ut si iudicium Dei non euadit, vel hominum opprobrium non patiat. Aut quomodo dicis fratri tuo. *Sine clypeum festucam de oculo tuo, ecce trabs in oculo tuo?* Id est, cum qua facie arguis peccatum laici fratris tui, ipse in eodem, aut in maiore peccato existens? non times, ne audias ex diuerso: Medice cura teipsum? Si medico opprobrium est, qui nec alterius sanitatem habet in potestate, nec suam, si alios velit curare, & ipse debilis sit, quasi testimonium imperitiæ suæ portat in corpore suo propriam passionem: quomodo doctori\* sit opprobrium alios velle eruere à peccato, & ipsum in maioribus esse peccatis, dum possit amplius seipsum eruere à peccato, quam alios? Aut ita, *Quomodo fratri tuo dicis: id est, quo proposito putas ex charitate cordis dicis, ut salues proximum tuum? Non, sed ut te simules iustum.* Si autem verè ex charitate cordis argueres proximum tuum, ut saluares, teipsum ante saluares. Nunquid possibile est, ut beneuolentior sis alteri, quam tibi? Ut quid quum teipsum nolis saluare, alterum velis? Omnis ergo doctor qui alterum in qualicumque reprehendit delicto, & ipse in eodem constitutus, non se prius expurgat, certum est; quia loquens in Ecclesia non alios vult saluare, sed per bonam doctrinam, malos actus suos exalare, & scientiæ laudem ab hominibus querit, non ædificationis mercedem à Deo, & est hypocrita. Ideo competenter addidit, & dicit; *Hypocrita, eijce primum trabem, &c.* Hypocrita est enim omnis doctor, qui non prius facit bona & postea docet. Dum enim bona docet, proficitur se iustum coram hominibus; dum autem male agit, peccatorem se constituit infra se. Hoc ergo dicit: Vis liberè & fiducialiter reprehendere

Quis populi docere desiderat, seipsum prius doceat.

\* non

laicum, & eijcere de oculo mentis eius peccatum? Prius tuam ipsius mentem purga ab omni malo, ut quum tu argueris laicum pro peccatis eius, è diuerso laicus non habeat unde redarguat te pro peccato tuo. Nam incipiet timere in se, quum non inuenerit quod condemnet in te. Omne autem peccatum non secundum actum suum diiudicatur, an modicum sit, aut magnum, sed secundum peccantis personam. Laicus enim etiam magnum fecerit peccatum, modicum est: & festuca, quantum ad sacerdotis dico peccatum, quia laicus est: doctor autem, & si modicum fecerit peccatum: magnum est, & trabs est: quantum ad laici dico peccatum, quia doctor est.

S. AVGVST. EPISCOPI  
*Hippon. in superius Euang.*  
Sermo 1.

**A**udiimus euangelistam dicentem, fratres charissimi, Nolite iudicare ut non iudicemini, Quid est hoc fratres cum ipse Dominus in alio loco Euangelij dixerit, Nolite secundum faciem iudicare, sed iustum iudicium iudicate. Et alibi dicatur, Iudicium verum iudicate? Non enim sibi diuina lectio contraria esse potest, sed intellectum sobrium querit. In conuersatione humana dilectissimi fratres sunt aliqua quæ rationabiliter reprehenduntur: Sunt verò quedam, quæ non sine peccato iudicantur. Aperta enim mala & iudicari & argui debent. Illa verò, quæ ignoramus, & vtrum bono an malo animo fiant, scire non possumus, iudicare penitus non debemus. Verbi gratia: Vides hominem frequētius ieiunantem, congaude & noli nimis laudare, quia potest hoc & pro humana gloria fieri. Sed & noli vituperare, quia potest & pro Deo & pro animæ remedio ieiunare. Vidisti alium indicto publico ieiunio velle prandere, cum dilectione admonere. Si dixerit pro stomachi lassitudine se ieiunare non posse, crede, & noli iudicare, quia vtrumque potest fieri, ut per gulam vel luxuriam prandere velit, & præ infirmitate ieiunare non possit. Vidisti alterum subditis suis cum seueritate disciplinam imponere, & indulgentiam tardius dare, noli iudicare crudelem, quia forsitan non hoc facit modo iracundiæ, sed zelo disciplinæ & amore iustitiæ: propter illud quod scriptum est, *Zelus domus tuæ comedit me.* Fortè aliquis vicinus aut amicus tuus dum animum suum habet in rebus satis sibi necessariis occupatum, tardius te saluaerit, aut tardius occurrerit quam debuit, noli eum superbum iudicare, noli malignum credere, sed magis hoc aut per obliuionem aut per negligentiam, quam per despectum vel superbiam factum crede: quia fortè & tibi hoc, ut est humana fragilitas frequenter euenit, ut in rebus aliis nimis intētus, aliquid minus cautè ac minus sollicitè fecisse videaris, & tamè noluisse te pro hac re malo animo iudicari. In istis ergo & in similibus quæ vtrum bono an malo animo fiant scire non possumus, melius est ut ad partem dexteram nostram animum declinemus: quia tolerabilius est nos in hoc præsumi, ut eos qui mali sunt bonos esse credamus, quam ex consuetudine iudicandi etiam de bonis quod malum est suspicemur. De istis ergo quæ sunt Deo nota & nobis incognita, periculose

Peccatum secundum actum agitur, personam iudicatur.

Ex Simo de temp.

Joan. 7.

Zach. 7.

Psalm.

1. Tim. 4.

Joan. 7.

Psalm.

culose nostros proximos iudicamus. De ipsis enim dominus dixit, Nolite iudicare, ut non iudicemini. De illis vero quæ aperta sunt & publica mala, iudicare & redarguere cum charitate tamè & amore & possumus & debemus, odio habentes non hominem, sed peccatum, non vitiosum sed vitium detestantes morbum potius quam ægrotum. Nam publicus adulter, raptor, assidue ebriosus, proditor, superbus, si iudicati vel castigati non fuerint, implebitur in eis illud quod beatissimus martyr Cyprianus de talibus dixit: Qui peccantem verbis adulantibus palpat, peccati fomitem subministrat. Ad hæc rem pertinet, fratres charissimi, etiam illud, quod in hac ipsa euangelica lectione audiuius. Quid enim vides festucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides? Vidisti hominem subitò irasci, noli continuò iudicare, sed expecta paululum, forsitan quàm velociter irascitur, tam celeriter mitigatur. Quid tamen festuca, quid trabs significet videamus. Subita enim iracundia festuca est, ira verò quæ in longum tempus protrahitur, dum per odium falsis suspicionibus nutritur, trabs efficitur. Citò ergo irasci, & citò placari, festuca est: iracundiam diu in corde tenere ac seruare, trabs est. Ergo iracundia inueterata conuertitur ad trabem. Et qua fronte ille, qui odium seruat in corde illum iudicare præsumit, in cuius oculo non trabem sed festucam esse cognoscit? Nam cordis oculum festuca turbat, trabs excæcat. Quod dixi charissimi, scripturatur à deo testimoniis approbare. Quomodo ira cordis oculum turbat, audi Psalmitam dicentem, Turbarus est, inquit, præ ira oculus meus. Quomodo autè odium oculum cordis excæcat, Ioannes Euangelista testatur, Qui, inquit, odit fratrem suum, in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit quò vadat, quoniam tenebræ obcæcauerunt oculos eius. Secundum hæc ergo per subitanæ iram cordis oculus turbatur, per odium lumen charitatis extinguatur. Ergo, fratres charissimi, capitula vobis quædam & indicula qualiter hæc intelligere & accipere debeatis insinuo. Nam vos Deo propitio melius capere & obseruare potestis. Ut hæc, quæ dixi, tenacius vestris cordibus inserantur, breuiter repeto quod suggesti. In his enim rebus, sicut iam supra dixi, periculosè alios iudicamus, de his quæ dubium est vtrum bono vel malo animo fiant, id est, ieiunare, vigilare, elemosynas facere, à vino & carnibus vel abstinere vel non abstinere, & reliqua his similia, quæ & pro Deo & pro humana gloria fieri possunt. Et quia ignoramus quo animo fiant, iudicare penitus non debemus. Propterea hæc dicit dominus, Nolite iudicare, ut non iudicemini. Propter apertam verò iniquitatè dictum est: Argue, obsecra, increpa, cum omni patientia & doctrina. Et illud quod supra memorauimus, Iustum iudicium iudicate. Hæc enim, fratres charissimi, si diligenter sicut credimus considerare & cum grandi sollicitudine Deo donante obseruare volumus, non de paruo peccato cum Dei adiutorio liberamur. Maxima enim pars generis humani indiscreto iudicio ad reprehendum prompta & parata esse probatur, eum tamen non ita se velit ab aliis iudicari, quomodo vult alios iudicare. Propter hoc scriptura diuina admonet dicēs: Prius quam interroges, ne vite peres quendam, & cum interrogaueris, corripe iuste. Om-

nis homo prius se vult interrogari, & postea si reus est, patienter tolerat reprehēdi. Et quicquid nobis omnes volumus ab aliis fieri, iustum est ut hoc in aliis studeamus implere. Prius eū patientia interrogemus, & solliciti simus, & cum aliquid certius agnouerimus, tunc aut si mala sunt reprehendere, aut si bona defendere valeamus: propter illud quod scriptum est, Omnia quæcunque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis similiter. Hæc est enim lex & Prophetæ. Et ideo conuersi ad dominū, eius imploremus auxilium, ut ipse nobis & veram discretionem & perfectam charitatem præstare pro sua pietate dignetur: cui est gloria & imperium cum patre & spiritu sancto in secula seculorum, Amen.

EIVSDEM IN IDEM  
Sermo. 2.

**I**nter omnia, quibus humana indiget fragilitas, maximè necessaria est misericordia: quia quantum fragilior est corrupta natura, tanto maiore indiget providentia beneficij. Et ideo fratres, quia sine hac vita nostra subsistere non potest, discamus quomodo in nos primum diuinam prouocemus clementiam, ut secundum multitudinem miserationum suarum, nostræ miseræ subuenire dignetur, quatenus in præsentis vitæ cursu vite-mus nostræ salutis damnum, & in futuro interitum possimus euadere perpetuum. Ad hoc enim impetrandum dilectissimi, sicut nobis scriptura sacra ostendit, præcipuè est misericordiæ bonum: de qua ipse Saluator ait, Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Non potest peccator misericordiam à Deo sperare, qui misericordiam non facit peccantibus in se. Ergo dimittat homo temporale debitum, ut mereatur recipere æternale bonum. Si animas nostras cupimus peccatorum sordibus emundari, misericordiam in nos peccantibus non negemus, ut in die retributionis ad promerendam Dei misericordiam, misericordiæ operibus adiuuemur. Quomodo misericordiam à Deo expectat vel sperat, qui crudelis est in seruos suos? Si quis cupiat Deum sibi misereri, ita & misereatur debitoribus suis. Certissime indulgentiam spectare poterit, qui aliis indulgere nouit. Ad misericordiæ opus optimè nos in Euangelio dominus exemplo roborauit: vbi ait, Estote ergo misericordes sicut pater vester cælestis misericors est, Qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Omnis misericordia faciet locum unicuique secundum meritum operum suorum. Qui facit misericordiam, Deo offert sacrificium satis placabile. In iudice misericordia & disciplina debet esse, quia vna sine altera bene esse non poterit. Misericordia sola si fuerit, securitatem faciet peccandi subiectis. Iterum si disciplina semper adierit, vertitur animus delinquentis in desperationem, & iudex non merebitur à Deo misericordiam, sed hanc misericordiam à seipso debet homo incipere. Quomodo in aliis est misericors, qui in seipso crudelis est? In seipso crudelis est, qui sibi perperuas peccatis suis præparat flammis. Bene misericors est, qui à seipso incipit, & se diligenter custodit, ne puniatur cum diabolo, & sic aliis præster quod sibi bonum esse prospicit. Per

Math. 7.

Est Ser. 205.

Math. 5.

Luc. 6.

Math. 5.



Luc. 6. Math. 6.

indulgentiam autem docuit nos dominus, quomodo possimus impetrare misericordiam ab illo, cum in Euangelio ait, Dimitte & dimitteur vobis. Item si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis pater caelestis peccata vestra: Si non dimiseritis hominibus, nec pater vester caelestis dimittet vobis peccata vestra. Haec quoque vera sententia, magnam super nos misericordiam sonat his, qui eam recte intelligere possunt. Igitur ex nostro iudicio iudicat nos Deus. Quodam modo in potestate nostra est, quomodo iudicemur à iudice. Si misericorditer iudicemus in nos delinquentibus, misericorditer iudicat Deus de nobis in se peccantibus. Intendamus ergo in exemplum illius: sicut doctor gentium nos admonens ait, **Col. 3.** Donate vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam, sicut Deus in Christo donavit vobis, ita & vos facite: hoc est, quomodo Deus in Christo nobis peccata donavit, sic etiam nos, qui in nos peccat, dimittamus. Item alibi idem Apostolus ait, Nulli malum pro malo reddentes. Et alio loco, Noli vinci à malo, sed vince in bono malum. Sciendum est certissime, quod unusquisque talem indulgentiam accepturus est à Deo, qualem & ipse dederit proximo suo. Tunc oratio nostra pro peccatis nostris ad aures omnipotentis Dei cito perveniet, si delinquentium preces in nostris auribus acceptabiles erunt. Qui clementer peccantibus ignoscere novit, clementiam divinae pietatis certissime accipiet. Vnde & scriptum est, **Qui pronus est ad misericordiam, benedictus à domino.** Sic enim remittitur nobis, ut nos remiserimus eis qui nobis quacunquè malignitate nocuerunt. Multa itaque genera sunt miserationum, quae cum facimus adiuvamur, ut dimittantur nobis nostra peccata. Sed ea nihil est maius, quae ex corde dimittimus quod quisque peccavit. **Matth. 25.** Non solum enim qui dat esurienti cibum, sitienti potum, nudo vestimentum, peregrinantibus hospitium, & cetera huiusmodi, verum etiam qui dat veniam peccanti, eleemosynam dat: Et qui emendat verberem in quem potestas datur, vel coercet aliqua disciplina: & tamen peccatum eius, qui ab illo laesus aut offensus est, dimittit ex corde, vel orat ut ei dimittatur: non solum in eo quod dimittit atque orat, verum etiam in eo quod corripit, & aliqua emendatoria poena plectit, eleemosynam dat, quia misericordiam praestat. Proinde fratres, obsecro, ut ante omnia misericordiae operam detis, & in quibuscunque possitis proximos vestros adiuveris. Ad indulgendum quoque proximis vestris delicta eorum prompti sitis, ut peccatorum vestrorum veniam pro hoc ab omnipotente iudice adipisci valeatis, & vitam aeternam cum sanctis omnibus in caelesti regno perpetually habere mereamini, praestante domino nostro Iesu Christo, qui cum patre, & spiritu sancto vivit & regnat Deus per omnia secula seculorum, Amen.

**EIVSDEM IN IDEM**  
Sermo 3.

Ex ser. 15. de verbis domini in Matth. Misericordiae no opera.

**D**imitte & dimitteur vobis. Date, &c. Duo sunt opera misericordiae, quae nos liberant, quae breviter Iesus posuit in Euangelio. Dimitte & dimitteur, &c. Dimitte ad ignoscendum pertinet. Date & dabitur vobis ad praestandum beneficii

pertinet. Quod ait ignoscendo, & Deus tibi ignoscit quod peccas, & habes alium, cui tu possis ignoscere. Rursum, quod pertinet ad tribuendum beneficium, petit te mendicus, & tu es Dei mendicus. Omnes enim quando oramus Dei mendicimus, ante ianuam magni patrisfamilias stamus. Imo etiam prosternimur, supplices ingemiscimus, aliquid volentes accipere, & ipsum aliquid ipse Deus est. Quid à te petit mendicus? Panem. Et tu quid peris à Deo, nisi Christum qui dicit: Ego sum panis vivus qui de caelo descendi? Ignosci vultis, ignoscite: Remittite & remittetur vobis. Accipere vultis: date & dabitur vobis.

**EIVSDEM IN IDEM**  
Sermo 4.

**A**dmonet nos dominus noster non negligere rephedias, sed videndo quid corrigas. Eius quippe dixit acutum oculum ad eiciendam festucam de oculo fratris tui, qui trabem in oculo suo non habet. Quod autem hoc sit, breviter in sinu charitatis vestrae. Festuca in oculo ira est, Trabes in oculo odium est. Quando ergo qui odit reprehendit irascentem, festucam vult de oculo fratris tollere, sed irascentem, festucam quam ipse portat in oculo suo. Festuca initium trabis est. Nam trabes quando nascitur, prius festuca est. Rigando festucam perducis ad trabem, Alendo iram, malis suspicionibus perducis ad odium. Multum autem interest inter peccatum irascentis, & crudelitatem odio habentis. Nam & filiis nostris quandoque irascimur. Odisse vero filios quis invenit? In ipsis quoque peccatoribus mater aliquando buccula fugetem vitulum tædio quodam auertit irascentem, sed visceribus amplectitur matris. Quasi tædium facit cum impingit, quaeritur tamen si deest, Nec damus aliter filiis disciplinam, nisi aliquantum irascendo & indignando, nec tamen darem disciplinam, nisi amando. Visque adeo non omnis qui irascitur odit, ut aliquando magis odisse conuincatur qui non irascitur. Fac enim pueri velle in aqua fluminis ludere, cuius impetu pereat, tu si vides & patieris permittis, odisti. Tua patientia illius mors est. Quanto melius est si irasceris & corrigis, quam si non irascedo interire permittis? Odium ergo ante omnia vitandum est, trabes de oculo eicienda est. Multum quippe aliud est quando quisque irascens in aliquo verbi modum excedit quod postea delectat poenitendo, & aliud est seruare insidias in corde. Multum postremo interest inter haec verba scripturae. Turbatus est pro ira oculus meus. De illo autem quid dictum est? Qui odit fratrem suum homicida est. Multum interest inter turbatum oculum & extinctum. Festuca turbat, trabes extinguit. Hoc ergo primum nobis persuadeamus; ut quod hodie admoniti sumus bene facere atque implere possimus, ante omnia non odisse. Tunc enim quando trabes non est in oculo tuo, vides recte quicquid fuerit in oculo fratris tui, & vim pateris donec eicias de oculo fratris tui, quod vides nocere oculo fratris tui. Lumen quod in te est, non te permittit negligere lumen fratris tui, Nam & si odisti, & vis corripere, quomodo emendas lumen qui perdidisti lumen? Dixit enim & hoc aperte eadem scriptura, ubi dictum est; Qui odit fratrem suum homicida est,

da est. Qui odit, inquit, fratrem suum in tenebris est usque adhuc. Oidium tenebrae sunt. Non potest autem fieri, ut qui odit alterum, non sibi prius noceat. Illum enim qui laedere conatur extrinsecus se valet intrinsecus. Quatum autem animus nolter corpore maior est, tantum ei prospicere debemus, ne ipse laedatur. Laedit autem animum suum, qui odit alterum. Et quid facturus est ei quem odit? Quid facturus? Tollit pecuniam, nunquid fidem? Laedit famam, nunquid conscientiam? Quicquid nocet, forinsecus nocet. Sibi attende quid noceat. Intus enim sibi ipse inimicus est, qui odit alterum. Sed quia non sentit quid sibi mali faciat, in alterum seuit, eo periculosius vivens, quo non sentit quid secum mali agat, quia & sciendo sensum perdit. Seuisit in inimicum tuum, te sciante, ille nudatus est: tu iniquus es. Multum interest inter nudum & iniquum. Ille perdidit pecuniam, tu innocentiam. Quare quis grauius damnum peressus est, ille perdit rem perituram, tu factus es periturus. Ideo debemus amando corripere, non nocendi auiditate, sed studio corrigendi.

**B. GREGORII PAPAE**  
in superius Euang. Homil.

**D**imitte & dimitteur vobis, &c. Dare ad res pertinet, quas exterius habemus: dimittere autem, ad relaxandum dolorem, qui exterius ex aliena culpa contrahimus. Sed sciendum est, quia omnino dimittit & non dat, & si non plene operatus est, meliorem tamen partem misericordiae tenuit. Qui autem dat & minime dimittit, omnino nullam misericordiam facit: quia ab omnipotente Deo, munus ex manu non accipitur, quod corde obligato in malitia profertur. Mundari etenim prius debet animus qui eleemosinam praebet: quia omne quod datur Deo, ex dantis mente pensatur. Cuncta itaque malitiae macula, ab interiori nostro homine, cogitationis immutatione tergenda est: quia iram iudicis placare nescit oblatio, nisi ex munditia placeat offerentis. Vnde scriptum est: Respexit ad Abel & ad munera eius: ad Cain autem & ad munera eius non respexit. Sed prius ait: Quia respexit ad Abel: ac deinde subiunxit. Et ad munera eius. Et rursum dicit, quia non respexit ad Cain: ac deinde subdidit: Nec ad munera eius. Ex dantis quippe corde, id quod datur accipitur. Idcirco non Abel ex muneribus: sed ex Abel munera oblata placuerunt. Prius nanque ad eum legitur respexisse qui dabat, quam ad illa quae dabat.

**BEDAE VENERABILIS**  
presbyteri in superius Euang.  
expositio.

**N**olite iudicare, & non iudicabimini, &c. Hoc loco nihil aliud nobis praecipere existimo, nisi ut ea facta quae dubium enim quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur. Quod enim scriptum est. Ex fructibus eorum cognoscetis eos, de manifestis dictum est quae non possunt bono animo fieri, sicuti sunt stypa, vel blasphemiae, vel farta, vel ebrietas, & si qua sunt talia, de quibus nobis iudicare permittitur. De genere autem ciborum,

quia possunt bono animo & simplici corde, sine vitio concupiscentiae, quicunque humani cibi indifferenter sumi: prohibet Apostolus iudicari eos qui carnis vescerantur, & vinum bibebant, ab eis qui se ab huiusmodi alimentis temperabant. Qui manducat (inquit) non manducantem non spernat. Et qui non manducat, manducantem non iudicat. Ad hoc pertinet etiam illud, quod alio loco dicit. Nolite ante tempus quicquam iudicare, quoad usque veniat dominus & illuminet abscondita tenebrarum, & manifestabit cogitationes cordis. Sunt ergo quaedam facta media, quae ignoramus quo animo fiant, quae bono & malo fieri possunt: de quibus temerarium est iudicare, maxime ut condemnemus. Horum autem venit tempus ut iudicentur, cum dominus illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit cogitationes cordis. Duo sunt autem, in quibus temerarium iudicium cauere debemus, cum incertum est quo animo quidque factum sit, vel cum incertum est qualis futurus sit, qui nunc vel malus vel bonus apparet. Dimitte & dimitteur, &c. Dimittere nos iniurias, dare beneficia iubet, ut & nobis peccata dimittantur, & vita detur aeterna. Qua sententia breui, sed eximia, cuncta quae latissime de conuersando cum inimicis mandauerat, comprehendendo concludit. Mensuram bonam conferat, &c. Huic simile est quod alibi dicit, Ut & ipsi recipiant vos in aeterna tabernacula. Non enim pauperes ipsi, sed Christus mercedem his qui elemosynam fecere, redditurus est. Quam tamen in sinum dare dicuntur, quia promerenda illius occasionem dedere, cum vel egentes miserè, vel improbe seueriores fortiorum sunt & tolerati patientia, & beneficentia sustentati, & ad ipsam aliquoties fidei dulci gratia prouocati. Eadem quippe mensura, &c. Et Apostolus ad eleemosynam Corinthios hortans, inter alia dicit. Hoc autem dico, qui parce seminat, parce & metet: Et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. Potest autem & de omnibus quae mente, manu, lingua gerimus, accipi. Quia tu reddes singulis, inquit, secundum opera eorum. Dicebat autem illis & similitudinem. Nunquid potest caecus caecum ducere? &c. Sensus huiusce sententiae perdet ex superioribus, ubi de danda eleemosyna, & iniuria dimittenda praecipitur. Si te (inquit) ira contra violentum, & contra petentem philargyria caecerit, nunquid tua mente vitiosa vitium eius curare poteris? aut ille solus qui iniuriam fecit, & non tu etiam qui ferre nesciebas reus deputaberis? At si mitem te tranquillique pectoris eius improbitas inuenerit, & ille ad poenitentiam mouebitur, & tu patientiae praemio donaberis, quia caecum vidente oculo, hoc est corde sereno, ducere curabas ad lumen. Non est discipulus super magistrum. Si magister, qui utique quasi Deus potuit, non suas vltum ire iniurias, sed ipsos maluit persecutores patiendo reddere mitiores, eadem necesse est discipuli qui puri homines sunt, regulam perfectionis sequantur. Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, & hoc ad superiora respicit, ubi caecum à caeco duci, id est peccatorem à peccatore castigari non posse praemonuit: Multi enim superbia, vel odio, philargyria, vel auaritia, vel alio quolibet crimine praeventi, leuia haec aut nulla iudicantes, accerrime corripunt eos quos subita viderint ira turbatos, oculum mentis à solito puritatis statu quasi festuca

irruente mutasse, atque immemores dominici præcepti quo ait; Nolite condemnare, & non condemnabimini, magis amant vituperare & damnare, quam emendare atque corrigere. *Et quomodo potes dicere fratri tuo, &c.* Hæc cum fratre agis, si (verbi gratia) quod ira ille peccauit, tu odio reprehendis. Quantum autem inter festucam & trabem, quasi tantum inter iram distat atque odium. Odium est enim, ira inueterata: quasi quæ vetustate ipsa tantum accepit, ut meritis appelletur trabs. Fieri autem potest, ut si irascaris homini, velis eum corrigi. Si autem oderis hominem, non potes eum velle corrigere. Et ideo impossibile dicitur, ut festucam fratris oculo demat, qui suo trabem gestat in oculo. *Hypocrita, eice primum trabem de oculo tuo, &c.* Id est primo abs te expelle odium, & deinceps poteris iam eum quem diligis emendare. Et est verè multum cauendum & molestum hypocritarum, id est simulatorum genus, qui cum omnium vitiorum accusationes odio & liuore suscipiant, etiam consultores videri se volunt. Et ideo pie cautèque vigilandum est, ut cum aliquem reprehendere vel obiurgare necessitas caperit, primo cogitemus vtrum tale sit vitium quod nunquam habuimus, vel quo iam caruimus. Et si nunquam habuimus, cogitemus & nos homines esse, & habere potuisse. Si verò habuimus & non habemus, tangat memoriam communis infirmitas, ut illam reprehensionem aut obiurgationem non odium, sed misericordia præcedat. Vt siue ad correctionem eius propter quem id facimus, siue ad peruersionem valuerit (Nam incertus est exitus) nos tamen de simplicitate oculi nostri securi simus. Si autem cogitantes nosmetipsos inuenerimus in eo esse vitio in quo est ille quem reprehendere parabamus, non reprehendamus, neque obiurgemus, sed tamen congemiscamus, & non illum ad obtemperandum nobis, sed ad pariter conandum inuitemus. Rarò ergo, & magna necessitate obiurgationes adhibendæ sunt. Ita tamen, ut etiam in his ipsis non nobis, sed Deo ut seruiamus instemus, ipse est enim finis, ut nihil duplici corde faciamus, auferentes trabem de oculo nostro inuidentiæ, vel malitiæ, vel simulationis, ut videamus eicere festucam de oculo fratris.

## HAYMONIS EPISCOPI

*Halberst. superioris Euang. expositio.*

*Math. 5.* **E**stote misericordes, &c. In cæteras virtutes, quibus dominus Iesus Christus cælesti gratiam quærere monuit præcipuè misericordiã comendauit. Denique cum in monte sedens octo beatitudines discipulos suos doceret, ait inter cætera: Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Quisquis ergo ad hoc præmium beatitudinis pertingere desiderat, virtutem misericordiæ studeat habere. Vt autem ostenderet, non solum gratis, sed etiam ingratis misericordiam impendendam, postquam sententiam de dilectione inimicorum protulit, adiunxit hoc quod in capite huius lectionis audiuius dicens; *Estote ergo misericordes.* Primum ergo etymologiam huius nominis videamus ut virtutes illius perfectius cognoscere valeamus. Misericordia enim ex corde & miseria compositum est nomen: in qua compositione ostenditur, quia vbiunque est mi-

seria, ibi necessaria est misericordia. Duobus autem modis misericordiam intelligimus, vna est corporalis, & altera incorporealis, vna visibilis, & altera inuisibilis. Ad corporalem namque misericordiam pertinet, esurienti cibum, sitienti potum tribuere, vestire nudum, suscipere hospitem, visitare infirmum, sepelire mortuum, & peccantibus in nobis ex corde dimittere, & necessitati proximorum iuxta vires succurrere, & cætera his similia pietatis opera impendere. At vero spiritalis misericordia est, insipientem docere, consolari dolentem, exhortari benè agentem, corripere negligentem, & superbientem ad humilitatem & satisfactionem prouocare, & cætera talia. Vna est ergo bona, & altera melior, quia tantò est melior misericordia spiritalis quam corporalis, quantò est anima melior quam corpus. Per vnam enim reficitur corpus, quod est moriturum, per alteram anima sine fine mansura. Igitur, qui vtranque potest impendere, perfectus est. Si quis autem spiritalem impendere nõ valet, saltem corporalem non negligat, ut in retributione iustorum audire mereatur. Venite benedicti patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi. Hanc habere volebat Paulus Apostolus discipulos suos, quibus dicebat: Induite vos, sicut electi Dei, viscera misericordiæ. Estote inuicem benigni. Ad hanc habendam Petrus Apostolus per episcopos fideles exhortatur, dicens. Omnes vnum in oratione estote compatiens, fraternitatis amatores, misericordes, modesti, humiles. Tanto ergo studiosius hanc requirere debemus, quanto in eius executione cælestis Patris imitatores esse desideramus. Quantum enim perfecta sit virtus misericordiæ, hinc liquidò ostenditur, cum ad eius exhibitionem ipsius Domini prouocamur exemplo. Vnde & subditur. *Sicut & pater vester misericors est.* Vbi notandum, quia sicut aduerbium similitudinis, non semper ad æqualitatem, sed aliquando pertinet ad similitudinem. Neque enim sicut dominus est, nos per omnia esse possumus, & tamen iuxta quandam similitudinem, ut Ioannes Apostolus ait. Sicut ille est: & nos sumus in hoc mundo. Iuxta hunc modum locutionis & in hoc loco [sicut] ad similitudinem pertinet. Dignum est enim, ut sicut nos patrem gloriamur habere in cælis, iustè & piè viuamus in terris, in tantum, ut ipsa bona nostra opera filios Dei nos esse demonstrent. Sicut enim in humana natiuitate paterni vultus similitudinè frequenter in facie inspicimus, ita si filij Dei esse volumus, cælestem patrem in terris imitari debemus. Vnde Apostolus ait. Si portauimus imaginem terreni portemus & imaginem cælestis. Et sicut filiis regum cultus pretiosior, & dignitas sublimior commendatur, sic in nobis, qui filij sumus Dei in bonis operibus virtutes florere debent, ut charitate fulgidi, in humilitate præcipui, castitate lucidi appareamus, ut impleatur illud, quod dominus ait. Sancti eritis, sicut & ego sanctus sum. Estote perfecti, ut sicut ipse pius & misericors est, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos, ita nos non solum amicis, sed etiam inimicis & extraneis bona quæ possumus impendamus, sicut dominus ait: Diligite inimicos vestros, bene facite his qui

*Math. 5.* ipse ait in euangelio: Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Nec superfluum videri debet, si ad hanc imitationem cælestis patris subtilius indagandam, ex rebus visibilibus aliquod exemplum sumamus. Tradunt enim phisoli naturam esse aquilarum, ut pullos suos contra iubar solis suspendant, & quos more parentum irreuerberatis oculis intueri viderunt claritatem solis, cum omni diligentia fouent & nutriunt. Quos autem terram inspicere viderint, quasi adulterinos deiciunt & contemnunt. Similiter de coruis dicunt, quod tandiu pullos suos negligant, quousque similitudinem suam nigrescentibus plumis in illis inspiciant. In quibus similitudinibus nos mysticè monemur, ut si filij Dei esse cupimus, æternæ claritatis gaudia mentis oculo contemplerur, & superni parentis similitudinem in bonis actibus ostendamus, ut impleatur in nobis illud, quod *Math. 4.* ipse ait in Euangelio. Luceat lux vestra coram hominibus, ut videat opera bona vestra, & glorificet patrem vestrum, qui in cælis est. Teste enim Apostolo Petro. Cuius opera facit quis, eius filius appellatur. Vnde Paulus nos admonet, dicens. Estote imitatores Dei, sicut filij charissimi. Hinc Ioannes ait. Filij Dei sumus, sed nõ dum apparuit quid erimus. Scimus autem, quia cum apparuerit, similes ei erimus quoniam videbimus eum sicuti est. *Nolite iudicare, & non iudicabimini.* Quæritur, quare dicat. Nolite iudicare & non iudicabimini. Cum ipse alibi dixisse legatur: Si videris fratrem tuum peccantem, increpa illum? Et alio loco: Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum. Si te audierit lucratus eris fratrem tuum. Si autem te non audierit, adhibe tecum vnum vel duos: Ad quod respondendū, quia in correptione fraternæ hæc discretionis regula tenenda est, ut scilicet manifesta & aperta mala, & vitentur, & reprehendantur. Ea vero quæ quo animo fiant à proximis ignorantur, non sunt iudicanda, sed potius extra increpationem accipienda. Sunt enim quædam opera, quæ & bono & malo animo fieri possunt, de talibus periculosum est iudicare, maxime, ne condemnemur. Sicut, verbi gratia, vides aliquem frequenter non ieiunantem, noli multum laudare, neque multum detestari quia potest fieri, ut propter infirmitatem stomachi ieiunare non possit, aut propter appetitum gulæ ieiunare non velit. Hæc & his similia facile non sunt iudicanda; sicut Apostolus Paulus dicit. Qui manducat, non manducantem non spernat. Et iterum. Nolite ante tempus iudicare, quoad usque veniat dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, & tunc laus erit unicuique à Deo. Et alibi, vbi prohibet eos iudicare qui carnibus vescabantur, ab his qui non vescabantur dicens. Nemo vestrum iudicet in cibo aut in potu. Et item. Tu quis es, qui iudicas alienum seruum? Et rursus. Melius mihi est non manducare carnem, neque bibere vinum, & cætera. Quoniam qui alium iniuste iudicat, aut condemnat, iuste iudicabitur, & condemnabitur. Sunt vero alia opera quæ per semetipsa manifesta & aperta mala sunt sicut sunt adulteria, furta, homicidia, rapina, ebrietates, & cætera talia; hæc à fidelibus non solum reprehendenda sunt, sed & corrigenda ab illo, qui locum regiminis tenet, atque iudicanda, maxime propter illud, quod dominus per prophetam di-

cit. Si non annunciaueris iniquitatem suam, sanguinem eius de manu tua requirã. Et & aliud discretionis genus in correptione fraternæ obseruandum, ut si verbi gratia occultum est peccatum, occultè corrigas & emendes, propter hoc quod dominus dicit. Si videris fratrem tuum peccantem, corripe eum inter te & ipsum solum. Si autem manifestum & publicum est peccatum, publicè argue & emenda propter illud quod Apostolus ait. Peccantes coram omnibus, argue ut & cæteri timorem habeat. Et sicut per Salomonem dicitur. Qui corripit palam, pacem facit. Et iterum. Responde stulto, iuxta stultitiam suam. Ad hoc enim diuina iustitia statuit in ecclesia, ut esset pastor in populo, princeps in seculo, ut vnus peccantes corrigat, alter vero corrigendo negligentes puniat. Quando autem in te frater tuus peccat cum leui correptione dimitte ei. Vnde & subditur ita. Sed quia non sufficit declinare à malo, nisi quisque studeat facere bonum, postquam de non iudicandis proximis præceptum dedit formam cui imprimamus ostendit, dicens: *Dimittite, & dimittentur vobis.* Quod est dicere. Dimittite peccantibus in vobis, & dimittentur vobis peccata vestra. Nõ solum enim alios temere iudicare non debemus, sed etiam his qui vos iniuste iudicant, ex corde dimittere. Igitur dimittere ad ignoscenda peccata pertinet, iuxta quod dominus alibi ait: Si dimiseritis hominibus peccata eorum, & pater vester cælestis dimittet vobis peccata vestra. Et item. Cum stabitis ad orandum, dimittite si quid habetis aduersus aliquem. Quod autem adiungit. *Date, & dabitur vobis,* ad dandam elemosynã, pertinet, domino alibi dicente. Date elemosynã, & ecce omnia munda sunt vobis. Dimittere enim iniurias debemus, & elemosynas dare, ut detur nobis vita æterna, secundum quod dominus dicit. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Et fortè quod daretur à vobis si quæreres, subiunxit, dicens. *Mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & superfluentem.* Mensura enim bona à bonorum omnium remuneratore dabitur, quando pro minimis maiora respondet, pro terrenis cælestia, pro transitoriis mansura. Quæ benè conferta dicitur, id est, plena & perfecta, & coagitata, quia ex nulla parte inanis erit & vacua, superfluentem, id est, superabundantem. Hæc enim mensura plena, perfecta, & superabundans fideli seruo dabitur, quando dicitur. Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisi fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium domini tui. Et quia de gloria beatæ patriæ postquam accepta fuerit, nullus locus amittendi erit, rectè dictum est. *Dabitur in sinum vestrum.* Sicut enim de ea re, quam in sinu habemus certi, securique sumus, ita postquam in gremio regni cælestis collecti fuerimus, æterna securitate firmi erimus, Ioanne in Apocalypsi dicente. Absterget Deus omnem lachrymã ab oculis eorum. Et quia Deus redditurus est unicuique secundum opera sua, adhuc subiunxit. *Eadem quippe mensura, qua mensi fueritis remetietur vobis.* Si enim in nobis peccantibus libetè dimittimus, & Deus omnipotens clemetèr dimittet nobis peccata nostra. Vnde quotidie in oratione cum poscimus, dicentes. Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Qui ergo peccanti

canti in se dimittere non vult vanè & superflue à Domino postulat, sicut ipse dicit. Si non dimiseritis hominibus peccata eorum, nec pater vester cælestis dimittet vobis peccata vestra. Vnde & Salomon; Homo homini seruat iram. Et iterum; Dimitte proximo nocenti te. Et alibi. Deprecanti te dimitte ei, & peccata soluentur. Qui enim pro Deo in præfenti vita maiorem laborem assumpserit, & humiliores elemosynas tribuerit, maiorem remunerationem in æterna vita recipiet teste Apostolo, qui ait: Qui parce seminat, parce & metet. Et qui seminat in benedictionibus de benedictionibus metet vitam æternam. Dicebat autem illis & similitudinem. In hac similitudine Dominus scribas & Phariseos specialiter percutit, qui locum magistrum indignè usurpant, Dominum deserentes, vt Dominus alibi ait: Mandatum Dei transgredimini propter traditiones vestras. Qui cum cæci essent, ita vt se cæcos esse nescirent, magistri in populo fieri non erubescerant, non lucrum animarum querentes, sed suæ iactantiæ & cupiditati consulentes, nõ vt populo prodescent, sed vt honorabiliores & doctores in eo apparerent. Amantes primos recubitus in cænis, & primas cathedras in synagogis, salutationes in foro & vocari ab hominibus rabbi. Quia enim illum videbant, qui dixit. Ego sum lux mundi, & non eum agnoscebant, proculdubio cæci erant, sicut Dominus dicit. Sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum. Cunque populum docerent quod nesciebant, & ipsi cæci cæcis ducatum præbentes, vtrique in foueam cadebant, sicut Dominus alibi exprobat eis, dicens. Væ vobis scribæ & pharisei legisperiti, qui tulistis clauem scientiæ. Et alio loco sic, Væ vobis scribæ & pharisei hypocritæ, qui clauditis regnum cælorum ante homines, vos enim non intratis, nec alios intrare sinitis. Sed cauendum nobis est, ne vitia scribarum & phariseorum ad nos transeant, vt quod in illis reprehendimus, in nobis inueniantur. Sunt enim nonnulli qui antequam discipuli fiant, magistri fieri appetunt & quibus non est sanctitas in moribus, nec maturitas in ætate, neque doctrina in sermonibus suffragatur, inuerecundè locum regiminis appetunt, & ideo magistri erroris fiunt, quia discipuli veritatis esse noluerunt. Cum enim aliquis per se viuens docendi officium indignè suscipit, & quasi cæcus cæco ducatum præbere præsumit, & ideo ambo in foueam cadunt, quia & ille indignè præest, & iste malum exemplum sequitur, ac per hoc vterque in errorem incidit. Inde Iacobus dicit. Nolite fieri plures magistri. Omnis enim qui viam veritatis ostendere desiderat, cautissime cauere debet ne aliter viuat quàm doceat, nisi qualiter vixit Christus & docuit. Vnde & subditur. Nõ est discipulus super magistrum. Magister ergo in hoc loco ille intelligitur, qui alibi ait. Vos vocatis me magister & domine, & benedicitis. Et item. Nec vocemini magistri, vnus est enim magister vester, qui in cælis est. Quæ sententia à superioribus pendet, vbi dictum est. Dimittite, & dimitetur vobis. Date & dabitur vobis. Ac si diceret. Si magister vester, cum possit vt Deus, suas noluit vindicare iniurias, & vos perfecti esse poteritis discipuli, si inter persecutiones non iniurias rependatis, sed patientiam exhibeatis. Non quod ita perfecti esse possimus, sicut ipse

Matth. 6.  
Matth. 15.  
Matth. 23.  
Iuan. 8.  
Matth. 23.  
Iacob. 3.  
Iuan. 7.  
Matth. 23.

ait, sed pro modulo nostræ capacitatis humilitatem & mansuetudinem illius imitari debemus, illius veri magistri exemplum sequentes, qui ait. Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Sunt aliqui, qui in aliorum vitiis corrigendis duriores & districtiores apparent, cum in suis blandiores & leniores existant. Vnde & subditur. Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, & c. Quantū inter festucam & trabem, tātum inter peccatum, maius & minus distat. Quod vt manifestius intelligatur, vnus e cunctis in medium proferamus, verbi gratia, ira subitanea, festuca est, inuentera autem trabs efficitur. Et ira quidem subitanea oculum mentis perturbat, sicut per prophetam dicitur: Turbatus est præ ira oculus meus. Odium autem mentem excæcat, teste Ioanne Apostolo, qui ait: Qui odit fratrem suum in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit quo vadat, quoniam tenebræ excæcauerunt oculos eius. Qui enim odium in corde seruās, fratrem subito iracentem durius reprehendit, & diiudicat, quasi de alterius oculo festucam eiicere nititur, in suo trabem non videns. Sed quia cuius vita despiciunt, illius prædicatio contemnitur, rectè subiungitur. Et quomodo potes dicere fratri tuo, & c. Qui enim alterius minima peccata vult corrigere, necesse est, vt primum sua corrigat, & emendet, ne quando dicat illi Deus: Quare tu enarras iniustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Tu vero audisti disciplinam, & proiecisti sermones meos retrorsum. Qui enim alterius vitam discutere debet, purum oculum mentis necesse est vt habeat, sicut Apostolus ad Timotheum scribit. Oportet episcopum irreprehensibilem esse, tāquam Dei dispensatorem. Vnde dominus adhuc admonendo subiungit, dicens: Hypocrita eiice primum trabem de oculo tuo, & tunc perspicies, vt educas festucam de oculo fratris tui. Hypocrita Græcè, Latine simulator dicitur vel subauratus, quo nomine illi censentur, qui aliud ostendunt exterius & aliud seruant interius. Tales dominus in euangelio increpat, dicens. Væ vobis scribæ & pharisei hypocritæ, quoniam similes estis sepulchris dealbatis, quæ à foris apparent hominibus spetiosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcicia. Sic & vos quidem à foris apparetis hominibus iusti, intus autè pleni estis hypocritis & iniquitate. Quam graue namque vitium sit hypocritis, beatus Iob ostendit, cum ait. Non enim veniet in conspectu domini omnis hypocrita. Et iterum. Congregatio hypocritarum sterilis. Et sicut Salomon ait. Simulatores, & adulteri prouocant iram Dei. Et iterum Simulator ore decipit amicum suum. Pessimum quippe genus est hypocritarum, qui hoc seculo carnem macerant & in futuro mercede priuantur, quia sicut dominus ait: Receperunt mercedem suam. Sunt enim nonnulli, qui cum serui sint vitiorum vt appareant hominibus iusti aliena peccata acriter corripiunt. De qualibus scriptura dicit. Est correptio mendax in ore contumeliosum. Talibus conuenit, quod dominus ait. Hypocrita, eiice primum trabem de oculo tuo, & tunc perspicies, vt educas festucam de oculo fratris tui. Neque hæc dicentes aliquem à fraterna correptione prohibebimus, maxime cum sicut Iacobus apostolus ait. Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte, & operiet multitudinē peccatorum

Matth. 18.  
Matth. 19.  
Iuan. 14.  
Matth. 9.  
Matth. 10.  
Matth. 11.  
Matth. 12.  
Matth. 13.  
Matth. 14.  
Matth. 15.  
Matth. 16.  
Matth. 17.  
Matth. 18.  
Matth. 19.  
Matth. 20.  
Matth. 21.  
Matth. 22.  
Matth. 23.  
Matth. 24.  
Matth. 25.  
Matth. 26.  
Matth. 27.  
Matth. 28.

peccatorum. Sed quotiescunque fratrem peccare videmus nostræ fragilitatis memores, benignè & leuiter corrigere debemus, monente Paulo Apostolo. Fratres, si preoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne & tu teneris. Cum autem aliquem incorrigibiliter vitiis inhære conspiciamus, zelo rectitudinis accensi durius increpare debemus, exemplo illius, qui ait. Vidi præuarcantes & tabescebam. Et iterum, Nonne qui oderunt te domine, oderam? Perfecto odio oderam illos. Tunc enim sine culpa irasci videmus, quando ralem asperitatem non ira sed zelus format, in exemplum Moysi, qui exiit à Pharaone iratus nimis: quia eius nequitiam incorrigibilem vidit.

INCERTI AVTHORIS  
sub nomine Eusebii Episcopi Emissemi  
superioris Euangelij expositio.

Estote (inquit) misericordes: sed quomodo? Sicut pater vester misericors est. Ipse est enim qui solem suum oriri facit super bonos & malos & pluit super iustos & iniustos. Ipse non solum misericors, sed ipsa quoque misericordia est. Ipse est qui neminem vult perire, sed omnes vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Sic igitur & vos estote misericordes, hanc misericordiam regulam tenete. Magna est virtus misericordiam, omnibus aliis virtutibus superior est. Vnde & per prophetam dicitur, Suavis dominus vniuersis, & miserationes eius super omnia opera eius. Vnde & bene apud Græcos oleum vocatur. Sicut enim in liquoribus oleum, ita & in bonis operibus misericordia superior est. Quencunque enim liquorem in oleum fundas, oleum semper desuper natat: oleo baptismus sanctificatur, oleo ecclesia consecratur. Nos quoque ideo oleo toties sumus inuncti, vt semper misericordiam memores simus, & nunquam pietatis & misericordiam obliuiscamur. Hinc est etiam quod dominus ait: Misericordiam volo, & non sacrificium. Sunt autem & alia multa quæ de misericordia dici possunt, siquidem misericordia domini plena est terra. Sed quis sapiens & custodiens hæc, & intelliget misericordiam domini? Estote ergo misericordes, & ita misericordes sicut & pater vester misericors est. Omnes diligite, neminem odio habetis. Orate pro persequentibus & calumniantibus vobis, vt sitis filij patris vestri qui in cælis est. Nolite iudicare, & non iudicabimini, & c. Quare ergo iudices constituti sunt? quare & leges positæ sunt? gaudeant igitur homicidæ, latentur adulteri, exultent sacrilegi: nihil eis vltius timendum est, si iam neque iudicandi neque damnandi sunt. Quare ergo scriptum est: Maledictus omnis qui prohibet gladium suum à sanguine? quare laudantur filij Leni, qui zelo iustitiæ nec ipsis suis parentibus pepercunt? Quare Dei sapientia dicit, Diligite iniustitiam qui iudicatis terram? Quare & Psalmista ait, Iudicato egeno & pupillo, humilem & pauperem iustificare? quare in lege toties præcipitur, Si quis fecerit hoc vel illud, morte moriatur? Aliter igitur intelligendum est. Non iudicandi licentia auferunt, nõ iniustitia prohibetur: temeritas tollitur, ambitio vetatur, &

crudelitas interdicitur. Tale est igitur ac si diceret, Nolite iudicare sine misericordia, vbi misericordia haberi & custodiri potest. Nolite condemnare, nolite in danda sententia esse præcipites; expectate dum ira transeat, sustinete dum mens à furore conquiescat. Non in voluntate, sed in iustitia sit iudicium vestrum: non secundum voluntatem iudicetis, sed diu deliberate sententiam, tandem nocentes & impios condemnentis. Sic enim facit pater vester qui in cælis est, sicut facit ille qui plenus est misericordia, qui etiam dammando impio nunquam recedit à misericordia. Ille (inquam) hoc facit qui non vult mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. Quare ergo eos occidit? quare eos damnat & iudicat? Non vult quidem vt moriantur, sic tamen, si conuertantur, si peruersè agere quiescāt, & ad penitentiam redeant. Hoc autem si feceritis, & si ita iudicaueritis, neque iudicabimini, neque condemnabimini. Iudicate iniquos, damnate superbos & impios: eos videlicet superbos & impios, qui neque ad penitentiam redeunt, neque à sua iniquitate quiescunt. In propriis autem causis, & in quibus iudices constituti non estis, omnibus dimittite, omnibus veniam date, vt non plus contra vos fratres vestri valeant peccare, quàm vos eis peccata dimittere. Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, & pater vester dimittet vobis peccata vestra. Contrà verò, nisi dimiseritis hominibus peccata eorum, nec pater vester dimittet vobis peccata vestra. Mensuram bonæ & confertam, & c. His autem verbis quid aliud significatur, nisi quia omnibus bonis, omni lætitiâ, omni dignitate omnique beatitudine abundabitis, si & in vos peccantibus, dimiseritis, & à pietate & misericordia non recesseritis. Vnde & subditur, Numquid potest cæcus cæcum ducere? nõne ambo in foueam cadunt? Ac si dicat. Non omnium est iudicare, non omnium est condemnare, non ad omnes pertinet de peccatis sententiam dare. Hoc solummodo iudicium est, hoc solummodo prælatorum est. Cæci igitur sunt, & mentis oculos amiserunt, quicunque id quidem quod sui officij non est, & quod eis interdictionum est, agere præsumunt. Tales autem dum temeritate quadam alios quannis iniquos damnant & iudicant, simul cum eis in foueam cadunt: in foueam vtrique damnationis æternæ. Et illi quidem propter peccata sua, isti vero propter temeraria & iniqua iudicia sua. Non est discipulus super magistrum. Hoc autem ad superiora respicit: & tale est ac si dicat; Dixi vobis: Estote misericordes, & ita misericordes, sicut & pater vester, sicut dominus & magister vester misericors est. Non est discipulus super magistrum: perfectus autem omnis erit, si sit sicut magister eius. Illum sequimini, illum imitami, illius formam & exemplum tenete, ad illius exemplum & formam viuere. Quid enim vides festucam in oculo fratris tui, & c. Nolite (inquit) iudicare, & non iudicabimini. Iudica prius teipsum quicunque es, damna prius & corrige peccata tua. Eiice prius trabem de oculo tuo. Hoc enim interest inter festucam & trabem, quod interest inter peccata & crimen. Apostolus autem loquitur dicens; Tu quis es qui iudicas alienum seruum? domino suo stat aut cadit, stabit autem: potens est enim Deus statuere illum. Nolite itaque ante tempus iudicare, quoadque veniat dominus & illuminabit abscondita tenebrarum,

Matth. 6.  
Matth. 6.  
Rom. 2.  
1. Cor. 5.



brarum, & manifestabit consilia cordium, & tunc laus erit unicuique à Deo, qui vivit & regnat, &c.

THEOPHYL. EPISCOPI  
Bulgar. superioris Evangelij  
expositio.

**E**stote misericordes, sicut & pater vester misericors est. Quoniam Apostoli ad prædicandum mittendi erant, & expectabantur multi persecutores & insidiatores, si igitur Apostoli in persecutione sua dolentes, ad vindicandum eos qui se offenderant, conuersi fuissent, fluissentque & non do- cuissent, extinctus vtiq; fuisset sol euangelij. Propterea Dominus anticipas admonet discipulos, ne vindictam de inimicis sumant, sed omnia quæ eueniunt, fortiter ferant, quamuis quidam iniuria afficiant, quamuis irreligiose insidientur, sicut ipse in cruce faciebat, dicens; Pater dimitte eis, nesciunt enim quid faciunt: Deinde ne Apostoli dicere possint, impossibile esse præceptum diligendi inimicos, dicit; Quod tibi vis fieri, hoc & alius facito, & esto talis aliis, quales alios tibi esse vis. Si quidem duros, & impatientes, & iracundos nolueris esse tibi inimicos, esto & tu talis: sin illos volueris esse bonos, & patientes, & iniuriarum immemores, ne impossibile credas esse, quod & tu talis fias. Vides legem naturalem in cordibus nostris inscriptam? Sic & dominus dixit. In diebus illis, dans leges meas in mentem illorum, & in cor illorum inscribam.

Infr. 23.

Hierem. 31.

Matth. 7.

Suspicio ma-  
lorum.

Rom. 2.

Postea & alia necessitate nos vrget. Sin diligitis eos qui vobis benefaciunt, similes estis peccatoribus & gentibus. Sin diligitis eos qui vobis malefaciunt, similes estis Deo, qui est bonus ingratis & malis. Vtrum igitur Deo vel peccatoribus similes fieri vultis? Vides diuinam doctrinam? Primum à naturali lege te docuit: Nam quod tu tibi vis fieri, hoc etiam alteri fac. Deinde & à fine ac mercede, mercedem enim pollicetur vobis, quod similes fiat Deo. Nolite iudicare, & non iudicabimini, &c. Omnem morbum difficilem ab animabus nostris amouet dominus: radicem dico suspitionis; Nam qui seipsum non considerat & solum attendit res proximi, illasque taxare vult, certum quod suspitione capitur, & obliuiscitur sui. Omnino enim de se quod non peccet, sentit, & propterea alios peccantes reprehendit. Igitur si vis incondemnatus esse, ne condemnes alios. Dic enim, quæso, quare condemnas alium vt præuaricantem diuinam legem? An non & tu præuaricaris diuinam legem? Vt taceam de aliis peccatis: certè in illo ipso quod alios iudicas, peccas. Et enim diuina lex præcipit tibi, ne iudices fratrem. Et ita etiã tu præuaricaris legem. Et quem præuaricator es, non debes iudicare alium vt præuaricatorem. Iudicem enim superiorem esse oportet natura peccante. Remitte igitur, & remittetur tibi: da, & dabitur tibi. Mensuram enim bonam, confertam, & conculsam, & exundantem dabunt in sinum vestrum. Non enim parcè remetietur Dominus, sed opulenti. Sicut igitur mensuras farinam accumulatis, concutis, exundareque facis, siquidem absque parsimonia metiri vis, ita & Dominus mensuram magnam & exundantem dabit tibi. Hic fortè acutior quispiam quæsierit. Quomodo postquam dixit, qua mensura meti-

mini, metientur vobis & alij, iterum dicit, quod mensura exundet? quomodo mensura hæc eadem est? Dicimus itaque non esse dictum, quod tanta mensura metientur vobis & alij, sed eadem: siquidem dixisset tanta mensura, tunc non defuisset difficultas & cõrrietas sermoni. Dicit igitur Dominus, quod si benefeceritis, benefier etiam tibi, sicut & in condemnatione dixit. Qui enim condemnat & postea condemnatur, eandem mensuram recipit: qui autem plus condemnatur quã condemnauit, iuxta illud exundantè habet mensuram. Hæc autem dixit Dominus, à condemnatione nos prohibens. Dicit autem & parabolam nobis, hoc est exemplum. Dic enim quæso, inquit, nõne alterum iudicans, & ipse eadem peccans, comparatus est cæco, cæcum ducenti? Nam si alium condemnas, & ipse in eadem incidis peccata, vterque cæci estis: & videris quidem illi dux esse ad bonum, eo quod condemnas, non es autem dux. Quomodo enim ille à te ad bonum inducetur, quum & tu labaris? Non est enim discipulus super magistrum. Si igitur tu qui videris esse & dux laberis, omnibus modis cadet etiam qui docetur ac ducitur. Elaboratus enim discipulus, hoc est, perfectus erit, sicut magister eius. Hæc dixit etiam vt ne condemnentur hi qui inferiores nobis si videantur peccare. Subdit quoque & aliud eiusdem argumenti. Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem qua in oculo proprio est, non animaduertis? &c. Quid autem vides, inquit, festucam, hoc est paruum peccatum fratris tui: trabem autem magnum peccatum tuum non aduertis. Hoc autem omnibus dici potest & maximè doctoribus & principibus, qui subditorum peccata, quamuis parua, puniunt: sua autem, etiam maxima, impunita sinunt. Idcirco illos & hypocritas vocat dominus. Sicut alij quidem apparentes, dum aliorum peccata puniunt: in hoc enim iusti apparent. Alij autem sunt, ex eo quod & ipsi grauius peccant.

EVTHYMII ZIGABONI  
superioris Euang. expositio.

**E**stote misericordes. Nolite iudicare vt non iudicemini. Iudicium hoc loco pro condemnatione accipite. Sic enim interpretatur Lucas, dicens: Nolite condemnare, &c. Verum nisi condemnet quis eum, qui peccauerit: veluti is qui præest subditum, pater filium, aut dominus seruum: augebuntur omnino vitia, eritque rerum cõfusio. Sed hinc non loquitur de huiusmodi condemnatione, quæ bonum amat, aut quod prauum est corrigit. In sequentibus enim iubet etiam argue, hoc modo ac ligare: Abi (inquit) argue eum, &c. Et rursum: quæcunque ligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo. Hic autem sermo, non ad eos qui præfunt dirigitur, sed ad subditos: monens ne qui propria debet inspicere, ac seipsum diiudicare, inspiciant aliena, ac diiudicent alios. Nam Paulus Apostolus dicit: si nos ipsos diiudicauerimus, nequaquam diiudicemur. Dirigitur quoque sermo & ad eos, qui quum in maioribus offendant, condemnant eos qui in paruis labuntur. Dicit enim statim in sequentibus. Quid inspicis festucam in oculo fratris tui, trabem autem qua in oculo tuo est, non consideras? & autem (quod vertit interpretres

10m. 3.

Dignitate  
hæc m. 3.

Matth. 18.

1. Cor. 11.

terpries

terpries festucam aut stipulam) propriè ligni particula breuissima est, & pulchrè trabi opponitur. Dicit Chryss. in expositione epistolæ ad Hebræos illud: Nolite iudicare ne iudicemini, de vita dicit, non de fide. Date & dabitur vobis. Date ac præstare omne genus beneficij. Mensuram bonam, confertam, & conculsam, ac super exundantem dabunt in sinum vestrum. Metaphorica loquitio est. Solent enim qui triticum benè metiuntur, superpositis modio manibus, deorsum illud premere, concutere vt descendat, & adicere donec supereffundatur. Reddunt autem huiusmodi mensuram beneficij, ij sane qui beneficio affecti sunt, Deo enim pro ipsis rependente, ipsi rependere videntur. Hanc vero illis reddent, qui liberaliter eis mutuum dederunt. Eadem enim mensura qua metimini, metientur alij vobis. Eadem beneficij mensura qua metimini, mutuo illud dantes his qui indigent. Eadem mensura. Et mensura qua curiosa exactione metitis, puta quod

tua utilitatis debuisset habere respectum aut cauet ne te offenderet: eadem mensura remetientur & tibi tuam conuersationem. Vult autem sermo, quod quãtam expetis ab eo exactionem, tantam & Deus expetet à te. Aduertere autem oportet, quid quemadmodum si remiserimus debitoribus nostris, remittet & nobis Deus: Ita si fratrem non condemnauerimus, neque Deus nos condemnabit. O admiranda præceptorum virtus, quæ facilia sunt ad exequendum, magnam tamen nobis conciliant salutem. Quid igitur, si frater fornicatus fuerit, aut aliud tale quippiam commiserit, an hunc non corrigam, sed tacebo? Corrige sanè, salubriter, & quasi medicus. Neque enim dixit: Ne cohibeas delinquentem, sed: Ne iudices. Dixit autem & Paulus: Tu cur iudicas fratrem tuum, aut cur spernis fratrem tuum? Et certè non subditum condemnare, animæ est Pharisæicæ & seipsum iustificantis.

Rom. 14.  
Luce 18.



IN FESTO CORPORA-  
RIS CHRISTI.


I O A N. 6.

Id est, societas sanctorum, vbi pax & vnitas erit perfecta.



**I**n illo tempore: dixit Iesus turbis Iudæorum, <sup>a</sup> Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Qui manducat meam carnem, <sup>b</sup> & bibit meum sanguinem, in me <sup>b</sup> manet, & ego in illo. <sup>c</sup> Sicut misit me viuens pater, & ego viuo propter patrem: & qui manducat me, & ipse viuet propter me. Hic est panis qui de cælo descendit, non sicut manducaerunt patres vestri manna & <sup>d</sup> mortui sunt. <sup>e</sup> Qui manducat hunc panem, <sup>f</sup> viuet in æternum.

GLOSSA ORDINARIA  
in superioris Euang.



**C**ARO mea, &c. Verè viuet anima & corpus ex hoc cibo quia caro mea verè est cibus: qui solus facit immortales, vt neque esuriat neque sitiet, alius cibus hoc non præstat, etiam si in eo hoc appetatur. Qui manducat. Iam exponit quomodo fiat quod dixit, & quid sit manducare carnem, & bibere sanguinè: hoc est manere in Christo, & Christum habere in se manentem. Qui verò non manet in Christo, & in quo non manet Christus: non manducat spiritualiter, & sic sacramentum sibi sumit in iudicium corporaliter. Sicut mi. me. Me æqualem sibi misit, id est, hominem fecit, & inde est vt ad eum referam vitam meam quasi ad maiorem. Et ipse vi. Vt vitam ex patre, mea exinanitio facit: vt

homo viuat ex me, participatio facit quæ me manducat. Hic est pa. Et ita cõstat quod hic est verè panis de cælo, non manna. quia illud manducantes patres vobis similes mortui sunt in æternum: hinc panem homo qui vitam non habebat manducans, viuet in æternum. Suprà dixerat: Ego sum panis qui de cælo descendit: hic dicit: Hic, id est, filius hominis ad esum cuius carnis in uiro, est ille panis qui de cælo descendit ergo idem est filius hominis & filius Dei.

CATENA AVREA  
in idem Euangelium.

**C**ARO mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus, &c. Bed. Dixerat superius: Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam: & vt ostenderet quanta distà-  
Bibl. Hom. tom. 3. D d tia

tia sit inter corporalem cibum & potum, & spirituale mysterium corporis & sanguinis sui, adicit: *Caro enim mea vere est cibus, &c.* Chryl. Hoc autem dicit aut vt credant his quæ dicta sunt, vt non æstimet enigma & parabolam esse, sed sciât quoniam omnino oportet manducare corpus Christi, aut vult dicere quoddam verus cibus est hic qui animam saluat. Aug. Vel ali. Cum cibo & potu id appetant homines vt non esuriant, neque sitiant: hoc veraciter non præstat nisi iste cibus & potus, qui eos à quibus sumitur immortales & incorruptibiles facit, id est, societas ipsa sanctorum, vbi pax erit & vnitas plena atque perfecta: propterea dominus noster corpus & sanguinem suum in eis rebus commendauit, quæ ad vnum aliquid rediguntur ex multis, namque aliud, scilicet panis ex multis granis in vnum constat; aliud, scilicet vinum ex multis acinis confluit. Deinde iam exponit quid sit manducare corpus eius, & sanguinem bibere, dicens: *Qui man. meam car. &c.* Hoc est ergo manducare illam escam, & illum bibere potum: in Christo manere, & Christum in se habere. At per hoc qui non manet in Christo, & in quo non manet Christus, proculdubio nec manducat eius carnem, nec bibit eius sanguinem, sed magis tantæ rei sacramentum ad iudicium sibi manducat & bibit. Chry. Vel aliter continuatur, quia promissat se manducantibus vitam æternam: vt ergo hoc confirmet induxit, *Qui man. meam car. &c.* Aug. de ver. do. Multi quidem qui vel corde ficto carnem illam manducant, & sanguinem bibunt: vel cum manducauerint apostatæ fiunt, nunquid manent in Christo, & Christus in eis? Sed est profectò quidam modus manducandi illam carnem, & bibendi illum sanguinem: quomodo qui manducauerit & biberit, in Christo manet & Christus in eo, Aug. 12. de ciui. Dei. Hoc est illi qui non sacramentum tenus tantum, sed reuera corpus Christi manducant, & sanguinem bibunt. Chry. Et quia ego viuo manifestum est quoddam ipse viuere: & ad hoc ostendendum subiungit, *Sicut misit me viuens pater, &c.* Ac si dicat: Vno ego sicut pater, & ne ingenitum æstimemus, adiecit: Propter patrem, patrem sibi esse principium occultè in sinu: quoddam autem dicit: *Qui manducat me, & ipse viuere propter me*: non de vita simpliciter hoc dicit, sed de approbata. Etenim etiam infideles viuunt non manducantes de carne illa: sed neque de resurrectione communi hoc dicit, etenim omnes suscitabuntur, sed de gloriosa & mercedem habente. Aug. Non autem ait, Sicut manduco patrem & ego viuo propter patrem: & qui manducat me, & ipse viuere propter me. Non enim filius participatione patris sit melior, sicut participatione filij per vnitatem corporis eius & sanguinis, quod illa manducatio & potatio significat nos efficiuntur meliores. Si ergo ita dictum est: *Vno propter patrem*, quia ipse de illo est, sine detrimento æqualitatis dictum est: nec tamen eadem nostram & suam æqualitatem significat, sed gratiam mediatoris ostendit. Si autem secundum id accipimus: *Vno propter patrem*, quod alibi ait: Pater maior me est, hæc verba ita dixit: *Sicut misit me pater*. Ac si diceret: vt ego viuum propter patrem, id est, ad illum tanquam ad maiorem referam vitam meam, exinanitio mea facit in qua me misit: vt autem quisquam viuat propter me participatio facit: quia manducat me. Hyl. 8. de tri. De veritate igitur carnis & sanguinis

Christi, non relictus est ambigendi locus, nunc enim ex ipsius domini professione & fide nostra verè caro est, & verè sanguis est, hæc ergo vitæ nostræ causa est, quod in nobis carnalibus manentem per carnem Christum habemus, victuribus nobis per eum ea conditione qua viuunt ille per patrem. Si ergo nos naturaliter secundum carnem per eum viuimus, id est, naturam carnis suæ adepti: quomodo nõ naturaliter secundum spiritum in se patrem habeat, cum viuat ipse per patrem? per patrem autem viuunt, dum natiuitas non alienam ei intulit diuersamque naturam. Aug. Vt autem illum panem manducando viuamus, qui æternam vitam ex nobis habere non possumus, de celo descendit: vnde sequitur: *Hic est panis qui de celo descendit, &c.* Hyl. 10. de tri. Se panem hic dicit: ac ne verbi virtus atque natura defecisse existimaretur in carnem, panem carnem suam esse dixit: vt per hoc qui descendens de celis panis est, non ex humana conceptione origo esse corporis eius existimaretur, dum caeleste esse corpus ostenditur: at verò cum panis est, assumpti per verbum corporis est professio. Theo. Nõ enim purum Deum comedimus, nam & impalpabilis & incorporeus est: neque enim hominis puri carnem comedimus, quæ nihil posset proficere. Sed quia Deus carnem sibi vnium, caro eius viuificatiua existit: non quod in Dei naturam transierit, sed secundum quandam igniti ferri consuetudinem (quod & ferrum manet & ignis) actum ostendit: sic & caro domini viuificatiua est, tanquam caro verbi Dei. Beda, Et vt ostenderet distantiam vmbre & lucis, typi & veritatis, subiunxit: *Non sicut manduca. pat. vestri, &c.* Aug. Quod autem illi mortui sunt, ita vult intelligi vt non viuant in æternum. Nam temporaliter & Dei naturam transierit, qui Christum manducant, sed viuunt in æternum, quia Christus est vitæ æterna. Chry. Si enim possibile fuit sine messe & frumeto & aliis huiusmodi quadraginta annis illorum vitam conseruare: multo magis, nunc cibo spirituali hoc facere poterit, cuius illa erant figura: frequenter autem vitam reppromittit, quia nihil est ita delectabile hominibus: vnde & in veteri testamento longitudo vitæ promittebatur, hic autem vita finem non habens. Simul etiã per hoc ostendere vult, quoniam sententiam morti tradentem pro peccato nunc soluit, vitam æternam contrariò promittens.

S. I O. CHRYSOSTOMI  
Episcopi Constantin. in superius  
Euang. Homil.

Quid autem signat; *Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus?* Aut quod is est verus cibus, qui saluat animam, aut vt eos in prædictis confirmet, ne obscure locutum in parabolis arbitrarentur: inde inquit; *Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet*: quod dicit, vt cum ipso se admisceri ostendat. Quod autem sequitur, non bene superioribus iungi videtur. Quæramus igitur quænam hæc sit consequentia. Quum dixisset; *Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet*: non absurdè prosequitur; *Sicut misit me viuens pater, & ego viuo propter patrem*. Nã, quum sæpe repetisset vitam æternam, ad id confirmandum addidit; *In me manet*. Si in me manet, & ego viuo: qui me sumit, & victurum per

perspicuum est. Inde, inquit; *Sicut misit me viuens pater, & ego viuo propter patrem*. Hæc comparatio est, & similitudo, hoc est, viuo ego, & pater. Et ne ingenitum arbitraretur, addidit; *Propter Patrem*: non quod operationis alicuius necessitatem ad vitam habeat, superius enim eam amouit suspicionem. Sicut pater habet vitam in semetipso, sic dedit & filio vitam habere in semetipso. Quod si operatione indigeret, inueniretur aut pater nõ ita dedisse, & falsa esset oratio: aut, si ita dedit, nullo alio indigebat auxilio. Quid ergo signat, *propter patrem*? Causam tantum. Sicut viuunt pater, ita & ego. Et qui manducat me, & ipse viuunt propter me. Vitam autem in hoc loco non qualemcumque, sed probatam dicit: quod inde constat, quod & infideles omnes, & non initiati, & qui eius carnem non manducant, viuunt tamè. Quare minimè dubium est, quin illum intelligat. Dicit ergo; *Qui manducat carnem meam, in morte non peribit, neque damnabitur*. Sed non de communi dicit resurrectione (si quidem omnes resurgent) sed de clara illa, & gloriosa, quæ præmium meretur. *Patres vestri manducauerunt manna in deserto, & mortui sunt: qui manducat hunc panem, viuunt in æternum*. Frequenter idem repetit, vt auditorum animis imprimeretur. Vltima enim hæc erat doctrina, vt resurrectionis & æternæ vitæ fidem confirmaret. Quocirca post vitæ æternæ promissionem, resurrectionem proponit, postquam illam futuram ostendit. Et vnde hoc constat: A scripturis, ad quas eos semper relegat, vt inde erudiantur. Quum autem dare vitam mundo dicit, in æmulationem eos adducit: vt, si aliorum bono mouentur, nolint ipsi excludi. Frequenter autem mannae meminit, & differentiam conferendo ad fidem allicit. Nam, si possibile fuit, vt quadraginta annos sine messibus, & frumento, & aliis ad victum necessariis viuerent, longè magis nunc, quum ad maiora venerint. Nam, si in illis figuris sine labore expositum colligebant: nunc profectò magis, vbi nulla mors, & veræ vitæ fructio. Vitæ autem vbi que meminit: nam eius trahimur cupiditate, & nihil suauius quàm non mori. Etenim in veteri testamento longa vita, & multi dies promittebantur: nunc verò non simpliciter vitæ longitudo, sed vitæ sine fine promittitur. Simul & ostendere vult, quod ex peccato supplicium: nunc reuocat & sententiam illam mortis soluendo, & vitæ sempiternæ inducendo, contra superiorum temporum institutionem.

S. AVGVST. EPISCOPI  
Hippon. in superius Euang.  
Homilia 1.

*Caro enim mea, inquit, vere est cibus, & sanguis meus vere est potus.* Cum enim cibo, & potu id appetant homines, vt neque esuriant, neque sitiant: hoc veraciter non præstat nisi iste cibus, & potus, qui eos, à quibus sumitur immortales & incorruptibiles facit, id est, societas ipsa sanctorum, vbi pax erit, & vnitas plena, atque perfecta. Propterea quippe sicut etiam ante nos hoc intellexerunt homines Dei, dominus noster Iesus Christus corpus, & sanguinem suum in eis rebus commendauit, quæ ad vnum aliquid rediguntur ex multis. Namque aliud in vnum, ex multis granis

conficitur: & constat: aliud in vnum ex multis acinis confluit. Denique iam exponit quomodo id fiat quod loquitur, & quid sit manducare corpus eius, & sanguinem eius bibere. *Qui manducat carnem meam, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.* Hoc est ergo manducare illam escam, & illum bibere potum, in Christo manere, & illum manentem in se habere. Ac per hoc qui non manet in Christo, & in quo non manet Christus, proculdubio nec manducat spiritualiter carnem eius, nec bibit eius sanguinem, licet carnaliter, & visibiliter premat dentibus sacramentum corporis, & sanguinis Christi: sed magis tantæ rei factamentum ad iudicium sibi manducat & bibit, quia immundus præsumpsit ad Christi accedere sacramenta, quæ aliquis non digne sumit, nisi qui mundus est: de quibus dicitur; *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*, *Sicut, inquit, misit me viuens pater, & ego viuo propter patrem, & qui manducat me, ipse viuere propter me*. Non ait, sicut manduco patrem, & ego viuo propter patrem: & qui manducat me, & ipse viuere propter me. Non enim filius participatione patris sit melior, qui est natus equalis, sicut participatione filij per vnitatem corporis eius, & sanguinis, quod illa manducatio, potatioque significat, nos efficiuntur meliores. Viuimus ergo nos propter ipsum, manducantes eum, id est, ipsum accipientes æternam vitam, quam non habebamus ex nobis: viuunt autem ipse propter patrem, missus ab eo, quia semetipsum exinanitum factus obediens vsque ad mortem crucis. Si enim secundum id accipimus, *propter patrem*, quod alibi ait; Pater maior me est: sicut & nos viuimus propter ipsum, qui maior est nobis, hoc ex eo, quod missus est, factum est: missio quippe eius exinanitio sui metipsum est, & formæ seruilis acceptio, quod recte intelligitur: seruata etiam filij cum patre æqualitate naturæ. Maior enim est, pater homine filio, sed æqualem habet Deum filium, cum idem sit & Deus, & homo, Dei filius, & hominis filius vnus Christus. In qua sententia si recte accipiuntur hæc verba, ita dixit; *Sicut me misit viuens pater, & ego viuo propter patrem. Et qui manducat me, & ipse viuere propter me*: ac si diceret, vt ego viuum propter patrem, id est, ad illum tanquam ad maiorem referam vitam meam, exinanitio mea fecit in qua me misit. Vt autem quisquam viuat propter me, participatio facit, qua manducat me. Ego itaque humilatus viuo propter patrem, illo erectus viuunt propter me. Si autem ita dictum est, *viuo propter patrem*: quia ipse de illo, non ille de ipso est, sine detrimento æqualitatis dictum est. Nec tamen dicendo, *Qui manducat me, ipse viuere propter me*, eandem suam & nostram æqualitatem significauit, sed gratiam mediatoris ostendit. *Hic est panis qui de celo descendit*. Vt illum manducando viuamus, quia æternam vitam ex nobis habere non possumus. *Non sicut, inquit, manducauerunt patres vestri manna, & mortui sunt. Qui manducat hunc panem, viuunt in æternum*. Quod ergo illi mortui sunt ita vult intelligi, vt non viuant in æternum: nam temporaliter, & hi profecto moriuntur, qui Christum manducant, sed viuunt in æternum, quia Christus est vita æternæ. *Sicut misit me viuens pater, & ego viuo propter patrem*. Nã, quum sæpe repetisset vitam æternam, ad id confirmandum addidit; *In me manet*. Si in me manet, & ego viuo: qui me sumit, & victurum per

EIVSDEM IN IDEM

Homil. 2.

Sermo 46. de  
ver. domini.

Sicut audiimus, cum sanctum Euangelium legeretur dominus Iesus Christus exhortatus est promissione vite æternæ ad manducandam carnem suam, & bibendum sanguinem suum. Qui audistis hæc, nondum omnes intellexistis. Qui enim baptizati & fideles estis, quid dixerit nostis. Qui autem inter vos adhuc catechumeni, vel audientes vocantur, potuerunt esse cum legeretur audientes, nunquid & intelligentes? Ergo sermo noster ad utrosque dirigitur. Qui iam manducant carnem domini, & bibunt sanguinem eius, cogitent quid māducant, & quid bibāt, ne sicut Apostolus dicit, Iudicium sibi manducant, & bibant. Qui autem nondum manducant, & nondum bibunt, ad tales epulas inuitati festinent. Per istos dies magistrati pascunt, Christus quotidie pascit, mensa ipsius est illa in medio constituta. Quid causæ est, o audientes, ut mensam videatis, & ad epulas nō accedatis? Et forte modo cum Euangelium legeretur dixistis in cordibus vestris, Putamus quid est quod dicit, *Caro mea vera esca est, & sanguis meus vere potus est.* Quomodo manducatur caro domini, & bibit sanguis domini? Putamus quid dicit? Quis contra te claudit ut hoc nescias? Velatū est. Sed si volueris, erit reuelatum. Accede ad professionem, & soluisi quæstionem. Quid enim dixit dominus Iesus, iam fideles noverunt. Tu autem catechumenus diceris, audiens & surdus es. Aures enim corporis patentes habes quia verba, quæ dicta sunt, audis, sed aures cordis adhuc clausas habes, quia quod dictum est non intelligis. Disputo, non dissero. Ecce pascha est, da nomen ad baptismum. Si non te excitat festiuitas, ducat ipsa curiositas, ut scias quid dictum sit, *Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in illo.* Ut scias quid dictum sit, pulsa, & aperietur tibi. Et ut tibi dico, pulsa, & aperietur tibi, ita & ego pulso, aperi mihi. Auribus perfono, & ad pectus pulso. Sed si catechumeni exhortandi sunt, fratres mei, ut ad tantam gratiam regenerationis accedere non morentur, quanta nobis cura esse debet in ædificandis fidelibus, ut proficit eis, quod accedunt, ne sibi tales epulas in iudicium manducant, & bibant? Ut autem non in iudicium manducant, & bibant bene viuant. Exhortatores estote non sermonibus, sed moribus vestris, ut illi, qui non sunt baptizati, sic vos sequi festinent, ut non pereant imitando vos. Qui coniugati estis, fidem thori seruate coniugibus vestris. Reddite quod exigitis. Vir à fœmina exigit castitatem, præbe illi exemplum, non verbum. Tu es caput, quæ is, vide. Hac enim debes ire, quæ illi nō sit periculosum sequi, immo tui ipsæ quæ vis eam sequi, illuc debes ambulare. Ab imbecilliori sexu exigit fortitudinem, carnis concupiscentiam ambo habetis, qui fortior est prior vincat. Et tamen quod dolendum est, multi viri à fœminis vincuntur. Seruant fœminæ castitatem, quam viri seruare nolunt, & in eo quod non seruant, se viros videri volunt, quasi propterea sit fortior sexus, ut eum facilius subiuger inimicus. Lucta est, prælium est, pugna est. Vir fortior fœmina, vir caput est fœminæ. Fœmina pugnat, & vincit, tu hosti succumbis? Stat corpus, & caput

Ephes.

iacet. Qui autem vxores nondam habetis, & tamen ad mēsam dominicam iam acceditis, & carnem Christi manducatis, & sanguinem bibitis, si ducturi estis vxores, seruate vos vxoribus vestris. Quales eas vultis ad vos venire, tales & vos debent ipsæ inuenire. Quis iuuenis est, qui non castam velit ducere vxorem? Et si accepturus est virginem, quis non intactam desideret? Intactam quæris intactus esto. Puram quæris, noli esse impurus. Non enim illa potest, & tu non potes. Si fieri non possit, nec illa possit. Quia vero illa potest doceat te quia fieri potest. Et illam ut possit, Deus regit. Sed tu gloriosior eris, si feceris. Quare gloriosior? Illam premit parentum custodia, refrænat infirmioris sexus ipsa verecundia. Postremo leges times, quas tu non times. Ideo ergo gloriosior eris, si feceris, quia tu si feceris, Deum times. Habet illa multa, quæ timeat præter Deum, tu solum Deum times. Sed tu quem times, maior est omnibus. Ipse timendus est in publico, ipse in secreto. Proceas, videris intras, videris, Lucerna ardet, videt te lucerna extincta est, videt te. In cubile intras, videt te. In corde verfaris, videt te. Ipsum time, illum cui cura est ut videat te, & vel timendo castus esto. Aut si peccare vis, quare vbi te non videat, & fac quod vis. Qui vero iam nouistis, corpus arctius castigate, & concupiscentiæ frænos nec ad ipsa quæ permissa sunt patiamini relaxare, ut non solum à concubitu illicito duertatis, sed etiam licitum contemptum aspectum. Memento te in quocunq; sexu sitis, siue mares siue fœminæ, angelorum vitam ducere vos in terra. Angeli enim non nubunt, neque vxores ducunt. Hoc erimus cum resurrexerimus. Quanto vos meliores, qui id quod erunt homines post resurrectionem, hoc vos incipitis esse ante mortem? Seruate gradus vestros, seruat enim Deus honores vestros. Comparata est resurrectio mortuorum, stellis in cælo constitutis. Stella enim ab stella differt in gloria, ut Apostolus dicit, Sic & resurrectio mortuorum. Aliter ibi lucebit virginitas, aliter lucebit castitas coniugalis, aliter ibi lucebit sancta viduitas. Dinersæ lucebunt, sed omnes ibi erunt. Splendor dispar cælum commune. Cogitantes ergo gradus vestros, seruantes & professionem vestram, accedite ad carnem domini. Qui se scit aliter esse, non accedat. Compungimini magis sermone meo. Congratulantur enim, qui sciunt seruare coniugibus quod à coniugibus exigunt, qui sciunt seruare omni modo continentiam, si hanc Deo vouerunt. Qui vero audiunt dicentem me, *Quicumque non seruat castitatem, nolite accedere ad illum panem, contristantur.* Et ego nollem hoc dicere. Sed quid facio? Timebo hominem & taceam veritatem? Ergo si illi serui non timent Deum, etiam ego non timeam, quasi non sciam dictum esse, *Serue nequam, & piger, tu dares, & ego exigerem.* Ecce dedi domine Deus meus, ecce in conspectu tuo & angelorum tuorum, & in conspectu ipsius plebis tuæ erogauit pecuniam tuam. Timeo enim iudicium tuum. Ego dedi, tu exige; Et si non dicam, facturus es. Ergo hoc potius dico, Ego dedi, tu conuerte, tu parce. Fac pudicos qui fuerunt impudici, ut simul in tuo conspectu cum iudicium venerit, gaudeamus, & qui erogauit, & cui erogatum est. Placet hoc? Placeat. Quicumque impudici estis, corrigite vos, dum viuistis. Ego enim verbum Dei loqui possum

22. q. 6. cap. Si dicitur.

Math. 11.

1. Cor. 11.

Continenti & alii Tu noueris illu.

Math. 11.

possum, impudicos autem, & in nequitia peccauerantes, de iudicio Dei, & damnatione liberare non possum.

EIVSDEM IN FESTVM corporis Christi, Homil.

Ser. 1. de ver. Appt.

Audiuimus veracem magistrum, diuinum remmendantem nobis precium nostrum, sanguinem suum. Locutus est enim nobis de corpore & sanguine suo, quod corpus dixit escam, sanguinem potum, sacramentum fidelium. Agnoscunt fideles. Audientes autem quid aliud quam vitam audiunt? Cum ergo commendans escam, & talem potum diceret, Nisi manducaueritis carnem meam, & biberitis sanguinem meum, non habebitis vitam in vobis: & hoc diceret de vita: quis alius quam ipsa vita? erit autem illi homini mors non vita, qui mendacem putauerit vitam: scandalizati sunt discipuli eius, non quidem omnes, sed plerimi, dicentes apud semetipsos, Durus est hic sermo, quis eum potest audire? Cum autem hoc dominus apud semetipsum cognouisset, & murmur ac cogitationes audisset, cogitantibus nec sonantibus voce respondit, ut se auditos esse cognoscerent, & talia cogitare desinerent. Quid ergo respondit? Hoc vos scandalizat? Si ergo videritis filium hominis ascendentem, vbi erat prius. Quid sibi vult, hoc vos scandalizat? Putastis quia de hoc corpore quod videris partes facturus sum, & mēbra mea concisurus & vobis daturus? Quid si ergo videritis filium hominis ascendentem vbi erat prius? Certe qui integer ascendere potuit, consumi non potuit. Ergo & de corpore ac de sanguine suo dedit nobis salutem refectionē, & tam magnam breuiter soluit de sua integritate quæstionem. Manducant ergo qui manducant, & bibant qui bibunt, & surlant & surlant, vitam manducant, vitam bibant. Illud manducare refici est, sed sic reficeris, ut non deficiat vnde reficeris. Illud bibere quid est nisi viuere? Manduca vitam, bibe vitam, habebis vitam, & integra est vita. Tunc autem hoc erit, id est, vita vnicuique erit corpus & sanguis Christi: si quod in sacramento visibiliter sumitur, in ipsa veritate spiritaliter manducetur, spiritaliter bibatur. Audiuimus enim ipsum dominum dicentem, Spiritus est qui viuificat, caro autem non prodest quicquam. Verba, quæ locutus sum vobis, spiritus & vita sunt. Sed sunt, inquit, quidam, qui non credunt, ipsi dicebant, Durus est hic sermo, quis potest eum audire? Durus est, sed durus, id est, intractabilis, sed incredulus. Sed ut doceret nos etiā ipsum credere doni esse nō meriti, Sic ut, inquit, dixi vobis, nemo venit ad me, nisi qui datum fuerit à patre meo. Vbi autē hoc dominus dixerit, si superiora Euangelij recolamus, inueniemus eum dixisse, Nemo venit ad me, nisi pater, qui misit me, traxerit eum. Non dixit, duxerit, sed traxerit. Ista violentia cordi sit, non carni. Quid ergo miraris? Crede, & venis, ama, & traheris. Ne arbitreris istam asperam, molestamque violentiam, dulcis est, suavis est, ipsa suauitas te trahit. Nōne ovis trahitur, cum esurienti herba monstratur? Et puto, quia non corpore impellitur, sed de desiderio colligatur: sic & tu veni ad Christum, noli longa itinera meditari. Vbi

credis, ibi venis. Ad illum enim, qui vbiq; est, amando venit, non nauigando. Sed quoniam etiam in tali itinere abundat fluctus, & tempestates diuersarum tentationum: in crucifixum crede, ut fides tua lignum possit ascendere. Non mergetis, sed ligno portaberis. Sic sic in huius seculi fluctibus nauigabat ille, qui dicebat, Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce domini nostri Iesu Christi. Mirum est autem quod prædicato Christo crucifixo, audiunt duo, vnus contemnit, alter ascendit. Qui contemnit imputet sibi, qui ascendit, non arroget sibi. Audiuit enim à veraci magistro, Nemo venit ad me, nisi datum fuerit ei à patre. Gaudeat, quia datum est, gratias agat danti corde humili, non arroganti, ne quod humilis meruit, superbus amittat. Nam etiam qui iam in ipsa via iusti ambulant, si sibi eam tribuerint & viribus suis, pereunt de illa. Ideo humilitatem docens nos sancta scriptura, per Apostolum dicit, Cum timore, & tremore vestram ipsorum salutem operamini. Et ne sibi aliquid inde darent, quia dixit operamini, continuo subiunxit, Deus enim est qui operatur in vobis, & velle, & operari pro bona voluntate. Deus est qui operatur in vobis, ideo cum timore & tremore vallem facite, imbrem suscipite, depressa implentur, alta siccantur. Gratia pluuia est. Quid ergo miraris, si Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam? Ideo cum timore, & tremore, id est, cum humilitate. Noli altum sapere, sed time. Time ut implearis, noli altum sapere, ne siccetis. Sed iam, inquis, ambulo viam istam, opus erat ut discerem, opus erat ut per doctrinam legis scirem quid agerem. Habeo liberum voluntatis arbitrium, quis me ab ista via separabit? Si legas diligenter, inuenies quendam de sua quadam abundantia quam tamen acceperat, extollere se cœpisse, dominum autem misericordem ut doceret humilitatem, quod dederat abstulisse: illum vero subito inopem remansisse, & misericordiam Dei recordatione confessum dixisse, Ego dixi in abundantia mea, non mouebo in æternum. Ego dixi in abundantia mea. Sed ego dixi, homo dixi, Omnis homo mendax. Ego dixi, Ego ergo dixi in abundantia mea. Tanta erat abundantia ut hoc dicere auderem, Non mouebo in æternum. Quid deinde? Domine in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem, auertisti autem faciem tuam à me, & factus sum conturbatus. Ostendisti, inquit, mihi, quia illud quo abundabam de tuo erat. Ostendisti mihi vnde peterem, cui retribuere quod acceperam, cui gratias agere deberem, ad quem currerem, sitiens vnde impleter, & quo impletus essem ad quem custo direm. Fortitudinem enim meam ad te custodiam. Quod te largiente impleat, te seruatore non perdam. Fortitudinem meam ad te custodiam. Hoc ut ostenderes mihi, auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus, conturbatus, quia siccatus: siccatus, quia exaltatus. Dic ergo siccus, & aridus, ut rursus implearis. Anima mea velut terra sine aqua tibi. Dic anima mea velut terra sine aqua tibi. Tu enim dixeras, non dominus dixerat, Non mouebo in æternum, Tu dixeras præsumens de te, sed non de tuo, & quasi putabas de tuo. Quid ergo dominus dicit? Seruite domino in timore, & exultate ei cum tremore. Sic Apostolus, Cum timore, & tremore, vestram ipsorum salutem operamini. Deus est enim, Bibl. Hom. tom. 3. D d 3 qui

Galat. 6.

Philip. 2.

1. Cor. 4.

Rom. 11.

Psal. 29.

Psal. 115.

Psal. 29.

Psal. 38.

Psal. 142.

Psal. 29.

Psal. 29.

Philip. 1.



qui operatur in vobis. Ergo exultate cum tremore, ne quando irascatur dominus. Video quia clamando praeveneris. Quid enim diciturum sim scitis, clamando praeveneris. Et hoc vnde habetis, nisi quia docuit ad quem credendo venistis? Hoc ergo dicit, audite quod noster, non doceo, sed commemoro praedicando, immo nec doceo, quia noster: nec commemoro quia meministis, sed simul dicamus quod nobiscum tenetis. Hoc dominus dicit, Apprehendite disciplinam, & exultate, sed cum tremore, ut semper humiles teneatis quod accepistis, ne quando irascatur dominus, utique superbis sibi quod habent tribuentibus, non illi a quo habent gratias agentibus. Ne quando irascatur dominus, & pereatis de via iusta. Nunquid dixit, ne quando irascatur dominus, & non veniat ad viam iustam. Nunquid ne quando irascatur dominus, & non vos perducatur ad viam iustam, aut non vos admittat ad viam iustam? Iam in illa ambulatis, nolite superbire, ne etiam de illa pereatis. Et pereatis, inquit, de via iusta, cum exarserit in brevi ira eius super vos. Non in longum, Vbi superbis, sibi quod accepit perdis. His rertus homo quasi diceret, Quid ergo faciam? Sequitur, Beati omnes qui confidunt in eum, non in se, sed in eum. Gratia salvi facti sumus, non ex nobis, sed Dei donum est. Forte dicatis, Quid sibi vult quod hoc saepe dicit? Iterum hoc, & tertio hoc, & prope nunquam loquitur nisi quando dicit, Utinam non sine causa dicam. Sunt enim homines ingrati gratiae, multum tribuentes inopi faucibusque naturae. Verum est, magnas arbitrii liberi vires homo, cum condere, accepit, sed peccato amittit. In mortem lapsus est, infirmus factus est, a latronibus semivivus in via relictus est, in iumentum suum levavit eum transiens. Samaritanus, quod interpretatur custos, ad stabulum adhuc perducitur. Quid extollitur? Adhuc curatur. Sed sufficit, inquit, mihi, quod in baptismo accepi remissionem omnium peccatorum. Nunquid quia deleta est iniquitas, finita est infirmitas? Accepi, inquit, remissionem omnium peccatorum. Prorsus verum est, deleta sunt cuncta peccata in sacramento baptismatis, cuncta prorsus dicta, facta, cogitata, cuncta deleta sunt. Sed hoc est quod infusum est in via, oleum, & vinum. Retinetis, semivivus in via ille a latronibus fauciatus, quomodo sit consolatus, accipiens oleum, & vinum vulneribus suis. Iam utique error eius indultum fuit, & tamen sanatur languor in stabulo. Stabulum si agnoscitis, Ecclesia est. Stabulum modo qui vivendo transimus, domus erit, vnde nunquam migrabimus, cum ad regnum caelorum sani pervenerimus. Interim in stabulo libenter curemur, non adhuc languidi de sanitate gloriemur; ne nihil aliud superbiendo faciamus, nisi ut nunquam curando sanemur. Benedic, anima mea, dominum, dic animae tuae, dic, Adhuc in hac vita es, adhuc carnem fragilem portas, adhuc corpus quod corrumpitur aggravat animam; adhuc post integritatem resurrectionis, accepisti remedium orationis: adhuc utique dicis, donec sanetur languores tui, Dimitte nobis debita nostra. Dic ergo anima tuae, humilis vallis, non erectus collis, dic anima tuae, Benedic anima mea dominum, & noli obliuisci omnes retributiones eius. Quas retributiones? Dic, enumera, gratias age, Quas retributiones? Qui propicius sit omnibus iniquitati-

Psal. 122.

Ephes. 2.

Luc. 10.

Psal. 102.

Sap. 9.

\* Al. remissionis.

Matth. 6.

Psal. 102.

bus tuis. Hoc factum est in baptismo. Quid sit modo? Qui sanat omnes languores tuos. Hoc sit modo, Agnosco. Sed quando hic sum, corpus quod corrumpitur aggravat animam. Dic ergo & quod sequitur, Qui redimit de corruptione vitam tuam. Post redemptionem de corruptione quid restat? Quando corruptibile hoc induerit in corruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo qui scriptus est, Absoluta est mors in victoria. Vbi est mors contentio tua? Vbi recte. Vbi est mors aculeus tuus? Quare locum & non inuenies. Quid est aculeus mortis? Quid est, vbi est mors aculeus tuus? Vbi est peccatum? Quare, & nusquam est, Aculeus enim mortis est peccatum: Apostoli, non mea verba sunt. Tunc dicitur, Vbi est mors aculeus tuus? Nusquam est peccatum, nec quod te capiat, nec quod te impugnet, nec quod conscientiam tuam titillet. Tunc non dicitur, Debita nostra dimitte nobis, sed quid dicitur? Domine Deus noster pacem da nobis, omnia enim reddidisti nobis. Denique post redemptionem ab omni corruptione quid restat nisi corona iustitiae? Ipsa certe restat, sed etiam in ipsa vel sub ipsa non sit caput turgidum, ut recipiat coronam. Audi, attende Psalmum quam noster corona illa turgidum caput. Cum dixisset, Qui redimet de corruptione vitam tuam, qui coronat te, inquit, Iam hic dicitur eras, Coronat te, merita mea farentur, virtus mea fecit hoc; debitum redditur, non donatur. Audi potius Psalmum, nam & hoc tu dicis: Omnis homo mendax. Audi, Deus quid dicat, Qui coronat te in misericordia & misericordia. De misericordia te coronat: de misericordia te coronat. Non enim dignus iustitiam quem vocaret, & vocatum iustificaret; & iustificatum glorificaret. Reliquiae per electionem gratiae saluae factae sunt. Si autem gratia, non ex operibus, alioquin gratia iam non est gratia. Nam ei qui operatur, merces non imputabitur secundum gratiam, sed secundum debitum. Apostolus loquitur, Non secundum gratiam, sed secundum debitum. Te autem coronat in misericordia & misericordia: & si tua merita praecesserunt, dicit tibi Deus, Discute bona merita tua, & videbis quia dona sunt mea. Haec est iustitia Dei. Quomodo dicitur, Domini est salus non qua saluus est dominus, sed quam dat eis quos salvos facit: sic & Dei gratia per Iesum Christum dominum nostrum, in iustitia Dei dicitur, non qua iustus est dominus, sed qua iustificat eos quos ex impiis iustos facit. Quidam vero; quoniam aliquando Iudaei & Christianos se dici volunt & adhuc ignorant Dei iustitiam, suam volunt constituere, etiam temporibus nostris, temporibus aperta gratiae, temporibus nunc reuelatae, prius occultatae gratiae, nunc in area manifeste gratiae quae aliquando latebat in vellere: paucos intellexisse video, plures non intellexisse nequaquam tacendo fraudabo. Quidam de antiquis iustis. Gedeo per iura domino signum & dixit, Pero, domine, ut vellus, quod in area pono, complatur; & area sicca sit. Factum est, completum est vellus; area tota sicca erat. Expressit mane vellus in pelum, quoniam humilibus datur gratia, & in pelum dominus noster quid fecerit discipulis suis. Item petiuit alterum signum, Volo, inquit, domine, ut vellus siccum sit, area completa. Et hoc factum est. Reperit tempus veteris testamenti, gratia oculosata est in nube

Sap. 9.

1 Cor. 5.

Matth. 23.

Luc. 10.

Rom. 1.

Rom. 1.

Rom. 1.

Indic. 6.

Luc. 4.

Indic. 6.

nube tanquam imber in vellere. Attende modo tempus novi testamenti, discute gentem Iudaeorum, quasi vellus siccum inuenies, orbis vero totus tanquam illa area plenus est gratia, non occulta, sed manifesta. Vnde multum plangere cogimur fratres nostros, qui non contra occultam, sed contra apertam gratiam, manifestamque contenditis. Ignoscitur Iudaeis, Quid Christiani? Quare inimici gratiae Christi? Quare de vobis praesumentes? Quare ingrati? Quare enim Christus venit? Nunquid natura haec non erat? Natura non erat, quam multum laudando decipitis: Nunquid lex hic non erat? Sed ait Apostolus, Si per legem iustitia, ergo Christus gratis mortuus est. Quod ait Apostolus de lege, hoc nos istis dicimus de natura: Si per naturam iustitia, ergo Christus gratis mortuus est. Quod ergo dictum est de Iudaeis, hoc omnino in istis videmus. Zelum Dei habent, sed non secundum scientiam. Quid est non secundum scientiam? Ignorantiam enim Dei iustitiam & suam volentes constituere, iustitia Dei non sunt subiecti. Erratis mei; comparimini mecum. Vbi tales inuenieritis occultare nolite, non sit in vobis peruersa misericordia: prorsus vbi tales inuenieritis occultare nolite. Redarguite contradicentes, & resistetes ad nos perducite. Iam enim de hac causa duo consilia misa sunt ad sedem apostolicam, inde etiam rescripta venerunt. Causa finita est, utinam aliquando finiat error. Ergo ut aduertant monemus, ut instruantur doceamus, ut mutantur oremus. Conuersti ad dominum.

Gal. 2.

Rom. 10.

S. CYRILLI EPISCOPI  
Alex. superioris Euang.  
expositio.

Caro enim mea vere est cibus, &c. Distinguit rursus inter mysticam benedictionem, & manna, & aquarum fluentia ex lapide, & calicis sancti communicationem. Ita iterum eadem repetit; ne magis manna miraculum admiraretur, sed ipsum potius suscipiat, qui caelestis panis est, & aeternae vitae largitor; patres enim, inquit, veluti manducauerunt manna in deserto, & mortui sunt. Hic est panis, qui de caelo descendit, ut aliquis ex ipso comedat, & non moriatur. manna namque alimentum non aeternam vitam, sed breue famis remedium afferbat. Non ergo erat cibus verus, id est, panis de caelo. Sanctum vero Christi corpus ad immortalitatem, & vitam aeternam nutriens: cibus est, ita inquit, sed aquam illi ex petra bibebant: quid igitur inde lucrati sunt, qui mortui fuerunt? non erat igitur potus ille verus, sed verus potus est sanguis Christi, quo radicitus mors excutitur, atque destruitur. Non enim hominis simpliciter sanguis est: sed eius, qui naturali vita coniunctus, vita effectus est. Propterea corpus, & membra Christi sumus; quia per hanc benedictionem, mysticam, ipsum sanguinem Dei suscipimus. Qui manducat carnem meam, &c. Quoniam res ardua est, & fide magis, quam alio modo recipitur, ideo multis, atque variis modis mirabiliter eius utilitate exponit, fundit, & bati in fide esse confirmas: qui manducat inquit, carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in illo. Sicut enim, si quis liquefactus erit, ab aliis ceram infuderit, alteram cum altera per totum commisceat, necesse est, si quis

carnem, & sanguinem domini recipit, cum ipso ita coniungatur, ut Christus in ipso, & ipse in Christo inueniatur. Simile quodammodo apud Marti-  
tham competes; Simile est, inquit, regnum caelorum fermento, quod acceptum abscondit mulier in farina satis tribus. Quid igitur semina sit, & quae satorum trinitas, aut omnino satorum quid sit, loco suo dicitur. Nunc autem de fermento solum dicamus. Sicut parum (ut Paulus ait) fermenti totam massam fermentat, sic paruula benedictio totum hominem in seipsum attrahit, & sua gratia replet, & hoc modo in nobis Christus manet, & nos in Christo. Verum enim totum fermentum in totam massam pertranfit, sed sensus quidem loci huius hic est. Nos vero, si vitam aeternam consequi volumus, si largiorem immortalitatis habere in nobis desideramus, ad recipendam benedictionem libenter concurramus; caueamusque; ne loco laquei damnosam religionem diabolus nobis praeferat. Recte, inquit, dicitis: scripta tamen esse non ignoramus; iudicium sibi comedere, atque bibere illum, qui de pane comedit, & de calice bibie indigne. Ego igitur probo me ipsum, & indignum inuenio. quando igitur, quicumque tu es, qui ista dicitis, dignus eris? quando Christo te ipsum offeres? Nam, si peccando indignus es, & peccare non desinis (quis enim delicta intelligit secundum psalmistam) expers omnino eris viuitate huius sanctificationis. Quare pius, quae, cogitationes suscipias, studiose, sancteque viuas, & benedictione participes; quae (mihi crede) non mortem solum, verum etiam morbos omnes depellit: sed etiam, cum in nobis maneat Christus, scientem membrorum nostrorum legem, pietatem corroborat, perturbationes animi extinguit: nec in quibus sumus peccatis, confiderat; sed aegrotos curat; collisos redintegrat; & sicut pastor bonus, qui animam suam pro omnibus posuit, ab omni nos erigit casu, Quod aliena vita filius particeps non est, sed ipse secundum naturam vita est. Sicut misit me viuens pater, &c. Latet sensus horum verborum, nec ita facile querentibus apparet; qui tamen cum fide quaerunt, facile ipsum inuenient. Cum igitur missum se esse filius dicit, tunc incarnatum se esse, & nihil praeter hoc aliud denotat, incarnatum autem verbum Dei cum dicimus, totum se hominem assumpsisse intelligimus: quem admodum igitur (inquit) homo factus sum voluntate patris, qui de naturali vita emanauit; & homo factus viuo, corpusque meum vita repleui; non aliter, qui carnem meam manducat, propter me viuet. Mortalem enim carnem assumpsit, sed, quia naturaliter vita existens, habito in ipsa, totam ad vitam meam reformauit non enim sum victus interitu carnis, sed ut Deus, omnem interitum, & mortem ipse superauit: ut igitur (non enim grauiabor iterum dicere) quamuis me pater misit, id est, homo factus sum; viuo tamen propter patrem, id est, genitoris naturam ad vnguem conseruio: sic, qui manducatione carnis meae me recipit, viuet profecto totus ad me reformatus; qui viuificatus potest sum: quod iam ex viuo patre sum. A patre autem se carnem factum esse affirmat, cum scripsit, Sit spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi: ut rursus intelligas, quia vni patris, & filij, & spiritus sancti natura sit: deo non esse diuisas operationes, sed quod ab vna persona factum dicitur, ab ois trinitatis totus est. Cum

Matth. 13.

1 Cor. 5.

1 Cor. 13.

Psal. 18.

Mirabilis Es ch. arista esse eius.

Luc. 1.

enim consubstantialitate vnum sit trinitas: vna profecto est virtus eius, atque potentia, omnia enim ex patre per filium in spiritu sunt. Sed dicamus rursus, quod sapius diximus; nam, etsi aures auditorum eadem dicentes obtundimus; tutius tamen esse non sumus nescij, consuevit Christus, quæ vim humanam excedunt, ea patri attribueret: humiliavit enim seipsum factus homo; & ideo convenientem homini mensuram non recusat: pater, inquit, qui in me manet, ipse facit opera: patri ergo etiam incarnationis operatione, quoniam virtutem excedit humanam, ut solet, accommodat. Sed clamabunt rursus aduersarij Christi, ac dicent; Et quomodo aliter naturam suam filius, aut quomodo magis aperte maiorem esse patrem posset ostendere, quam si diceret, propter patrem se viuere? Nam, si pater filio vitam largitur, quis adeo mente captus est, ut non videat non esse idem natura vitam, & quod vita participat? Hæc illi, Nos autem stulta dici à stultis dicimus, & cor eorum inania intelligere, & seductionem, ac errorem in verbis eorum habitare non ambigimus. Quomodo enim hæc vltima seductio non est; qua à viuificante Christo alienare multos non erubescunt, vitæ participem ipsum prædicantes, sicut & creaturæ animal dicere esse filium? quoniam omne animal non ipsum vitam, sed vitæ participem est. Aliud enim animal, est, aliud vita, quæ in ipso est. Nā, si idem esset animal, & vita, omne animal profecto vita diceretur; quod nemo mentis compos vnquam cogitauit. Vnigenitus ergo animal non est, sed vita secundum naturam. Aliter verum illud non esset; ego sum resurrectio, & vita: vita porro illud est, quod viuificat, non quod ab alio viuificatur; sicut & sapientia, quod sapientem facit, non quod sapiens sit. Vita autem Christus est; Ego, inquit, sum vita, & psalmista de ipso ad patrem dicit; Quia fons vitæ apud te: & Ioannes in epistolis, quod erat ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, & manus nostræ palparunt de verbo vitæ: & vita manifesta est, & vidimus, & testimonium perhibemus: & annunciamus vobis vitam æternam, quæ apud patrem erat, & manifesta est: vides latius hic illud psalmistæ exponi: quoniam apud te fons vitæ. Erat enim & est fons vitæ filius apud patrem. Sed ipsum Ioannem rursus audiamus; Et scimus, ait, quia filius Dei venit, & dedit nobis mentem, ut cognoscamus verum, & simus in vero filio eius Iesu Christo: hic est verus Deus, & vita æterna. Quis igitur patietur has nugæ? Quis merito istos impios non appellabit, qui cum scriptura clamet, verum Deum & fontem vitæ, & vitam æternam filium esse, vitæ Christum participem audeant dicere? quomodo autem erit verus Deus, aut fons vitæ, qui vita indigens ab alio eam consequitur? Sed vitam, inquit, dicimus filium: quia, cum patrem, qui vita est, in se habeat, ipse quoque viuificare potest. Maligni animi hæc oratio est, cum enim idcirco vitam appellari filium dicitis, quoniam, cum in se patrem habeat, potest indigentia vitæ viuificare: quomodo non immensam hic sermo parturit malitiam? an ignoratis, quid secundum naturam sit, quid ex eo, quod sit secundum naturam, & quasi compositum? veluti calidum natura ignem putamus; calida vero etiam alia sunt, ex igne ita facta, ut puta ferrum, aut lignum; non tamen, quia ignita sunt, propterea ignis erunt; alienam enim, non

Joan. 14.

Esai. 32.

Joan. 11.

Joan. 14.

Psalm. 33.

1. Joan. 1.

2. Joan. 5.

naturalem caliditatem retinent: & Grammatica, vel Geometria, scientia quædam est; qui vero scit, non est Grammatica, sed ab ea Grammaticus, vel Geometricus denominatur. Eodem modo & vita secundum naturam aliud profecto est, quam ea, quæ ad ipsam transformantur. Cum igitur in filio patre, qui naturaliter vita est, esse asseratis, atque ideo viuificare filium posse contendatis, non recte affirmatis, filium esse vitam, cum vitæ magis participes sit; si quidem in eo vita ut in materia secundum vos est; & sic habitudine quadam non substantialiter ad dignitatem viuificantis patris ascendit; & quemadmodum nullus recte, quamuis ab ignito ferro calefaciat, ab igne se calefcere dicit; nemoque non insanus, quia Geometras docendo quispiam facit, Geometriam eum appellabit: eodem certe pacto, si filius naturaliter vita non sit, sed propter inhabitantem patrem; non recte, quoniam alios viuificat, vita poterit appellari. Propterea quid prohibebit vnum de hominum numero, corruptibilisque filium naturæ opinari, si propter patrem viuuit, id est, ab eo vita donatur, ut isti sentiunt? Corrumperetur enim, nisi viuentem patrem in ipso haberet. Et, si verax ipse est, sicuti certe est, sicut ipse in se patrem habet, qui naturaliter vita est; sic ipse quoque in patre est, qui substantialiter secundum vos vita non est. Ego enim, inquit, in patre & pater in me est, & tacebo impietatem; quæ sequitur, imo dicam in redargutionem ipsius impietatis. Erit enim pater vita priuatus cum in se habeat naturam corruptibilem. hæc nos & cogitare, & scribere, pernicacia vestra cogimur, impellimur enim exquisitis ad utilitatem legentium ista scribere, Nam, si vitam secundum naturam patrem esse conceditis probe id quidem, sed vita etiam secundum naturam filius est. Id enim ex verbis etiam vestris sequitur: Quid enim in filio, cum in ipso sit, pater operabitur? An suam vitam tanquam indigenti, nec à se habenti ei donabit? & quomodo non erit absque vita naturaliter filius? Quod autem à seipso vitam non habet, quomodo corruptibile non erit? sed non largitur vitam filio pater, vitam enim genuit: atque ideo ipse filius vita per seipsum est. Quomodo igitur ideo vita erit: quia patrem in seipso habet? Nam, si absque patre viuere intelligitur, non viuuit propter patrem, id est, non habet vitam participationis. Quod si propter patrem ita viuuit ut ipsi intelligunt, non habebit ipse propriam vitam sed mutuo ab alio accipit, & ut dicebamus, corruptibilis potius est naturæ & animal magis quam vita. Quomodo igitur seipsum vitam appellat? An tibi quæ licebit dicere ego sum vita: Quod si non licebit sicuti certe creaturæ non licet, filius certe, qui hoc de se vere dicit nonit se vitam naturaliter esse, aliter quomodo erit character hypostasios genitoris? Quomodo imago, figura & similitudo exquisita? Quomodo non recte dicebat Philippus, ostende nobis patrem, & sufficit nobis? Sicuti enim vos dicitis: poterit aliquis, vidisse filium, qui patrem non vidit. si quidem pater secundum vos substantialiter vita est, filius autem vitam participes. Nemo enim vnquam in viuificato viuificantem cõspicit: nec per indigentem non indigentem recte intelligit, ita falso illud dixerit necesse est, esse, qui me videt, videt & patrem. Qui ergo in maculata ecclesiæ dogmata sequitur, fugiat ab istis, & ad simplicem veritatis pulchritudinem vias dirigit suas: & sicuti

Joan. 10.

1. Cor. 10. Hic.

Et secundum naturam, qui habentur in 7. bibl. SS. Eorum.

& sicuti patrem, vitam esse naturaliter credit: sic filium quoque vitam esse substantialiter non dubitet: ut enim lumen de lumine est, sic & vita de vita: & quemadmodum, quæ luce indigent per filium pater illuminat, & sapientes per eum facit; sic quæ vita egent, per filium ut per vitam suam, quæ ex ipso emanat, viuificat. Quando igitur ipse dicit, vno propter patrem; noli cogitare, ideo ipsum viuere quoniam à patre vitam recipiat, sed quoniam ex vno naturaliter patre natus est: propterea se quoque viuere naturaliter videlicet confirmat. Non enim potest non viuere: qui ex vno vere natus est patre; ut, si quidam diceret rationalem se hominem esse, quia ex rationali natus est; sic & vnigenitus Dei filius, vno, inquit, propter patrem. Nam, quoniam vita secundum naturam genitor meus est & quia ego naturaliter eius filius sum, hanc naturæ eius proprietatem, id est, vitam naturaliter mecum habeo. Cum igitur vnus ex vno intelligatur (ex patre enim filius est) vere, ac proprie perfectè omnibus patris glorificatur. Hic est panis, qui de celo, &c. Magna certe sunt, quæ à magnis aguntur, ideo quæ à Deo nobis præbentur, digna profecto diuina magnificentia sunt. Si enim credis de celo panem descendisse quod quidem quam maximum est: cur non credis æternam ab eo vitam credentibus immitti? Hic enim effectus profecto demonstrabit de celo, id est, ex Deo esse hunc panem, decet enim æterna esse, quæ ab æterno donantur. Non enim prudenter quæ ad breue tempus sufficiunt, hoc nomine appellabuntur: nec panis era ex Deo, quem maiores Iudæorum comederunt & mortui sunt. Nam, si de celo, & ex Deo fuisset, berassel: à morte participaret; contra vero corpus Christi panis de celo est, quia æternam comedentibus vitam largitur. Magnum certe signum deitatis in hoc corpore naturæ habitare, quoniam illa nec donatur quæ certam omnem naturam excedunt, atque ideo à rudioribus minus creduntur, sed distissima illa natura summam largitur diuitias, quas Paulus quoque admiratus clamat, non vidit oculis, non auduit auribus, non ascenderit in cor hominis, quæ Deus diligentibus se præparauit, sed lex ista ut magna in paruis figurabat: vmbra enim, atque imago futurorum bonorum non ipsarum rerum veritatem habebat, ita in alimento manna benedictio hæc Christi figurabatur, & futura denotabatur.

**S. GAUDENTII EPISCOPI Brixienensis Tractatus, A regressis fonte neophytis, de ratione Sacramento-rum, quæ catechumenos audire non congruit: licet eadem scripta in Evangelijs patere omnibus videantur.**

Resurgente Christo à mortuis, vltio in Ægyptios per sacramentum Baptismi facta est, paucentibus inferis, ipse ad suscitationem sui corporis reuertente, inimici Dei, hostes quippe populi eius, extincti sunt. Clamat enim, spiritus Prophetalis; Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius, & fugiant, qui oderunt eum, à facie eius: sicut deficit fumus, deficient: Sicut liquefcit eera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei, & iusti epulentur. Redemptionem misit pius pater

populo suo, memor testamenti sancti sui, quod disposuit Patribus nostris, Abrahamæ, & semini eius in sæcula. Potens enim Deus suscitauit de lapidibus istis, quondam durissimis Gentibus, filios Abrahamæ. Nunc dicant omnes, qui redimuntur à Domino, quos redemit de manu inimicorum, de regionibus congregauit eos, à solis ortu, & occasu, ab aquilone, & mari: Quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia eius. Nam in exitu illius Israël de Ægypto, domus Iacob de populo Barbaro, Iudæa tantum facta est sanctificatio eius: nunc autem beati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in viis eius, Beati, quorum remissa sunt iniquitates, & quorum reuera sunt peccata. Non enim est distinctio Iudæi, & Græci. Idem namque Dominus, diues in omnes, qui inuocant illum. Quia, sicut scriptum est; Omnis, quicumque inuocat nomen Domini, saluus erit. Quotquot igitur inuocantes Dominum salutem recipimus, extinctis Ægyptiis, discamus manducare Pascha, non sicut insipientes Iudæi, qui post aduentum veritatis adhuc vmbra sequuntur, quem quisque per vnquamque; domum, quattadecima die mensis primi occidens, & comedens. Ex quo enim venit, cuius vmbra fuerat ista ouis (verus ille Agnus Dei, Dominus Iesus, qui tollit peccata mundi, & dixit; Nisi manducaueritis carnem meam, & biberitis meum sanguinem, non habebitis vitam in vobis ipsis) frustra iam Iudæi carnaliter exercent, quod nisi nobiscum spiritualiter fecerint, habere in se vitam non poterunt. Lex enim spiritualis est, ut ait Apostolus: & Pascha nostram immolatus est Christus. Quæ verò virtutes præfiguratae sunt spirituales in ipsa historia Exodi, vbi celebratio Paschæ narratur, qui sit decimus dies, qui quartusdecimus, quæ immolatio perfecti, masculi, anniculi agni ad vesperam, qui sanguis liniendus in postibus, quæ conuocatio vicinorum, quæ calcamenta, qui baculi, quod fermentum, quæ azyma, necesse est ut, adiuuante Domino, à die crastina incipiamus exponere. Modò autem ea solè de ipsa lectione carpenda sunt, quæ presentibus Catechumenis, explanari non possunt, & necessariò tamen sunt aperienda Neophytis. In vmbra illius legalis Paschæ non vnus agnus occidebatur sed plures. Singuli enim occidebantur per domos: nam sufficere vnus non poterat vniuersis, quoniam figura erat, non proprietas Dominicæ passionis, Figura etenim non est veritas, sed imitatio veritatis. Nam & homo ad imaginem Dei factus est. Nec tamen idcirco Deus est: Tamen ea ratione, qua imago Dei dicitur, dicatur & Deus, quomodo natura vnus Deus est, positione plates. Ergo in hac veritate, qua sumus, vnus pro omnibus mortuus est. Et idem per singulas Ecclesiarum domos in mysterio panis, ac vini reficit immolatus, viuificat creditus, consecrantes sanctificat consecratus. Hæc agni caro, Hic sanguis est. Panis enim, qui de celo descendit, ait; Panis, quem ego dabo, caro mea est pro sæculi vita. Rectè etiam vini speciem sanguis eius exprimitur, quia cum ipse in Evangelio dicit; Ego sum vitis vera: satis declarat, sanguinem suum esse omne vinum, quod in figura Passionis eius offertur: vnde beatissimus Patriarcha Iacob de Christo prophetauerat dicens; Lauabit in vino stolam suam, & in sanguine vuz amictum suum. Stolam quippe nostri corporis

Idem Agnus per singulas Ecclesias essecratus, immolatur. Ioan. 6.

Sanguis Christi in specie vini exprimitur, & offertur. Gen. 49.

poris indumentum suo proprio erat sanguine abluiturus. Ipse igitur naturarum creator, & Dominus qui producit de terra panem, de pane rufus (quia & potest, & promisit) efficit proprium corpus. Et qui de aqua vinum fecit, & de vino sanguinem suum. Qualiter itaque maducari debeat. Agnus iste, ex ipsa lectione debemus advertere. Non edetis quid ab eo crudum, neque coctum in aqua, sed assatum igni. Caput cum pedibus, & interaneis. Dux sunt spirituales intelligentiæ in his dictis, quarum si vnam sequaris, ambas noueris. Omne corpus diuinæ scripturæ, tam veteris quàm noui testamenti, filium Dei continet, vel venturum promittens in hominem, vel iam venisse declarans. Vnde B. Philippus inuentus à Christo, inuenit Nathanael, & dicit eis, *Quæ scripsit Moyses in lege, & prophetis, inuenimus Iesum filium Ioseph à Nazareth.* & quid plura, charissimi? in ipso continetur omnis lex, & vetus, & noua: & vt sic dixerim, Ipse est anima legis. Ipse enim per Moysen loquutus est, cum dixit illi, *Ego aperiam os tuum, & inspirabo, quæ debeas loqui.* Ipse & per Prophetas, cum dicit, *Qui loquebar in Prophetis, Ecce adsum.* Ipse etiã per Apostolos, cum dicit Paulus, *An exprimentum queritis eius, qui in me loquitur Christus?* Has igitur immaculati Agni carnes, id est, doctrinæ eius viscera, neque cruda sine interpretatione sumi oportet, neque cocta in aqua, id est, eorum dissolutione dissoluta, atque defusa, qui velut aqua deorsum fluunt, nihil supernum sentientes, sed assata, inquit, igni, id est, spiritu diuino solidata, atque tosta. Ignis enim sursum versum tendit. Vnde dicebat Dominus Iudæis; *Vos de inferioribus estis, ego de supernis sum.* Ergo, quoniam membra Agni Dei scripturas eius diximus, videamus quid est caput cum pedibus, & interaneis, videlicet vt in capite diuinitatem accipias, in quatuor euangelistarum testimonio: pedes ad incorporationem sumimus circa finem seculi celebratam. Pedes enim extremæ partes sunt corporis: in interaneis autem percipias occulta mysteria. Et non relinquetis, inquit, ex eo vsque in mane, & os non confringetis ex eo. *Quæ autem superferuntur ex eo vsque in mane, igne cremabitur: hoc est, si qua mysteriorum supera uerint, in mane illius futuræ resurrectionis manifestanda: quæ capere modò non possumus. Modò enim scio ex parte, inquit, apostolus, tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum.* Hæc igni cremanda sunt: id est, diuino tradenda spiritu: vt ea, quorum rationem modò non capimus, ardentis fidei spiritu consumantur. Quod autem dixit, *Os non conteretis ex eo: hoc præcipit, vt omne, quod est in scripturis robustius, atque validius, non comminatur, neque quassetur, sed solidum maneat, quod præceptum non custodientes, meritò vā excipiunt ab eo, cuius ossa comminuunt.*

*Matth. 23.* Væ vobis, inquit, Scribæ, & Pharisei, hypocritæ, qui decimatis mentam, & anetum & cyminum, & reliquistis quæ fortiora sunt legis, iudicium, & misericordiam, & fidem. Hæc sunt ossa Agni. Et alibi ad ipsos: *irritum facitis, inquit, verbum Dei, vt traditiones vestras statuat. Adicit verò Deus in Exodo superioribus dictis, hæc: Sic autem comedetis illum agnum, videlicet, lūbi vestræ præcincti, & calciamenta vestra in pedibus vestris, & baculi in manibus vestris, & edetis illud festināter: Pascha enim est Domini. De calciamentis, &*

*Christus de pane efficit proprium corpus, quia potest, & promisit.*

*Sane intelligendus est aduentus verbi in hominē pro ipsam in carnatione.*

*Exa. 31.*

*1. Cor. 13.*

*Ioan. 7.*

*Exod. 12.*

*1. Cor. 13.*

*Matth. 23.*

& baculis longa ratio est, quæ alio tempore deferretur. De præcinctione lumborum, quod frequenter à me latus dictum est, breuiter nunc dicitur. Scribitur in Hieremia; *Et tu præcinge lumbos tuos, & dices ad populum, &c.* Et ad sanctum Iob; *Præcinge tanquam vir lumbos tuos: interrogabo autem te, tu verò respondeas mihi: Vbi eras, cum ego fundarem terram? & reliqua.* Apostoli quoque audiunt; *sunt lumbi vestri præcincti, & cur istud tantopere iubeatur, in Ioanne Baptista cognoscitur, qui zona pellicea præcinctus erat circa lumbos suos. Lumborum ratio quæ sit, significat apostolus ad Hebræos; Adhuc, inquit, in lumbis Patris erat Leuiticus id est, sacerdotali genere, quando occurrit illi Melchisedech. Illi: Cui? Sancto vtiq; Abrahæ. Zona ergo pellicea circa lumbos, mortificationem significat vitiorum. Pellis enim, quæ aptatur in vsu, non nisi mortui animantis est. Oportet ergo nos ex præcepto Dei mortificare prius concupiscentias carnis, & sic accipere corpus Christi, qui pro nobis seruientibus in Agypto, est immolatus. Propter quod probet se homo, vt ait apostolus, & sic de isto pane manducet, & de calice bibat. Quod autem dicit, cum festinatione illud manducandum: præcipit, ne leno corde, & ore languido, Sacramentum Domini corporis sumamus, & sanguinis: sed cum omni auditate animi, quasi verè esurientes, & sitientes iustitiam, Beati, enim (Dicit Dominus Iesus) qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, quia ipsi saturabuntur. Concludens autem proposita lectione præclara, quæ dixerat, sine dignissimo; Pascha est enim Domini. O altitudo diuinitarum, & sapientia & scientia Dei! Pascha est, inquit, Domini: hoc est, transitus Domini, ne terrenum patres, quod cæleste effectum est, per eum, qui transit in illud, & fecit illud suum corpus, & sanguinem. Nam quod supra generaliter exposuimus edenda de carne Agni, specialiter in degustandis seruandum est istis mysteriis Domini: passionis: vt neque crudam carnem, crudumque sanguinem, sicut Iudæus, esse putes, & respuas dicēs; Quomodo potest iste dare carnem suam manducare? neque in olla cordis carni, humoribus per naturam semper obnoxij, ipsum decoquas sacramentum, commune illud, ac terrenum esse existimans. Sed vt per ignem diuini Spiritus id effectum, quod annunciatum est, credas: quia, quod accipis, corpus est illius panis cælestis, & sanguis est illius sacræ vitis. Nam, cum panem consecratum, & vinum discipulis suis porrigeret, sic ait: *Hoc est corpus meum, hic est, sanguis meus.* Credamus quæso, cui credidimus. Nescit mēdaciū Veritas. Idēd, cum de corpore suo manducando, & sanguine suo bibendo turbis loqueretur stupentibus, ac mussitantibus; Durus est hic sermo, & quis eum potest audire? vt abstergeret per ignem cælestem eas cogitationes, quas vitandas esse prædixi, sic adiecit; Spiritus est, qui viuificat, nam caro nihil prodest. Verba, quæ ego locutus sum vobis, Spiritus, & vita sunt. Et idcirco caput diuinitatis eius, cum pedibus incorporationis, & interioribus simul iubemur manducare mysteriis: vt pariter vniuersa, quemadmodum tradita sunt, credamus, non infringentes os ipsius illud solidissimum, Hoc est corpus meum, hic est, sanguis meus. Si quid autem superferit, etiam nunc in vniuersiusque sensu, quod expositione ista*

*Hier. 1.*

*Iob. 38.*

*Luc. 11.*

*Luc. 1.*

*Heb. 7.*

*1. Cor. 10.*

*1. Cor. 10.*

*1. Cor. 10.*

*1. Cor. 10.*

*1. Cor. 10.*

*1. Cor. 10.*

*1. Cor. 10.*

*1. Cor. 10.*

*1. Cor. 10.*

*1. Cor. 10.*

*1. Cor. 10.*

*1. Cor. 10.*

*1. Cor. 10.*

*1. Cor. 10.*

*1. Cor. 10.*

*1. Cor. 10.*

*1. Cor. 10.*

*1. Cor. 10.*

*1. Cor. 10.*

*1. Cor. 10.*

*1. Cor. 10.*

*1. Cor. 10.*

*1. Cor. 10.*

*1. Cor. 10.*

*1. Cor. 10.*

*1. Cor. 10.*

*1. Cor. 10.*

*1. Cor. 10.*

*1. Cor. 10.*

*1. Cor. 10.*

*1. Cor. 10.*

*1. Cor. 10.*

*1. Cor. 10.*

HILARII ARELATENSIS Episcopi in eodem festo, Homil.

ista non ceperit, ardore fidei concremetur: quoniam Deus noster ignis consumens est, purgans, erudiens, & illuminans corda nostra ad intelligentiam diuinorum: vt & ipsius à Christo instituti sacrificij cælestis causam, rationemque noscamus inenarrabili dono eius, sine fine gratias relaturi. Nam verè istud est hæreditarium munus testamenti eius noui, quod vobis ea nocte, qua tradidit crucifigendus, tanquam pignus suæ præsentia dereliquit. Hoc illud est viaticum nostri itineris, quo in hac via vitæ alimur, ac nutrimur, donec ad ipsum pergamus, de hoc seculo recedentes. Vnde dicebat idēd Dominus; *Nisi manducaueritis meam carnem, & biberitis meum sanguinem, non habebitis vitam in vobis ipsis.* Voluit enim beneficia sua permanere apud nos, voluit animas pretioso sanguine suo semper sanctificari per imaginem propriæ Passionis, & ideo discipulis fidelibus mandat, quos primos, & Ecclesiæ suæ constituit sacerdotes, vt indefinenter ista vitæ æternæ mysteria exercerent, quæ necesse est à cunctis sacerdotibus per singulas totius orbis Ecclesias celebrari, vsque ad iterum Christum de cælis adueniat, quo & ipsi sacerdotes, & omnes pariter fidelium populi exemplar passionis Christi ante oculos habentes quotidie, & gerentes in manibus, ore etiam sumentes, ac pectore, redemptionis nostræ in deletibili memoria teneamus, & contra venenā Diaboli dulcem medicinam semper interni tutaminis consequamur. Sicut Spiritus sanctus hortatur; *Gustate, & videte quoniam suauis Dominus.* Quod autem sacramenta corporis sui, & sanguinis in specie panis, & vini offerenda constituit, duplex ratio est. Primum, vt immaculatus Dei agnus hostiam mundam mandato populo traderet celebrandam, sine vitione, sine sanguine, sine brodio, id est, iure carniū, & quæ omnibus ad offerendum prompta esset, ac facilis. Deinde quomodo panem de multis tritici granis in pollinem redactis per aquam cōfici, & per ignem necesse est consummari: rationabiliter in eo figura accipitur corporis Christi, qui nouimus ex multitudinē totius humani generis vnum esse corpus effectum, per ignem sancti Spiritus connumeratum, natus est enim de Spiritu sancto, qui super eum in figura columbæ descenderat, inde ab Iordane regreditur, testante euangelista; Iesus autem plenus Spiritu sancto, & quoniam sic eum decebat implere omnem iustitiam, aquas Baptismi, vt consecraret ingreditur, & exinde plenus Spiritu sancto regressus est ab Iordane. Similiter & sanguinis eius vinum ex pluribus acinis, id est, vuis vineæ ab ipso plantatæ collectum, in torculari Crucis exprimitur, & per capacia vasa fidei corde sumentium propria virtute seruescit. Hoc sacrificium Paschæ Saluatoris, omnes de potestate Aegypti, & Pharaonis Diaboli exeuntes, tota nobiscum religiosi cordis auditate percipite, vt ab ipso Domino nostro Iesu Christo, quem sacramentis suis inesse credimus, viscerum nostrorum sanctificentur interna: cuius virtus inestimabilis permanet in omnia sæcula.

*Heb. 12.*

*Heb. 12.*

*Heb. 12.*

*Heb. 12.*

*Heb. 12.*

*Heb. 12.*

*Heb. 12.*

*Heb. 12.*

*Heb. 12.*

*Heb. 12.*

*Heb. 12.*

*Heb. 12.*

*Heb. 12.*

*Heb. 12.*

*Heb. 12.*

*Heb. 12.*

*Heb. 12.*

*Heb. 12.*

*Heb. 12.*

*Heb. 12.*

*Heb. 12.*

*Heb. 12.*

*Heb. 12.*

*Heb. 12.*

*Heb. 12.*

*Heb. 12.*

*Heb. 12.*

*Heb. 12.*

*Heb. 12.*

*Heb. 12.*

*Heb. 12.*

*Heb. 12.*

*Heb. 12.*

*Heb. 12.*

*Heb. 12.*

*Heb. 12.*

*Heb. 12.*

Magnitudo cælestium beneficiorum angustias humanæ mentis excedit, & propterea ita ordinavit diuina providentia, vt, quod capere in nobis ratio rerum mole victa non poterat, fides deuota conciperet, & intellectum credulitas robusta nutret. Cum ergo per primam transgressionem, qua per Adam originem, & morte teneremur obnoxij, prospiciens ex alto Deus, in quo essemus generi debitorum, iuxta qualitatem captiuitatis reparauit munus redemptionis, id est, vt pro debita morte offerret indebita, quia nec nos habebamus vnde viueremus; nec ille vnde moreretur. Materiam de nostra mortalitate suscepit, vt de suo immortalitate collata mori posset vita pro mortuis. Et ideo, quia corpus assumptum ablatum erat ex oculis nostris, & sideribus illaturus, necessarium erat vt nobis in hac die sacramentum corporis, & sanguinis sui conferret, vt coletur iugiter per mysterium, quod semel offerebatur in pretium, vt, quia quotidiana, & indefessa currebat pro hominum salute redemptio, perpetua esset etiam redemptionis oblatio, & perennis illa victima viueret in memoria, & semper præsens esset in gratia. Verè unica & perfecta hostia, fide æstimanda, non specie, nec exteriori censenda visu, sed interiori affectu. Vnde merito cælestis confirmat auctoritas: *Quia caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.* Recedat ergo omne infidelitatis ambiguum, quandoquidem qui auctor est muneris, ipse etiam testis est veritatis. Nam inuisibilis sacerdos, visibilis creaturas in substantia corporis, & sanguinis sui, verbo suo secreta potestate conuertit, ita dicitur; *Accipite & edite, hoc est enim corpus meum: & sanctificatione repetita: recipite, & bibite, hic est sanguis meus.* Ergo sicut ad nutum præcipientis domini repente ex nihilo substituerunt excelsa cælorum, profunda fluctuum, vasta terrarum, pari potentia in spiritualibus sacramentis verbi præcipit virtus, & seruit effectus. Quanta itaque & quam celebranda beneficia vis diuinæ benedictionis operetur attende, & vt tibi nouum & impossibile non debeat videri, quod in Christi substantiam terrena, & mortalia committantur, te ipsum, qui iam in Christo es regeneratus, interroga, dudum alienus à vita, peregrinus à misericordia, à salutis via intrinsecus iniquus exulabas, subito initiatus Christi legibus, & salutariibus mysteriis innouatus, in corpus ecclesiæ, non viuendo, sed credendo, transisti, & de filio perditionis adoptiuus Dei filius fieri occulta puritate meruisti. In mensura visibili permanens maior factus es teipso inuisibiliter, sine quantitatis augmento, cum ipse atque idem esses, multo aliter fidei processibus extitisti. In exteriori nihil additum est, & totus in interiori homine mutatus es, ac sic homo Christi filius effectus, & Christus in hominis mente formatus est. Sicut ergo sine corporali sensu, præterita vilitate deposita, subito nouam indutus es dignitatem, & sicut hoc, quod in te Deus læsa curauit, infecta diluit, maculata detexit, non oculis, sed sensibus tuis credis, ita & tu cum ad reuerendum altare salutari cibo, potuque reficiendus accedis, sacrum Dei tui corpus & san

*Ex homil. 5 de Pascha.*

*Vides hic afertur panem conuerti in verum Christi corpus, & verum sanguinem: idque per singularem Dei potentiam.*



& sanguinem fide respice, honore mirare, mente contingit, cordis manu suscipe, & maxime haustu interiore assume. Quod illius legis manna de quo legitur: pluit illis manna ut ederent, hoc vnicuique sapiebat quod desiderii concupisset, aliud erat quod sumebatur, aliud quod videbatur, & inuisibiliter sapor ille in singulorum sensibus formabatur. Ergo illud legis manna cœlitus illapsum, per multimodas suauitates naturæ suæ meritum, & generis sui excedebat intuitum, & cum creaturam suam dispensatio largitoris multiplici diuersitate cõdideret, præbebat gustus quod ignorabat aspectus. Iuxta percipiētis desiderium escæ illi nouitas & dignitas nascebatur: vnumquemque variis & alienis saporibus reficiebat mellifluum pluuia illius donū, & multiplex siccimbris obsequium. Quæ cum ita sint, quod illic audivit faciebat, hic fides faciat, & si in corpore cibis sapiebat, in pectore Deus credulitate proficiat, sicut legitur: Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus. Ideo quod ibi delectatio obtinebat in faucibus, hic benedictio operetur in sensibus. Ad cognoscendum & percipiendum sacrificium veri corporis, ipsa te roborer potentia consecrantis. Qui tunc latuit præfiguratus in manna, sit tibi manifestatus in gratia. Ipsum autem fuisse in manna illius specie præfiguratum, etiam Propheta euidenter ostendit, dicens: Panem cæli dedit eis, panem angelorum manducauit homo. Et quis panis angelorum est, nisi Christus, qui eos cibo suæ charitatis, & lumine suæ claritatis exsatiat? Hunc panem, dicente Propheta, sexta die duplum colliges dum in primo, id est dominico die in lege tribuitur, & in solo sabbato denegatur, iam tunc Christus ab ecclesiis, cui dominicum diem resurrectio consecrauit, recipiendus ostenditur, & synagoga, ad quam cultus sabbati pertinebat, negandum esse prædicatur, dum dies iste septimus cœlestis panis fraude multatur. De quo pane verus narrat historia, nec qui plus collegerat, amplius, nec qui minus parauerat, reperit minus, eo quod Eucharistiæ facta perceptio, non in quantitate, sed in virtute consistat. Quod corpus sacerdote dispensante, tantum est in exiguo, quantum esse constat in toto, quod cum ecclesia fidelium sumit, sicut plenum in vniuersis, ita integrum esse probatur in singulis. De quo sensu apostolica sententia deriuata est, dicens: Qui multa, non abundabit, & qui modicum, non minorabit. Si forte panes esurientibus apponemus, non ex toto perueniret ad singulos, quia particulatim, & minutatim pro portione sua vnus quisque præsumeret. De hoc vero pane cum assumitur, nihilominus habent singuli quàm vniuersi, totum vnus, totum duo, totum plures sine diminutione percipiunt, quia benedictio huius sacramenti scit distribui, nescit distributione consumi. Sacramenti huius itaque formam etiam in Iudæorum paginis inuenimus expressam. Nam <sup>Vides Melchisedech Deum, Abrahæ panem, & vinum abuisse.</sup> Melchisedech in Genesi legitur: Et Melchisedech rex Salem protulit panem & vinum, & benedixit Abrahæ. Melchisedech autem fuit sacerdos Dei summi, dum à præputio, id est, à gentili circuncisio futura benedicitur, ecclesiæ gloria prædicatur, & synagoga infideli plebs ex gentibus acquisita præponitur. Hic ergo Melchisedech, cuius genealogia vel origo notitiam illius temporis latuit, oblatione panis & vini hoc Chri-

sti sacrificium præsignauit. De quo Propheta pronunciat: Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech. Nam & beatus Moyses de eo mysterio loquens, vinum & sanguinem sub vna appellatione significat, in benedictione patriarchæ, dominicam passionem multo antè demonstrantis, ita inquit: Lauabit in vino stolam suam, & in sanguine vixæ pallium suum. Aduerte quàm euidenter vini creaturam Christi sanguine indicari nuncupandam. Quid adhuc de hac duplici specie inquirere debeas, ipso domino attestante cognosce. Nisi, inquit, manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis sanguinem eius, non habebitis vitam in vobis. Quod testimonium, contra Pelagij blasphemias euidentissimum, atque validissimum est, qui asserere arripit impietate præsumit, non propter vitam, sed propter regnum cælorum, baptismum paruulis conferendum. Sub his enim Dei verbis, quibus Euangelista pronunciat: non habebitis vitam in vobis, appetè intelligenda est omnis anima munere baptismi vacua, non solum gloria carere, sed vita. Hoc itaque dominici sanguinis vinum aqua esse miscendum, non solum traditione dominus, sed etiam genere passionis ostendit, ex cuius sacro latere sanguis, & aqua lanceæ illusione profluxit, sicut & Propheta multo antè præcinit, dicens: Percussit petram, & fluxerunt aquæ, & Apostolus: Bibebant de confluence eos petra, petra autem erat Christus. Bibebant, inquit, de confluence eos petra. Vides quod qui de Christi biberit gratia, sequitur eum Christi misericordia. Sed & in Salomone de ipso Deo prædictum legitur: Sapientia, inquit, ædificauit sibi domum, id est, corpus hominis assumptum, in quo habitauit plenitudo diuinitatis, & subdidit columnas septem, quia illum benedictio spiritus sancti gratia septiformi impleuit, mactauit hostias suas, miscuit in cratera vinum suum, & parauit mensam suam. Et in sequenti: venite & edite de meis panibus, & bibite vinum quod miscui vobis. Admixtum ergo aqua vinum legitur. Nunc causam quare vtrumque dominus misceri voluerit inquiramus. Quando in Iudæorum conuiuio nuptiale vinū, id est, fides in eis deficiebat, vinum inquam deficiebat, quia vinea fructū negabat, de qua dicitur: Expectaui vt faceret vvas, fecit autem spinas: vnde & sertum spineum capiti redemptoris imposuit. Quando dominus nuptiali tempore, id est, quando sponsus ecclesiæ suæ paschali exultatione iungēdus aquas in vina conuertit, manifestè præfigurabat multitudines gentium de sanguinis sui gratia esse venturas. Per aquas enim populos significari sacris aperitur eloquiis, sicut legitur: Aquæ istæ quas vidisti populi sunt, & gentes, & linguæ. Aduertimus in aquis figuram gentium demonstrari, in vino autem dominicæ passionis ostēdi. Ac sic dum in sacramentis vino aqua miscetur, Christo fidelis populus incorporatur & iungitur, & quadam ei copula perfectæ charitatis vnitur, vt possit dicere cum Apostolo: Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio, an angustia, an persecutio? & reliqua. Deus autem homini suscepta sanctificatione miscetur, quando fides in ipso pectore, affectu iustitiæ, misericordiæ, pietatis infunditur. Etiam in hoc ipso quod numerosis tritici granis confici nouimus, vnitatem constat assignari populorum. Sicut enim frumentum quod solita purgantis solitudi-

ne præparatum in cãdidam speciem molarum labore perficitur, ac per aquam & ignem in vnus panis substantiam congregatur, sic variaz gentes, diuersæque nationes in vnã fidem conuenientes, vnum de se Christi corpus efficiunt, & Christianus populus quasi tritici innumerabilia grana & sacrilegis nationibus fide purgante, atque cribrate discernitur, & in vnum quasi infidelium lolio pertransiente colligitur, & duorum testamentorum instructione, velut frumentum gemino molarum opere curatum, nitescit, & in illam primæ originis dignitatem natiuo candore maturatur, ac per aquam baptismi, vel per ignem spiritus sancti, æterni illius panis corpus efficitur. Sicut ergo separati grana ab illius confecti panis adunatione non possunt, & sicut aqua ad propriã redire substantiam vino permixta iam nõ potest: sic & fideles quique, atque sapientes, qui redemptos se Christi sanguine, & passione cognoscunt, ita debent quasi inseparabilia membra capiti suo fidei conseruatione, & ardentissima religione sociari, vt ab eo non voluntate, non necessitate se iungi, non vlla terrena spei ambitione, non denique ipsa possint morte diuelli. Nec dubitet quisquam primarias creaturas, nutu potētiae, presentia maiestatis in dominici corporis transire posse naturam, cum ipsum hominem videat artificio cœlestis misericordiæ Christi corpus effectum. Sicut autem quicumque qui ad fidem veniens ante verba baptismi adhuc in vinculo est veteris debiti, his verò commemoratis, mox exiit omni fæce peccati: ita quando benedicendæ verbis cœlestibus creaturæ sacris altaribus imponuntur, antequam inuocatione summi nominis consecrentur, substantia illic est panis & vini: post verba autem Christi corpus, & sanguis est Christi, Quid mirum autem est si ea, quæ verbo create potuit, possit creata conuertere: imò iam minoris videtur esse miraculi, si id quod ex nihilo agnoscebat condidisse, iam conditum in melius valeat commutare. Requirit quid ei possit esse difficile, cui facile fuit visibilia, & inuisibilia voluntatis imperio suscitare: cui facile fuit hominem de limi materia figuratum, imaginem etiam suæ diuinitatis inducere: cui promptum est eum rursum reuocare de inferis, restituere de perditione, reparare de puluere, de terra in cælum leuare, de homine angelum facere: corpus humanum conforme corpori claritatis suæ reddere, & figmentum suum in regni sui consortio sublimare: vt, qui corpus nostræ fragilitatis assumpserat, nos in corpus suæ immortalitatis assumat. Ad quam gloriosam resurrectionem piis vos operibus præparare dignetur, qui regnat in secula seculorum, Amen.

**BEDAE VENERABILIS**  
presbyteri in superius Euang. expositio.

<sup>Ex comment. in Ioh.</sup> Caro enim mea, inquit, vere est cibus, & sanguis meus vere est potus. Cum enim cibo, & potu id appetant homines, vt non esuriant, neque sitiant, hoc veraciter non præstat nisi iste cibus, & potus, qui eos, à quibus sumitur, immortales, & incorruptibiles facit, id est societas ipsa sanctorum, vbi pax erit, & vnitas plena, atque perfecta: propterea quippe, sicut etiã hoc ante nos intellexerunt homines, dominus noster Iesus Christus, corpus, & sanguinẽ suũ in eis rebus cõmendauit,

quæ ad vnũ aliquid rediguntur ex multis: namque aliud in vnum ex multis granis cõficitur, aliud in vnum ex multis acinis confluit. Denique iam exponit quomodo id fiat, quod loquitur, & quid sit manducare corpus eius, & sanguinem bibere. Et qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem in me manet, & ego in eo. Hoc est ergo manducare: illam escam, & illum bibere potum, in Christo manere, & illum manentem in se habere. Ac per hoc qui nõ manet in Christo, & in quo nõ manet Christus proculdubio nec manducat spiritaliter eius carnem, licet carnaliter, & visibiliter premar dentibus sacramentum corporis & sanguinis Christi: sed magis tantæ rei sacramentum ad iudicium sibi manducat, & bibit, quia immundus præsumit ad Christi accedere sacramenta, quæ alius non digne sumit, nisi qui mundus est: de quibus dicitur: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Sicut misit me, inquit, viuens pater, &c. Non enim filius participatione patris fit melior, qui est natus æqualis, sicut participatio filij per vnitatem corporis eius & sanguinis, quod illa manducatio, potatioque significat, efficit nos meliores. Viniuis ergo nos propter ipsum, manducantes eum, id est ipsum accipientes æternam vitam, quam non habemus ex nobis. Vniuit autem ipse propter patrem, missus ab eo, quia semetipsum exinanitum factus obediens vsque ad lignum crucis. Sicut misit me viuens pater, & ego viuo propter patrem, &c. Ac si diceret, Et ego viuo propter patrem, id est, ad illum tanquam ad maiorem refero vitam meam: quod exinanitio mea fecit, in qua me misit. Ve autem quisque viuat propter me, participatio facit, qua manducat me. Ego itaque humiliatus viuo propter patrem, ille erectus viuat propter me. Nõ de ea natura dixit, qua semper est æqualis patri, sed de ea, in qua minor factus est patre. Qui etiam superius dixit: Sicut pater habet vitam in semetipso, ita dedit filio vitam habentem in semetipso. Hic est panis qui de cælo descendit. Vt illum manducando viuamus, qui æternam vitam ex nobis habere non possumus. Non sicut manducauerunt, inquit, patres vestri manna, &c. Quod ergo illi mortui sunt, ita vult intelligi, vt non viuant in æternum. Nam temporaliter profecto & hi moriuntur, qui Christum manducant: sed viuunt in æternum, quia Christus est vita æterna. Signum quia manducauit, & bibit, hoc si manet, & manetur: si habitat, & inhabitatur: sic erit, vt non deseratur. Hoc ergo nos docuit, & admonuit mysticis verbis, vt simus in eius corpore sub ipso capite in membris eius, edentes carnem eius, non relinquentes vnitatem eius.

**THEOPHYLACTI EPISCOPI**  
Bulgar. superioris Euang. expositio.

Caro enim mea vere est cibus, &c. Ista caro vere cibus, eo quod non ad paruum tempus daret, neque corrumpatur sicut corruptibilis cibus, sed æternæ vitæ sit subsidium. Similiter & potus sanguinis domini vere est potus: quia non ad tempus sufficit sibi, sed semper absque sibi conseruat, nec indigere permittit bibentem: sicut & ad Samaritanã dicebat, Qui bibit ex aqua, quam ego dabo, non sitiet. Nam, quisquis gratiam san-

Cante lege, propter eos, & ex huiusmodi locis conati sunt reuocare in dubium veritatem corporis Christi.

Philipp.

1. cor. 4.

Et spiritus per assumptionem diuinorum mysteriorum suscepit, neque famem spiritualement, neque sitim patietur, qualē increduli. *Qui edit meam carnem, &c.* Hoc loco discimus sacramētum communionis. Nam, qui edit, & bibit carnem, & sanguinem domini, in ipso manet domino, & dominus in ipso. Contemperatio enim fit noua, & super rationem ita ut sit Deus in nobis, & nos in Deo. Non audis terribilem auditum, non Deum nudum manducamus: tangi enim nequit, & incorporeus est, & neque oculis, neque manibus apprehendi potest. Iterum nudi hominis caro nihil prodesse potest: sed, quia Deus vniuit sibi carnem secundum ineffabilem contemperationem, viuifica est & caro, non quod in Dei naturā transferat, absit, sed ad similitudinem candentis ferri, quod & ferrum manet, & ignis ostendit operationem. Sic igitur & domini caro manens caro viuifica est, sicut Dei caro. Igitur, *quemadmodum ego, inquit, uiuo propter patrem*, hoc est, sicut natus sum ex patre, qui est vita: ita, *& qui manducat me, uiuit propter me*, dum quodammodo miscetur mihi, & transelementatur in me, qui viuificare possum. Quando autem audis; *Ego uiuo*, ne existimes eum iuxta participationem vitæ uiuere, alioqui animal diceretur Deus: sed non est, neque enim Deus animal nominatur, neque creatura quædam vita uocabitur. Sæpe autem & multum in ore uersat. *Patres uestri comederunt manna in solitudine*, ut persuadeat hominibus. Nam, si possibile quadraginta annis sine messe, & semente pasci homines, & conseruari illorum vitam: multo magis nunc conseruabit nostram spiritualement meliori pane dominus carne sua, quæ abique semine uiri ex uirgine est constituta. Ubique autem vitæ meminit, & crebro hoc nomen addidit, quia nihil ita suaue hominibus, ut res illa. Igitur & tu pores non solum secundum mysticam communionem comedere, & bibere carnem, & sanguinem domini, sed & alio quodam modo. Etenim & carnem quidem manducat aliquis, quando per practicen incedit. Caro enim operatiua est, sicut & practice laboriosa. Sanguinē uero bibit ut vinum, quo cor contemplatiuū lætificatur. Labore enim caret contemplatio, immo & laborum requies est, & po-

Sane intelligenda sunt hæc uerba, non enim proprie transmutatur in Christū, sed indicat mutationē quædam admirabilem, spiritualement in se, qualē Hieronymus, Chrysostomus, Cyrillus, Bernardus, & alij multi mirū in modum exaggerant.

tui simularur, quia & potus minori labore eget quàm cibus. **E V T H Y M I I Z I G A B O N I**  
*superioris Euang. expositio.*  
**C**aro enim mea, uerus est cibus, &c. Verus est cibus, siue apissimus, utpote animam, quæ propriissima hominis pars est, nutrens: & similiter de sanguine. Aut hoc dixit, confirmans quod non ænigmatice, neque parabolice loqueretur. *Qui edit meam carnem & bibit meum sanguinem, in me manet, &c.* In me manet, vniuitur mihi per transumptionem, & communicationem meæ carnis, meque sanguinis, & vnum corpus mecum efficitur, ac particeps vitæ, quæ in me est: quod si ille in me est, utique & ego in illo. *Sicut misit me uiuens pater, & ego uiuo propter patrem.* † Sicut, qui semper uiuit pater, misit me, ita & ego immutabiliter uiuo, eo quod à uiuente patre natus sim.  
† In cognitionem nos inducit, quod principium habeat, & non sit absque principio sicut pater. Aut etiam alio modo: propter patrem: id est, quia pater uiuit: nisi enim ille uiueret, neque ego uiuerem: quia uero ille uiuit, & ego uiuo: & nisi ille haberet quæcumque habet, neque ego haberem quæcumque habeo. Siquidem nobis omnia sunt eadem, exceptis personalibus proprietatibus.  
Et qui edit me, ipse quoque uiuet propter me. Quemadmodum ego uiuo, quia natus sum à uiuente patre, ita & qui edit me, ipse quoque uiuet, eo quod me, qui uita sum, ederit, uitamque participauerit. *Hic est panis, qui de celo descendit.* Hic, putata qui uitam præstat sempiternam. *Non sicut comederunt patres uestri manna, & mortui sunt.* Non mortui sunt, qui illum ederunt, uidelicet sicut patres uestri comederunt manna, & mortui sunt. Verum sicut ij, qui manna illud comederunt, carne mortui sunt, ita & qui panem hunc edunt, carne moriuntur. Sed hi soli quum in spe vitæ æternæ moriantur, non uidentur mori, sed obdormire. *Qui edit hunc panem, uiuet in æternum.* Merito sermone de pane, ac de uita immortalis est, sciens per quidem necessarium, hanc uero dulcem hominibus: panem sane corporalem corporalibus, spiritualement autem spiritualibus: similiter & uitā corporalem corporalibus, spiritualement uero spiritualibus.

<sup>e</sup> Magna labore acquisitū, vel precio fidei, quam in Deo habeo hæc recepi. <sup>f</sup> Ab interna contemplatione. <sup>g</sup> Torum studium ad cam applicare. <sup>h</sup> Ota pro me, quia peccator sum.

xit ei: <sup>e</sup> Villam emi, & necesse habeo <sup>f</sup> exire, & <sup>g</sup> videre illam? <sup>h</sup> Rogo te habere me excusatum. Et alter dixit: Iuga bouum emi quinque, & eo probare illa: Rogo te habere me excusatum. Et alius dixit: <sup>i</sup> Vxorem duxi, & ideo non possum venire. Et regressus seruus nunciauit hæc domino suo. Tunc iratus paterfamilias, dixit seruo suo. Exi cito in plateas & vicus ciuitatis, & <sup>k</sup> pauperes ac <sup>l</sup> debiles & <sup>m</sup> cecos & <sup>n</sup> claudos introduc huc. Et ait <sup>o</sup> seruus: domine factum est ut imperasti, & adhuc locus est. Et ait dominus seruo: Exi in uias & sepes, & compelle intrare, ut <sup>p</sup> impleatur domus mea. Dico autem uobis, quod nemo <sup>q</sup> uirorum illorum qui uocati sunt, <sup>r</sup> gustabit coenam meam.

GLOSSA ORDINARIA in superioris Euangelium.

**M** O M O quidam. Verbum incarnatum factitatem interna dulcedinis multis præparauit: sed pauci ueniunt, quia multi qui per fidem ei subiiciuntur, male uiuendo ei continuo contradicunt. *Cœnam magnam.* Hoc conuiuium, non prandium sed cœna dicitur: quia post prandium de quo Matthæus agit, cœna restat: post cœnam nullum conuiuium restat: de prædico multi, & de cœna nulli euicitur. *Et mi seruum hoc cœna.* Hora cœnæ finis seculi: uenit de Apostolo. Nos sumus in quos fines seculorum deueniunt. In hoc fine mittitur seruus, id est, ordo prædicatorum ad inuitatos per legem & prophetas, ut repulso fastidio ad gustandam cœnam se præparent: quia omnia iam sunt parata. Christo enim immolato, introitus regni patet. *Et cæ &c.* Ideo excusant: quia nemini intercluditur regnum: nisi quem suæ uocis professio excluderit. Excusat autem se omnis qui plus terrena quam cœlestia diligit, etiam si ad cœlestia se tendere dicat. *Villam emi.* Villa, id est, terrena substantia. Exit ergo uidere uillam, qui sola exteriora cogitat propter substantiam: & hoc est quod ab amatoribus mundi prius quaeritur, scilicet substantia corporis. August. In empta uilla, dominatio notatur & superbia. Habere enim uillam, possidere, homines sibi subdere, uitium malum, uitium primum. Primus enim homo dominari uoluit qui habere dominum noluit. Primus ergo inuenta superbia uenire noluit. Secundus ostendit quinque iuga, id est, quinque sensus corporis: quia nihil inuestigandū intelligit, nisi quod per hos administratur: & ideo inuitantes ad cœnam æternorum non sequitur. Hæc iuga bouum dicitur, quia per hos terrena requiruntur: boues enim uersant terram. Et bene iuga dicuntur. Duæ enim sunt aures, duo oculi, duæ nares. In gustu enim duo instrumenta lingua & palatum. In tactu gemina uoluntas carnis: interior & exterior. Tertius uxorem ducit: quia uoluptas carnis multos impedit. Amor rerum terrenarū uiscus est spiritualiū pœnarum, *Rogo te.* Dum dicit: *Rogo te, habere me excu.* Humilitas sonat in uoce dum uenire contemnit superbia in actione. *Iuga bo.* Quinque iuga bouū, quinque corporis sensus, qui recte iuga dicitur, qui in uitroque sexu geminantur: qui quoniam non interna, sed sola exteriora cognoscunt & tangunt, recte per eos curiositas designatur, quæ dum exterius inuestigat uitam proximi, suā intima nescit. Et curiosi animus quanto est peritus alieni, tanto ignarus sui. Nec discretus patet uerba excusantis à significatione sui uitij: dum dicit: *Eo probare illa.* quia probatio ad curiositatem solet pertinere. *Vxorem duxi.* quia multi non propter fecunditatem: sed propter desideria carnis uxores ducunt. ideo per rem istam carnis uoluptas designatur, propter quam ad cœnam Dei fastidiosus uenire recusant. Tria genera hominum à magna cœna uidentur excludi. Gentiles propter immoderatum affectum temporalium. Iudei qui Christum respicientes iugum legis ceruicibus suis imponunt. ubi sunt quinque iuga decem uerborum, uel quinque libri ueteris legis. Hæretici, qui uelut Eua scemineo affectu renant rigorem fidei: & lubrica facilitate prolabant, lenocinia falsis decoris affectant: in emera am negligentes pulchritudinem ueritatis. Itaque post diuinitum fastidia conferunt se dominus ad gentes. Introducit bonos, & malos, uel bonos augeat, malorum affectus in melius mutet. Inuita: pauperes ac debiles, cecos & claudos, ostendens quod debilitas corporis nullum excludit à regno: rariūque delinquit, cui desit illecebra peccandi: & citius ad dominum conuertatur, qui non habet in mundo unde delectetur. *Exi cito.* Moraliter. Mittit ad plateas cum peccata ores de latioribus uis uocat ad angustam, que ducit ad uiam. Mittit ad uicos, cum illos uocat quos temporalium rerum coarctat inopia. Mittit ad uias, cum illos uocat qui iā in quodam bonæ uoluntatis tramite constituti sunt nullis cupiditatibus temporalium occupati. Mittit ad sepes, cum eos uocat, qui culta ab incultis secerunt, & incursum arcem bestiarum, id est, bona à malis distinguunt, & munimenta fidei aduersus diaboli tentamenta obtendunt. Cum de uicis & plateis uocat, Iudeos significat qui tenere legem sub uerbana conuersatione nouerant. Cum de uis & sepibus uocat: agrestem populum gentium significat. *Factum est.* Multos tales ex Iudeis ad cœnam tuam collegimus: sed isti locum conuiuij tui non implent super est locus ubi gentium numerositas suscipiatur: unde subditur. *Exi in uias & sepes, &c.* Nota quod in hac tertia inuitatione non dicitur inuita, sed compelle intrare. Qui enim huius mundi aduersitatibus fracti, ad Dei amorem redeunt, Bibl. Hom. tom. 3. Ee 2 atque



DOMINICA II. POST PENTECOSTEN.

L V C. 14.



**I**n illo tempore: dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc: <sup>a</sup> Quasi dicat. Vere beati qui comedent: sed dedit terrenis uel curiositati uel uoluptatibus huius mundi non comedent. <sup>b</sup> Homo quidam fecit cœnam magnam, & uocauit multos: Et <sup>c</sup> misit <sup>d</sup> seruum suum hora <sup>e</sup> Cœnæ dicere inuitatis, ut uenirent: <sup>f</sup> quia iam parata sunt omnia. Et cœperunt simul omnes <sup>g</sup> excusare. Primus dixit

atque à presentis vitæ desiderijs corriguntur, illi non nisi compulsi intrant. Quidam autem vocantur & contemnunt, qui domum intellectus accipiunt, sed opere non implent. Quidam vocantur & veniunt, qui acceptam intelligentiam opere adimplent. Notandum quod sicut peccatores fuerunt qui venire noluerunt, ita peccatores sunt qui veniunt, sed superbi peccatores reipantur, humiles eliguntur.

CATENA AVREA in idem Evangelium.

At ille dixit ei, Homo quidam fecit cenam, &c. Cyril. Homo iste Deus pater est, secundum quod imagines ad similitudinem veritatis figurantur. Chry. Quoties enim punitivam suam virtutem indicare vult Deus, Vrsula, Pardu, Leo, & huiusmodi nuncupatur: quando verò misericordiam exprimit, dicitur homo. Cyril. Hic ergo conditor omnium, atque gloriæ pater paravit cenam magnam in Christo peractam. In novissimis enim temporibus & quasi in occasu nostri seculi illuxit nobis Dei filius, & mortem pro nobis sustinens, dedit nobis proprium corpus comedere, vnde & agnus in vespere immolabatur iuxta legem Moisaicam: merito igitur cœna dictum est paratum in Christo conivium. Greg. in ho. Vel fecit cenam magnam, quia saterat nobis dulcedinis æternæ præparavit, qui vocavit multos, sed pauci veniunt: quia nonnunquam ipsi, qui ei per fidem subiecti sunt, æterno eius conivivio vivendo contradicunt. Hoc autem distare inter delicias corporis, & cordis solet, quod corporales deliciæ cum non habentur, graue in se desiderium accendunt: cum verò habitæ edantur, comedentem protinus in fastidium per satietatem vertunt. At contra spirituales deliciæ, cum non habentur, in fastidio sunt: cum verò habentur, in desiderio. Sed superna pietas contempas illas delicias ad memoriam nostræ oculos renocat: atque ut fastidium nostrum repellere debeamus inquit, vnde sequitur: Et misit seruum suum, &c. Cyrilus. Iste servus qui missus est, ipse Christus est, qui cum esset naturaliter Deus & verus Dei filius, exinanivit seipsum formam serui accipiens. Missus est autem hora cœnæ, non enim à principio verbum patris nostram naturam suscepit, sed in novissimo tempore. subdit autem: Quia parata sunt omnia. Paravit enim pater in Christo bonam collatam mundo per ipsum, peccatorum amotionem, spiritus sancti participationem, adoptionis splendorem, ad hoc vocavit Christus per euangelica documenta. Aug. de ver. do. Vel ali. Homo iste mediator est Dei & hominis Christus Iesus. Misit ut venirent, id est, per missos vocati prophetas, qui olim invitabant ad cœnam Christi sæpe missi sunt ad populum Israel, sæpe vocaverunt ut ad horam cœnæ venirent. Illi innitantes acceperunt, cœnam repudiaverunt, prophetas legerunt, & Christum occiderunt, & tunc nobis cœnam nescientes paraverunt. Parata iam cœna, id est, immolatio Christi missi sunt apostoli ad quos missi fuerant ante prophetas. Greg. in ho. Per hunc ergo servum qui à patre familiâ ad invitandum mittitur, prædicatorum ordo significatur, sæpe autem solet evenire, ut persona potens famulum habeat despectum, cumque per eum dominus aliquid

Christus dedit nobis proprium corpus ad comedendum.

mandat, non despicitur per persona loquentis serui, quia servatur in corde mitentis reverentia domini. Offert ergo Deus quod rogari debuit non rogare, dare vult quod vix sperari poterat, & tamen simul omnes excusant. Sequitur enim: Et cepit. Et ecce homo dives inuitat, & pauperes occurrere festinant: ad Dei inuitamur coniuuium, & nos excusamus. Aug. de ver. do. Tres autem fuerunt excusationes de quibus subditur: Primus dicitur: Vilis est, &c. In villa emptæ dominatio notatur, ergo superbia castigatur vitium primum: primus enim homo dominari voluit, qui dominum habere noluit. Greg. in ho. Vel per villam terrena substantia designatur. Exit ergo videre illam qui sola exteriora cogitat propter substantiam. Amb. Sic igitur emerit militiæ viro contemnendam stipendium præscribitur facultatum, quod neque ille qui studiis intentus inferioribus, possessiones sibi terrenas coemittit, regnum cæli possit adipisci, cum dominus dicat: Vende omnia tua & sequere me. Sequitur: Et alter dicit, iuga bouum, &c. Aug. de ver. do. Quinque iuga bouum, sensus carnis huius quinque numeratur. In oculis visus est, in auribus auditus, in naribus odoratus, in faucibus gustus, in omnibus membris tactus. Sed quia iuga sunt in tribus prioribus sensibus facilius apparet. Duo sunt oculi, duæ aures, gemine nares: Ecce tria iuga: & in faucibus, id est, sensus gustandi geminatio quædam invenitur: quia nihil gustando sapit, nisi lingua & palato tagatur. Voluptas carnis quæ ad tactum pertinet occultè geminatur, est & forinsecus & intrinsecus. Dicuntur autem iuga bouum, quia per sensus istos carnis terrena requiruntur. Boves enim terram versantur, homines autem remoti à fide terrenis dediti nolunt credere aliquid nisi ad quod sensu corporis perveniunt quinque partito. Nô (inquit) credo, nisi quod video. Si talia cogitaremus, quinque illis iugis bouum, à cœna non impediremur, ut noneritis autem istorum quinque sensuum nô delectatione quæ mulcet, & ingerit voluptatè, sed curiositatè quædam notatâ fuisse, non ait: quinque iuga bouum emi, eo pascere illa, sed eo probare illa. Greg. in ho. Corporales etiâ sensus, quia interna comprehendere nequeunt, sed sola exteriora agnoscunt, rectè per eos curiositas designatur: quæ dum alienam quærit vitam discutere super sua incima, nesciens studet exteriora cogitare. Sed notandum quod is qui propter villam & is qui propter probanda iuga bouum à cœna sui inuitatoris se excusat, humilitatis verba permiscet: dum enim dicit, Rogo, & venire cõtemnit: humilitas sonat in voce, superbia in actione. Sequitur: Alius dicit, Vxorem duxi & ideo, &c. Aug. de ver. do. Ista est voluptas carnis, quæ multos impedit, vti nam foris & non intus. Qui enim dixit, Vxorem duxi, carnem amplectatur, carnis voluptatibus iocundatur, à cœna excusatur: observet ne fame interna moriatur. Basil. Dicit autè, Non possum venire, eo quod intellectus humanus vergens ad mundanas illecebras debilis est ad agendum divina. Greg. in ho. Quamvis autem bonum sit coniugium, atque ad propagandam sobolem divina providentia constitutum, nonnulli tamen per hoc non fecerunt proles, sed desideria experit voluptatis. Et idcirco per rem iustam significari potest nô incongruè res iniusta. Ambro. Vel coniugium non reprehenditur, sed ad maiorem honorem vocatur integritas: quoniam mulier innupta cogitat, quæ sunt domi-

ni, vt

ni, vt sit sancta corpore & spiritu: quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi. Aug. de ver. do. Ioannes autem dicit, Omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & ambitio seculi: inde cepit ubi euangelium terminum posuit. Concupiscentia carnis vxorem duxi, concupiscentia oculorum quinque iuga bouum emi, ambitio seculi villam emi. À parte enim in totum commemorati sunt quinque sensus per solos oculos, quorum est in quinque sensibus principatus: propterea càm propriè ad oculos pertineat visus, ipsum videre per omnes quinque sensus solemus appellare. Cyril. Quos autem intelligimus fuisse hos, qui tenuerit prædicatorum causa venire, nisi prædes Iudæorum, quos per totam sacræ paginam de his redargutos esse videmus: Orig. Vel aliter: Hi qui villam emerunt, & reserunt cœnam, sunt qui receperunt alia dogmata diuinitatis, nec experti sunt verbum quod possit debeat. Is autem qui quinque paria bouum emi, est qui naturam intellectualem cõtemnit, & sensibilia sequitur: vnde incorpoream naturam cõprehendere nô potest. Qui autem vxorem duxit, est qui coniunctus est carni, voluptatum magis amator quam Dei. Amb. Vel tria genera hominum à consortio istius cœnæ æstimmus excludi: gentiliū, Iudæorum, & hæreticorum. Iudæi corporali mysterio iuga sibi legis imponunt. Quinque autem iuga sunt verborum decem, vel quinque libri veteris legis. At verò hæresis velut Eua femineo rigore fidei tenet affectum. Et Apo. dicit auaritiā esse fugiendam, ne impediti more gentili ad regnum Christi pervenire nequeamus: ergo & ille qui villam emi alienus à regno est, & ille qui iugum potius legis quam gratiæ munus elegit, & ille qui se propter ducendam excusat vxorem. Sequitur: Et reseruit. Aug. quinto super Gene. ad literam. Non propter inferiorum scientiam Deus nuntijs indiget, quasi per eos fiat sciens: sed novit omnia stabiliter, atque incommutabiliter. Habet autem nuntios, propter nos & propter ipsos, quia illo modo Deo parere & assistere, ut eum de inferioribus consulant eiusque supernis iussis obtemperant, bonum est eis in ordine propriæ nature. Cyril. Iudæorum autem primatibus vocationem reuocantibus, sicut ipsi dicebant. Nūquid aliquis principum credidit in eum? indignatus est pater familiâs, quasi eis dignis indignatione & ira. vnde sequitur: Tunc ira pater familiâs. Bed. Non quod ira passio diuinæ substantiæ accidat, sed talis operatio, quæ in nobis ab ira fit, Dei ira & indignatio dicitur. Cyril. Sic ergo indignatus dicitur pater familiâs in principes Iudæorum, & vocati sunt loco eorum, qui erant de multitudine Iudæorum fragilem & impotentem mentem habentes. Loquente enim Petro, primò quidem tria millia, deinde quinque millia crediderunt & postmodum plurimus populus. vnde dicitur: Dixit ser. suo: Exi citò in pla. &c. Ambr. Inuitat autem pauperes, debiles & cæcos, ut ostendatur quod nullum debilitas corporis excludit à regno, ratiūque delinquat, cui desit illecebra peccandi: vel quod infirmitas peccatorum, per misericordiam domini remittatur. Vnde mittit ad plateas, vt de latioribus vitiis ad angustam veniret viam. Greg. in ho. Quia ergo venite superbi reuunt, pauperes eliguntur. dicuntur enim debiles, & qui iudicio suo apud semetipsos infirmi sunt. nam paupe-

res & quasi fortes sunt, qui positi in paupertate superbiunt: cæci sunt, qui nullius ingenij lumē habent: claudi sunt, qui rectos gressus in operatione non habent. Sed dū horum vitia in membrorum debilitate significantur, sicut illi peccatores fuerunt, qui vocati venire noluerunt, ita hi quoque qui inuitantur & veniunt: sed peccatores superbi respuuntur, humiles eliguntur. Hos itaque eligit Deus, quos despicit mundus: quia plerunque ipsa despectio hominem renocat ad semetipsum. Et tãtò celerius vocem Dei aliqui audiunt; quantum in hoc mundo non habent vnde delectentur. Cùm ergo de vicis & plateis ad cœnam quosdam dominus vocat, illum populum designat, qui tenere legis vrbanam conuersationem nōuerat. Sed multitudo quæ ex Israel populo credidit, locum superni conuiuij non impleuit: vnde sequitur: Et ait seruus, Domine, &c. Intrauit enim iam frequentia Iudæorum, sed adhuc locus vacat in regno ubi suscipi debeat numerositas gentium. vnde subditur: Et ait do. ser. Exi in, &c. Cùm coniuuias suos colligi ex viis & sepibus præcepit, agrestem populum, id est gentilem quærit. Amb. Vel mittit ad vias & circa sepes, quia hi apti sunt in regno cælorum, qui nullis presentium cupiditatibus occupati, ad futura festinant in quodam bonæ voluntatis tramite constituti, & qui modo sepis quæ ab incultis culta fecerunt, & incurfus arceat bestiarū, norit bona malæque distinguere, & aduersus tentamenta nequitie spiritualis fidei munimè prætere. August. de ver. domi. Veniunt de plateis & vicis gentes, veniunt de sepibus hæretici. Nam sepes qui construunt diuisiones quærunt abstrahantur à sepibus, euellantur à spinis: sed cogi nolunt, voluntate inquit nostra intremus. Non hoc dominus impetavit, cogi (inquit) intrare foris inueniatur necessitas, nascitur inde voluntas. Gregorius in homelia: Qui ergo huius mundi aduersitatibus fracti ad Dei amorem redeunt, compellantur intrare. Sed valde tremenda est sententia quæ subinfertur, Dico autem vobis quod nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit cenam meam. Nemo ergo contemnat, nedum vocatus excusat, cum voluntatem habuerit intrare non valcat.

S. AMBROSII MEDIO-LANENSIS Episcopi superioris Euang. expositio.

Homo quidam fecit cenam magnam, &c. Po tremo dorum stipendium præscribitur facultatum: quod neque ille, qui studiis intentus inferioribus, possessiones sibi terrenas coemittit, regnum cæli possit adipisci; cum dominus dicat; Vende omnia tua, & sequere me. Nec ille, qui emat boues, cum Helisæus occiderit, & populo diuiserit, quos habebat. Et ille, qui duxit vxorem, cogitet, quæ mundi sunt, non quæ Dei. Non quo coniugium reprehendatur; sed quia ad maiorem honorem vocetur integritas: quoniam mulier innupta, & vidua cogitat, quæ sunt domini, vt sit sancta corpore, & spiritu. Nam, quæ nupta est, cogitat, quæ sunt mundi, quomodo placeat viro. Sed, vt in gratiam vt supra cum viduis, ita nunc etiam cum coniugibus reuertatur, non refugimus opinionem, quam sequuntur plerique, vt tria genera hominum. Bibl. Hom. tom. 3. Ec 3 num

Luc. 18.

1. Cor. 7.



num à confortio magnæ illius cœnæ æstimemus excludi, gentilium, Iudæorum, hæreticorum: Et ideo Apostolus auaritiã dicit esse fugiendam; ne impediti more gentili iniquitate, neque impudicitia, auaricia, ad regnum Christi pertuenire nequeamus. Omnis enim immundus, aut auarus, quod est idolorum seruitus, non habet hereditatẽ in regno Christi, & Dei. Iudæi autem corporali ministerio iuga sibi legis imponunt: & ideo secundum prophetam; Dirumpamus vincula eorum, & proiciamus à nobis iugum ipsorum. Christum enim recipimus, qui ceruicibus nostris pietatis suæ iugum mite suspendit. Quinque autem iuga sunt verborum decem: vel quinque libri veteris legis, de quibus in euangelio videtur Samaritanæ dicere; Quinque enim viros habuisti. At vero hæresis velut Eua femineo rigore fidei tenet affectum; & lubrica facilitate prolaberis, lenocinia falsi decoris affectat, intemperatam negligens pulchritudinem veritatis. Ideo igitur excusant; quia nemini intercluditur regnum, nisi ei, quem suæ professio vocis excluderit. Dominus autem omnes clementer inuitat; sed nos aut desidia nostra, aut error auertit. Ergo & ille, qui villam emit, alienus à regno est. Ementes enim, atque vendentes Noe, vt legitur, tempore diluuii forbuerunt. Et ille, qui iugum potius legis, quàm gratiæ munus elegit; & ille, qui propter ducendam excusat uxorem. Post diuinit respicienda fastidia, conuulit se ad gentes: iuber bonos, & malos introire; vt bonos augeat; malorum affectum in meliora commutat: vt completeretur illud, quod hodie lectum est; Tunc lupi, & agni simul pascentur. Inuitat pauperes, debiles, cæcos, quo ostenditur nobis: vel quod nullum debilitas corporis excludat à regno; rariorque delinquat, cui desit illecebra peccandi; vel quod infirmitas peccatorum per misericordiam domini remittatur; vt non ex operibus, sed ex fide redemptus à crimine, si gloria tur, in domino gloriatur. Mittit itaque ad exitus viarum; prudentia etenim in exitu canitur. Mittit ad plateas; quia misit ad peccatores, vt de latioribus viis ad angustam viam venirent, quæ ducit ad vitam. Mittit ad vias, & circa sepes; quod ij videlicet apti sint regno cælorum, qui nullis presentium cupiditatibus occupati, ad futura festinent, in quodam bonæ voluntatis tramite constituti; & qui modo sepi, quæ ab incultis culta fecernat, & incursum arceat bestiarum, nouerint bona, malaque distinguere, & aduersus tentamenta nequitie spiritualis fidei munimen obtendere. Denique dominus vt vineam suam ostenderet fuisse inunitam; Et sepe, inquit, circumdedi, & circumfodi eam. Et apostolus medium parietem sepiis dicit esse sublarum, qui continuationem munitionis irruerat. Fides igitur, & ratio quæritur; & quæritur in plateis, hoc est, in meatibus interioris affectus: quia scriptum est; In plateis tuis fundantur aquæ tuæ. Nec hoc tamen plenum est, vt aliquis vocatus adueniat, nisi vestem habeat nuptialem, hoc est, fidem habeat, & charitatem. Et ideo, qui pacem, & charitatem non detulerit ad Christi altaria, tollentur pedibus, & manibus, & mittentur in tenebras exteriores: Ibi erit fletus, & stridor dentium. Quæ sunt tenebræ exteriores? Nunquid illic quoque carcer aliquis, latuminaeque subeundæ sunt? Minime. Sed, quicumque extra promissa sunt cælestium mandatorum, in tene-

Ephes.

Psal.

Joan.

Esa.

Math.

Prover.

bris exterioribus sunt; quia mandata Dei lumina sunt. Et quicumque sine Christo est, in tenebris est; quia lumen in tenebris est Christus. Ergo neque corporalium stridor aliquis dentium, neque ignis aliquis perpetuus flammarum corporalium, neque vermis est corporalis. Sed hæc ideo; quia sicut ex multa cruditate & febres nascuntur, & vermes; ita si quis non decoquat peccata sua, velut quadam interposita sobrietate abstinentiæ, sed miscendo peccata peccatis, tanquam crudelitatem quandam extrahat veterum, & recentium delictorum, igne aduretur proprio, & suis vermibus consumetur. Vnde & Esaias ait; Ambulate in lumine ignis vestri, & flamma, quam accendistis. Ignis est, quem generat mesticia delictorum. Vermis est; eo quod irrationabilia animarum peccata mentem rei, sensumque compungunt, & quædam exedunt viscera conscientia: quæ tanquam vermes ex vno quoque nascuntur, tanquam ex corpore peccatorum. Denique dominus id per Esaiam declarauit dicens; Et videbunt membra hominum præuaricantium in me; & vermes eorum non morietur, & ignis eorum non exstinguetur. Stridor quoque dentium prodit indignantis affectum, eo quod sero vnumquemque peniteat; sero ingemiscat; sero irascatur sibi; quod tam perniciaci improbitate deliquerit.

S. TITI BOSTRORVM

Episcopi eiusdem euang. expositio.

Christus iis, qui tum presentes aderant, parabolam contexit; qua cœconomiam totius mundi causam susceptam, admodum appositè conuenienterque ob oculos ponit. Est autem ea eiusmodi: Homo quidam fecit cœnam magnam. Per hunc hominem Deum patrem, denotatum existimare licet. Imagines namque ita ad veritatem exprimentam estinguntur, vt tamen non sint ipsa veritas. Hic ergo vniuersorum opifex, gloriaque; Dominus fecit cœnam magnam; hoc est, vniuersalem toto terrarum orbe, propter Christi cœnomiam, solennitatem instituit. Vocat autem festum hoc cœnam, non prandium; quia in nouissimis seculi diebus, & quasi ad æui nostri occasum, Dei Filius apparuit nobis. Quo etiam tempore mortem nostri causa subiit, suamque carnem in cibum nobis proposuit. Et vocauit multos, nempe totam Iudæorum multitudinem. Et quisnam ille erat, inquit, quem pater misit, quem suum quoque seruum appellat? Ipsemet Christus. Hic enim, cum Deus esset natura, verusque & naturalis Dei Filius, forma serui accepta, se ipsum exinanivit. Quia parata sunt omnia. Ecquænam sunt fercula illa, quæ ad cœnam vocatis parata denunciatur? Quæ alia, quàm peccatorum remissio, Spiritus sancti communicatio, adoptionis gratia, regnum cælestis, aliaque eiusmodi. Ad hæc omnia enim Christus Dominus per Euangelica oracula inuitauit omnes, præ cæteris autem Israelæ. Et ceperunt simul omnes excusare. Hoc est, vniuersi, quasi ex condito, communique pacto, vocationem spreuerunt. Cur ita? quia mente excussa vilis, agriculturæ, liberorum procreationi, aliisque id genus terrenis rebus perditè affixi hærebant. Cæterum per eos, qui amicum accersit; venire detrectarunt, seque male excusarunt, Iudaicæ Synagoga proceres, haud incommode ac-

ceperis. Erat hi enim præ cæteris pecuniæ, & auaritiæ dediti, totique in vnum hoc intenti: quo etiam nomine grauius passum in diuinis literis perstringitur. Hoc itaque morbo infecti, duraque & infracta incredulitate acti, extra hoc festum manserunt, magnamque hæc cœnam, in conuicia versi, turpiter aspernati sunt. Exi autem in plateas, &c. Phariseorum procerumque Iudæorum loco vocati sunt, qui ægri, abiectioneque in vicis & plateis iacebant, hoc est, illi, qui ex Iudaica multitudine habebantur infirmiores, mentemque, vsque ad illud tempus, obrinebant claudam, magnaque caligine obscuratam; Nam paulo post, per fidem in Christum sani, robustique effecti sunt. Etenim lumine diuino intra se recepto, recta vestigia figere edocti sunt. Quod autem quàm plurimi ex Iudæorum plebe crediderint, hoc quiuis facile, si sanctorum Apostolorum acta percurrerit, cognoscere quierit. Exi in vias, & sepes. Cum sua natura benignus & bonus sit Deus, in publicas quoque vias, & sepes emittit vocatores. Significatur hoc autem, post Israelæ per fidem introductos, gentium quoque populū fuisse vocatum: Siquidem Iudæis intro iam receptis, seruus ait: Domine factum est, vt imperasti, & adhuc locus est. Porro autem, qui ex gentibus vocati, ad cœnam hanc venere, illi mente erant agresti, animoque efferato, quasi extra vrbes, absque vlla profus civilitate nati & educati. Neque enim vllis omnino bonis legibus, aut moribus utebatur: Verum peccudum more, in magna quadam rationis caligine & auaritia versabantur. Et compelle intrare. Bonus hic pater gentes, non simpliciter ad cœnam vocari, sed compelli quoque vult. At dicitis: Cum credere vnicique sit liberum; imò verò cum donum hoc nõ sine precibus à Deo obtineri soleat; quippe quod inter cætera charismata, quæ nobis ab illo obueniunt, præcipuum ferè existat, quomodo dicit; compelle intrare? Quadam orationis figura istud dicitur. Quia enim gentes intoleranda quadam errorum seruitute tenebantur, diabolo subditæ; Dei autem, diuinæque cognitionis profusus erant ignaræ, propterea validiori quadam vocatione egebat; tali nimirum, quæ aliquam compulsionis speciem præ se ferret; quod vel hac ratione tandem aliquando ad eum respicerent, deseruitque antiquis erroribus, aliquem doctrinæ cælestis gustum caperent, atque à diaboli vnguibus, quibus antè constringeabantur, euadere quandoque possent.

S. AVGVST. EPISCOPI

Hippon. in superius Euang. Homilia.

LECTIONES sanctæ proposita sunt, & quas audivimus & de quibus aliquid sermonis, adiuvante domino, proferamus. In lectione Apostolica gratia aguntur Deo de fide gentium, vtique ideo quia ipse fecit: In Psalmo diximus, Deus virtutum conuertere nos, & ostende faciem tuam & salui erimus. In euangelio, ad cœnam vocati sumus, imò alij vocati, nos nõ vocati sed ducti: Non solum ducti, sed etiã coacti. Sic enim audiimus, quia homo quidam fecit cœnam magnam. Quis est iste homo, nisi mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus? Misit vt venirent inuitati, quia hora iam

anno 33. de m. Domini.

psal. 79.

Luc. 14. l. 1. mot. 2.

erat vt venirent. Qui sunt inuitati, nisi per præmissos vocati Prophetæ? Quia olim ex quo mittuntur Prophetæ & inuitant ad cœnam Christi: Mittuntur ergo ad populum Israel. Sæpe missi sunt, sæpe vocauerunt vt ad horam cœnæ venirent. Illi autem inuitantes acceperunt, cœnam repudiauerunt. Quid est inuitantes acceperunt, cœnam repudiauerunt? Prophetas legunt, & Christum occiderunt. Sed quando occiderunt, tunc nobis cœnam nescientes preparauerunt, Parata iam cœna, immolato Christo, post resurrectionem Christi commendata quàm sciuit fideles cœna Domini, eiusque manibus & ore firmata, missi sunt Apostoli ad quos missi antè fuerant Prophetæ. Venite ad cœnam, Excusauerunt qui venire noluerunt, Quomodo? Tres fuerunt excusationes, Vnus dixit, Villam emi, co videre illam, habe me excusatum. Alius dixit, iuga boum emi quinque, ea volo probare, habe me excusatum. Tertius dixit, uxorem duxi, habe me excusatum, non possum venire. Putamus non istæ sunt excusationes, quæ impediunt omnes homines, qui ad istam cœnam venire detrectant? Quæramus eas, discutiamus, inueniamus, sed vt equeamus. In villa empta dominatio notatur, ergo superbia castigatur: Habere enim villam, tenere, possidere, homines sibi in illa subdere & dominari delectat. Vitium malum, vitium primum. Primus enim homo dominari voluit, qui dominum habere noluit. Quid est dominari, nisi propria potestate gaudere? Est maior potestas, illi subdamur vt tuti esse valeamus. Villam emi, habe me excusatum. Inuenta superbia, venire noluit: alius dixit, Quinque iuga boum emi: Nonne sufficeret boues emi? Aliquid proculdubio est quod nos ad quærendum & intelligendum obscuritate sui prouocat. Et quia clausum est, vt pulsemus hortatur. Quinq; iuga bouum, sensus huius carnis quinque numerantur. Sensus carnis huius, quod omnibus notum est, & qui forte non aduertunt, commoniti sine dubio recognoscunt. Sensus ergo carnis huius quinque inueniuntur, In oculis visus est, auditus in auribus, odoratus in naribus, gustus in faucibus, tactus in omnibus membris. Alba & nigra & quoquo modo colorata, lucida & obscura sentimus videndo. Rauca & canora, audiendo sentimus. Suauis olentia & graue olentia, odorando sentimus. Dulcia, & amara, gustando sentimus. Dura, & mollia, lenia, & aspera, calida, & frigida, graua, & leuia, tangendo sentimus. Quinque sunt, & iuga sunt, Sed quia iuga sunt, in tribus prioribus sensibus facilius apparet. Duo sunt oculi, duæ sunt aures, geminæ nates. Ecce tria iuga. In faucibus, id est, sensu gustandi, geminatio quædam inuenitur, quia nihil gustando sapit nisi lingua, & palato tangatur. Voluptas carnis, quæ ad tactum pertinet, in occultis geminatur. Est enim & forinsecus, & intrinsecus, ergo & ipsa gemina est. Quare boum dicuntur iuga? Quia per sensus istos carnis terrena requiruntur. Boues enim terram versant. Sunt autem homines remoti à fide, terrenis dediti, carnalibus occupati, nolunt credere aliquid nisi ad quod sui corporis sensu quinque partito perueniunt. In eis quinque sensibus totius voluntatis sibi regulas ponunt, Non, inquit, credo ego, nisi quod video. Ecce quod noui, ecce quod scio. Album est, nigrum est, rotundum est, quadratum est, sic vel sic coloratum est, noni, sentio, teneo, natura



singularis agnus occisus est. Sed quid agimus, qui hoc quod subiungitur, adhuc fieri à multis videmus? *Et ceperunt omnes simul excusare.* Offert Deus, quod rogari debuit: non rogatus dare vult, quod vix sperari poterat, quia dignaretur largiri postulat, & tamen contemnitur. Contemptoribus vero paratas delicias refectionis æternæ denunciat, & tamen simul omnes excusant. Ponamus ante oculos mentis minima, vt possimus dignè pensare maiora. Si quispiã potens ad inuitadum quemlibet pauperem mitteret, quid, fratres, rogo, quid pauper ille faceret, nisi de eadem sua inuitatione gauderet, respõsum humile redderet, vestem mutaret, ire quantocyus festinaret, ne prior se ad parentis conuiuium alter occurreret? Homo ergo diues inuitat, & pauper occurrere festinat. Ad Dei inuitamur conuiuium, & excusamus. Sed ecce inter hæc æstimare possum, quid sibi corda vestra respondeant. Occultis enima fortasse sibimet cogitationibus dicunt; Excusare nolimus. Ad illud enim supernæ refectionis conuiuium & vocari & peruenire gratulamur. Loquentes vobis talia mentes vestre verum dicunt, si non plus terrena quam cælestia diligunt, si nõ amplius rebus corporalibus quam spiritalibus occupantur. Vnde hic quoque ipsa excusantium causa subiungitur, cum protinus subinfertur; *Primus dixit: Villam emi, & necesse habeo exire, & videre illam: rogo te, habe me excusatum.* Quid per villam, nisi terrena substantia designatur? Exit ergo videre villam, qui sola exteriora cogitat propter substantiam. *Alter dixit: Iuga boum emi quinque, & eo probare illa: rogo te, habe me excusatum.* Quid in quinque iugis boum, nisi quinque sensus corporis accipimus? Qui rectè quoque iuga boum vocata sunt, quia in vtroque sexu geminantur. Qui videlicet corporales sensus, quia interna comprehendere nesciunt, sed sola exteriora cognoscunt, & deserentes intima, ea quæ extrã sunt tangunt, rectè per eos curiositas designatur, quæ dum alienam vitam quærit discutere, semper sua intima nesciēs, studet exteriora cogitare. Graue nanque est curiositatis vitium, quæ dum cuiuslibet mentem ad inuestigandam vitam proximi exterius ducit, semper ei sua intima abscondit, vt aliena sciēs, se nesciat: & curiosi animus quanto peritius fuerit alieni meriti, tanto fiat ignarus sui. Propter hoc nanque & de eisdem quinque iugis boum dicitur; *Eo probare illa: rogo te, habe me excusatum.* Ipsa eniam excusantis verba à vicij sui significatione non discrepant, dū dicit; *Eo probare illa:* quia videlicet aliquando pertinere probatio ad curiositatem solet. Sed notandum, quod & is, qui propter villam, & is, qui propter probanda iuga boum à cœna sui inuitatoris excusat, humilitatis verba permiscet, dicens; *Rogo te, habe me excusatum.* Dum enim dicit; *Rogo,* & tamen venire contemnit, humilitas sonat in voce, superbia in actione. Et ecce hæc diiudicat prauus quisque cum audit: nec tamen ea, quæ diiudicat, agere desistit. Nam dum cuiuslibet peruersè agenti dicimus, Convertere, Deum sequere, mundum relinque; vbi hūc nisi ad dominicam cœnam vocamus? Sed cum responde; *Ora pro me,* quia peccator sum, hoc facere nõ possum: quid aliud agit, nisi & roga, & excusa? Dicens nanque; *Peccator sum, humilitatem insinuat: subiungens autem, Conuertere non possum, superbiam demonstrat. Rogãdo ergo excusat, qui & humilitatem super-*

ducit in voce, & superbiam exercet in actione. *Alius autem dixit, Vxorem duxi, & ideo non possum venire.* Quid per vxorem, nisi voluptas carnis accipitur? Nam quauis bonum sit coniugium, atque ad propagandam sobolem diuina prouidentia constitutum, nonnulli tamen nõ per hoc fecunditatem prolis, sed desideria expetunt voluptatis: & idcirco per rem iustam significari potest non incongrue res iniusta. Ad cœnam ergo nos æterni conuiuij summus paterfamilias inuitat, sed dum alius auaritiæ, alius curiositati, alius voluptati carnis est deditus, nimirum reprobi simul omnes excusant. Dum hunc terrena cura occupat, illum alieni actus sagax cogitatio deuastat, alterius etiam mentem voluptas carnis inquinat, fastidiosus quisque ad æternæ vitæ epulas nõ festinat. Sequitur; *Reuersus seruus, nunciavit hæc domino suo. Tunc iratus paterfamilias, dixit seruo suo: Exi cito in plateas, &c.* Ecce qui terrenæ substantiæ plus iusto incubat, venire ad dominicam cœnam recusat: qui labori curiositatis insudat, præparata vitæ alimenta fastidit: qui carnalibus desideriis inseruit, spiritalis conuiuij epulas respuit. Quia ergo venire superbi renuunt, pauperes eliguntur. Cur hoc? Quia iuxta Pauli vocem, *Infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia.* Sed notandum nobis est, quomodo describantur qui ad cœnam vocantur, & veniunt pauperes, & debiles dicuntur, qui iudicio suo apud semetipsos infirmi sunt. Nam pauperes & quasi foetes sunt, qui & positi in paupertate superbiunt. Cæci verò sunt, qui nullum ingenij lumen habent. Claudii quoque sunt, qui rectos gressus in operatione non habent. Sed dum morum vitia in membrorum debilitate signantur, profectò liquet, quia sicut illi peccatores fuerūt, qui vocati venire noluerūt: ita hi quoque peccatores sunt, qui inuitantur, & veniūt. Sed peccatores superbi respuunt, vt peccatores humiles eligantur. Hos itaque elegit Dominus, quos despiciunt mundus: quia plerumque ipsa despectio hominem reuocat ad semetipsum. Is enim qui patrem reliquit, & partem substantiæ quam perceperat, prodigè expendit, postquam esurire cœpit, in se reuersus dixit: *Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus? Longè quippe à se discesserat, quando peccabat, & si nõ esurisset, in semetipsum minimè redisset: quia, postquam terrenis rebus indignit, tunc cogitare cœpit, quid de spiritalibus amisit. Pauperes ergo, & debiles, cæci, & claudii vocantur, & veniunt, quia infirmi quique, atque in hoc mundo despecti plerumque tanto celerius vocem Dei audiunt, quanto & in hoc mundo non habent, vbi delectentur. Quod benè Amalechitarum puer ille Ægyptius designat, qui Amalechitis prædantibus, atque curretibibus æger remansit in via, & fame, siti que aruit. Quem tamen Dauid inuenit, & ei cibum potumque præbuit, *Qui illic conualescens, dux Dauid factus est, conuiuantes Amalechitas reperit, & eos, qui se debilem reliquerant, cum magna fortitudine prostravit.* Amalechita quippe, populus lambens vocatur. Et quid per lambentem populum, nisi mentes secularium designantur, quæ terrena cūta ambiendo quasi lambunt, dum solis temporalibus delectantur? Quasi enim populus lambens prædam facit, dum terrena diligentes, lucra de alienis damnis exaggerant. Sed puer Ægyptius æger*

æger in via relinquitur: quia peccator quisque dum infirmari ab huius mundi statu cœperit, mox secularibus mentibus in despectum venit. Quem tamen Dauid inuenit, ei que cibum, & potum præbet: quia manu fortis Dominus abiecta mundi non despiciet, & plerumque eos, qui sequi mundum minimè valentes, quasi in via remanent, ad amoris sui gratiam conuertit, eis que verbi sui cibum, potumque porrigit, & quasi duces sibi in via eligit, dum suos etiã prædicatores facit. Dum enim Christum peccatorum cordibus inferunt, quasi Dauid super hostes ducunt. Qui conuiuantes Amalechitas velut Dauid gladio ferunt, quia superbos quosque, qui se in mundo despexerāt, Domini virtute prosternunt. Puer ergo Ægyptius, qui in via remansit, Amalechitas interfecit: quia plerumque ipsi mentes secularium prædicando superant, qui prius cum secularibus in hoc mundo currere non valebant. Sed deductis ad cœnam pauperibus, quid puer subiungat, audiamus: *Domine factum est vt imperasti, & adhuc locus est.* Multi tales ad cœnam dominicam ex ludæa collecti sunt, sed multitudo, quæ ex Israelitico populo credidit, locum superni conuiuij non impleuit. Intrauit iam frequentia Iudæorum, sed adhuc vacat locus in regno, vbi suscipi debeat numerositas gentium. Vnde & eidem seruo dicitur; *Exi in vias, & sepe, & compelle intrare, vt impleatur domus mea, &c.* Cum de vicis & plateis ad cœnam quosdam Dominus inuitat, illum videlicet populum designat, qui tenere legem sub vrbana conuersatione nouerat. Cum verò conuiuas suos colligi ex viis, & sepibus, præcipit, nimirum agrestem populum colligere, id est, gẽtilem quærit. De cuius significatione per Psalmistam dicitur; *Tunc exultabunt omnia ligna syluarum ante faciem Domini, quoniam venit.* Ligna enim syluæ gentes vocatæ sunt, quia in infidelitate sua torræ, & infructuose semper fuerunt. Qui ergo ex illo agresti vsu conuersi sunt, ad cœnam dominicam, quasi ex sepibus venerunt. Notandum verò est, quod in tertia hac inuitatione non dicitur; *Inuita; sed, Compelle intrare.* Alij enim vocatür, & venire contemnunt: alij vocantur, & veniunt: alij autem nequaquam dicitur, quia vocatür, sed compelluntur vt intrent. Vocatür, & venire contemnit, qui donum quidem intellectus accipiunt, sed eundem intellectum operibus non sequuntur. Vocantur & veniunt, qui acceptam intellectus gratiam operando perficiunt. Quidam verò sic vocantur, vt etiam compellantur. Nam sunt nonnulli, qui bona faciendã intelligunt, sed hæc facere desistunt: vident quæ facere debeant, sed hæc ex desiderio nõ sequuntur. His, vt superius diximus, plerumque contingit, vt eos in carnalibus desideriis suis mundi huius aduersitas feriat, apprehendere temporalem gloriam conentur, & nequeant: & dum per alta pelagi, quasi ad gradiores curas huius seculi nauigare proponunt, semper aduersis flatibus ad deiectionis suæ littora repellantur. Cùmque se frangi in desideriis suis aduersante mundo conspiciunt, quid de se auctori suo debeant, commemorat, ita vt ad eum erubescerent redeant, qui eum superbientes pro amore mundi deserabant. Sæpe namque nonnulli ad temporalem gloriam proficere volentes, aut longa ægritudine tabescunt, aut afflicti iniurijs concidunt, aut percussi grauibus damnis affliguntur,

& in mundi dolore vident, quia nihil considerare de eius voluptate debuerunt, seque ipsos in suis desideriis reprehendentes, ad Deum corda conuertunt. De his quippe Dominus per prophetam dicit; *Ecce ego sepiam viam tuam spinis, & sepiam eam maceria, & semitas suas non inueniet: & sequetur amatores suos, & non apprehendet eos: quæret, & non inueniet eos, & dicit; Vadam, & reuertar ad virum meum priorem, quia benè mihi tunc erat magis, quàm nunc.* Vir vniuersiusque fidelis animæ, Deus est, quia hæc videlicet ei est coniuncta per fidem. Sed illa, quæ coniuncta fuerat Deo animæ, amatores suos sequitur, quando mēs quæ iam per fidem credidit, adhuc se immundis spiritibus in operatione substernit, mundi gloriam quærit, carnali delectatione pascitur, exquisitis voluptatibus nutritur. Sed plerumque omnipotens Deus talem animam misericorditer respicit, & eius voluptatibus amaritudines permiscet, vnde dicit; *Ecce ego sepiã vias tuas spinis.* Viæ etenim nostræ spinis septas sunt, quando in hoc, quod malè cupimus, dolorum punitiones inuenimus. Et sepiam eam maceria, & semitas suas non inueniet. Viæ nostræ maceria sepiuntur, cum desideriis nostris duræ in hoc mundo obiectiones resistunt. Et semitas nostras inuenire non possumus, quia hoc, quod malè quærimus, adipisci prohibemur. Et sequetur amatores suos, & non apprehendet eos: quæret, & non inueniet eos: quia malignos spiritus, quibus se in suis desideriis anima subdit, ad desideriorum suorum effectum minimè comprehendit. Sed de hac salubri aduersitate quanta utilitas nascatur, adiungit cum subditur; *Et dicit; Vadam, & reuertar ad virum meum priorem, quia benè mihi erat tunc magis, quàm nũc.* Postquam ergo vias suas spinis septas inuenit, postquam amatores suos apprehendere non valet, ad amorem viri prioris redit, quia plerumque postquam in hoc mundo non possumus obtinere, quæ volumus, postquam in terrenis desiderijs de impossibilitate lassamur, tunc ad mentem Deum reducimus, tunc placere incipit, qui displicebat, & is, cuius nobis amara fuerant præcepta, repente dulcescit in memoria, & peccatrix anima, quæ adultera conata est esse, nec tamen aperto opere potuit, decernit esse fidelis coniunx. Qui ergo huius mundi aduersitatibus fracti, ad Dei amorem redeunt, atque à præsentis vitæ desideriis corriguntur, quid isti, fratres charissimi, nisi compellantur, vt intrent? Sed valdè tremenda est sententia, quæ protinus subinfertur. Intenta hanc cordis aure percipite, fratres, & domini mei in quantum peccatores, fratres mei: in quantum iusti, domini mei: intenta hanc aure percipite, vt tanto eam minùs sentiatis in examine, quanto nunc auditis formidolosus in prædicatione. Ait enim; *Dico autem vobis, quod nemo virorum illorũ qui vocati sunt, gustabit cœnã meã.* Ecce vocat per se, vocat per angelos, vocat per patres, vocat per prophetas, vocat per Apostolos, vocat per pastores, vocat etiam per nos, vocat plerumque per miracula, vocat plerumque per flagella, vocat aliquando per mundi huius prospera, vocat aliquando per aduersa. Nemo contemnat, ne, dum vocatus excusatur, voluerit, intrare non valeat. Audite quid sapientia per Salomonem dicat; *Tunc inuocabunt me, & non exaudiam: manè consurgent, & non inuenient*

Offen.

1. Cor.

Luc.

1. Reg.

Proverb.

nient



Matth. 25.

nient me. Hinc est, quod fatuæ virgines tardè venientes clamant: Domine Domine, aperi nobis. Sed iam tunc aditum querētibus, dicit: Amen dico vobis, nescio vos. Quid inter hæc, fratres charissimi, nisi relinquere omnia debemus, curas mundi postponere, solis desiderijs æternis inhære: Sed hæc paucis data sunt. Admonere vos volo, vt relinquatis omnia, sed non præsumo. Si ergo cuncta mundi relinquere non potestis, sic tenere, quæ huius mundi sunt, vt tamen per ea non teneamini in mundo: vt terrena res possideatur, non possideat: vt sub mentis vestræ sit dominio quod habetis: ne si mēs vestra terrenarum rerum amore vincitur, à rebus suis magis ipsa possideatur. Sit ergo res temporalis in vsu, æterna in desiderio: sit res temporalis in itinere, desideretur æterna in perueniente. Quasi ex latere respiciatur, quicquid in hoc mundo agitur: ante nos autem tendant mentis oculi, dum tota intentione illa conspiciunt, ad quæ perueniemus. Extirpentur funditus vitia, non solum ab actu operis, sed etiam à cogitatione cordis euulsæ. Non nos voluptas carnis, non sollicitudo curiositatis, non æstus ambitionis à dominica cœna præpediat: sed ipsa quoque, quæ honesta in mundo agimus, quasi ex quodam mentis latere tangamus, vt terrena quælibet sic nostro corpori inferantur quatenus cordi minimè obstant. Non ergo, fratres, audemus vobis dicere, vt omnia relinquatis: sed tamen, si vultis, omnia etiam retinendo relinquitis, si sic temporalia geritis, vt tamen tota mente ad æterna tendatis. Hinc etenim Paulus

1. Cor. 7.

Apostolus dicit: Tempus breue est: reliquum est, vt, qui habent vxores, tanquam non habentes sint: & qui sicut, tanquam non sicut: & qui gaudent, tanquam non gaudentes: & qui emunt, tanquam non possidentes: & qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtantur. Præterit enim figura huius mundi. Vxorem namque habet, sed quasi non habens, qui sic se carnis debita exoluere, vt tamen per ea mundo tota mente non cogatur inhære. Nam cum idem rursus egregius prædicator dicat: Qui habet vxorem, cogitat quæ sunt huius mundi, quomodo placeat vxori: ille vxorē habet quasi non habens, qui sic studet placere coniugi, vt tamen non displiceat conditori. Flet quoque sed tanquam non flet, qui sic temporalibus damnis affligitur, vt tamen de æternis lucris semper animū consoletur. Gaudet verò, sed tanquam non gaudeat, qui sic temporalibus bonis hilarescit, vt tamen semper perpetua tormenta consideret, & in hoc quod mentem gaudio subleuat, hæc cōtinuò pondere prouidi timoris premit. Emit autem, sed quasi non possidens, qui ad vsum terrena preparat, & tamen cauta cogitatione præuidet, quod hæc citius relinquat. Mundo quoque vtitur, sed quasi, non vtatur, qui & necessaria cuncta exterijs ad vitæ suæ ministerium redigit, & tamen hæc eadem non sinit suæ mētī dominari: vt subiecta foris seruiant, & nunquā intentionē animi ad alta tendētis frangant. Qui cunq; igitur tales sunt, eis profectò terrena omnia non ad desiderij, sed ad vsum assunt: quia rebus quidem necessarijs vtuntur, sed nihil habere cū peccato cupiunt. De ipsis quoque rebus habitis quotidie mercedes acquirunt, & plus gaudent bono opere, quam bona possessione. Ac ne aliquibus ista difficilia esse videantur, rem de persona refe-

Ibidem.

ro, quam multi vestrum mecum nouerunt, quam videlicet rem ipse ante triennium in Centumcellensi vrbe à personis fidelibus didici. Nuper namque in eadem ciuitate Theophanius comes fuit, vir misericordiæ actibus deditus, bonis operibus intentus, hospitalitati præcipuè studens. Exercendi comitatus actibus occupatus, agebat terrena & temporalia, sed vt post ex sine eius claruit, magis ex debito, quam ex intentione. Nam cum propinquante mortis eius tempore grauissima aëris tempestas obstitit, ne ad sepeliendum duci potuisset, eumque coniunx sua cum steru vehementissimo inquireret, dicens: Quid faciam, quomodo te ad sepeliendum eicio, quæ ostium domus huius egressi præ tempestate nimia non possum? Tunc ille respondit: Noli mulier flere, quia mox vt ego defunctus fuero, serenitas aëris redit. Cuius protinus & vocem mors, & mortem serenitas est secuta. Cuius manus, & pedes podagræ humore tumescētes, & versu in vulneribus fuerant, & profuente sanie putebāt. Sed cum corpus illius ex more ad lauandum fuisset detectum, ita sanum repertum est, ac si vnquam vulneris nihil habuisset. Ductus itaque, ac sepultus est, cuiusque coniugi visum est, vt quarto die in sepulchro illius marmor, quod superimpositum erat mutari debuisset. Quod videlicet marmor corpori eius superimpositum, dum fuisset ablatum, tanta ex eius corpore fragrantia odoris emanauit, ac si ex putrescente carne illius pro vetribus aromata feruissent: Hæc igitur dixi, vt è vicino exemplo ostendere possem, nonnullos & secularem habitum gerere, & secularem animum non habere. Quos enim talis in mundo necessitas ligat, vt ex omni parte exui à mundo non possint, sic ea, quæ mundi sunt, debent tenere, vt tamen eis nesciant ex mentis fractione succumbere. Hæc ergo cogitate, & cum relinquere cuncta, quæ mundi sunt non potestis, exteriora exterijs benè agite, sed ardentius in æterna festinare. Nihil sit, quod desiderium mentis vestræ retardet, nullius vos rei in hoc mundo delectatio implicet. Si bonum diligitur, mens in bonis melioribus, id est, in cælestibus delectetur: si malum metuitur, mala animò æterna proponantur, vt, dum illic esse conspicit & amplius quod diligit, & amplius quod pertimescat, hic omninò non hæreat. Ad hæc agenda habemus mediatorum Dei, & hominum adiutorem nostrum, per quem citius cuncta obtinebimus, si ad illum vero amore flagramus: qui viuunt, & regnat cum patre, &c.

## BEDÆ VENERABILIS

presbyteri in idem Euang.

expositio.

**A**t ipse dixit ei. Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocauit multos. Quis iste est homo, nisi ille, de quo per prophetam dicitur: Et homo est, & quis cognoscit eum? Qui fecit cœnam magnam, quia satietatem nobis internæ dulcedinis præparauit. Qui vocat multos, sed pauci veniunt, quia nonnunquam ipsi qui ei per fidem subiecti sunt, æterno eius conuiuio male viuendo contradicunt. Et misit seruum suum hora cœnæ, &c. Quid hora cœnæ, nisi finis est mundi? in quo nimirum nos sumus, sicut iam dudum Paulus testatur dicens: Nos sumus,

sumus, in quos fines sæculorum deuenerunt. Si ergo iam hora cœnæ est cum vocamur, tanto minus debemus excusare conuiuio Dei, quāto propinquasse iam cernimus finem sæculi. Idcirco autem hoc conuiuio Dei, non prandium, sed cœna nominatur, quia post prandium cœna restat, post cœnam vero, conuiuium nullum restat. Et quia æternum Dei conuiuium nobis in extremo præparabitur, rectum fuit, vt hoc non prandium, sed cœna vocaretur. Sed quis per hunc seruum, qui à patre familias ad inuitandum mittitur, nisi prædicatorum ordo signatur? Ad repellendum autem fastidium nostrum, iam parata sunt omnia, quia ad abstergendum mentis nostræ teporem, in cœna Dei ille nobis singularis agnus occisus est, qui tulit peccata mundi. Et ceperunt simul omnes excusare. Offerit Deus quod rogari debuit, non rogatus date vult quod vix sperari poterat. Quia dignaretur largiri postulat, contemnitur vero paratus, delicias refectiois æternæ denunciat, & tamen simul omnes excusant. Sed dieunt aliqui, excusate nolumus. Ad illud enim supernæ refectiois conuiuium & vocari, & peruenire gratulamur. Qui verum profectio dicunt, si non plus terrena quam cælestia diligunt, si non amplius rebus corporalibus quam spiritalibus occupantur. Vnde hic quoque ipsa excusantium causa subiungitur, cum protinus subinfertur: *Primus dixit ei: Villam emi, &c.* Quid per villam nisi terrena substantia designatur? Exit ergo videre villam, qui sola exteriora cogitat propter substantiam. Et aliter dixit: *Iuga bouum emi quinque, &c.* Quid in quinque iugis bouum, nisi quinque corporis sensus accipimus? Qui recte quoque iuga vocati sunt, quia in vtroque sexu geminantur. Qui videlicet corporales sensus, quia comprehendere nesciunt interna, sed sola exteriora cognoscunt, & deserentes intima, ea, quæ extra sunt tangunt, recte per eos curiositas designatur. Graue namque curiositas est vitium, quæ, cum cuiuslibet mentem ad inuestigandam vitam proximi exterijs ducit, semper ei sua intima abscondit. Propter hoc namque & de eisdem quinque iugis bouum dicitur: *Et probare illa, quia videlicet aliquando pertinere probatio ad curiositatem solet.* Sed notaandum, quod & is, qui propter villam, & is, qui propter probanda iuga bouum à cœna sui inuitatoris excusatur, verba humilitatis permiscet dicens: *Rogo te, habe me excusatum.* Dum enim dicit, *rogo*, & tamen venire contemnit, humilitas sonat in voce, superbia in actione. Et ecce hoc diiudicat prauus quisque, cum audit, nec tamen ea, quæ diiudicat, agere desistit. Nam, dum cuiuslibet peruerse agentis dicimus, conuertere, Deum sequere, mūdum relinque, vbi hunc nisi ad dominicam cœnam vocamus? Sed, cum responderet, ora pro me, quia peccator sum, hoc facere non possum, quid aliud agit, nisi rogat, & excusatur? Dicens namque, peccator sum, humilitatem insinuat, subiungens autem, conuerti non possum, superbiam demonstrat. Et alius dixit: *Vxorem duxi, &c.* Quid per vxorem, nisi voluptas carnis accipitur? Nam, quamuis bonum sit coniugium, atq; ad propagandam sobolem prouidentia diuina constitutum: nonnulli tamen non per hoc fecunditatem prolis, sed desideria expetunt voluptatis. Et ideo per rem iustam significari potest non incongrue res iniusta. Ad cœnam nos ergo æterni conuiuii summus paterfamilias inuitat;

sed dum hunc terrena cura occupat, illum alieni actus sagax cogitatio deuat, alterius etiā mentem voluptas carnalis inquinat: fastidiosus quisque ad æternæ vitæ epulas non festinat. Et reuersus nunciavit hæc domino suo, &c. Ecce qui terrenæ substantiæ plus iusto incumbat, venire ad dominicam cœnam recusat, qui labori curiositatis infundat, præparata vitæ alimenta fastidit, qui carnalibus desiderijs inhæret, spiritalis conuiuij epulas respuit. Quia ergo venire superbi renunt, pauperes eliguntur. Cur hoc? quia iuxta Pauli vocem, infirma mundi eligit Deus, vt confundat fortia. Pauperes autem, & debiles dicuntur, qui iudicio suo apud semetipsos infirmi sunt. Nam pauperes, & quasi fortes sunt, qui & positi in paupertate superbiunt. Cæci vero sunt, qui nullum ingenij lumen habent. Claudi quoque, qui rectos regibus in operatione non habent. Sed, dum morum vitia in membrorum debilitate signantur, profectio liquet, quia sicut illi peccatores fuerunt, qui vocati venire noluerunt, ita hi quoque peccatores sunt, qui inuitantur, & veniunt, sed peccatores superbi respiciuntur, & peccatores humiles eliguntur. Hos itaque eligit, quos despicit mundus, quia plerumque ipsa despectio hominem reuocat ad semetipsum. Pauperes, & debiles, cæci, & claudi vocantur quod veniunt, quia infirmi qui que, atque in hoc mundo despecti plerumque tanto celerius vocem Dei audiunt, quanto & in hoc mundo non habent, vbi delectentur. Sed ductis ad cœnam pauperibus quid puer subiungat audiamus: *Domine, factum est vt imperasit, &c.* Multi tales ad dominicam cœnam ex Iudæa collecti sunt, sed multitudo, quæ ex Israelitico populo credidit, locum superni conuiuij non impleuit. Intrauit iam frequentia Iudæorum, sed adhuc locus vacat in regno, vbi suscipi debeat numerositas gentium. Vnde & eidem seruo dicitur: *Exi in vias & sepes, &c.* Cum de vicis, & plateis ad cœnam dominus inuitat, illum videlicet populum designat, qui tenere legem sub vrbana conuersatione nouerat. Cum vero conuiuias suos colligi ex viis, & sepibus præcipit, nimirum agrestem populum colligere, id est, gentilem querit. Notandum vero, quod in hac inuitatione tertia, non dicitur, inuita, sed, *compelle intrare.* Nam sunt nonnulli, qui bona faciendâ intelligunt, sed hæc facere desistunt. His, vt superius diximus, plerumque contingit, vt eos in carnalibus desiderijs suis mundi huius aduersitas feriat. Sæpe namque aut longa ægritudine tabescunt, aut afflicti iniurijs concidunt, aut percussi grauioribus damnis affliguntur, seque ipsos in suis desiderijs reprehendentes ad dominum corda conuertunt. Qui ergo huius mundi aduersitatibus fracti, ad Dei amorem redeunt, atq; à præsentis vitæ desiderijs corriguntur, quid isti nisi compelluntur vt intrent? Sed valde est tremenda sententia quæ protinus subinfertur. Alit enim, *Dico autem vobis, quod nemo virorum illorum, &c.* Ecce per se vocat, per angelos vocat, per patres vocat, per prophetas vocat, per pastores vocat, plerumque per miracula vocat, plerumque per flagella vocat, aliquando per mundi huius prospera vocat, aliquando per aduersa nemo contemnat. Ne, dum vocatus excusatur, cum voluerit intrare non valeat.

HAYMONIS EPISCOPI

Halberst. superioris Euang. expositio.

**H**omo quidam. Omnipotens Deus in exordio mundanae formationis, ad se cognoscendum, seque perpetually laudandum, duas rationabiles creaturas: angelicam scilicet & humanam, condidit. Sed quia angelica magna ex parte, per superbiam lapsa est, humanae naturae stanti invidit, eamque ad lapsum peccandi traxit, atque paradisi delictis privavit. unde scriptum est: Invidia diaboli mors intrauit in orbem terrarum. Has delicias primus homo amisit quando in paradiso praecipua vitae contempserat. Expulso autem a paradiso, tam longe ab eius delictis peccando effectus est, ut vix eas nominatas, recordari possit; atque spirituales paratas tangere, nisi per similitudines, & parabolae. Quia hoc inter carnales & spirituales delicias distat: quoniam carnales deliciae cum habentur in fastidio sunt, cum vero non habentur, in desiderio. At contra spirituales deliciae, tunc in fastidio sunt, cum non habentur, cum vero habentur eduntur, & quanto magis degustantur, tacito amplius desiderantur. Hinc Psalmista ait: gustate & videte quoniam suavis est dominus. Primum dixit, gustate, deinde dixit, videte: Ac si diceret: Eius dulcedinem percipere non potestis, si hanc minime gustastis. De quo & Apostolus Petrus dicit: Si enim gustastis quoniam dulcis est dominus. Quia ergo ab earum degustatione homo peccando longe recesserat, pius & misericors Deus, nolens humanam naturam, quae aliquid fragile, ad delinquendum habuerat, perire perpetuo: iterum penitentibus, has delicias preparavit, atque ad earum saporem, hominibus denuntiandum, seruum misit. Nam (ut supra retulit Euang.) cum diceret dominus Pharisaeo a quo fuerat inuitatus: cum facis prandium, aut cenam, noli inuitare eos qui te iterum reuertent, & fiat tibi retributio, sed voca pauperes, ac debiles, & beatus eris, quia non habent unde tibi retribuatur. Retribuetur enim tibi in retributione iustorum. Quidam de circumstantibus dixerunt: Beatus qui manducabit panem in regno Dei. Et dominus ad illos: Homo quidam scilicet. Spiritually homo iste, Deus est intelligendus, de quo scriptum est: Homo est & cognoscit eum: scilicet secundum deitatem. Et iterum: Homo natus & in ea, & ipse fundavit eam altissimus. Qui vero homo vocatur ab humanitate, quia benignissimam largitatem quotidie generi humano exhibet. Nullus. Sanè audientes hominem, capeamus haereticum Antropomorphitarum, qui dicunt Deum lineamentis corporeis compactum, cum eum veraciter credere debemus inuisibilem. Qui fecit cenam magnam. Quia satietatem aeternae beatitudinis ante mundi constitutionem preparavit electis, quibus dicitur: Venite benedicti patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi. Et ibunt in vitam aeternam haec erit cena sanctorum. Cena Graeco, Latine dicitur commune. Et dicitur cena à communione vescentium, quia antiqui semel in die comedebant, hora videlicet nona. Et illa comestio vocabatur prandium simul, & cena. Prandium, quia ibi sagrabantur. Cena, quia ipsi bis eo die non sumebant cibum. Et quia post prandium cena restat, post

Matth. 25.

cenam vero nullum conuiuium restat, dignum fuit, ut beatitudo aeterna, quae in fine dabitur electis, non prandium sed cena vocaretur, de quacena dicitur in Apoc. Beatus, & sanctus qui ad cenam nuptiarum agni vocatus est, & vocavit multos. Multos vocavit Deus omnipotens ad cenam suam, id est, ad patriam caelestem, & Iudaeos, & gentiles vocavit per Prophetas, per patriarchas, per apostolos. Vocat etiam quotidie per semetipsum clamans in euang. Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Et discite à me omnes, quia mitis sum, & humilis corde, iugum enim meum suave est, & onus meum leue. Et multi veniunt per fidem, & gratiam baptismatis, & pauci sunt, qui ipsam fidem quam percipiunt in baptismate, bonis operibus exornent. De quibus dominus alibi dicit: Multi sunt vocati per fidem, sed pauci electi per operationem. Et misit seruum suum hora cena. Quid designatur nobis per istum seruum nisi ordo doctorum, apostolorum videlicet, & martyrum, confessorum, & ceteri doctores sanctae ecclesiae, qui nos inuitant ad regnum caelorum: Huic ordini praedicatorum dicit dominus eo die quo ascendit in caelum. Eunt in vniuersum mundum praedicate euangelium omni creaturae. Hora cena. Quid per horam cenae, nisi nouissima aetas seculi intelligitur, in qua nos sumus modo positi: De qua Paulus apostolus. Nos sumus, in quos fines seculorum deueniunt. Et Ioan. euang. Filioli, nouissima hora est, id est, nouissima aetas seculi. In qua dominus ad iudicandum venturus est genus humanum. Dicere inuitatis, ut veniant. Qui sunt isti inuitati? Iudaei, qui fuerunt inuitati in Abraham, Isaac, & Iacob, per legislatorem Moysen, per Psal. & semper venire contempserunt, nolentes in filium Dei credere, ideo damnati sunt, & damnabuntur. Si aliquis diues vocaret pauperem ad prandium suum, quid faceret pauper? Ablueret corpus suum aqua, mutaret vestimenta sua, & calcamenta, & quantum ad conuiuium properaret diuitis, ut nullus cederet eum. Si homo pauper ita festinanter veniret ad conuiuium diuitis, quanto magis nos debemus ad conuiuium Dei omnipotentis, id est, ad vitam aeternam tota nisu mentis, ac corporis festinare, relinquendo malum, & faciendo bonum? Multo magis. Quia iam parata sunt omnia. id est, omnia gaudia patriae caelestis in praesentia Dei omnipotentis iam parata sunt omnia. Si praepararet se aliquis ad ea percipienda, illa iam parata sunt omnia. Et ceperunt omnes simul se excusare. Offert Deus sponte, quod a nobis rogari debuerat. Nos, qui euangelium audiuimus, reprehendimus eos, qui ad dominicam cenam vocati venire contempserunt, sed quod in illis reprehendimus, nos ipsi aliquando agere non desistimus. Nam quando episcopus, aut presbyter, aut aliquis doctor ecclesiae dicit alicui peccatori in seculari habitu constituto: relinque seculum, sequere Christum, peccata tua elemosynis, & poenitentia dilue, quod, nisi ad cenam dominicam inuitat? Sed cum ille responderet, homo peccator sum, ora pro me, non possum facere quod dicis, vxorem habeo, filios, vasallos, & beneficijs terrenis abundo, non possum omnia relinquere, humilitatem praetendit, & superbiam demonstrat se habere. Dum enim dicit homo peccator, ora pro me, humilitatem praetendit in voce, dum autem subiungit, non possum facere, quae mihi praedicas, & superbiam ostendit in operatione.

Primus

primus dixit illi: villam emi. & necesse habeo exire, & videre illam, rogo te, habe me excusatum. Per villam designatur terrena substantia. Consideremus quid agitur in villa. Exarantur arua, ut reddant fruges, excoluntur vineae ut bibatur vinum illarum, inseruntur arbores, ut colligantur poma ab insertoribus, nutriuntur pecora, ut comedantur lac, & carnes eorum, & ideo non inconuenienter per villam designatur terrena substantia. Villam igitur emit, & exit videre illam, qui semper terrena cogitat, terrena diligit, & amplectitur propter sustentationem vitae praesentis. Ille talis dum plus iusto temporalia requirit, venire ad cenam dominicam renuit. Et alter dicit: Iuga boum emi quinque. Quid in quinque iugis boum nisi quinque sensus corporis debemus intelligere, visum, auditum, gustum, olfactum, & tactum? Qui ideo iuga vocantur, quia in vtroque sexu geminantur, in viris videlicet, & foeminis. Habet viri visum in oculis, auditum in auribus, odoratum in naribus, gustum in ore, tactum in manibus, vel in reliquo corpore, habent & mulieres. Per istos quinque sensus solummodo exteriora comprehendimus, quae videntur, & audiuntur. Interna vero, id est, sacramenta spiritualia non comprehendunt, nisi mentis rationabilitate, & ideo non incongrue per quinque iuga boum designatur curiositas, unde dicitur, eo probare illa, quia probatio saepe ad curiositatem pertinet. Curiositas dicitur cura superflua, cura inanis, quando homo alterius peccata scrutatur & perquirat, & sua obliuiscitur. Graue enim vitium est curiositas, quia quatuor magis homo vitam alterius exquirat, tanto magis suam negligit. Non dicimus hoc de illis, quibus cura animarum imposita est, sicut sunt presbyteri, & praetati ecclesiae sanctae, quibus dicitur per Ezechiel. prophetam à domino: Speculatores dedi te domui Israel. Et per Hic. Probatores dedi te, ut probes facta singulorum. Sed de illis dicimus, qui principatu carent, & tamen semper volent esse conficij peccati alieni, propter hoc ad cenam dominicam venire recusant. Et alius dicit: Vxorem duxi. In his tribus multi designantur. Vxorem duxi. Per vxorem designatur hic carnalis voluptas. Deus omnipotens ideo dedit primo homini vxorem, ut amore filiorum ductus coiret cum illa. Sed cum coniugium sit à Deo institutum propter propagationem filiorum: nonnulli tamen propter amorem libidinis accipiunt vxores. Et ideo per rem iustam, id est, per coniugium licitum, designatur res iniusta, id est, libidinosae voluptas. Quisquis enim vxorem non amore sobolis procreandae, sed amore libidinis actus ducit, ut die noctuque vacet libidini, sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus, ad cenam dominicam festinare dissimulat. Et reuersus seruus nuntiavit haec domino suo. Ille seruus, sicut superius diximus, signat ordinem sanctorum doctorum, apostolorum, & apostolicos viros, qui omne bonum, quod agunt, Deo renunciant, quia non suis meritis, sed gratiae Dei illud deputant. Tunc iratus paterfamilias dixit seruo suo. Si per istum hominem sicut superius diximus, designatur dominus Iesus, cur dicitur iratus cadat, iuxta quod scriptum est de eo? Tu autem cum tranquillitate omnia iudicas. Deus omnipotens immutabilis est, non potest mutari à laetitia in tristitiam, sed ira Dei vindicta eius intelligitur. Sicut verbi gratia. Rex, aut iudex ira-

Exech. 11. Hom. 6.

tus videtur reo esse; quando iusto iudicio eum condemnat, licet in sua tranquillitate maneat. Sic Deus omnipotens iratus nobis videtur esse: cum peccatis nostris vindictam reddere compellitur. Quae fuit ira Dei contra eos, qui vocati ad cenam venire noluerunt, in subsequentibus demonstratur, cum dicitur, Dico autem vobis, quod nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit cenam meam, id est, nullus gustabit de gloria aeterna. Exi cito in plateas, & in rivos ciuitatis. Populus Israeliticus accepit à domino legem, quam custodire debuisset in ciuitatibus, in vicis, & plateis. Et ideo haec verba proprie ad Iudaeos pertinent. Et pauperes, & debiles introduc huc. Congruit iste sermo cum superiori, vbi dictum est, Cum facis prandium, aut cenam, noli vocare amicos potentes, atque nobiles. Videamus spiritualiter, qui sunt pauperes. Pauperes, & debiles sunt, qui neque diuitiis terrenis abundant, suis virtutibus confidunt, sed suo iudicio infirmi sunt, & peccatores. Caeci sunt, quia nullum ingenij lumen habent, & non habent doctrinam noui, & veteris testamenti, quia verbu Dei illuminatio est, iuxta quod Psalmus dicit, lucerna pedibus meis, verbum tuum, domine, & lumen semitis meis. Caeci sunt, quia licet lumen scientiae habeant, gressus tamen, id est, incessum bonae operationis non possident, & ideo datur nobis hic intelligi, quia, sicut superius dictum est, peccatores fuerunt, qui inuitati venerunt, sed peccatores superbi respuuntur, peccatores humiles colliguntur. Cur hoc? Quia iuxta Apostoli Pauli vocem, infirma mundi elegit Deus, ut fortia quae confunderent: quos despicit mundus, hos eligit Deus. Tunc ait seruus, domine factum est ut imperasti, id est, multi ex Iudaeis collecti sunt ad cenam tuam. Sed adhuc vacuus est locus, id est, regnum caelorum, vbi possit recipi numerositas gentium. Et ait dominus seruo: Exi in vias, & sepes. Populus gentilis in sepiibus erat. Ligna sepium tortuosa sunt, & instructuosa. Similiter & gentiles tortuosi erant, quia idola pro Deo colebant, infecundi erant, quia bonis operibus carebant. De his lignis dicit Psalmista: Tunc exultabunt omnia ligna sylvarum à facie Domini quia venit. De illo aduentu filij Dei dicitur. Veniens in mundum per incarnationis mysterium, & mittens Apostolos praedicare gentibus verbum Dei, exultauerunt ligna, id est, gentiles, & effecti sunt recti per fidem, qui antea erant tortuosi propter infidelitatem, effecti sunt etiam fructuosi bonis operibus, qui antea erant steriles, & infecundi. Exi in vias, & sepes, id est, transi ad populum nationum. Apostolis dicitur, hoc est, quod alibi eis praecipit post resurrectionem suam. Eunt in vniuersam mundum praedicate euangelium omni creaturae qui crediderit & baptizatus fuerit saluus erit, qui vero non crediderit condemnabitur. Notandum autem quod in hac tertia inuitatione, non dicitur: Voca, sed Cōpelle intrare. Sunt enim plerique qui non facile ad Deum conuertuntur, nisi prius aut infirmitate, aut paupertate, aut aliqua necessitate coacti fuerint. Quod illa parabola Euangelica, de filio prodigo ostendit: qui cum egere cepisset, ad se reuersus dixit: Quanti mercenarij, in domo patris mei abundant panibus hic autem fame pereor. Surgam & ibo ad patrem meum & dicam illi: pater peccati in caelum & coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut vnum de

1. Cor. 1.

Psal. 95.

Matth. 16.

Luce. 15.

mercenariis tuis. Et de talibus ait Psalmista: Cum occideret eos, tunc inquirebant eum. Et per Prophetam: Tantummodo sola vexatio dat intellectum auditui. Nonnulli enim electi post carnis desideria currere desiderant, cum amatoribus mundi, communem vitam ducere, sed oculus diuinæ misericordiæ, eorum impias actiones præueniēs, alios infirmitate affligit, alios paupertate atenuat, alios necessitatibus variis coangustat. Cumque post flagella ad Deum conuertuntur, quos ad conuiuium eius, intrare compelluntur. Talibus per Prophetam dicitur: Virga & flagello, castigaberis filia Syon, vt non discedat zelus meus à te. Tales significauit puer ille Amalachites, de quo in Regnorum libris legitur: qui sociis fugiētibus, infirmus in via remansit, quem Dauid persequēs, reperit, cumque cibo & potu refocillauit, atque ducem sui itineris fecit, & ipse postea ad hanc Dauid Amalachitas percussit, à quorum confortio infirmus in via remansit. Amalachites enim qui lam-bens populum interpretatur, mundi amatores significat qui de aliorum facultatibus ditari desiderant. Sunt enim nonnulli electi, qui cum talibus communem vitam ducere optant, sed cum misericordia Dei præueniente, aut infirmitate, aut necessitate præpediuntur quasi infirmi in via remanent. Quos Dauid, id est, manu fortis, Dominus scilicet Iesus Christus reperiens spiritali cibo & potu refocillat, atque illorum mentes ad caelestia sitienda accendit. Et solet contingere, vt ipsi postea ad Deum conuersi, amatores mundi, spiritali gladio increpandos feriant, cum quibus prius communem vitam, in seculo ducere desiderabunt: quilibet per Osee Prophetam, pie comminatur, dicens; Ecce ego sepiam viam tuam spinis, & sepiam eam maceria, & sequeris amatores tuos, & non apprehendes eos, quæres & non inuenies eos, & dices; Reuertar ad virum meum priorem, quia bene mihi erat tunc magis quam nunc. Valde autem terribile est, quod in conclusione huius parabola dicitur: Dico autem vobis quod nemo virorum, &c. Scimus quod omnes vocati sumus: vtrum autem ad æternam beatitudinem degustandam peruenturi, adhuc ignoramus. Multis enim modis vocat nos Deus; per fidem, per baptismum, per exempla patrum, per prospera & aduersa, per somnia & reuelationes. Quia ergo inexcusabiles sumus de vocatione, solliciti debemus esse, necesse est, in bona operatione. Ne tempore iudicij, à conuiuio Dei exclusi, cum fatuis virginibus, fame pereuntes, & clamantes: Domine domine aperi nobis, audiamus. Amen dico vobis, nescio vos: Sed potius cum prudentibus virginibus, in æternam societatem de visione conditoris, iugiter epulemur, Amen.

INCERTI AVTHORIS

sub nomine Eusebii Episcopi Emisseni superioris Euangelij expositio.

Hic enim homo, ipse est qui hæc loquitur, Iesus Christus dominus noster. Magna autem eius cœna, hæc euangelia sunt, quæ ipse quidem nobis præparauit, quæ & nos quotidie legimus, legendo comedimus, & mentem reficimus. Magna quidem est hæc cœna, cunctisque deliciis plena, quæ omnibus etiam sufficienter administrat. Ad

hanc autem cœnam vocauit dominus multos, Iudæos scilicet, & Gentes, sed Iudæos primum, deinde Gentes. Quia enim Iudæi venire noluerunt, Gentes vocati sunt. Vnde & subditur, *Et misit seruos suos hora cœnæ dicere inuitatis vt venirent, quia iam parata sunt omnia. Et ceperunt omnes simul excusare.* Tunc enim primum seruos suos dominus misit, quando suis discipulis ait, in vias gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis, sed potius ite ad oues, quæ perierunt domus Israel: Euntes autem prædicate, dicentes quia appropinquauit regnum cœlorum. Hoc est enim, quod hic dicitur, *Quia iam parata sunt omnia.* Mortuos suscitauit, leprosos mundate, dæmones eicit: gratis accepistis, gratis date. *Euntes igitur serui dixerunt inuitatis vt venirent. At illi ceperunt omnes simul excusare.* Ad hanc enim cœnam iam ante Christi incarnationem omnes Iudæi inuitati fuerant, & patriarchæ & prophetæ eos inuitauerant. Illi autem venire noluerunt, sed ceperunt omnes simul excusare. *Primus dixit ei, Villam emi, & necesse habeo exire, &c.* In illo enim, qui villam emit, auariciam: in illo, qui emit quinque iuga bouum, falsam religionem: in illo vero, qui vxorem duxit, luxuriam, & carnis voluptates cognoscimus. Multos enim hæc tria separant à regno Dei. Villam enim emit, qui huius mundi possessiones, diuitias, honores, & dignitates querit. Ad hanc autem villam ille exire, semperque videre eam desiderat, qui in his multum delectatur, omnemque suam spem in eis ponit. Talibus autem si quando Episcopi, & sacerdotes meliora persuadent, promittunt se facere, quod eis præcipitur, sed impedimenta obiciunt, excusationes inueniunt, & vt ipsi pro eis Deum deprecantur exorant. Hoc autem quid est aliud dicere, nisi, *rogo te habeo me excusatum?* Quinque autem iuga bouum, quinque sunt libri Moyse. Hos autem Iudæi emerunt, pro his circumcisi sunt, pro his decimas & primitias & sacrificia offerunt. Hos tamē nondum probatos habet, quia nondum eos intelligunt. Si enim eos intellexissent, nulla esset excusatio, quin ad hanc cœnam iam venissent. Sed quia eos non intelligunt, dum eos venerari se simulant, suam iustitiam querentes statuere, iustitiæ Dei non sunt subiecti. Vt enim apostolus ait, zelum Dei habent, sed non secundum scientiam. His autem & si excusationem querant, excusatio tamen nulla erit. Sic enim ait dominus, Si non venissem, & loquutus eis non fuisset, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo. Bene autem non per quinque boues, sed per quinque iuga bouum, hi quinque libri significatur: quoniam dupliciter intellecti (id est, secundum literam, & secundum spiritualem intelligentiam) quinque iuga faciunt. Qui vero sic eos coniunxerit, confidenter cum eis in agro dominico laborare, & arare potest, quorum quidem labor inutilis est, si abinuicem separati fuerint. Iudæi enim, qui alterum boue, id est, intellectum spiritualem non habent, in altero boue, id est, in sola litera laborare volentes, nullum de labore fructum suscipiunt. Illi vero vxorem ducunt, qui se luxuriæ carnisque voluptatibus per omnia subiiciunt. Inter quos illi computari non debent, quibus apostolus ait, *Qui habet vxores, tanquam non habentes sint.* Et isti quidem excusati non querunt, quia solam hanc vitam diligentes, aliam pro nihilo ducunt. Congitunt enim (vt apostolus ait) de

his solummodo, quæ mundi sunt, quomodo placeant vxori. *Et reuertus seruus nuntiavit hæc domino suo.* Vnde Elias, Domine, quis credit auditui nostro? *Tunc iratus paterfamilias dixit seruo suo, Exi circo in plateas, & vicos ciuitatis, & pauperes, ac debiles, & cæcos & claudos introduc huc.* Quia enim Iudæi ad cœnam venire & credere noluerunt, ad Gentes apostoli mittuntur. Vnde apostolus, Vobis (inquit) primum oportebat prædicari verbum Dei: sed quia repulistis illud, & indignos vos fecistis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes. Pauperes enim, debiles, cæci, & claudi erant Gentes, quia nec legis diuitias, nec virtutum fortitudinem, nec scientie lumen habebant, nec in via mandatorum Dei rectis pedibus incedebant. Inuitati tamen ad conuiuium Christi, diuites, & fortes facti sunt, & interior illuminati iam in via non errant, sed recto tramite gradiuntur. *Et ait seruis, Domine, factum est vt imperas, & adhuc locus est.* Iste enim locus tunc complebitur, quando hæc vita finietur. Adhuc enim quotidie mittuntur serui, adhuc ad hanc cœnam veniunt fideles, alijs per baptismum, alijs per penitentiam festinantibus. Iam neque vigineque sepes, neque locus vllus siue abditus siue manifestus relictus est, ad quem Christi serui scrutandum non peruenierunt. Qui igitur huic cœnæ defuerint, non seruorum negligentia, sed sic hoc inobedientia deputent. Sequitur: *Dico autem vobis quod nemo virorum illorum qui vocati sunt, gustabit cœnam meam.* Nemo enim illorum, qui vocati sunt, & venire noluerunt, Christi cœnam gustabit, nemo eorum simul cum sanctis ad æterni conuiuij epulas intrabit.

THEOPHYL. EPISCOPI  
Bulgar. superioris Euangelij  
expositio.

**A** Tipse dixit ei, Homo quidam apparauerat cœnam magnam, &c. Quum dixisset is, qui simul accubuerat, beatum eum, qui comedit prandium in regno Dei, dominus docet eum larius, quomodo oporteat nos intelligere conuiuium Dei, & parabola hanc dicit: hominem quidem nominans misericordem suum patrem. Quando enim vindictiuam Dei virtutem scriptura significat, pantheram, & vrsum, & pardum eum vocat: quando autem misericordiam vult insinuare, hominem inducit: sic & nunc misericordissimam eius dispensationem intelligens, quam operatur in nobis, qua nos facit participes carnis filij sui, hominem eum nominat. Cœnam enim magnam vocauit dispensationem hanc. Cœnam quidem, eo quod in nouissimis temporibus, etenim ad vespeream seculi venit dominus. Magna autem cœna hæc, quoniam ex confesso magnum est salutis nostræ mysterium. Et misit seruum suum hora cœnæ. Quis est seruus ille? Is, qui, forma serui assumpta, filius Dei homo factus, & vt homo missus esse dicitur. Attende quomodo non dixerit seruum, sed eum articulo, *seruum illum suum.* Illum proprie dixit, qui iuxta formam humanam ei placuit, & seruiuit. Non enim vt filius, & Deus tantum beneplacitus est patri, sed & sicut homo ipse solus sine peccato, omnibus paternis consilijs, & mandatis ministravit, & paruit: & implens omnem iusticiam, seruire dicitur Deo, & patri; ideo

& ipse solus proprie seruus Dei dicitur. Hora autem cœnæ missus est, hoc est definitio, & opportuno tempore. Non enim aliud tempus commodius fuit salutis nostræ, quam quo regnabat Cæsar Augustus, quum in summo esset malitia, quæ destrui oportebat. Sicut enim medici sinunt in seui morbi vlcibus humorem colligi, & deinde remedia apponunt: ita & peccatum oportebat omnes species suas indicare, & deinde magnū medicum imponere pharmaca. Et propterea expectauit Christus, donec diabolus malitiæ mensuram imple-ret, & tunc demum incarnatus est, & omne genus malitiæ per sanctam vitam suam sanauit. Missus est igitur in tempore, hoc est, opportuno, & accommodo tempore, sicut & Dauid dicit, Accingere gladio tuo super femur tuum potenter tempestiuitate tua. Omnino enim gladius verbum Dei, per femur autem natiuitas in carne significatur. Tempestiuitas autem fuit, hoc est, opportu-num tempus. Missus vero est, vt diceret inuitatis. Qui sunt ij, qui vocati sunt? Fortassis omnes homines. Omnes enim vocauit Deus ad sui agnitio-nem, partim per ordinatam inuisibilibus constitu-tionem, partim per naturalem legem. fortassis enim magis proprie Israelitas, qui per legem, & prophetas vocati fuerunt. Ad illos igitur missus est primum dominus, vt ad oues domus Israel. Ipse enim dicebat, *Venite, quia parata iam sunt omnia.* Prope enim esse regnum Dei, omnibus euangeli-zabatur dominus, & intra nos. At illi ceperunt si-mul omnes excusare. Omnes enim principes Iudæorum detestabant Iesum habere regem, & cœnam non meruerunt: & alius quidem propter diuitiarum cupiditatem, alius autem propter volup-tatem. Nam ille quidem villam emerat, & alius iuga bouum, qui signant diuitiarum cupidos. At alius, qui vxorem duxerat, voluptarius erat. Insu-per & is villam comparat, qui propter mundana-m sapientiā non accipit mysterium. Villa enim est & mundus hic & natura simpliciter. Qui au-tem naturam obseruat, non recipit hoc, quod super naturam est. Igitur phariseus, qui villam forte comparauerat, hoc est, qui respexerat ad naturæ leges, non recipit virginem parere Deum, quod super naturam est: sed & omnes, qui in externa sapientia gloriantur, propter villam hanc, hoc est, naturam, ignorauerunt eum, qui condiderat, & innovat naturæ ordinem, Iesum. Porro, qui iuga bouum quinque emit, vt probaret, signat carnalem hominem, qui quinque sensus animæ corporalibus coniunxit, & animam carnem fecit: & propter hoc, vt prope circa terrena occupatus, non vult spiritualis cœnæ particeps esse. Dicit enim Sapiens; Quid calumniatur, qui alteri præuale-t? At qui propter vxorem excidit, voluptarius vtique fuerit, qui carni vt coniugi animæ alligatus est, & quem est in illa, quasi ei adhærens, Deo placere non potest. Intelligas autem hæc omnia & iuxta literam. Etenim excidimus à Deo & propter vil-las, & propter iuga bouum, & propter nuptias. Ad-hærentes enim illis, & totam vitam in ea impen-dentes, & vsque ad sanguinem vexati, & excoriat-i, nullum diuinum vel sensum, vel verbum cogi-tamus, vel attentamus. *Et veniens seruus ille remun-ctauit hæc domino suo. Tunc iratus paterfamilias, &c.* Nam abieci sunt principes Iudæorum, & nullus ex illis credidit Christo: & ipsi gloriabantur in malitia, vt dicit, Num quis principum credidit in

Psal. 44.

Deus omnes vocat, sed alios alijs modis.

Matth. 22.

Prover. 14.

Ioan. 7. Hier. 8.



eam? Proinde docti in lege, ac scribæ (vt propheta dicit) infatuati, gratiam amiserunt, idiotæ autem, & ludæi, qui cæcis, & claudis, & debilibus comparantur, & stulti sunt huius mundi, & mirè contempti, hi vocati sunt. Turbæ enim admirabantur super gratia, quæ de ore Iesu procedebat, & gaudebant in doctrina. Postquam autem intrauerunt Israëlitarum, electi inquam, quos in gloriam suam prædestinarat Deus, quales fuerunt Petrus, & filij Zebedæi, & multa alia millia eorum, qui crediderunt, benignitas Dei etiam in gentes diffusa est. Per hos enim, qui in via, & apud sepes, gentes intelligendæ sunt. Israëlitarum enim fuerunt intra ciuitatem, vt ij, qui legem susceperant, & ciuiliorem vitam sortiti. Gentiles vero à testamentis, & à lege Dei alieni erant, & non facti ciues sanctorum, nec in vna, sed in multis iniquitatibus, & rusticitate magna versabatur: & apud sepes, peccata dico. Peccati enim magna sepes est, & interstitium diuidens nos à Deo. Per vias itaque, pecuniam gentiliū vitam, & in multas dissectam opinionones, per sepes vero intelligit vitam illorū in peccatis. Non simpliciter autem iubet illos vocare: sed, *compelle*, inquit: quamuis voluntariū sit omnibus credere. Cæterum, vt sciamus magnæ virtutis Dei esse, credidisse gentes in tanta versantes ignorantia, ideo dixit, *compelle*. Nisi enim magna prædicaretur virtus, & magna esset verbi veritas, quomodo persuasi essent homines in idolorum cultu insipientes, & fœda operantes, vt repente agnoscerent verum Deum, & spiritualem diligenter vitam? Igitur admirabilem translationem significare volens, necessitas enim nominauit, quasi diceret quis, Gentiles etiam idola, & delicias relinquere nolentes, à prædicatione tamen veritatis & ea relinquere coacti sunt. Vel aliter, Virtus signorum magnam afferebat necessitatem, vt transferrentur ad fidem Christi. E quoque diæ cœna illa præparatur, & vocamur omnes ad regnum, quod Deus præparauit ante mundi originem hominibus: sed alij quidem propter sapientiæ curiositatem, alij vero propter rerum terrenarum cupiditatem, alij autem propter carnalitatem, non merentur illud. At Dei misericordia alijs peccatoribus hoc largitur, qui cæci mentalibus oculis sunt, & non intelligunt, quæ sit voluntas Dei, vel intelligunt quidem, sed claudi sunt, & ad operandum tardi, ac immobiles, & omnino debiles ac pauperes, eo quod superna gloria exciderint, neque immaculata vita conspicui fuerint. Illis igitur peccatoribus in latis, ac spacijs peccatorum vijs errantibus, mittit pater filium suum, ad cœnam inuitat, qui secundum carnem seruus fuit, qui nō venit vt vocet iustos, sed peccatores, inuitatq; illos liberaliter præ doctis illis, & diuitibus, & carni indulgentibus. Multos autem morbos & pericula immittendo, facit eos etiam inuoluntarios renunciare huic vitæ; quibus iudicis solet inducere illos ad cœnam suam, necessitatem illis faciens periculationem: & huius exempla multa sunt. Docet autem parabola hæc nos simplicius pauperibus, & debilibus potius dandum, quam diuitibus, id quod & paulo antea admonuerat propterea istud videtur parabola dicere, per hoc credibilis faciens pauperes vocandos, discimus & aliud, debere nos esse alacres & liberales ad pauperum susceptionem, atque etiam ita nolentes cogamus eos vt participes fiant nostro-

Supr. 14.

Ephes. 2. Colos. 1.

Vides hinc au-  
torem agno-  
scere sile, li-  
cu sit volum-  
taria esse ta-  
men magnum  
diuine virtu-  
tis opus.

Matth. 9.

Non, quod  
reuera coacti  
operentur, sed  
quod aliquin-  
tia factum no-  
fuisse, si ali-  
ter eis accidis-  
set.

rum bonorum. Hoc & Magistri admoneantur, quod operæ precium sit, discipulos etiam nolentes docere.

EVTHYMII ZIGABONI superioris Euang. expositio.

**H**omo quidam. Parabolam subinfert, quod nullus qui ei, non obedierit, fruatur regno Dei. Hominem itaque vocauit Deum patrem, tãquam humanum ac hominem amatorem. Cœnam vero magnam, ineffabilem regni Dei fruitionem, quam ideo cœnam vocauit, quod finem nesciat: quam iuxta Matthæum prandium appellauit. Et vocauit multos, puta duodecim tribus Israël ipse enim, ante omnes vocatæ erant, vt pote populus à Deo electus.

*Vniuersorum creator & Pater Deus fecit cœnã, hoc est dispensationem euangelicam, ad quam omnes conuenirent. Cœnam autem vocat non prandium, quia in postremis temporibus, & ad vesperam seculi. Parauit ergo peccatorum depositionem, spiritus sancti participationem, adoptionis splendorem, regnum celorum, ac variatam euangeliorum.*

*Et misit seruum illum suum, &c.* Seruum patris dicit seipsum, eo quod serui formam acceperit: non tamen simpliciter seruum, sed cum articulo, seruum illum, qui secundum humanitatem ad Iudæos missus est, vt eos ad prædictam fruitionem vocaret per euangelium. *Et ceperunt omnes simul excusare.* *æwō quæ ab vna, puta pactione, vel fœdere: hoc est, in vnum, & communiter (nos simul vertimus.)* *Primum dixit ei, Villam emi, &c.* Diuersæ excusationes nihil aliud indicant, quàm varios animi morbos, & affectiones, præter quas dicta fruitione priuati sunt: Nam hic quidem ista detentus, alter autem illa, tertius vero alia, euangelium repulerunt, per quod hanc oportebat assequi fruitionem, tãquam propositis, & electionibus suis contrarium. Et hic *æwō* non interrogo significat, sed obsecro. *Et reuersus seruus ille, renuntiavit hac domo suo.* Hæc dixit, non quod pater reculationem illorum ignoraret, sed propter parabolæ consequentiam: moris enim iis est, qui ad vocandum aliquos emissi sunt, reuertere, ac renunciate de illis. *Tunc iratus pater familias dixit seruo suo, &c.* Qui recusauerunt, erant pontifices, & scribæ, ac Pharisæi, & quique honoratiores populi: hi vero, qui loco illorum introducti sunt, communes, & abiecti, ac plebei: qui iudicantur à prioribus pauperes, ac debiles, claudi, & cæci, vt pote incompositi, & indocti, qui potius Christo docenti obedierunt. Vel etiam de iis, qui sensibilibus huiusmodi affectionibus erant obnoxij intellige: qui ab eis liberati per fidem, introducti sunt ad dictam fruitionem. *Et ait seruus: Domine, factū est, vt imperas illi, &c.* Humanus, ac benignus sermo est, suggerens etiam de gentibus. *Dixitque dominus ad seruum: Exi in vias, &c.* Viæ sunt habitationes gentium, vt pote non munitæ lege, ac diuina custodia, seu visitatione, sicut habitatio Iudæorum: vel tanquam à dæmonibus conculcatæ. Similiter & sepes, tanquam peccatorum spinis stipatæ: vel tanquam circuitum igne dignum habentes. Cogi vero iussit eos, qui ex Gentibus erant, non quod violentiam inferri præceperit, sed subindicans, quod vehementiorem, ac constantiorem adhiberi prædicatio-

cationem eis oporteat, vt pote fortiter à dæmonibus detentis, & in profundis erroris tenebris dormientibus. *Vt impleatur domus mea.* Vult enim omnes introduci proter immensas suæ bonitatis diuitias. *Dico enim vobis, quod nullus virorū illorum, &c.*

Vt qui inobedientes fuerunt, ac vocationem, siue prædicationem spreuerunt. Ob hunc ergo sermonem tota parabola composita est, quemadmodum in principio eius diximus.



DOMINICA III. POST PENTECOSTEN.

L V C. 15.



**N**illo tempore, Erant appropinquantes ei <sup>a</sup> Publicani & peccatores vt audirent illum: <sup>b</sup> & murmurabant Pharisei & Scribæ, dicentes: quia hic <sup>c</sup> peccatores recipit, & manducat cum illis. Et ait ad illos parabolam istam, dicens: Quis ex vobis homo qui habet centum oues, & si perdiderit vnā ex illis, <sup>d</sup> nonne dimittit <sup>e</sup> nonaginta-nouem in <sup>f</sup> deserto, & <sup>g</sup> vadit ad illam quæ perierat, donec <sup>h</sup> inueniat illam. Et cum inuenit eam, imponit in humeros suos gaudens, & veniens domum conuocat amicos & vicinos, dicens illis: Congratulamini mihi: quia inueni ouem meam quæ perierat. Dico vobis, quod ita <sup>i</sup> gaudium erit in celo super vno peccatore <sup>k</sup> poenitentiam agente, quàm super nonaginta-nouem iustis, qui non indigent poenitentia. Aut quæ mulier habens <sup>l</sup> drachmas decem, si perdidit drachmam vnā, nonne accendit lucernam, & euertit domum, & quærit diligenter donec inueniat eam? Et cum inuenit, conuocat amicas & vicinas, dicens: Congratulamini mihi, quia inueni drachmam quam perdideram. Ita dico vobis, gaudium erit coram angelis Dei super vno peccatore poenitentiam agente.

<sup>a</sup> Qui publica vestigalia exigunt vel conducunt, & qui luera seculi per negocia sedantur.  
<sup>b</sup> Duplitate erant: quia & se iustos putant cum sint superbi, & illos reos cum iam poenitent.  
<sup>c</sup> Quasi dicat, contrarius est legi quæ hoc prohibet.

<sup>d</sup> Dices pastor, cuius nos omnes centesima portio sumus. <sup>e</sup> Angelicam naturam in summa beatitudine existentem quasi relinquit, dum seipsum exinanit.  
<sup>f</sup> Id est, in celo, quod desertum est ab homine peccante. <sup>g</sup> Dum per prædicationem vocat. <sup>h</sup> Inuenit dum conuertitur aliquis.  
<sup>i</sup> Vel coram angelis Dei.  
<sup>k</sup> Poenitentiam agens, est peccata mala plangere & plangenda non peccata.

GLOSSA ORDINARIA in superioris Euang.



**R**ANT. Quia non solum iustus per inertiam peccare, sed & peccator per solertiam potest respicere: post cæcationem infatuati salis cohors poenitentium iustus admittit describitur, qui ad audiendum verbum Dei propinquantes non solum ad colloquendum, sed etiam ad conuiscendum recepti sunt. Vnde dedignantur Pharisei, quia falsa iustitia nō compassionem sed dedignationem habet. Sed quia ægri erant, ita vt se esse ægros nescirent, quatenus quod erant agnoscerent: celestis medicus paradigma obijcit, quo in eorum corde vulneris tumorem premit, dicens: *Quis ex vo.* Dideras in superioribus abnegare negligentiam, vitare arrogatiam, deuotionem sumere, seculari-

bus occupationibus non teneri, caduca non præferre perpetuis. Sed quia fragilitas humana firmij nequit in tanto seculi lubrico tenere vestigium, etiam aduersus errorem, remedium tibi medicus demonstrat, scilicet iudex sp̄e veniæ non negat. Vnde sanctus Lucas tres ex ordine perabolas ponit, ouis, drachmæ, filij. *Centum oues*, quia centenarius numerus perfectus est. Deus centum oues, id est, perfectum numerum habuit, cū angelorum & hominum substantiam creauit. sed vna periit, quando homo pascua vitæ peccando dereliquit, ergo quia rationalis creaturæ numerus pereunte homine erat diminutus, quærit in terra hominem vt summa integretur. *Nome di.* quasi dicat, murmuratis, quia peccatores recipio, sed ego non veni nisi vt aberrantes colligam, sicut vnusquisque vestrum aberrantem ouem reducere laborat. *Impo. in hu.* <sup>1. Pet. 2.</sup> Ouem in humeris posuit, qui humanam naturam suscipiens, peccata nostra ipse portauit. vnde hu-

meri Christi crucis brachia sunt, illic peccata nostra depoluit, in illa nobis patibuli ceruice requieuit. *Et v.* Reparato homine ad cælum redit pastor, ibi angelorum choros inuenit. Qui amici, quia in stabilitate sua voluntate eius cõtinuè custodiunt, qui & vicini, quia claritate visionis eius fruuntur. Et nota, quod nõ dicit: Congratulamini oui inuentæ, sed mihi quia gaudium eius est vita nostra. *Dico vobis.* In nonaginta nouem, iustorum numerus intelligitur: in vna oie peccatorum. vnde alibi: Non veni vo. in, sed pec. Dicit ergo: Maius gau. erit in cæ. su. vno pec. pcc. agen. quam su. no. no. iu. qui non in. p. Quia vt quotidie experimur, qui illicita non commiserunt, in rebus licitis sepe sibi vsum præbent, ad cælestia anxie non anhelat. Et quia securi sunt, ad bona agenda pigri remanent. *Econtra autem peccator* plerumque facit. Maius ergo gaudium de eo quam de stante iusto, vti dux in prælio, plus eum militem diligit, qui post fugam reuersus hostem fortiter premit, quam eum qui nõquam fugit, nec vnquam fortiter egit. Sed & sunt quidam iusti, de quibus tantum gaudium est, vt eis nullus pœnitens præponi possit: qui & si non sint sibi malorũ conscij, tamen licita respiciunt: in omnibus se humiliant. Quantum ergo gaudium est, si humiliter plangit iustus: cum gaudium sit, si quod malè gessit plangit iniustus. *Gaudium.* Angeli, quia rationales, gaudet de reconciliato sibi homine, quod incendit nos ad probitatem, vt agamus quod illis gratum sit: quorum & affectare patrociniũ, & offensam timere debemus. *Quam super.* Si in nonagintanouem iustus qui non errauerunt nec indigent pœnitentia, angeli intelliguntur, maius videtur impios iustificare quàm iustos creare & conseruare quia si virtute æqualis potetia, hic maioris misericordie & maioris gaudij. *Aut qua.* Mulier, id est, Dei sapientia, decem drachmas habuit, cum homines & angelos ad imaginem suam creauit. Sed vnã perdidit, cum homo à similitudine Creatoris recessit. Sed Dei sapientia lucernam ad quærendum accendit, cum in carne apparuit: quia lucerna est lux in testa, id est, verbum in carne. Quod vbi inter homines claruit, domum euerit: quia conscientias hominũ de reatu suo perturbauit, & sic drachma reperitur, dum in homine similitudo conditoris reparatur. *Habens dra.* Angelorũ & hominum naturam, quam ad æternitatem dominus consistere voluit, ad suam similitudinem creauit. Decem ergo drachmas mulier habuit, cum nouem ordinibus angelorum additus est homo, vt compleretur decimus electorum numerus, qui nec post culpam à creatore perijt: quia eum sapientia Dei per carnem miraculis corruscans ex lumine testæ reparauit. *Conuocat.* Amicæ & vicinæ supernæ potestates, quæ tantò Deo iuxta sunt, quantò eum vicinũ cõtemplantur. Quas vocat, dum per exhibitionem gratiæ hominibus impensæ ad amorem sui vehemētius accendit. Tres perabolæ nõ ociosè proponuntur, ois, drachmæ, filij: vt triplici remedio prouocari vulnera nostra curemus. Christus pastor ouem reuehit, cuius peccata in suo corpore suscepit. Mulier, id est, ecclesia quasi mater drachmam requirit, & suffragatur. Deus pater reconciliatum recipit & vestit. Eadem diuini operis misericordia, sed diuersa pro meritis nostris gratia. Ois à pastore lapsa renouatur, drachma quæ perierat inuenitur: filius ad patrem propriis

Math. 9.

vestigijs redit & à patre honoratur. Ois sumus, petamus pasqua. drachma sumus, habeamus precium. filij sumus, festinemus ad patrem.

### CATENA AVREA in idem Euang.

**E**ram autem appropinquans ei publicani & peccatores, vt audirent illum, &c. Amb. Didiceras in superioribus, secularibus occupationibus non teneri, caduca non præferre perpetuis. Sed quia fragilitas humana firmum nequit in tanto seculi lubrico tenere vestigium, etiam aduersus errorem remedia tibi bonus medicus demonstrauit, spem veniæ iudex misericors non negauit, vnde subditur: *Eram autem appro. et, &c.* Glo. id est, qui publica exigunt vectigalia vel conducunt, & qui lucra seculi per negocia sectantur. Theo. Hoc enim exequabatur cuius causa carnem susceperat, admittens peccatores, sicut medicus ægotantes. Sed pharisæi verè criminosi huic pietati murmurare cõpensabant, vnde sequitur: *Et mur. phari. &c.* Greg. in ho. Ex qua re colligitur, quia vera iustitia compassionem habet, falsa dedignationem, quam uis & iusti soleant rectè peccatoribus indignari, sed aliud est quod agitur typo superbiæ, aliud quod zelo discipline, quia iusti & si foris inreparationes per disciplinam exaggerat, intus tamen dulcedinem per charitatem seruant. Præponunt sibi in animo ipsos plerumque quos corrigunt, quod agentes per disciplinam subditos & per humilitatem custodiunt semetipsos. At contra hi qui de falsa iustitia superbere solent, ceteros quosque despiciunt, nulla infirmantibus misericordia condescendunt. Et quo se peccatores esse non credant, eo deterius peccatores fiunt: de quorum numero pharisæi erant, qui diuidicantes dominũ quod peccatores susciperet, a reati corde ipsam fontem misericordie reprehendebant. Sed quia ægri erant ita vt ægros se esse nescirent, quatenus quod erant agnoscerent, celestis medicus blandis eos fomentis curat. Sequitur enim: *Et ait ad il. para. istam dicens: Quis ex vobis homo?* Similitudinem dedit, quam in se homo recognosceret, & tamen ad authorem hominum pertineret: quia enim centenarius perfectus est numerus, ipse centum oues habuit cum sanctorum angelorum & hominum naturam possedit. vnde subdit: *Qui habet centum oues.* Cyril. Hinc percipe latitudinem regni saluatoris nostri. Dicit enim oues esse cõtum, referens numerum subiectionum sibi rationalium naturarum ad integram multitudinem. Est enim centenarius numerus perfectus ex decem decadibus constitutus. Sed ex his vna oberrauit, scilicet genus humanum quod terram colit. Amb. Dives pastor cuius nos omnes centesima portio sumus. vnde sequitur: *Et si perdidit vnã ex illis.* Grego. Vna ouis tunc perit, quando peccando homo pasqua vitæ reliquit. In deserto autem nonagintanouem remanserant quia rationalis creature numerus, angelorum videlicet & hominum, qui ad videndum Deum conditus fuerat, pereunte homine erat imminutus, vnde sequitur: Nõne dimittit nonagintanouem in deserto, quia, scilicet, angelorum choros reliquit in cælo. Tunc autem homo cælum deseruit, cum peccauit. Et vt perfecta summa ouium integraretur in cælo, homo

perdi

perditus quærebatur in terra, vnde sequitur: *Et vadit ad illam, &c.* Cyril. Nunquid autem sæuiens in reliquas motus est pietate vnus: nequaquam. Sunt enim illæ in tuto, circumsepiente illas potentissima dextera: sed magis oportebat misereri pereuntis, ne imperfecta videretur residua multitudo. Vna enim reducta sortitur centenarius propriam speciem. Aug. de qu. euan. Vel illas nonagintanouem dixit quas reliquit in deserto, superbos significans tanquam solitudinem gerentes in animo dum solos se videri volunt, quibus ad perfectionem vnitas deest, cum enim quisque à vera vnitate diuellitur, superbe diuellitur, suæ quippe potestatis esse cupiens, non sequitur vnũ quod est Deus, vni autem deputat omnes per pœnitentiam reconciliatos quæ humilitate obtinetur. Grego. Nis. Cum autem pastor inuenisset ouem, non puniuit, non duxit ad gregem virgèdo, sed superponens humero & portans clementer annumeravit gregi. vnde sequitur: *Et cum inuenit ouem, imponit in humeros suos gaudens.* Greg. in ho. Quem humeris suis imposuit, quia humanam naturam suscipiens peccata nostra ipse portauit. Inuenta autem oue ad domum redit, quia pastor noster reparato homine ad regnũ cælestem rediit, vnde sequitur: *Et veniens domum conuocat amicos & vicinos, dicens illis: Congratulamini mihi quia inueni ouem meam quæ perierat.* Amicos & vicinos vocat angelorum choros, quia amici eius sunt, quia voluntatem eius continuè in sua stabilitate custodiunt. Vicini quoque eius sunt quia claritatem visionis illius sua assiduitate perfuuntur. The. Supernæ igitur virtutes oues dicuntur, in eo, quod omnis natura creata aspectu Dei bestialis est. In eo vero quod rationalis est, amici & vicini dicuntur. Greg. in ho. Et notandum quod non dicit, Congratulamini inuentæ oui, sed mihi, quia videlicet eius est gaudium vita nostra, & cum nos ad cælum reducimur, solennitatem lætitiæ illius implemus. Amb. Angeli autem quoniam sunt rationales non immeritò hominum redemptione lætantur. vnde sequitur: *Dico vo. quod ita gaudium, &c.* Hoc proficiat ad incentiuã probitatis si vnusquisque conversionem suam gratam fore credat cõtibus angelorum, aut quorum affectare patrociniũ aut vereri debet offensam. Gregor. in ho. Plus autem de conuersis peccatoribus quam de stantibus iustis in cælo gaudium esse fateretur, quia plerumque, hi, qui nullis se oppressos peccatorum molibus sciunt, stant quidem in via iustitiæ, sed tamen ad cælestem patriam anxie non anhelant, & plerumque pigri remanent ad excedenda bona præcipua, quia securi sibi sunt quod nulla commiserint mala grauiora. At cõtrã nonnunquam hi qui aliqua illicita egisse meminerunt, ex ipso suo dolore compuncti ad amorem Dei inardescunt. Et quia errasse se à Deo considerant, damna præcedentia lucris sequentibus recompensant. Maius ergo gaudium sit in cælo, quia & dux in prælio plus eum militem diligit, qui post fugam reuersus hostem fortiter premit, quam eum, qui nunquam terga præbuit & nunquam aliquid fortiter fecit. Sic agricola illam amplius terram amat, quæ post spinas vberes fruges profert, quàm eam, quæ nunquam spinas habuit, & nunquam fertilem messem producit, sed inter hoc sciendum est, quia sunt plerique iusti, in quorum vita tantum est gaudium, vt eis

quælibet peccatorum pœnitentia præponi nullatenus possit. Hinc ergo colligendum quantum Deo gaudium faciat quando humiliter plangit iustus, si facit in cælo gaudium quando hoc quod malè gessit, per pœnitentiam damnat iniustus. *Aut qua mulier habens drachmas decem: si perdidit drachmam vnã, &c.* Cyril. Per præcedentem parabolam in qua genus humanum dicebatur ouis erratica, docebamur nos fore creaturã sublimis Dei qui fecit nos & non ipsi nos, cuius pascuæ oues sumus: subiungitur secunda parabola, qua genus humanum comparatur drachmæ quæ perijt. Per quam ostendit nos ad similitudinem & imaginem regiam factos esse, scilicet summi Dei. Nam drachma nummus est impressam habens regiam figuram: vnde dicitur: *Aut qua mulier habens decem drachmas.* Greg. in homil. Qui signatur per pastorem, ipse per mulierem: ipse enim Deus, ipse & Dei sapientia. Angelorum autem & hominum naturam ad cognoscendum se dominus condidit, & ad similitudinem suam creauit. Decem ergo drachmas habuit, quia nouem sunt ordines angelorum: sed vt compleretur electorum numerus, homo decimus est creatus. Aug. de quæst. euang. Vel nouem drachmis, sicut & in nonagintanouem ouibus ponit eorum significationem, qui de se præsumentes, peccatoribus ad salutem redeuntibus se præponunt: vnum enim deest & à nouem vt decem sunt, & à nonagintanouem vt centum sint, cui vni deputat omnes per pœnitentiam reconciliatos. Greg. in ho. Et quia imago exprimitur in drachma mulier drachmã perdidit quãdo homo qui cõditus ad imaginẽ Dei fuerat, peccando à similitudine sui cõditotis recessit. Et hoc est quod subditur: *Si perdidit drachmam vnã, nõne accendit lucernam?* Accendit mulier lucernã, quia Dei sapientia apparuit in humanitate. Lucerna quippe lumen in testa est, lumen verò in testa est diuinitas in carne. Accensa autem lucerna sequitur: *Et evertit domum.* Quia scilicet mox vt eius diuinitas per carnem claruit, omnis se nostra conscientia concussit, quia euerisionis sermo non discrepat in eo quod in aliis codicibus legitur. *Emundat:* quia praua mens si non prius præ timore evertitur, ab assuetis vitiis non mundatur: euerfa autem domo inuenitur drachma. Sequitur enim: *Et querit diligenter donec inueniat:* quia, scilicet cum perturbatur conscientia hominis, reparatur in homine similitudo conditoris. Gregor. Nazian. Inuenta autem drachma, cælestes virtutes facit participes gaudij, quas ministras dispensationes fecit. vnde sequitur: *Et cum inuenit, conuocat amicas, &c.* Greg. in ho. Supernæ enim virtutes tantò diuinæ sapientiæ iuxta sunt, quantò ei per gratiam continuæ visionis appropinquant. Theo. Vel amicæ sunt vt exequentes voluntatem ipsius, vicinæ verò vt incorporeæ: vel forte amicæ ipsius sunt omnes supernæ virtutes, vicinæ verò sunt propinquiores, scilicet throni & Cherubin & Seraphin. Greg. Nis. Vel aliter: Hoc reor dominũ nobis proponere in inquisitione perditæ drachmæ, quia nulla nobis à cæteris virtutibus vilitas prouenit, quas drachmas vocat, quæ vnus præsto sint omnes vna sola deficiente animæ viduitate qua scilicet diuinæ similitudinis nitore fortitur, propter quod primo quidem iubet lucernam accendere, scilicet verbum diuinum quod abscondita patefacit. Vel forsan pœnitentiæ lampadem, sed in domo pro

mo propria, id est, in seipso & in sua conscientia oportet perquirere drachmam perditam, id est, regis imaginem: quæ non penitus deperit, sed est recta sub limo, qui significat carnis contagia, quibus studiosè absterfis, id est, dilutis per solertiam vitæ elucescit quod queritur: unde oportet ipsam quæ inuenit gratulari; nec non ad participia gaudij vocare vicinas, id est, cõtubernales virtutes, id est, rationalem & concupiscibilem, & innatum iracundiæ affectum. Et si quæ sint tales vires circa animam considerate: quas docet gaudere in domino, deinde concludens parabolam subdit: Ita dico vobis, gaudium erit angelis super vno peccatore penitentiam agente. Greg. in ho. Penitentiam agere per præterita mala plangere, & plangenda non perpetrare: nam qui sic alia deplorat, vt tamè alia committat, adhuc penitentiam agere aut ignorat aut dissimulat. Cogitandum est etiam vt per hoc cõditori suo satisfaciatur, vt qui commisit prohibita, sibi abscindere debeat etiam concessa: & se reprehendat in minimis, qui se meminit in maximis deliquisse.

S. AMBROSII EPISCOPI Mediolanensis in superius Euang. expositio.

Erant autem appropinquantes, &c. Didicerat in superioribus abdicare negligentiam, vitare arrogantiam, deuotionem sumere, secularibus occupationibus non teneri, caduca non præferre perpetuis. Sed, quia fragilitas humana firmum nequit in tanto sæculi lubrico tenere vestigium, etiam aduersus errorem remedia tibi bonus medicus demonstrauit, spem veniæ iudex misericors non negauit. Itaque non otiose sanctus Lucas ex ordines tres paraboles posuit; ouis, quæ perierat, & inuenta est; drachmæ, quæ perierat, & inuenta est; filij, qui erat mortuus, & reuixit; vt triplici remedio prouocati, vulnera nostra curemus. Spartum enim triplex nõ corruptitur. Qui sunt isti? pater, pastor, & mulier. Nonne Deus pater, Christus, & ecclesia Christus te suo corpore vehit, qui tua in se peccata suscepit. Quærit te ecclesia, recipit pater. Quasi pastor reuehit, quasi mater inquit, quasi pater vestit. Prima misericordia, secunda suffragatio, tertia reconciliatio. Singula singulis quadrant. Redemptor subuenit, ecclesia suffragatur, auctor recõciliatur. Eadem diuini operis misericordia, sed diuersa pro meritis nostris gratia. Quis à pastore lassus reuocatur; drachma, quæ perierat, inuenitur; ad patrem filius suis vestigijs redit, & plena condemnati erroris regreditur penitentia. Vnde benè scriptum est; homines, & iumenta saluos facies, domine. Quæ sunt ista iumenta? dixit Propheta; Semen Israel in semen hominum, & Iuda in semen animalium. Itaque quasi Israel homo seruator; quasi ouis Iuda colligitur. Malo ergo filius esse, quàm ouis. Ouis enim à pastore reperitur, à patre filius honoratur. Gaudeamus igitur, quoniam ouis illa, quæ perierat in Adam, leuatur in Christo. Humeri Christi crucis brachia sunt. Illic peccata mea deposui, in illa patibuli nobilis cernice requieui. Ouis illa genere est vna, non specie. Vnum enim omnes corpus sumus, sed multa membra. Et ideo scriptum est; Vos autem corpus estis Christi, & mem-

Psal. 35. Hier. 31.

En agnoscit peccatum ori- sumale.

1. Cor. 12.

bra ex membris eius. Venit itaque filius hominis saluum facere, quod perierat, omnes scilicet: quia, sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur. Dines igitur pastor, cuius omnes nos centesima portio sumus: habet angelorum, habet archangelorum, dominationum, potestatum, thronorum, aliorumque innumera- biles greges, quos in montibus dereliquit. Qui, quoniam sunt rationabiles, non immeritò hominum redemptione lætatur. Quandoquidem hoc quoque proficiat ad incentiua probitatis, si vnus quisque conuersionem suam gratam fore credat ceteribus angelorum; quorum aut affectu patrociniũ, aut vereri debet offensam. Et tu igitur esto angelis lætitiæ, gaudeant de reditu tuo. Nõ otiosum etiam, quod mulier illa drachma lætatur inuenta. Non mediocris hæc drachma est, in qua principis est figura. Et ideo imago regis, census ecclesiæ est. Ouis sumus: oremus, vt super aquam refectionis nos collocare dignetur. Oues, inquam, sumus petamus pascua: drachmæ sumus; habeamus precium; filij sumus; festinemus ad patrem.

Nobis affuit dicit est panis emi dicitur.

S. TITI BOSTRORVM Episcopi eiusdem Euang. expositio.

Quæ mulier habens drachmas decem, &c. De hac drachma, Gregorius theologus scribit ad huc modum: Christus Deus noster accedit lucernam, hoc est, suam ipsius carnem, mundumque, quæ domus illius est, euerit, hoc est, à peccatis expiauit, & drachmam, quæ regia quidem imagine insignita erat, verum perturbationum cœno peccatis deleta.

PETRI CHRYSOL. Episcopi Rauen. in superius Euang. De parabola centum ouium, Serm. 1.

Sicut profunda maris ingredi, & liquentis viæ Scalles inuios trãsmeare, artifex viator inuenit: ita de Dei dictis aliquid audire, & ad diuini sensus penetrare secretũ, dedit, & docuit lex diuina. Hinc est, quod ratem nostræ mentis carnis è litore soluentes, in pelagus Euangelici sermonis intramus, credentes quod, flante Spiritu sancto, cælestis intelligentiæ perueniamus ad portum. Dominus noster hodie spem peccatorum promouit ad veniam, & superbiorũ murmur piissimo compressit exemplo. Erant, inquit, appropinquantes domino publicani & peccatores, vt audirent illum: & murmurabant Pharisei, &c. Nõ minus inuidi, quàm superbi malitiam de dominica bonitate capiebant; de pietate Dei impij reddebantur; siebant de Christi miseratione crudeles; sumebat de cælesti curatione languorem; & penitentium veniam vertebat iudicis in reatum. Peccatores recipit, & manducat cum illis. Sic videt inuidus, sic superbus sentit, avarus sic sapit, intelligit sic malignus. Peccatores recipit. Nõ dicunt, suscipit. \* Quis amiserat, qui recipit? Donat culpas, iram vertit in gaudium, dolorem mutat in gratiam, quicumque inuenit quod amisit. Peccatores recipit. Recipit peccatores Deus, sed Deus peccatores esse nõ sinit, quos recipit: peccator Deum non violat, appropinquans Deus peccato

\* Forte, & quid amiserat, qui recipit.

peccatorẽ sanctificat, cùm propinquat, Phariseæ, Christus peccata non recipit, cùm recipit peccatorem: quia Deus nõ criminis, sed hominis est receptor. Vnde Phariseus non quales venerant, sed quales redibant, videre debuit peccatores. Certè Paulam quem persecutorem miserant, prædicatorem videant mox redisse. Sed iã Deus gaudium suum de reditu peccatoris comparatione qua, quæ similitudine insinuet, audiamus. Et ait ad illos parabolam; Quis ex vobis homo, qui habet centum oves, &c. Semper quidem, cùm perditam reperimus, nouum capimus cumulum gaudiorum, & est iucundius nobis, inuenisse perditam, quàm nõ perdidisse seruata. Sed hæc parabola plus diuinæ pietatis, quàm consuetudinis humanæ loquitur, & exprimit veritatẽ. Magna relinquere, amare minora, Dei potestatis est, non est cupiditatis humanæ, quia Deus & quæ non sunt, facit esse: & perditam sic sequitur, vt teneat, quæ reliquit: & amissa sic inuenit, vt quæ seruata sunt, non amittat. Ergo nõ terrene pastor iste est, sed cælestis, & parabola hæc tota non figurata est laboribus humanis, sed diuinis est obumbrata misterijs: sicut ex ipso numero mox lucefcit, cùm dicit: Quis ex vobis homo, qui habet centum oves, &c. si perdidit ex eis vnã. Quare non quinquaginta, quare non ducentas, sed centum? quare non quatuor, quare non quinque, sed vnã? Vt ostenderet non ex damno fuisse, sed ex numero plus dolorem. Namque amissio vnus totum dissipauerat centenarium numerum & totum de dextera redegerat ad sinistram, vt dispendio vnus & sinistra clauderet omnes, & dextera nihil haberet. Nonagesimus & nonus numerus, in sinistra later clausus, constrictus hæret, teneretur oppressus: qui tamen, vbi vnus perceperit, & senserit augmentum, mox dexterae transit ad palmam, mox centenarij numeri peruenit ad coronam, & si non habuisse centenarium numerum doloris est, vnus doloris est perdidisse: Videtis, quia per vnus ouis amissionem pastor iste totum gregem cecidisse de dextera, & totum in sinistram doluerat recidisse; & ideo, relictis nonagintanovem, vnã sequitur, vnã querit, vt inueniret in vna omnes, redintegraret omnes in vna. Sed iam cælestis parabola pandamus secretum. Homo habens oves centum Christus est. Pastor bonus, pastor pius, qui in vna oue, hoc est, in Adam, posuerat totum gregem generis humani: hanc inter amœna paradisi, hanc in regione vitalis pascuæ collocarat: sed illa vocem pastoris oblita, dum lupinis vlulatibus credit, & caulas perdidit salutaris, & tota lethali bus sauciata vulneribus. Hæc ergo Christus veniens querere in mundum, in vtero virginæ regionis inuenit. Venit suæ natiuitatis in carne, & in cruce leuans humeris suæ imposuit passionis, & gaudes toto resurrectionis gaudio per ascensum ad cælestem tulit, & pertulit mansionem. Et vocauit amicos, & vicinos. Hoc est, Angelos. Dicens illis; Congratulamini mihi, quia inueni ouem meam, quæ perierat. Congratulantur, & congaudent Christo Angeli super ouis dominicæ reditu, nec indignantur in toto sibi præsidere folio maiestatis, quia de cælestibus inuidia cum diabolo fuerat iam fugata: nec poterat per agnũ, qui peccatum mundi rulerat, in superna amplius inuidiæ penetrare peccatũ. Fratres, ille nos quæsiuit in terra, nos illum quæramus in cælis: ille nos portauit: suæ diuinitatis ad gloriã, nos illum

sanctitate tota nostro portemus in corpore. Glorificate, inquit Apostolus, & portate Deũ in corpore vestro. Ille Deum in corpore suo portat, qui nullum portat in suæ carnis operatione peccatorum.

EIVSDEM IN IDEM De parabola drachmæ perditæ, Sermo 2.

Per omnes Euangelicas lectiones latere mysticos sensus, & cælestis intelligentiæ manere secreta, norunt soli, quicumque diuini spiritus gratiam percepere. Ecce, posteaquam pastor supernus perditam centenarij gregis ouem perquisiuit, inuenit, & angelorum lætitiã rotam cælestem iam reulit ad ouile, mulier Euangelica producit in figuram, quæ lumine accenso, de decem drachmis vnã drachmam perditam sic requirit, vt inuenta hac, de lucro suo, de suo gaudio, causam pariat cælestium gaudiorum, sic enim dicit; Aut quæ mulier habens drachmas decem, si perdidit drachmam vnã, &c. Putasne mulier ista, communis est, aut habuisse eam decem drachmas humano putatur \* excessu, aut vnã casu creditur perdidisse mundano, aut simpliciter contigit, quod eam nocturno requirit in tempore, aut lucernam de nostri vnus more succendit, aut consuetum, quod eam perdidit, & inuenit intra domum, aut familiare, quod amicas ad lætitiã conuocat, & vicinas, quas perdens conuocasse non legitur ad mœrorem? Nouum damni genus, & quod drachmam non ablatã patefaciat, sed dilapsam: & quod eam domesticis absconditam tenebris, & non defossã dolis loquatur extraneis. Videtis quàm singulare sit totum, quàm morem transeat, & supergrediatur humanum, quàm diuinum spiret, & redoleat sensum: quàm attollar ad cælum mentis intellectum, quàm collocer in supernis, quàm cogat superni cordis accendere lucernam, & instar Euangelicæ mulieris per dominicæ lectionis obsecuta drachmam querere scientiæ salutaris. Antequam Christus ad ouem veniret errantem, & miserandis discursibus attritam misericordibus humeris subleuaret ad cælum, & onustus peccato pio inaccesas lupis perueniret ad caulas, mulier habens decem drachmas tenebras diuinas sustinebat, & non solum drachmam perditam deflebat vnã, sed ipsas nouem drachmas sibi residuas non videbat. Nox ei erat iugis, erat ei profunda, & perseveras caligo, cui lucerna sine diuino igne ad noctis solatium non lucebat; sed, posteaquam supernis ignis, ignis spiritus sancti flammeo se super Apostolos imbre diffudit, & non minus frigida, quàm terrea mortalium corda tota ignis sui calore succendit. Mulier, id est, ecclesia, accendit lucernam suam, id est, internum illum sui cordis obtutum: hoc est, illuminatos, vt inquit Apostolus, oculos cordis vestri. Accendit ergo lucernam suam, & illam Iudaicam domum, ignorantia cæcam tenebris, euerit Apostolicum post laborem, donec iam de decem drachmis, hoc est, decalogo legis drachmam perditam reperiret in Christo. Christus est plenum deitatis numisma, Christus est drachma nostræ redemptionis, & pretij, Christus est, qui & erat in legis decalogo & latebat, Christus est, quem habebat & synagoga, & tenebris

Ser. 169.

\* Forte, ex consuet.

Ephes. 1.



bris impugnantibus, non videbat. Decem drachmas, decem legis diximus verba, ex quibus verbum perdiderat synagoga vnum. Quod vnum illud, quod, in Ecclesia primus (quia lucerna ardens erat) Ioannes inuenit, dicente domino; Ille erat lucerna ardens: dicente Euangelista; In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Hoc fuisse in decalogo iam patefecit; Audi, inquit, Israel, dominus Deus vnus, Deus vnus est. Hoc synagoga, dum non videt in filio, amittit in patre; dum non credit in Christo, Christum lethaliter crucifigit; cui merito per decalogum consequenter dicitur; Non occides. Si quidem, dum Iudæus ipsam mandatorum seriem capite detrunctat, ante Christi, quam legis exitit homicida: vnde & totum corpus retorfit in Christum: Non occides, non mœchaberis, damnata est synagoga, quæ iuncta diis gentium, repulit Christum: qui, seposita potestate dominantis, coniugis ad eam descendit affectu. Non furtum facies. Furata est dominicam resurrectionem, quæ pretium militibus dedit, vt resurrectionis infoderet, & occuleret veritatem. Non falsum testimonium dices. Hæc est, quæ cõquisiuit falsos testes, vt impleret illud; Exurgentes testes iniqui, quæ ignorabam, interrogabant me. Et re vera aliter tradere non poterat veritatis auctorem, quia semper sola impugnat falsitas veritatem. Sic ruit, sic per gradus cadit, qui de scalis labitur, & corrui præceptorum. Nam, si dominum Deum credidisset vnum, ad hoc ruinarum barathrum nõ venisset. Sed nos lucernam matris Ecclesiæ iam sequamur, & ambulantes in lumine dominici vultus Christi perueniamus ad drachmam, atque amicas, & vicinas, id est, Ecclesias gentium conuocemus, ne matrem nostram, drachmam suam nesciant inuenisse, & dicamus cum Propheta; Parauit lucernam Christo meo. Et quid lucerna profuerit audiamus; Ecce audiuius eam in Ephrata, inuenimus eam in campis syluæ. Introibimus in tabernaculum eius, adorabimus in loco, vbi steterunt pedes eius. Ecce quod per distensos campos, & nemora diffusa quærebamus in domino, hoc matris inuenimus ad lucernam. Super hoc lætetur & cælum, quia in vno peccatore penitentiam agente totius Christiani populi claruit penitudo, & tota deitatis forma Christi nostram refulsit in drachmam.

**BEDÆ VENERABILIS**  
presbyteri in idem Euang.  
expositio.

**E**rant autem appropinquantes ei publicani, &c. Quia non solum iustus peccare per inertiam, sed & peccator respicere per sollertiam potest, postquam sal insatiatum foras mitti debere narratum est, mox penitentium cohors intus admilla describitur, qui ad audiendum Dei verbum appropinquantes non solum ad colloquendum, sed etiam ad conuiscendum recepti sunt. Quod videntes Pharisei, de dignati sunt, quia vera iustitia compassionem habet, & falsa iustitia dedignationem, quamuis & iusti soleant recte peccatoribus indignari. Sed aliud est quod agitur typho superbia, aliud quod zelo disciplinæ. Sed qui ægri erant, ita vt ægros se esse nescirent, quatenus quod erant agnoscerent, cælestis eos medicus blâdis fomen-

tis curat, benignum paradigma obicit, & in eorum corde vulneris tumore premit. Ait nanque; *Quis ex vobis homo, qui habet centum oves, &c.* Ecce mira dispensatione pietatis similitudinem veritatis dedit, quam & in se ipse homo recognosceret, & tamen hæc specialiter ad ipsum auctorem hominum pertineret. Quia enim centenarius numerus est perfectus, ipse centum oves habuit, cum angelorum substantiam, & hominum creauit. Sed vna ovis tunc periit, quando peccando homo pascua vitæ dereliquit. Dimisit autem nonaginta-nouem oves in deserto, quia illos summos angelorum choros reliquit in cælo. Cur autem cælum desertum vocatur, nisi quod desertum dicitur derelictum? Tunc autem cælum homo deseruit, cum peccauit. In deserto autem nonaginta-nouem oves remanserunt, quando in terra dominus vnam quærebat, quia rationalis creaturæ numerus angelorum videlicet, & hominum, quæ ad videntium Deum cõdita fuerat, pereunte homine, erat imminutus, & vt perfecta summa ouium integraretur in cælo, homo perditus quærebat in terra. *Et cum inuenit illam, imponit in humeros suos gaudens.* Ouem in humeris suis imposuit, quia humanam naturam suscipiens, peccata nostra ipse portauit. *Et veniens domum, conuocat amicos, &c.* Inuenta oue, ad domum rediit, quia pastor noster reparato homine, ad regnum cælestis rediit. Ibi amicos, & vicinos inuenit, illos videlicet angelorum choros. Qui amici eius sunt, quia voluntatem eius continue in sua stabilitate custodiunt. Vicini quoque eius sunt, quia claritate visionis illius sua assiduitate perfruuntur. Et notandum quod non dicat, congratulamini oui inuentæ, sed, *mibi*, quia videlicet eius est gaudium vita nostra, & cum nos ad cælum reducimus, solennitatem lætitiæ illius implemus. *Dico vobis quod ita gaudium erit in cælo, &c.* Plus de conuersis peccatoribus quam de stantibus iustis gaudium erit in cælo, quia plerumque ij, qui nullis se oppressos peccatorum molibus sciunt, stant quidem in via iustitiæ, nulla illicita perpetrant, sed tamen ad cælestem patriam anxie non anhelant, tantoque sibi in rebus licitis vsu præbent, quanto se perpetrasse illicita nulla meminerunt, & plerumque pigri remanent ad exercenda bona præcipua, quia valde securi sunt, quod nulla commiserint mala grauiora. At contra nonnunquam ij, qui se aliqua illicita egisse meminerunt, ex ipso suo dolore compuncti inardescunt ad amorem Dei, selesque in magnis virtutibus exercent. Maius ergo de peccatore conuerso, quam de stante iusto gaudium fit in cælo, quia & dux in prælio plus eum militem diligit, qui post fugam reuersus hostem fortiter premit, quam illum, qui nunquam terga præbuit, & nunquam aliquid fortiter fecit. Sed inter hæc sciendum est, quia sunt plerique iusti, in quorum vita tantum est gaudium, vt eis quælibet peccatorum penitentia præponi nullatenus possit. Nam multi & nullorum sibi malorum sunt conscij, & tamē in tanti ardoris afflictione se exerunt, ac si peccatis omnibus angustentur, cuncta etiam licita respiciunt, ad despectum mundi sublimiter acinguntur, lamentis gaudent, in cupidis semetipsos humiliant, & sicut nonnulli peccata operum, sic ipsi peccata cogitationum deplorant. Hinc ergo colligendum est, quantum Deo gaudium faciat, quando humiliter plangit iustus, si

facit in cælo gaudium quando hoc, quod male gessit, per penitentiam damnat iniustus. *Aut quæ mulier habens drachmas decem, &c.* Qui signatur per pastorem, ipse & per mulierem. Ipse enim Deus, ipse & Dei sapientia. Et quia imago exprimitur in drachma, mulier drachmam perdidit, quando homo, qui conditus ad imaginem Dei fuerat, peccando à similitudine sui conditoris recessit. Sed accendit mulier lucernam, quia sapientia Dei apparuit in humanitate. Lucerna quippe lumen in testa est. Lumen vero in testa est diuinitas in carne. Accensa autem lucerna, euertit domum, quia mox vt eius diuinitas per carnem claruit, omnis se nostra consuetudo concussit. Domus namque euertitur, cum consideratione reatus sui humana conscientia perturbatur: euersa vero domo, inuenitur drachma, quia dum perturbatur conscientia hominis, reparatur in homine similitudo conditoris. *Et cum inuenit, conuocat amicos, &c.* Quæ amice vel vicine sunt nisi illæ potestates cælestes iam superius dictæ? quæ tanto superuæ sapientia iuxta sunt, quanto ei per gratiam continuæ visionis appropinquant. Sed intuentium, cur ista mulier decem drachmas habuisse perhiberet. Angelorum quippe, & hominum naturam ad cognoscendum se dominus condidit, quam dum consistere ad eternitatem voluit, eam proculdubio ad suam similitudinem creauit. Decem vero drachmas habuit mulier, quia nouem sunt ordines angelorum, sed vt compleretur electorū numerus, homo decimus creatus est, qui à conditore suo nec post culpam periit, quia hunc æterna sapientia per carnem miraculis coruscans ex lumine restæ reparauit. *Ita dico vobis, gaudium erit coram Angelis, &c.* Penitentiam agere est & perpetrata mala plangere, & plangenda non perpetrare. Nam qui sic alia deplorat, vt tamen alia committat, adhuc penitentiam agere aut ignorat, aut dissimulat. Quid enim prodest si peccata quis luxuria defleat, & tamen adhuc auaritiæ astibus anhelet? aut quid prodest, si iræ culpas iam lugeat, & tamen adhuc inuidiæ facibus tabescat? Sed minus est valde, quod dicimus, vt qui peccata deplorat, plotanda minime committat. Nam cogitandum summo opere est, vt qui se illicita meminit commisisse à quibusdam etiam licitis studeat abstinerere, quatenus per hoc cõditori suo satisfaciat, vt qui commisit prohibita, sibimetipsum abscondere debeat etiam permilla.

**HAYMONIS EPISCOPI**  
*Halberst. superioris Euang.*  
expositio.

**E**rant appropinquantes ad Iesum publicani & peccatores vt audirent illum. Eo tempore quo dominus & redemptor noster predicabat euangelium in mundo Iudæis, multi publicani & peccatores audientes eius doctrinam & videntes eius miracula quæ faciebat, credebant in eum, & penitentiam agebant de præteritis peccatis, iuxta quod ab eo audierant, penitentiam agite: Ideo non solum ad colloquendum ab eo suscipiebatur, sed etiam ad conuiscendum. Quod videntes pharisei, dedignabantur, quia falsa iustitia dedignationem habet, vera iustitia compassionem circa peccatores. Publicani dicebantur tunc temporis,

qui publicanis negotiis infernebant, sicut sunt thelonarij qui præsumunt mercatis, & raptores existunt, quia substantiam aliorum iniuste sibi vendicant. Et sicut sunt negotiatores, qui de regionibus in regiones transeunt, maria, & flumina transieantes, vt aut diuitias, quas non habent, acquirant, aut si habent, accumulent. Vel publicani dicuntur, qui publice peccant, qui non verecundantur in præsentia hominum peccare. Vel certe publicani dicuntur, qui phiseis regum præsumunt. Illi publicani, qui domino adharebant, ita renunciabant pristinis vitiis, vt iam nullo modo reuerterentur ad ea, sicut beatus Marth. nec Zachæus fecerunt. *Et murmurabant scribæ, & pharisei.* Scribæ dicebantur, quia legem Dei habebant scriptam in tabulis suis. Pharisei erant legis doctores, de quibus dominus alibi dicit: Super cathedram Moysi sederunt scribæ, & pharisei, id est, doctores legis. Omnia, quæcunque dixerint vobis, subauditur bona, seruate in corde; & facite opere secundum: verò opera eorum nolite facere. Illi cum essent peccatores, & stimabant se esse iustos. Peccatores erant, quia in filium Dei credere nolebant. Peccatores erant, quia superbi erant, & ideo medicinam Dei omnipotentis nõ requirebant, sed potius conuersos ad dominum peccatores despiciebant. Ideo cælestis medicus benignum paradigma eis obicit, & tumorem vulneris in corde eorum premit, dicens: *Quis ex vobis homo, qui habet centum oves?* Homo iste Deus omnipotens intelligitur. Centenarius numerus pro summa perfectione ponitur hic. Deus omnipotens centum oves habuit, cum angelorum numerum & hominum ad se perpetuo laudandū creauit. Sed tunc vna ovis periit, cum homo peccando pascua vitæ dereliquit. Quid fecit dominus? Nonaginta-nouem oves dimisit in deserto, quia illos summos choros angelorum reliquit in cælo. Desertum dicitur derelictū. Et quare dicitur cælum derelictum? Quia tunc homo deseruit cælum, cum peccauit. Nisi enim peccasset, sine morte corporis, sine infirmitate, sine senectute, completo numero electorum, de paradiso terreno transfret ad paradysum cælestem. Marth. euang. dicit, quod nonaginta-nouem oves in montibus relicte sunt, quia illa agmina angelorum, quæ non peccauerunt, in sublimibus locis morabantur. Et vt ovis perdita, id est, homo restauraretur ad vitam, descendens de cælis dominus Iesus, venit in mundum, per incarnationis mysterium, quæsumit hominem, id est, genus humanum prædicando, miracula patrandō, & ouem inuentam imposuit humeris suis, quia peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum crucis cuius liuore, id est, plaga sanati sumus. In carne humana nostram naturam suscepit, & in ipsa carne crucis patibulum sustinuit, vt iustificaret peccatores. Sicut verbi gratia Medicus quando suscipit infirmum sanandum, illius infirmitatem non trahit in semetipsum: sic dominus Iesus Christus carnem humanam assumens, non traxit peccata nostra in suum corpus, sed per medicamentum suum, id est, per incarnationem, & passionem suam salutem geri humano restituit. Reparato genere humano, venit domum, id est, rediit in cælum, vnde venerat: cum multitudine electorum, de quibus dicitur in cantico canticorum: Comedi fauum cum melle meo. Per fauum Cam. 5.

designantur hi, qui cum corporibus, & animabus ascenderunt in cælum cum domino, per mel illi, qui in folis animabus. Rediens dominus ad cælum, inuenit ibi amicos, & vicinos suos, id est, angelicos spiritus, qui amici eius sunt, quia assidue voluntati eius obtemperant. Vicini illius sunt, quia iugiter contemplatione illius perficiuntur. Quid dicit illis: *Congratulamini mihi*, id est, congaudete mecum. *Quia inueni ouem, quæ perierat*. Non dicit congratulamini inuentæ ouis, sed, *mihi*: quia salus nostra gaudium omnipotentis Dei est. Dum enim nos ad cœlestem patriam reducitur, gaudium angelorum, & Christi implemus. *Quia inueni ouem, quæ perierat*, id est, inueni genus humanum mea prædicatione & passione. *Dico vobis, maius gaudium est angelis Dei super vno peccatore penitentia agente, quam super nonaginta nouem iustis, qui non indigent penitentia*. Per nonaginta nouem iustos designantur scribæ, & pharisæi. Per peccatorem penitentiam agentem, publicani: plus gaudet Deus omnipotens, & angeli eius in cœlo de publicanis peccatoribus conuersis ad penitentiam, quam de nonaginta nouem iustis, id est, scribis, & pharisæis, qui putabant se esse iustos, & non erant. *Dico vobis, quod ita gaudium erit in cœlo coram angelis Dei*. Sicut angeli gauisi sunt de reparatione generis humani, quæ facta est per domini incarnationem, & passionem, ita quotidie gaudent, & lætantur, quando peccatores conuertuntur à vitiiis ad penitentiam. Sunt nonnulli, qui post adulteria, post falsa testimonia, post cætera facinora peccata, conuertuntur ad penitentiam lamentum, carne, & vino se abstinent, linum deponunt, pompas istius seculi relinquunt, secreta monasterij petunt: & in omni oratione, ac ieiuniorum, & vigiliarum obseruantia acriter se affligunt, vt veniam à domino consequi mereantur. E contra sunt iusti, qui valde securi sunt, quia nulla peccata grauiora se commisisse recognoscunt, & ideo anxie ad patriam cœlestem non anhelant. Maius gaudium fit angelis Dei in cœlo de peccatoribus, qui post multa errata acriter se affligunt in ieiunijs, & vigilijs, quam fit de stantibus iustis, quia peccata grauiora non perpetraverunt, & nihil se affligunt. Quia & dux plus eum militem diligit, qui primo terga vertit, deinde conuersus fortiter hostem premit, quam illum, qui neque fugam inijt, neque aliquid fortiter fecit. Et agricola plus amat illam terram, quæ post spinas bonam messem profert, quam illam, quæ nec spinas habet, nec fertilem messem facit. Plus enim dominus illum amat, qui peccauit, & conuersus ardentem laborat in eius seruitio, quam illos, qui non sic peccauerunt, & ideo in securitate positi remanent pigri. Faciamus & tertium gaudium. Sunt etiam iusti perfecti, sicut beatus Gregorius, Augustinus, Hieronymus, & multi alij, qui ita deplorant peccata cogitationum, & locutionum, sicut alij peccata operum. Cuncta istius seculi lucra, & emolumenta postponunt, toto cordis, & corporis desyderio ad patriam cœlestem tendunt. Si angelis Dei gaudium faciunt peccatores conuersi: quantum gaudium speras isti faciunt, qui ita se in omnibus affligunt & cruciantur, in præfenti seculo, quasi omnibus peccatis sint polluti? *Aut quæ mulier habens drachmas decem? Qui designatur superius per pastorem, id est, filius Dei, ipse exprimitur per mulierem, non quo sexus sit in diuinitatis natura, sed quia spiritualiter per mulie-*

Mos vestitus penitentia per agenda.

rem designatur ipsa Dei patris sapientia, id est, filius, qui dicitur per Salomonem: Ego sapientia ex ore altissimi prodii, ante omnem creaturam primogenita. Per hanc sapientiam, id est, per filium fecit Deus omnia, & cœlestia, & terrestria, iuxta quod Psal. dicit ei: Omnia in sapientia, id est, in filio fecisti. Tunc decem drachmas filius Dei habuit, quum angelorum simul, & hominum naturam creauit. Sed tunc vna natura perijt, quum homo in paradiso positus peccauit. Nouem sunt ordines angelorum: Angeli, qui minima nunciant: Archangeli, summi nuncijs, sicut Gabriel, qui domini nostri Iesu Christi natiuitatem nuntiavit: Virtutes, per quos miracula sunt in mundo: Potestates, qui maioris potestatis sunt quam virtutes: Principatus, dominationes, throni. Thronus dicitur sedes, quia Deus per illos iudicia sua exercet in hominibus. Cherubim, in quibus est plenitudo scientiæ, Seraphim, ardentes vel incendentes, quia semper ardent in amore Dei. Hi sunt viciniore Deo omnipotentij, quam cæteri spiritus angelorum. Decimus est homo creatus, qui designatur per dragmam perditam. Dragma, genus est nummi, duos denarios, & dimidium in se continens. In dragma imago Cesaris exprimitur. Et Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam condidit, sicut dicit Moses in Genesi primo: Et creauit Deus hominem ad imaginem, & similitudinem suam. Imago est in sanctitate, & similitudo in eternitate. Re. & homo vbi peccauit, imaginem, & similitudinem perdidit Dei. Et qui antea erat immortalis, factus est mortalis: qui antea erat iustus, factus est iniustus. Dicit in hoc loco beatus Gregorius, quod tot electi ascendunt ad patriam cœlestem, quos angeli ibi remanserunt lapsis angelis malignis, sicut scriptum est. Constituit terminos populorum iuxta numerum filiorum Dei. Sed accendit mulier lucernam, & drachmam inuenit: quia sapientia Dei patris, quæ est filius Dei in carne apparens, genus humanum reparauit. Lucerna verò lumē in testa, ista id est, diuinitas in carne corruptas verbis & miraculis. De hac testa Psal. dicit ex persona filij: Aruit tæquam testa virtus mea. Virtus quippe domini Iesu Christi tanquam testa exaruit, quia caro humana quæ ante passionem infirma erat, ita solidata est per resurrectionis gloriam, vt nullo modo valeret mori, sicut Paulus dicit, Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi vltra nõ dominabitur. *Et euerit totam domum*. Per domum intelligitur hic mens. Prædicante domino in mundo, & dicente, Penitentiam agite, appropinquabit regnũ cœlorum, mentes hominum cõcussa sunt ad penitentiam. Et euerfa domo, inuenitur drachma: quia dum mens hominum compungitur ad penitentiam, imago Dei in illa restauratur. *Et quum inuenit, conuocat amicas & vicinas*. Angelicas videlicet potestates, quæ amicæ eius sunt, quia semper voluntati illius obediens existunt. Vicinæ, quia in contemplatione eius assidue manent. *Dicit illis: Congratulamini mihi*. Quia gaudium Dei omnipotentis est, restauratio generis humani, quia inueni genus humanum, quod perierat suo vitio. *Ita dico vobis, gaudium est coram angelis Dei, super vno peccatore penitentiam agente*. Angeli, qui nobis præfunt, de penitentia nostra gaudent. Dicamus quid sit penitentiam agere. Penitentiam agere, est præterita peccata deplangere, & plangenda iterum non committere. Nam, qui sic alia deplorat, vt tamen alia

commit

committat, aut penitentiam agere nescit, aut dissimulat. Quid ergo mihi prodest, si peccatum homicidij deploro, & tamen odium in corde teneo, quum scriptum sit: Omnis, qui odit fratrem suum, homicida est. Et quid mihi prodest peccatum adulterij flere, si æstibus auaritiæ anhelat? Sicut de adulteris, ita de auaris dicitur. Neque auari regnũ Dei possidebunt. Necessè est, vt, qui ad cœlum ascendere volunt, hic angelorum officia, in quantum possunt, imitari studeant. Quia sicut agmina angelorum in cœlo sunt dicta, ita conuersationes hominum in terra distinctæ. Quapropter sciendum est nobis, quod vnusquisque quem ordinem angelorum imitatur in hac vita, ipso sociabitur post hanc vitam. Sunt enim multi, qui parua, quæ intelligunt, fratribus suis piè annuntiant, isti tales post hanc vitam, consortium habebunt cum angelis. Et sunt multi, qui magna, & summa intelligunt, & hæc, in quantum possunt, alijs cum humilitate annuntiant, isti tales post hanc vitam inter archangelos deputabuntur. Et sunt multi, qui mira faciunt, & signa operantur, & isti tales inter virtutes annumerantur. Et sunt multi, qui de hominibus demonia eiiciunt, & per suas orationes potestatem demonum refrænant, & isti tales inter potestates computantur. Et sunt multi, qui sic Deo adiuuante, viuunt, vt bonis hominibus sint meliores: & ideo bonis & electis fratribus principantur, id est, bonos regunt: & isti tales inter principatus computantur. Et sunt tales qui sic in se mortificant omnia vitia, & sic student viuere, vt propter suam valde optimam vitam diu vocentur, vnde ad Moysen dicitur, Ecce constituit te Deum Pharaonis. Isti tales inter dominationes computantur. Et sunt multi, in quorũ mentibus semper præstè est contemplatio, & hoc ideo accipiunt, vt alios rectè iudicare possint. In his quasi in throno suo dominus præsidet, aliorũ facta examinat. Isti tales throni sũt Dei, & inter thronos computantur. Et sunt multi, qui tanta Dei, & proximi dilectione pleni sunt, vt per hoc etiam Cherubim vocentur. Cherubim, plenitudo scientiæ dicitur, & plenitudo legis est charitas. Ergo illi, qui pleni sunt Dei, & proximi charitate, inter Cherubim computantur. Et sunt multi, qui tam in amore cœlestis patriæ accensũ sunt, vt omnia trãstoria, omnia vici-bilia despiciant, & solũ modò, quæ cœlestia sunt, cogitant, amant, & ardent, & amando ardent, loquendo alios accendunt in Dei amore. Et quia Seraphim ardentes interpretantur, isti tales, qui plus cæteris in contemplatione ardent, inter Seraphim computantur. Hæc nos audientes, redeamus intus ad conscientias nostras, & videamus si officia angelorum imitamur. Videamus si inter angelos deputati sumus. Væ enim animæ, quæ de his, quæ supra dicta sunt, in se aliquid non recognoscit. Et aliud væ illico veniet, si malum in se recognoscit, & non emendauerit. Quando talem videmus aliquem fratrem nostrũ, gemere ipsum debemus, quia ipse non gemit. Pensemus dona Dei, quæ accepimus, & inquirũ possumus, in eius seruitio laborare curemus. Simus angeli, ipsum parũ, quod intelligimus, fratribus nostris nunciandò. Simus Seraphim in contemplatione Dei assidue persistendo. Hæc medicemur, hæc meditari curemus, vt in hac vita, dum viuimus, angelorum officia imitantes, post huius discessum mereamur illorum habere consortium, domino ad-

iuuante, qui viuit & regnat Deus per omnia secula seculorum, Amen.

## AVTHORIS INCERTI

sub nomine Eusebij episcopi Emissemi superioris euang. expositio.

**A**postolus enim Corinthiis scribens ait, Si quis frater nominatur, & est fornicator, aut auarus, aut idolis seruens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum eiusmodi nolite cibum sumere. Cum talibus igitur dominus cibum sumit, cum quibus apostolus præcipit cibum non sumere. Et dominus quidem vt conuertat, apostolus verò vt terreat, iste terret suos, ille vocat extraneos. Vtrunque igitur bonum est, & terret proximos, & mulcere extraneos, illos mulcemus, vt conuertantur, istos terremus vt erubescant & à malo quiescant. Errant igitur Pharisæi, peccatores penitus abominantes, non enim abominandi, sed vocandi sunt. Vocandi autem, aut blanditijs aut minis. Vocat eos dominus blandiendo, & manducando cum illis: vocat eos Apostolus terrendo, nolens cibum sumere cum illis. Sequitur: *Et ait ad illos parabolam istam, dicens, Quis ex vobis homo, qui, &c. Congratulamini, quia inueni ouem meam quæ perierat*. Hoc autem quid significet, ipse subinferens ait, *Dico vobis, quod ita gaudium erit in cœlo super vno peccatore penitentiam agente, quam supra nonaginta nouem iustis qui non indigent penitentia*. Dicitur igitur quid homo iste, quid centũ oues, quid vna perdita, & quid desertum significet: vt illud quoque scire possimus, quid significant nonaginta nouem iusti, & vnus peccator, qui penitentiam agit. Centum enim oues, tota angelorum, & hominum multitudo intelligitur. Ex his autem vna errauit, quando primus homo peccauit. Vnde Psal. ait, Erraui sicut ouis, quæ perierat: require seruum tuum, domine, quia mandata tua non sum oblitus. Remanserunt igitur nonaginta & nouem, per quas nouem angelorum ordines figurantur, siquidem totus hic numerus ex nouenis. Pro hac itaque vna saluator noster de cælis descendit, nonaginta & nouem (de quibus modò diximus) ibi derelictis: ibi (inquam) derelictis, vnde & cælum hoc in loco dicitur desertum. Quotdam enim modo cælum dominus deseruisse videbatur, quando inter homines corporaliter conuersabatur. Hanc enim vnam ouem imponens in humeros suos (ibi enim onera feruntur) gaudens domum rediit, cælos ascendit, vicinis, & amicis, id est, angelis, & archangelis, lætitiã fecit: & tantam lætitiã, quantam pro omnibus iustis, qui nunquam peccauerunt, nunquam habuerunt. Vsi-ratissimum etenim est, vt, quamuis eum plus non diligamus, maiorem tamen de illo lætitiã faciamus, quem de maiori periculo diuinitus liberari videmus. Sequitur: *Aut quæ mulier habens drachmas decem, si perdidit drachmam vnam, &c.* Hæc autem similitudo eadem est quæ superior: idem enim significant decem drachmæ, quod centum oues, vna quoque drachma & vna ouis perdita idem significant: nouem verò, quæ restant, nouem ordines angelorum sunt. Quoniam autem regis imago in drachma exprimitur, non immeritò per drachmam homo figuratur: quoniam ad sui regis imaginem factus est homo. Hanc igitur drach-

Bibl. Hom. tom. 3. Gg 2 mam

ipam (Dei sapientia enim sic vocatur) Christus quætere venit, lucernam sui corporis accendit (diuinitas enim in capite, lumen est in lucerna) & huius mundi amplissimam domum euerit: Sicut ipse ait, Nolite putare, quia veni pacem mittere in terram: non veni pacem mittere, sed gladium. Ex hoc enim erunt quinque in domo vna, duo in tres, & tres diuidentur in duos. Sic igitur vt hanc drachmam inueniret, hanc domum, id est, hunc mundum dominus euerit, inter filium, & patrem, inter matrem, & filiam, inter socrum, & nurum discordiam ponens, aliis fidem, & iustitiam impugnantibus, aliis defendentibus. Nemo enim prius pro fide pugnabat, cunctis in errore concordantibus. Hanc autem malam concordiam dominus dissipauit, domum euerit, & drachmam reperit. Vnde & Apostolus ait, Oportet hæreses esse, vt hi, qui probati sunt, manifesti fiant. Pro huius igitur inuentione, omnes vicinæ, & amicæ, omnes virtutes, & dominationes simul cum Dei sapientia in cælestibus gratulantur. Cessant igitur murmurare Scribæ, & Pharisei, non dicant, nec inuidiose reprehendant, quia hic peccatores recipit, & mādūcat cum illis. Venit enim dominus quætere, & saluare quod perierat: & non venit vocare iustos, sed peccatores ad penitentiam.

THEOPHYL. EPISCOPI

Bulgar. superioris Euangel. expositio.

**A**ccedebant autem ad eum omnes publicani, & peccatores, &c. Dominus quidem illud faciebat, cuius gratia incarnatus est, accedens publicanos, & peccatores, tanquam medicus infirmos. Qui autem reuera peccatores erant, obmurmurationem tantæ humanitatis rependebant. Abominabiles enim censebant publicanos, ipsi autem domos viduarum, & orphanorum comedebant. Quid igitur dominus? Sicut misericors erat erga publicanos, ita & erga illos, qui suam calumniabantur misericordiam. Non enim auersatur eos tanquam insipientes & obmurmurantes, sed mansuete sanatur, parabolam hanc de omnibus dicens, & de manifestis & certis eis persuadet, & confutat ita, ne egre serant tantam bonitatis effusionem. Nam, si in oue vna irrationali, & quæ ad imaginem Dei non est facta, si, quum errauerit, fuerit inuenta, gaudium fit tantum: quantum verisimile est fieri in homine rationali ad imaginem Dei condito? Manifeste igitur parabola hac iustos dicit per oues nonagintanovem, & peccatorem vnum. Dicunt autem nonnulli centum oues omnem creaturam rationalem: vnam autem ouem, rationalis naturæ hominem, quem errantem requisit pastor bonus, relictis nonagintanovem solitudine, hoc est, in superno loco cælesti. Solitudo enim est cælum, & à mundano tumultu sequestratum, plenumque omni tranquillitate, ac pace. Dominus vero vt inuenit illam, quæ errauerat, imposuit in humeros. Infirmi autem nostras, & peccata nostra ipse portauit, & omnia onera nostra non grauatum ipse suscepit, per solutis omnibus, quæ debebamus: & nos sponte, ac libenter portauit vsque in domum nostram, hoc est, in cælum, & conuocat amicos, & vicinos, fortassis angelos, quos & oues diximus esse iuxta alia, & alia relationem. Nam secundum quod omnis creatu-

ra condita ad Deum cōfertur, pecuina est, & bruta, & secundum hoc dicuntur etiam supernæ virtutes oues: at, si ad alias creaturas conferuntur rationales, dicuntur amici, & vicini, angelicarum virtutum chori. Et per mulierem intelligas sapientiam, & virtutem Dei & patris, Iesum ipsum, qui perdidit vnam drachmam, ex rationalibus, & ad imaginem Dei conditis creaturam, hominem inquam, & accendit lucernam suam carnem. Sicut enim lucerna quamuis sit ex terra, illuminat tenebrosa per lucem, quam recipit: ita & caro domini, licet terrena esset, similisque nobis, lumine deitatis suæ, quam in se recepit, apparuit, quum incarnatus esset: & domus, hoc est, omnis mundus, repurgata est à peccato. Christus enim abstulit peccatum mundi. Et plane inuenta drachma, gaudium fuit & Christo, & supernis virtutibus, quæ amicæ eius, & vicinæ sunt. Amicæ quidem, quia voluntatem eius faciunt: vicinæ vero, quia incorporeæ. Quid autem si amicæ sint omnes supernæ virtutes, vicinæ autem, quæ propiores ei, vt throni, & Cherubim? Dicendo enim amicas, & vicinas, duo genera manifestauit. Quamuis hoc curiosius videatur.

E V T H Y M I I Z I G A B O N I

superioris Euang. expositio.

**A**ppropinquabant autem ad eum omnes, &c. Etiam apud Mathæum dixerunt discipulis eius: quare cum publicanis, & peccatoribus cibum capis magister vester? Dixit autem eis parabolam, &c. Parabolice os illis occludit, docens quod non propter iustos humanitatem assumpserit, sed propter peccatores. Hanc autem parabolam scripsit & Mathæus. Quumque inuenerit, imposuit in humeros suos gaudens. Euidentis signum dilectionis est, ac providentiæ, quam habebat erga genus nostrum. Et veniens in domum conuocat amicos, &c. Domum eius intellige cælum, Qui habitat, inquit, in cælis. Amicos autem, ac vicinos dicit angelos: amicos, tanquam ea diligentes, quæ ille diligit: vicinos, tanquam illi propinquos. Hæc autem, per parabolam nunc significat, ostendens quod in tali inuentione etiam angeli Dei congaudent, vt pote & ipsi benigni erga homines. Dico vobis, quod ita gaudium erit in cælo, &c. Ita: Quomodo? Sicut docuit parabola. Perditur itaque rationalis ouis, quum à diuinis præceptis lōge separatur: inuenitur autem, quum per penitentiam respicit, & in illis reponitur. Deinde altera quoque adducit parabolam, de gaudio, quod de eius, qui perierat, inuentione exoritur. Aut quæ mulier habens drachmas decem, &c. Sicut prædicta facit mulier, ita fecit & filij Dei humanitas, siue benignitas. Perdidit enim drachmā vnā, puta humanam naturam, quum affectionibus obruta esset. Accendit lucernam: hoc est, ostendit in mundo suam carnem, iuxta Gregorium Theologum splendens non solum fulgure diuinitatis, verum etiam lumine puritatis, & illuminantem eos, qui errore obtenebrati erant. Veritatem domum, siue purgavit hominum habitaculum, puta mundum, quum diffusas in eo peccati tenebras abegit, iactetisque affectionum sordes extulit. Et quærendo diligenter, circumeundo ciuitates, ac vicos, & mittendo discipulos in mundum vniuersum, inuenit, quod quærebat: & conuocauit amicas, ac vicinas,

vicinas, puta administratorios exercitus, ad communionem huiusmodi gaudij. Ita dico vobis gaudium erit coram angelis Dei super vno peccatore respiciente. Gaudium erit non solum super multis, sed etiam super vno. Id autem ostendit Deum vehementer scire cuiusvis peccatoris penitentiam, Drachmas autem nominauit ordines, vt pote Dei regis characterem habentes, ac imaginem. Quidam itaque centum esse omnes ordines senserunt, ad parabolam centum ouium attendentes: quidam vero alteram decem drachmarum parabolam in patricium assumentes, decem hos esse dicunt: nouem quidem cælestes iuxta Dionysium Areopagitam:

Thronos, Cherubim, Seraphim, Dominationes, Potestates, Virtutes, Principatus, Archangelos, & Angelos: decimum vero terrenum, puta homines. Ego vero opinor & Centum, & Decem in his parabolis non significare numerorum diuersitates, sed tantum multitudinem ordinum perfectam: est enim perfecta multitudo & centum, & decem: Multitudinem autem ordinum perfectam esse dicimus: quia tot sunt, quot esse oportuit. Sed quomodo dixit, Inueni drachmam, quam perdideram, quum non omne genus respiceret? Dicimus quod quantumcunq; fuit, quod inuenit, id drachma erat perditum: hoc enim merito drachmā perditā appellauit.



DOMINICA IIII. POST PENTECOSTEN.

L V C. 5.

a Conuentus turbarum, fidem designat populorum.



**N**illo tempore, Cum<sup>a</sup> turbæ irruerent in Iesum, vt audirent verbum Dei: & ipse stabat secus<sup>b</sup> stagnum Genesareth. Et vidit duas<sup>c</sup> nauis stantes secus<sup>d</sup> stagnum: piscatores autem<sup>e</sup> descenderant, & lauabant retia. Ascēdens autem in vnam nauim quæ erat Simonis, rogauit eum<sup>f</sup> a terra reducere pufillum. Et sedens docebat de nauicula turbas. Vt cessauit autem loqui, dixit ad Simonem: Duc in<sup>g</sup> altum, & laxate<sup>h</sup> retia vestra in capturam. Et respondens<sup>i</sup> Simon dixit illi: præceptor per totam<sup>k</sup> noctem laborantes nihil cepimus: in verbo autem tuo laxabo rete. Et cum hoc fecissent, concluderunt<sup>l</sup> piscium multitudinem copiosam. <sup>m</sup> Rumpebatur autem rete eorum, & annuerunt sociis, qui erant in alia naui, vt venirent & adiuuarent eos. Et venerunt & impleuerunt<sup>n</sup> ambas nauiculas, ita vt pene mergerentur. Quod cum videret Simon Petrus, procidit ad genua Iesu, dicens: Exi à me domine, quia homo peccator sum. Stupor enim circumdederat eum, & omnes, qui cum illo erant in captura piscium, quam ceperant. <sup>o</sup> Similiter autem Iacobum & Ioannem filios Zebedæi, qui erant focij Simonis. Et ait ad Simonem Iesus: Noli timere: Ex hoc iam<sup>p</sup> eris homines capiens. Et subductis ad<sup>q</sup> terram nauibus relictis omnibus sequuti sunt eum.

<sup>b</sup> Qui magna fecit in terra, transiit ad mare, vt & ibi faciat, & dominus maris terræque appareat. <sup>c</sup> Legem. <sup>d</sup> Legem. <sup>e</sup> A nauis in litus. <sup>f</sup> Ab amore terrenorum.

<sup>g</sup> Ad Christum ascendentem in altum. <sup>h</sup> Quia boni & gentiles parati erant accipere legem. <sup>i</sup> Sicut humilis. <sup>k</sup> Per veterem legem laborantes nullum diximus ad vitam.

<sup>l</sup> Pisces sunt qui hanc vitam enauiant. <sup>m</sup> Moraliter. Rumpitur qui diuitias & paupertates non sustinet.

<sup>n</sup> Quia ecclesiam & synagogam conuertit.

<sup>o</sup> Circumdederat stupor.

<sup>p</sup> Nondum eligitur in apostolorum, sed prædicitur quod aliquando sit eligendus. <sup>q</sup> Quia adhuc habent voluntatem redeundi.



## GLOSSA ORDINARIA

in superius Euang.



**T**urba. Nec tempore nec loco turba à studio sanandi cohibetur: vesper incumbit, & tamen sequitur: stagnum occurrit, & turba vrget: & ideo ascendit in nauim Petri. *Secus sta.* Bed. Stagnum, præfens seculum designat. Dominus autem iam non in stagno quasi iam non in carne passibili, sed secus stagnum: quia in ea carne in qua passus est, stabilitatem perpetuæ quietis adiit. *Genesareth.* A proprietate loci, quasi generans auram, quia crispantibus aquis de se auram emittit. *Vidit duas na.* Bed. Duæ naues, circumcisio & præputium: quas videt, quia in vtroque populo nouit qui sunt eius, quorum corda à fluctibus seculi ad futuræ vitæ tranquillitatem, quasi ad litus misericorditer videndo prouehit. *Piscatores.* Doctores ecclesiæ rebus fidei comprehensos, & de profundo ad lumenelatos, terra viuientium quasi littori pisces ingerunt. *Lanabant re.* Lota retia plicat, qui intermisso prædicandi officio, quod alios docuit, ipse implere satagit. *Que erat st.* Nans Simonis, primitiua ecclesiæ circumcissionis, de cuius autoritate docet gentes vsque hodie. *Quæ* bene vna, quia multitudinis credentium, erat cor vnum & anima vna. Hæc nauis apud Matthæum fluctuat, in quo attenditur principium ecclesiæ, quando trepidantibus discipulis, Christus adhuc dormit, quando Petrus suis meritis firmus, alienis turbatur, quando Iudas proditor adhuc est immixtus. Lucas dicit piscibus repleti, quia ad finem ecclesiæ respexit, vbi fructus exuberat, vbi perfectis in fide Christus vigilat, vbi perfidia proditoris cessat, vbi perfecta dilectio. *Rogauit eum.* Bed. Quod primo rogat nauim à terra reduci pusillum, significat vel temperatè vtendum verbo ad turbas, vt nec terrena eis præcipiantur, nec à terrenis in profunda sacramentorum recedat, vt ea penitus non intelligant. Vel prius in proximis regionibus gentibus prædicandum. Sed dum dicitur Petro: Duc in altum, ad remotiores gètes quibus postea prædicatū est pertinet. *Duc in altum.* Ambro. Et si aliis inperatur vt laxent retia, soli Petro dicitur. *Duc in altum.* id est in profundum disputationū: vt quando de æterna verbi generatione disseritur, que non visu sed sola fide attingitur: vel quando de virtute resurrectionis: vel de spiritus sancti profluentibus donis instruitur ecclesiæ & armatur. *Laxate retia.* Bed. Retia sunt verborum complexiones & quasi quidam orationis sinus & disputationū recessus, qui quos capiunt non amittunt. vnde & retia quasi retinentia sunt vocata, quæ captos non perimunt, sed referunt. *In verbo autem tuo.* Be. Nisi in verbo gratiæ laxata fuerint instrumenta disputationum, frustra prædicator vocis sue iaculum mittit, quia fides populorum non in sapientia verbi cõpositi, sed diuinæ vocationis munere prouenit. O vacua præsumptio! O humilitas fructuosa! Qui nihil ante ceperant magnam in verbo cõcludunt multitudinem. Rumpitur rete præ multitudine piscium, quia modo cõlectis tot reprobi intrant, qui ipsam ecclesiæ hæresibus scindant. Rumpitur rete, sed nõ labitur piscis, quia dominus suos feruat, etiam inter persequentium scandala. *Rumpitur.* In ecclesiæ circumcissionis rumpitur rete,

2. Tim. 2.

Act. 4.

Matth. 8.

quia non tot intrant de Iudæis quot apud Deum ad vitam erant præordinati. Alia ergo nauis, id est, ecclesiæ de gentibus succedit, quæ electos ad salutem colligit. Qui non intrant nisi rupto reti: quando ante Iudas proditor, ante Simon magus, ante Ananias, & Saphira, ante multi quos Ioannes antichristos vocat, abierunt retrorsum, quam Paulo vel Barnabæ cõmittitur apostolatus gentium. *Et impleuerunt.* Beda. Hæc impletio vsque in finem seculi crescit. Sed impletæ merguntur, id est, in submersione premuntur, non tamen periclitantur sic vt mergantur. Mergi enim est homines ad prauitatem seculi, de qua elati fuerant redire. Quales etiam Petrus adhuc in infirmitate positus hoc loco demonstrat. vnde sequitur: *Quod cum vidisset St. Pe.* quia carnales in ecclesiæ spiritualibus rectoribus, in quibus persona Christi eminet, honorem quidem exterioris deferunt, & specie tenus humiliantur sub illis: Sed tamẽ moribus non voce contradicunt, & nolunt ab illis gubernari, quorum vita & prædicatio ipsorum contraria est voluntati. *Stupor enim cre.* Excusat Petrum, non studio malitiæ sed ex humano defectu hoc dixisse. Admitabatur autem diuina dona, & quod plus meruerat, hoc præsumebat minus: & talis humilitas meretur piam domini consolationem. *Noli tim.* Bed. Non recedit, sed ad litus producit, & viuificandi potestatem tribuit. In quo significatur, quod spirituales viri & si peccatis turbantur commori, non tamen debent habere voluntatem dimittedi ecclesiasticum munus vt securius & tranquillius viuant. Nemo de suæ conscientia culpæ tremens, vel de aliorum innocentia stupens, sanctitatis iter formidet aggredi. *Ex hoc iam.* Bed. Hoc ad ipsam Petrum specialiter pertinet cui exponitur quid captura significet piscium. Sed sicut tunc per retia pisces, sic per verba aliquando capiet homines, in quo Petro est Typus totius ecclesiæ. *Reliquis omnibus.* Bed. Mysticè finem seculi significat, quo ab huius mundi saulo qui Christo inhæserint, penitus sunt recessuri.

## CATENA AVREA

in idem Euangelium.

**F**actum est autem cum turba irruerent in eum vt audirent verbum Dei, &c. Ambr. Vbi dominus impartiuit multis varia genera sanitarum, nec tempore nec loco cepit à studio sanandi turba cohiberi: vespera incubuit, sequebantur: stagnum occurrit, & turba vrgebant. vnde dicitur, *Pa. est aut. cum.* &c. Chryf. Erant ei connexi diligentes eum & mirantes, tenere cupientes. Quis enim discessisset dum huiusmodi miracula faciebat: quis nolisset solâ prospicere faciem & os talia loquens? neque enim in agendo miracula solum admirabilis erat, sed visus eius abundabat plurima gratia: vnde loquentem eum audiunt in silentio, seriem locutionis non interrompentes. dicitur enim, *Vt au. rer. Dei.* &c. Be. Stagnum Genesareth idem dicunt esse quod mare Galilææ vel mare Tyberiadis, sed mare Galilææ ab adiacente provincia dicitur, mare autem Tyberiadis à proxima ciuitate. Portus Genesareth à loci ipsius natura, quæ crispantibus aquis de seipso sibi excitare auram perhiberet, Græco vocabulo quasi generans sibi auram dicitur. Neque enim in stagni morem sternitur aqua, sed

sed frequentibus auris spirantibus agitur: haustu dulcis & ad portadum habilis. Sed Hebræe lingue consuetudine omnis aquarum congregatio siue dulcis siue salia, mare nuncupatur. The. Fugit autem dominus gloriam, quantum magis ipsa eum sequebatur: & ideo à turbis se separans ascendit in nauem. *Et vidit duas naues.* &c. Chry. Quod signum erat vocationis. Secundum verò Mat. inuenit eos resicientes retia: tantus enim erat paupertatis excessus, vt laniana repararet, noua nequeat habere. Volens autem diligenter congregare spectaculum, vt nemo remaneret post tergum, sed omnes facie ad faciem cernerent, ascendit in nauim. vnde dicitur, *Ascendens autem in.* &c. Theo. Vide autem Christi mansuetudinem, quomodo rogat Petrum: & Petri obedientiam, quomodo in omnibus fuit obediens. Chr. Postquam verò multa peregerat miracula, iterū doctrinam proponit: & existens in mari, piscatorem existentes in terra. vnde sequitur, *Et se. doc. tur. de na.* Gre. Naz. Cunctis descendens, vt à profundis extrahat piscem, hominem scilicet natantem in mobilibus rebus & amaris huius vitæ procellis. Bed. Mysticè autem duæ naues circumcissionem & præputium figurat, quas videt dominus, quia in vtroque populo nouit qui sunt eius, & ad futuræ vitæ tranquillitatem quasi ad litus videndo, hoc est misericorditer visitando prouehit. Piscatores sunt ecclesiæ doctores, qui nos per rete fidei cõprehendant, & quasi littori, sic terræ viuentiū aduehant. Sed hæc retia modò laxantur in capturam, modò lota plicantur: quia non omne tempus est habile doctrinæ, sed nunc exercenda est lingua doctoris, & nunc sumit cura gerenda. Nauis Simonis est ecclesiæ primitiua, de qua Paulus dicit, *Qui operatus est Petro in apostolatum circumcissionis:* bene vna dicta, quia multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna. Au. de con. euan. De qua docebat turbas, quia de autoritate ecclesiæ docet gentes: quod autem dominus ascendens: in nauim rogat eum à terra reducere pusillum, significat temperatè vtendum verbo ad turbas, vt nec terrena eis præcipiantur, nec à terrenis in profunda sacramentorum recedatur. Vel prius in proximis regionibus gentibus prædicandum, vt quod postea dicit, *Duc in altum,* ad remotiores gètes postea prædicandum præcipiat. *Vt cessauit autem loqui,* dixit ad Simonem: *Duc in altum.* &c. Cyril. Postquam sufficienter populum docuerat, regreditur iterum ad magnificentias proprias, & per piscatoria ministeria piscatur discipulos. vnde sequitur, *Vt au. cessa. lo.* &c. Chry. Condescendens enim hominibus sicut magos per sydyus vocauit, sic & piscatores per piscatorium artem. The. Petrus autem non distulit. vnde sequitur, *Et resp. Si. di. il. Præ. &c.* Non autem addidit, Non te audiam, ne secundis laboribus me exponam, sed magis subdit: *In ver. au. &c.* Quia vero turbam de nauicula dominus instruxerat, non sine mercede nauiculæ dominū dereliquit, dupliciter beneficians ipsum, quia primò dedit ei multitudinem piscium, & deinde discipulum ipsum fecit. vnde sequitur, *Et cum hoc se. &c.* Tot autem pisces cepit, vt nõ posset eos foras educere, sed à lociis auxilium peteret. vnde sequitur, *Rum. au. re. co. &c.* Per nutum ipsos vocat, quia ex stupore propter capturam piscium loqui nõ poterat: sequitur de eorum auxilio cum dicitur, *Et re. &c.* Aug. de con. euan. Ioannes qui-

dem videretur simile miraculum dicere, sed illud longè aliud est quod factum est post resurrectionem domini ad mare Tyberiadis: ibi enim non solum ipsum tẽpus valde diuersum est, sed etiam res ipsa plurimum distat: nam retia illic in dexteram partem missa, centumquinquagintatres pisces ceperunt, magnos quidem, sed pertinuit ad euangelistam dicere, quod cum tam magni essent, retia non sunt distrupra: respicientem, scilicet ad hoc factum quod Lucas commemorat, vbi præ multitudine piscium retia rumpebantur. Amb. Mysticè autem nauis Petri secundum Matth. fluctuat, secundum Lucam repletur piscibus, vt & principia ecclesiæ fluctuantis, & posteriora exuberantis agnoscat. Non turbatur ista quæ Petrum habet, turbatur illa quæ Iudæa habet: in vtraque Petrus, sed qui suis meritis firmus est, turbatur alienis. Caueamus igitur proditorem ne per vnum plurimi fluctuemus. Illic turbatio vbi modica fides, hic securitas vbi perfecta dilectio. Denique etiam aliis imperatur vt laxent retia sua, soli tamen Petro dicitur, *Duc in altum,* hoc est, in profundum disputationum. Quid est tam altum quam scire Dei filium? Quæ sunt autem apostolorum quæ laxari iubentur retia, nisi verborum complexiones, & quasi quidem rationis sinus & disputationum recessus, qui eos quos ceperint non amittant? Et bene apostolica instrumenta piscandi retia sunt, quæ non captos perimunt sed referunt, & fluctuantes de infimis ad superna transducunt. Dicit autem, *Præ. per. to. no. lab. n. ce.* quia non hoc humana faciendæ opus, sed supernæ vocationis est munus. Qui autem ante nihil ceperant, magnam in verbo domini cõcludunt piscium multitudinem. Cyri. Hoc autem fuit figura futuri, non enim incallum laborabunt euangelicæ doctrinæ rete tendentes, sed greges gentium aggregabunt. Aug. de con. euan. Quod autem retia rumpebantur, & piscium copia nauiculæ impletæ sunt, ita vt penè mergerentur, significat hominū carnalium multitudinem tantam futuram in ecclesiæ, vt etiam disrptione pacis per hæreses & schismata scinderentur. Bed. Rumpitur autem rete, sed non labitur piscis, quia suos dominus inter persequentium scandala seruat. Ambr. Alia autem nauis est Iudæa ex qua Ioannes & Iacobus eliguntur. Hic igitur de synagoga ad nauim Petri, hoc ad ecclesiæ cõuenerunt vt implerent ambas nauiculas: omnes enim in nomine Iesu genu flectunt, siue Iudæus, siue Græcus. Bed. Vel alia nauis est ecclesiæ gentium, quæ & ipsa vna nauicula non sufficiente piscibus impletur electis. Quia nouit dominus qui sunt eius, & apud ipsam certus est suorum numerus electorum: dumque tot in Iudæa credituros nõ inuenit, quot ad fidem vitamque prædestinatos nouit æternam, quasi alterius nauis receptacula piscibus quærens suis, corda quoque gentium fidei gratia replet, Et bene, rupto reti locia nauis aduocatur, quado Iudas proditor, Simon Magus, Ananias & Saphira, & multi discipulorum abierunt retro, ac deinde Barnabas & Paulus ad gentium sunt apostolatum congregati. Amb. Possunt tamen & aliam ecclesiæ intelligere nauim alterius: ab vna enim plures ecclesiæ deriuantur. Cyr. Innuat autem sociis vt auxiliarentur eis. Multi enim sequuntur apostolorum labores, & prius qui illi qui euangeliorum ediderunt scripturas, post quos alij præfides &

populorum pastores, & in veritatis doctrina periti. Bed. Harum autem impletio nauium in fines seculi crescit: sed quod impletæ merguntur, hoc est in submersione premuntur (non enim sunt submersæ, sed periclitatæ) Apostolus exponit, dicens: In nouissimis diebus erunt tempora periculosa, & erunt homines seipos amantes, &c. Nam mergi naues, est homines in seculo ex quo electi per fidem fuerant, morum prauitate relabi. *Quod cum videret Simon Petrus, prociuit ad genua Iesu, dicens, &c.* Amb. Admirabatur Petrus dona diuina, & quo plus metuerat, præsumebat magis. vnde dicitur, *Quod cum vi. Si. Pet. pro ad ge. Ie. di. Exi à me domine, &c.* Cyri. Reducens enim ad conscientiam patrata delicta, tremat & trepidat, & velut imundus mundum non credit se posse suscipere: acceperat enim a lege, distinguendum esse inter maculatum & sanctum. Grego. Nisi. Cum enim mandasset demergere retia, tanta copia piscium capta est, quantam ipse maris dominus & terræ voluerat. Vox enim verbi semper est vox virtutis, cuius præcepto in origine mundi lux & cæteræ creaturæ prodibant. In his admiratur Petrus. vnde sequitur, *Stu. enim cir. eum, & om. qui cum il. &c.* Aug. de con. eu. Andream non nominat, qui tamen intelligitur in ea naui fuisse secundum Matthæi, & Marci narrationem. *Et ait ad Sim. Ie. No. tim.* Amb. Dic & tu, *Exi à me domine quia homo peccator sum.* Vt respondeat Deus, *Noli timere.* Indulgenti domino peccatū fatere. Vides quam bonus dominus, qui tantum tribuit hominibus, vt viuificandi habeant potestatem. vnde sequitur, *Ex hoc eris iam homi. ca.* Bed. Hoc ad ipsum Petrum specialiter pertinet: exponit enim ei dominus quid hæc captura piscium significet: quod scilicet ipse sicut nunc per retia pisces, sic aliquando per verba sit capturus homines: totusq; facti huius ordo quid in ecclesia, cuius ipse typum tenet, quotidie geratur, ostendit. Chry. Considerat autem eorum fidem & obedientiam: habentes enim opus præmanibus appetibilis piscationis, cum audissent mandantem, non distulerunt, sed relictis omnibus sequebantur. Talem enim obedientiam requirit a nobis Christus, vt eam non prætermittamus, etiam si aliquid valde necessarium vigeat. Vnde & sequitur: *Et sub. ad ter. &c.* Aug. de con. euan. Matth. & Marcus breuiter hoc perstringunt quemadmodum gestum sit quod Lucas hic aperius explicauit. Hoc tamen videtur distare, quod tantum Petro à domino dictum commemorat, Ex hoc iam homines eris captiens, quod illi ambobus fratribus dictum esse narrauerunt. Sed prout utique prius hoc Petro dici, cum de capta ingenti multitudine piscium miraretur: quod Lucas insinuauit: & ambobus postea, quod illi duo commemorauerunt: vel intelligendum est hoc primò fuisse factum quod Lucas commemorat: nec tunc eos à domino vocatos, sed tantum fuisse prædictum Petro, quod homines esset capturus: non autè quod nunquā pisces esset capturus. vnde datur locus intelligere, eos ad capturam pisciū remeasse, vt postea fieret quod Matth. & Marcus narrant, tunc non subductis ad terram nauibus tanquam cura redeundi, sed ita enim secuti sunt, tanquam vocantem aut iubentem, sed si secundum Ioannem iuxta Iordanem secuti sunt eum Petrus & Andreas, quomodo ab aliis euangelistis dicitur, quod eos in Galilæa piscantes in-

uenit, & ad discipulatum vocauit? nisi quia intelligendum est, non sic eos vidisse dominum iuxta Iordanem vt ei inseparabiliter cohererent, sed tantum cognouisse quis esset, eumque miratos ad propria remeasse. Amb. Misticè autem quos Petrus in verbo capit, in verbo credidisse negat suā prædam, negat suum munus. *Exi (inquit) à me domine.* Noli timere & tu quæ tua domino deferre, quia quæ sua, nobis ille concessit. Aug. de con. euan. Vel aliter, Ex persona ecclesiæ carnalibus hominibus plene Petrus dicit, *Exi à me, quia homo peccator sum:* tanquam ecclesia turbis carnalium impleta, & eorum moribus penè submersa, regnum spirituum in quibus maxime persona Christi eminet, à se quodammodo repellit. Non enim hoc voce linguæ dicunt homines bonis ministris Dei vt eos à se repellant, sed voce motum & actuum suadent à se recedi, ne per bonos mergantur: & eo vehementius, quod deserunt eis honorem, vt honorificentiam eorum significauerit Petrus, cadens ad pedes domini: mores autem, in eo quod dixit, *Exi à me.* Bed. Confortat autem dominus timorem carnalium, ne quis vel de sua conscientia culpæ tremens, vel de aliorum innocentia stupens sanctitatis iter formidet ingredi. Aug. de qu. euan. Dominus autem dum non recessit ab eis, significat in bonis & spiritualibus viris non esse oportere hanc voluntatem, vt peccatis turbamur commoti quo quasi securius tranquilliusque viuam, munus ecclesiasticum deserant. Quod autem subductis ad terram nauibus relictis omnibus secuti sunt eum, potest significare finem temporis, quo ab huiusmodi salo, qui Christo inhæserunt, penitus recessuri sunt.

S. AMBROSII MEDIO-  
lanensis Episcopi superioris Euang.  
expositio.

**F**actum est autem, cum turba, &c. Vbi dominus multis impartiuit varia genera sanitarum; nec tempore, nec loco potuit ab studio sanandi turba cohiberi. Vesper incubuit: sequebantur, stagnū occurrit, vigeant: Et ideo ascendit in Petri nauem. Hæc est adhuc illa nauis, quæ fluctuat adhuc secundum Matthæum, secundum Lucam repletur piscibus: vt & principia ecclesiæ fluctuantis, & posteriora exuberantis cognoscat. Pisces enim sunt, qui hanc enauigant vitam. Ibi autem discipulis Christus dormit: hic præcipit: dormit enim tepidis; persectis vigilat. Sed quemadmodū dormiat Christus, audisti dicentem in propheta; Ego dormio, & cor meū vigilat. Et sanctus Matthæus recte non prætermittendum putauit æterna iudicium potestatis: vbi imperat ventis. Non enim humana doctrina, sicut audisti Iudæos dicere; Verbo imperat spiritibus; sed cælestis maiestatis insigne. Quod turbatum sedatur mare, & diuina vocis imperio obsequuntur elementa: atque insensibilia sensum accipiunt obsequendi: diuinæ mysterium gratiæ reuelatur. Qui fluctus miscuit seculi, verbo immundus spiritus conquiescit: non alterum altero resellit, sed vtrūque celebratur. habes miraculum in elementis, habes documentum in mysteriis. Ergo quia sanctus Matthæus illam prælibauerat, sanctus Lucas eam sibi nauim in qua Christus piscaretur, elegit. Non turbatur

ista, quæ Petrum habet: turbatur illa, quæ Iudam habet. Et si multa illic discipulorum merita nauigabant; tamen ea adhuc perfidia proditoris agitant. In vtraque Petrus, sed qui suis meritis firmus est, turbatur alienis. Caueamus igitur perfidum: caueamus proditorem: ne per vnum plurimi fluctuemus. Ergo nō turbatur hæc nauis in qua prædica nauigat, abest perfidia, fides aspirat. Quemadmodum enim turbati poterat, cui præerat is, in quo ecclesiæ firmamentum est? Illic ergo turbatio, vbi modica fides: hic securitas, vbi perfecta dilectio. Denique & si alijs imperatur, vt lateat retia sua: soli tamē Petro dicitur, *Duc in altum:* hoc est in profundū disputationum. Quid enim tam altum, quam altitudinem diuitiarum videre, scire Dei filium, & professionem diuinæ generationis assumere? Quam licet mens non queat humana plene rationis inuestigatione comprehendere; fidei tamen plenitudo complectitur. Nam, etsi non licet mihi scire, quemadmodum natus sit; non licet tamē nescire, quod natus sit. Seriem generationis ignoro, sed authorem generationis agnosco: Nō interfui sum, cum ex patre Dei filius nasceretur. Sed interfui sum, cum à Patre Dei filius diceretur. Si Deo nō credimus, cui credemus? Omnia enim, quæ credimus, vel visu credimus, vel auditu. Visu sæpe fallimur; auditus in fide est. An afferentis persona discutitur? Si viri boni dicerent; nefas putarem non credere: Deus afferit; probat filius; refugiens sol fatetur; tremens terra testatur. In hoc altum disputationis ecclesiæ à Petro dicitur, vt videat hinc resurgente Dei filium, inde sanctum spiritum profluentem. Quæ sunt autem apostolorum, quæ laxari iubentur retia, nisi verborum complexionis, & quasi quidam orationis sinus, & disputationum recessus, qui eos, quos cœperint, non amittant. Et bene Apostolica instrumenta piscandi retia sunt: quæ non captos perimunt, sed reseruant, & de profundo ad lumen extrahunt, & fluctuantes de infernis ad superna perducunt. Est & aliud apostolicum piscandi genus, quo genere solum Petrum piscari dominus iubet dicens; *Mitte hamum, & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle.* Magnum quidem est, & spiritale documentum, quo Christiani viri sublimioribus potestatibus docentur debere esse subiecti, ne quis constitutionem regis terreni putet esse soluendam. Si enim censum Dei filius soluit, quis tu tantus es, qui non putes esse soluendum? Et ille censum soluit, qui nihil possidebat; tu autem, qui sæculi sequeris lucrum; cur sæculi obsequium non recognoscat? Cur te supra sæculum quadam animi arrogantia feras: cum seculo sis misera cupiditate subiectus? Peditur igitur didrachma, quod erat precii nostræ redemptionis & corporis in lege promissum, in euangelio perfolutum, non ociose in ore piscis inuentum; Ex ore enim tuo iustificaberis. Etenim precium immortalitatis est nobis nostra confessio; quia, sicut scriptum est, Ore confessio fit ad salutem. Et fortasse primus hic piscis primus est martyr, in ore habes didrachma, hoc est, precium census. Didrachma nostrum Christus est. Habebat igitur primus ille martyr, Stephanus scilicet, in ore thesaurum, cum Christum in passione loqueretur. Sed reuertamur ad propositum locum, & discamus apostolicam humilitatem. *Præceptor (inquit) per totam noctem, &c.* Et ego, domine, scio,

quia nox mihi est, quando non imperas. Nemo adhuc nomen suum dedit: adhuc noctem habeo. Misi iaculum vocis per Epiphaniam: & adhuc nihil cepi. Misi per dies expecto vt iubeas: in verbo tuo laxabo retia. O vacua præsumptio! O humilitas fructuosa, qui nihil ante cœperant, magnam in verbo domini cōcludunt piscium multitudinem! Non hoc humanæ facultatis opus, sed superne vocationis est munus. Cedunt disputationes hominum; fide sua plebs credit, Ruimpuntur retia; nec labitur piscis: vocantur ad adiumentum socij, qui erant in alia naui. Quæ est illa alia nauis, nisi forte Iudæa, ex qua Ioannes, & Iacobus eliguntur? Facta est enim Iudæa significatio eius. Hic igitur de synagoga ad nauem Petri, hoc est, ad ecclesiam conuenerunt: vt impleant ambas nauiculas. Omnes enim in nomine Iesu genua flexerunt, siue Iudæus, siue Græcus, omnia, & in omnibus Christus. Sed mihi cumulus iste suspectus est, ne plenitudine sui naues pene mergantur. Oportet enim & hæreses esse, vt probentur boni. Possimus tamen & aliam ecclesiam intelligere nauem alterius. Ab vna enim plures ecclesiæ deriuantur. Ecce alia sollicitudo Petri: cui sua iam præda suspecta est. Sed nouit perfectus, quemadmodum seruare possit reconditos, qui scit quemadmodum possit capere dispersos. Quos in verbo capit, verbo credit, negat suam prædam, negat suū munus. *Exi, inquit, à me domine, quia homo peccator sum.* Admirabatur enim dona diuina; & quod plus meruerat, hoc præsumebat minus. Dic & tu; *Exi à me domine: quia homo peccator sum:* vt respondeat tibi dominus; *noli timere.* Indulgenti domino peccatum fatere. Noli timere etiā, quæ tua sunt, domino deferre: quia, quæ sua sunt, nobis ille concessit. Nescit inuidere; nescit eripere; nescit auferre. Vides quam bonus dominus, qui tantum tribuit hominibus, vt viuificandi habeant potestatem.

S. TITI BOSTRORVM  
Episcopi eiusdem Euang. expositio.

**C**oncluserunt piscium multitudinem copiosam. De hac piscium captura, Cyrillus Alexandrinus scribit in hunc modum: Dominus per munia piscatoria, piscatur discipulos piscatores; vt hinc discant voluntatem habere omnipotentem, vniuersamque creaturam nutibus illius ad nutum obsequij; tum rursus quod per euidentis hoc miraculum, veluti per typum vel imaginem quampiam admoniti edocitque, cerèd apud se statuunt, operam, quam Euangelicæ doctrinæ rete laxantes, insumpturi essent, sua mercede & fructu nequam frustratum iri: vt qui circa vllam controuersiam gentium greges per illud sint collecturi. Quin aliud quoque obseruare hic licet: nempe eum Simon, & qui cum illo erant, rere subdicerè nō possent, eiusdem piscationis socios nutu (nam cum præ stupore, & metu loqui non auderant, nutibus vsi sunt) aduocasse; eosdemque vt vnà operi incumberent, prædamque captam conseruare adiungent hortatos esse. Designabat hoc enim mysticè multos fuisse, & esse, olimque futuros esse, quibus hic piscandi labor, cum Apostolis communis esset, inter quos primas facile tenent, qui sacrorum Euangeliorum volumina conscripserunt.

*Nam olim in festo Epiphaniæ Iohannis Baptistæ celebrabatur.*

*Psal. 113.*

*Ergo honorificamur meritis in fidei rebus præstantes apud Deum.*

*In Petri ecclesiæ est firmamentum.*

*Matth. 17.*

*Attendit qui Christiani licet ad se suos principibus rebus obsequant.*

*Rom. 10.*

pserrunt, & in lucem ediderunt. Secundum hos autem ceteri pastores, & doctores, populorumque duces, & candidi dogmatum veritatis interpretes. Iacitur enim etiamnum Euangelij rete, Christo domino illud implente, eosque, qui in profundo pelago, hoc est, in mundi huius commotione & fluctibus, ut scriptum est, versantur, ad conversionem vocante.

### BEDÆ VENERABILIS presbyteri in idem Euang. expositio.

Ex comment.  
in Lucan.

**F**actum est autem cum turba irruerent in eum, &c. Stagnum Genesareth, idem dicunt esse, quod mare Galilææ, vel mare Tyberiadis. Sed mare Galilææ ab adiacente provincia dictum, mare Tyberiadis à proxima ciuitate, quæ olim Chennereth vocata, sed ab Herode Tetrarcha instaurata, in in honore Tyberij Cæsaris Tyberias est appellata. Porro Genesareth à laci ipsius natura, qua crispantibus aquis de seipso sibi excitare auram perhibetur, Græco vocabulo, quasi generans sibi auram dicitur. Neque enim in stagni morem sterneretur aqua, sed frequentibus auris spirantibus agitatur, haustu dulcis, & ad potandum habilis. Sed Hebrææ linguæ consuetudine, omnis aquarum congregatio siue dulcis, siue salina, mare nuncupatur. Qui lacus interfluente Iordane, centum quadraginta stadiis in longitudinem, & quadraginta extenditur in latitudinem. Quia ergo stagnum, siue mare præsens sæculum designat, dominus secus mare stat, postquam vitæ labentis mortalitatem deuincens, in ea qua passus est carne, stabilitatem perpetuæ quietis adiit. Turbarum cõuentus ad eum, gentium in fide cõcurrentium typus est. De quibus Esaias; Et fluent (inquit) ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi, & dicent; Venite, & ascendamus ad montem domini. Et vidit duas naues stantes secus stagnum. Duæ naues secus stagnum posita, circumfessionem, & præputium figurant. Quas bene Iesus vidisse perhibetur, quia in utroque populo nouit dominus, qui sunt eius. Eorumque cor à fluctibus sæculi huius, ad futuræ vitæ tranquillitatem quasi ad soliditatem litoris videndo, hoc est misericorditer visitando prouehit. Piscatores autem descenderant, & lauabant retia. Piscatores sunt ecclesiæ doctores, qui nos rete fidei comprehensos, & de profundo ad lumen elatos, quasi pisces litori, sic terræ viuientium aduehant. Quasi enim quædam retia piscantium sunt complexæ prædicatium dictiones, quæ eos, quos ceperint in fide, non amittant. Vnde & retia, quasi retinentia sunt vocata. Sed hæc retia modo laxantur in capturam, modo lora plicantur, quia non omne tempus est habile doctrinæ, sed nunc exercenda lingua doctori, nunc suimer cura gerenda. Ascendens autem in unam nauem, quæ erat Simonis, &c. Nauis Simonis, est Ecclesia primitiua, de qua Paulus ait; Qui enim operatus est Petro in Apostolorum circumfessionis, operatus est & mihi inter gentes. Bene vna dicta, quia multitudinis credentium erat cor, & anima vna. De qua docebat turbas, quia de auctoritate ecclesiæ docet vltique hodie gentes. Vt cessauit autem loqui, dixit ad Simonem; Duc in altum, &c. Quod primo rogauit Simonem nauem à terra reducere pusillum, signifi-

cat vel temperate vtendum verbo ad turbas, ut nec terrena eis præcipiantur, nec sic à terrenis in profunda sacramentorum recedatur, ut ea penitus non intelligant, vel prius in proximis regionibus gentibus prædicandum, ut quod dicit item Petro; Duc in altum, & laxate retia vestra in capturam, ad remotiores gentes, quibus postea prædicatum est, pertinere. Et respondens Simon dixit illi, &c. Nisi dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt, qui ædificant eam. Nisi dominus cor illustrauerit auditorum, doctor in nocte laborat. Nisi in verbo gratiæ supernæ laxata fuerint instrumenta disputationum, frustra vocis suæ prædicator iaculum mittit. Quia fides populorum non sapientia verbi compositi, sed diuinæ vocationis munere prouenit. Et cum hoc fecisset, conuulserunt piscium, &c. Præ multitudine piscium rete rumpebatur, quia nunc ad cõfessionem fidei etiam cum electis reprobi tanti intrant, qui ipsam quoque ecclesiam hæresibus scindant. Rumpitur autem rete, sed non labitur piscis, quia suos dominus etiam inter persequentium scandala seruat. Et numerunt socijs, qui erant in alia naui, &c. Alia nauis (ut prædiximus) est ecclesia de gentibus, quæ & ipsa non sufficiente vna nauicula piscibus impleretur electis, quia nouit dominus, qui sunt eius, & apud ipsum certus est suorum numerus electorum. Cùmque tot in Iudæa credituros non inuenit, quot ad fidem, vitamque prædestinatos nouit æternam, quasi alia nauis receptacula piscibus quærens suis, corda quoque gentium fidei gratia replet. Et bene rupto rete socia nauis aduocatur, quoniam ante Iudas proditor, ante Simon Magus pisces nequissimi capri sunt, ante Ananias, & Saphira fidei rete subdole tenabant ingredi, ante ut Ioannes restatur, multi discipulorum eius abierunt retro, & iam non cum illo ambulabant. Ac deinde Barnabas, & Paulus ad gentium sunt Apostolatus segregati. Et venerunt & impluerunt, &c. Harum impleo nauium, vsque in finem sæculi crescit. Sed quod impletæ merguntur, hoc est in submersione premuntur (non enim submersa, sed tamen sunt periclitata) Apostolus exponit dicens; In nouissimis diebus erunt tempora periculosa, & erunt homines seipso amantes, & cetera. Nam mergi naues est, homines in sæculum, ex quo elati per fidem fuerant, morum prauitate relabi. Quales & ipse Petrus adhuc in infirmitate positus, hoc loco demonstrat. Vnde sequitur; Quod cum videret Simon Petrus, &c. Quia carnales quique in ecclesia regimur spiritualium, in quibus maxime Christi persona eminet, à se quodammodo repellunt. Non enim hoc voce linguæ dicunt bonis ministris Dei, ut eos à se repellant, sed voce morum, & actuum suorum suadent à se recedi, ne per bonos regantur, & eo vehementius quo deferunt eis honorem, & tamen factis suis à se recedere admonent. Ut honorificentiam eorum significauerit Petrus, cadens ad pedes domini; Mores autem in eo quod ait; Exi à me domine, quia peccator homo sum. Quod tamen quia non fecit dominus non enim recessit ab eis, sed eos subductis nauibus ad littus perduxit, significat in bonis, & spiritualibus viris non esse oportere hanc voluntatem ut peccatis turbatum commoti, quo quasi securius, tranquilliusque viuant, munus Ecclesiasticum deserant. Et ait ad Simonem Iesus; Noli timere. Confortat dominus timorem carnalium, ani-

animosque fragilium consolando erigit, ne quis vel de sua conscientia culpe tremens, vel de aliorum innocentia stupens, sanctitatis iter formidet aggredi. Quod autem sequitur. Ex hoc iam homines eris capiens. Ad ipsum Petrum specialiter pertinet. Exponit enim ei dominus, quid hæc captura piscium significet. Quod videlicet ipse sicut nunc per retia pisces, sic aliquando per verba sit capturus homines. Totusque facti huius ordo, quid in Ecclesia, cuius ipse typum tenet, quotidie geratur ostendat. Quod vero subiungitur; Et subductis ad terram nauibus, reliquis omnibus, secuti sunt eum. Potest significare finem temporis, quo ab huiusmodi salo, qui Christo inhæserint penitus recessuri sunt. Sciendum est autem hanc eandem non esse lectionem qua Matthæus, & Marcus binos de nauiculis piscatores, primo Petrum, & Andream, deinde filios Zebedæi à domino narrat esse vocatos. Non enim eos Lucas nunc à domino vocatos sed tantum Petro fuisse prædictum quod homines esset capturus in sinuam. Quod non ita dictum est, quasi iam pisces nunquam esset capturus. Nam & post resurrectionem domini legitur eos esse piscatos. Vnde datur intelligi, eos ad capturam piscium ex more remeasse, ut postea fieret quod Matthæus, & Marcus narrant, quando eos binos vocauit. Tunc enim non subductis ad terram nauibus, tanquam cura redeundi, sed ita eum secuti sunt, tanquam vocantem, ac iubentem ut sequerentur.

### HAYMONIS EPISCOPI Halberst. superioris Euang. expositio.

**C**um turba irruerent ad Iesum ut audirent verbum Dei. Cum turba irruerent, id est, cum festinatione properarent ad Iesum, ut audirent verbum, id est, verbum prædicationis ex ore eius, & ipse stabat secus stagnum Genesareth. Stagnum Genesareth idem dicunt esse, quod & mare Galilææ, & mare Tyberiadis. Istud stagnum diuersis nominibus nuncupatur, propter diuersa loca adiacentia sibi. Appellatur mare Tyberiadis, propter Tyberiadem ciuitatem, quæ in littore eius posita est, quæ olim vocabatur Cyneret, quam Herodes tetrarcha restaurauit in meliorem statum, & in honorem Tyberij Cæsaris, appellauit eam Tyberiadem, sub quo passus est dominus. Vocatur stagnum Genesareth, eo quod generet sibi auram. More itaque maris, de semetipso tempestatem excitare perhibetur. Et habet istud stagnum in longitudine centum, & quadraginta stadia. In latitudine sexaginta interfluente Iordane. Iordanis currit per medium, & vadit in mare mortuum, vbi fuit quoddam Sodoma, & Gomorra, ibique perdit suas laudabiles aquas. Habet etiam iuxta hoc stagnum calidas aquas, quæ magnam utilitatem præstant vicinis suis, quia hyemali tempore abluunt se in eis. Sed merito queritur, cur istum stagnum mare appellatur, cum dulces habeat aquas, & habile sit ad potandum. Mare enim ab amaritudine accipit nomen, vel à meando. Consuetudo Hebrææ linguæ est, ut omnis collectio aquarum, siue dulces sint aquæ, siue amaræ, mare nuncupetur; iuxta quod scriptum est in Genesi; Congregationesque aquarum, appellauit Maria, hoc secundum litteram. Cæterum secundum spiritualem intelligentiam, mare signat præsens sæculum, id est, istam mortalem, & caducam vitam, quam habemus, quia sicut mare in fluctuatione est, ita hæc vita corruptibilis semper in fluctuatione videtur esse. Aliquando est enim in prosperitate, aliquando in aduersitate, aliquando in gaudio, aliquando in tristitia, aliquando in abundantia rerum, aliquando in penuria, aliquando in pace, aliquando in bello. Statio domini in littore erat. Littus significat gloriam immortalitatis, quam habuit dominus post resurrectionem; de qua immortalitate dicit Paulus apostolus; Christus resurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Modò stat dominus in littore, id est, in gloria immortalitatis suæ, in stabilitate æternæ quietis. Turbæ quæ ad eius prædicationem vndique confluunt, signant multitudinem gentium quæ post resurrectionem Christi per prædicationem apostolorum venturæ erant ad fidem, & credituræ in eum. De quibus dicit Esaias; Et fluent ad eum omnes gentes, & dicent; Venite ascendamus ad montem, id est, credamus in Christum, & ad domum eius Iacob, id est, ad ecclesiam, & ambulabimus in semitis eius: quia de Syon exhibit lex, & verbum Domini de Hierusalem. Quotidie concurrunt ex omni parte populi ad ecclesiam, ut audiant Christum prædicantem. Quando episcopus prædicat Euangelium aut aliquis alius doctor ecclesiæ Christus prædicat. Et vidit duas naues stantes secus, id est, iuxta stagnum. Duæ naues duas ecclesias in plebe fidelium designant, Iudeorum videlicet, & gentilium. Quas bene Iesus vidisse perhibetur, quia in utroque populo nouit qui sunt eius, & apud ipsum est certus numerus electorum suorum. Videre namque Dei est eligere, vnde & nos videre eos dicimus, quos diligimus, quos verò odio habemus, ab illis oculis auertimus. Vidit ergo dominus electos suos in presenti seculo laborantes, & videndo gubernat eos, ut ad littus, id est, ad soliditatem patriæ celestis peruenire possint. Piscatores autem descenderant, piscatores intelliguntur ecclesiæ doctores, Apostoli videlicet, & apostolici viri, qui nos per rete fidei, & per rete prædicationis suæ à profunditate huius sæculi eleuant, & ad littus, id est, ad perpetuæ quietis beatitudinem semper inuitant verbo, & exemplo. Retia intelliguntur prædicamenta. Et dicuntur retia quasi retinentia, quia pisces, quos capiunt, tenent. Similiter & prædicatio diuina quos capit ad fidem, tenet, & ad littus, id est, æternam quietem festinat perducere. Rete in quibusdam locis est clausum, & in quibusdam apertum. Similiter & sermo diuini eloquij in quibusdam locis legitur patet: & in quibusdam est obsecutus. Piscatores autem descenderant, & lauabant retia. Post officium prædicationis lauant retia piscatores, quando prædicatores sanctæ Ecclesiæ post expletam prædicationem lachrymis abluunt, quod in prædicatione aut fortè per iactantiam, aut negligentiam deliquerunt. Quod bene in facto domini declaratur, qui postquam misit discipulos suos ad prædicandum, lauit pedes eorum. Quare: ut in ipsa abluitione pedum, quicquid in prædicatione excesserat, totum purgaretur. Tutius est enim audire verbum Dei quam loqui, quia ille, qui audit, sine peccato potest percipere illud; qui verò loquitur, aliquando quodam puluere iactantiæ foedatur, id est, coinquatur. Ideo necesse est, ut prædicatione ex-

Rom. 10.

1041. 13.

Genes.

ani



ne expleta, abluatur quod inquinatum est in eo. *Ascendens autem in nauiculam vnam, quæ erat Simonis.* Nautis Simonis signat primitiuam Ecclesiam ex Iudæis, quæ beato Petro commissa est, de qua dicit beatus Paulus apostolus: Qui operatus est Petro in apostolatam circuncisionis: operatus est & mihi inter gentes, id est, qui Petrum fecit principem Iudæorum credentium, ipse me constituit magistrum, & doctorem omnium gentium. Quæ bene vna dicitur fuisse: quia multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna. *Rogauit à terra reducere pusillum.* Ideo rogauit, quia adhuc non erat eius discipulus. Quantum ad literam est. Ideo rogauit, vt paululum nauim à terra reduceret in aquam, ne fatigaretur, id est, ne opprimeretur à multitudine turbarum. Vel ideo, quia melius auditur vox hominis loquentis in aqua quam in terra. Miror hoc. Secundum spiritualem intelligentiam, ideo rogauit Petrum nauim à terra reducere pusillum, vt mysticè innueret, quia prædicator ecclesiæ temperatè debet loqui verbum Dei, maxime coniugatis, & actibus istius seculi implicatis, vt neque tota terrena illis prædicet, neque profunditatem celestium sacramentorum committat. Non debet illis exponere: In principio erat verbum, ne terrenis actibus inhæreant, quia non sunt capaces ad hoc percipiendum. Sed quid debet agere? A terra, id est, à terrenis actibus debet illos sua prædicatione remouere, dicens: Non occides, non furaberis, non falsum testimonium dices, non concupisces rem proximi tui. Vel aliter. In hoc quod Petrum rogauit, vt paululum à terra nauim, demonstrat, quod ipse Petrus, & cæteri Apostoli, primò deberent Euangelium prædicare Iudæis vicinis suis, iuxta quod alibi dicit: In viam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis, sed potius ite ad oues, quæ perierunt domus Israel. Quod verò peracta prædicatione subiunxit, *duc in altum*, ad remotiores gentes pertinet, de quibus dixit eisdem apostolus die ascensionis suæ: Euntes in mundum vniuersum, prædicare Euangelium omni creaturæ, id est, omnibus gentibus. Tale est illud in actibus Apostolorum: Et eritis mihi testes in Hierusalè & in omni Iudæa. Hoc est, quod Petrum rogauit, vt à terra nauim reduceret pusillum. Et vsque ad vltimum terræ: hoc est quod dixit, duc in altum. *Et sedens docebat eos.* Sessio domini dignitatem magistræ designat: quia magistrorum est sedendo docere. De nauicula Petri, id est, de autoritate Petri, hoc est ecclesiæ, vsque hodie gentes docet. Sicut illi crediderunt, sic credimus & nos, instructi verbis, & scriptis illorum, omnia bona, quæ habemus post dominum ab Apostolis accepimus. Quando etenim euangelium Matthæi, Marci, Lucæ, & Ioannis prædicatur in sancta Ecclesia, aut ab ipso episcopo, aut presbytero, aut leuita: Christus docet de autoritate, id est, de magisterio primitiuæ ecclesiæ. *Vt cessauit autem loqui*, id est, cessauit à prædicationis officio. *Dixit ad Simonem, duc in altum*, id est, duc in profundum maris: Altum commune nomen est, & celsitudinem signat, & profunditatè, vt illud Salomonis: Verba sapientium vt stimuli, & quasi clauis in altum defixi, id est, in profundum. *Et laxate retia vestra in capturam.* Respondens autem Simon, dixit illi: *Per totam noctem laborantes, nihil cepimus, in verbo autem tuo laxabo rete.* Quidam doctor dicit, quod

prædicatores, qui aduentum filij Dei præcesserunt, id est, Propheta, & cæteri, qui multitudinè populi ad fidem Christi conuertere non valuerunt: quasi in nocte laborauerunt, & ad comparationem illorum hominum, qui post aduentum Domini per prædicationem Apostolorum capti sunt ad fidem, nihil fuit illud, quod captum est ab eis. Dicamus aliter. Doctor in nocte laborat, quando gratia spiritus sancti non adest illi, quia nisi dominus illustrauerit cor auditorum: doctoris lingua exterius in vanum laborat. Hoc est quod Psalmista dicit: Nisi dominus edificauerit domum, in vanum laborauerunt, qui edificauerunt eam. Nisi dominus auxiliu præstiterit doctori: vt hoc, quod ipse loquitur exterius in auribus auditorum, dominus loquatur interius in cordibus illorum, doctor quasi in nocte laborat. *In verbo autem tuo laxabo rete*, in præcepto tuo. Per rete sicut superius diximus, designatur prædicatione. Rete diuersis malis textitur. Similiter & sermo prædicationis diuersis sententiis adornatur. Rete extenditur ad capiendos pisces similiter & sermo prædicationis extendi debet, vt capiantur animæ, id est, homines ad salutem. *Et cum hoc fecissent*, id est, ad præceptum domini laxasset retia sua in mare. *Concluserunt multitudinem piscium copiosam.* Id est, multitudinem copiosam. Vnam rem dupliciter posuit, sicut Paulus apostolus: In quo clamamus abba pater. Quod abba: hoc est pater. Bis legitur in sancto Euangelio quod ad domini præceptum missa sunt retia ad piscandum. Primò ante vocationem discipulorum, sicut præsens lectio manifestat. Deinde post resurrectionem Domini, ante quam cælos ascenderet. In hac piscatione non est iustum in quam partem nauigij mitteretur rete, an in dexteram, an in sinistram. In alia autem piscatione iustum est, vt in dexteram nauigij partem mitteretur, dicente domino: Mittite in dexteram nauigij rete. Per dexteram designantur boni, per sinistram mali. Per has duas piscationes designatur duæ ecclesiæ: ecclesia præsens, & ecclesia, quæ regnatura est cum Christo. In ista piscatione, quæ modo legitur, non est à domino præceptum, vt in dexteram, aut in sinistram partem mitti deberet rete. Quia hæc præsens ecclesia bonos simul, & malos indifferetè recepit, neque eligit quos colligat, quia & quos eligere debeat, ignorat. *Et auerunt socijs, qui erant in alia naui.* Prima nauis sicut diximus, est ecclesia primitiua ex Iudæis, alia nauis ecclesia gentium. De quibus duabus nauibus loquitur spiritualiter Paulus apostolus: Qui operatus est Petro in apostolatam circuncisionis, operatus est & mihi inter gentes. Secundum litteram socij Simonis erant Ioannes, & Iacobus. Secundum spiritualem intelligentiam socij Petri in prædicatione fuerunt Paulus, & Barnabas, qui missi sunt ad gentes euangelium prædicare, dicente spiritu sancto credentibus. Segregate mihi Paulum, & Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos. Dum multi ex Iudæis collecti essent ad fidem, tam per prædicationem redemptoris, quam per prædicationem Petri apostoli, de quo dicitur in actibus Apostolorum, quod vna die crediderunt quinque millia hominum, alia die tria millia, & sic deinceps multa, & rete fuisse ruptum in malis, id est, Iuda, in Simone, in Arrio, in cæteris multis, de quibus dicitur per Ioannem: Multi discipulorum abierunt retrò, & non iam cum illo ambulabant.

ban. Adhibita est nauis, id est, ecclesia gentium per prædicationem Pauli, & Barnabæ, vt quia ex Iudæis non sunt tot collecti, quot sunt præordinati ad vitam æternam, illi, qui ex gentibus crediderunt locum electorum in celo, repleverunt. *Et impleuerunt ambas nauiculas.* Harum impletio nauium vsque in finem seculi crescit, quia quotidie per prædicationem Apostolorum, & cæterorum doctorum ab oriente in occidentem, Septentrione, & Meridie veniunt ad fidem Christi. *Ita vt penè mergerentur.* Non dixit vt submergerentur, sed, vt mergerentur, id est, periclitarentur, vt in submersione premerentur. *Quod cum videret Simon Petrus, miraculum, scilicet à domino factum, in captione piscium multorum.* Procidit ad genua Iesu dicens: *Exi à me, domine*, id est, recede à me. *Quia homo peccator sum.* Ne tua iustitia grauetur mea iniquitas. *Stupor enim*, id est, admiratio, apprehenderit Petrus, & qui cum ipso erant in captura piscium, quam ceperant. In hoc loco beatus Petrus typum gerit infirmorum hominum secularium, videlicet peccatorum, qui à se spiritualis doctores repellere volunt, ne ab eis de suis peccatis increpentur. Seculares homines, qui considerantes peccata sua, & sanctitatem prælatorum suorum, honorificentiam illis præstant, & tamen dicent, non voce lingue sed voce malorum operum, recedite à nobis. Vt istorum honorificentiam designaret Petrus, procidit ad pedes Iesu, vt autem mores signaret, dixit: *Exi à me.* Sed quid fecit dominus? Non deseruit Petrus, vsque dum ad litus eum perduceret. Similiter & in bonis prælatis non debet esse voluntas, vt relinquat populum, id est, munus ecclesiasticum, licet peccatores sint, sibi à domino commissum, vt transeant ad tranquilliora loca. Verbi gratia, dicamus etiam ad monasterium, vbi securus, & liberius sine strepitu turbarum possint viuere. Sed tam diu debet præesse populo subiecto, & verbo, & exemplo, donec eum ad litus auxiliante Deo, hoc est ad æternæ beatitudinis soliditatem perducere valeat. *Et ait illi Iesus: Noli timere, ac si diceret: Quia te cognoscis peccatorem, noli desperare salutem, saluaberis.* *Ex hoc iam homines eris capiens.* Non ita dictum est, quasi iam pisces, nunquam esset capturus, nam & post resurrectionem legimus eum piscatum cum socijs suis, sed potius per hoc quod dixit, ex hoc, subauditur tempore, homines eris capiens, voluit demonstrare quid mysticè illa captura piscium monstraret, ac si diceret: Sicut hæcenus cepisti pisces per retia corporea: sic amodo capies homines ad salutem per prædicationem diuinam. *Et subductis nauibus ad terram, relictis omnibus, sequuti sunt eum.* Sciendum est, quod hæc lectio non est illa, quam secundum Matthæum, Marcumque legimus, vbi dominus binos, & binos vocauit, vt se sequerentur, id est, vt illi perpetualiter adhærerent, quando & Petro dixit, & Andree, venite post me, faciam vos fieri pisces hominum. Similiter Iacobum, & Ioannem: ibi enim non dicitur subductis ad terram nauibus, quasi cura redeundi sequuti fuerint eum sicuti hic. Sed ita intelligendum est in hac piscatione, quod Lucas scripsit, audientes eius prædicationem, & videntes miraculum, quod fecit in multitudine piscium sequuti sunt eum, manducauerunt cum eo, manserunt cum illo per aliquot horas, aut per aliquot dies, deinde ad piscationis officium reuersi sunt. Postmodum autem cum am-

bularer dominus iuxta illud mare Galilææ, vocauit eos, & tunc perpetualiter illi adhærerent, vltimè non sunt reuersi ad propria. Vnde & dominus dixit eis tempore passionis imminente: Vos estis, qui permanistis mecum in tentationibus meis. B. Gregor. dicit, quod, antè quàm discipuli à domino vocarentur, nullum miraculum antè ab eo fieri viderunt. Sed nos non audemus beatum Gregorium reprehendere, tamen ex hac lectione euangelica possumus confirmare, quia & eius prædicationem antè audierunt, iuxta quod hic dicitur: *Et sedens docebat de nauicula turbas*, & miraculum fieri ab eo viderunt, quia ad eius sermonem multitudo piscium capta est. Quibus, id est, prædicatione, & miraculo edocti sunt Apostoli, postmodum ab eo vocati, absque vlla mora sequuti sunt eum. *Et subductis ad terram nauibus, relictis omnibus, sequuti sunt eum.* Hic per Petrum designatur ordo doctorum, quia vna res multas significationes habet. Per litus designatur finis seculi. Modò piscatur Petrus, & Andreas, quotidie trahunt doctores ecclesiæ homines de infidelitate ad dem, de profunditate vitiorum ad culmen virtutum. Quam diu faciunt hoc: vsque ad finem seculi. Cum finis seculi aduenierit, omnes prædicatores qui Christo inhæserunt, cum plebibus sibi subiectis, relictæ cura prædicationis, transibunt ad patriam celestem, dicente sibi domino: Venite benedicti patris mei, & cætera. Postea non necesse erit, vt prædicet Petrus, vel alius doctor.

## INCERTI AVTHORIS

sub nomine Eusebij Episcopi Emisensii  
superioris Euangelij expositio.

STagnu Genzareth ipsum est, quod mare Galilææ: vnde & Matthæus hæc eadem scribens, ait, Ambulas autem Iesus secus mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem qui vocatur Petrus, & Andream fratrem eius mittentes rete in mare: (erant enim piscatores.) & vocauit eos. Matthæus itaque alijs omnibus, quæ in hoc euangelio narratur, prætexmisit, solam vocationem apostolorum scribit. Lucas autem nõ solum apostolorum vocationem, sed alia quæ tunc temporis dominus egit, latius narrat. Nemo hic narrationis ordinem querat, vbi ea, quæ postea scribuntur, tempore priora inueniuntur. *Et vidit duas naues stantes secus stagnum, piscatores autem descenderant, & lauabant retia.* Duæ naues, duo populi sunt, Iudæorum scilicet & Gentilium. Piscatores autem, vtriusque populi doctores & rectores intelliguntur. Et in altera quidem pontifices & sacerdotes, in altera verò philosophi, & poetæ piscari solebant. Retia autem lauare est, suæ prædicationis sententias exponere & dilucidare. *Ascendens autem in vnam nauim quæ erat Simonis, rogauit eum à terra reducere pusillum, & sedens docebat de nauicula turbas.* In nauiculam Simonis dominus ascendit, quia synagogam, & Iudæorum populum prædicare venit. Vnde ipse ait, Non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel. De hac enim Simonis nauicula apostolus dicit, Qui operatus est Petro in apostolatam circuncisionis, operatus est & mihi inter gentes. Simonis igitur nauicula, Synagoga est, in qua dominus residens turbas docebat, quia ibi euangelium prædicauit, vbi omnes gentes docentur, & Bibl. Hom. tom. 3. H h ad

ad fidem vocatur. *Et cessavit loqui, dixit ad Simonem, duc in alium, & laxate retia vestra in captivam.* Tunc enim dominus loqui cessavit, quando post passionem suam a prædicatione quiescit. Et tunc quidem præcepit Simonis alisque apostolis omnibus, ut nauculam in alium ducerent, & retia in captivam laxarent, dicens eis; *Itē in vniuersum mundum, prædicatē euangeliū omni creaturæ: Itēque, Itē, docete omnes gentes; baptizantes eos in nomine patris & filij & spiritus sancti.* Mare igitur est mundus. Vnde Psalmista, *Hoc mare magnum & spatioſum, illic reptilia quorum non est numerus.* De cuius etiam altitudine & profundo sic ait, *Deus noster refugium & virtus, adiutor in tribulationibus quæ inuenerunt nos nimis: propterea nō timebimus dum conturbabitur terra, & transferentur montes in cor maris.* Retia verò euangelia sunt quorum sententiis fideles animæ capiuntur & illaqueantur. Multa enim retia, multosque piscatores habet ecclesia. *Et respondens Simon dixit illi, Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus.* Sic enim & synagoga, quamuis multum laborasset, retia misisset, scripturas exposuisset, legem & prophetas prædicasset, tamen quia hoc in nocte, id est, in tenebris ignorantie faciebat, siquidem quid diceret non intelligebat, valde paucos ex Gentili populo capere & ad se conuertere potuit. *In verbo autem tuo laxabo rete.* Et cum hoc fecissent, concluserunt piscium multitudinem copiosam. Hoc est enim quod per Psalmistam dicitur, *Annūtiaui & loquutus sum, multiplicati sunt super numerum.* itēque, *Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui, Deus, nimis confortatus est principatus eorum: dinumerabo eos, & super arenam multiplicabuntur.* *Rumpatur autem rete eorum: & amuerunt socii, qui erant in alia navi, ut veniret, & adiuaerent eos.* Et venerunt, & impleuerunt ambas nautulas, ita ut mergerentur. Tūc enim ecclesie & apostolorum rete rumpitur, quando Iudæi, hæretici, & infideles violentis argumentationibus euangelicæ prædicationi contradicunt. Vnde apostolus, *Ostium mihi magnum apertum est, & euident, & aduersarij multi.* Veniunt igitur his in adiutorium socij de alia navi, quia ex aliis omnibus ecclesijs episcopi, & sacerdotes vndique in vni cōueniunt veritatem aperiri, hæreticos damnant, & eos, quos illi fraudulenter deceperant, ad fidem, & ecclesiam reuocant. *Quod quum videret Simon Petrus, prociat ad genua Iesu, dicens, Exi à me, quia homo peccator sum dominus, &c.* Apostolus enim dicit, quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut perdat sapientia: & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia: & ea quæ nō sunt, ut ea quæ sunt destrueret. itēque, *Quia non agnouit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultos prædicatores saluos facere credētes.* Quis igitur non obstupescat? quis non miretur per tales prædicatores mundum cōuersum, philosophos superatos, mundi sapientiam destructam, & intra fidei retia atque in ecclesie nauticam, tantam piscium multitudinem esse collectam, præsertim quum prædicaret Christum crucifixum, Iudæis quidem scādalum, Gentilibus autem stultitiam? Sed quid significat quod Simon Petrus ait, *Exi à me, domine, quia homo peccator sum, nisi hoc quod in Canticis Canticorum ecclesia dicit, Fuge, dilecte mi, fuge, assimilare capere, hinnulōque feruorum super mōtes aromata: Vnde & ipse Iudæis dominus loquitur, dicēs,*

*Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Diximus enim nauiculā Simonis synagoga significare. Hanc igitur domum relinquare Petrus significabat, quando ut se exiret, eum rogabat. Et ait ad Simonem Iesus, Noli timere, ex hoc iam homines eris capiens. Ne timeas (inquit) ne obstupescas, led potius gaude & crede, quia maiori piscationi prædestinatus es. Vique modō pisces cepisti, amodō homines eris capiens alia navi & alia retia dābuntur tibi. Et subductis ad terram nauibus, relictis omnibus, sequuti sunt eum.*

THEOPHYL. EPISCOPI  
*Bulgar. superioris Euangelij*  
expositio.

**F**actum est autem, cum turba immineret ei, ut audiret verbum Dei, &c. Fugit dominus gloriā, quæ eum ob hoc magis sequebatur. Igitur, vigente turba, in nauim ingreditur, ut vel à nauē doceat in littore stans, omnibus è regione comparantibus, & nullo à tergo veniente. Postquam autem turbam à nauē docuit, dominum nauis non reliquit irremuneratum, sed bifariam ei benefecit, quia & multitudinem piscium ei donauit, & discipulum suum fecit. Admirare igitur domini dispensationem, quomodo per propria, & familiaria sua quemque attrahit. sicut magos per stellam, ita & piscatores per pisces. Porro Christi mansuetudinem vide, quomodo obsecret Petrum, ut à terra abducatur. Rogauit enim, idem est, quod obsecrauit, sed & quomodo Petrus morigerus fuerit, ita ut hominem, quem non viderat, in nauim suam suscepit, & ei in omnibus obediret. Nam, ut dixit ei, quod abduceret in profundum, non abouit, neque dixit; Per totam noctem laboraui, & nihil consecutus sum; nunc tibi parerem, & aliis fatigandus laboribus incumberem? Sed ait; *In verbo tuo laxabo rete.* Adeo feruebat fide etiā ante fidem: vnde & tantos pisces comprehendit, ut illos non potuerit trahere, & annuerit sociis, hoc est, participibus in alia navi. Nuru autem illos vocat, quia propter stuporem magnum loqui nequibat. Porro multa reuerentia Petrus rogat Iesum, ut naui excedat, peccatorem seipsum dicens, & indignum illius conuersatione. Hæc etiam per anagogiam, si vis, intelligas. Nauis est Iudæorum synagoga, & Petrus gerit typum doctorum legis. Laborauerunt autem per totam noctem doctores qui ante Christum fuerunt. Tempus enim ante eius aduentum, nox erat, & nihil comprehenderunt: postquam autem venit Christus, diesque factus est, Apostoli in locum legis doctorum surrogati, in verbo eius, hoc est, in præcepto eius laxant rete euangelij, & multitudinem hominum venantur. Soli autem Apostoli non possunt trahere rete piscium, annuuntque sociis suis, & communicant, & cum eis trahunt. Hi autem sunt pastores, & doctores Ecclesiarum in singulis temporibus: qui interpretantur, & docent Apostolica, trahuntque cum Apostolis, ut piscentur homines. Animaduerte itē & dictionem; *Laxate rete.* Euangelium enim est rete, orationem habens humilem, & pedestrem, ad auditorum infirmitatem se attemperantem: & idcirco dicit laxari. Si cui autem & sensuum profunditas significari videatur per laxationem retis, neque

neque ipsum à vero abludit. Impletur enim & hoc propheta, qui dicit, *Ecce ego mitto piscatores multos, dicit dominus, & postea mittam alios venatores, & venabuntur illos, piscatores quidem sanctos apostolos vocans: venatores autem eos, qui temporibus sequentibus habiti sunt doctores.*

EVTHYMII ZIGABONI  
*superioris Euang. expositio.*

**F**actum est autem, quum turba immineret ei, ut audiret sermonem eius, &c. Vna quidem erat Simonis, & Andree, altera vero Iacobi, & Ioannis: hi siquidem socij in piscatione erant, prout in sequentibus inueniemus. *Piscatores autem descendebant ex illis, &c.* Nempe Simon & Andreas, Iacobus, & Ioannes. Atque Matthæus ait hos in principio prædicationis reliquisse piscatoria omnia, & sequutos esse Christum. Verum die quidem sequebantur Christum, nocte vero piscatoria exercebant: nondum ingenue in Christi familiam asciti: eo quod propria detinerentur verecundia. Verisimile est autē id vna nocte factum, aut duabus, & non amplius. *Ingressus autem in vnam nauim que erat Simonis, inquit, &c.* Verbum ἰσθῆρος, nec hic significat interrogauit, sed iussit. *Et sedens docebat de naui turbas.* Docebat de nauē, ne in eum docentem irruerent: videretque omnes coram facie stantes. Hoc autem aliā etiam fecit, veluti dixit Matthæus, *ut cessavit loqui, dixit ad Simonem, &c.* Sciens, quod tota nocte nihil ceperant, adhortabatur ut nunc laxarent retia: quod, cognita firmiter eius potentia, maiorem de eo fidem conciperent: relictisque deinceps capturæ magnitudi-

dine, continue eum sequerentur. *Et annuerunt socijs, qui erant in altera nauē, &c.* Nuru eos vocauerunt quum præ stupore, & timore loqui non possent. *Videns autem Simon Petrus, accidit ad genua Iesu, &c.* Intellexit, quod præceptum eius admirando modo operatum erat, quodque diuinus, ac supernaturalis homo esset: & magna illius reuerentia, iuxta correptione repressus, indignum se se ducebat. Eius itaque deuñtabat præsentiam, timens: sic quando periclitaretur, eo quod talis talem ausus fuisset suscipere. Stupor enim circudederat eum, &c. Verisimile enim est, non solum fratrem Andream secum habuisse, verum etiam mercenarios: sicut etiam de Iacobo, & Ioanne docuit Marcus. *Noli timere: posthac homines captabis,* Abundans captura piscium, typus erat copiosa hominum capturæ, ac præsignatio magnæ illorum multitudinis, qui ab Apostolis irruendi erant, quorum sensibilem capturam ad intellectualem transtulit Christus. *Posthac, inquit, mutata tibi piscatione, homines captabis.* Considerandum autem & iuxta anagogen, quæ ad præsens faciunt propositorum. Ante Christi sane peregrinationem, nox erat erroris, & ignorantie rectæ fidei: in qua propheta laborantes nullum obedientem acceperant: eo quod essent facinorosi rationales illi pisces, & fugerent. Quando autem ortus est sol iustitiæ, hominum illuminans animas: tunc ab Apostolis laxata sunt retia doctrinæ prædicationis euangelicæ: & concluserunt multitudinem copiosam rationalium piscium, greges videlicet gentium. Participes vero ac socij capturæ apostolicæ sunt episcopi, ac magistri singularum ecclesiarum, qui suo labore coopulantur Apostolis. *Et deducetes nauigia in terram, relictis omnibus, sequuti sunt eum.* Nunc perfecte sequuti sunt eum.



DOMINICA V. POST  
PENTECOSTEN.

MATTH. 5.



**N**illo tempore: dixit Iesus discipulis suis, <sup>a</sup> Dico vobis: quia nisi <sup>b</sup> abundauerit <sup>c</sup> iusticia vestra plusquam Scribarum, & Phariseorum, non intrabitis in regnum cælorum. Audistis quia dictum est antiquis: Non occides: Qui autem occiderit reus erit <sup>d</sup> iudicio. <sup>e</sup> Ego autem dico vobis: quia omnis qui irascitur <sup>f</sup> fratri suo, <sup>g</sup> reus erit <sup>h</sup> iudicio. <sup>i</sup> Qui autem dixerit fratri suo <sup>k</sup> racha, reus erit <sup>l</sup> concilio. Qui autem dixerit, <sup>m</sup> fatue, reus erit <sup>n</sup> gehennæ ignis: Si <sup>o</sup> ergo offers <sup>p</sup> munus tuum ad altare,

<sup>a</sup> Quomodo ergo faciendum? <sup>b</sup> Quod sic spiritus consilij, & gratia misericordie Dei. <sup>c</sup> Quæ est in præceptis vitæ inchoatus, & mysticis iuxta literam. <sup>d</sup> Vindictio puniatur legit. Accusatione legis. <sup>e</sup> Plus impono non irasci. <sup>f</sup> Non fratri irascitur, qui peccato irascitur. <sup>g</sup> Id est, dignus accusatione. <sup>h</sup> Quod supra de homicidio. <sup>i</sup> Qui de motu prorumpit in vocem indignationis. <sup>k</sup> Interiectio indignationem exprimit. <sup>l</sup> Consensu iudicum de danda sententia in eum. <sup>m</sup> Qui vique ad consilia processerit. <sup>n</sup> Equè in Deum credenti quem Deus falem vocat. <sup>o</sup> Quia non licet irasci: ergo multo minus odio habere. <sup>p</sup> Boni operis sacrificium.

q In fide, vel ad Christum ad quem nisi per fidem attingat, nemo digne offert. r Quem iustit.

altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te, re-  
linque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo: &  
tunc veniens offeres munus tuum.

### GLOSSA ORDINARIA in superius Euang.

**D**ico autem vobis. Cum ait, dico, magnam vim & profundam intelligentiam cogitandi iniecit: ostendit quomodo superaddit: Et non quæ prius mandauerat, absoluit. Plus etiam est diligere inimicos quam non odisse: non cupere, quam non adulterari: non irasci, quam non occidere. Nisi: id est, non solum minima legis præcepta impleueritis, sed & ea quæ addo: quia dum fiunt addita ad perfectionem, etiam hæc plenius aguntur quæ præmissa sunt ad inchoationem: quia qui non videt mulierem ad concupiscendum eam, nec fornicatur: nec occidit qui non irascitur. Iustitiam Phariseorum vocat omnia illa ad cultum Dei actualiter præcepta: seu figurarum mystica tantum ad literam instituta. Iustitia illorum, mandata Moysi impletio illorum, iustitia Christi. Illa à pœna liberant, ista saluant. Quidam in hac expositione laborant, volentes non superabundantiam esse in nouo, quæ non obseruaretur in veteri Testamento, cum & in illo mali actus & mala concupiscentia prohiberentur. Sed non secundum hoc hic agitur, immo in hoc abundantia maior quàm Scribarum, & Phariseorum ostenditur: quia illi secundum opera magis iusti appellari, quam secundum voluntatem affectabant. Audistis. Exponit quæ est iustitia Phariseorum, quam qui adimplet non statim magnus, sed aliquem gradum cõscendit. Ego autem. Perfectionem quam venit implere incipit explanare, & quomodo iusticia eorum debeat superabundare. Omnis qui irascitur. Quia nesciebant homicidium esse nisi peremptione: aperit omnem motum animi ad nocendum, in homicidium computari. Mandatum Christi nõ est contrarium legi, sed latius legem in se continens. Qui non irascitur, non occidit. Sed non e contra, licentia irascendi causa homicidij. Tolle iram, & homicidium non fit. Super additio Christi non irasci, non concupiscere, à quibus difficile est abstinere & ideo magna sunt in remuneratione. Ira est omnis malus motus ad nocendum. Subitus autem motus cui non consentitur propassio est. Accedente consensu, passio est & mors in domo. Omnis qui irascitur. Gradus sunt in istis peccatis. Primo est irasci: & hunc morum animo retinere: plus est si vocem commotio ipsa extorsit, qua feriat ille cui irascitur plus etiam, si certa vituperatio increpuit. Similiter gradus sunt in pœna: nam minus est iudicium, quando adhuc cum reo agitur: & est defensionis locus. Plus est concilium, quando iudices inter se conferunt, quo supplicio dampnent, quem constat esse dampnandum. Plus est etiam gehenna, vbi nulla sententiæ dilatio. Et ita quod propriis, & certis modis exprimi nõ potuit, quibusdã similitudinibus distinctum est. His enim tribus iudicio, concilio, gehenna, diuersæ man-

siones in æterna damnatione pro modo peccati: signanter exprimuntur. Qui irascitur. Addunt quidam, sine causa, sicut & ad dicere racha, vel fatue quia naturale est irasci: ita tamẽ ne sine causa fiat. Cui sensui videtur aptari: Irascimini, & nolite peccare. Sed omnis occasio iræ tollitur, dum inimicos diligere iubemur. Qui non irascitur, non soluit legem sed implet: ut intus sicut extra seruetur innocentia. Ira propriè est commotio passionis. Ira quæ ex causa & non ex passione est, iudicium est, non commotio illicita. Omnis occasio iræ infirmis scilicet aufertur vel tollitur. Si enim cum causa, non fratri irascitur sed vitio. Iusta ira mater est disciplinæ. Et ira quæ est cum causa, iudicium est, non ira. Racha. Vel racha verbum Hebræum, & interpretatur *uobis*, id est, vacuus, quod dicimus sine cerebro, quod est magna contumelia. Qui ergo hæc dicit fratri, qui spiritu sancto plenus est, iuratus est cõtumeliam spiritu sancto iudicio sanctorum iudicium. Non enim modicus furor est, quem Deus sale sapientiæ condidit infatuatum dicere, & salienti Deo derogare. Si ergo offerimus munus tuum ad altare & ibi recordatus fueris quia frater tuus. Explanat ampliorem iusticiam ostendendo, quod si non licet fratri irasci, multò minus in animo retinere quod in odium queat cõuertere. Si quidquam mali contra proximum in animo habemus, Deo placitè offerre non possumus. Si ergo offers. secundum literam hoc absurdum est. Est ergo in in teriori tẽplo altare id est fides, cui quodlibet munus, id est, psalmus, hymnus, oratio, & huiusmodi, nisi sit innixum non est Deo placiturum. Et ibi, id est, cū in corde (quod est templum interius) tale munus oblatum es, si in mentem venerit quod frater tuus habet aliquid aduersum te, quem tu læsisti. Si enim ipse te læsit, non ipse, sed tu habes aduersus eum: nec tunc oportet te veniam petere, sed dare sicut vis tibi dimitti. Relinque ibi. Non ait refer: quia quod rectè offertur immutari nõ licet. Sed relinque, donec placabilis offeras: non enim munus repellit, sed charitatem proximi quærere sine qua nemo ad charitatem Dei peruenit. Vnde: Prius charitatem proximo exoluat, qui munus suum Deo placere oprat. Vade. Non pedibus, sed animo humiliter ei prosternas in cõspectu illius, cui oblatum es. Vel petendo veniam, si præsens est. Offeres. Hoc ex spiritu pietatis, quo mitis fit, & diuinum verbum piè intelligit, intelligendo obedit, & ad implendum cor erigit.

### CATENA AVREA in idem Euang.

**D**ico autem vobis, quia nisi abundauerit iustitia vestra plus quam scribarum, &c. Hila. Pulcherrimo ingressu opus legis cœpit excedere, aditum in cælum apostolis, nisi iustitiam Phariseorum anteissent denuntians non futurum, & hoc est quod dicit: Dico enim vobis. Chryl. super Matth. Iusti

Iustitiam autem hic dicit vniuersalem virtutem, intende autem gratiæ additamentum. Discipulos enim suos adhuc rudes, magistris qui in veteri testamento erant vult esse meliores. Scribas autem ac Phariseos non dixit iniquos, quia non dixisset eos habere iustitiam. Vide etiam quoniam hic vetus testamentum confirmat, comparationem faciens eius ad nouum. plus enim & minus eiusdem generis est: scribarum autem & Phariseorum iustitiæ, sunt mandata Moysi: per impletiones autem illorum mandatorum sunt mandata Christi. Hoc est ergo quod dicit: Nisi quis supra legis mandata etiam hæc mea præcepta, quæ apud illos minima existimabantur, impleuerit, non intrat in regnum cælorum, quoniam illa de pœna liberant, quæ scilicet transgressoribus legis debentur, non autem in regnum inducunt: hæc autem & de pœna liberant, & in regnum inducunt. Cum autem sit idem soluere minima mandata & non custodire, quare supra de soluente dicit quod minimus vocabitur in regno Dei: hic autem de non conferante, non introit in regnum cælorum? Sed vide quia minimum esse in regno, idem est & non intrare in regnum. Esse autem aliquem in regno, non est regnare cum Christo, sed esse tantum in populo Christi: tanquam si dicat de soluente, quod inter Christianos quidem erit, tamen minimus Christianus. Qui autem intrat in regnum, sit particeps regni cum Christo. Consequenter & iste qui non intrat in regnum cælorum, gloriam quidem non habebit cum Christo, erit tamen in regno cælorum, id est in numero eorum, super quos Christus cælorum rex regnat. Aug. 9. de ciuit. Dei. Vel aliter: Nisi abundauerit iustitia vestra plusquam scribarum & Phariseorum, id est, super eos qui soluunt quod docent, quia de his alibi dictum est: Dicunt enim & non faciunt, ac si dicat: Nisi ita abundauerit iustitia vestra ut vos nõ soluatis, sed faciatis potius quod docetis, non intrabitis in regnum cælorum. Alio ergo modo intelligendum est regnum cælorum, vbi ambo sunt, & ille scilicet qui soluit quod docet, & ille qui facit: sed ille minimus, hic magnus: quod quidem regnum cælorum est ecclesia. præsens. Alio autem modo regnum cælorum dicitur quo non intrat, nisi ille qui facit: & hoc est ecclesia, qualis in futuro erit. Aug. cõtra Faustum: Hoc autem nomen regni cælorum, quod tam crebro nominat dominus: nescio vtrum in libris veteris testamenti quisquam inueniat, propriè enim pertinet ad reuelationem noui testamenti, quod ori eius etiam nominandum seruabatur, quem regem ad regendum seruos suos vetus testamentum præfigurabat. Hic ergo finis, quo præcepta referenda sunt, occultus erat in veteri testamento, quamuis secundum eum etiam tunc viuerent sancti, qui futuram eius reuelationem videbant. Glos. Vel hoc quod dicit nisi abundauerit, referendum est ad intellectum Phariseorum & scribarum, non ad continentiam veteris testamenti. Aug. contra Faustum: Penè enim omnia, quæ monuit, vel præcepit dominus, vbi adiungebat, Ego autem dico vobis, inueniuntur: & in illis veteribus libris: sed quia non intelligebant hominidum nisi peremptionem corporis humani, aperuit dominus omnem iniquum motum ad nocendum fratri in homicidij genere deputari: vnde subdit, Audistis quia dictum est antiquis, non occides.

Chry. super Matth. Volens Christus ostendere, quia ipse Deus qui aliquando locutus est in lege, & qui nunc mandat in gratia, illud mandatum quod ponitur in lege ante omnia, scilicet prohibitiua, quæ sunt contra proximum, & nunc ponit in principio mandatorum suorum. Aug. 1. de ciuit. Dei. Non autem quod audiuius, Non occides, virgultum vellere nefas ducimus secundum Manichæorum errorem, nec de irrationabilibus animalibus dictum intelligimus, quia iustissima ordinatione creatoris, vita & mors eorum nostris visibus subditur: vnde restat quod de homine intelligamus quod dictum est: Non occides, non alterum ergo, nec te. Neque enim qui se occidit, aliud quam hominem occidit, nequaquam autem contra hoc præceptum fecerit qui auctore Deo bella gesserunt, ac personam gerentes publicæ potestatis iustissimæ rationis imperio sceleratos morte punierunt, & Abraham non solum non est culpatus crudelitatis crimine, verum etiam laudatus est nomine pietatis, quod voluit filium obedienter occidere. Hi ergo excipiuntur quos Deus occidi iubet: siue lege data, siue ad personam pro tempore, expressa iussione: non autem ipse occidit, qui ministerium dat iubenti: sicut adminiculum gladius vtenti: nec Samson aliter excusatur quod se ipsum cum hostibus ruina domus oppressit, nisi quod latenter spiritus hoc iusserat, qui per illum miracula faciebat. Chry. in homel. Per hoc autem quod dicit: Dictum est antiquis, ostendit multum tempus esse, ex quo mandatum hoc acceperant. Hoc ergo dicit, ut prouocet tardos auditores ad altiora præcepta: sicut si magister puerum pigritanter ad excellentiorem doctrinam prouocans, dicat: Multum tempus consumpsisti in syllabicando, & ideo subdit: Ego autem dico vobis quoniam omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. In quo considera legislatoris potestatem, nullus enim antiquorum ita locutus est, sed sic: Hæc dicit dominus, quia illi ut serui ea quæ sunt domini annuntiabant: hic autem ut filius ea quæ sunt patris, quæ etiam sua sunt. Et illi conferuis prædicabant, hic autem suis seruis legem ponebat. Aug. 9. de ciuitate Dei, Quæ quidem sunt sententiæ Philosophorum de animi passionibus: Stoicis enim non placet huiusmodi passionibus cadere in sapientem: Peripatetici verò has passiones in sapientem cadere dicunt, sed moderatas rationique subiectas: sicut cum ita præbeatur misericordia, ut iustitia conferuetur. In disciplina autem Christiana non tam quærunt vtrum prius animus irascatur aut tristetur, sed, vnde Chrysof. super Matth. Qui enim sine causa irascitur, reus erit: qui verò cum causa, non erit reus: nam si ira non fuerit, nec doctrina proficit, nec iudicia stant, nec crimina compescuntur. Itaque qui cū causa non irascitur, peccat: patientia enim irrationabilis vitia seminat, negligentiam nutrit, & non solum malos, sed etiam bonos inuitat ad malum. Hiero. In quibusdam ergo codicibus additur, sine causa: cæterum in veris definita sententia est, & ita penitus tollitur. Si enim iubemur orate pro persequentibus, omnis iræ occasio tollitur, irascendum ergo non est sine causa, quia ira viri iustitiam Dei non operatur. Chrysof. super Matth. Sed tamen iracundia quæ cum causa est, non est iracundia, sed iudicium: iracundia enim propriè intelligitur commotio passionis: qui au-



tem cum causa irascitur, ira illius non est ex passione, ideo iudicare dicitur non irasci. Aug. in lib. terrae. Illud etiam dicimus intuentium, quid sit irasci fratri suo, quoniam non fratri irascitur, qui peccato fratris irascitur. Qui ergo fratri, non peccato irascitur, sine causa irascitur. Aug. 14. de ciuita. Dei: Irasci autem fratri ut corrigatur, nullus sanæ mentis reprehendit: huiusmodi enim motus de amore boni, & de sancta charitate venientes, vitia dicenda non sunt cum rectam rationem sequantur. Chry. super Matth. Puto autem non de iracundia carnis loquitur Christus, sed de iracundia animæ: caro enim non potest obedire ut non conturbetur. Quando ergo homo irascitur, & non vult facere quod ira compellit: caro eius irata est, animus autem eius non est iratus. Aug. Sic ergo in hoc primo est vnum, id est ira sola: in secundo autem sunt duo, scilicet ira, & vox quæ iram signat: vnde sequitur, *Qui autem dixit fra. suo rha. reus erit concilii.* Nonnulli de Græco trahere voluerunt interpretationem huius vocis, putantes pannosum dici rhaca, quoniam Græcè dicitur pannus rhacos. Probabilis autem est non esse vocem significantem aliquid, sed indignantis animi motum experimentem. Has autem voces grammatici interiectiones vocant, velut cum dicitur à dolente. heu. Chry. in ho. Vel rhaca est verbum contemptus & vilipensionis. Sicut enim nos vel famulis, vel iniurijs iniungentes dicimus: Vade tu, dicit illi tu: ita & qui Syrorum vtuntur lingua, rhaca dicunt pro tu. Dominus enim & quæ paruissima sunt euellit, & cum honore nobis inuicem ut iubet. Hiero. Vel rhaca Hebræum verbum est, & dicitur inanitas aut vacuus, quem nos possumus vulgata iniuria, absque cerebro nuncupare. Signanter autem addidit, *Qui dixerit fratri suo.* Frater enim noster nullus est, nisi qui eundem nobiscum habet patrem. Chry. super Matth. Indignum autem dicere hominem vacuum, qui habet in se spiritum sanctum. Aug. In tertio autem significantur tria: ira, & vox quæ iram significat, & in voce vituperationis expressio. vnde dicitur: *Qui autem dixerit fra. re. erit gehen. ignis.* Aug. Gradus itaque sunt in istis peccatis, primo ut vnusquisque irascatur, & motum retineat corde conceptum. Iam si extorsi vocem non significantem aliquid, sed animi motum ipsa eruptione testantem, plus est quam si ira surgens silentio premeretur. Sed adhuc plus est si etiam verbum proferatur, quod iam certam vituperationem designat. Chry. super Matth. Sicut autem nemo est vacuus qui habet spiritum sanctum: ita nemo est fatuus qui Christum cognoscit, sed si rhaca id est quod vacuus, quantum ad sensum verbi, vnum est dicere fatue & rhaca, sed differunt quantum ad dicentis propositum: rhaca enim verbum vulgare erat apud Iudæos, quod non ex ira, neque odio, sed ex aliquo motu vano dicebant, magis fiducia causa, quam iracundia: sed si iracundia causa non dicitur, quare peccatum est? quia contentio causa dicitur, non ædificationis: si enim nec bonum verbum dicere debemus, nisi pro ædificatione, quanto magis illud quod in se naturaliter malum est? Aug. Vide etiam nunc tres reatus: iudicij, concilij, & gehennæ ignis: in quibus quosdam gradus factos admonet à leuioribus ad grauiora; nam in iudicio adhuc defensionis locus datur, ad concilium autem pertinere videtur sententiæ prola-

tio, quando inter se iudices conferunt, quo supplicio damnari oporteat: in gehenna verò ignis certa est damnatio & pœna damnati: vnde patet quantum inter sit inter iustitiam Phariseorum & Christi: tibi enim occidentem reum facit iudicio, hic autem iratum facit reum iudicio, quod horum trium est leuissimum. Raba. Gehennam hic saluator inferni cruciatum nominat, quod nomen traxisse putant à valle idolis consecrata, quæ est iuxta Hierusalem repleta olim cadaveribus, quam & Iosiam contaminasse in libro Regum legimus. Chry. in ho. Hic autem primus gehennæ nomen posuit, postquam de regno celorum supra dixerat: ostendens quod illud dare, est ex suo amore: hoc autem ex nostra defidia. Multis autem hoc graue videtur, si pro solo verbo tantam patiemur pœnam: propter quod quidam dicunt: hoc hyperbolicè dictum esse. Sed timo ne verbis hic nosmetipsos decipientes, illic opere vltimum patiamur supplicium. Non ergo æstimes hoc esse onerosum: plures enim pœnarum & peccatorum à verbis habent principium, etenim parua verba multoties homicidium pepererunt, & ciuitates integras euerterunt. Nec enim parum æstimes fratrem stultum vocare, auferens ei prudentiam & intellectum quo homines sumus, & ab irrationabilibus distamus. Chry. super Matth. *Vel, reus erit concilio.* id est, ut sit vnus ex concilio eorum, qui aduersus Christum fuerint, sicut Apostoli in suis canonibus interpretantur. Hila. Vel qui spiritu sancto plenum conuictio vacuitatis insinuat, sit reus concilio sanctorum: contumeliam spiritus sancti sanctorum iudicium animaduersione luiturus. Aug. Quisquis autem dixerit quo grauiori supplicio punitur homicidium, si gehenna ignis punitur conuictio: cogit intelligi esse differentiam gehennarum. Chry. in ho. Vel iudicium & concilium sunt pœnæ in presenti, gehenna autem pœna futura. Ideo autem iræ iudicium apposuit, ut ostendat quod non est possibile hominem totaliter esse sine passionibus, sed refricare eas possibile est: & propterea determinatam pœnam non appoluit, ne videretur totaliter iam prohibere. Consilium autem posuit nunc pro iudicio Iudæorum, ne videatur semper noua inducere. Aug. in istis autem tribus sententijs subauditio verborum intuenda est: habet enim prima sententia omnia verba necessaria, ut nihil subaudiatur. *Qui irascitur,* inquit, *fratri suo sine causa secundum quosdam.* In secunda verò cum ait: *Qui autem dixerit fratri suo rhaca, subauditur sine causa.* Nam in tertia ut ait: *Qui autem dixerit fatue,* duo subaudiuntur, *fratri suo, & sine causa.* & hoc est vnde defenditur quod Apostolus Galatas vocat stultos, quos etiam fratres nominat: non enim id facit sine causa. Si ergo offers munus tuum ad altare, etc. Aug. Si irasci non est fas fratri, aut dicere rhaca, aut fatue, multominus in animo tenere aliquid ut in odium indignatio conuertatur. & ideo subdit: *Si ergo offers munus tuum quod ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te.* Hic. Non dixit: Si tu habes aliquid aduersum fratrem tuum, sed, si frater tuus habet aliquid aduersum te, ut durior tibi reconciliationis imponatur necessitas. Aug. Tunc enim ipse habet aduersus nos, si nos eum in aliquo læsimus: nam nos aduersus illum habemus, si ille nos læserit, vbi non est opus pergere ad reconciliationem: non enim veniam postulabis ab eo qui tibi

tibi fecit iniuriam, sed tatum dimittas, sicut tibi à domino dimitti cupis, quod ipse commiseris. Chry. super Mat. Si autem ille te læserit, & prius rogaueris, magnam habebis mercedem. Chry. in ho. Sed si aliqui propter amorem proximi ei reconciliari non curat, ad hoc eum inducit, ut saltem eius opus non remaneat imperfectum, & præcipue in loco sacro. vnde subdit: *Relinque ibi munus tuum ante altare, & valde prius reconciliari fratri tuo.* Chry. super Mat. Ecce à discordantibus accipere non vult sacrificium. Hinc ergo perpendere quatum sit malum discordia, propter quod & illud abiicitur, per quod culpa relaxatur. Vide autem misericordiam Dei, quomodo hominum vtilitates amplius aspiciat quam suos honores; plus enim diligit concordiam fidelium quam munera, quoadiu enim fidelis homines aliquam dissensionem habuerint, munus eorum non suscipitur, oratio enim non exauditur. Nemo enim inter duos inimicos potest esse fidelis amicus amborum iudeo & Deus non vult esse amicus fidelium, quoadiu inter se fuerint inimici. Et nos ergo fidem Deo non seruamus, si inimicos eius diligimus, & amicos eius odimus. Qualis autem præcessit offensio, talis debet sequi reconciliatio: si cogitatu offendisti, cogitatu reconciliare: si verbis offendisti, verbis reconciliare: si operibus offendisti, operibus reconciliare. Omne enim peccatum quo modo committitur, eo modo de ipso penitentia agitur. Hila. Reconciliata autem humana pace reuerti in diuina iubet, in Dei charitatem de charitate hominum transituros. & ideo sequitur: *Et tunc veniens offeres munus tuum.* Aug. Si autem quod hic dicitur, accipitur ad literam, fortasse aliquis credit ita fieri oportere si frater sit præsens: non enim diutius differri potest eum munus tuum relinquere ante altare iubeatis. Si verò absente, & quod fieri potest etiam trans mare constituto aliquo tale veniat in mentem, absurdum est credere ante altare munus relinquendum, quod post terras, & maria pererrata offeras Deo. & ideo profus intro ad spiritualia refugere cogimus, ut quod dictum est, sine absurditate possit intelligi. Altare itaque spiritualiter fidem accipere possumus. Munus enim quod offerimus Deo, siue doctrina, siue oratio, vel quicquid aliud, Deo acceptum esse non potest, nisi fide fulciatur. Si ergo fratrem in aliquo læsimus, pergendum est ad reconciliationem, non pedibus corporis, sed moribus animi, vbi te humili affectu prosternas fratri in conspectu eius cui munus es oblaturus. Ita enim acsi præsens sit, poteris eum non simulato animo lenire veniam postulad, atque inde veniens, id est, intentionem reuocans ad id quod agere cœperas, offeras munus tuum.

### S. HILARII PICTAVIENSIS EPISCOPI SUPERIORIS EUANG. EXPOSITIO.

**D**ico autem vobis, quia nisi abundauerit iustitia vestra plusquam Scribarum & Phariseorum, non intrabitis in regnum celorum. Pulcherrimo ingressu opus legis cepit excedere, ut non dissolueret eam, sed profectu potiore præcelleret: aditum apostolis in celum, nisi iustitiam Phariseorum æquitate antecessent denunciatis non futurum. Propositis igitur his, quæ in lege præscripta sunt, profectu ea,

non abolitione transgreditur: lex vetuit occidere, reatū homicidij seueritate iudicij expiatura: sed malè in alterum commotæ mentis affectio, idem in euangelijs habet pœnæ: & ex præcepto fidei non minus rea ira est sine ratione suscepta, quam in operibus legis homicidium. *Et qui dixerit fratri suo racha, reus erit concilio.* Racha, vacuitatis opprobrium est: Et qui spiritu sancto plenum conuictio vacuitatis insinuat, sit reus concilio sanctorum: contumeliam spiritus sancti sanctorum iudicium animaduersione luiturus, *Qui autem fatuum dixerit reus erit gehenna ignis.* Piaculi magni periculum est, quem salem Deus nuncupauerit, eum contumelia infatuasi sensus lacessere: & stultorum intelligentiam salientem, stultæ intelligentiæ exasperare maledicto. Istiusmodi igitur, æterni ignis erit pabulum. Ita quicquid lex in ipsis quidem operibus damnauit, euangelijs fides pro contumeliosa tantum verborum facilitate condemnat. Mutua igitur vniuersos charitate deuincies, nullam impacificæ orationis fieri precem patitur: sed cum fratribus aliquid simulatum, reconciliata humana pace, reuerti in diuinam pacem iubet, in Dei charitatem de charitate hominum transituros. Et quia nullum tempus vacuum affectu placabilitatis esse permittit, cito in omni vitæ nostræ via reconciliari nos aduersario benignitate præcipit: ne increditu gratiæ morosi in mortis tempus, non inita pace veniamus, nosque aduersarius iudici tradat, & index ministro, & in carcerem mittatur, & non exeamus inde, donec reddamus nouissimum quadrantem. In præceptis dominicæ orationis remitti nobis peccata nostra oramus exemplo: & data aduersariis conditione veniæ, ipsi veniam deprecamur: Hæc itaque negabitur nobis, si aliis negetur à nobis: nostroque ipsi iudicio rei sumus, si in iudicij tempus non remissis simulatibus transeamus, aduersario tradete nos iudici, quia manens in eum simultatis nostræ ira non arguit. Et quia charitas plurimum peccatorum tegit, & errorum nostrorum ambitiosa ad Deum patrona est: nouissimum pœnæ quadrantem soluemus, nisi pretio ipsius aliquantulum criminum culpa redimatur. Quid autem à pluribus in hoc capite sensum sit, non putauit esse tractandum. Hoc enim quod aduersario reconciliari beneuolentia iubemur, ad corporis & spiritus aduersantium sibi cœcordiam retulerunt: sed nos ordinem doctrinæ tenentes, & opus legis euangelicis profectibus excedentes, non putauimus intelligentiæ continuationem oportere conuelli.

### CHROMATII EPISCOPI Aquilegiensis. in superioribus Euang. Serm.

**N**isi abundauerit iustitia vestra plusquam Scribarum, etc. Reprehenditur iustitia Scribarum, & Phariseorum, quia non fidem promissionis diuinæ, sed humanam laudem, & seculi gloriam quærebant, sicuti habemus exemplum de illo Pharisæo superbo, & elato, qui \* sibi videbatur iustitiæ suæ merita præferens, impudenter se elato animo, ac superbis vocibus, in conspectu Dei iactabat. Retinebant ergo speciem iustitiæ Scribæ, & Pharisæi, non ut Deo placerent, sed ut famam humanæ gloriæ quærent, ut lucra terrena, & temporalia

\* Desit verbum quale est iustus.

commoda mercarentur. Et ideo hortatur dominus, vt hanc famofam iustitiam laudis humanæ, operibus iustitiæ cœlestis, ac fidei meritis præcedamus, per Christum dominum nostrum. Deinde sequitur; *Audistis quia dictum est antiquis, non occides, &c.* Hoc est, quod dixit dominus; Nō veni solvere legem, sed adimplere. Hoc est, quod minus erat, addere, præcepta scilicet legis in melius reformare. Vnde & sanctus Apostolus ait; Legem ergo destruimus per fidem? absit, sed legem constituimus. Rudi, & duro populo legis tradita sunt mandata iustitiæ, perfecto autem, & fideli populo Euangelica traduntur præcepta consummata fidei, & cœlestis iustitiæ. Lex præcepit nō occidendum. Euangelium vero nec irascendū, vt omnem radicē peccati auferret de cordibus nostris: quia per iracundiam potest etiam vsque ad homicidium perueniri. Vnde non immerito beatus Iob in libro suo ita testatur est dicens: Stultū interficit iracundia, seductū autē occidit æmulatio. David quoque ita ait; Irascimini, & nolite peccare, dicite in cordibus vestris, & in cubilibus vestris cōpungimini. Quod testimoniū sanctus Apostolus interpretatus est, dicens: Sol non occidat super iracundiā vestram, neque detis locū diabolo. Cū ergo irasci nō liceat, multo magis homicidij crimen admittere. Et cum iracundia teneatur in futuro iudicio, quam putamus penam habiturum ipsius sceleris factorem? *Qui autem dixerit fratri suo racha, &c.* Ita docet nos dominus per omnia esse perfectos, vt ne leuibus quidem, vel vanis sermonibus futuro iudicio rei teneamur. Vetat namque dici fratri racha, id est, vacue, & inanis: Non enim debet dici vacuus, & inanis, qui fide, & spiritu sancto plenus est. Neque enim debet frater fatuus appellari, qui credendo in Christo diuinæ sapientiæ gratiam consecutus est. Vnde & cum per Solomonem spiritus sanctus de viro Euangelico loqueretur, ita testatur est dicens; Beatus qui non est lapsus verboris sui, & non est stimulatus tristitia delicti. Et idcirco alio loco idem Solomon ait; Fac ori tuo seras, & linguæ tuæ, & verbis tuis fac stateram. Et iterum; Circumcide à te prauum os, & iniqua labia longe expelle à te. Et iterum; Indisciplinata loquelæ non aduiscat os tuum; est enim in illa tristitia delicti. Vnde & David ait; Pone, domine, custodiam ori meo & ostium circumstantiæ labijs meis. Et iterum in alio Psalmo; Dixi, domine, custodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea. Quia, vt Solomon ait, Labia imprudentum stulta narrabunt, & statera appenditur verbum prudentis. Et ideo dominus in Euangelio etiam pro ocioso sermone rationem nos reddituros esse testatur est. Hinc & Apostolus ita hortatur dicens; **Col. 4.** Omnis sermo malus ex ore nostro non exeat, nisi qui bonus est ad ædificationem fidei. Et iterum; Sermo vester sit semper in gratia sale conditus, vt sciatis, quomodo oporteat vos vnicique respondere. Ob quam rem in omnibus cautos nos esse conuenit, ne per familiaritatem inutilium verborum damnum salutis acquiramus. Dehinc ait; *Si offers munus tuum ante altare, &c.* Quamta habeat dominus fraternam dilectionem, ex hoc ipso cognoscimus, cum oblatum Deo munus ostēdit non offerri, nisi prius oblator muneris fratri suo, iracundia seposita, reconcilietur. Inuenimus denique offerentis Cain munera idcirco à Deo repudiata, quia charitatis iura seruās, aduersus fratrem, iram

animo retinebat. Vnde non immerito dominus in Euangelio multis locis, charitatis fraternæ dilectionem præcipue custodiendam esse insinuat, dicendo; Mandatum nouum do vobis, vt dilectionem habeatis ad alterutrum. Et iterū, In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si charitatem ad alterutrum habueritis. Non immerito etiam per Zachariā Prophetā ita dominus loquitur; Iudiciū iustū, & pacificū iudicate, & nolite retinere malitiā fratris vestri in cordibus vestris. Per David quoque similiter testatur; Desine ab ira, & de-relinque indignationē. Pari modo etiam per Solomonem spiritus sanctus loquitur, dicens; Homo homini referuas iram, & à Deo quæris medellam? Ipse in homine simili tibi non habes misericordiam, & Deū exoras pro peccatis? & ipse cum sis caro retines iram, & propitiationē petis à Deo? & quis orabit pro delictis tuis? Et superaddidit dicens; Memēto nouissima, & desine inimicari. Vnde & sanctus David Euangelici præcepti per spiritum sanctum non ignarus, de se testatur est dicens; Si iniquitatem, inquit, cōspexi in corde meo, non exaudiat dominus: Quid enim tam gratum Deo, tam necessarium nostræ salutis, quam quod dominus præcipit, iram nō retinere, pacifico animo; ac simplici conscientia Deo munus offerre, sicuti obtulit primus Abel: & ideo munera ipsius suscepta sunt à Deo, Cain reprobat, quia Abel pura, ac simplici mente munera domino offerebat; Cain vero iram aduersus fratrem tenebat in corde. Quapropter, si volumus munera nostra Deo placere excludere iracundiam de corde debemus, interficere maliciam contra fratrem susceptam, tenere vero pacem fraternam, seruare charitatem, diligere vnanimitatem, custodire cōcordiam, vt placere domino mereamur, qui est benedictus in secula.

**S. HIERONYMI PRESBYTERI in idem Euang. expositio.**

**O**mnis qui irascitur, &c. In quibusdā codicibus additur sine causa: ceterum in veris definita sententia est: & ira penitus tollitur, dicente scriptura. Qui irascitur fratri suo. Si enim iubemur verberanti alteram præbere maxillam; & inimicos nostros amare, & orare pro persequentibus, omnis iræ occasio tollitur. Radendum est ergo, si-ne causa: quia ira viri iustitiam Dei non operatur. *Qui autem dixerit fratri suo racha, &c.* Hoc verbum propriè Hebræorum est, רָחָא enim dicitur racha, id est, inanis aut vacuus: quem nos possumus vulgata iniuria absque cerebro nuncupare. Si pro ocioso sermone reddituri sumus rationem, quanto magis de contumelia? Sed & signanter additur: *Qui dixerit fratri suo fatue, reus erit gehennæ: qui enim æque in Deum credenti dicit fatue, impius est in religione. Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid aduersum te, &c.* Non dixit, si tu habes aliquid aduersus fratrem tuum: sed si frater tuus habet aliquid

aliquid aduersum te: vt durior reconciliationis tibi imponatur necessitas. Quandiu illum placare non possumus, nescio an consequenter munera nostra offeramus Deo.

**S. I. O. CHRYSOSTOMI Episcopi Constantin. in superius Euang. Homil.**

**D**ico vobis, quia nisi abidauerit iustitia vestra, &c. Hic iustitiam vniversam dicit profecto virtutem. Sicut enim, de sancto Iob loquens, ait; Erat homo iustus irreprehensibilis. Iuxta hunc modum etiam Paulus signanter iustum vocabat, cui nec legem positam esse dicebat, iusto, inquit, lex non est posita. Sæpissime quidem in scripturis generaliter positum hoc virtutis nomen inuenies. Tu vero attentius gratiæ augmenta considera, quemadmodum scilicet rudes adhuc discipulos veteris legis obseruatoribus, velim esse meliores. Scribas hic enim, atque Phariseos non iniquos, vt putatur, appellat, sed eos, qui legis præcepta custodiunt: neque enim illos, qui non custodirent, diceret habere iustitiam, neque ei, quæ non esset, eam, quæ esset, iustitiam compararet. Perspice igitur etiam quemadmodum hoc loco legem constituit antiquam, dum eam confert nouæ. Cuius sane illam esse quasi cognatam docet, & omnino germanam. Plus enim, ac minus in eundem generis manifestum est. Non igitur legi obretractat antiquæ, sed profecto intendere vult. Quæ si statuta fuisset à malo, nōquam eius incrementa quæfisset, nec impleisset illam, sed penitus explouisset. Et qui, inquit, talis est, non inducit in regnum? Sed modò vtrique non introducit, iam post Christi aduentum perfectiori deditos disciplinæ, vt pote qui maioris gratiæ ipsius virtute porantur, p̄tque hæc maiora debeant inire certamina. Ceterum electos illa sui temporis alumnos in regnum omnes profors induxit. Etenim multi ab Oriente, & Occidente venient, inquit, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Iacob in regno Dei. Et Abraham igitur, & Isaac, & Iacob, & Lazarus, qui magnis certè præmijs fruuntur, atque in Abraham sinibus inuenitur epulari, & omnes, qui perfectè in lege veteri de virtute fulserunt, per ipsam profectò fulserunt. Deinde, si illa lex mala, si fuisset aliena, nequaquam totam illam veniens ipse Christus impleisset. Si enim istud tantummodo attrahendi ad se Iudæos studio fecisset, non autem, vt ostenderet cognatam esse illam legi nouæ, eique per omnia congruentem, quam, quælo, ratione non etiam gentilium ritus, & legitima seruauit, vt per hoc quoque gentes possit attrahere? Per quæ manifestissimè vndique relucescit, non ideo veterem legem desuisse in regnum inducere, quia mala sit, sed quia perfectiorum vtrique mandatorum tempus aduenerit. Si verò ad comparationem legis nouæ vetus im-perfectior monstratur, ne hoc quidem illam esse conuincit. Si quidem secundum hunc modum, idem istud etiam noua ipsa patietur. Nam & huius sciētia, si futura sciētiæ comparatur, exigua; & imperfecta quædam particula est, quæ cum illa veniet, euacuetur. Cum autem, inquit, venerit, quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est, quod certè vetus à noua lege perpe-

sa est. Nec tamen continud aduersus nouæ legis loquitur dignitatem. Cum tamē nobis cœlorum regno potentibus, illum quoque cessaturam esse dicamus. Tunc, inquit, euacuabitur, quod ex parte est. Sed quamuis maiora succedat, hanc tamen esse magnam nihilominus constitemur. Quia igitur & ampliora sunt præmia, & eminentior sancti spiritus gratia, consequenter requiruntur etiam maiora certamina. Non enim iam lacte, ac melle manans terra promittitur, non senectus vberior nec numerositas filiorum, non frumenti, vini que copia, non ouium, atque armentorum greges, sed cœlum, & ea, quæ sunt in cœlo bona, & filiorum adoptio, & cum vnigenito iuncta fraternitas, & societas hereditatis, & glorificari, & congregate, & præmia illa, quæ promittuntur innumera. Quia etiam maiore in regno honore potiemur, audi Paulum loquentem; Nihil igitur iam damnationis est iis, qui sunt in Christo Iesu, qui non secundum carnem ambulat, sed secundum spiritum. **Rom. 8.** Lex enim spiritus vitæ in Christo Iesu liberavit me à lege peccati, & mortis. Cū igitur fuisset præuaricantibus comminatus supplicia, ac præmia obedientibus ampla posuisset: quūque ostendisset, quia meritò à nobis supra prioris iustitiæ mensuras requirat, incipit recentis legis ordinare præcepta, non simpliciter, sed per comparationem legis antiquæ. Propter quod studuit ostendere, quia & præcedentibus non repugnans sed valde etiam per cuncta consentiens ista præcipiat: & quia consequenter, atque opportunè prioribus secunda proponat. Quod vt possit esse lucidius, ipsius conditoris legis verba diligentius audiamus. **Quid igitur ipse pronunciat? Audistis quia dictum est antiquis; Non occides.** Er certè idem est, qui etiam illa præceperat: sed absque vilius hoc interim posuit commemoratione personæ. Siue enim dixisset, audistis, quia dixi antiquis: fuisset nihilominus sermo receptu difficilis, cunctisque audientibus inaccessible: siue dixisset, quia dictū est antiquis à patre meo: deinde inutilisset, Ego autem dico vobis: maioris hoc profectò esse insolentiæ iudicasset. Propter quod mediè illud posuit, atque suspense, vnum illud præcipue conficiens, vt ostenderet opportunissimo euenisse tempore ista dicendo. Cū enim posuit, quod dictum est antiquis, plurimum iam esse tempus asseruit, ex quo istud accepere mandatum. Hoc verò fecit, vt auditorem ad sublimiora progredi præcepta cunctantem acrius incitaret, vt, si quispiam doctor dicat puero negligenti. Nescis iam quantum temporis in syllabarum meditatione consumpseris? Tale igitur aliquid etiam significas antiquorum commemoratione facta, ad doctrinam illos aduocat celsiorem, ac si diceret; Habuistis sufficiens omnino tempus ista meditandi, iamque oportet vos ad sublimiora succendi. Bene autem, quòd nec ipsum præceptorum confundit ordinem, sed ab eo primūm cœpit, à quo in parte mortalium etiam lex fuerat exorta. Nam id quoque est in omnibus conuenientiā legis ostendere vtriusque. *Ego autem dico vobis, quoniam qui irascitur fratri suo temerè, reus erit iudicio.* Vidisti perfectam vtrique potestatem, vidisti dignitatem, quæ latores certè legis diceret, quis enim prophetarum ita vnquam locutus est? quis iustorum? quis patriarcharum? Nullas omnino. Nam illi per singula sæpius inferebant. Hæc dicit dominus: sed non

non ita loquitur & filius. Illi enim domini verba, hic verò patris annūtiat. Cū autem dico patris, sua utique dico. Mea, inquit, tua sunt, & tua mea. Et illi conferuis suis loquebantur, hīc seruis. Interrogemus igitur eos, qui veterem legem penitus explodunt. Non irasci contrariumne est eius præcepto, quo prohibemur occidere, an potius absolutio, & supplementum, per quod illud quoque ipsum custodiri queat? haud dubium quin hoc illius sit supplementum, propterea quæ perfectius. Qui enim in iracundiam non effertur, quanto longius ab homicidio abstinere? Et qui animi indignationem refrenat, quāto magis manus suas innoxias continere? Radix quippe homicidij iracūdia est. Qui igitur radicem abscindit ipsam, multò facilius ramos eius poterit amputare, imò ne germinare quidem illos omnino poterit. Non igitur in legis interitum, sed ad maiorem eius profecto custodiam ista præcepta sunt. Quid enim lex volebat efficere, quum ista mandaret? Nonne, ut ne quis occideret proximum? Igitur impugnatorum legis homicidia oportuerat imperare. Occidere enim, & non occidere, duo sunt absque ambiguitate contraria. Sin verò ne irasci quidem sint: hoc utique statuit, & perfectius statuit, quod etiam lex volebat. Nō enim similiter auerfatur homicidium, qui tantummodo non occidere meditatur, & qui iram quoque ipsam prorsus interemit, satis enim procul ab huiusmodi recessit audacia. Ut autem illos etiam aliunde capiamur cuncta, quæ solent dicere proferamus in medium. Quænam ergo sunt illa, quæ dicuntur. Deus, inquit, qui fecit hunc mundum, & qui pluit super iustos, & iniustos, malus est. Qui verò ex illis quasi modestiores videntur, istud quidem repudiant: iustum verò illum esse dicentes, boni tamen appellatione defraudant. Alterum verò quædam, qui certè omnino non est, nec eorum, quæ sunt, quicquam creauit, partem attribuunt Christo, & illum quidem non bonum in suis manere dicunt, suamque seruare: bonum verò in aliena irruere, eorumque, quorum non sit creator, subito velle fieri saluatorem. Vidisti diaboli certè filios, quemadmodum de fonte ipso patris loquātur, alienantes à Deo creaturas eius: cum B. Ioannes è regione clame: In propria venit, & mundus per ipsum factus est. Deinde legem discutientes priorem, quæ oculo pro oculo, & dentem pro dente eiici iubet, insiliunt continuò dicentes; Et quemadmodum esse bonus potest, qui tam dira præcepit? Quid igitur ad ista referemus? quia, scilicet, maximam misericordiæ spem præcepta contineant: non enim, ut nobis vicissim erueremus oculos, sanxit hanc legem, sed ut metu, quo ab alio istud timeamus pati, ipsi quoque tale quippiam in alios cauere admittere. Sicut enim Niniuitis euersionem minatus est, non ut eos interficeret (si enim voluisset istud, nihil potius oportuerat, quam tacere) sed ut eos faceret timore meliores, iramque compesceret: sic etiam temerè in alienos insipientibus oculos, pœnam statuit, ut, & si ipso voluntatis bono nollent à crudelitate desinere, saltem metu cogere oculos parcere proximorum. Si verò illud crudele dicitur, & homicidium, & adulterium arcere crudele dicatur, sed insipientium omnino ista verba sunt, & extremo furore dementium. Ego enim

ad eò metuò dicere hæc esse crudelia, ut his contraria etiam iniqua perdoceam, quòd certè communis quoque ratio deprehendit. Qui enim dicit, quia oculo pro oculo iussit auferri: idcirco crudelis: ego autem refero, quia, nisi præcepisset istud, tunc verè apud plurimos talis fuisset, qualem tu eum falso conuerteris. Denique sermone fingamus omnem legem esse resolutam, nec quempiam pro huiusmodi factis formidare supplicium, sed cunctis prorsus malignis licere uti moribus suis, & adulteris, & homicidis, & furibus, & periuris, & parricidis, nōne sub hac licentia omnia pariter vna confessio iniquitatis inuolueret? Nonne mille sceleribus, & cadibus vrbes, foras domus, maria, totusque omnino mundus fuisset impletus? Nam, si legibus certè dominantibus, & vigente comminatione, atque terrore, vix tamen voluntates cohibentur malignæ, si etiam hoc præsidium defuisset quānam possit malitia ratione frenari, aut quæ non in vitam hominum pestis irrueret? Nec tamen solum istud crudele est, permittere scilicet malis agere, quæ velint, sed aliud quoque; isto certè nihilominus, id est, læsum, & immerito afflictum, negligere, atque despiciere. Dic enim mihi, si quis ferus homines, ac semper malignos in vnum colligens gladiis armaret, totamque circumire ciuitatem iuberet, atque obuios sibi quosque, cōfodere: quid tādē hoc esset immanius? At, si alius eos quidē, qui ab illo armati essent, ligaret: violentèque constringeret: eos verò, qui interirenterant, ab iniquis illis manibus liberaret, quid è regione isto inueniretur humanius? Hæc igitur etiā ad legem transfer exemplum. Quæ enim oculo pro oculo effodi præcepit, timorem quasi carnificum pectoribus immitens, illius similis inuenitur, qui illos, quos dixi, cohibuit armatos. Qui verò nullam omnino pœnam decreuit nocenti, nōne armasse tibi iniquitatem videtur, eumque imitatus fuisse, qui sceleratos illos gladiis instruxit, inque totius ciuitatis misit exitium? Vidēsne quemadmodum non solum nullus crudelitate, verum etiā maximè pietatis sint illa præcepta? Si verò propter ista importabilem legislatorem vocas, ac prorsus onerosum: quid est, dic mihi, laboriosus, non occidere solummodo, aut ne irasci quidem? Quis iudex feruorior, atque districtior, qui de homicidio, an qui etiam de ira exigit vltionem? Qui adulterij post commissum opus pœnæ subijcit, an qui etiā pro sola concupiscentia iubet subire supplicium sempiternum? Perspice igitur etiam in contrarium illorum conuersum esse sermonem. Nam veteris quidem legis Deus, quem dicunt illi esse crudelē, inuenitur esse mansuetus, ac mitis; nouæ autem, quem bonum fatentur, onerosus, ac durus, secundum stultitiæ illorum duntaxat errorem. Nos verò vnum, atque eundem vtriusque testamenti asserimus conditorem, qui ad varias hominum utilitates omnia dispensat, & diuersitati temporum diuersitatem vtriusque legis aptauerit. Igitur nec illa præcepta crudelia, nec ista onerosa sunt, atque molesta, sed vnus, eiusdemque omnia prouidentia. Quòd enim etiam veterem ipse condiderit, audi prophetam loquentem, imò ipsum magis Deum per Prophetam. Disponam vobis testamentum, quod disposui patribus vestris. Si verò ista non suscipit, qui Manichæorum tabe infectus ægrotat, audiat Paulum eadem rursus

sus ista dicentem, Abraham enim duos filios habuit, vnum de ancilla, alium de libera. Hæc autem sunt duo testamenta: sicut ergo diuersa ibi sunt quidem scemina, sed vir vnus vtriusque: sic etiam ibi duo testamenta, vnus verò vtriusque legis est conditor. Atque, ut discas vnam, eandemque in vtroque mansuetudinem contineri: ibi quidem dicit, oculo pro oculo: hic verò, si quis te, inquit, percussit in dexteram maxillam, præbe illi et alteram. Sicut enim ibi alienus timor ad modestiam ducit nocentem, ita hic quoque, dum commēdat læso patientiam, lædentem multò maiore vltione deterret. Et, quemadmodum, inquit, ille terrebitur, quum hic alteram præbere iubeatur? Et quid tandem huiusmodi cōficere gestit obiectio? Non enim ideo hoc præcepit, ut resoueret percussoris timorem, sed ut hunc, quem præbere iusserat, ad omnem tolerantiam præpararet. Nec dixit, quòd impudē ille inferret iniuriam, sed tu ne referas: duo pariter efficiens, & percussorem scilicet supplicio maiore terrendo, & eum, qui percussit, de ipsa quoque patientiæ virtute solando. Sed hæc velut in transitu de mandatis omnibus quasi generaliter dixerimus. Necessarium verò est ad incertum reuerti, & consequentiam eorum, quæ prius sunt dicta, contexere. Qui irascitur, inquit, fratri suo sine causa, reus erit iudicio. Non enim omnino istum: extinxit affectū. Primò quidem: quia impossibile est, hominem passionibus liberari. Nam ut regere illas possumus, ita abque illis per omnia esse non possumus. Deinde quia etiā multus vitiosus est affectus iste, si illo videlicet oportune, ac scienter vitamur. Itaque considera quā ampla quondam bona operata sit ira Pauli: hanc enim ille aduersus Corinthios exercendo, à maxima errorum pestilentia liberauit. Per hanc etiam Galatarum gentem, quæ ferè à Christo iam exciderat, reformauit, aliòsque his plures illius iræ censura correxit. Quòdnam igitur opportunum est tempus iræ? quando nō scilicet nosmetipsos vitiosos, sed, cum reprimimus erga aliis insolentes, quumque desides increpatione conuerimus. Quod verò importunum est tempus iræ? cum scilicet, ut nosmetipsos vindicemus, irascimur: quod Paulus quoque prohibendo dicebat: Non vosmetipsos defendentes, charissimi, sed date locum iræ. Quando etiam de pecuniis litigamus. Nam hoc est, quod idem magister omnino destruxit, dicendo; Quare non magis fraudem patiemi? Sicut enim hinc irasci, superfluum, & inutile est: ita illa & necessaria est, & commodissima. Sed plurimi è contrario efferuntur quidem, quum ipsi aliquid patiuntur iniuriæ. Resoluuntur verò, & omnino mollescunt, quum alios vel maximam afflictionē viderint sustinere: quod certè vtrunque Euangelij verbis repugnat. Non ergo ipsum irasci malum est, sed importunè, ac leuiter irasci. Propterea etiam Propheta dicebat; Irascimini, & nolite peccare. Qui autem dixerit fratri suo racha, reus erit iudicio. Concilium hinc, iudicium Hebræorum vocauit: quod ideo nunc posuit, ne noua ubique videretur docere, atque peregrina. Racha verò non grandis alicuius est sermo conuictij, sed magis de cōtemptu veniens, impatientiaque dicentis, ut ipsi nonnunquam vel seruulis, vel inferioribus quibusque aliquid imperantes dicimus; vade tu, dic illi. Sed etiam qui lingua vtuntur Syrorum, Racha pro eo quod est,

tu, dicere solent. Sed misericors dominus, cum maioribus etiam minima quæque delicta pariter euellit, præcipiēs ut mutò nobismetipsis & honorabilius vtamur, & cautius, ut per hæc maiora quoque peccata moriantur. Qui autem dixerit, fatue, reus erit gehenna ignis. Multi hoc graue, atque onerosum putant esse mandatum, ut scilicet pro vno, nudòque sermone tāta nobis pœna subeunda sit. Vnde quidam istud exaggeratione magis dictum esse voluerūt. Sed vereor, ne vosmetipsos his verbis omnino frivolis, vel potius infidelibus seducetes, ibi rebus ipsis supplicia extrema soluamus. Sed cur, quæso, mandatum istud videtur onerosum? An fortè nescis, quia plurima pars parum, atque pœnarū à sermonibus sumat exordium? Nam & blasphemia per verba, & Dei negatio per verba, inde & maledicta, & iniuria, atque periuria, & falsa testimonia, & ipsa frequenter homicidia. Noli igitur aspiciere, quòd vnus hic sermo sit, sed quantum periculi habeat, expende. An ignoras inimicitiarum tempore, incan descende ira, animòque prorsus ardēte, etiam minimum aliquid magnum videri? Tunc quippe, & quod non valde iniuriosum est, nimis tamen putatur onerosum. Nam hæc ipsa paruula & homicidia sæpe pepererunt, & vrbes crebrò integras subruerunt. Sicut enim, manente amicitia, etiam quæ molesta sunt, leuia dicuntur: sic, inimicitias obortis, leuia quæque pro grauissimis audiuntur. Nam, etsi simpliciter aliqua dicantur, de malo tamen animo prolata creduntur, atque ut in igne cum scintilla exigua est, etiam si plurimū lignorum admoueas, non ea facile comprehendit, si verò satis in excelsum flamma confurgat, non iam ligna, sed & saxa & omnem prorsus incidentem materiam sibi vendicat, & per quæ extingui solet, per ea ipsa potius accenditur: quidam quippe aiunt, quòd huiusmodi flammam non ligna tantum, & stippa, aliæque ignis alimenta, sed aqua etiā maiori impetu iactata, magis, magisque succendat: ita accidere etiā in ira solet. Quicquid aliquis dixerit, continuò pabulum pessimi huius efficietur incendij. Quæ omnia Christus ante iam comprimens, eum quidem, qui sine causa irascitur, iudicio condemnat: & idcirco dixit. Qui irascitur fratri suo sine causa, reus erit iudicio. Eum verò, qui dixerit, racha reum pronunciat esse concilio. Sed adhuc ista non magna sunt. Huius enim seculi sunt pœnæ. Quocirca eum, qui fratri, fatue, dixisset, gehennæ ignibus deputatur: modo certè primum nomen gehennæ cōmemorans. Quum enim prius de regno multa dixisset, nunc istius intulit mentionem, ostendens quoniam illud quidem illius voluntatis sit, atque pietatis: hæc verò nostræ profectò desidia. Vide autem, quemadmodum gradatim faciat augmenta pœnarum, quodammodo excusans se tibi, atque demonstrans, quoniam ipse quidem nihil velit tale minari, nos verò illum ad huiusmodi denunciations pertrahamus. Id ipsum itaque diligenter expende: Dixi, inquit, noli irasci sine causa: quoniam reus erit iudicio. Contempsisti fratrem. Vide quid peperit iracundia, ad iracundiam te continuò prouocavit. Racha enim fratrem vocasti, cui rursus culpæ, pœnam concilij comminatur. Quòd si ista quoque despiciens, ad maius volueris promoueri conuictum, non iam vltra his in mediocribus vindicabo, sed immortalī illo gehennæ supplicio, ne iam



ne iam etiam ad homicidium fortè proflias. Non est omnino, non est intolerabilius aliquid iniuriis, quòdque possit magis hominis animam remordere. Quòd si sermo ipse paulò fuerit austerior, duplex conflatur incendium. Ne igitur leue aliquid existimes, fatuum fratrem vocare. Quando verò isto quo ab irrationalibus separantur, & quo maximè homines sumus, intellectu scilicet, atque prudentia fratrem spoliast, omni illum nobilitate priuasti. Non ergo verborum tantummodo sonum simpliciter audiamus, sed in res ingredientibus ipsas, & vim illam conuicij ponderantes, consideremus, quatum sermo iste operatur dolorem, atque ad quantum malum sepe perueniat. Propterea igitur & Paulus nõ adueros solùm, & ma sculorum cõcubitores, verum etiã maledicos à regno Dei excludit, & meritò. Conuiciator quippe bonũ charitatis omnino corrumpit, & mille proximiũ inuoluit incommodis, ac iuges inimicitias frequenter operatur, & Christi membra discerpit, ac desiderabile Deo pacem singulis quibusq; diebus exagitat, amplissimam diabolo viam per inuicia parans, eumque efficiens fortiozem. Propterea etiam Christus neruos potentia eius excindens, induxit hanc legem. Est quippe illi cura maxima charitatis. Omnium enim mater bonorum, hoc certum, an discipulus Christi sis, experimentum, & ea, quæ in nobis sunt bona, cuncta complectes. Hæc est præcipua ex cunctis omnino virtutibus. Igitur consequenter radices inimicitiarum, ipsòque fontes, per quos charitas necari solet, multa cum vehementia Christus intercipit. Ne igitur hæc dicta cuiusdam exaggerationis existimes, sed intelligas ea, quæ ex his sæpe gignuntur, legum statutarum mansuetudinem demirare. Nihil enim ita studet Deus, vt nos mutuis charitatis nexibus colligare. Propterea & per semetipsum, & per discipulos suos, tam in nouo, quàm in veteri testamento plurimo hoc mandatum sermone commendat. Et vehemens animaduersor, atque punitor est eorum, qui præceptum tale contemnuunt. Nihil quippe est, quod ita omnem malitiam & pariat, & firmet, vt interemptio charitatis. Nam & dominus idcirco dicebat: Quoniam abundauit iniquitas, refrigescet charitas multorum. Sic etiam Cain est fratricida factus: sic Esau, & patri obstat, & fratri minatur interitum. Sic etiam contra Ioseph sanctum stemuit malè coniuurata germanitas: Sic mille alia pullulauere mala, hac virtute subtrahita. Propterea & Christus omnia incommodantia charitati, diligenter interimit. Neque enim hæc tantummodo, quæ posuimus, dixisse contentus, alia quoque plura subiungit, per quæ quantum illorum curam habeat, ostendit. Comminatus enim per concilia, atque iudicium, comminatus etiam per gehennam; intulit rursus & cætera, quæ prioribus consonarent, dicens; *Quum offers munus tuum ante altare, & ibi recordatus fueris, &c.* O admirabilem benignitatem, atque ineffabilem erga homines amorem Dei! Honorem suum despicit, dum in proximo charitatem requirit: ostendens quoniã nec priora, quæ etiam comminatus est, odio aliquo hominum, vel de cupiditate inferendi supplicij comminatur, sed amore præcipuo. Quid enim his verbis mihi esse possit? quid lenius? Interrumpatur, inquit, ministerium meum, vt tua charitas integretur. Sacrificium mihi est fratrum reconciliatio. Propter-

Matth. 14.

Genes. 4.

ea quippe non dixit, postquam obtuleris: aut, priusquam offeras: sed munere ipso iam posito, & inchoante sacrificio, reconciliandum mittit ad fratrem: & neque proposita etiam munera, auferri iubet, neque, priusquam offerantur, illi memorat: sed, proposito palam sacrificio, idcirco imperat offerentem. Quam igitur ob causam istud fieri iubet? Duo sunt, vt certè ego arbitror, quæ per ista designat, & conficit. Vnum quidem, quod vitæ iam dixi, ostendere scilicet volens, quod honoret maximè charitatem, & hanc acceptissimum sacrificium. ducat: ab hoc ista verò nec illud profectò suscipiat. Aliud verò quòd irrefutabilem quandam necessitatem reconciliationis imponat. Qui enim iussit, non prius munus offerri, quàm reconcilietur offensio, etiam si non ob proximi charitatem, saltem ne sacrificium maneat imperfectum, currere ad contristatum iubet, inimicitiasque dissoluere: Propterea & disertè cuncta memorauit, terrens illum videlicet, ac suscitans. Quum enim dicitur, *relinque munus tuum*, non ibi restitit: sed intulit, *ante altare*, rursus horrorem iniiciens. *Et vade*: non tantum dicit, *vade*: sed adiunxit, *primùm*: *Et tunc veniens offer munus tuum*: per omnia ista significas, quia per aliquas inter se inimicitias dissidetes, nequaquam mensa illa suscipiat. Audiant ijs, qui sacris certè mysteriis initiati, cum inimicitias ad communionem altaris accedunt. Audiant etiam illi, qui nõdum initiati sunt. Nam ad istos quoque habet aliquid sermo iste commune. Offerunt namq; & ipsi munus, & hostiam orationem dico, & eleemosynam. Quia enim & hæc sacrificij instar obtineant, audi prophetam loquentem; Sacrificium laudis honorificabit me. Et rursus; immola Deo sacrificium laudis: & Eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum. Itaque, etiam si orationem cum tali offeras voluntate melius est orationem relinquere, & ad reconciliationem fratris excurrere, & tunc orationem consequenter offerre. Propter hoc enim facta sunt omnia. Idcirco & verus homo factus est, atque omnia illa gessit, vt nos in vnum sine dubio congregaret. Et ibi quidem eum, qui læsit, adducit, ac sibi vtrumque conciliat. Nam ibi quidem dixit, Dimitte hominibus debita eorum: hic verò iussit; Si frater tuus habet aliquid aduersus te, vade ad eum prius: imò hic quoque mihi videtur læsum remittere: & idcirco non dixit; reconcilia tibi fratrem tuum: sed, *reconciliare fratri tuo*, & videtur quidem super eo, qui contristauerit, esse sermo: totum verò de contristato potius dicitur. Si enim illi, inquit, reconciliatus fueris, per illam, quam in eum ostenderis charitatem: me quoque incipies habere placabilem: eumq; multa fiducia poteris munus offerre. Si verò adhuc indignaris, ac times, respice quia & ego libentet mea iubeo contemni, vt amicitia vestra renouetur. Atque, vt tibi ad consolationem maximam hæc ipsa proficiant, non dixit quum primùm senseris, tunc reconciliare: sed cum extenuatione. Si aliquid frater tuus habet aduersus te: nec addidit, si tamen iuste, nec sic quippe inimicitias oportet extendi. Nam & Christus iustissimè nobis poterat irasci, sed tamen semetipsum pro nobis dedit, tanta certè illa peccata non imputans. Propterea igitur & Paulus alio modo de reconciliatione dicebat; Sol non occidat super iracundiam vestram. Sicut enim hic dominus de sacrificio, ita ibi à die ipso

ipso ad pacem Paulus impellit. Secretum enim noctis veretur, ne fortè solum excipiens fauciatum manus profecto vultus efficiat. In die namq; multi sunt aduocantes, atque retrahentes: in nocte verò quia solus relinquitur, intraque semetipsum cogitationum æstibus huc illucque iactatur, in immensum verticem minarum fluctus tumescunt, sitque maior, seniorque tempestas. Idcirco præueniens Paulus vult iam reconciliatum nocti tradere, ne saltem vnam occasionem de solitudine diaboli intueniat, per quam iracundia formacem possit accendere, eamque effluere faciliorem. Sic etiam Christus non concedit, ne paululum quidem omnino differre, ne huiusmodi anima, impleto absque reconciliatione sacrificio, desidia maiore capiatur, quotidie dissimulet in pacem reuerti. Nouit enim talem esse huiusmodi passionem, quæ satis velocis curacionis indigeat. Et, sicut sapiens quisquam medicus non modò imminentes morbos præueniendis remedijs excludit, verum etiam iam tenentes alio medendi genere iam repellit: ita etiam Christus facit. Nam, fatuum quidem vocare prohibèdo aduersus inimicitias auditorum corda præmunit. Reconciliationem verò post inimicitias imperando, vim morbi iam obtinentis è medio tollit. Et confidenda quam vehementer, verè que ponatur. Ibi enim gehennam est comminatus, hic verò munus, nisi præcedente reconciliatione, non suscipit. Maximam sanè per hæc omnia indicas iracundie pertinaciam, atq; idcirco & iudicium eius interimit, & fructum. Et primò quidem: Nolite, inquit, irasci, postea verò ait, nolite maledicere. Siquidem vtrumque istud ex alterutro augeri solet, ex inimicitias scilicet maledictio, & ex maledictione rursus inimicitias. Et ideo primò quidem malum ipsum nasci vetat, deinde, si importunissimè pullularit, & noxium germen attulerit, vndique illud exurit.

#### AVTHORIS DICTI IMPERF. IN MATTH. EIUSD. EVANG. EXPOSITIO.

Eph. 4. 11.

in Matth.

**N**isi abundauerit iustitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnũ cælorum. Scribarum, & Pharisæorum iustitiæ, sunt mandata Moysi: impletiones autem madata illorum, sunt madata Christi. Hoc est ergo quod dicit: Nisi quis supra legis madata, & hæc mea præcepta, quæ apud illos minima existimabantur, impleuerit, non intrabit in regnum cælorum: quoniam illa, sicut diximus de poena quidem liberant, quæ scilicet transgressoribus legis debetur, nõ autem in troducunt in regnũ: hæc autem & de poena liberant, & in regnum introducunt. Quum autem sit id ipsum soluere minima hæc mandata, & non custodire, quare supra quidem de soluente dicit: Qui soluerit vnum de minimis istis, minimus vocabitur in regno Dei: ostendens eum etsi minimum esse, tamen in regno esse: hic autem de non conseruante dicit. Nisi abundauerit iustitia hominis Christiani plusquam scribarum, & pharisæorum, non intrabit in regnum cælorum: qui enim non intrabit in regnum cælorum, extra regnum erit. Sed vide, quia minimum esse in regno, id ipsum est, & non intare in regnum. Esse enim aliquem

in regno, non est regnare cum Christo, sed esse tantum in populo Christi. Tanquam si dicat: Qui soluerit, & docuerit sic, inter Christianos qui dem erit: tamen minimus Christianus, vel cum minimis Christianis. Qui autem intrat in regnum, fit particeps regni cum Christo, sicut & alibi dicitur hoc bono seruo: Intra in gaudium domini tui: hoc est, vt simul gaudeas cum domino tuo. Consequenter & iste qui non intrat in regnum cælorum, gloriam quidem regni cælorum non habebit cum Christo: erit tamen in regno cælorum, id est, in numero eorum, super quos Christus cælorum rex regnat. Nunc iam incipit ostendere, & docere quæ sunt minima ista, quorũ solutionem prædixerat esse periculosa. Scitis, inquit, quia dicitur est antiquis, non occides: ego autem dico, si quis iratus fuerit fratri suo sine causa reus erit iudicio. Hæc impletio legis secundum modum viuendi secunda facta est, facies enim hæc Christus, & docens, impleuit legem, non soluit. Non enim est Christi mandatorum cõtrarium legi, sed latius quàm lex. Mandatum Christi legem in se tener inclusam, lex autem nõ tener Christi mandatum. Qui ergo implet Christi madata, tacitè in eis implet & leges. Nam qui non irascitur, multò magis nec occidit: qui autem implet legis mandatum, non omnino implet & Christi. Frequenter enim & homo non quidem occidit propter timorem vindicte, tamen irascitur. Vides ergo quia lex impleta est per gratiam, non sublata? Deinde sine madata his Christi nec possunt stare legis mandata. Nam, si concedatur licentia irascendi, datur & causa homicidij faciendi. Ex ira enim homicidium generatur. Tolle autem iram, & homicidium non fit. Omnis enim, qui irascitur sine causa, quantum ad voluntatem suam homicidium facit, etiam si non facit propter metum. Ideo dolor quidem non est talis, quemadmodum si factum fuisset, peccatum autem tale est irascens. Ideo Ioannes in Canonica sua epistola dicit: Qui odit fratrem suum sine causa, homicida est. Vide sapientiam Christi. Volens ostendere, quia ipse est Deus, qui aliquando locutus est in lege, & qui nunc mandat in gratia, illud mandatum quod ante omnia mandata posuit in lege, illud ipsum mandatum posuit, & nunc in principio mandatorum suorum. In primis scriptum est in lege, non occides. Ideo hic statim ab homicidio cœpit, vt per concordiam mandatorum, ipse inueniatur dictator fuisse legis, & gratia. *Qui irascitur fratri suo sine causa, reus erit iudicio.* Ergo qui cum causa irascitur, non erit reus. Nam si ira non fuerit, nec doctrina proficit, nec iudicia stant, nec crimina compescuntur. Iusta ergo ira mater est disciplinæ. Itaque non solùm peccant, qui cum causa irascuntur: sed è contrã, nisi irati fuerint, peccant, quia patientia irrationabilis vitia seminat, negligetiam nutrit: & non solùm malos, sed etiam bonos inuitat ad malum: quia malus quidem, quamuis incorruptus fuerit, non emendatur: bonus autem nisi correptus fuerit, perit: quia in corpore \* magis præualeat malum quàm bonum. Iracundia, quæ cum causa, non est iracundia, sed iudicium. Iracundia enim proprie intelligitur commotio passionis. Qui autem cum causa irascitur, ita illius iam nõ ex passione est, sed ex causa. Ideo iudicare dicitur, non irasci. Puto autem, quòd non de iracundia carnis loquitur Christus, sed de spiritu. Nec ad carnem loquitur, sed ad animam: si-

Matth. 15.

1. Ioan. 5.

Exod. 20.

Deut. 5.

\* corde.

cut & in sequentibus ostendimus. Scit enim dominus, quia etsi mandauerit carni, caro ei non obaudiet. Nec enim est possibile, ut caro non conturbetur: quia sapientia carnis inimica est in Deū. Legi enim Dei non est subiecta. Nec enim potest (dicente Iob: Homo natus de muliere) plenus iracundia, non irasci. Quando ergo homo irascitur, & non vult facere quod ira compellit, caro eius irata est, animus autem eius non est iratus. Ergo multi sunt, quorum caro irascitur, anima autem non irascitur. Item multi sunt, quorum caro non irascitur, anima autem eorum irascitur: id est, qui videntur patientes, & taciti, & occulte cogitant malum, & semper quaerunt opportunitatem nocendi. Si quis dixerit fratri suo racha sine causa, reus erit concilio. Id est, ut sit vnus ex concilio eorum, qui fuerunt aduersus Christum, sicut apostoli in Canonibus suis interpretantur. Si quis autem dixerit fatue, reus erit gehennae. Racha quidem dicitur Hebraice vacuus, quamuis quantum ad sensum verbi, vnum est dicere fatue & racha. Nā qui vacuus est, ille fatuus est: & qui fatuus est, sine dubio vacuus est, & vtriusque verbi vna videtur esse iniuria. Nam sicut indigna res est illi dicere, fatue, qui habet in se sapientiam spiritualem, in agnitione Dei patris, & Christi: sic indigna res est, dicere hominem vacuū, qui habet in se spiritum sanctum. Nam nemo dicitur vacuus, qui habet in se spiritum sanctum. Et nemo fatuus qui Christum cognoscit. Et quare illud quidem verbum, id est, racha, habet poenam concilij: hoc autem verbum fatue, gehennae? Nam, si vnum peccatum est, vna debet esse & poena amborum. Sed quantum ad dicentis propositum, differentiam iam habent haec verba, etsi quantum ad sensum similia sunt. Racha enim vulgare verbum erat apud Iudaeos, quod non ex ira, neque ex odio, sed ex aliquo motu vano dicebant magis fiducia causa, quam iracundiae. Nā vna quaque prouincia habet in consuetudine aliquod exprobratorium verbū, quod non rixae causa, sed familiaritatis graua dicere solent ad eos, quorum fiduciam habent. Ut puta patronus suscepto liberto suo, aut diues pauperi, aut vrbano rustico, contemnens personam eius magis quam inimicans. Sed forte dicis, si racha iracundiae causa non dicitur, quare peccatum est? Quia contemptionis causa dicitur, non aedificationis. Nam & si personam illius tibi contemptibilis videbatur, tamen dignitas Christianitatis illius contemptibilis non erat. Et si illum aspicere non volebas, tamen Christum, qui in eo est, aspicere debuisti. Deinde & alia ratione peccatum est dicere racha: quia etsi illud aliquid vanum audire merebatur, te tamen dicere vanum aliquid non oportebat, quum sic scriptum est. Amen dico vobis, pro omni verbo ocioso, quodcunque loquuti fueritis, dabitur rationem. Quicquid non est lumen, tenebra est: sic & quicquid bonum non est, malum est. Dicit Apostolus. Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat. Et non dicit, si quis bonus tantummodo: sed si quis bonus ad aedificationem fidei. Si ergo nec bonum sine causa dicere debemus, nisi fuerit pro occasione aedificationis, ne ipsum verbum bonum, dum sine causa dicitur, inueniatur esse ociosum, & fiat malum: quanto magis illud verbum dicere non debemus, quod à semetipso naturaliter malum est, & ad iniuriam pertinet audientis? Deinde, nūquid mem-

brum oris nostri, quod ad aedificationem aliorum creatum est, aut ad vsum corporis, aut ad gloriam Dei, trahimus illud ad vsum vanitatis? Omnis enim sermo vanus quis dicitur, immundo spiritu dicente profertur: Vanum ergo sermonem dicentes, non tantum ideo peccamus, quia per illum sermonem aliquem laedimus, sed quia damus locum in nobis immundis spiritibus, agendi quod volunt. Hoc sciens Salomō, dicebat ad dominum: Duos postulo à te. Ne auferas gratiam tuam à me, priusquam moriar, & vanum verbum non exeat de ore meo. Si enim vasa sanctificata ad priuatos vsus transferre peccatum est, & periculum: sicut docet nos Balthasar, qui bibens in calicibus sacra- tis, de regno depositus est, & de vita. Si ergo haec vasa sanctificata ad priuatos vsus transferre sic periculosum est, quanto magis vasa corporis nostri, quae sibi Deus ad habitaculum preparauit, nō debemus locum dare diabolo agendi in eis, quod vult. Si quis autem dixerit fatue. In communi intelligendū est vbiq; sine causa. Id est, qui iratus fuerit sine causa, qui racha sine causa dixerit, qui fatue sine causa dixerit. Si autem cadere cum causa peccatum non est, quanto magis cum causa fatue dicere, non est peccatum? Nam & verbum malum species est aliqua castigationis, & apud sapientem durius est quam flagellum. Quid enim si talis fuerit causa, ut non verbis, verum verberibus proferatur vindicta? Ecce enim & Apostolus dicit fatue. O insensati Galatae, quis vos fascinauit? sed non peccauit, quia iusta causa fuit dicendi. Ita ad discipulos in via Christus. O stulti, & tardi corde. Si ergo offers munus tuum ad altare. Quoniam superius dixerat, qui iratus fuerit fratri suo sine causa, qui autē dixerit fatue, illud consequenter subiungit, Si offers munus tuum ad altare, & illic recordatus fueris, quod habet aliquid aduersus te frater tuus. Habet scilicet, si iratus ei fueris sine causa, si dixisti ei racha, vel fatue sine causa. Si ergo ex his leuibus causis offensos offenso fratre, & non placato, impossibile est munus Deo offerri, & suscipi: quomodo ante conspectum Dei ingredientur, qui fratres suos conculcant, castigant, praedantur, & alia multa in viduis & orphanis nefanda committunt? In primis scire debemus, quod quando fideles homines aliquam dissensionem habuerint inter se, Deus illis non potest esse amicus, munus eorum nō suscipitur, oratio eorū non exauditur: vel si quid aliud bonum fecerint, quia nemo inter duos inimicos potest esse fidelis amicus amborū. Vt puta, si de illo bene loqueris apud istum, displicet isti, & in suspicionem venis, quasi plus diligas illum: & si ad illum bene loqueris de isto, displicet illi, & in suspicionem venis, quasi plus diligas istum. Ideo Deus non vult esse amicus fidelium, quando ipsi inter se fuerint inimici: quia si illi misericordiam fecerit, iste contristatur: etsi nō contristatur, quia nihil potest agere cōtra Deum, tamen non gaudet in beneficiis eius. Si autem aliquid poterat cōtra Deum, & irasceret ad Deum, quia misertus est inimici eius. Similiter & isti misericordiam fecerit, ille contristatur. Considera qualem habet Deus conscientiam circa nos, & quomodo fidem seruat hominibus: quia nos perfectē diligit, ideo inimicis nostris non vult esse amicus. Vt puta, Deo inimici estis fideles, ideo tibi non vult esse amicus, quia illi amicus est, & ideo illi non vult esse amicus, quia tibi amicus est.

est. Ergo te diligens illi est amicus, & illum diligens tibi est inimicus. Nunquid propter se Deus non suscipit munera nostra, sed propter nos ipsos: alteri & aduersatur Deus, alteri conscientia seruat, & dum ambos diligit, nulli vult esse amicus propter inimicitias amborū. Ergo Deus fidem nobis seruans, inimicorum nostrorum amicus fieri non vult, & nos fidem non seruamus, si inimicos eius diligimus, & amicos odimus. Qui enim amicus est infidelium, & inimicus fidelium, amicos Dei odit, & inimicos Dei amat. Si autē fidem domino seruaremus, sicut ille nobis, nunquam infidelium amicitias coleremus, nunquam nos infidelium matrimonio iungeremus. Dimitte illic munus tuum, & vade reconciliari prius fratri tuo. Vide misericordiam Dei, quomodo hominum vtilitates amplius aspicit, quam suos honores. Si enim suos honores magis aspiceret, sic dixisset: Interim offer munus tuū, & postea vade, & reconciliare. Nunc autem dicit, Vade primum & reconciliare, & sic veniens offeres. Tāquam si dicat ad illum: Vade, ego libenter contemnor, libenter honoris mei patior damnum, libenter expecto dominus seruos, tantummodo ut vos in amicitia veniatis. Vade ergo, ut scias quia plus diligo concordiam fidelium meorum, quam munera: quia munera hominum nullum Deo faciunt lucrum: charitas enim illorum Dei gloriam operatur. Ne dicas ille mihi nocuit, non ego illi: ille mihi satisfacere debet, non ego illi. Si pro gloria salutis tua iubet te dominus amicitia facere magis nocitus debes rogare, ut duplicem gloriam consequaris: vnam, quia nocitus es alterā, quia prius rogasti. Si enim in illum nocuisti, & ideo rogasti, parer tibi Deus quod nocuisti, quia prius rogasti: tamen nullam habes mercedem, quia reus constitutus rogasti. Si autem ille te laeserit, & prius rogaueris, magnam habebis mercedē. Festina ergo inimicum tuum praeuenire ad amicitias, ne forte te tardante, ille praeueniat te ad rogandum, & rapiat de manibus tuis pietatis mercedem. Nā si ille tibi nocuit, & ille te rogat, infructuosa est amicitia tua. Quam enim iustitiam fecisti ante Deum, si rogatus te placaueris? Non enim volens te Deus subternere sub pedibus eius, iubet te prius rogare, sed volens tibi humilitatis gloriam praerendere. Sed forte dicis, ego volo reconciliari, sed dic mihi quomodo reconciliabor? Qualis praesens offensus, talis debet sequi reconciliatio. Si cogitatu offendisti, cogitatu reconciliare. Omne enim peccatum quo modo committitur, eo modo & poenitetur. Vt puta cogitasti male facere alicui Christiano, non putes munus tuum offerre ante Deum, quia habes in corde tuo nocendi propositum. Recogita bene, quod cogitaueras male, & poenitisti. Nam cogitationis peccata contraria cogitatione dissoluntur. Quis testis? Propheta. Quae dicitis, inquit, in cordibus vestris, & in cubilibus vestris compungimini. Vides quia irasci, naturae est: exequi autem iracundiam, voluntatis? Si autem verbo laesisti fratrem tuū, vade & verbis satisfac ei, & de toto corde poenitisti. Quoniam autem verborum peccatum, verborum satisfactio dissoluitur, testis est Aaron. Quam enim detraxisset de Mose, vadens, verbis roganit eum, dicens: Rogo, domine, ne inferas in nos peccatum hoc quia ignorauimus quod peccauimus in te. Si autem operibus aliquē offendisti, puta alicuius pecunia fraude abstulisti, aut rem aliquam per violentiam abstu-

listi, redde ei, quae abstulisti, & poenitisti. Quoniam autem abstractae rei peccatum rerum recompensatione dissoluitur, testis est Zachaeus, dicens: Domine, quaecūque fraude abstuli, reddo in quadruplo. Si autem rem quidem alicuius non tuleris, sed forte castigaueris hominem impotentem iniuste, dona ei aliquid pro iniuria dignum, sicut scriptum est in lege: Si percusseris seruum tuum, & fregeris illi dentem, dimitte eum liberum. Secundum hoc intelligendum est, etsi castigaueris aliquem, iniuria peccatum beneficio esse dissoluedum. Alioquin nisi quem factis laesisti, factis placaueris, sine causa oras ad dominum, sine causa elemosynas facis de rebus, quibus alios expoliasti. Quid prodest tibi, si alter pro te orat ad dominum, alter aduersus te interpellat Deum? Et si ad istius orationem vult tibi Deus misericordiam facere, illius interpellatio non permittit. Melius est, ut & si nemini prodes, nemini noceas, quam ut alios spolies, & alios vestias.

## S. AVGVST. EPISCOPI

Hippon. in superius Euang.

Homilia 1.

**A**vidua ergo, inquit, quia dictum est antiquis: Nō occides? Qui autem occiderit, iudicio reus erit. Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo sine causa, reus erit iudicio, qui autem dixerit fratri suo racha, reus erit concilio; qui autem dixerit fatue, reus erit gehennae ignis. Quid interest inter reum iudicio, & reum concilio, & reum gehennae ignis? Nam hoc postremum grauissimum sonat, & admonet quosdam gradus factos à leuioribus ad grauiora, donec ad gehennam ignis veniretur. Et ideo sicut leuius est reum esse iudicio quam reum esse concilio, ita leuius est reum esse concilio, quam esse reum gehennae ignis. Itaque oportet ut leuius esse intelligatur irasci sine causa fratri, quam dicere racha: & rursus leuius esse dicere racha quam dicere fatue. Non enim reatus ipse haberet gradus, nisi gradatim etiā peccata commemoraretur. Vnum autem hic verbum obscurum positum est, quia nec Graecum, nec Latinum est, racha, cetera vero in sermone nostro vstitata sunt. Nōnulli autem de Graeco trahere voluerunt interpretationem huius vocis, putantes pannosum dici racha, quoniam Graece dicitur pannus, *πάνος*. A quibus tamen cum quaeritur, quid dicatur Graece pannosus, nō respondent racha: sed deinde non posset Latinus interpretari, vbi posuit racha, pannosum ponere, nec vti verbo quod & in Latina lingua nullum sit, & in Graeca inusitatum. Probabilius est ergo, quod audiui esse vocem non significantem aliquid, sed indignantis animi motum exprimentem. Has interiectiones Grammatici vocant, particulas orationis significantes commoti animi affectum: velut cum dicitur à dolente, heu: velut ab irascente, hem. Quae voces quarumque linguarum sunt propriae, nec in aliam linguam facile transferuntur. Quae causa vtrique cogit tam Graecum interpretem quam Latinum vocem ipsam ponere, cum quo modo eam interpretaretur non inueniret. Gradus itaq; sunt in istis peccatis, ut primo quicquae irascatur, & eum motum retineat corde con-

ceptum. Iam si extorserit vocem indignantis, ipsa commotio non significantem aliquid, sed illum animi motum ipsa eruptione testatam, qua feriat illi cui irascitur, plus est vitæ quam si surgens ira silentio premeretur. Sin vero non solum vox indignantis audiatur, sed etiam verbum quod iam certam eius vituperationem in quem profertur designet, & notet, quis dubitet amplius hoc esse quam si solus indignationis sonus ederet? Itaque in primo vnum est: id est, ira sola: in secundo duo, & ira & vox, quæ iram significat: in tertio tria, & ira & vox quæ iram significat, & in voce ipsa certæ vituperationis expressio. Vide nunc etiam tres reatus, iudicii, cõsilij, & gehennæ ignis. Nã in iudicio adhuc defensionis datur locus: In concilio autem quanquam & iudicium esse soleat, tamen quia interesse aliquod hoc loco facteri cogit ipsa distinctio, videtur ad consilium pertinere sententiæ prolatio: quando non iam cum ipso reo agitur, vtrum damnandus sit, sed inter se qui indicant conferunt quo supplicio damnari oporteat, quem constat esse damnandum. Gehenna vero ignis, nec damnationem habet dubiam sicut iudicium, nec damnati pœnam, sicut concilium: in gehenna quippe ignis certa est & damnatio, & pœna damnati. Videntur ergo aliqui gradus in peccatis & in reatu, sed quibus modis inuisibiliter exhibeantur [pœnæ] meritis animatum, quis potest dicere? Audiendum est itaque quantum inter se inter iustitiam Pharisæorum, & iustitiam maiorem, quæ in regnum cælorum introducit. Quod cum sit grauius, occidere quam verbo irrogare cõnicium, ibi occisio reum facit iudicio, hic autem ira facit reum iudicio, quod trium illorum peccatorum leuissimum est: quia illic quæstionem homicidij inter homines agitabant: hic autem omnia diuino iudicio dimittuntur, vbi finis damnatorum est gehennæ ignis. Quisquis autem dixerit quoddam grauiore supplicio in maiore iustitia punitur homicidium, si gehenna ignis punitur conuictum, cogit intelligi esse differentias gehennarum. Sanè in tribus istis sententiis subauditio verborum intus est. Habet enim prima sententia omnia verba necessaria, vt nihil subaudiatur. *Qui irascitur*, inquit, *fratri suo sine causa, reus erit iudicio.* In secunda vero cum ait, *Qui autem dixerit fratri suo racha*, subauditur, sine causa: & ita iungitur, *reus erit concilio.* Iam in tertia vbi ait, *Qui autem dixerit fatue*, duo subaudiuntur, & fratri suo, & sine causa. Hoc est vnde defenditur quod Apostolus Galatas vocat stultos, quos etiam fratres nominat, non enim id fecit sine causa. Ideo autem hic frater subaudiendus est, quia de inimico postea dicitur, quomodo etiã ipse tractandus sit maiore iustitia. Deinde hic sequitur, *Si ergo obtuleris munus tuum ad altare, & illic recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliare fratri tuo. Et tunc veniens offer munus tuum.* Hinc itaque apparet de fratre dictum esse superius, quoniam sententiã quæ sequitur, ea coniunctione cõnectitur vt superiori attestetur: non enim, ait, *Si autem obtuleris munus tuum ad altare, sed ait, Si ergo obtuleris munus tuum ad altare.* Nam si irasci fas non est fratri suo sine causa, aut dicere racha, aut dicere fatue, multo minus fas est animo tenere aliquid, vt in odiũ indignatio conuertatur. Ad quod pertinet etiam quod alio loco

Galat. 3.

dicitur, Non occidat sol super iracundiã vestram. Iubemur ergo illaturi munus ad altare, si recordati fuerimus aliquid aduersum nos habere fratrem, munus ante altare relinquere, & pergere ac reconciliari fratri, deinde venire, & munus offerre. Quod si accipitur ad litteram, fortassis aliquis credat ita fieri oportere, si præsens frater sit. Non enim diutius differri potest, cum munus tuum relinquere ante altare iubeatis. Si ergo de absente, & quod fieri potest, etiam trans mare constituto aliquid tale veniat in mente, absurdum est credere ante altare munus relinquendum, quod post terras, & Maria pererrata offeras Deo. Et ideo protinus intrã ad spiritalia refugere cogimur, vt hoc quod dictum est sine absurditate possit intelligi. Altare itaq; spiritaliter, in interiore Dei templo ipsam fidem accipere possumus, cuius signum est altare visibile. Quodlibet enim munus offerimus Deo, siue prophetiam, siue doctrinam, siue orationem, siue hymnum, siue psalmũ, & si quid tale aliud spiritalium donorum animo occurrerit, acceptum esse non potest Deo, nisi fidei sinceritate fulciatur, & ei fixæ atque immobili, atque firmæ imponatur, vt possit integrum atque illibatam esse quod loquimur. Nam multi hæretici non habentes altare: id est, veram fidem, blasphemias pro laude dixerunt, terrenis videlicet opinionibus aggranati, votum suum tanquã in terram proiecentes. Sed debet esse sana etiam offerentis intentio. Et propterea cum tale aliquid oblaturi sumus in corde nostro: id est, in interiore Dei templo, Templum enim Dei sanctum est, inquit, quod estis vos: & in interiore homine habitare Christum per fidem in cordibus vestris: si in mentem venerit quoddam aliquid habeat aduersum nos frater: id est, si nos eum in aliquo læsimus, tunc enim ipse habet aduersum nos. Nam nos aduersus illum habemus, si ille nos læserit, vbi non opus est pergere ad reconciliationem: non enim veniam postulabis ab eo qui tibi fecit iniuriam, sed tantum dimittis, sicut tibi dimitti à domino cupis, quod ipse commiseris. Pergendum est ergo ad reconciliationem, cum in mentem venerit quod nos forte fratrem in aliquo læsimus. Pergendum est ergo non pedibus corporis, sed motibus animi, vt te humili affectu prosternas fratri ad quem chara cogitatione cucurreris, in conspectu eius cui munus oblaturus es. Ita enim etiam si præsens sit, poteris eum nõ simulato animo lenite, atque in gratiam reuocare veniam postulando, si hoc prius coram Deo feceris: pergens ad eum non pigro motu corporis sed celerissimo dilectionis affectu. *Atque inde veniens*, id est, intentionem reuocans ad id quod agere cœperas, *offer munus tuum.* Quis autem hoc facit vt fratri suo vel non irascatur sine causa, vel racha non dicat sine causa, vel eum fatuum non appeller sine causa, quod totum superbissime admittitur vel forte si in aliquo horum lapsus fuerit, vnũ remedium, vt supplici animo veniam deprecetur: quod quisquis non fecerit, inanis iactantia spiritali inflatur. Beati ergo pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.

EIVS

EIVSDEM IN IDEM

Homilia 2.

Ser. 4. de ver. Domini.

Sancti Euangelij capitulam, quod modo cum legeretur audiui, valde nos terruit, si fidẽ habemus: Eos autem non terruit, qui fidem non habent. Et quia non terret eos, volunt esse peruersẽ securi nescientes distribuere & distinguere tempora timoris, & securitatis. Timeat ergo qui ducit modo vitam cum sine quo possit in illa vita habere securitatem sine fine. Si ergo timuimus, quis enim non timeat loquentem veritatem, & dicentem: *Qui enim dixerit fratri suo fatue, reus erit gehenna ignis?* Linguam autem nullus hominum domare potest. Et homo domat feram, non domat linguam. Domat leonem, & nõ refrænat feromonem. Domat ipse, & non domat seipsum. Domat quod timebat, & vt se domet nõ timet quod timere debebat. Sed quid inquit sententia vera? & ista processit de oraculo veritatis, Linguam autẽ nullus hominum domare potest. Quid ergo faciemus, fratres mei? Video me quidem ad multitudinem loqui, sed quia vnum sumus omnes in Christo, tanquã in secreto consilium capiamus. Nullus nos audit extraneus, vnum sumus, quia in vnum sumus. Quid faciemus? *Qui dixerit fratri suo, fatue, reus erit gehenna ignis?* Linguam autem nullus hominum domare potest. Ibiunt ergo omnes in gehennam ignis? Absit. Domine, refugium tu factus es nobis, à generatione in generationem. Ita tua iusta est, neminem in gehennam mittis iniuste. Quid ibo à spiritu tuo, & à te quo fugiam nisi ad te? Ergo intelligamus, charissimi, quia si linguam nullus hominum domare potest, ad Deũ confugiendum est, qui domet linguam nostram. Si enim tu eam domare volueris, non potes, quia homo es: linguam nullus hominum domare potest. Attendite similitudinẽ ab ipsi bestias quas domamus. Equus non se domat: Camelus non se domat: Elephantus non se domat: Apis non se domat: Leo non se domat: sic & homo non se domat. Sed vt dometur equus, bos, camelus, elephanta, leo, apis, quæritur homo: Ergo Deus quæritur vt dometur homo. Ergo, Domine, refugium tu factus es nobis. Conferimus nos ad te, & benè nobis erit de te. Malum est enim nobis de nobis, quia dimisimus te, dimisisti nos nobis. Inueniamur ergo in te, quia perieramus in nobis. Domine, refugium factus es nobis. Quid ergo, fratres mei? Dubitare debemus quia mansuetos nos faciet dominus, si nos domandos ei præbeamus? Domuisti leonem quem nõ fecisti, non domat te qui fecit te? Vnde enim bestias tam immanes domare potuisti? Nunquid eis æquaris viribus corporis? Qua ergo virtute ingentes bestias domare potuisti? Ipsa iumenta quæ dicuntur bestia sunt. Non enim indomita tolerantur, sed quia non eas nouit consuetudo nisi in manibus hominum & sub frænis hominum & sub potestate hominum, putas eas mansuetas nasci potuisse? Certe feras immanes attende. Emit leo, quis non timeat? Et tamen vnde te intelligis fortioem? Non corporis virtute, sed mentis ratione interiore. Fortior es leone, vnde factus es ad imaginem Dei. Imago Dei domat feram, & non domat Deus imaginem suam? In illo spes est, ei nos subdamur, & misericordiã precemur. In illo spem

nostram ponamus, & donec domemur & perdomemur, id est, perficiamur, domitorem feramus. Plerumque enim profert domitor noster etiã flagella. Si enim tu ad domanda iumenta tua profers virgã, profers flagellum, Deus non profert ad domanda iumenta sua quod sumus nos, qui de iumentis suis faciet filios suos? Domas equum tuum, quid daturus es equo tuo cum te ceperit portare, mansuetus ferre disciplinam tuam, obedire imperio tuo, esse iumentũ, hoc est adiumentum infirmitatis tuæ? Quid ei retribuisti quem nec saltem sepelis, cum mortuus fuerit, sed discerpendum volatilibus proiecis? Domito tibi Deus hereditatem seruat, quod est ipse Deus: & ad tempus mortuum resuscitat te, carnem tuam vique ad numerũ capillorum reddet tibi: & constituet te cum angelis in æternum, vbi iam non indigeas domari, sed tãtũmodo à piissimo possideri. Erit enim tunc Deus omnia in omnibus, nec erit vlla infelicitas, quæ nos exerceat, sed felicitas sola quæ pascat. Ipse autem pastor noster Deus noster est. Ipse opilio noster, Deus noster. Honor noster, Deus noster. Diuitiæ nostræ, Deus noster. Quæcunq; hic variã quæris, ipse tibi vnus omnia erit. Ad hanc spem homo domatur, & domitor intolerabilis habetur? Ad hanc spem homo domatur, & contra istum vtilem domitorem, si forte flagellum proferat, murmuratur? Audistis exhortatẽ Apostolum, Si separetis vos à disciplina, ergo nonthi, & non estis filij. Nothi sunt adulteri. Quis enim est filius, cui nõ det disciplinam pater eius? Et carnis quidem nostræ, inquit, patres habebamus correptores, & ferebamus, non multo magis subijciemur patri spirituũ, & vinemus? Quid enim tibi potuit præstare pater tuus, quia corripuit te, quia verberauit te, quia flagellum protulit, & cecidit te? Nunquid præstare potuit vt viueres in æternum? Quod non potuit præstare sibi, quo modo præstaret tibi? Propter pecuniam suam quantulamcunq; quam de vfuris & labore collegit, erudiebat te flagellis, ne tibi dimissus labor eius te male viuente disperderetur. Et cædit filium timens perire labores suos, quoniam reliquit tibi, quod nec tenere hic poterat, nec auferre. Non enim hic aliquid tibi dimisit, quod ipse esse possit. Cessit: vt sic cederes. Deus autem tuus, redemptor tuus, domitor tuus, castigator tuus, pater tuus, erudit te. Quid? Vt accipias hereditatem, vbi non efferas patrem, sed hereditatem habeas ipsum patrem. Ad hanc spem erudiris, & murmuras, & si quid triste acciderit, fortasse blasphemias? Quid ibis à spiritu eius? Ecce dimittit te, & non flagellat, deserit blasphematẽ, non senties iudicantẽ? Nonne melius est vt flagellet te & recipiat te, quàm parcat tibi & deserat te? Dicamus ergo domino Deo nostro, Domine, refugium tu factus es nobis, in generatione, & generationem. In prima generatione, & altera generatione refugium factus es nobis. Tu refugium, vt nasceremur qui non eramus: Tu refugium, vt renasceremur qui mali eramus: Tu refugium, vt pasceres desertores tuos: Tu refugium, vt erigas, & dirigas filios tuos: Tu refugium factus es nobis: A te non recedemus cum liberaueris nos ab omnibus malis nostris, & impleueris nos bonis tuis. Bona das, blandiris ne fatigemur in via, Corripis, cædis, percutis, dirigis, ne aberremus à via. Sicut ergo blandiris, ne fatigemur in

1. Cor. 13.

Hebr. 12.

\* alibi veretur

Psal. 89.

Bibl. Hom. tom. 3. li 3 via



via, siue castiges ne aberremus à via. Domine, refugium tu factus es nobis.

CHRISTIANI DRVTHMARI eiusdem Euang. expositio.

Dico autem vobis. Modo incipit legem adimplere. Nisi abundauerit iustitia vestra plusquam scribarum, & pharisaeorum, non intrabitis in regnum caelorum. Iustitia pharisaeorum est non occidere, non adulterare, non facere furtum, decimas, & primitias dare ex omnibus quae possident. Iustitia christi & omnium christianorum est, non odire: non concupiscere, proximum propter Deum amare, persequentes ex animo diligere. Sensus igitur talis est. Pharisaei homicidia, furta, pro crimine habent: discipuli mei etiam cogitationes, & verba iniqua deivent. Qui autem occiderit, reus erit iudicio. Subauditur mortis. Audistis quia dictum est antiquis, non occides. Ecce iustitia pharisaeorum. Ego autem dico vobis. Ego nouus homo, noua praeccepta vobis pono. Quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Ecce iustitia christianorum. Ea poena reus habetur in euangelio, qui fratrem suum odit, qua in veteri habetur, qui occidebat aliquem. Et sciendum vbi in hoc libro positum est antiquis, subauditur patribus: illud approbat Deus: & vult ut illud custodiatur: donec transeat caelum, & terra. Illud vero vbi non est additum antiquis: non praecipit Deus: sed Moyses concessit populo adhuc rudi & carnali: quibus si illud praecipisset: intellexit non esse facturos, sicut dicit dominus de muliere dimittenda. Moyses enim ad duriciam cordis vestri scripsit vobis: ab initio autem non fuit sic: qui autem dixerit fratri suo racha: reus erit consilio. Totum est istud iustitia christianorum: modo tulit iram absconditam de corde: modo aufert sub maiori poena iram cum voce. Racha interiectio est apud Hebraeos: & tantum modo iratum amicum demonstrat: & potest dici inanis seu absque cerebro: quam iniuriam in vulgata locutione in vsu habemus: quia qui cerebrum non habet, & non est sanae mentis: quasi dicat, quemcumque ita commouerit ira, ut in voce eam ostendat proximo suo plus est plectendus, quam ille, qui in corde iratus non protulit in voce. Et ideo iam consilium de illo est habendum, qua poena plectendas sit. Sicut creuit ira sic crescit & poena. In primo ira abscondita, & mors cum gladio cito finienda. In secundo, ira cum voce: iam exco-gitatio generis est tormenti, quomodo moriatur ille. In tertio ira cum imperio, & diffinitio quot poenis infernalibus tradendus sit. Racha quoque Graece pannosus dicitur: sed superior intellectus melior. Qui autem dixerit fatue. Subauditur sicut in superioribus, fratri suo. Nullus enim alius nobis frater est: nisi qui eundem patrem nobiscum in caelis se confitetur habere: hoc est omnis christianus. Reus erit gehenna ignis. Iam de isto qui cum ira in vicium fratris proripit non tenetur consilium: sed aperta sententia vlticibus flammis deputatur. Et qua ratione fatui nomen imponitur fratri: quia similiter credit in Deum, sicut & nos & spiritum sanctum se habere confidit: qui enim non honorificat fratrem suum iniuriam facit spiritui sancto, qui in illo habitat sicut Petrus ad Annaniam loquitur: non es mentis hominibus

sed Deo. Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris: quia frater tuus habet aliquid aduersum te. Munus hoc in loco non solum de sacrificio: sed & de omni oratione accipitur. Quia & in ipsa oratione dicimus: dimitte nobis, sicut & nos dimittimus. Quod vero ait, quia frater tuus habet aliquid aduersum te: hoc est, si habet aliquid iustae quae relax aduersum te: quod tu laxeris eum in aliquo. Relinque ibi munus tuum ante altare: & vade prius reconciliari fratri tuo. Si prope fuerit pedibus corporis eundem est: si autem longe fuerit: animo eundem, & domino promittendum: quia ut citius poteris, & corpore eundem sit, & emendandum quodcumque ei malum intuleras. Et tamen multi verbo veniam petunt: & malum, quod ei intulerunt, non emendant: non est talis venia Deo accepta, quia sicut Beatus Hieronymus dicit de Iuda. Quia si opus non destruit homo, vel non emendat: frustra postulat poenitentiam: peccatum ipsius crescit quotidie: licet ipse sit mortuus, & ille vult habere veniam. Verbi gratia quidam acquisiuit hominem iniuste, vel tulit alio diuini alicuius, & venit ad confessionem, & dicit mea culpa, peccavi in tali facto, da mihi poenitentiam: & dicit illi. Abstine tanto tempore à vino & carne. O quam aperta seductio: nepotes illius seruiunt omni die, & in fine mundi: aut centum aut ducenti erunt serui de illo vino: Et iste seductor dicit illi, saluus eris. Allo diuini & aurum, quod tulit ipse habet: & abstinet à suo vino: unde accipiet cras solidos plures quam si bibisset. O diabole confessor, si nescis illum saluare, ut quod scis te ipsum perdere? Debueras dicere: destrue opus, & accipe tunc poenitentiam: quare plus amasti aurum quam dominum, qui tibi ista prohibuit? nonne diabolus quando anima eius egreditur à corpore in malo erat, & adhuc malum crescit? nonne dicit Ioannes: peccatum vsque ad mortem: non dico ut roget quis pro eo? Stulte lignum in quam partem ceciderit, ibi manebit. Vtrumque autem possumus dicere, & reconciliare fratrem tuum, hoc est, ad te illum reducere in pacem: & reconciliari fratri tuo, hoc est, te illi reconciliari.

HAYMONIS EPISCOPI

Halberst. superioris Euang. expositio.

Men dico vobis, nisi abundauerit iustitia. Sensus lectionis huius ex superioribus domini verbis pendet, quibus dicit: Non veni legem soluere, id est, destruere, sed adimplere. Quod duobus modis intelligendum est. Veniens filius Dei in mundum, quicquid in lege & prophetis de eo dictum erat verbis, & praefiguratum mysteriis, rotum ipse impleuit. Quomodo? Nascendo de virgine, sicut Esaias praedixit: Ecce virgo concipiet, & pariet filium. Praedicando nanque, miracula faciendo, moriendo, ad caelos ascendendo, ad inferna descendendo, à mortuis resurgendo, spiritum sanctum apostolis mittendo, iuxta quod ipse praedixerat per Iohannem: Effundam de spiritu meo super omnem carnem: Quicquid lex & prophetae de eo praedixerant, siue de eius natiuitate, siue de eius passione, sicut superioribus diximus, totum ipse adueniens compleuit, unde appropriatis morti dixit: consummatum est. Ac si diceret: Quicquid in me oportebat impleri ante mortem, consum-

Nota nota profum et in pondi pro unum.

Epsi 7.

matum est. Et alibi cum pergeret ad passionem. Ecce ascendimus Hierosolimam, & consummabuntur omnia quae scripta sunt de filio hominis per prophetas. Et alibi: Non veni legem soluere, sed adimplere, id est, ea quae dominus inuenit in lege & prophetis scripta, confirmauit: quae vero minus erant, suppleuit, verbi gratia. In lege puni-tur adulterium, dicente lege: Non adulterabis. Concupiscentia vero adulterij, non puniuntur ibi. In euangelio autem non solum adulterum damnat, verum etiam qui concupiscit mulierem, dicente domino: Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, iam mœchatus est eam in corde suo. In lege dicitur: Diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuum. In euangelio autem: Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos. In lege punitur homicidium, non ira. In euangelio autem non solum punitur ille qui homicidium facit, & perpetrat iniustitiam, sed etiam qui irascitur fratri suo sine causa. Inde dicit dominus nobis, & ceteris in se credentibus, Nisi abundauerit iustitia vestra plus quam scribarum, & pharisaeorum, non intrabitis in regnum caelorum. Scribae, & pharisaei in hoc se putabant iustos in regnum caelorum, si solummodo hominem innocentem non occiderent: licet ceteris peccatis fuissent maculati. Sed quid dicit dominus nobis contra eos? Nisi abundauerit, id est, nisi vicerit, nisi superauerit iustitia vestra iustitiam scribarum, & pharisaeorum, ut non solum non occidatis, verum etiam ne irascamini, non intrabitis in regnum caelorum. Aliter: Scribae, & pharisaei scientiam legis, & prophetarum habebant, bene docebant & male vivebant. De quibus dominus alibi dicit: Super cathedram Moysi sederunt scribae, & pharisaei, omnia, quae cumque dixerint vobis, seruate, & facite, secundum opera vero illorum nolite facere. Dicunt enim, & non faciunt. In hoc nanque putabant se iustificari, si bona solummodo docuissent: licet non fecissent. Sed quid dicit dominus? Nisi abundauerit iustitia vestra plus quam scribarum & pharisaeorum, non intrabitis in regnum caelorum: non solum bona doceatis, verum etiam faciatis, non intrabitis in regnum caelorum, iuxta quod dominus in superioribus dixerat: Qui soluerit vnum de mandatis istis, & docuerit sic homines, id est, qui bene docuerit, & illud male viuendo destruxerit, minimus vocabitur in regno caelorum. Qui vero fecerit, & docuerit sic, id est, qui bene docuerit, & bene vixerit, maximus vocabitur in regno caelorum. Audistis quia dictum est antiquis. Patribus populo videlicet Israelitico in monte Synai per legem, Non occides, innocentem. Qui autem occiderit, innocentem hominem, reus, id est, culpabilis erit iudicio legis, id est, ut similiter & ipse occidatur. Quid lex praecipit, ut talio pro talione redderetur, id est, aequalitas, ut si quis occideret aliquem iniuste, & ipse similiter, oculum pro oculo, dentem pro dente. Ego autem dico vobis, ego nouus homo, vobis nouis effectis per gratiam baptismatis noua praeccepta do vobis. Quia omnis, qui irascitur fratri suo: Addendum est sine causa. Reus erit iudicio euangelij. Sicut in iudicio legis reus erat, qui innocentem interficiebat, sic & modo qui irascitur fratri suo, qui credit in Christum, ut ipse credit: iudicio euangelij reus efficitur, nisi poenitentiae remedium subuenierit illi. Qui dixerit fratri suo racha. Racha ut dicit B. Augustinus, interiectio est apud Hebraeos, mo-

tum animi exprimens, sicut sunt interiectiones apud Latinos: Cum dicitur à dolente heu, ab admirante papé, ab irascente hem. Beatus vero Hieronymus dicit, quod racha sermo Hebraeorum sit, qui Graece dicitur canos, latine interpretatur inanis, & vacuus: quem nos possumus dicere absque cerebro, id est, sine sensu, & sine intellectu. Qui dixerit fratri suo racha. Frater noster nullus alius hic intelligitur, nisi qui eundem patrem habet in caelis Deum, quem & nos habemus, qui dicit nobiscum in oratione. Pater noster, qui est in caelis: qui sacro baptismate est renatus, & spiritu septiformi confirmatus. Qui dixerit fratri suo, id est, Christiano racha, id est, inane, & vacuum appellauerit, cum plenitudinem fidei habeat in sanctam trinitatem. Reus erit consilio, sanctorum, hoc est in iudicio sanctorum damnabitur. Qui autem dixerit fatue, reus erit gehenna ignis. Hoc nomen quod est gehenna, primum in euangelio reperitur, sed videamus unde veniat, hoc nomen. Dicit B. Hieronymus, quod sit quaedam vallis iuxta Hierusalem, quae vocata est Gehennon, id est, vallis filiorum Hennon, à quodam homine, qui ibi habuit possessionem suam. Ge hebraice, interpretatur vallis, Gehennon vallis gratuita, fuit enim vallis nemorosa, id est, syluosa, & delectabilis, per quam discurrunt aquae fontis Syloë. Idcirco filij Israel propter amoenitatem illius loci, relinquentes templum Dei, & altare, quod erat in Hierusalem in monte, aedificabant in illa valle altaria, & immolabant ibi filios suos Baal, & ceteris idolis. Ob hanc causam postmodum interfecti sunt ibi, primum ab Assyriis, deinde à Chaldaeis, deinceps à Romanis. A nomine illius vallis, quae vocata est gehennon, venit compositum nomen gehenna, ex ge, & henna. Et dicitur gehenna duplex poena, quia illi, qui in valle illa occisi sunt, siue à patribus, siue à latronibus, siue ab hostibus, dupliciter perierunt, & vitam praesentem amiserunt, & futuram. Qui autem dixerit: fatue. Dominus dicit in euangelio: Vos estis sal terrae. Sicut sal condimentum praestat cibo, sic praedicator ecclesiae condimentum debet praestare suis subiectis verbo, & exemplo. Si eum, quem dominus appellat salem, ed quod cibus sibi sit, & aliis condimentum sit fidei & bonae operationis, eum appellaueris fatuum, id est, à sapore sapientiae alienum. Reus erit gehenna ignis, id est, dignus eris ut dupliciter puniaris, & in anima, & in corpore. Vel sicut beatus Ildorus dicit: Dignus eris, ut duplici poena puniaris, id est, à calore & frigore in igne purgatorio. De qua duplici poena dicit B. Iob. Ab aquis nimum transibunt ad calorem nimum. Dominus dicit alibi: De omni verbo otioso, quod loquuti fuerint homines, reddent rationem in die iudicij. Si de omni verbo otioso rationem redduri sumus, quanto magis de contumelia fratri illata? Si dixerimus ei racha vel fatue, id est, insipiens. Et si de verbis contumelie puniendi sumus in examine districti iudicij, quanto magis de criminalibus peccatis, adulterio, homicidio, furto, falso testimonio, rapacitate, & ceteris his similibus, de quibus dicit Paulus, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. De his omnibus, quae modo diximus, id est, de ira contra fratrem, & de racha, possumus vtrumque inuenire consilium. Qui fratri suo irascitur, iter iudicio vnus sacerdotis, eat ad sacerdotem, & confiteatur

Purgatorius ignis. Iob 24. Matib. 12.

Confessio facta sacerdoti, & opera satisfactoria ab eo imposta.

ei iram quam habuit contra fratrem suum, & secundum iudicium illius agat penitentiam. Qui vero dixerit fratri suo racha, id est, inanem, & vacuum eum appellauerit, cum similiter credat in dominum, id est, Christum, & Dei patris nouerit sapientiam, reus, id est, culpabilis sit iudicio sacerdotum. Conuocet unum, aut duos sacerdotes, & confiteatur illis peccatum, quod in fratrem gessit, appellando eum racha, & secundum illorum iudicium agat penitentiam. Si vero eum, quem dominus saltem appellat, uocauerit fatuum à sapientie alienum, reus fiat gehennæ, ignis, id est, duplicem penitentiam habeat in corpore, & anima. In corpore per ieiunium, & orationem, in anima per dolorem, & tristitiam: *Si offers munus tuum ad altare.* Superius dixit dominus: qui irascitur fratri suo, qui dixerit racha, qui dixerit fatue, reus erit iudicio. Sed quomodo istum terrorem, ipso auxiliante, fugere debeamus, ipse dat in subsequentibus consilium dicens: *Si offers munus tuum, aut aurum, aut argentum, aut panem, aut uinum, aut aliquid ornamentum ecclesie, aut panem, aut uinum, aut quicquid Deo offerendum est. Et recordatus fueris, id est in mentem tibi uenerit. Quia frater tuus habet aliquid aduersum te.* Tunc habet frater tuus aliquid aduersum te, si tu in aliquo læsisti eum, aut irascendo illi, aut conuiciando illum, aut contumeliam uerborum ingerendo, uocando illum racha, aut fatuum. Si horum fueris recordatus, quando vis offerre Deo aliquid, relinque ibi munus tuum, id est differ illud in oblatione, noli illud continuo offerre, sed uade prius, & postula ueniam fratri tuo: si fuerit præsens corpore. Quia & ille necesse habet, ut dimittat tibi, si tibi uult à domino dimitti, quæ contra illius præceptum gessit, ut libere possit dicere in oratione, dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Cum autem fratrem tuum habueris reconciliatum, & in pacem redactum, tunc uade, & perface, quod cæperas, offer munus tuum Deo, quia tunc erit illi acceptabile. Si uero frater tuus absens est corpore, ut nullo modo possis eum inuenire, prosterne te in præsentia Dei omnipotentis, qui te, & illum uidet, & dic illi in animo tuo: Deus omnipotens, tu nosti omnia, tu scis, quia, si frater meus adesset, postularem illi ueniam, idcirco precor te, qui pius, & misericors es, & qui fratrem meum, ac me corde humiliatum conspicias, ut mihi tribuas ueniam. Si autem frater tuus inclemens fuerit, & noluerit tibi ueniam deprecanti indulgere, oblatio illius non debet in sacrificio recipi, id est in altari, nec in gazophylatio, hoc est, in thesauro ecclesie, neque in cæteris uisibus ecclesie, nec pacem debet facere cum Christiano, neque communicari corpore, & sanguine domini. Aliter: *Si offers munus tuum ad altare.* Spiritualiter domus Dei est ipse homo. Unde dicit Paulus apostolus: Templum domini sanctum est: quod estis vos. Et dominus per prophetam: Inhabitabo in illis, & inambulabo. Es bonus, Deus habitat in te. Altare istius templi est fides recta, quæ ponitur à Deo in anima, sicut altare ponitur in ecclesia. Quod est munus, quod debemus offerre domino? Missarum celebratio, munda oratio, prophetica doctrina, hymnus, Psalmus, charitas, castitas, cleemosyna, & cætera his similia bona, quæ in altari, hoc est, in fide recta Deo offeri-

1. Cor. 3.

1. Tim. 2.6.

2. Cor. 6.

Missarum celebratio gratia munus Deo.

mus, quia sine fide impossibile est placere Deo, Deo offerenda sunt, ut credat se uniusquisque homo, qui hæc facit, pro his à Deo remunerandum, & auditorum ab eo in die iudicij. Venite benedicti patris mei, percipite regnum, quod uobis paratum est ab origine mundi, quando fecistis uni ex his minimis meis, mihi fecistis. Cumque hæc, quæ superius diximus, uolueris Deo offerre, & uenerit tibi in memoriam, quia frater tuus habet aliquid aduersum te, id est, si tu in aliquo contristasti eum, aut conuiciando illum, aut gratiam senioris sui tollendo, aut sua auferendo, equum, bouem, asinum, seruum, ancillam, aut aliquid aliud, relinque ibi munus tuum, id est noli illud statim offerre, sed uade prius: & si potes, redde fratri tuo in quadruplum, sicut Zachæus fecit, qui dixit domino: Si aliquem defraudauit, in quadruplum restituo. Si uero nihil habes, unde possis reddere, saltem ueniam illi postula. Et tunc, id est, placato fratre tuo, offer munus tuum, quia tunc erit illi acceptabile.

## AVTHORIS INCERTI

sub nomine Eusebij episcopi Emisseni  
superioris Euang. expositio.

Scribarum enim, & Phariseorum iustitia fuit, ut bene prædicarent, & bene populum admonerent, non tamen ea faciebant, quæ prædicabant, & admonebant. Unde alibi dominus ait, Super cathedram Moysi sederunt scribæ, & Pharisei: omnia ergo quæ dixerit uobis facite, secundum opera eorum nolite facere. Quare hoc? Dicunt enim, & non faciunt. Erat igitur eorum iustitia dicere, & non facere, legem soluere & non adimplere. Hæc autem ad cælorum regnum præparandis non sufficiunt. Audistis quia dictum est antiquis, Non occides: qui autem occiderit, &c. Non (inquit) uobis sufficiunt, ad iustitiam ea quæ scribæ & Pharisei sibi sufficere non bene cogitabant. Maiora nouis quam antiquis præcepta dantur: illis dicitur ne occidat, istis dicitur ne irascantur: illi ab homicidio, isti ab ira, & odio coercentur. Sed quid est quod dominus ait, Qui autem occiderit, reus erit iudicio? Non enim omnis, qui occidit, reus mortis in iudicio iudicatur: neque uero lex omnes damnat, qui occidunt, quoniam & ipsa multos occidere iubet. Determinandus est igitur locus iste, sicut & cætera, quæ breuiter dicta, minus aliquid habere uidentur. Dicit enim lex, Quicumque sponte uel per odium, & in iustitia hominem occiderit, ipse quoque occidatur. Cæteris uero tres ciuitates constituit, ad quas fugiant ne moriantur. Quod quid significet, non est huius loci exponere. Uideamus quod sequitur. Ego autem dico uobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. In quo iudicio? In hoc enim quod in ecclesia fit, non tenetur ita. In illo uero districto iudicio, si omnis, qui irascitur damnabitur, aut nulli, aut pauci saluari poterunt. Quis enim tam quietæ mentis est, ut aliquando non irascatur? Determinandum est igitur & istud, ut non de omni ira, sed de instanti, & perseveranti intelligatur, quæ iam alio nomine odium uocatur. Ira enim inueterata odium dicitur. Unde & bene non præterito, uel futuro, sed instanti tempore utitur, dicens, Omnis qui irascitur. Et hoc quidem manifestum est, quia sic damnatur ille,

tur ille, qui fratrem suum odit, sicut & ille, qui occidit: uterque enim homicida uocatur. Hoc enim Ioannes apostolus dicit, Omnis, qui odit fratrem suum homicida est: & scitis quod omnis homicida non habet uitam æternam in se manentem. Sic igitur omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio: qui autem dixerit fratri suo Rhaca, reus erit concilio. Rhaca enim mentis affectum cum indignatione & irrisione significat: uelut quum irridendo in facibus aliquem insufflamus. Dicitur quod Rhaca interpretatur uanus. Sed nūquid tam magnū peccatum est dicere Rhaca, id est, aliquem quolibet sono uocis irridere, ut quicumque hoc dixerit, reus in concilio habeatur? Magnum enim peccatum est omnis iniuria. Dicitur ergo, Si quis dixerit fratri suo Rhaca, & eum irridendo qui irrisione dignus non est, ad indignationem, & iram prouocauerit, in concilio episcoporum reus, & culpabilis iudicabitur. Sæpe ex parua iniuria magnæ lites concitantur: quæ omnes in illius caput redundant, qui principalis causa earum exitur: secundum illud, Qui effundit aquas, caput est iurgiorum. Unde & in lege præcipitur, Si egressus ignis inuenerit spicas, & comprehendit aceruos frugum, siue stantes segetes in agris, reddet damnatum, qui ignem succenderit. Nam & ipse dominus ait, Væ illi, per quem scædaluuium uenit. Si enim de uerbo otioso rationem reddiderit sumus, quanto magis de iniuriis, & contumeliis? Qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis. Quid est hoc, o domine? quid est hoc, o magister ueritatis? quid enim si hoc dixerit, & penitentiam egerit? Scimus enim multos sanctorum non solum fatuos, sed hæreticos alios dicere non timuisse, eosque de hæresibus accusatos, uictosque damnasse. Nam & apostolus Paulus scribens ad Galatas, insensatos, & stultos eos uocauit: quod quidem non minoris iniuriæ est, quam si fatuos dixisset. Ait enim, O insensati Galatæ, quis uos fascinauit non obedire ueritati? Et paulo post, Sic stulti facti estis, ut, qui spiritu cæperitis, nunc carne consummami. Sic igitur dicamus: Qui superbi spiritu inflatus, non corrigendi gratia, sed inuidiose, & malitiose fratrem suum fatuum dixerit, eumque contra se ad indignationem & odium prouocare non timeat, tandiu gehennæ ignis reus erit, donec penitentia ductus, eum, quem iniuste commouerat, quolibet modo, quantum in se est, sibi reconciliet. Ut autem ipsum dominum hoc sensisse intellegas, audi quod sequitur. Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, &c. Ac si dicat, Fratrem tuum fatuum uocasti, iratus est tibi, iustam causam habet aduersum te, eius indignatio tuum peccatum est: non te recipio, uade prius, & reconciliare fratri tuo. Et fortasse ideo has, quas prædiximus, iniurias nominatim dominus posuit, quia tunc temporis magis in ysu habebantur, & aut paruū, aut nullum peccatum esse uidebantur. Dedit igitur nobis regulam, nouamque legem constituit, ut nullum peccatum negligamus: quoniam etiam illa quæ minima esse putantur, nisi resecata fuerint, animas perdunt & damnant. Neque uero quasi parua negligenda sunt, pro quibus Deus offensus, munera iam ante altare posita recipere dedignatur. Sequitur: Esto consentiens aduersario tuo citò, dum es in uia cum eo, ne forte tradat te aduersarius iudici, & index tradat te ministro, & in carcerem mittario. Hoc autem tale est ac si diceret,

Audisti quid dixerim. Hæc uerba uitæ sunt & salutis, esto igitur consentiens eis. Hic est enim aduersarius tuus. Quis enim sic aduersatur homini, ut sermo diuinus? Uult enim iste occidere: dicit ille, Non occides, uult iste mœchari: dicit ille, Non mœchaberis, uult iste furari: dicit ille, Non furaberis. Et tandem uo sermone penè omnia comprehendens, ait, Quod tibi non vis fieri, alij ne feceris. Esto igitur consentiens huic aduersario tuo. Hoc autem citò, interim dum es in uia cum eo, citò enim hæc uia finitur: pauca sunt miliaria. Tanta est hæc uia, quanta est uita uniuscuiusque. Quamuis enim aliis longior, aliisque breuior sit, nulli tamen ualde proluxa est. Postquam uero uia completa fuerit, & uita finita, iam nihil proderit consentire uelle. Quid igitur? Accusabit enim te aduersarius tuus, tradet te iudici. Cur non dicis, optime domine, Tradetque te mihi? Tu es enim qui constitutus es à Deo iudex uiuorum, & mortuorum. Sed quid sequitur? Et index tradet te ministro. O quam iniquo ministro ad cruciandum traditur, qui bono consiliario consentire noluit! Postea uero quid fiet? Et in carcerem mittario. Carcer iste, infernus est. Qualis minister, talis & carcer. Ille enim est crudelior omnibus, iste formidolosior & horribilior uniuersis, in quo tenebræ nūquam deficiunt, in quo ignis nunquam extinguitur, in quo uermis nunquam moritur. Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas nouissimum quadrantem. Magnum est hoc debitum, infinita & innumerabilis est pecunia ista, ad cuius nouissimum quadrantem nunquam uenitur, qui semper soluitur, nunquam finitur.

## THEOPHYL. EPISCOPI

Bulgar. superioris Euangel.  
expositio.

Dico autem uobis, quod nisi abundauerit iustitia uestra, &c. Iustitiā dicit omnē uirtutem: sicut & cum dicitur, Iustus erat Iob, pius, irreprehensibilis. Horrefce homo animaduertens quanta à nobis reperantur. Deinde docet nos quomodo abundemus, & enumerat uirtutes. Audistis, quod dictum sit priscis, Non occides. Quisquis autem occiderit, obnoxius erit iudicio: Hoc à certo quodam esse dictum non dicit. Si enim dixisset, quod pater meus dixerit priscis, ego autem dico uobis: uideri posset diuersam à patre legem ponere. Iterum autem, si dixisset, Ego dixi priscis, ægre acceptus fuisset sermo. Indefinite igitur dixit, Dictum est antiquis, quoniam autem uetera nunc antiquata sunt, & ferme abolita, oportet omitti illis, currere ad noua. Ego autem dico. Prophetæ dicturi futura dicebāt. Hæc dicit dominus: Christus autem, Ego dico, ostendens diuinam substantiam. Illi enim serui erāt, ipse autem filius, omnia, quæ sunt patris, in se possidens. Qui irascitur fratri suo temere, ille condemnatur: Si autem quis irascitur ratione iusta motus, & ut alium erudiat, & spirituali zelo, non condemnabitur. Unde & Paulus uerba iræ loquutus est ad Elymam magum, & ad pontificem: non temere quidem, sed zelo. Tunc autem temere irascimur, quando propter opes, uel gloriam. Quicumque uero dixerit fratri suo Rhaca, obnoxius erit concilio. Rhaca significat idem, quod Tu: ut quum ad aliquem contempum nobis dicimus, Abi tu. Volēs igitur nos

Exod. 20.

&amp; de

& de parvis sollicitos esse, & mutuū venerari, ad-  
monet horum. Quidam dicunt rhaca Syriace, &  
indignationum, & respiciunt quiddam signare.  
Quisquis igitur iniuria affecerit fratrem suum, cō-  
tumelia inuadens, obnoxius erit concilio sancto-  
rum apostolorum, quando sedebant iudicantes  
duodecim tribus Israel. *Quicūque autem dixerit, stul-  
te reus erit gehenna incendio.* Multi hoc graue, & du-  
rum esse putant, non est autem. Nam qui fratrem  
suum ratione, & prudentia priuat: facitque vt à  
nulla differat bestia, quomodo nō dignus gehenna?  
Etenim qui scommatis, & contumeliis perse-  
quitur, charitatem destruit, qua destructa, simul  
omnes tolluntur virtutes: sicut omnes cōseruan-  
tur, ea salua. Dissoluit igitur omnes virtutes, qui  
contumelia proximū afficit, dum charitatem  
dilacerat: & proinde ignis incendio dignus fuerit.  
*Si obtuleris munus tuum ad altare, &c.* Cōtēnit Deus  
proprium honorem, tantum vt nos diligamus. Si  
autem habuerit aliquid contra te frater tuus, ni-  
hil aliud apposuit. Sine enim iuste, siue iniuste ha-  
beat, reconciliari. Et non dixit, si habes tu contra  
illum, sed si habet ille contra te, conare vt ipsum  
ad amicitiam reducas. Apponit autem dimitten-  
dum donum, vt tibi necessitatem imponat recon-  
ciliandi; & tu, si volueris offerre donum, cogaris  
reconciliari. Docet etiam interitū charitatem esse  
sacrificium.

EVTHYMII ZIGABONI  
*superioris Euang. expositio.*

**D**ico enim vobis: Nisi abundauerit iustitia vestra  
plusquam Scribarum & Phariseorum, &c. Illi si-  
quidem docent, & nō faciunt: vitam viuentes do-  
ctrinā contrariam: vos autem & docere, & facere  
debetis, vt verbis facta concordent. Aut etiā aliter  
hoc intelliges. Illi quidem peccatorum fines ob-  
seruant: vos autem principia quoque obseruare  
debetis. Scribas nanque & Phariseos hic recte  
operantes, & non transgredientes accipito. Iusti-  
tiam vero simpliciter dixit omnem virtutem. Cō-  
sidera autem quomodo & per præsentia verba, &  
per ea, quæ superius dicta sunt, non calumniatur  
legem veterem, sed ipsam potius augeat. Verum, si  
illa irreprehensibilis est, cur saluos non facit illos,  
qui ipsam seruāt? Vsq̄ ad Christum quidem aduē-  
tū saluos eos faciebat, qui gnauius ipsam custo-  
diebāt: postea verò, quum infantia in virilem iam  
profecerit ætatē, & copiosa gratia hominibus da-  
ta sit: maximāque proposita sint præmia pro bo-  
norum retributione operum (Neque enim am-  
plius possessio terræ promittitur, aut bonorum  
terrenorum, neque prolis fecunditas, aut longa  
vita, seu victoria de inimicis, sed cæli hæreditas,  
honorūque cælestiū, & Dei ad optatio, ac frater-  
nitas cum vnigenito eius, victoria quoque contra  
dæmones, & perpetui regni communicatio) meri-  
to sane magna exiguntur certamina, ab omnibus  
qui huiusmodi præmia forte sunt accepturi: & his  
certaminibus supposita sunt Christi præcepta,  
qui prædicta promisit præmia: magnitudinē enim  
laborum ad magnitudinē opposuit præmiorum.  
*Audistis quod dicitur est antiquis. Non occides, &c.*  
Postquam corda ipsorū beatitudinibus præmol-  
liuit, & ad virtutem exauit, maiora deinceps ad-  
dit præcepta. Incipit autem ab effectibus, qui na-

*Sine iustitia  
ne iustitiam  
cōtra nos, quis  
casum habue-  
rit, debemus ei  
reconciliari.*

*Sei & adhuc  
fides quibet  
que in medi-  
tationem requi-  
ratur.*

turaliores sunt, puta ita & concupiscentia. Et pri-  
mum de ira differit, deinde etiam de concupiscentia  
tractat. Dignū est autem vt inquiramus, qua-  
re nō ab eo incæperit, quod in lege primum erat  
positum præceptum. Quia quum illud de diuinitate  
loqueretur, oportebat quidem illud etiam  
cōplere, & aliquid de suis dignitate manife-  
ste addere. Nōdum autem tempus erat. Etenim, si  
etiam post doctrinam, atque signa, demonium di-  
cebant eum habere, quū tamen nihil de ipsa ma-  
nifeste diceret; quid, obsecro, non dixissent, atque  
fecissent, si ante hæc omnia, tale quippiam loqui  
tentasset? Cur autem manifeste non dixit se Deum  
esse? Quia ex hoc turbandi erant auditores. Si  
enim discipuli ipsum cognoscentes, & ab eo quo-  
tidie edocti, videntes quoque mirabilia operan-  
tem, ac rebus ineffabilibus communicantes, tanta  
etiam ab eo accepta virtute, vt & mortuos susci-  
tarent, hequaquam tamē, priusquam spiritus san-  
ctus adueniret, omnia ferre poterant: quomodo  
populus insipiens, tantæque expertus virtutis, po-  
terat non turbari, aut nō putare ipsum magis esse  
Deo contrarium, eiuſque honorem sibi impuden-  
ter vindicare? Ideo sapienter, ac dispensatorio mo-  
do, quādoque Deo proprias, & admirabiles actio-  
nes operatur, hæcque relinquit, vt se Deum esse  
prædicent: quandoque vero doctrinæ suæ verba  
admiscet, quæ suam indicent diuinitatem. Mani-  
feste autem & vt plurimum humilia de seipso lo-  
quitur, propter auditorum imbecillitatē: sciebat  
enim, quod postmodum sua ipsum manifestarent  
opera qualia nullus alius fecerat. Arrogantis enim  
est, nec suspicione caret, magna quædam de seipso  
dicere. Sed ad propositum redeuntēs, videamus  
quomodo legem non soluat, sed compleat potius  
tanquam imperfectam. Ait enim; Dicitur est à  
legislatore veteribus Hebræis; Non occides, sō ho-  
mo, alterum tui generis. Quicumque autem occi-  
derit, obnoxius erit condemnationi, vt penam  
cædi conuenientem luat. Ego autem dico vobis;  
quod omnis, qui irascitur fratri suo incassum, nec  
congruo tempore: hæc enim indicat dicitur dicitur  
(quam nos, temere, vertimus) obnoxius erit con-  
demnationi. Addens autem *temere*, non omni-  
modam abstulit iram, sed intempesti nam tantum  
abiecit: quæ enim opportuna est, utilis est. Dicitur  
autem ira opportuna, quæ sumitur aduersus eos,  
qui contra Dei præcepta viuunt: quando non ad  
vindicanđum nos, sed ad utilitatem eorum, qui  
male viuunt, ex dilectione, & amore fraterno ira-  
scimur, cum congrua honestate. Irascimini enim,  
inquit, & nolite peccare, hoc est, ne in irascendo  
erretis, ira male vtentes. Nos quoque fratres inter  
nos inuicē vocauit, vt pote eundē habētes Deum,  
eundēque primū parentem, eandem naturā, &  
eandem fidem, eandem præcepta, & eadē promissa  
præmiorum. Vide autem quid addiderit. Radicem  
sane cædis incidit: qui enim ita nō irascitur, nun-  
quam ad cædem peruenit: sicut neque is, qui ra-  
dicem amputat, ramum vnquam germinare sinet.  
† *In libro Exodi dicitur: Non occides: & post multa; Si  
quis aliquem percusserit, morte moriatur, &c.*  
† *Quicumque autem dixerit fratri suo racha, & reus erit  
concilio.* Superius quidem eum, qui leuiter irasce-  
batur, condemnauit: hic autem eum, qui ad verba  
vsque procedit. Rhaca autē vox est Hebraica, idē  
significās quod, Tu. Quia enim irascitur quispiam  
in alterum, ex nomine ipsum nolens appellare,  
quasi

*Exod. 21.*

*2. Reg. 6.*

*2. Reg. 6.*

*Exod. 21.*

*2. Reg. 6.*

†

†

quasi

quasi nomine indignum, loco nominis ponit, Tu,  
in signum iræ, & abominationis. Hūc autem con-  
demnauit, veluti communem naturā abominan-  
tem: & seniorum populi cōcilio reum ipsum con-  
stituit, vt ab eis obiurgetur.

† *Vide quā miserum est, in aliena versari lingua: nam  
à רַחַבָּא spuit, fit רַחַבָּא, quod vacuum significat, vel  
temporalibus rebus, vel intellectu. vnde 2. Reg. 6. רַחַבָּא  
הַרְעִימִי, habemus translatum, scurra. Sanctus vero Pa-  
gimus transulit fatuum. רַחַבָּא Gehennam ad verbum  
sonat Vallis hinnom. Nam erat locus prope Hierusalem  
in prædio cuiuspiam, qui Hinnom dicebatur, in quo pri-  
mum Israelitæ filios suos viuos cremabant idolo Moloch.  
De quo 2. Reg. 23. vbi dicitur, Iosias locū hunc  
contaminasse proiciendo in eum cadavera fetida, & alias  
quasque immunditias, & huic vsui deinceps deputa-  
tus est.*

Quicumque vero dixerit, Fatue, &c. Hunc magis  
condemnauit, vt pote auferentem a fratre men-  
tem, qua ab irationalibus distamus: vel potius  
tanquam iniuriosum contra fidem. Si enim fide-  
lis frater fatuus est, vt ille dicit, fatua est fides eius.  
Hic autem primum manifestatur nomen gehenna  
ignis. Hanc vero gehennam vocari dicūt qui-  
dam, quasi semper γένωσκαι, id est, generantem  
ignem. Alij vero Hebraicum nomen dicūt, huius-  
modi supplicium significans. Si igitur has, quæ à  
nobis leues iudicantur, iniurias ita punit, qua  
condemnatione digni sumus, qui graues contra  
fratres incessanter effundimus? Eas itaque, quæ  
leues videntur, propter graues punit, vt illas  
timendas iudicantes, ducamus has formidabilio-

res. Tum etiam, quia iratis non magnæ solum ini-  
uriæ sed & paruæ frequenter ad cædes prouo-  
cant, iram ad scintillæ modum accendentes. *Si  
ergo obtuleris munus tuum ad altare, &c.* Omnia,  
quæ superius dixit, & quæ nunc dicit, quæ-  
que postea diciturus est, de dilectione sunt, quam  
frequenter ponit, ac diuersimode laudat, sicut in  
progressu sapius inueniemus. Quum enim esset  
Deus, nostri amore homo factus est, omniaque  
passus, vt & nos Deum ac nos inuicem amaremus  
& per dilectionem nobis mutuo colligaremur,  
vnumque corpus efficeremur, caput habentes  
Christum. Ideoque pugnae neruos præcidens, que  
dilectionem corrumpunt, auferit. Considera ergo  
amoris erga homines magnitudinē. Despiciat ho-  
norem, qui sibi exhibetur præ amore erga fratres,  
tantum non dicens; Auferatur seruitus mea, vt tu  
fratri reconcilieris: Nam sacrificium etiam est, erga  
fratrem reconciliatio: neque illam absque hac  
suscipit. Restat igitur, vt, siue laudes Deo reddas,  
siue orationē (siquidem etiam hæc sacrificia sunt)  
siue aliud quodcunque, ne proferas illa, fratri tuo  
irreconciliatus, sciens quod nihil horum sit susce-  
pturus, nisi prius reconcilieris. Ferrur autem in-  
differenter sermo, & ad eum qui affectus est iniu-  
ria, & ad eum, qui iniuriam irrogauit. Et siquidem  
male passus es, iniuriam illi remitte, & patiens esto:  
quod si iniuriam irrogasti, medere iniuriæ, nihil-  
que relinquo eorum, quæ ad reconciliationem  
faciunt. Docuit igitur, quod, cuius sacrificiū pro-  
pter inimicitiam non suscipitur, huius quoque vi-  
ta omnis Deo est abominabilis.



DOMINICA VI. POST  
PENTECOSTEN.

M A R C. 8.



**N**illo tempore: Cum turba multa esset cum Iesu, nec haberēt quod

<sup>a</sup> Materiam micæculi præmittit.

<sup>b</sup> Scilicet suis.

<sup>a</sup> manducarent, conuocatis <sup>b</sup> discipulis ait illis: Misereor super tur-  
bam, quia ecce iam triduo sustinent me, nec habent quod mandu-  
<sup>c</sup> Ideo. <sup>d</sup> Iudei de prope lege & prophetis edocti, gentes de longe veniunt ad Christum, nullis doctoribus de eius  
fide præmonita.

cent: & si dimisero eos ieiunos in domum suam, deficient in via. <sup>d</sup> Quidam  
enim ex eis de longè venerunt. Et responderunt ei discipuli sui: vnde istos quis  
poterit hic saturare panibus in solitudine? Et interrogabat eos: Quot panes ha-  
betis? Qui dixerunt: Septem. Et præcepit turbæ discumbere super terram. Et  
<sup>e</sup> Hieron. septem dona spiritus sancti. <sup>f</sup> Ostendit quantum gaudeat de salute nostra. Et nos docet gratias agere de carnali & spiritualli  
refectione. <sup>g</sup> Sacramenta aperuit. <sup>h</sup> Quia spiritualem scientiam tradidit eis, & per eos aliis.

accipiens <sup>e</sup> septem panes <sup>f</sup> gratias agens, <sup>g</sup> fregit, & <sup>h</sup> dabat discipulis suis, vt

<sup>i</sup> Libros noui testamenti.

apponerent: & apposuerunt turbæ: & habebant <sup>i</sup> pisciculos paucos: & ipsos be-  
<sup>k</sup> Attente audiendo. <sup>l</sup> Edent pauperes & saturabuntur. <sup>m</sup> Plene perficiendo.  
nedixit, & iussit apponi. Et <sup>k</sup> manducauerunt & <sup>l</sup> saturati sunt, & <sup>m</sup> sustulerunt  
quod



quod <sup>in</sup> ſuperauerat de fragmentis ſeptem <sup>o</sup> ſportas. Erant autem qui manducauerant quaſi <sup>p</sup> quatuor millia & dimiſit eos.

### GLOSSA ORDINARIA in ſuperius Euangelium.

**M**ISEREOR *ſuper tur.* Quia verus homo miſeretur & cōpatitur affectu humane fragilitatis. Quod de ſeptē panibus & paucis piſciculis quatuor millia hominum ſatiavit, diuinæ potentie opus eſt, contra Euthyctis errorē. *Triduo ſuſtinet.* Quare triduo ſuſtinerent Matthæus dicit ſic: Et aſcendens in montem ſedebat ibi, & acceſſerunt ad eum turbæ multæ, habentes ſecum muros, cœcos, claudes, debiles, & alios multos, & proiecerunt eos ad pedes eius, & curauit eos. Turba triduo dominum ſuſtinet propter ſanationem infirmorum ſuorum, cum electi quique fide ſanctæ trinitatis lucidi, domino pro ſuis ſuorumque peccatis, anime peccantis, ſcilicet languoribus inſtanter ſupplicant. Item. Turba multa triduo dominum ſuſtinet, cum multitudo fidelium peccata ſua per poenitentiam declinans ad dominum ſe in opere in locutione & cogitatione conuertit. *Bed.* Myſticè. Hoc miraculo deſignatur, quod viam præſentis ſeculi, aliter incolumes tranſire nequimus, niſi alimento verbi ſui Chriſtus nos reficiat. Hoc verò typicè inter hanc reſectionem, & illam quinque panum & duorum piſcium diſtat, quod ibi litera ve. te. ſpirituale gratia plenè deſignatur: hic noui teſtamenti veritas & gratia miniſtranda monſtratur. Vtraque autem reſectio in monte celebrata eſt, vt aliorum euangelistarum narratio declarat: quia vtraque ſcriptura reſectio intellecta prædicat altitudinem celeſtium præceptorum & præmiorum, & altitudinem Chriſti qui eſt mons in vertice montium. Ipſe enim ædificatam ſuper ſe ciuitatem, id eſt, eccleſiam in alta bonorum operum extollit, & cunctis manifeſtat. Ipſe ab inſimis delectationibus abſtractam pane cæli reficit, atque ad appetitum ſuperne ſuauiſſimæ cibi ſpirituale dato pignore accendit. *Si di. eos.* quia cōuerſi peccatores in præſentis vitæ via deſiciunt, ſi in ſua conſcientia ſine doctrinæ pabulis dimittantur. *De longè.* Mora. Qui nihil carnalis corruptionis expertus, ad ſeruitutem Dei feſtinat, de longinquo non venit, qui etiam nulla impudicitia, nullis flagitiis inquinatus, ſolum autem coniugium expertus, nec iſte de longinquo. Alij poſt multa flagitia veniunt: & ideo de longinquo. *Septem.* *Bed.* Myſterium eſt noui teſtamenti, in quo ſeptiformis ſpiritus gratia plenius creditur & datur. Nec ſunt panes hordeacei, ſicut illi quinque, de quibus quinque millia hominum ſatiata ſunt, ne ſicut in lege, vitalis anime alimentum corporalibus ſacramentis tegetur. Hordei enim medulla tenaciſſima tegitur palea. Hierony. Septem panes, ſeptem dona ſpiritus ſancti. Quatuor millia, annus noui teſtamenti: cum quatuor temporibus. Septem ſportæ: ſeptem primæ eccleſiæ. Fragmenta panum myſtici intellectus primæ ſeptimane ſunt. Piſciculi benedicti: libri noui teſtamenti: quomodo piſcis aſſi partem reſurgens poſtulat, & piſcem ſuperpoſitum prunis diſcipuli

in captura piſcium porrigit. *Super ter.* *Bed.* In reſectione quinque panum turba ſupra fœnum diſcubuit: quæ autem ſeptem panibus reſectio eſt, ſuper terram diſcumbere præcipitur: quia per legem carnis deſiderium calcare iubemur quæ eſt fœnum. Omnis caro fœnū. In nouo autem teſtamento ipſam quoque & facultates temporales relinquere iubemur. Vel quia mons in quo fit reſectio, Chriſti altitudinem ſignificat: ibi ſupra fœnum, hic ſupra terram reſecit: quia Chriſti ceſtudo ibi propter carnales homines & Hieruſalem terrenam carnali ſpe & deſiderio regitur: hic autem remora omni cupiditate carnali conuiuas noui teſtamenti ſpei permanentis firmamentum tanquam ipſius montis ſoliditas nullo fœno interpoſito cōtinet. *Piſcium.* *Bed.* Sanctos illius temporis, per quos eadem condita eſt ſcriptura: vel quorum ipſa ſcriptura: fidem, vitam & paſſiones continet, qui de fluctibus ſeculi erepti, & diuina benedictione conſecrati reſectionem nobis, ne in huius mudi excurſu deſiciamus vitæ ſuæ & mortis ſuæ exemplo, præbuerunt. *Manducauerunt.* *Bed.* Sunt multi qui quamuis omnia ſua relinquere, & altiora huius mundi nequeant implere, tamen eſurientes & ſitientes iuſtitiam ſaturantur, cum audientes mandata Dei ad vitæ perueniunt æternam. *Quod ſi.* *Bed.* Altiora præcepta vel exhortamenta, & conſilia, quæ generalis fidelium multitudo nequit attingere ſicut hic: Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia quæ ha. &c. *Septem ſpor.* Septem ſportæ, ſpiritus ſancti gratia ſeptiformi repleti. Fiunt enim ſportæ de iunco, & palmarum foliis. Iuncus naſcitur ſuper aquas, palma vitæorem coronat. Sancti quoque ne ab humore æternitatis areſcant, in ipſo vitæ fonte ſe collocant, & æternæ retributionis palmam expectant.

### CATENA AVREA in idem Euangelium.

**I**N diebus illis iterum cum turba multa eſſet, nec haberent quod manducarent, conuocatis diſcipulis, ait illis, *Miſereor ſuper turbam, &c.* Theoph. Poſtquam dominus ſuperius miraculum de multiplicatione panum perpetrasset, nunc iterum occasione habita congruenti adducit ſimile miraculum operari. vnde dicitur, *In die il. ite. cum tur. &c.* Non enim ſemper circa alimenta miracula faciebat, ne propter cibum, ipſum ſequerentur. Et nunc igitur hoc miraculum non feciſſet, niſi quia videbat turbis periculum imminere: vnde ſequitur, *Et ſi di. eos, &c.* Quidam enim, &c. *Bed.* Quare triduo ſuſtinet de longè venientes? Matth. plenius dicit ſic, Et aſcendens in montem ſedebat, & acceſſerunt ad eum turbæ multæ, habentes multos infirmos, & proiecerunt eos ad pedes eius, & curauit eos. Theoph. Diſcipuli adhuc non intelligebat, nec virtuti eius propter priora miracula credebant: vnde ſequitur, *Et reſpon. ei diſc. &c.* Ipſe autem dominus non eos vituperat: ex hoc intruens nos quod non debemus ignorantibus & non intelligentibus grauiter irari, ſed eorum ignorantia

compati: vnde ſequitur, *Et inter eos, Quot panes ha. Qui dixerunt, ſeptem.* Rem. ſuper Mat. Non ideo interrogauit, quia ignoret quod haberent: ſed vt dum illi reſpondet ſeptem, quo pauciores eſſent, eo magis miraculum diſſamaretur, & notius fieret. *Sequitur, Et præ. tur. diſ. ſuper ter.* In ſuperioribus reſectione ſupra fœnum diſcubuiſſe dicuntur: hic verò ſuper terram. *Sequitur, Et ac. ſep. pa. gra. agens ſp.* In eo quod gratias egit, nobis reliquit exemplum, vt de omnibus donis nobis cælitus collatis illi gratias referamus. Et notandum quia dominus panes non dedit turbæ, ſed diſcipulis: diſcipuli autem dederunt turbis: ſequitur enim, *Et dab. diſ. &c.* Non ſolum panes, ſed & diſcipulos benedicens iuſſit apponere. *Sequitur enim, Et habebant piſciculos pau. &c.* *Bed.* In hac ergo lectione conſideranda eſt in vno eodemque redemptore noſtro diſtincta operatio diuinitatis & humanitatis: atque Euthyctis error, qui vnam tantum in Chriſto operationem dogmatizare præſumit, procul à Chriſtianis ſcribis expellendus. Quis enim non videat hoc quod ſuper turbam miſeretur dominus, affectum eſſe & cōpaſſionem humane fragilitatis? Quod autem ſeptem panibus & piſciculis paucis quatuor millia hominum ſatiavit, diuinæ opus eſt virtutis. *Sequitur, Et ſi. quod ſi. &c.* Theoph. Turbæ comedentes & ſaturatæ nō ſecum tollunt panum reliquias, ſed ipſas diſcipuli ſuſtulerunt, ſicut & ſuperius cophinos. In quo ſecundum hiftoriam diſcimus, quoniam oportet nos his quæ ſufficiunt eſſe contentos, & non quærere vltra. Deinde numerus manducantium deſcribitur, cum dicitur, *Erant autem qui man. quaſi quatuor millia, &c.* Vbi conſiderandum eſt quod Chriſtus neminem ieiunum dimittit, omnes enim vult ſua gratia enutriti. *Bed.* Hoc verò typicè inter hanc reſectionem, & illam quinque panum & duorum piſcium diſtat, quod ibi litera ver. teſta. ſpirituale gratia plena ſignificata eſt, hic autem veritas & gratia noui teſt. fidelibus miniſtranda monſtrata eſt. Turba autem triduo dominum ſuſtinet propter ſanationem infirmorum, vt Matth. narrat. cum electi in fide ſanctæ trinitatis pro peccatis perfeueranti inſtantia ſupplicant. Vel quia ad dominum ſe opere, locutione atque cogitatione conuertunt. Theoph. Vel per eos qui per triduum expectant, ſignat baptizatos. Baptismus enim illuminatio dicitur, & trina ſubmerſione perficitur. Gregor. i. mor. Non vult autem eos ieiunum dimittere, ne deſiciant in via: oportet enim quod in prædicatione verbum conſolationis accipiant, ne à veritatis pabulo ieiuni remanentes in huius vitæ labore ſuccumbant. Ambroſ. ſuper Luc. Bonus quidem dominus ſtudia exigit, vires miniſtrat, non vult ieiunum dimittere ne deſiciant in via, hoc eſt vel in iſtius curſu vitæ, vel antequam ad caput vitæ perueniant, ſcilicet ad patrem, & intelligant quod ex patre Chriſtus eſt: ne fortè cum acceperint quod natus ex virgine eſt, incipiant non Dei virtutem, ſed hominis æſtimare. Diuidit ergo eſcas dominus Ieſus, & ille quidem vult dare omnibus, negat nemini, diſpenſator eſt omnium: ſed cum ille panes frangat vt det diſcipulis, ſi tu manus tuas non extendas vt accipias tibi eſcas, deſicies in via, nec poteris in eum culpam referre qui miſeretur & diuidit. *Bed.* Qui verò poſt carnis flagitia, poſt furta, violentias, & homicidia ad poenitentiam redeunt, ad

dominum de longinquo veniunt. Quot enim quiſque plus in prauo opere errauit tantò ab omnipotente Deo longius receſſit. Credentes de genibus de longè venerunt ad Chriſtam, Iudæi verò de propè, qui legis & prophetarum erant literis edocti ex illo. Suprà autem in reſectione quinque panum turbæ ſuper fœnum viride diſcumbebat, hic autem ſuper terram: quia per ſcripturam legis deſideria carnis comprimere iubentur. In nouo autem teſt. ipſam quoque terram, ac facultates temporales relinquere præcipimur. Theoph. Septem autem panes ſunt ſpirituales ſermones, nam ſeptenarius numerus ſpiritus ſancti ſignificatiuus eſt, qui perficit omnino: in ſeptenario enim numero dierum, noſtra vita perficitur. Hierony. Vel ſeptem panes dona ſunt ſpiritus ſancti, fragmenta panum myſtici intellectus ſunt huius ſeptimane. *Bed.* Quod enim dominus panes fregit, apertionem ſignificat ſacramentorum: quod gratias egit, oſtendit quantum de ſalute humane generis congaudeat: quod panes diſcipulis dedit vt turbæ apponerent, ſignificat quia ſpirituale dona ſcientiæ tribuit apoſtoliſ, & per eorum miniſterium voluit eccleſiæ vitæ cibaria diſtribui. Hieron. Piſciculi benedicti libri ſunt noui teſt. quoniam piſcis aſſi partem dominus reſurgens poſtulat: vel in piſciculis ſanctos accepimus, quorum ſcriptura no. teſt. fidem, vitam, & paſſiones continet, qui è turbulentis huius ſeculi fluctibus erepti, reſectionem nobis internam exemplo ſuo præbuerunt. *Bed.* Quod autem turbis ſaturatis ſupererat, apoſtoli tollunt: quia altiora perfectionis præcepta, quæ turba nequit attingere, ad illos pertinent qui generalem populi Dei conuerſationem tranſcendunt: & tamen turba ſaturata eſſe memoratur, quia eſi ſua relinquere nequeant neque explere quod de virginibus dicitur, tamen audiendo mandata legis Dei, ad vitam perueniunt æternam. Hierony. Septem autem ſportæ, ſeptem eccleſiæ. Quatuor millia, annus eſt no. teſt. cum quatuor temporibus. Bene etiam quatuor millia ſunt, vt in ipſo numero docerent euangelicis ſe paſtos eſſe cibariſ. Theoph. Vel quatuor millia ſunt, id eſt, quatuor virtutibus perfecti: & propter hoc veluti fortiores plura comedentes, pauciora reliquerunt. In iſto enim miraculo ſeptem ſportæ remanent, in miraculo autem quinque panum duodecim cophini: quia quinque millia erant, id eſt quinque ſenſibus ſeruietes, & propter hoc non potuerunt comedere, ſed paucis contenti multæ ſuperabundant reliquæ fragmentorum.

### S. HIERONYMI PRESBYTERI in idem Euang. expoſitio.

**I**N diebus illis iterum cum turba, &c. Vndecim virtute ſeptē panes quatuor ie. unis millibus franguntur, & parui piſciculi benedicti, & de fragmentis ſeptem ſportæ plenè ſuſtolluntur. Septem panes dona ſunt ſeptem ſpiritus ſancti: Quatuor millia annus eſt noui teſtamenti cum quatuor temporibus. Septem ſportæ primæ ſeptem eccleſiæ. Fragmenta panum myſtici intellectus primæ ſeptimane ſunt. Piſciculi benedicti libri ſunt noui teſtamenti: quoniam piſcis aſſi partem Dominus reſurgens poſtulat & piſcem ſuperpoſitum primis diſcipulis in captura piſcium porrigit. *Bibl. Hom. tom. 3. K k S. 10.*

*Falsò videtur Hieron. tribuit.*

S. IO. CHRYSOSTOMI  
Episcopi Constantinop. in idem  
Euang. Homilia.

Homil. 8. in  
Marc.  
Non est Chry-  
sostomi, sed po-  
pulus Latini ali-  
cuius.  
Homilia hæc  
desideratur.

**I**n diebus illis, cum turba multa esset cum Iesu, nec ha-  
beret quod manducaret, &c. In superiori parte le-  
gimus, quonia dominus pauerit de quinque pa-  
nibus quinque millia hominum. Et de reliquis  
lenati sunt duodecim cophini fragmentorum. In  
illa parabola, quicquid visum fuerat, illo tempo-  
re disputauimus. Hæc verò historia, quæ nunc le-  
cta est, & alia est, & ipsa est. Ex parte enim similis  
est, & ex parte dissimilis. In illa historia legimus,  
quod, qui pasti sunt, pasti sunt in deserto; in ista  
verò legimus, quod, qui pasti sunt, in monte pa-  
sti sunt. Primum volo dicere, quid sit dissimile.  
Debemus enim scire venas ipsas, carnesque scri-  
pturarum, vt, cum intellexerimus ipsam scriptu-  
ram, postea sensum videre possimus. Ibi legimus,  
quia quinque millia fuerint, qui pasti sunt, hæc ve-  
rò legimus, quod quatuor millia fuerunt. Ibi legi-  
mus, quod quinque panes fuerint: hic legimus,  
quod septem panes fuerint. Ibi legimus secun-  
dum euangelium Ioannis, quod quinque panes  
hordeacei fuerint; hic verò legimus, quod isti pa-  
nes septem frumentatij sunt, videtis ne differen-  
tiam, videtis, quia ipsum est, & nō ipsum est. Non  
debemus igitur scripturas negligenter legere, hoc  
solum est dissimile, nihil est aliud. Videamus quid  
scriptura dicat: ibi legimus, quonia populus, qui  
pascitur, vna die tantum fuit cum Iesu: & pascun-  
tur, non ad meridiem, sed ad vesperam, declinan-  
te sole. Isti verò, hoc est, quatuor millia, qui septē  
panibus pascuntur frumentitijs; quid dicit de il-  
lis ipse Iesus, non Apostoli, sicut in superiori? Ibi  
enim Apostoli dicunt: Ecce die tota expectant te:  
hic verò ipse saluator loquitur; *Ecce iam triduo su-  
stinent me.* Vide quæ sit differentia inter vnū diem,  
& tres. Ibi ab Apostolis dominus rogatur, vt pas-  
cat: hic apostolos commonet dominus, vt pascat.  
Hic quid dicit: *Si dimisero eos ieiunos in domum suā,  
deficient.* Digni erant solitudine domini, qui tri-  
bus diebus expectauerant dominum. Deinde vi-  
deamus & alia. Quinque millia hominum quin-  
que panes comedunt: & de quinque panum reli-  
quijs implentur duodecim cophini. Hic quatuor  
millia hominum: minor quidem est numerus. Ibi  
enim quinque millia, hic quatuor. Quatuor mil-  
lia ergo hominum comedunt septem panes: mi-  
nor scilicet numerus plus comedit. Multi enim  
sunt vocati, pauci verò electi. Videte quid dicat;  
Quatuor millia hominum comedunt septem pa-  
nes: de quinque panibus implentur duodecim  
cophini. De septem panibus implentur septem  
sporte: de minori numero minus remanet, de ma-  
iori numero plus remanet. Isti enim quatuor mil-  
lia, minor quidem in numero: cæterum maior in  
fide. Quia maior in fide, plus comedit: & quia  
plus comedit, minus ei remanet. Vtinam & nos  
panes frumentitios de scripturis plus comedere  
possimus, & minus nobis remaneat in scientia.  
Multa sunt, quæ dicantur; cæterum, quia in priori  
parabola iam explicata sunt, tantum voluimus  
differentiam parabolarum dicere. Etenim sensus  
in priori dictus est. Sequamur autem vestigia san-  
cti presbyteri. Et quoniam ipse de principio Psal-  
mi plenius disputauit, nos reliqua percurreremus:

Intelligit for-  
te Episcopus  
nam priores  
partes Episco-  
po cedebant,  
reliqua perso-  
nibus pres-  
byteris, vt est  
apud Clemen-  
tem.

præstante domino, qui viuunt, & regnat in secula  
seculorum, Amen.

S. AVGVST. EPISCOPI  
Hippon. in superius Euang.  
Homilia.

**A**leitudinem diuinitatis suæ, & misericordiam  
humanitatis multis & variis modis in scri-  
pturis sanctis dominus noster Iesus Christus  
ostendit, quemadmodum solet in mysterijs, & sa-  
cramentis, vt & petentes accipiant, & quærentes  
inueniant, & pulsantibus aperiantur. Omnia enim  
quæ in hoc mundo sub fragilitate nostra exhibuit  
miracula, nobis proficiunt. Non vtique sine cau-  
sa faciebat ea dominus, vel quasi frustra, & ina-  
niter. Verbum Dei est Christus, qui non solum  
sonis, sed etiam factis loquitur hominibus. Hoc  
enim etiam, quod hodie de sancto Euangelio le-  
ctum est, querit intellectorem, & cum fuerit in-  
tellectum, spiritaliter facit gaudium. Et in hac le-  
ctione simul consideranda est in vno, eodémque  
redemptore nostro disincta operatio diuinitatis,  
& humanitatis, atque omnimodis detestandus  
error Eutychetis, qui vnam tantum in Christo  
dogmatizare præsumit operationem. In alterutra  
enim parte vel qui solum hominem fuisse dixerit,  
gloriam negabit cõditoris: vel qui solum Deum,  
negabit misericordiam redemptoris. Nempe quod  
super turbam miseretur dominus, ne vel inedia,  
vel longioris viæ deficiat labore, nouerimus af-  
fectum esse, atque compassionem humanæ fragi-  
litate. Quod autem de septem panibus, & pau-  
cis piscibus satiauit quatuor millia hominū, cre-  
dimus diuinæ opus esse virtutis. Attendat ergo  
sanctitas vestra, quia hoc nobis propositum est,  
quod cum vestra charitate tractemus, quid sibi  
velit huius rei tantum mysterium, quod eo mo-  
do se Deum discipulis demonstrasse sancta testa-  
tur scriptura, quomodo Euangelium narrat. Ait  
enim Euangelista in hodierna lectione, *Cum multa  
turba esset cum Iesu, nec haberent quod manducarent,  
conuocatis discipulis ait illis, Misereor turbe huius.* Sed  
requiramus quod ait superius. In illis diebus cum  
turba multa esset. Superius enim accesserunt Iu-  
dæi ad Saluatorem, accusantes discipulos eius, eò  
quod non lotis manibus manducaret. Quos do-  
minus redarguit, quia quæ de corde mala proced-  
dunt, ea potius hominem coinquinarent. Et reli-  
ctis illis, venit in sinibus gentiū, vbi mulier Cha-  
nanæ, quæ est mater gentilium, pro filia sua, id  
est, Ecclesia dominum deprecatur. Quæ tandiu  
postulauit, donec acciperet quod petebat. Post  
hæc iterum curauit mutum & surdum. Ergo in  
his diebus cum multitudo populi concurrisset,  
nec haberet quod manducaret. Turbas enim  
hic omnes gentis significare creaturas intelli-  
gimus, pro quibus ipse dominus misericordia com-  
mouetur, quod non haberent, quod manduca-  
rent. Hic spiritaliter debemus intelligere, quod  
ideo non habebant, quod manducarent, quia  
gentes legem non habebant, id est, quinque li-  
bros Moysi, non Prophetas, non prædicationem  
sancti Ioannis, quia gentes non per legem, sed  
per fidem venerunt ad redemptorem. Ideo triduo  
perseuerant, hoc est, in natiuitate, in passione, in  
resurrectione domini, siue in patre, & in filio, &  
in spiritu

Sermo 30.  
de temp.

Athie post.  
Augustinus  
tem suam ha-  
refim intru-  
dit.

Mar. 7.

Ibidem  
Mar. 8.

**M**atth. 10. in spiritu sancto. Perseuerare enim permanere  
est in confessione, sicut ipse dominus ait, *Qui au-  
tem perseuerauerit vsq; in finem, hic saluus erit.*  
Dicit ergo dominus, *Non habent quod mandu-  
cent.* Quia legem non habent, & dimittere eos  
ieiunos nolo, ne deficiant in via: vt qui per fidem  
Christi crederunt, per fidem Christi saluentur.  
Quidam autem ex his de longe venerunt. Longè  
enim erant gentes à Deo, errando per idola. Et  
modò omnis qui peccat, longè est à Deo. Dicunt  
discipuli eius: *Vnde istos quis poterit saturare  
panibus in solitudine? Adhuc Apostolos tenebat  
incredulitas, donec mysteria reuelarentur, nec re-  
cordabantur quod fecerat de quinque panibus,  
& duobus piscibus.* Et interrogauit eos Iesus, *quos  
panes haberent.* Qui dixerunt, *septem.* Et præcepit turbæ  
vt discumberent super terram. Et accipiens panes gra-  
tias egit, & dedit discipulis suis, vt apponerent. Et pisces  
similiter benedixit, & posuit ante illos. Et manducauerunt  
& saturati sunt, & susculerunt septem sordas plenas.  
Erant autem qui manducauerunt quasi quatuor millia  
extra mulieres & infantes. Et virtutes quidem do-  
mini manifestissimè credimus esse factas in præ-  
senti, sed quid lateat in mysterio, ipsius gratia do-  
nante requiramus. In superiori enim lectione de  
quinque panibus, & duobus piscibus quinque  
millia hominum satiauit: hic septē panibus satia-  
rauit quatuor millia hominum: ibi discipuli fugi-  
gerunt domino dicentes, *Locus desertus est, & hora  
præterit, dimitte turbas vt euntes in castel-  
la emant sibi escas.* Hic penitus tacent discipuli,  
sed ipse dominus pro eis sollicitus est. Videamus  
quare tacent. Quia necdum missi fuerant prædi-  
care gentibus, sed potius ad oues perditas domus  
Israël. Prior ergo illa parabola pertinet ad Iu-  
dæos, ista verò ad gentes. Ibi quinque panes fue-  
runt, hoc est quinque libri Moysi. Hic vero septē  
panes, qui sunt septiformis spiritus dona, sicut ait  
sanctus Elias Propheta, *Spiritus sapientiæ, & in-  
tellectus, spiritus consilij, & fortitudinis, spiritus  
scientiæ, & pietatis,* & replebit eum spiritus timo-  
ris domini. Ibi duodecim cophini pleni spi-  
ritu sancto, hic septem Ecclesiæ siue septem can-  
delabra aurea, siue vnus liber omnium prophetarum, vel  
sancti Ioannis prædicatio: hic indefinitus nume-  
rus ponitur, quæ sunt dona gratiarum, sicut ait  
Apostolus, *Alij per spiritum datur sermo sapien-  
tiæ, alij sermo scientiæ, alij prophetia, alij genera-  
linguarum, alij interpretatio sermonum, omnia  
vero hæc operatur vnus, atque idem spiritus.* Ibi  
super fornax recumbunt, & hic super terram.  
Vtrinque vna conuersatio, vna gratia, vna virtus,  
vna deitas. Ibi super fornax discumbunt, hoc est,  
mortificata opera carnis: quia, *Omnis caro sce-  
nū,* ait Propheta. Hic super terram discumbunt, id est,  
opera terrena conculcant. Ibi quinque millia re-  
fecti, qui numerus pertinet ad Iudæos. Nam post  
ascensionem domini loquente sancto Petro, quin-  
que millia sunt baptizati. Hic autē quatuor mil-  
lia, hoc est, de tota terra omnes gentes à quatuor  
cardinibus cæli, de septiformi sancti spiritus  
gratia esse repletas in vitam æternam. Et ideo, di-  
lectissimi, nos, qui non per legem, sed per fidem  
credimus in domino nostro Iesu Christo, qui nō  
ex operibus, sed ipsius gratia sumus redempti,  
qui non ex quinque panibus, id est, ex quinque  
libris Moysi, sed ex septiformi gratia spiritus

sancti sumus repleti, sicut beatus Esaias propheta  
tauerat dicens, *Spiritus sapientiæ & intellectus,  
spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ  
& pietatis, & replebit illum spiritus timoris do-  
mini.* In hac ergo septiformi spiritus sancti gra-  
tia maneamus; in qua vocati sumus, repleti do-  
no spiritus sancti, per dominum nostrum Iesum  
Christum, qui viuunt, & regnat in vniuersitate eius-  
dem spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum,  
Amen.

VICTORIS ANTIO-  
cheni eiusdem Euang. expositio.

**V**T dominus, iam antè, quo hac via & ratione  
populum ad fidem alliceret, escas multipli-  
cauerat; ita nunc denud idem signum instaurat:  
vtrobique commoda occasione, quæ se offerebat,  
ad hoc vnus. Ea autem præsentis loco erat, inuisita  
plebis, quæ eum sequebatur, perseuerantia. Nam  
triduo vt hic scribitur, illum iam sustinerant.  
Etenim, cum panes non haberent, neque commo-  
dè in deserto habere possent citra detrimenti  
cuiuspiam periculum, imprans dimittere non po-  
terant. Quod si eiusmodi necessitas non vrssisset,  
seruator vtrique consuetam miraculorum virtu-  
tem hic non ostendisset: siquidem turbæ non se-  
stabantur illum propter corporalem annonam:  
sed propter spiritalem escam, & si interim ex to-  
to numero nō deessent, qui huc quoque scopam  
præfixam haberent; notum est enim illud Chris-  
ti: *Queritis me, non quia vidistis signa, sed quia  
manducastis ex panibus, & saturati estis.* Quos  
proinde ad maioris momenti res perquirendas  
exhortatur: nempe ad fidem in ipsum: Nam ex  
vna hac non tempoream, sed sempiternam vi-  
tam, & vtilitatem haurire licebat. Facta namque  
inter temporalem & mysticum cibum compara-  
tione, & ad hunc magis, quam ad illum inqui-  
rendum impellens: Operamini, inquit, non  
cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam æter-  
nam. *Vnde illos quis poterit hinc saturare panibus?* A po-  
stoli miraculum, quod fidei conciliandæ causa  
Dominus in panis multiplicatione denuo repe-  
tere constitutum habebat, non intelligentes, *Vnde,  
aiebant, illos quis poterit hinc saturare panibus in soli-  
tudine?* Etenim humanæ rationis iudicium con-  
sulescentes, rem illam fieri omnino non posse existi-  
mabāt. Et interrogauit eos, *quot panes habetis?* Non  
ignarus, quid in parato erat, interrogat: verum  
quod hac ratione discipulorum animos in virtutis  
suæ considerationem excitet. Et præcepit turbæ di-  
scumbere. Tanta potentia Christi vis & prompti-  
tudo erat, vt audito tantum panum numero, nihil  
titudinem statim ad epulandum accumbere ius-  
serit, certus, apparatus illum, tamen si exiguum,  
in omnes abundè futurum satis. Et accipiens septem  
panes gratias agens fregit. Quasi cæterorum homi-  
num more, virtutem & energiam circa id, quod  
propositum erat, à Deo accipiat, gratias illi agit,  
cum tamen eiusmodi vim non aliunde, vt sancti  
viri solent; sed à seipso peteret; huc enim ea Euā-  
gelistæ Lucæ oratio spectat: *Virtus de illo exibat,  
& sanabat omnes.* Et dabat discipulis, vt apponerent.  
Vt alibi semper; ita hic quoque Dominus deco-  
rum seruat. Virtutem namque discipulorum opera  
ad ministerium: Quandoquidem alijs ministra-  
Bibl. Hom. tom. 3. K k 2 re,

Ioan. 6.

Ioan. 6.

re, secundum discipulatus rationem Apostolis ex instituto incumbere. Sed & paucos illos pisciculos quoque, quos habebant, benedixit, & apponi iussit. *Et manducauerunt, & saturati sunt.* Omni ex parte miraculum fit manifestum: Primum quidem ex eorum saturitate, qui epulari fuerat: mox vero ex escharum copia, quæ superfuerant: Postremo autem ex eorum multitudine, qui ad saturitatem usque manducauerant. Cæterum hæc tenus tantum benefactoris munere vti sunt conuiuæ, quatenus necessitas postulabat. Nam etsi magna reliquiarum vis superfuisset, nihil tamen inde secum asportarunt. Admonemur autem exemplo hoc per commode, seruum vsum ex necessitate spectandum, & merendum esse: nihil autem vna, grauiori necessitate seclusa, propter habendi studium subducendum.

### BEDÆ VENERABILIS presbyteri in superius Euang. expositio.

Ex comment.  
in Marcum.

Potius dogma  
hoc fuit do-  
nohelitarum.

**I**n illis diebus iterum cum turba multa esset, nec haberent quod manducaerent, conuocatis discipulis ait illis: *Miserere super turbam, &c.* Et in hac lectione consideranda est in vno, eodemque redemptore nostro distincta operatio diuinitatis, & humanitatis: atque error Eutyctetis, qui vnam tantum in Christo operationem dogmatizate præsumit, procul à Christianis finibus expellendus. Quis enim non videat hoc, quod super turbam, miseretur dominus, ne vel inedia, vel viz longioris labore deficiat, affectum esse, & compassionem humanæ fragilitatis? Quod vero de septem panibus, & pisciculis paucis, quatuor hominum milia saturauit, diuinæ opus esse virtutis: Mystice autem hoc miraculo designatur, quod viam seculi præsentis aliter incolumes transire nequimus, nisi nos gratia redemptoris nostri alimento verbi sui reficiat. Hoc vero typice inter hanc refectioem, & illam quinque panum, ac duorum piscium distat, quod ibi litera veteris instrumenti spirituali gratia plena esse signata est, hic autem noui veritas, ac gratia testamenti fidelibus ministranda monstrata est. Sane vtraque refectio in monte celebrata est, vt aliorum euangelistarum narratio declarat: quia vtriusque scriptura testamenti recte intellecta altitudine nobis celestium & præceptorum mandata, & præmiorum: vtraque altitudinem Christi, qui est mons domus domini in vertice montium confona voce prædicat. Qui enim ædificatam super se civitatem, siue domum domini, id est, ecclesiam in altum bonorum extollit operum, & cunctis manifestam gentibus exhibet, ipse hanc ab insimilis delectationibus abstractam pane cæli reficit, atque ad appetitum supernæ suauitatis, dato pignore cibi spiritualis, accendit. *Miserere*, inquit, *super turbam, quia ecce iam triduo sustinent me, nec habent quod manducant.* Quare triduo turba dominum sustinuerit, Matthæus exponit plenius, qui ait: *Et ascendens in montem sedebat ibi. Et accesserunt ad eum turbæ multæ habentes secum mutos, cæcos, claudos, debiles, & alios multos, & proiecerunt eos ad pedes eius, & curauit eos.* Turba ergo triduo dominum propter sanationem infirmorum suorum sustinet, cum electi quique fide sanctæ trinitatis lucidi domino pro suis, suorumque peccatis, animæ videlicet languoribus,

perseueranti instantia supplicant. Item turba triduo dominum sustinet, quando multitudo fidelium peccata, quæ perpetravit per penitentiam declinans, ad dominum se in opere, in locutione, atque in cogitatione conuertit. Quos dimittere ieiunos in domum suam dominus non vult, ne deficiant in via: quia videlicet conuersi peccatores in præsentis vitæ via deficiunt si in sua conscientia sine doctrinæ sanctæ pabulo dimittantur. Ne ergo lassentur in huius peregrinationis itinere, pascendi sunt sacra admonitione. Valde autem pensanda est pia sententia, quæ processit ex ore veritatis, quæ dicitur: *Quidam enim ex eis de longe uenerunt.* Est enim, qui nihil fraudis, & nihil carnalis corruptionis expertus ad omnipotentis Dei seruitium festinauit. Ille de longinquo non venit, quia per incorruptionem, & innocentiam proximus fuit. Alius nulla impudicitia, nullis flagitiis inquinatus, solam autem coniugium expertus, ad ministerium spiritale conuersus est. Neque iste venit à longinquo, quia, vsus coniunctione concessa, per illicita non errauit. Alij vero post carnis flagitia, alij post falsa testimonia, alij post facta furta, alij post illatas iniurias, & violentias, alij post perpetrata homicidia, ad penitentiam redeunt, atque ad omnipotentis Dei seruitium conuertuntur. Hi videlicet ad dominum de longinquo veniunt. Quæto etenim quisque plus in præuo opere errauit, tæto ab omnipotente domino longius recessit. Dentur ergo alimenta eis etiam, qui de longinquo veniunt, quia conuersis peccatoribus doctrinæ sanctæ cibi præbendi sunt, vt in Deum vires reparent, quas in flagitijs amiserunt. Item Iudæi quicumque in Christo crediderunt, de prope ad illum uenerunt, quia legis, & prophetarum erant literis edocti de illo. Credentes vero ex gentibus de luge vtiqve uenerunt ad Christum, quia nullis paginarum sanctarum monumentis de eius erant fide præmoniti. *Et interrogauit eos. Quot panes habetis? Qui dixerunt: Septem.* Bene septem panes in mysterio noui testamenti ponuntur, in quo septiformis gratia spiritus sancti plenius fidelibus cunctis & credenda reuelatur, & credita datur. Neque hordeacei fuisse produntur sicut illi quinque, de quibus quinq; sunt hominum milia saturata, ne iterum sicut in lege vitale animæ alimentum corporalibus sacramentis obregeretur. Hordei etenim medulla tenacissima palea tegitur. *Et præcepit turbæ discumbere super terram.* Supra in refectioem quinque panum turba super fœnū vitide discumbebat, nunc ubi septem panibus reficienda est, supra terram discumbere præcipitur: quia per scripturam legis carnis desideria calcare, & comprimere iubemur. Omnis enim caro fœnum, & omnis gloria eius tanquam flos fœni. In nouo autem testamento ipsam quoque terram, ac facultates temporales derelinquere præcipimur. Vel certe quia mons, in quo turba dominici panibus reficiebatur, altitudinem (vt supra diximus) redemptoris nostri significat, ibi super fœnum, hic super terram reficitur. Ibi enim celsitudo Christi propter carnales homines, & Hierusalem terrenam, carnali spe, & desiderio tegitur: hic autem, remota omni cupiditate carnali, coniuuans noui testamenti spei permanentis firmamentum tanquam ipsius montis soliditas nullo fœno interposito, continetur. *Et accipiens septem panes gratias agens, &c.* Dominus accipiens panes, dabat discipulis vt ipsi acceptos

turbæ

turbæ apponerent, quia spiritualis dona scientiæ tribuens apostolis, per eorum ministerium voluit ecclesiæ suæ per orbem vitæ cibaria distribui. Quod autem fregit panes, quos discipulis daret, apertionem designat sacramentorum, quibus ad perpetuam salutem nutriendus erat mundus. Cum enim ait ipse dominus: *Et nemo nouit filium, nisi pater, neque patrem quis nouit, nisi filius, & cui uoluerit filius reuelare, quid nisi panem vitæ nobis per se aperitendum demonstrat, ad cuius interiora cernenda per nos ipsos penetrare nequimus?* Cui contra propheta miserabilem quorundam famem deplorans aiebat: *Paruuli petierunt panem, nec erat qui frangeret eis.* Quod est alijs uerbis dicere: *Indocti quæsierunt pabulum uerbi Dei, quo ad virtutem bonæ operationis conualescerent refici, nec erat, magistris deficietibus, qui eis scripturarum arcana patefacerent, eosque ad viam ueritatis instruerent.* Accepit autem ad frangendum panibus, dominus gratias agit, vt & ipse quantum de salute generis humani congaudeat ostendat, & nos ad agendas semper Deo gratias informet, cum vel terreno pane carnem, vel animam cælesti, superna gratia largiente, reficimus. *Et habebant pisciculos paucos, & ipsos benedixit, & iussit apponi:* Si in panibus septem scriptura noui testamenti designatur, in eius lectione per gratiam sancti spiritus internas mentium epulas inuenimus, quid in pisciculis, quos benedicens pariter dominus turbæ iussit apponi, nisi sanctos accipimus illius temporis, quo eadem est condita scriptura, vel quorum ipsa scriptura fides, vitam, & passiones continet: *Qui de turbulenti huius seculi fluctibus erepti, ac diuina benedictione consecrati, refectioem nobis internam, ne in huius mundi transeuntis excursu deficiamus, exempla suæ vel vitæ præbuere, vel mortis.* *Et manducauerunt & saturati sunt.* Manducant de panibus domini, ac piscibus, & saturantur, qui audientes uerba Dei, & exempla intuentes ad profectum uitæ correctionis per hæc excitant, atque assurgere festinant. Quibus apte congruit illud Psalmistæ: *Edent pauperes, & saturantur eum, & laudabunt dominum, qui requirit eum.* Viuet cor eorum in seculum seculi. Quod est aperte dicere, audiēt humiles uerbum Dei, & facient, & ad laudem non suam, sed superni largitoris cuncta, quæ bene gerunt, referent. Vnde merito ad vitam interioris hominis eternam utpote pane vitæ saturati peruenient. Cui contra tardis auditoribus per prophetam exprobratur: *Manducastis, & non estis saturati.* Manducant nanque, & non saturantur, qui panem uerbi Dei audiendo degustant, sed non faciendo, quæ audiunt, nihil ex his interne dulcedinis, quo cor ipsum confirmetur, in vtre memoriæ recipiunt. *Et sustulerunt quod superauerat de fragmentis, septem sportas.* Quod turbis saturatis superat, Apostoli sustolunt, & septem sportas implent, quia sunt altiora perfectionis præcepta, vel potius exhortamenta, & consilia, quæ generalis fidelium multitudo nequit seruando, & implendo attingere. Quorum executio illos propriè respicit, qui maiore sancti spiritus gratia pleni, generalem populi Dei conuersionem mentis, atque operis sublimitate transcendunt. Qualibus dicitur: *Si vis perfectus esse, uade, vende omnia, quæ habes, &c.* Vnde bene sportæ, quibus dominorum sunt condita fragmenta ciborum, propter

septiformem spiritus gratiam, septem fuisse memorantur. Nam, quia sportæ iunco, & palmarum foliis solent contexti, merito in sanctorum significatione ponitur. Iunco quippe super aquas nasci consuevit, palma uero uicticæ ornat manum. Et iuncea uasis recte comparantur electi, cum radicem cordis ne forte ab amore eternitatis arefcant, in ipso vitæ fonte collocant. Assimilantur & eis, quæ de palmarum sunt foliis contexta, cum indefectiuam æternæ retributionis memoriâ puro in corde retinet. Et bene turba, quamuis reliquias dominici prandij non caperet, manducasse tamen, & saturata esse narratur. Quia sunt nonnulli, qui, etsi omnia sua relinquere nequeunt, neque explere hoc, quod de uirginibus dicitur: *Qui potest capere capiat, ceteraque huiusmodi, tamen esurientes, & sitientes iustitiam saturantur, cum audiendo madata legis Dei, ad vitam perueniunt æternam.* *Erant autem qui manducauerunt quasi quatuor milia: & dimisit eos.* Bene quatuor milia, vt ipso etiam numero docerent euangelicis se pastos esse cibariis.

### HAYMONIS EPISCOPI Halberst. superioris Euang. expositio.

**C**um turba multa esset cum Iesu, &c. Vbiunque in sacro euangelio nomen turbæ audimus: diuersas uoluntates intelligere debemus. Nō enim vnus uoluntatis erant qui ad Iesum confluabant quidam sequebatur eum causa dilectionis & fidei, sicut scilicet apostoli, vt audientes predicationem ex ore eius crederent in illum, & saluarentur saluatione perpetua. Alij sequebantur eum vt sanarentur à languoribus suis, cæci vt illuminarentur, surdi vt reciperet auditum, muti loquelam, claudi gressum, debiles manuum sanitatem. Alij sequebantur eum, vt alimoniam reciperent ab eo, sicut ista turba: Alij vt potuissent eum in aliquo reprehendere: sicut scribæ & Pharisei. Alij causa curiositatis ueniebant ad eum, vt reuertentes ad propria, potuissent dicere, uidimus mirabilia hodie. Et quia ista uarietas animorum erat in illis, ideo turbæ uocabulo censentur. In hac lectione utranque naturam suæ personæ dominus demonstrat, diuinam scilicet & humanam. Per hoc quod misericordiā habuit erga turbas, affectum humanæ compassionis & pietatem humanitatis patefecit, quia enim homo erat misericordia motus est. Per hoc uero quod ex septem panibus & paucis pisciculis tantam multitudinem populi refecit, diuinitatis suæ potentiam aperuit, quia nisi deus esset, tot milia hominum ex paucis panibus ac pisciculis satiare nequaquam potuisset. Sed uideamus mysticè, quid interest inter istam refectioem: quæ de septem panibus fuit facta, & inter illam, quæ de quinque panibus secundum Ioannem. Illa fuit primum facta, deinde ista. Hoc distat quod illa pertinet ad uetus testamentum propter quinque libros Moyse, vnde & ipsi panes ordeacei fuisse referuntur. Ordei enim medulla tenacissima palea tegitur, similiter & lex ueteris test. paleam habet, id est literam. Sed, si aliquis ad eius medullam uenerit, satiatur, & reficitur, sicut homines satiantur de medulla ordei. Hæc autem refectio, quæ de septem panibus facta est, pertinet ad nouum Testamentum propter

Bibl. Hom. tom. 3. Kk 3 septem



septem dona spiritus sancti, quæ quotidie dantur fidelibus, quando baptizantur, & quando confirmantur ab episcopis. Et utraque refectio in monte est celebrata: quia utraque scriptura veteris, & noui Testamenti & alia nobis precepta proponit ad obseruandam, & alia præmia promittit ad possidendum. Vel certe per montem designatur Christus, propter culmina virtutum, quæ in eo sunt, de quo monte dicit Psalmist. Hic est mons, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo. Et de quo Esaias. Venite ascendamus in montem domini, id est, credamus in Christum. In monte est utraque refectio facta, quia vetus testamentum & nouum, altitudinem filij Dei prædicat, cuius potentia sit. Illa turba, quæ à domino in monte est refecta, signat sanctam ecclesiam, quæ super montem, id est, super Christum est fundata, quotidie verbo Dei refici indiget, ne in peregrinatione huius vitæ deficiat. De qua ecclesia dominus alibi dicit: Non potest ciuitas abscondi supra montem posita, id est, Ecclesia supra Christum fundata. Quomodo est super Christum fundata? Per gratiam baptismatis, per fidem, per dilectionem, & operationem bonam, per hoc quod dominus illam turbam noluit ieiunam dimittere, ne deficeret in via, sed refecit illam, desigatur, quia viam præsentis seculi aliter incolumes transire nequimus, nisi gratia diuina, pabulo verbi sui nos refecerit. *Conuocatis discipulis.* Quare conuocauit discipulos suos? Nunquid sine consilio illorum poterat? Poterat utique. Sed ideo conuocauit, ut daret exempli Regibus, Comitibus, Episcopis, & ceteris potestatibus huius seculi, ne despiciant subiectos suos in suo consilio, quia sæpe reuelat dominus iuniori quod melius est. *Miseror super turbam, quia ecce triduo sustinent me.* Secundum literam. Quare turba per triduum cum domino mansit, Marcus tacet, cum ceteri euang. testantur. Dicit namque Matth. quod videns dominus turbas, ascenderit in montem, ubi turbæ sequentes adduxerunt multitudinem infirmorum suorum secum, & proiecerunt eos ante pedes eius, ut, paralyticos, leprosos, cæcos, claudos, & ceteris infirmitatibus comprehesos, quos illic sanauit dominus. Hoc fuit primo die, secundo die docuit eos, tertia die expleta sanatione, & sua prædicatione, quid aliud restabat, nisi ut pasceret eos? Nam defecerat eis cibus. Inde dixit discipulis suis dominus. *Miseror,* id est, compatior *super turbam,* hoc est, misericordiam habet animus meus erga turbas, ut pascat eas, *quia iam triduo sustinent me,* id est, per tres dies expectant me. *Nec habent quod manducant,* quia iam defecit illud, quod secum detulerunt. *Et si dimisero eos ieiunos in domum suam, deficient in via.* Id est, fatigabuntur, & lassabuntur in via. *Quare: quia quidam ex eis de longè venerunt.* Alij venerunt de vna leuca, alij de duabus, alij de viginti. Secundum spirituales intelligentiam, turba, quæ triduo sustinet dominum, signat multitudinem fidelium, quæ fide sanctæ trinitatis lucida Deo adheret, & tam pro se quam pro alijs peccatis quam etiam pro aliorum infirmitatibus animæ. Dei misericordiam supplicare non desinit. Item turba dominum triduo sustinet, quando multitudo fidelium peccata, quæ perperrant, per penitentiam declinans corde, ore, & opere ad Deum se conuertit, ut ei placere possit, & vires in illum reparet, quas in flagitijs amisit. Quæ turba conuertens se

ad dominum toto corde ne deficiat in itinere præsentis vitæ, pascenda est assidue sacra admonitione. Debent enim prædicatores dicere: Penitentiam agite, &c. *Quidam ex eis de longè venerunt,* Illi, qui de prope venerunt signant Iudæos, qui proximi fuerunt Deo per legem, per prophetas, per Psal. & per ceteras veteris testamenti scripturas, in quibus & notitiam Dei omnipotentis didicerunt, & promissionem de aduentu filij Dei inuenerunt, sicut sancti apostoli, & ceteri, quorum vnus, scilicet Philippus dicit Nathanaeli: Quem scripserat Moses in lege, & prophetis, inuenimus Iesum filium Ioseph à Nazareth. Illi, qui de longè venerunt, signant gentiles, qui longè recesserant à Deo, per culturam idololorum non corpore, sed mente. Et meritò nos de longè venimus, quia patres nostri pagani, & gentiles fuerunt, non habuerunt notitiam Dei veri, sed idola adorauerunt, & seruiuerunt potius creaturæ quam creatori. Sed quid dicit de illis Paulus? Vos gentes, qui eratis longè, facti estis propè in sanguine Christi. Dicamus & secundum morale intellectum. Sunt multi in sancta ecclesia, qui ab ipsis infantia suæ cunabulis mancipantur in seruitio Dei, & omni tempore vitæ suæ immaculatè Deo seruire student sine in monasterio, sine in Canonicatu. Isti tales de propè veniunt, quia per illicita non errauerunt. Et sunt multi, qui post experta coniugia à Deo sibi concessa, iuxta quod dominus dicit: Crescite, & multiplicamini, & qui post diuitias huius seculi bene dispensatas relinquunt seculum, & veniunt ad seruitium Dei: sed non veniunt de longinquo, quia legitimo coniugio vsi sunt. Sunt etiã multi, qui post homicidia, & adulteria, post sacrilegia, ac periuria, & rapacitates, post ebrietates innumeras, & post cetera huius seculi flagitia peracta, relinquunt omnia mala, & conuertuntur ad Deum in factis, & cogitationibus. Isti tales de longinquo veniunt, quia quando amplius peccant, tanto longius à Deo recedunt: non corpore sed mète, quia Deus vbique est præsens. Hi tales considerantes magnitudinem peccatorum, ne deficiant in consideratione peccatorum suorum, pascendi sunt iugiter verbo Dei. *Et responderunt ei discipuli sui: Unde istos poterit quis hic saturare panibus in solitudine?* Illo adhuc tempore quando ista dicebat, apostoli carnales erant & nondum perfectam fidem habebant, quam habituri erant post domini resurrectionem, & post aduentum spiritus sancti: idcirco dubitabant de potentia Dei. Si enim perfectè credidissent, utique scirent quia ille, qui condidit mundum ex nihilo, qui quotidie pascit genus humanum de frugibus, & producit panem de terra, & vinum quod latificat cor hominis, si vellet de paucissimis panibus tantam multitudinem populi satiare posset. *Et interrogauit eos, quot panes habetis?* Quare interrogauit coram populo quot panes haberet, nunquid ipse hoc ignorabat, qui omnia nouit, antè quàm fiant, cui veraciter dictum est: Domine tu omnia nosti? Non utique ignorabat, sed ideo interrogauit, ut illud miraculum manifestius fieret, ut, dum audiunt turbæ dominum interrogantem de numero panum, & discipulos respondentes septem, intelligant in sua saturitate potentiam saluatoris nostri. Per septem panes intelliguntur libri noui testamenti quatuor Euang. Act. Apo. & Apoc. Et quare comprehenduntur septenario numero

mero? Propter septiformem spiritum, per quem intelligentiam illorum capimus. Per hunc spiritum remissionem peccatorum consequuti sumus, tempore baptismatis. Per hunc confirmati sumus & illuminamur quotidie corde ad intelligenda mysteria noui testamenti pertinentia ad cognitionem Christi, cuius spiritus sancti dona enumerat Esaias propheta, dicens: Requieuit super eum, id est super Christum spiritus domini, id est, spiritus sanctus, quod factum est, quando descendit super eum tempore baptismatis in specie columbæ, spiritus sapientiæ, & intellectus. *Et præcepit turbæ discumbere super terram.* In alia refectioe, quæ de quinque panibus, & duobus piscibus facta est, super fœnū legitur discubuisse turbam, ista autem, quæ de septem panibus est peracta, dicit euangelista, quod super terram discubuerit. Quid mysterij continetur in hoc facto, iam diximus, quod illa refectio pertinet ad vetus testamentum propter quinque libros Moysi, ista autem pertinet ad nouum propter septem dona spiritus sancti, quæ quotidie percipiunt fideles. Per fœnum intelligitur voluptas carnalis maxime libido. In refectioe quinque panum turba super fœnum recubuit, quia lex veteris testamenti carnales voluptates refrenare ac calcare præcipit, dicens: Non adulterabis, non concupisces uxorem proximi tui, nec vi opprimes eam. In ista refectioe de septem panibus discubuit turba super terram, quia gratia sancti euangelij non solum concupiscentiam carnis iubet reprimere, sed etiam ipsam terram, id est, omnes facultates terrenas pro Christi amore mandat relinquere, dicente domino: Si vis perfectus esse, vade & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus. Inter omnia, intellige terram, quæ mater est omnium corruptibilium rerum. *Et accipiens septem panes gratias agens.* Refecturus dominus turbas gratias egit, id est laudes Deo patri reulit, ut ostenderet, quia semper gaudet de nostra spirituali passione. Quando enim nos reficimur corpore cibo corporali, gaudet inde, & lætatur filius Dei cum angelis suis. Vel ideo gratias egit Deo, ut daret nobis exemplum, quia quotiescunque reficimur mente cibo spirituali, aut pascimur corpore cibo corporali semper illi gratias referre debemus, à quo omne bonum procedit, iuxta quod Iacobus Apostolus dicit: Omne datum optimum, &c. Si omne datum optimum, & omne donum perfectum à Deo est, utique in omnibus illi gratias referre debemus. *Frexit.* Per fractionem panum quid aliud nisi refectionem diuinorum eloquiorum debemus intelligere? Quando panis frangitur, interiora illius cernuntur. Dominus panem frangi, quando secreta mysteriorum noui, & veteris testamenti nobis aperit. Cum enim ipse dicat: Nemo nouit patrem nisi filius, & cui filius voluerit reuelare, quid aliud facit, nisi apertionem diuinorum eloquiorum à se fieri ostendit? hoc manifestat Hier. propheta cum dicit: Paruuli petierunt panem, & non erat, qui strangeret illis. Quod est alijs verbis dicere. Indoculi quæsierunt scientiam, qui inruerunt, & non erat magistri, qui eis aperiret diuina eloquia. *Et dabit discipulis suis.* Panes fractos dedit dominus discipulis suis, quia post resurrectionem suam aperuit illis sensum, ut intelligerent omnes scripturas, quæ de eo scriptæ erant. Ipsi patefecit doctrinam suam, & ipsis pa-

rabolas suas exposuit dicens: Vobis datum est nosse mysterium regni Dei. Discipuli apposerunt turbis, quando, percepto à domino intellectu, perfecti prædicauerunt vbique iuxta quod eis præcepit, dicens: Euntes in mundum vniuersum, &c. *Et habebant pisciculos paucos, & ipsos benedixit, &c.* Si per septem panes intelligimus noui testamenti libros, quorum intelligentiam per septiformem spiritum capimus, quid debemus intelligere in paucis pisciculis à domino benedictis, & populo traditis, nisi sanctos, qui vel nouum testamentum conscripserunt, vel quorum ortum, fidem, doctrinam, & operationem, & obitum, ipsa sacra scriptura noui testamenti nobis patefecit, & ad imitandum proponit? Videamus vnum piscem, Ioannem scilicet Baptistam, cuius ortus, prædicatio, vita, & obitus in euangelio continentur. Videamus & alium piscem Matth. Euang. qui primum fuit publicanus, & rapax: postmodum vocatus à domino in gratia illius permanit. Videamus & alium piscem B. Stephanum, cuius fidem, prædicationem, & obitum in Actibus Apostolorum legimus, qui inter manus lapidatum positus dominum exorauit pro illis, dicens: Domine Iesu, ne statuas illis hoc peccatum. Isti sunt pisciculi à vitis huius seculi abstracti à domino, & benedictione illius consecrati, & ad vtilitatem nostram per sacram scripturam producti, ut sicut illi Deo placuerunt, ita & nos studeamus Deo placere. *Et manducauerunt, & saturati sunt.* Manducata de panibus domini, & est saturatus qui verbum Dei cum auditate percipit, & intelligit, & in corde recondit ne auferatur à demonibus, & in operationem conuertit, & in ipso bono opere permanendo ad gaudia æterna peruenit. Talibus comestoribus conuenit id quod Psal. dicit: Edent pauperes, id est humiles, & saturabuntur. E contra manducata, & non saturatur, qui verbum Dei, quod audit, intelligit: sed tamen ad operationis effectum non peruenit. Talibus congruit, quod dominus per prophetam dicit: Manducastis, & non estis saturati. *Et sustulerunt, quod superauerat de fragmentis, septem sportas.* Turba pasta fragmenta, quæ illis superflua, discipuli colligunt. Per fragmenta intelliguntur alta mysteria, imò consilia, vel horramenta redemptoris nostri, quæ generalis multitudo fidelium capere non valet intelligendo, nec opere implendo. Ponatur vnum: Dominus dicit in Euang. Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus. Ipse etiam alibi de virginitate nõ præcipiens eam, sed laudans dicit: Beati, qui se castrauerunt propter regnum cælorum. Quid subiungitur? Non omnes capiunt verbum istud, ut abstineant se ab vxoribus. Et B. Paulus: De virginibus autem præceptum domini non habeo, consilium autem do, melius est ut sic permaneant in virginitate, sicut ego sum virgo. Hoc non potest obseruare multitudo fidelium generaliter, videlicet, ut omnes ab vxoribus abstineant, & seculum relinquunt secundum domini consilium, quia multi sunt cupidi, & auari. Sed sicut turba, licet fragmenta panum domini comedere nequiuissent, tamen satiata est. Sic generalis multitudo fidelium, licet non possit capere altiora mysteria sacre scripturæ intelligendo, nec opere perficiendo: tamen satiatur inde, quia dum ex verbo Dei fidem in corde concipit, & ipsam fidem bonis operibus exornat, ad patriam cele-

Math. 3.

Marc. 6. Luc. 1.

stem peruenit. Per septem sportas, quæ fragmen-  
 tis impletæ sunt, intelliguntur perfecti, qui alio-  
 ra noui ac veteris testamēti mysteria intelligunt,  
 qui perfectè seculo renunciāt, & castitatem men-  
 tis & corporis seruant, adiuti gratia spiritus san-  
 cti, qui septiformis dicitur. Sporta est vasculum,  
 quod textitur iunco, & foliis palmarum, quod  
 congruit electis, Iuncus super fontem nasci con-  
 suevit. Et rectè his iuncea vasis comparantur ele-  
 cti, quia radicem, id est intentionem cordis super  
 fontem, id est super Christū, qui est fons omnium  
 bonorum, figunt, ne ab amore illius arefiant. Pal-  
 ma ornat victricem manum, quia apud antiquos,  
 qui victor hostium existerat, dabatur illi palma  
 aurea ob signum victoriae. Et electi ideo victores  
 existunt in præsentī seculo vitiorum, vt immar-  
 cessibilem coronam percipiant à domino in re-  
 gno cælorum. *Erant autem qui manducauerant quasi  
 quatuor millia, & dimisit eos.* In quaternario nume-  
 ro cōprehenduntur omnes electi, qui quatuor li-  
 bros sancti euangelij, fide, prædicatione, & opere  
 custodiunt. Hic non comprehenduntur mulieres,  
 neque infantes, quorum multitudo ibi fuisse cre-  
 enda est iuxta quod alius Euang. ait Matthæus,  
 Erant (inquit) qui mādūcauerunt quatuor millia  
 hominum exceptis paruulis, & mulieribus. Qua-  
 re non numerantur nisi viri? quia consuetudo est  
 sacræ scripturæ vt virorum numerum ponat, sicut  
 legitur in libro Numerorū vbi solum viri nume-  
 rantur. De talibus dicit dominus per Psal. Annun-  
 cianū, id est prædicant, & loquutus sum: multipli-  
 cati sunt super numerum electorum. Mulieres  
 igitur, & infantes non numerantur. Hic ponit B.  
 August. quæstionem quare de paucioribus pani-  
 bus satiavit dominus plures, & de pluribus pau-  
 ciores, id est, quatuor millia. Pauciores dico ad  
 comparationem quinque millium.

**INCERTI AVTHORIS**  
*sub nomine Eusebii Episcopi Emisseni  
 superioris Euangelij expositio.*

**L**egitur superius, quum venisset Iesus secus  
 mare Galilææ, ascendens in montem, sedebat  
 ibi. Et accesserunt ad eum turbae multæ, habentes  
 secum mutos, cæcos, claudos, debiles, & alios  
 multos, & proiecerunt eos ad pedes eius, & cura-  
 uit eos, ita vt turbae mirarentur videntes mutos  
 loquentes, claudos ambulantes, & cæcos viden-  
 tes, & magnificabant Deum Israel. Merito enim  
 Iesus in montem ascendit tanta & talia miracu-  
 la facturus, vt in montem in quem ascendit, eius  
 preestatis altitudo, & in miraculis quæ fecit eius  
 diuinitatis virtus appareat. Sequantur igitur eum  
 super montes aromatum, quicumque illum imi-  
 tati & sanari desiderant. De quibus montibus ec-  
 clesīa dicit, Fuge, dilecte mi, assimilate capræ,  
 hinnulōque ceruorum, super montes aromatum.  
 Iesus autem vocatis suis discipulis dixit, *Misereor  
 super turbam, quia ecce iam triduo sustinent me, nec ha-  
 bent, quod manducent.* Tres enim dies, tria seculi tē-  
 pora sunt: ante legem scilicet, sub lege, & sub gra-  
 tia. Tribus igitur diebus turbae cum domino per-  
 seuerāt, quia totis his tribus temporibus viri san-  
 cti spiritu Dei pleni in Christum credunt, Chri-  
 stum expectant, eiusque panibus, & doctrina ma-  
 gno desiderio refici cupiunt: & non habent quod

manducarent, quia panis viuus qui de cælo de-  
 scendit, nondum eis appositus fuerat, nondum  
 leo de tribu Iuda librū aperuerat, neque septem  
 signacula eius soluerat. Tertio igitur die, id est,  
 hoc tertio suæ incarnationis tempore turbas refi-  
 cit, neque ulterius eas fame perire patitur. Vnde  
 & dicit, *Et dimittere eos ieiunos nolo, ne deficiant in  
 via.* Omnes enim in via sumus, omnes ad patriā  
 tendimus. De hac enim via Psalmista ait, Viam  
 mandatorum tuorum cucurri. Itēque, Beati im-  
 maculati in via, qui ambulant in lege Domini. In  
 hac autē via deficiunt ieiuni, per hanc viam cū-  
 rere non possunt, qui Christi pane non sunt refe-  
 cti, præsertim si de longè venerunt. Longè est  
 enim à peccatoribus salus. Sicut enim hæc via  
 breuis & facilis est bonis, ita longa & difficilis est  
 malis. *Et dicunt ei discipuli, Vnde istos poterit quis hic  
 saturare panibus in solitudine?* Fortasse immemores  
 erāt Christi discipuli, quod dominus ex quinque  
 panibus quinque millia hominum iam superius  
 satiauerat. *Et ait illis Iesus, Quot panes habetis? At  
 illi dixerūt, Septem, & paucos pisciculos.* Septem enim  
 panes, septem libri sunt veteris testamenti, quos  
 Hebræenchum vocamus: siue etiam septem gra-  
 tiæ spiritus sancti. Pauci verò pisciculi, pauci libri  
 noui testamenti. Valde enim pauci sunt libri no-  
 ui testamenti comparatione veteris. Isti tamen  
 pauci si illis septem panibus coniungantur, cun-  
 ctis hominibus ad animarum refectionem suffi-  
 ciunt. Sine illis enim neque comedi possunt, ne-  
 que saturitatem, vel fortitudinem comedentibus  
 tribuunt. Sunt enim illi septem panes, sapientia,  
 & intellectus, consilium, & fortitudo, scientia, &  
 pietas, & timor Domini. Sed quis sine sapientia  
 sapiat? quis sine intelligentia intelligat? quis si-  
 ne consilio prouidat? quis sine fortitudine for-  
 tis? quis denique sine scientia sciens? sine pieta-  
 te pius? & sine Dei timore fidelis? Non igitur isti  
 pisces, cum illis panibus comedi possunt. Et me-  
 ritō pisces libri isti dicuntur, quoniam in nouo  
 fonte natant de quo scriptum est, Quoniam apud  
 re est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lu-  
 men. *Et præcepit turbæ vt discumberent super terram.*  
 Super terram enim discumbunt, quicumque ter-  
 ram, & puluerem se esse cognoscunt. Vnde & di-  
 citur, *Quid superbis, puluis, & cinis? Et accipiens  
 Iesus septem panes, & pisces, gratias agens fregit, &  
 dedit discipulis suis.* Frangit autem dominus & pa-  
 nes, & pisces, quoniam prout vult, & sancti spiri-  
 tus gratias vnicuique tribuit, & profunda sancta-  
 rum scripturarum mysteria pandit. Sed quibus  
 dat, nisi discipulis suis? quibus hæc prædicanda  
 largitur, nisi episcopis, & sacerdotibus? Isti enim  
 sunt, quos constituit dominus super familiā suā,  
 vt der illis cibum in tempore. Isti cæteros pascūt,  
 isti pane diuini eloquij totam ecclesīam turbam  
 reficiunt. *Et comederunt omnes, & saturati sunt.* Co-  
 medamus igitur & nos, vt satureremur, legamus vt  
 intelligamus. Hunc enim cibum qui plus comedit,  
 plus comedere appetit. Hic cibum mentem  
 exhilarat, & quanto plus comeditur, tanto am-  
 plius crescit. Vnde & subditur, *Et quod supersuit de  
 fragmentis, tulerunt septem sportas plenas.* Plura sunt  
 fragmenta, quàm panes: quia plures sunt, qui nūc  
 fragmenta suscipiunt, quàm illi, qui tunc illos pa-  
 nes, & pisces comederunt. Nōne vides quanta  
 librorum volumina ex his quatuor Euangelij  
 multiplicata sunt? Sed quid per septem sportas,  
 nisi

nisi septem ecclesīæ significantur, per quas om-  
 nes aliæ ecclesīæ intelliguntur? Vnde & Ioannes  
 Euāgelista septem ecclesīis scribit. Vnde & Esaias  
 ait, Apprehendent septem mulieres virum vnum  
 in die illa, dicentes, panem nostrum comedemus.  
 Panem nobis modò datum, panem quo repletæ,  
 & refectæ sumus. Et quasi dicerent, Nos enim su-  
 mus illæ septem sportæ, quas plenas fragmentis  
 olim in deserto Apostoli sustulerunt. Quia igitur  
 panem habemus, panem nostrum comedamus.  
*Erant autem, qui manducauerunt, quatuor millia homi-  
 num, extra paruulos, & mulieres.* Quare autem par-  
 uuli & mulieres non numerantur, nisi quia in  
 Dei populo computari digni non sunt, qui vel  
 paruulos in stultitia & fatuitate, vel mulieres in  
 mollitie, & debilitate imitantur? Vnde Aposto-  
 lus, Nolite (inquit) pueri effici sensibus, sed ma-  
 litia paruuli estote.

**THEOPHYL. EPISCOPI**  
*Bulgar. superioris Euangelij  
 expositio.*

**I**n diebus illis cum turba admodum multa esset, &c.  
 Etiam antea tale quoddam miraculū fecit do-  
 minus, & nunc idem denuo operatur sumpta oc-  
 casione iusta, nempe, quod tres dies mæserat tur-  
 ba, & absumpta erāt omnium viatica. Non enim  
 semper miraculū facit in alimentis, vt ne putent,  
 quod propter cibos populum illum sequatur, &  
 nunc nisi periculum ex ciborum penuria fuisset,  
 nequitiam fecisset miraculum. Vide autem & di-  
 scipulos quàm insipienter se habeant, nondum

Matth. 14.  
 Super 6.  
 Luc. 9.  
 Ios. 6.

credentes virtutes illius ex prioribus signis. Ipse  
 autem non reprehendit, docens & nos, ne moro-  
 siores, & austeriores erga indociles simus, sed sunt  
 quæ illis oportet ignoscere vt insipientibus. Con-  
 sidera autem & hoc, quod Christus nullum vult  
 dimittere ieiunum: omnes enim vult delitiis suo-  
 rum donorum alere, & maxime eos, qui triduo  
 apud se manent, hoc est baptizatos: Illuminario  
 enim dicitur baptisma. Quia autem baptismus in  
 tribus mersionibus fit, ita & triduo manent, qui  
 per baptismum illuminantur. Accepit septem pa-  
 nes, spirituales inquam sermones. Numerus enim  
 septenarius, spiritus sancti symbolum est, qui per-  
 ficat omnia. Septenarius enim numero perficitur  
 vita hæc, & hoc seculum. Comedunt autem illu-  
 minati, & saturantur, & reliquia super sunt. Neque  
 omnes sensus diuinos edere valent. Verum, sicut  
 in illo, quinque panum miraculo, & duodecim co-  
 phini sunt, & plures reliquæ: erāt enim quinque  
 millia, hoc est, quinque sensibus seruicbant, &  
 propterea non potuerunt multa edere, sed pau-  
 cis contenti fuerunt, & ideo plures sunt reliquæ:  
 ita hic septem sunt sportæ, & pauciora residua, eo  
 quod quatuor millia fuerūt, hoc est, quatuor vir-  
 tutibus exercitati, & propterea vt sint potentio-  
 res, plura comederunt, & pauciora reliquerunt.  
 Illa enim sola non potuerunt comedere, quæ fue-  
 runt magis spiritualia, & perfundiora, vnde & per  
 septem sportas designantur. Discite & hoc iuxta hi-  
 storiam, quod debemus iis, quibus indigemus,  
 contenti esse, & nihil amplius querere. Ecce enim  
 turbae quæ comederunt, & saturatæ fuerunt, non  
 acceperunt secum reliquias panum, sed discipuli  
 has gestarunt: sic igitur & nos vsu nobis congruo  
 esse contentos decet.

Matth. 16.  
 Hebr. 13.

**DOMINICA VII. POST  
 PENTECOSTEN.**

M A T T H. 7.



**L**n illo tempore: dixit Iesus discipulis suis, <sup>a</sup> Attendite a falsis  
<sup>b</sup> prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, <sup>c</sup> intrin-  
 secus autem sunt lupi rapaces. <sup>d</sup> A fructibus eorum cognoscetis  
 eos. Nunquid colligunt de <sup>e</sup> spinis vvas, aut de tribulis <sup>f</sup> ficus? Sic omnis ar-  
 bor <sup>h</sup> bona fructus bonos facit, <sup>i</sup> mala autem arbor fructus malos facit. <sup>k</sup> Non  
 potest arbor <sup>l</sup> bona fructus <sup>m</sup> malos facere. Neque arbor <sup>n</sup> mala fructus bonos  
 facere. Omnis <sup>o</sup> arbor <sup>p</sup> quæ nō facit fructum bonum, <sup>q</sup> excidetur, & in <sup>r</sup> ignem  
 mittetur.

<sup>a</sup> Diligenter caute.  
<sup>b</sup> Quid ergo ab illis vbi nec spes, Qui in humilitate ambulat ex falsa religione. <sup>c</sup> Vt decipiant. <sup>d</sup> Et  
 ideo caute, ne vos dilanent blanditiis & simulationibus.  
<sup>e</sup> Quomodo illi dignoscuntur?  
<sup>f</sup> Non. <sup>g</sup> Vt de spinis non colliguntur vvas.  
<sup>h</sup> Voluntas bona. <sup>i</sup> Voluntas mala. <sup>k</sup> Non enim aliter.  
<sup>l</sup> Dum bona est. <sup>m</sup> Quia radice, fructus arboris pullulat. <sup>n</sup> Dum mala est.  
<sup>o</sup> Sed non impune. <sup>p</sup> Anima. <sup>q</sup> De numero fidelium separabitur. <sup>r</sup> Qui paratus est diabolo & angelis eius.

Quia mala arbor non potest facere fructum bonum. <sup>1</sup> Conscientur se nosse Deum, facti autem non sunt. <sup>2</sup> mittetur. <sup>3</sup> Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos. Nō omnis qui dicit mihi domine, domine, intrabit in regnum cælorum, sed qui facit voluntatem patris mei, qui in cælis est, ipse intrabit in regnum cælorum.

### GLOSSA ORDINARIA in superioribus Euang.



**A**TENDITE. Cum dixisset arctam viam à paucis inueniri, ne forte sui implicarentur erroribus pseudoprophetarum, adiecit: *Attendite. Attendite.* Quod supra latam portam dixit, falsos prophetas apertius dicit. *Attendite.* Licet hoc de omnibus qui aliud habitu & sermone, aliud opere ostendunt, possit accipi: tamen specialiter de hæreticis qui quadam pietatis veste recti, venenato animo & intentione nocendi lupi sunt rapaces vel exterius si copia datur persequendo, vel interius corumpendo. *Ad vos in.* In conspectu hominum similes ministris iusticie dum ieiunant, orant, elemosynas dant: sed non sunt eorum fructus, quia pro vicio eis reputatur. *A fructibus eo.* Micro. Non à veste, sed ab operibus: quod de manifestis accipitur. Quomodo ab eis? quia vt spina non facit uiam: sic bona arbor bonum fructum, mala malum, & non e conuerso. *A fructibus eorum.* quia fideles opprimunt: Deum si non verbis, factis blasphemant. Maxime autem per impatientiam discernuntur in tempore aduersitatis. Ieiunia enim & orationes sunt simulatis sicut & bonis sed non debent oues pelles suas deponere, & si aliquando eis lupi se contegant. *Nunquid.* Allego. Spina & tribuli sunt hæretici, à quibus nullus sapientum sanctitatem vel veritatem poterit inuenire: sed conscindunt & cruentant approximantes. Vel spina & tribuli, curæ sunt seculi, punctio- nesque vitiorum. Vna & ficus, dulcedo nouæ conuersationis quam Christus in nobis esuriit, & feruor dilectionis, qui lætificat cor hominis. Non ergo de spinis, & tribulis vna, & ficus: quia mens adhuc veteris hominis consuetudine pressa, potest simulare, non ferre fructus noui hominis. Quod si aliquando dicta vel facta malorum profunt bonis, non hoc faciunt mali, sed fit de illis consilio Dei: quia non eorum fructus est sed vici quæ super spinas aliquando exuberat. Sed carpendus est botrus, spina cauenda. Vitis Christus. Sui palmites, qui ferunt uvas, id est, opera spiritus quæ inebriant mentem. Sic, id est, secundum prædictam impossibilitatem: quia de mala radice nō potest fructus suauitatis erumpere. Expectandi sunt boni fructus de bona arbore. Arbor bona, vel mala, non natura, quæ in omnibus bona, à Deo est creata, sed voluntas bona, vel mala. Fructus, opera, quæ nec bona malæ voluntatis possunt esse, nec mala bonæ voluntatis. Fructus bonæ arboris gaudium, pax, patientia, longanimitas, &c. Quos fructus non nisi bona voluntas parturit. Sic e contrario malos mala intentio nutrit. *Non potest.* Non ait: non potest mala arbor bona fieri, vel bona mala: quia Paulus de persequutore factus apostolus; & anima, manente integræ natura, affectu voluntatis corrumpitur, vel in melius mutatur. Voluntas vniuersiuique arbor bo-

na vel mala. Et sicut arbor radicatur in terra, sic voluntas in anima. Fructus malæ arboris sunt opera carnis, scilicet, fornicatio, immundicia, luxuria. *Omnis arbor.* Hac sententia hypocritas, & pseudoprophetas damnat, & quod supra docuit de cordis mūdicia, hoc exemplo confirmat, quod nemo de mala intentione fructum bonum percipit, nec de bona nisi bonum metit. *Igitur ex fructibus.* Quasi dicat, A falsis prophetis attendite, & ex fructibus eos cognoscite. *Ex fructibus.* Quia licet dicant: Domine, domine, non continuo sunt credendi. Hoc autem dicunt, vt à vobis recipiantur. Verè dicere dominus Iesus, est in corde credere, ore confiteri, operibus attestari: nam vnum sine altero, negare est. *Non omnis qui dicit.* Sicut cauendi sunt, qui habent speciem bonæ vitæ propter dogma nequitie, sic & hi e contrario, qui cum integre fidei, & doctrinæ sint, turpiter viuunt. Vtrumque enim necesse est, vt & opus sermone, & sermo operibus comprobetur. *Qui dicit do. d.* Iter regni Dei est obedientia, non nominis nūcupatio. Non est hoc illud verè, & propriè dicere, vbi prolatio discordat à voluntate, de quo Apostolus ait: <sup>1</sup> Nemo potest dicere dominus Iesus nisi in sp. sancto.

### CATENA AVREA in idem Euang.

**A**TENDITE à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, &c. Chryl. super Matth. Suprà mandauerat apostolis dominus, ne elemosynas, orationes & ieiunia coram hominibus sicut hypocritæ faciunt, & ideo ad cognoscendum quia hæc omnia in hypocritis fieri possunt, loquitur dicens: *Attendite à falsis prophetis.* Aug. de ser. do. Vel aliter: Cum dixisset dominus paucos esse qui inueniunt angustam portam & arctam viam, ne hæretici qui plerumque se sub nomine paucitatis commendant, se nobis supponant, statim subiicit dicens: *attendite à falsis prophetis.* Chryl. in ho. Vel aliter: Quia dictum est quod angusta est porta, sed & multi sunt qui pernerunt eam quæ illuc fert viam: ideoque induxit: *Atten. à fal. prophe.* In quo vt maiorem sollicitudinem habeant, meminit eorum quæ in partibus eorum facta sunt, falsos prophetas vocans: etenim tunc talia contigerunt. Chryl. super Matth. Quod autem scriptum est infra: Quia lex & prophetæ vsque ad Ioannem: dicitur, quia prophetia de Christo non erat futura post eum. Prophetæ autem fuerunt & sunt, sed non qui prophetarent de Christo: sed qui interpretarentur ea, quæ de Christo ab antiquis fuerant prophetata, id est, doctores ecclesiarum, nec enim potest quis propheticos interpretari sensus, nisi per spiritum prophetiæ. Sciens ergo dominus futuros esse falsos doctores hæresum diuersarum, admonet, dicens: *Attendite à falsis prophetis.* Quia enim non erant futuri manifesti Gentiles, sed absconditi sub nomine Christiano, nō dixit: *Aspicite,* sed *Attendite.* vbi

vbi enim res certa est, aspicitur, id est, simpliciter videtur: vbi autem incerta, attenditur, id est, caute consideratur. Item dicit: *Attendite,* quia firma tutela salutis, est scire quem fugias. Non autem sic admonet: *Attendite,* quasi inuito Deo diabolus hæreses introducat, sed eo permittente, quia enim non sine iudicio vult seruos suos habere, ideo permittit tērationē: quia verò nō vult eos per ignorantiam perire, ideo præmonet. Ne autem aliquis hæreticus doctor dicat: quia non dixit vos falsos prophetas, sed Gentilium & Iudeorum doctores, ideo addidit dicens: *Qui ve. ad vos in vestim. ouium.* Oves enim Christiani dicuntur, vestimentum autem ouium, est species Christianitatis, & simulatæ religionis: nulla autem res sic exterminat bonum sicut simulatio. Nam malum sub specie boni celatur, dum non cognoscitur, non cauetur. Et ne adhuc dicat hæreticus: quia de veris doctoribus loquitur, qui tamen peccatores sunt, ideo addit: *Intrinsicus autem sunt lupi rapaces.* Catholicus autem doctor & si fuerint peccatores, serui quidem carnis dicuntur, non tamen lupi rapaces: quia nō habent propositum perdere Christianos. Manifeste ergo de hæreticis doctoribus dicit, quia eo proposito speciem Christianorum suscipiunt, vt Christianos iniquo seditionis morsu dilanent, de quibus dixit Apostolus: Scio quia post discessum meum intrabunt in vos lupi graues, non parcentes gregi, Chr. in ho. Sed tamen videtur falsos prophetas hic non hæreticos insinuare, sed eos quidem, qui vitæ sunt corruptæ, sed facie quidem virtutis induuntur, vnde dicit: *A fructibus eorum cognoscetis eos.* Apud hæreticos enim est multoties & vitam inuenire; apud hos autem quos dixi nequaquam. Aug. de ser. do. Vnde rectissime quæritur, quos fructus nos attendere voluerit: multi enim quædam in fructibus deputant, quæ ad vestitum ouium pertinent, & hoc modo de lupis decipiuntur: secuti enim sunt vel ieiunia, vel elemosynas, vel orationes, quæ præcedunt hominibus, placere cupientes eis, quibus ista difficilia videntur. Hi ergo non sunt fructus, de quibus cognosci istos monet. Ista enim, quæ cum bono animo fiunt, sunt propriè ouibus vestes: cum autem malo in errore, non aliud quàm lupos tegunt, sed non ideo debent oues odisse vestimentum suum, quod plerumque illo se occultat lupi. Qui sunt ergo fructus, quibus cognoscamus arborem malam, dicit Apostolus: Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia. Qui verò sunt fructus, quibus cognoscamus arborem bonam, idem Apostolus ostendit, dicens: Fructus autem spiritus sunt, charitas, gaudium, pax. Chryl. super Matth. Fructus etiam eius quis, est confessio eius fidei, qui enim secundum Deum vocem humilitatis, & veræ confessionis emittit, ouis est: qui autem contra veritatem blasphemias ululat contra Deū, lupus est. Hic. Et sic ergo potest de ouibus intelligi, quod hic de falsis prophetis dicitur: qui aliud habitu ac sermone promittunt, aliud opere demonstrant, specialiter de hæreticis intelligendū videtur, qui videntur continentia ac ieiunio quasi quadam pietatis veste se circumdare: intrinsicus autem habet animū venenatum, simpliciorum fratrum corda decipiunt. Aug. de ser. do. in mon. Sed ex operibus conici potest, vtrum exteriorum cultum ambitione aliqua faciant. Cum enim ceperint aliquibus tērationi-

bus ea ipsa vel subtrahi, vel negari, quæ isto velamine vel consecuti sunt, vel consequi cupierint: tunc necesse est vt appareat vtrum lupus in ouina pelle sit, an ouis in sua. Gregor. 3. l. Mora. Hypocrita etiam sanctæ ecclesiæ pace præmittitur, idcirco ante oculos nostros religione vestitur. Si qua verò fidei tēratio erumpat, statim lupi mērabida, habitu se ouinæ pellis expoliat, quātūmq; contra bonos sæuāt, persequens demonstrat. Chryl. in ho. Facile etiam hypocritæ capiuntur: via enim quam iussi sunt ambulare laboriosa est, hypocrita autem laborare non vtique eligeret. Deinde vt non dicas, quoniam impossibile est cognoscere tales: rursum rationem ab humano exemplo ponit, dicens: *Nunquid colligent de spinis uvas, aut de tribulis ficus?* Chryl. super Mat. Vna in se mysterium Christi habet: sicut enim botrus multa in se grana ligno mediante suspendit, sic & Christus multos sibi fideles per lignum crucis tenet adiunctos. Ficus autem est ecclesia, quæ multos fideles tenet dulci quodam charitatis amplexu, sicut ficus multa grana vno regmine tenet inclusa. Sunt ergo ficus signa hæc: charitatis quidem in dulcedine, vnitatis autem in coniunctione granorum. In vna autem patientiæ quidem signum est, quia in torcular mittitur: gaudij autem, quia vinum lætificat cor hominis: sinceritatis, quia non est aqua permixtum: suauitatis autem in delectatione. Spina autem & tribuli sunt hæretici: sicut ergo spina, vel tribulus ex quacunq; parte habet aculeos, sic & seruos diaboli ex quacunq; parte considerauerimus, iniquitatis pleni sunt. Non possunt ergo huiusmodi spina, & tribuli ecclesiasticos fructus proferre. Quod autem particulariter sub similitudine ficus, & vitis, spina & tribuli dixerat, ostendit consequenter vniuersaliter esse verum, cum dicit: *Sic omnis arbor bona fructus bonos facit, mala autem arbor fructus malos facit.* Aug. de ser. do. In hoc autem loco illorum error cauendus est, qui de duabus arboribus duas naturas opinantur esse: quarum vna sit Dei, altera verò non. Non autem eos adiuuare duas istas arbores dicendum est, quia de hominibus eum dicere planum est, si quis præcedentia & sequentia legerit. Aug. 12. de ciui. Dei. Nominibus autem prædictis ipsa naturæ displicent, non eas considerantibus secundum vtilitatem suam: non autem ex commodo vel incommodo oratio, sed per se ipsam considerata natura dat artifici suo gloriam. Naturæ igitur omnes quoniam sunt, & ideo habent modum suum, spem suam, & quandam secum pacem suam, profectò bonæ sunt. Chryl. in ho. Vt autem nullus dicat quoniam mala arbor fert quidem fructus malos, fert autem & bonos: & sic difficilis sit cognitio duplici probatione existente, ideo subiungit: Non potest arbor bona fructus malos facere, neque arbor mala fructus bonos facere. Aug. de ser. do. Ex hoc verbo putant Manichæi, neque animam malam fieri posse vt in melius commutetur, neque bonam in deterius: quasi dictum sit, Non potest arbor bona mala fieri, neque mala bona fieri: sed ita dictum est, Non potest arbor bona fructus malos facere, nec e conuerso. Arbor quippe est ipsa anima, id est, ipse homo: fructus verò, opera hominis. Non ergo potest malus homo bona operari, neque bonus mala. Ergo si vult malus bona operari, prius bonus fiat. Quandiu autem quisquis malus est, non potest



test facere fructus bonos. Sicut enim potest fieri ut quod fuit nix, non sit, non autem ut nix sit calida: sic potest fieri ut qui malus fuit, non sit malus: non tamen fieri potest ut malus bene faciat, quia & si aliquando vilis est, non hoc ipse facit, sed fit de illo diuina prouidentia procurante. Raba. Homo autem ipse arbor bona, vel mala dicitur propter voluntatem bonam vel malam. Fructus autem sunt opera quae nec bona mala voluntatis esse possunt, nec mala bonae voluntatis. Aug. contra Iulianum. Sicut autem manifestum est ex voluntate mala, tanquam ex arbore mala fructus eius fieri omnia opera mala: sic ipsam voluntatem malam, unde dicitur esse exortam, nisi quia voluntas mala angeli ex angelo, ex nomine hominis orta est? Quid autem erat haec duo, antequam in eis ista mala orirentur, nisi bonum opus Dei, & bona atque laudanda natura? Ecce ergo ex bono oritur malum, nec fuit omnino unde oriri possit, nisi ex bono, ipsam dico voluntatem malam: quoniam nullum malum praecessit, non opera mala, quae non sunt nisi ex voluntate mala, tanquam ex arbore mala: nec ideo tanquam ex bono potuit oriri voluntas mala, quia bonum factum est a Deo bono: sed quia de nihilo factum est, non de Deo. Hieron. Quaramus autem ab haereticis, qui duas in se contrarias dicunt esse naturas, si iuxta intelligentiam eorum arbor bona malos fructus facere non potest, quomodo Moyses arbor bona peccauerit ad aquam contradictionis. Petrus quoque in passione dominum negauerit, dicens: Nescio hominem? Aut qua consequentia socer Moyse arbor mala, qui in Deum Israel non credebat, dedit consilium bonum? Chrysost. in hom. Quia vero punire non iusserat falsos prophetas, ideo terret eos secundum poenam, quae est a Deo, dicens: Omnis arbor quae non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur: quibus verbis & Indaeos insinuare videtur: ideoque verborum Ioannis Baptistae meminit, per eadem verba poenam eis subscribens. Etenim & ille hoc dixit ad Iudaeos, securim, & arborem incisam, & ignem inextinguibilem commemorans. Si quis autem diligenter inuestigabit, duae poenae sunt, & excidi, & comburi: qui enim comburitur, & a regno exciditur, omnino quae poena difficilior est? Multi autem gehennam solum abhorrent, ego autem casum illius gloriae multo amariorem poenam gehenna esse dico. Quod enim paruum vel magnum malum non susciperet pater, ut videat & portatur dulcissimo filio: hoc itaque in gloria illa putamus: non enim aliquis filius ita suavis est patri, ut illorum bonorum requies dissolui & esse cum Christo: intolerabilis quidem poena est & gehennae, sed si quis decem mille ponat gehennas: nihil tale dicit, quale est a beata gloria illa excidere, & odio haberi a Christo. Glos. Ex praemissa autem similitudine concludit quod supra iam dixerat quasi manifestam, dicens: *Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos.*

ORIGENIS PRESBYTERI  
in idem Euang. Homilia.

*Habetur in libro hom. Maximiani Taurinensis Episcopi sub nomine Origenis.*

Quod paulo superius spatiosam, & latam viam nominauit, hoc nunc apertius falsos prophetas ostendit, per quos multi in perditionem abominabilem abierunt. Qui primo in Iudaea multi

apparuerunt, & modo perfidia totum repleuerunt mundum. Sed illi prius falsi prophetae fuerunt. Verissimosque domini prophetas usque ad mortem persecuti sunt, sicut Hieremiam, & Micheam, aliosque multos. Isti autem nunc falsi prophetae, & falsi Christiani qui sunt, veraces Christianos sine misericordia persequuntur, & opprimunt. Aliquando si detur copia etiam gladijs sine intermissione autem suis prauis moribus, & exemplis. Idcirco omnes praeueniens dominus adhortatus est dicens. *Attendite a falsis prophetis.* Attendite diligentius, obseruare cauti, ut non seducamini, ut non circumueniamini, ut non fallamini. Attendite ergo, hoc est, considerate, quia non sunt oves, sed lupi in vestimento ouium, quia non sunt religiosi, sed irreligiosi in figura religiositatis, quod non sunt Christiani, sed veritate vacui, Christianorum persequutores. *Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Ipsos & beatus Apostolus ad Ephesios locuens designabat dicens. Scio enim, quia post decessum meum introibunt in vos lupi graues, lupi rapaces. Lupi vero graues nominantur omnes infideles haeretici, qui grauitate sanctam ecclesiam opprimunt & persequuntur, vel molestare frequentant, qui sine misericordia rapere & coaertere non desunt. Aliquando pecuniarum irruunt alienae, aliquando in ipsos pecuniarum dominos multo magis etiam sagunt animas rapere, & secum miserabiliter in perditionem deducere, & vestitum ouium habere dicuntur, quod nomen habeant Christianitatis, vel quia assimulant se ministris iustitiae figuram religiositatis inuenientes. Per Christianum itaque nomen multos seducere nituntur, dulcibus sermonibus multis scandalum inferentes. Isti sunt de quibus iterum ait Apostolus. Per suos dulces sermones, & blandos seducunt corda innocentium. *Sed ex fructibus eorum cognoscetis eos.* Nolite ad vultum attendere, sed ad opera, nolite vestimentum considerare, sed inspicite figuram fallaciae, apostolos praedicant, sed apostolis contraria annuntiant. Martyres magnificant, sed martyrum persequutores probantur. Apostoli, & martyres sancti non persequutionem fecerunt, sed persequutionem pertulerunt. Non maledixerunt, sed maledicta sustinuerunt. Non blasphemauerunt Deum, sed a blasphematoribus interfecti sunt. Isti autem omnia iniquissima, omnia irreligiosa implere cupiunt, sanctos persequuntur, fideles opprimunt, Deum etiam si non verbis, moribus blasphemant. *Propterea a fructibus eorum cognoscetis eos.* Numquid colligitur de spinis uuas, aut de tribulis ficus? Manifeste dominus per hanc similitudinem declarauit, quia nullus prudentium ad spinas pergens, uuarum exinde dulcedinem quaerit aut super tribulos incedens, exinde ficorum colligat suauitatem. Ita ergo nullus sapientium, vel prudentium ab inanibus veritate haereticis, aut irreligiosis, aut infidelibus exinde sanctitatis dulcedinem vel flagrantiam, aut veritatis suauitatem poterit inuenire, sed pessima apud illos, & maligna reperiet. Sicut enim spinae, & tribuli omnia, quaecumque capere possunt, attrahunt, detinent, & conscindunt, ita omnes infideles haeretici, & praeterea male viuentes, etiam qui rectam fidem videntur tenere, per humanam potentiam, & corruptibilem principatum, per iniquos mores, & praua exempla, omne, quicquid apprehendere possunt,

sunt, conscindunt, attrahunt, atque diripiunt. Quantos hi tales sibi socios ascuerunt, quantos alienos labores abstulerunt, quantas animas post se in perditionem depradati sunt. Merito itaque dominus eos tribulos, & spinas appellauit in asperitate, in stimulis, in amaritudine, in laesione, in malignitate, in impietate. Omnia enim ista in spinis inueniuntur, omnia haec ab infidelibus haereticis, & falso nomine Christianis, consummantur. Quis ad spinas, & tribulos mittens manum, vel approximans ibi non dilaceretur, aut non conscindatur, aut eandem manum non cruentatam inueniat? Quis ergo haereticis manum porrigens, aut caput humilians, incoercibilis a spiritu sancto, aut incruentus ab animae vulnere inueniatur? Quis se iniquorum factis accommodans, non ab eorum iniquationibus peccati aculeo perforatur? Tales enim antiquitus & Iudae fuerunt, qui cum deberent uas adferre, protulerunt spinas, & qui deberant suauitatem ostendere, in amaritudinem a semetipsis conuersi sunt. Quomodo conuersa es, inquit dominus, in amaritudinem vitis alienae? Expectauit enim ut faceres uuas, & fecisti spinas. *Sic ergo omnis arbor bona bonos fructus facit, mala autem arbor malos fructus facit.* Arbores hic nominans dominus, non arbores vere significat istas in terra fixas, non de arboribus his talibus loquitur. Istae enim sunt sine spiritu, sine anima, sine vita, nec benignae, neque imbenignae, nec omnino intelligunt quid sint, aut quomodo sint, sed per earum figuram homines significat, & de hominibus loquitur, qui propria voluntate sua bonum fructum, seu malum proferunt. Non potest ergo infidelis, audax, asper, amarus, dulcissimos fidei fructus efficere, quia nec vult, nec cupit, nec potest. Item fidelis, religiosus, dulcissimus, benignus, infidelis, asperus, & malos facere fructus non potest: quia nec vult, nec cupit, scit enim, quod non sit bonum hoc. Propter quod in sequentibus dicens dominus ait. *Non potest arbor bona fructus malos facere, neque arbor mala fructus bonos facere.* Non potest malus usque quo est imbenignus, & infidelis religiositatis, & benignitatis, & fidei fructum ostendere, ita & bonus, benignus, fidelis, irreligiositatis, & infidelitatis fructum non potest facere in fide, & timore Dei permanens. Agnosce & considera quemadmodum loquitur dominus. Non dixit enim, non potest iste malus conuerti, & effici bonus, sed usque quo est malus, usque hoc bonum fructum non potest facere. Fornicator, usque quo fornicatur, usque hoc castitatis fructum non adfert. Ille infidelis, usque quo in infidelitate permanens, fidei fructum non potest facere. Ita mundus, castus, usque quo caste, & mundum de vitijs, usque eo ipse ab immunditie fructu alienus est. Similiter fidelis, religiosus, usque quo fidei seruat, usque quo religiositatem perficit, usque eo ab omni infidelitate, & irreligiositate infractionosus est. In voluntate est ergo hominum, & in potestate vnicuiusque eligere ligo bonum, siue malum. Propterea utique docentur homines a lege, & prophetis, ab euangelistis, & Apostolis, ab ipso etiam domino, & ab his, qui ecclesiae doctores sunt, ut malum derelinquant, & ad bonum sese conuertant, ut infidelitatem deserant, & fidem custodiant, ut faciant, & proferant non spinas, & tribulos ut malae & infructuosae arbores, sed flagrantes sanctitatis fructum portantes, quae

*In voluntate hominis est bonum siue malum eligere.*

tenuis venientes angeli sicut aues caeli, super nocuos nostros fructus tanquam super ramulos opacissimos requiescant: non suam lassitudinem efficiunt, sed nostrae sanctitati inherentes. Talis arbor fuit bona, & benigna ille, qui ait: Ego autem sicut oliua fructifera in domo Dei. Et, Iustus sicut palma florebit. Talis arbor fuit Iudas usque dum in apostolica vocatione permanisset, usque dum in apostolico stetit ministerio. Quando autem propria voluntate velut in cubili cordis sui malum accepit diabolus, tunc ipse torruosus effectus est voluntate sua, insuauem, & malum adferens fructum dominum, & saluatorem tradedo. Mala arbor fuit prius Manasses, quando templum Dei idolis adimpleuit, quando Hierusalem innocentium sanguine maculauit, sed iterum propria voluntate effectus est bonus, quando bonae penitentiae attulit fructum. *Omnis arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Hoc est ab hominibus fit, ut nullus prudentium arborem fructiferam excidat, & in ignem mittat, sed infructiferas, & spinosas excidant arbores, ut in ignem mittant, quanto magis ipse omnium scientiarum Deus, omniumque cognitor dominus non bonos, & benignos, & fructiferos operarios abscedit, neque in ignem mittit, sed malos, & infideles, spinosos, & asperos, & iniquos, atque inutiles, qui ab omni opere bono reprobi sunt, istos abscedit, & in illum inextinguibilem ignem mittit. Omnis ergo arbor, quae non facit fructum, & non tantum fructum, sed & bonum fructum. Multae quidem arbores fructum ferunt, sed malum, & inutile fructum. Sic & multi homines malum irreligiositatis, & infidelitatis, & peruersitatis fructum adferunt. Ob hoc clare demonstrat dominus, quia omnis arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. *Omnis arbor, id est, omnis homo, siue rex, siue subregulus, siue princeps, siue sub principe, siue senior, siue sub seniore, nulli parcat, nulli honor deferatur, sed omnis arbor, siue diues, siue pauper, siue seruus, siue liber, siue iuuenis, siue senior, omnis arbor infructifera non ferens fructum, abscedetur.* Talis arbor fuit Nabuchodonosor, quando ait; Quis est Deus, qui vos liberet de manibus meis, ideo dictum fuit de eo, abscedite hanc arborem, & euellite eam. Sed enim cum conuersus fuisset, ait, ego Nabuchodonosor oculos meos ad caelum leuaui, & hunc viuentem in aeternum laudauit, & magnificauit, tunc ramusculus radicis eius confirmatus est, & in melius restitutus est, & tunc super regnum suum constabilis est. Talis arbor infructifera fuit filius eius Balthasar, propterea in eadem nocte mox abscessus deperit. Talis arbor fuit & ille diues, qui abscessus in ignem missus est, in quo igne sine misericordia constitutus, & gemens ait; Crucior in hac flamma. Ita ergo omnis arbor non ferens fructum bonum, excidetur a secantibus angelis. Si meliores, vel secantes angeli sunt secundum domini dictum, necesse est, quia hi abscedentes idem ipsi angeli sint. Aut adhuc abscedetur a iudicio dextrali. Iam enim ait Ioannes: Securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Non ideo ut ligni more ardeat, & deficiat, sed in ignem mittetur ille, de quo ait dominus. It maledicti in ignem aeternum, qui preparatus est

*Psal. 51. Psal. 91.*

*1 Ioh. 13.*

*4. Reg. 21. 2. Paral. 33.*

*Dan. 3. & 4.*

*Daniel. 5.*

*Luc. 16.*

*Math. 13.*

*Math. 3.*

*Math. 25.*

diabolo & angelis eius. Attēdamus, o filij Dei, instantes, agamus omnibus viribus nostris, ut non similes efficiamur, neque his talibus appropinquemus, neque in aliquo iugum cum infidelibus, seu iniqua gerentibus ducamus. Propterea nos dominus ista omnia docet per arborum parabolas instruens, ut nos ab infidelibus longius separemus, ut iniquitatis operariis moribus segregemur. De quibus adhuc in sequentibus dicit. *Ex fructibus eorum cognoscetis eos.* Tu, ait, o homo, si porrigas, vel deprimas manum supra spinam, si calcas supra tribulum, si respicias oculo ad infructuosam arborē, sentis, & intelligis quid est, quod tangis, aut quod calcas, aut quod vides, & auertaris, & non ibi appropias. Quare non intelligis & inimicos Dei hæreticos? Quare non auertaris ab iniustis veritatis aduersariis? Quare non odio habes irreligiosos idolorum doctores, & falsos Christianos? Cur non separaris actu ab omnibus inique agentibus? Quare non cognoscis eos secundum fructum eorum? Aliquando sicut spinæ depannant, dirumpunt, & conuellunt ecclesiam, aliquando iterum sicut tribuli sub pedibus occulte suppingunt, & evertunt, quos possunt per infidelitatis doctrinam salutaris stimulos immittentes, per explorum malorum dignamina incautorum pectora sauciantes, sed secundum fructum eorum cognoscetis eos. Habete prudentiam, habete & intelligentiam, secundum fructum eorum cognoscetis eos. Habetis doctores, habetis principes, obaudite illis, auertite vos ab infidelibus, non appropinquetis irreligiosis, & a veritate alienis. Non commisceamini mente tenebrarum operariis, ut in æternum cum eis non condemnemini in ignem. In his similiter adhuc dominus loquens & de hoc ipso errore manifestus, atque clarius disputans ait. *Non omnis, qui dicit mihi, Domine, domine, intrabit in regnum celorum.* Audiāt hoc hi, qui dubitant de fide, audiant hoc mobiles, & nutantes isti, qui duplici sunt corde, illi, qui Christum nominant nomine, sed abnegant substantiam, nominant nomine, sed negant in virtute, nolentes eum vere ex Deo Deum genitum confiteri, propterea & regni eius expertes fient. *Non omnis, qui dicit mihi, Domine, domine, intrabit in regnum celorum.* Non in sermone est regnum Dei, sed in virtute. Non in nomine solo satisfacit domino, sed in inuocatione dilectionis, & charitatis, in confessione, emendatione, & in assertionem veraci, in obseruatione mandatorum eius, & operibus bonis. *Non omnis, qui dicit mihi, Domine, domine, intrabit in regnum celorum,* sed qui facit, sed qui operatur, sed qui adimplet voluntatem patris mei, qui in cælis est. Et quomodo efficitur voluntas patris, ita ut credatur filio eius, ita ut confiteatur vnigenitus eius ex patris substantia natus? Hoc est enim opus Dei, ut credatis ei, quem misit ille, ait Dominus; *Sed qui facit voluntatem patris mei, qui in cælis est.* Prima voluntas Dei hæc est ut credatur filius, ut vnigenitus confiteatur, adoretur ut creator omnium genitus consistens in sinu patris, in vna substantia cum patre. *Qui sic facit voluntatem patris, iste introibit in regnum celorum.* Sed infideles hæretici non intrabunt, quoniam sic non credunt, quia sic non consentunt, quia sic non faciunt voluntatem patris: ideoque nihil eos iuuat Christianum nomen, quatenus fidem non habetur Christianorum, nihil eos iuuat nomen

1. Cor. 4.

1. Ioh. 6.

domini, quatenus non inuocant sicut debent in veritate dominus inuocari. *Non omnis ergo, qui dicit mihi, domine domine, intrabit in regnum celorum, sed qui facit voluntatem patris mei, qui in cælis est.* Audite, dei fides, audite, negligentes, audite, inuitiles, qui speratis, quod in hoc saluari possitis, quod Christiani appellamini, qui Christianorum opus non facitis, ut Christiani vocemini, nec mores Christianorum impletis. Ad vos, qui estis in ecclesia, hoc verbum, ad vos, fideles, hæc allocutio. Non te iuuat, o homo, quod dicitis domine, nisi in timore seruietis domino, nisi alacriter mandata eius impleueris, nisi omnem eius feceris voluntatem, nisi ab omni te immunditia, & irreligiositate abstinueris, nisi ab omni crudelitate auertaris, omnem que iniquitatem deposueris, atque impietatem omnem despexeris. Grans clamans, vociferas, gratias exaltas vocem tuam, dicēs, domine, domine. Testem inobedientia tuæ vocas eum, dominum nominans, non timens sicut dominum, neque in tremore ei seruiens. Hoc enim manifestus ostendens dominus ait: Non omnis, qui me domini nomine tantum honorificat, non omnis qui sine facto, sed tantum ore me dominum appellat, introibit in regnum celorum: sed qui opera digna meo nomine facit, & conuersationem dignam meam sanctificatione adimplet. Hæc est enim, o fratres charissimi, voluntas patris, sanctificatio vestra, castitas vestra, immaculatio vestra, fides vestra, religio vestra. Hæc est voluntas patris, ut vos operibus demonstretis, qui sitis, & cuius sitis, præstante, & adiuuante ipso domino nostro Iesu Christo, cui est cum deo patre, & sancto spiritu honor, & gloria, & potestas in sæcula sæculorum, Amen.

Faciunt de  
contra Lib  
vniuersa  
et filio  
natura

1. Ioh. 4.

Philip. 3.

Al. 9.

1. Cor. 12.

1. Ioh. 13.

1. Ioh. 13.

1. Ioh. 13.

Dicitur  
1. Reg. 11.

Matth. 23.

Exod. 13.

1. Ioh. 13.

1. Cor. 13.

1. Ioh. 13.

saluatorem: & Saulam arborem malam eo tempore quo persequebatur ecclesiam Christi, fecisse postea fructus bonos, quando in vas electionis de persecutore translatus est. Tandiu ergo bona arbor fructus non facit malos quandiu in bonitatis studio perseuerat: & mala arbor tandiu manet in fructibus peccatorum, quoadiu ad penitentiam non conuertitur. Nemo enim permanens in eo quod fuit incipit id esse quod necdum cepit. *Non omnis qui dicit mihi, domine, domine intrabit in regnum celorum: sed qui facit voluntatem patris mei qui in cælis est, &c.* Sicut supra dixerat eos qui haberet vestem vitæ bonæ, non recipiendos propter dogmatum nequitiam: nunc e contrario asserit, ne his quidem accommodandam fidem, qui cum polleant integritate fidei, turpiter viuunt, & doctrinæ integritatem malis operibus destruunt. Virumque enim Dei seruis necessarium est: ut & opus sermone, & sermo operibus comprobetur. Huic sententiæ potest illud videri contrarium: Nemo potest dicere dominus Iesus, nisi in spiritu sancto. Sed moris est scripturarum, dicta pro factis accipere, ut statim in consequenti approbatur refutari eos qui iactant sine operibus habere scientiam domini, & audiunt à saluatore: *Discedite à me operarij iniquitatis, nescio vos.* Et Apostolus in hunc sensum loquitur: *Confitentur tibi se nosse Deum: factis autem negant.*

ac repellens, quos à cognitione sua opera iniquitatis auerterint.

S. IO. CHRYSOSTOMI  
Episcopi Constantin. in superius  
Euang. Homil. 1.

Quum ipsa via arcta sit, tum etiam plurimi sunt iter facientium, qui ab eius nos excludere conantur ingressu, propter quod intulit; *Attendite à falsis prophetis: veniunt enim ad vos in vestitu ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Ecce cum canibus, ac porcis, aliud quoque insidiarum genus multo illis profecto efficacius ad nocendum. Illi quippe professi sunt, & omnino manifesti: isti verò fraudulenter obiecti & idcirco ab illis quidē imperat abstinere, istos verò etiam diligenter examinari, atque discerni, quasi omnino difficile sit ad primum illos intelligere congressum, propter quod dixit; *Attendite,* ut nos ad eos excutiendos redderet aciores. Deinde, ne quum audissent, arctam, atque angustam viam; & quia illos, multis aduersantibus, per eam oporteret incedere, porcos quoque, & canes esse cauendos: cumque istis aliud quoque malitiosius genus luporum: ne, inquam, tot triftium rerum aggestione conciderent, ac satis durum putarent, tam multis insidiantibus iter tale conficere, & de omnibus mandatis præterea esse sollicitos, malorum quoque illos, quæ sub patribus eorum sunt facta, comonuit, huiusmodi homines falsos prophetas vocando: nam & ante talia contigerunt. Nolite, inquit, omnino terri, nihil profus vobis nouum accidet, nihilque peregrinum, semperque diabolus ad oppugnationem veritatis subornat errorem per pseudopphetas. Hic autem non mihi significare videtur hæreticos, sed eos, qui quum sint vitæ prauitate corrupti, speciem tamen virtutis induiti sunt, qui vulgo impostores vocari solent, propter quod intulit, dicens; *Ex operibus eorum cognoscetis eos.* Nam apud hæreticos quidem saltem vitæ honesta frequenter ostenditur, apud hos verò nec vitæ. Quid ergo, inquis, si etiam mores fingant honestos? sed facile deprehendentur, atque capientur. Talis quippe est natura istius vitæ, quam vos conficere præcepti, laboriosa profus, ac dura: virtutis vero simulator recusat laborem, solamque sui ostentationem requirit, propter quod etiam de simulatione conuincitur. Quia vero dixerat; *Pauci sunt, qui inueniunt eam.* Sanctam proculdubio paucitatem ab eis secernit, qui, quum non inueniant iter illud angustum tamen se inuenire simulant. Et cæteris præcepit, ut non ad eos, qui virtutis specie teguntur, aspiciant, sed potius ad eos, qui illam viam in veritate concelebrant. Et cuius, inquis, rei gratia non eos facit esse manifestos, sed nobis potius curam huiusmodi examinationis imponit? Ut profecto vigilemus, simus absque intermissione solliciti, non ab apertis modo, sed ab occultis quoque inimicis cauendo, quos significat & Paulus, dicens; Et per dulces sermones seducunt corda innocentium. Nequaquam ergo turbemur, cum huiusmodi homines nostræque ætate plurimos videmus. Nam hos quoque Christus paulo antè prædixit. Et confidera lenitatem, non ait, punite tales, sed tantummodo, ne ab eis lædami.

Ex hom. 24.  
in Matth.

S. HILARII PICTA  
uiensis Episcopi superioris Euang.  
expositio.

Attendite à pseudopphetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, & reliqua. Blādimenta verborum & mansuetudinis simulationem admonet fructu operationis expēdi oportere: ut non qualem quis verbis referat, sed qualem se rebus efficiat spectemus: quia in multis vestitu ouium rabies lupina contegitur. Ergo, ut spinæ vuas, ut tribuli ficus non generant, & iniquæ arbores vilia poma non afferunt: ita ne in istis quidem consistere docet boni operis effectum, & idcirco omnes cognoscendos esse de fructibus. Regnū enim celorum sola verborum officia non obtinent: neque qui dixerit Domine Domine, hæres illius erit. Quid enim meriti est Domino dicere, Domine: Nunquid Dominus non erit, nisi fuerit dictus à nobis? Et quæ officij sanctitas est nominis nuncupatio, cum cælestis regni iter obedientia potius voluntatis Dei, non nuncupatio reperitura sit, *Non omnis, &c.* Etiam nūc pseudopphetarum fraudulentiam & hypocritarum simulationem condemnat: qui gloriam sibi ex verbis virtute præsumunt, in doctrinæ prophetia & dæmoniorū fuga, & istiusmodi operū virtutibus. Atque hinc sibi regnum celorum pollicentur: quasi verò eorum aliquid proprium sit, quæ loquuntur aut faciunt, & non omnia virtus Dei inuocata perficiat: cum doctrinæ scientiam lectio afferat, dæmonia Christi nomen exagitet. De nostro igitur est beata illa æternitatis promerenda: præstantumque est aliquid ex proprio, ut bonum velimus, malum omne vitemus, totoque affectu præceptis cælestibus obtemperemus, actualibus officiis cogniti Deo simus, agamusque potius quod vult, quam quod potest gloriemur, repudians eos

ni, præcauere, & ne incircumspècti, atque immuniti in eorum insidias incidatis. Deinde, ne dices impossibile esse huiusmodi homines deprehendi, rursum similitudinem à communi hominum ponit exemplo. *Nunquid colligunt de spinis uiam, &c.* Quod uero dicit, huiusmodi, nihil habent mite, uel dulce, qui oues usque ad superficiem mentiuntur, propter quod omnino facilis discretio est. Et, ne uel in exiguo quidem de eorum malitia hæsites, naturalibus iam necessitatibus comparat ea, quæ ab illis non aliter sunt futura, quo more loquebatur & Paulus; Sapiencia, inquit, carnis, mors est: legi enim Dei non subiicitur, nec enim potest. Quod & idipsum ponit secundo, nõ est superflua repetitio uerborum. Sed, ne quispiam diceret, arbor mala affert quidem fructus malos, affert tamen etiam bonos, siq; ex duplici fructuum qualitate discretio ipsa difficilis. Non est hoc, inquit, omnino: malos uero tantummodo affert, bonos uero nequaquam poterit afferre. Sicut & arbor bona nõ nisi iuxta suam naturam fructificare solet. Quid igitur? Nunquam ne homo bonus in malum uersus est, aut malus rursus in bonum: atqui multorum omnino in diuersa mutatio talia nobis abundè ministrat exempla, Christus autem non dixit impossibile esse malum ad meliora conuerteri, nec bonum negat in deterius posse transire, sed, quia, quando malitia affixus est, bonum utique fructum non possit afferre. Nam transire quidem ad uirtutem, etiam quum sit malus potest: sed nõ quum bonum affert fructum, quando in malitia perseverat. Quid ergo? Dauid, nõne, quum bonus esset, malum attulit fructum? Imò non permanens bonus, sed utique mutatus. Cæterum, si qualis erat, continuò perseuerasset, nequaquam talem fructum tulisset, neque permanens in cepto uirtutis usque fecisset illa, quæ fecit. Hæc autem idcirco præcipuè dicebat, ut eorum quoque, qui temerè obloqui etiam innocentibus solent, linguam reprimeret, passimque accusantium ora frenaret. Quia enim plurimi bonos quoque de malorum ingeniis æstimant, ut omni eos excusatione nudaret, hoc intulit: Non enim, inquit, potest dicere; Circumuentus sum, atque deceptus. Si quidem manifestam tibi discretionem ex operibus ostendit, & ut etiam discuteret eorum opera, præcepit, ne scilicet temerè cuncta confunderes. Deinde quia eos puniri nõ iusserat, sed tantum caueri, hos quidem consolatur, qui eorum patiebantur insidias; illos uero deterreret, & si nolint ad meliora conuertere, quasi quodam muro, ita supplicij eos comminatione concludit: *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Deinde, ut sermonem ipsum aliquantulum temperaret, intulit, *Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos.* Non enim certam illam, & iam iamque complendam comminationem uideretur inducere, sed eam, quæ consilij uicè, atque admonitionis impleret, hæc eorum animos interminatione, atque examinatione concussit. Quo quidem loco mihi etiam Iudæos uideretur notare, huiusmodi fructus sæpe monstrantes. Propterea etiam Ioannis uerbis uti maluit, per eadem scilicet rerum uocabula illis supplicium comminando. Talia quippe etiam ille dicebat, cum instantem securim, & excidendam arborem, ignemque inextinguibile nominaret. Et uidetur

Roma. 8.

quidem unam tantummodo pœna esse conburi. Si uero aliquis diligenter expendat, duplex hoc inuenit esse supplicium. Qui enim in gehenna uirtur, & cælorum regnum profus amittit, quæ certe pœna maior est, quam craciatus ille flammaram. Noui autem, quia plurimi perimefcaunt gehennam, ego tamen illius gloriæ amissionem multò amarius, quàm ipfius gehennæ dico esse supplicium. Si uero id nõ possum sermone monstrare, nihil est omnino mirandum, Neque enim nouimus illorum beatitudinem præmiorum, ut infelicitatem quoque de eorum amissione scire possimus. Cæterum Paulus, qui ista comparat, certissimè nouit, quoniam excidere à Dei gratia omnium sit profectò miserimum. Nos autem hoc runc absque dubio discemus, quum experimento cõperimus doceri. Sed istud ut ne patiamur faxis, & vnigenite fili Dei, neque experiamur intolerabile istud, horredumque supplicium quàm grande sit: Nam quàm malum illorum bonorum portione priuari, apertè quidem exprimi non potest, tamen, prout mihi possibile fuerit, conabor, atque contendam per exempla uobis illud facere uel ex parte manifestum. Ponamus igitur adolefcentem aliquem esse mirabilem, eundemque & cunctis florere uirtutibus, & totius tenere orbis imperium, tamque in omnibus esse perfectum, ut vnuerfos erga se homines patrio ardore faciat affectu. Quid non ergo istius fructum existimatis libenti animo, ne talis filij priuetur alioquo: quod uero uel exiguum, uel grande malum non esse subiturum, modò uel illum etiam uideat, atque illius præsentia perfruat? Hoc igitur de futura quoque gloria cogitemus. Neque enim sic filius patri, etiam si uirtutibus mille decoretur, desiderabilis est, atque mirabilis, ut caelestem fructus bonorum, ac resoluui, & esse cum Christo. Inolerabilis quidem res est etiam gehenna (quis nesciat,) & supplicij illud horribile. Tamè, si mille aliquis ponat gehennas, nihil tale dicturus est, quale est, à beatæ illius gloriæ honore repelli, exorsumque esse Christo, & audire ab illo; Non noui uos, atque argui, quod esuriens, & sitiens negauerimus cibum, & potum. Est enim satius mille fulmina sustinere, quàm uultum illum maestudinis, pietatisque plenum, nos tamen auctantem uidere, & illos totius tranquillitatis oculos, nequaquam nos aspiciere sustinentes. Si enim ille me, cum ei inimicus existerem, eumque odifsem, atque auersarer, ita est tamen sequutus, ut ne sibi quidem parceret, seseque ipsum in mortem traderet, quando post illa omnia esurientem illum ne pane quidem duco dignum, quibus iam illum potero oculis intueri: sed hoc etiam illius considera loco lenitatem. Neque enim beneficia sua imputando commemorat, nec, quia illi eum despiciant, quibus tanta præstiterit: nec enim dicit, te, qui quum non esses, esse te præstiti, & tibi inspirauit animam: qui te supra ea, quæ in terra sunt, cuncta constituti, propter te & cælos, & aërem, & pelagus, & terram, & omnia, quæ existunt, creauit: qui à te in honoratus sum, & diabolo ipso uilior existimatus: qui nec sic quidem destitit, sed innumera tibi beneficia etiam post ista donauit, qui ob tuam salutem fieri seruos elegi: qui palmis ora temeratus, & faciem sputaminibus aspersus, & feruili supplicio deputatus: ut te de morte redimerem, crucis mortem ipse sustinui: qui pro te etiam

etiam in cælo interpellò patrem, qui spiritum sanctum tibi dono, qui te ad regnum in uito cælorum; qui tibi etiam tanta promisi; qui & caput tuum esse uolui, & sponfus, & uestis, & domus, & radix, & passus, & potus, & pastor, & frater; qui te hæredem, cohæredemque delegi; qui de tenebris in lumen te duxi: cum hæc enim, hisque plura proferre possit, nihil horum omnino commemorat. Sed quid? solum ipsum profectò peccatum, hic quoque charitatem, ac desiderium quod erga te habet, ostendens. Neque enim dixit; Ite in ignem paratum uobis, sed paratum diabolo. Et prius dicit, quænam illi peccauerint. Et ne tunc quidem cuncta, sed pauca, & ante hos illos, qui mandata eius impleuerint, in regnum uocat, ut ex hoc quoque ostendat iuste se culpate, quos damnat. Quoniam ergo supplicio non sunt uerba eiusmodi sauiora? Si enim hominem aliquis, à quo beneficiis affectus est, esurientem minimè despicit; sed, etsi fortasse despiciat, certè, quum ei ille exprobrare beneficia sua ceperit, eligit magis in terram omnino demergi, quàm coram duobus, tribusue amicis tale aliquid audire: quid nos patiemur, perpendite, qui toto iam teste mudo, hæc, quæ memorata sunt, audiemus, quæ ne dominus quidem diceret, nisi & æquitatè propriæ ueller declarare sententiæ? Quod enim haud exprobrat ea proferret, sed quæ si satisfacit, & ostendens, quia nõ eis frustra, nec absque certa iusticiæ ratione dicturus sit, discedet à me: ipsa satis beneficiorum, quæ eis antè contulerat, liberalitate patefecit. Si uero exprobrare uoluisse, omnia illa, quæ dixi, adduceret in medium: nunc autem dicit sola illa, quæ passus est. Timeamus igitur, dilectissimi, huiusmodi tunc audire sermones. Nõ est lusus hæc uita: imò est quidam præfens uita lusus, sed non est lusus etiam futura. Nunc autem non tam lusus est uita nostra, quàm aliquid fortè deterius. Non enim tendit ad risum, sed intolerabilem quoque portabit dolorem eis, qui mores suos non maturè, ac diligenter institunt. Quo enim distamus à pueris, ludèdi gratia casulas ædificatibus, nos, qui ampla prætoria, & clara construimus? Quæ autem dissimilitudo est inter eorum prandiola ad ludum parata, & nostra hæc splendide, ac delicatè apparatus cõuiuia? Nulla plane, nisi quod ea nos ad supplicium nostrum sæpe faciamus, quæ illi imitantur ad ludum. Quod si necdum perspiciamus eorum, quæ agimus, utilitatem, non est profectò mirandum. Nondum enim uenimus ad maturitatem uitorum, quod cum uenerimus, intelligemus hæc omnia esse puerilia. Nam & illos, cum ad uirilem transimus ætatem, ridere consueuimus, ob ea certè ipsa, quæ, cum pueri essemus, etiam studiosè credebamus esse faciendâ. Nam & testas aliquando, & lutum sæpius aggerentes, non minus gloriabamur, quàm ij, qui certatim amplas porticus, & triclinia gaudent superba construere, sed tamen peribant illa, & continuò corruebant. Verum ne stantia quidem uitalia nobis esse potuissent, sicut ne istè quidè splendide domus, quæ certè iam cæli ciuem capere nõ possunt. Sed neque iste in illis se habitare patietur, qui patriam expectat æternam. Verum, ut nos pedibus ludicra illa ædificioli plerumque destruiamus, ita hæc sapienti ille mente subuertit, & sicut nos paruulos de illa stentes destructione uideamus, sic isti quoque uiri nobis de hac subuersione

merentibus, nõ modò rident, sed etiam flect. Si quidem & eorum viscera compassione plena sunt, & nobis ingentia hinc nascuntur incommoda. Iam igitur in uiros transeamus aliquando, quando diu terræ profus affligimur, de lignis, ac lapidibus gloriantes? Quousque lufibus occupamur, ac salutem nostram ipsi despiciamus, ac prodimus? Nam ut pueri cum, neglectis literis, ad huiusmodi nugas sua studia cõuerterint, durissimis uerbis subiacebunt, sic nos quoque, qui in his rebus studium omne consumimus, quum à nobis spiritalium exigetur operum disciplina, nisi quæ reddenda erit, habuerimus parata, horrenda illa supplicia perferemus. Nec erit ullus omnino, qui liberet, etiam si pater, etiam si frater, uel quilibet alius assistat. Sed hæc quidem, quibus nunc dediti sumus, cuncta pariter euanescent, quæ uero ex istis pœna colligitur, immortalis erit, atque perpetua. Quod quidem accidere consueuit in paruulis, quorum puerilis illa constructio à patre tota subruitur, ipsi etiam uerberati post lufus conuertuntur ad lachrymas. Atque, ut hæc ita se habere discas, illud ipsum, erga quod maximum studium uidetur esse ponendum, id est, diuitias, in medium proferamus, & constituamus quamlibet è regione uirtutem, & tunc præcipuè illarum perspicias utilitatem. Duos igitur homines esse ponamus, nec de auaritiæ opibus sermo sit, sed de honestis adhuc, iustisque diuitiis. Duo ergo taliu opum domini fingantur, quorum vnus quidem ad pecunias congregandas maria nauiget, terras excolat, multaque alia reperiat genera lucrandi; quanquam ignoro, si hæc faciens iuste patrimonium possit augere. Verum concedatur istud, & constituatur interim lucra illum iusta conquirere. Iste igitur & agros cõemat, & seruos, & quantacumque sunt talia, nullaque ad hæc iniquitate ducatur: alter uero æqualiter locuples uendat agros, uendat domos, uasa quoque argentea, & aurea, atque aurum omnium pretium indigentibus largiatur, curet ægrotos, in necessitate positos absoluat, alios uinculis eximat, alios eripiat de metallis, alios egestatis impatentia ad laqueum conuolantes, in uitæ amorem reducat, liberet de seruitute, ac morte captiuos; de cuius uos tandè esse parte malletis? Et certè nondum futura diximus, sed interim ista præsentia. Cuius, inquam, similes esse malletis? cõgregantis aurum, an plurimorum pericula submouentis: ementis agros, an hominibus diuersa calamitatu tempestate uexatis, semetipsum portam paratis multò auro argètoque circumdatis, an mille laudibus coronati? Nõne enim hic quidem uidetur angeli alicuius similis, qui de cælo ad cõsolationem hominum, emédationemque descenderit? Alter uero nec homini cõferendus, sed cuius paruulo uanè cuncta, & inaniter congreganti. Sin autem pronuntiat huiusmodi hominem esse ridiculum, extremæque uerociæ: quando etiam iniquè opes cõgregat, quid eo potest infelicius iudicari? Si enim tanta illius soladerisio est quum addita fuerit & gehenna, & regni cælestis amissio, quibus lachrymis, quibus tandem lamèrationibus prosequèdus est & uiuus, & mortuus? Sed alteram quoque, si placet, uirtutis partem eiusque cõtrarium pòderemus. Alium igitur rursus hominem proferamus, in summa potentia constitutum, omnibus imperantem, ingenti profus honore conspicuum, præclara præconiij

Autor, & ueritas sera omnes iustas admodum infensum sunt ditionibus, præsertim uero ne gatiacribus.



sui voce terrificum, cinctum baltheo potestatis gemino, ac longo præauntium ordine gloriâtem, multorum officiorum stipatum caterua nōnne magnum hoc esse quiddam creditur, ac beatum? Age igitur, contra hunc quoque alium è regione ponamus splendens virtute patientiæ, humilitate, ac mansuetudine resurgens: & hic tamen patitur iniurias, atque etiam verberetur, cum & que hæc facile portet, ac fortiter, eosque, à quibus iniurias accepit, benedictionibus prosequatur: responde, quæso, quis magis horum tibi admirandus videtur? Ille inflatus, & tumidus, an iste pressus, ac placidus? Nonne rursus hic quidem caelestibus est virtutibus comparandus, quæ maxima impassibilitate potiuntur: ille verò homini morbo hydropis, & plurimò prorsus tumore turgenti? & hic quidem medico spiritali, ille autem inflatis, ac resupinis? Quid tibi, arrogas homo, quia sublimi curru veheris, quia te trahunt mularum quadrigæ? Et quale istud est? Nam & saxa ita plerumque, & ligna gestantur. Sed speciosa veste circumdatis? Sed & respice pro cultu vestium, virtutum decore fulgētem, & videbis te, quidem putrefacto iam sceno esse simillimum; illum verò arbori admirabiles fructus ferēt, maximam præbenti cernentibus voluptatem. Tu quippe circumfers passum vermium, atque tinearum, quæ, cum tibi incubuerint, celeriter te huiusmodi ornatu nudum relinquent. Nam vestimentum, & aurum, aliud quidem vermium cibus est, aliud verò terra, & cinis, & iterum terra, & præterea nihil: at verò ille, qui virtutum decore circumdatus est, talem profectò habet stolam, quam non modo tinea, sed ne mors quidem valeat ipsa corrumpere. Siquidem istæ virtutes animi nequaquam à terra sortiuntur exordium: fructus quippe sunt spiritus, propterea neque vermium dentibus deputantur. In cælo nanque huiusmodi vestimenta texuntur, vbi non est tinea, non vermis, nec huiusmodi quicquam aliud omnino. Quid igitur est melius, responde, quæso, sublimati potentia, an potius inhonoratum iacere? Splendere diuitiis, an squalere paupertate abundare delictis, an fame, atque egestate cruciari? Proculdubio melius, atque optabilius in honore esse, & in diuitiis, atque delictis. Si ergo bona eligis magis ipsa, quam nomina, relinque terras, & transgredere totus ad cælum. Siquidem præsentia ista vmbra sunt, & quædam vanitates imaginum: futura autem veritas rerum immobilis prorsus, ac solida, nec ab vilo tibi aliquando rapienda. Hæc nos igitur cum studio diligamus, vt ex horum, quæ hic sunt, liberemur tumultu, & ad portum illum tranquillissimum nauigantes, multa onusti merce veniamus, & ineffabilibus misericordiæ operibus redundemus: quibus nos omnes contingat potiri, gratiâ, & misericordia Domini nostri Iesu Christi, cui gloria, & imperium in secula seculorum, Amen.

EIVSDEM IN IDEM  
Homil. 2.

Ex Hom. 25.  
in Matth.

Non omnis qui dicit mihi, Domine Domine, intrabit in regnum celorum, &c. Cuius rei gratia non ait, sed, qui facit voluntatem meam? Quia hoc interim poterant amabilius audire, quod di-

xit, citiusque suscipere: illud autem ad eorum infirmitatem nimis erat grande, quod tacuit. Ali- ter verò id ipsum, quod reticuisse visus est, istud dicendo signavit. Præterea hoc quoque possumus dicere expressum hic esse manifestè, quia non sit in patris, ac filij voluntate diuersitas. Mihi autem videtur Iudæorum hic propriè conscientias verberare, omnem prorsus religionem in dogmatum ratione ponentium, de sancta verò con- uersatione nihil omnino curantium: vnde illos etiam Paulus coarguit, dicens: Cognominaris Iudæus, & requiescis in lege, & gloriaris in Deo, & nostri voluntatem eius: verum nihil tibi ex ea accedit quicquam, nisi eadem vitæ integritate de- clares.

AVTHORIS DICTI IM-  
perf. in Matth. eiusdem Euang.  
expositio.

Attendite à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces: à fructibus eorum cognoscetis eos, &c. Suprà mandans Apostolis suis dominus, ne elemosy- nas faciant coram hominibus, vt videantur ab eis, sicut hypocritæ: & ne orent, vt ab hominibus videantur, sicut hypocritæ: & vt ne ieiunent coram hominibus se ostendentes, sicut faciunt hy- pocritæ: & docuit illos vt ne faciant sic, & instruxit eos, quia possibile est in hypocritis & elemo- synas facere, & orare, & ieiunare: propter quod quasi iam ad cognoscendum, quia hæc omnia in hypocritis fieri possunt, loquitur dicens. Attendite à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, ab intus autem sunt lupi rapaces. Quæ sunt ves- timenta ouilia? Species videlicet simulata: reli- gionis. Elemosyna simulata vestimentum ouile est, non opus ouile. Oratio simulata vestimentum ouile est, non opus ouile: ieiunium simulatum, vestimentum ouile est, non opus ouile: & cetera species pietatis, quibus se vestiunt lupi rapaces. Nulla autem res sic exterminat bonum, quemad- modum simulatum bonum. Nam manifestum malum, quasi malum fugitur & canetur: malum autem sub specie boni calatum, dum non cogno- scitur nec cauetur: sed quasi bonum suscipitur, & ideo coniunctum bono, exterminat bonum. Sic serui diaboli tunc pessimè Christianitatem cor- rumpunt, quando se simulant Christianos: de quibus admonet discipulos suos Christus, magis autem nos omnes per illos, dicens: Attendite à falsis prophetis quia magna virtus est hominum \* cognoscere malum, & firma tutela salutis est scire quem fugias. Hæresis quidem periculosa res est, sed vitilis valde. Periculosa quidem, quia multi seducuntur per eam, & pereunt: vitilis autem est, quia tentantur fideles per eam, & ab infidelibus segregantur. Qui murmurat de periculo tenta- tionis, murmuret necesse est de præmio probatio- nis. In nullo enim negotio potest requies inue- niri, nisi præcesserit labor: quanto magis in spiri- tualibus rebus, nisi præcesserit tentatio, non po- test esse probatio. Attendite à falsis prophetis. Pri- mum scire oportet, quia sunt omnino falsi. Nulla res perdet viros Christianos magis quam hoc: quia quoscunque viderint dici Christianos, quasi Christianos eos æstimant. Si enim constat, quia

Necesse haec  
interior, quæ  
omnis ad huc  
fide respicit  
Rom.

\* boni.

sunt falsi Christiani, aut ille est falsus Christianus, aut tu. Si non tu, ille: si tu, non ille. Si ille, vt quid illum Christianum æstimas, de quo tibi Christus mandauit, Quia Christianus nō est. Quem Deus suum non cōstituit filium, tu quomodo tibi æsti- mas fratrem? Sed forte dicis. Quomodo dicere il- lum possum non esse Christianum, quem video Christum confitentem, altare habentem, sacrificium corporis, & sanguinis Christi offerentem, baptizatum, scripturas sanctorum legentem, om- nem ordinem sacerdotij habentem? Vir sapiens, si non confiteretur Christum, & manifesta esset gentilitas illius, & si seducebaris per eam, in sania erat, quæ seducebaris: nunc autem qui confitetur Christum, sed non sic quemadmodum mandauit Christus, negligentia tua est, si ab eo seduceris. Qui enim in occultam foueam cadit, negligens esse dicitur, quia non caute prospicit: qui autem in manifestam foueam cadit, non negligens dicitur, sed infanus. Quæ autem de similitudine ec- clesiarum quorundam mysteriorum dixi, hic audi respon- sum. Quoniam & simia hominis habet membra, & per omnia hominem imitatur, nūquid propterea dicenda est homo? Sic & hæresis omnia ecclē- siæ habet, & imitatur mysteria, sed non sunt ecclē- siæ. Deinde sciens dominus quia non erant manifesti Gentiles, sed absconditi sub nomine Christianos: ideo non dixit, Aspice, sed, attendite. Aspice enim est simpliciter videre: attendere au- tem est caute considerare. Vbi enim certa res est & indubitabilis, aspicitur: vbi autem incerta & dubitabilis, attenditur. Sciens ergo Christus, quia est in illis aliquid quod aliis per alio videbatur: aliud desuper positum, aliud intus inclusum: ideo dixit, Attendite: vt scias quia non corporali aspe- ctu attendendum est, sed vigilantia spirituali. Si enim corporaliter illos aspicias, cognoscere non potes, quia schemata Christianitatis habent. Nam homines passibiles potestis videre mendacia veritatis velamine cooperata: Primum ergo atten- dendum est per opera bona. Si enim opera iusti- tiæ facimus, & à nullo errore decipimur, & ipsi omnem sentimus errorem. Nam ipsa res facit er- rare, quæ facit alterius errorem non cognoscere. Nam qui non cognoscit mendaciū alterius, suam non intelligit veritatem. Ergo quādiu bona ope- ra facimus, ipsum lumen iustitiæ ante oculos nos- tros adaperit veritate. Sic & peccata peccantium sensus tenebescere faciunt, vt nō videntes men- dacium, eadant in illud. Vide enim ab initio, ex quo inter homines seminatus est error fidei, non error diabolicus fecit homines malos, sed homi- nes mali diabolicum sibi fecerunt errorem. Si er-ror fecisset homines malos, culpa erat Dei, qui tales homines fecit, vt ab erroribus seducantur: nunc autem culpa est hominis qui voluntariè elegit errorem: quia non possunt errores præua- lere in homines, nisi peccata præcesserint. Prius enim peccatis plurimòs excæatur homo, & sic diaboli seductione seducitur, & cadit in mortem. Quemadmodum enim sole manente non præua- let nox, quam autem accesserit ad occasum, tunc occupat mundum: sic quādiu lumen iustitiæ in homine fuerit, tenebra erroris eum non apprehendit. Ergo bonis operibus vigilandum est, quia non error generat peccata, sed peccata errorem. Sicut dicit Sapientia: Impietas trahit hominem ad errorem. Attendite sicut admonet: attendite,

quasi de inuito diabolus hæres introducat: non de inuito, sed permittente. Si enim Gentes non credidissent in Christum, intelligebamus virtu- tem fuisse diaboli, qui Gentes credere non per- misit. Nam si diabolus aliquid potuisset, ab initio credere non permisisset: nunc autem ex eo quòd omnes Gentes crediderunt, sed postea ex creden- tibus factæ sunt hæreses: manifestum est, quia nō fuit virtus diaboli, sed permissio Dei. Et quare sic admonet quasi qui noluerit fieri? Quia non sine iudicio vult seruos suos habere, ideo misit tenta- tionem. Quoniam autem non vult per ignoran- tiam eos perire, ideo admonet. Ideo tentationem mittit, ne mali cum bonis coronentur. Ideo au- tem admonet, ne boni cum malis pereant. Atten- dite vobis à falsis prophetis. Scriptum est: Omnis lex, & propheta vsque ad Ioannem: non quia fu- turo nō erant post Ioannem. Fuerunt enim & Agabus & Silas, & multi. Sed quia prophetia de Christo non erat ventura post eum. Ergo post Ioannem prophetia quidē de Christo futuro cessauit, pro- pheta autem & fuerunt, & sunt: sed non qui pro- phetarent de Christo, sed qui interpretarentur ea quæ de Christo ab antiquis fuerant prophetata, id est, doctores ecclesiarum. Sed & omnes Chri- stiani propheta dicuntur, qui in regnum, & in sa- cerdotium, & in prophetiam vnguntur. Nec enim potest quis propheticos interpretari sensus, nisi habeat spiritum prophetiæ. Hæc autem diximus, vt ostendamus, quia propheta, de quibus loquitur Christus, doctores dicuntur. Sciens ergo do- minus futuros esse falsos doctores hæresum di- uersarum, contra veros doctores, qui scripturas Propheticas, & Apostolicas peruersa interpreta- tione confunderent: ideo per Apostolos suos om- nium ecclesiarum doctores admonet: dicens, At- tendite vobis à falsis prophetis. Et ne forte dicat ali- quis hæreticus doctor, quia non dixit nos falsos prophetas, sed Gentilium, & Iudæorum doctores: ideo addidit, dicens: Qui veniunt ad vos in vestimen- tis ouium. Quamuis & de Iudaicis quidem falsis Apostolis, & prophetis ista prædicat, tamen de il- lis Iudaicis, qui in Christum quidem fuerant cre- dituri ex eis, peruersa autem loquentes secundum suggestionem maligni spiritus, ad corruptionem Christianorum fuerant locuturi, de quibus ea- nendis in omni Epistola sua sollicitè monet Apo- stolus: quorum filij sunt & hæretici modò. Oves enim propriè Christiani dicuntur: vestimentum autem ouile, est species Christianitatis. Vides quia de hæreticis Christianis loquitur Christus fugiendis, qui à foris in schemate Christiani vi- dentur, ab intus autem confessionis efficacitate Gentiles. Et isti multò periculosiores sunt quàm illi Iudaici: quia illi quidem reiecti ab Apostolis, & vocati extra conuentum Christianorum erra- tici vagabantur, hæretici, & furtem quosdam cor- rumpebant incautos. Isti autem quasi fundati Christiani, & ecclesias suas habentes. Et quid di- co ecclesias etiam regentes, palam cum libertate subuertunt: & sic multiplicati sunt ex diuerso, vt Christiani vagi potius videantur quàm illi. Et quo- modo non sint periculosi, aut quomodo suadent multis? Et ne adhuc dicat hæreticis, quia de veris Christianis doctoribus loquitur, qui Christiani quidem sunt, tamē peccatores sunt, Omnis enim Christianus qui facit peccatū, falsus dicitur Chri- stianus: & verè quidem est, quia Christianus qui

Math. 23.

facit peccatum, nec pœnitet de peccato, falsus est Christianus. Tamen ut scias, quia non de Christianis peccatoribus, sed de hæreticis doctoribus loquatur: non tantum dixit, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium: sed addidit, Ab intus autem sunt lupi rapaces, Christiani enim doctores, & si fuerint peccatores, serui quidem carnis dicuntur, quia vincuntur à carne, tamen propositum non habent perdere Christianos, & ideo non dicuntur lupi rapaces. Vides ergo, quia manifestè de hæreticis doctoribus dicat, qui eo proposito schemata Christianorum susceperunt, providente diabolo, ut Christianos iniquo seductionis mortu dilaniet.

Act. 20. De qualibus lupis ad Ephesios dicebat Apostolus: Scio quia post discessum meum intrabunt lupi graues in vos, non parcentes gregi, & ex vobis ipsi exient peruersa loquentes, ut abducant discipulos post se. Audi ergo qui doctus ab hæreticis, putas te eruditum: & baptizatus ab eis, putas te Christianum factum. Vide doctores hæreticos, qui lupi dicuntur à Christo. Si ergo eruditus es ab hæreticis, raptus es, non eruditus, non factus. Si baptizatus ab eis es, deuoratus es, non saluatus. Nam luporū deuorare est, non pascere.

Cautè lege, Nam videtur reuocare in dubiū baptismum ab hæreticis collatum.

2. Ioan. 1.

Quid ergo est, Ex fructibus eorum cognoscetis eos? Fructus enim hominis est confessio fidei eius, & opera conuersationis ipsius. Si ergo videris hominem Christianum, statim considera: si confessio eius conueniat cum scripturis, verus est Christianus: si autem non est, quemadmodum Christus mandauit, falsus est. Sic enim & Ioannes, quum de hæreticis scripsisset epistolam, non dixit: Si quis venerit ad vos non habens nomen Christi, nec aue ei dixeritis: sed si quis non attulerit istam doctrinam. Indicium Christianitatis non ad nomen Christi retulit, sed ad confessionem: quia non nomen solum Christi Christianum facit, sed etiam veritas Christi: quia in nomine Christiani multi ambulant, in veritate autem eius pauci. Deinde vide, Nunquid ovis lupum persequitur aliquando non, sed lupus ouem. Sic enim & Cain persecutus est Abel, non Abel Cain. Sic Imael persecutus est Isaac, non Isaac Imael. Sic & Esau Iacob, non Iacob Esau. Iudæi Christianum, non Christum Iudæos: Hæretici Christianos, non Christiani hæreticos. Ergo ex fructibus eorum cognoscetis eos. Si quis lupū cooperiat pelle ouina, quomodo cognoscit illum, nisi aut per vocem, aut per actum? Ovis inclinata deorsum balat, lupus in aëra conuertit caput suum contra celum, & sic ululat. Qui ergo secundum Deum vocem humilitatis & confessionis emittit, ovis est: qui verò aduersus veritatem turpiter blasphemias ululat contra Deum, lupus est: sicut dicit propheta de illis: Iniquitatem in excelso locuti sunt, posuerunt in celum os suum. Ovis herbam manducatur, lupus carnibus delectatur. Quem videris ergo de pratis scripturarum herbas floridas iustitiæ colligentem, ovis est: quem videris autem in sanguine persecutionis gaudentem, lupus est. Adhuc autem considera virtutes quas facit, vtilis sunt aut inutiles. Vtilis sunt, quæ mirabiliter fiunt, & ad salutem proficiunt, ut puta infirmos sanare, & alia huiusmodi, quæ fecit Christus. Vacuæ autem sunt, quæ admirationem quidem faciunt videntibus, vtilitatem autem afferunt nullam: ut puta volare per aërem, sicut & dominum diabolus hortabatur, statuens super pinnam templi: ambulate,

Genes. 4. Galat. 4.

Psal. 72.

aut commiseri flammæ, & non comburi, & alia qualia Simō fecit. Nam plena opera ex Deo sunt, quia & ipse est plenus: vacua autem ex diabolo, sicut & ipse est vacuus, & vanus. Nam quia quædam mirabilia sunt ex Deo, quædam autem ex diabolo, demonstrat Nicodemus. Non enim dixit, Nemo facit signa, nisi sit Deus cum illo, sed, Nemo facit hæc signa, quæ tu facis, nisi sit Deus cum illo. Et antea quidem ex hoc solo cognoscabantur falsi prophetae & veri, si vilia aut inuilia facerent signa. Nunc autem quia futurum est, ut etiam ex parte bona faciendorum signorum diabolo detur potestas, etiam aliud querere debemus. Si necessarium est secundum tempus, aut non est necessarium. Si enim mirabilia Christus propter confirmationem infidelium faciebat, non propter ipsos, quos sanabat ipsos enim in fide sanate poterat, non in signo: manifestum est, quia modo quum nullus sit infidelis, faciendorum miraculorum necessitas non est. Ergo si inutile fecerit signum falsus propheta est: quia non facit ut alium ædificet in fide, sed ut se ostendat in opere. Nunquid colligunt de spinis vnas, aut de tribulis ficus? Vna mysterium habet in se Christi. Sicut enim botrus multa in se grana ligno mediante suspendit, sic & Christus multos sibi fideles per lignum crucis tenet adiunctos. Similiter & sicut ficus multa grana vno tegmine tenet inclusa, sic & multos fideles quodam dulci charitatis amplexu vna tenet ecclesia. Et sunt in sicu signa hæc, Charitatis quidem in dulcedine, vnitatis autem in coniunctione granorum, sicut scriptum est: Deus, qui inhabitare facit vnanimis in domo. In vna quidem est patientiæ signum, quia in torcular mittitur: gaudij autem in spe: Quia vinum lætificat cor hominis. Sinceritas, quia non est aqua permixtum, & delectatio suauitatis. De his scriptum est: Fructus autem spiritus est charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas, aduersus huiusmodi non est lex. Spinæ autem sunt hæretici, sicut sermo ipse demonstrat superius, dicens; Attendite à falsis prophetis. Ergo non possunt spinæ, & tribuli ecclesiasticos fructus proferre. Sed quid proferunt? Vulnera, tribulationes, & cætera mala. Quemadmodum spina, vel tribulus ex quacunque parte illam conspexeris, habet aculeos: sic & seruos diaboli ex quacunque parte consideraueris, iniquitatibus pleni sunt. Si loquitur, in dolo loquitur: si tacet, malè cogitat: si irascitur, insanit: si patienter agit, tempus expectat nocendi, & oportunitatem considerat quando noceat. Si male agit non erubescit: si bene facit, ad vanam gloriam propter homines facit. Quomodo proferat bonum fructum, cuius radix diabolus est? Sub arbore bona, & bestia & animalia requiescunt: sub spinis autem nullum animal requiescere potest, nisi tantummodo serpentes. Sic iuxta fidelem hominem, & boni, & mali homines pacem habere, ac se capere possunt: iuxta autem infideles homines nemo potest pacem habere, neque requiescere in eis, nisi tantummodo serpentes, id est demones qui habent cubilia in peccatoribus eorum: fructus eorum nulli procedunt ad usum. Vmbra refrigerij non est in eis. Et verum est quidem, quia spinas, & tribulos omnes iniquos hæreticos appellauit: tamen forsitan sciens dominus hæc hæresim præualituram præ omnibus, tribulos eos appellauit,

Matth. 4. 2. Ioan. 7. Psal. 67. Galat. 5. Cant. 4. Hinc apparet Latini per quosdam quare casti gendun.

appellauit, quasi trinitatis professores, & triangulam impietate in sua perfidia baiulantes. Nō potest arbor bona fructus malos facere: & non potest arbor mala facere bonum fructum. Non dixit, arbor mala non potest fieri bona, neque arbor bona mala. Alio- qui qui malus est, à Deo esset, quod malus est: & qui bonus est, à Deo esset, quod bonus est. Nunc autem sic dicitur, malus non potest facere fructus bonos, id est quandiu malus est. Si verò factus fuerit bonus, potest: ut vnusquisque quod malus est, aut bonus, voluntatis eius sit, non naturæ. Nam si volebat, & non poterat fructus bonos proferre, naturæ erat: si autem potest, & non vult arbitrij est, non naturæ. Ergo seruus Dei non potest facere malum. Et si videtur tibi aliquando quod malè fecit, considera cautè ipsum malum eius, & inuenies eum ab intus esse bonum. Nam ex proposito bono, etiam quod videtur malum, bonum est: quia propositum bonū malum opus excusat. Malum autem opus, bonum propositum non condemnat. Vidisti Mosem homicidium facientem, sed non propter suam iniuriam, sed propter seruorum Dei vindictam. Vidisti Iacob aliud loquentem in lingua, aliud que habentem in corde, quum diceret ad Esau. Quia vidi faciem tuam, sicut qui viderat faciem Dei: sed non ut eum deciperet, sed ut compesceret: Similiter malus non potest facere bonum: & si videtur tibi facere bonum, considera cautè ipsum bonum, & inuenies illud ab intus esse malum. Nam quod ex proposito malo sit, etiam bonum, malum est. Nam bonum opus malum propositum non excusat, malum autem propositum bonum opus cōdemnat. Si videris infidelem humilem, aut mansuetum, scito quia subdolos est in corde. De talibus enim dicit propheta: Molliti sunt sermones eius super oleum, & ipsi sunt iacula. Si videris eum bona opera facientem, intellige, quia propter homines facit. De illis enim dicit dominus: Omnia faciunt ut ab hominibus videantur. Sicut ergo bonorum hominum omnia opera etiam mala, bona sunt: sic malorum hominum omnia opera etiam bona mala sunt. Si ergo videris aliquem Deum in veritate non colentem, quasi bonum, ne credas oculis tuis, ut & dicas bonæ vitæ illum: sed crede magis Deo quam tibi, qui dixit: Non potest arbor mala facere fructum bonum. Si autem dicis illum bonum, mendacem fecisti Christum. Tu enim vides, quæ sunt in facie, Deus autem quæ sunt in corde. Sicut enim in horto sunt multæ arbores fructum inutilem facientes, in syluis autem non inuenitur bonum faciens. Si autem faciunt, aut inspidum faciunt, aut acerbum. Sic in ecclesia, quæ hortus est Christi (Salomone dicente: Hortus conclusus, fons signatus, soror mea, paradysus cum fructu pomorum) multi sunt mali. In ecclesiis autem hæresum, quæ sunt syluæ desertæ, nemo est bonus, quia & si aliquis bonus, propter homines est bonus: non propter Deum. Hæc secundum fidem dixi: quæ sunt autem secundum rationem, audi. Quicunque facit aliquid propter quod facit, & nemo facit aliquid propter nihil. Qui pugnat propter prædam, aut propter gloriam victoriæ pugnat: qui nauigat, propter necessitatem, aut propter lucrum nauigat. Sicut nihil potest sine radice nasci, sic nihil potest fieri sine causa. Sic qui bonum facit, aut propter retributionem regni cœlestis facit, aut propter iudi-

cium pœnæ. Interrogo ergo te, infidelis propter quid faciat bonum? propter iudicium pœnæ dicis. Sed non timet Deum. Quomodo autem timeat Deum, ne peccet in opere, qui non timet Deum, ne peccet in fide: quum sit peius male credere, quam male agere? Propter retributionem dicis. Sed non sperat in Deum, qui non curat, utrum mendaciter credat, an vere, quum sit melius bene credere, quam bene agere: quoniam fides sine operibus aliquid est, etsi mortua est: opus autem sine fide nihil est. Ut quid ergo facit bonum? Ut videatur ab hominibus, & laudetur: & ideo bonum illius malum est. Si enim sine labore poterat homo bonum facere in hoc mundo, credibile erat ut infidelis bonum faceret propter hoc ipsum bonum: quia bonum facere bonum est, & inuenies eum ab intus esse bonum. Nunc autem cum hominibus in carne viuentibus sic contrarium bonum facere sit difficile, & prope impossibile, ut neque magni illi sancti perfectè potuerint explere quod bonum est, quomodo infidelis faciat bonum cum tanto luctamine nullam habes retributionis præ oculis suis? Quis agonem suscipit sic periculosum, vnde palmam non sperat? Quid ergo? Sine dubio sperat aliquid, ideo facit bonum. Quid illud? Ut mercetur ab hominibus gloriam vanam. Nam multam dat virtutem homini ad laborandum concupiscentia vanæ gloriæ, & si cum indulgentia possum dicere, maiorem dat virtutem homini hypocritæ concupiscentia vanæ gloriæ, quam fidelibus spes regni cœlestis. Et hæc est ratio. Contra spem regni cœlestis aduersatur natura carnis: concupiscentia autem vanæ gloriæ ex carne est, & ideo consistit ex \* carnis natura. Ideo ergo dicit: Omnis arbor quæ non facit fructum bonum: quia & mala arbor videtur facere iustitiam, sed non bonam, nec ad usum proficientem. Nam qui propter Deum facit iustitiam, Deus illam mandauit: \* qui autem propter vanam gloriam facit bonum, diabolus illud facit, & ideo diabolus delectatur in eo. Falsos ergo Christianos, quos Deus in ignem mittendos promittit, quomodo tu putas participes gloriæ tuæ. Nom omnis qui dicit mihi: Domine domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem patris mei. Falsos prophetas, de quibus cauendum erat, locutus, non alios esse, quam falsos Christianos, & falsos Christianorum prædicatores, his verbis manifestè demonstrat. Gentiles enim, aut Iudæi priusquam credant, nō dicunt Christo: Domine, domine: sed illi soli, qui tam ex Iudæis quam ex Gentibus visi sunt quidē credidisse in Christum, conuersantes autem, & prædicantes contra voluntatem Dei, & Christi præceptum, facti sunt falsi prædicatores. Item quoniam falsos prophetas, & veros ex fructibus eorum docuit esse discernendos, hic iam manifestius docet, qui sunt fructus, qui discernuntur, probi doctores, & reprobi. Qui enim dicunt tantummodo Christo, Domine domine, & non faciunt Dei voluntatem, reprobi sunt: qui autem & dicunt Christo: Domine domine, & faciunt voluntatem Dei, illi soli probabiles sunt. Quæ autem est voluntas Dei, ipse dominus docet, Hæc est voluntas eius, qui misit me, ut omnis, qui videt filium hominis, & credit in eum, habeat vitam æternam. Ergo voluntatem Dei facere, hoc est credere in Christum. Sicut & alibi Iudæis interrogantibus, quid faciemus, ut operemur ope-

Iacob. 2. Iacob. 2. \* consentit ei. \* facit. Ioan. 6. Ibidem. ra

ra Dei respondit, hoc est opus Dei, vt credatis in eum, quem ille misit. Credulitatis autem sermo & ad confessionem respicit, & ad actum. Qui ergo sic confiterur Christum, sicut ipse docuit, ille credit Christo: qui autem non sic confiterur, quomodo docuit ille, non credit. Et si conuersatur quomodo mandauit ille, credit Christo, & qui non sic conuersatur, quomodo ille mandauit, non credit Christo. Credere enim Christo, obedire est Christo: qui autem non confiterur, aut non conuersatur secundum verbum eius, ille nec obaudit Christo, nec credit: propterea tam ille quam iste non intrabunt in regnum celorum.

S. AVGVST. EPISCOPI  
Hippon. in Superius Euang.  
Homilia.

Ex libr. 2. de serm. Domini in monte.

**H**ic ergo illi, qui promittunt sapientiam, cognitionemque veritatis, quam non habent, precipue cauendi sunt, sicut sunt heretici, qui se plerunque paucitate commendant. Et ideo cum dixisset, paucos esse, qui inueniunt angustam portam, & arctam viam, ne se illi supponant nomine paucitatis, statim subiicit. *Cauete a pseudopphetis qui veniunt ad vos in vestitu ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Sed isti non fallunt oculum simplicem, qui arborem dignoscere ex fructibus nouit. Ait enim, *Ex fructibus eorum cognoscetis eos.* Deinde similitudines adiungit, *Nunquid colligunt de spinis vnas, aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona, fructus bonos facit: mala autem arbor, malos fructus facit, &c.* Quo loco illorum error maxime cauendus est, qui de ipsis duabus arboribus duas naturas opinantur esse: quarum vna sit Dei, altera vero neque Dei, neque ex Deo. De quo errore & aliis libris disputatum est vberius, & si adhuc parum est, disputabitur. Nunc autem, non eos adiuuare duas istas arbores, docendum est. Primum, quia de hominibus eam dicere tam clarum est, vt quisquis precedentia, & sequentia legerit, miretur eorum cecitatem. Deinde attendunt quod dictum est, *Non potest arbor bona fructus malos facere, neque arbor mala fructus bonos facere.* Et ideo putant neque animam malam fieri posse vt in melius commutetur, neque in deterius bonam: quasi dictum sit, Non potest arbor bona mala fieri, neque arbor mala bona fieri: sed dictum est, *Non potest arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere.* Arbor est quippe ipsa anima, id est, ipse homo, fructus vero opera hominis. Non ergo potest malus homo bona operari, neque bonus mala. Malus ergo, si vult bona operari, prius bonus fiat. Sic alio loco euidentius dicit ipse dominus, *Aut facite arborem bonam, & fructus eius bonos: aut arborem malam & fructus eius malos.* Quod si duas naturas istorum, his duabus arboribus figuraret, non diceret, *facite.* Quis enim hominum potest facere naturam? Deinde etiam ibi, cum ipsarum duarum arborum mentionem fecisset, subiicit, *Hypocrita, quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali? Quamdiu ergo quisque malus est, non potest facere fructus bonos. Si enim bonos fructus fecerit, iam malus non erit. Sic verissime dici potuit, non potest esse nix calida: cum enim calida esse ceperit, non iam niuem, sed a-*

Matth. 12.

quam vocamus. Potest ergo fieri, vt, quae nix fuit, non sit: non autem potest fieri, vt nix calida sit. Sic potest fieri, vt qui malus fuit, non sit malus, non tamen fieri potest, vt malus bene faciat. Qui etiam si aliquando vilis sit, non hoc ipse facit, sed sit de illo diuina providentia procurante, sicut de Pharisaeis dicit, *Quae dicunt facite, quae autem faciunt, facere nolite.* Hoc ipsum quod bona dicebant, & ea, quae dicebant, viliter audiebantur, & fiebant, non erat ipsorum, Cathedram enim, inquit, Moysi sedent. Per diuinam ergo providentiam legem Dei praedicantes, possunt esse audientibus viles, cum ipsi sibi non essent. De talibus alio loco per Prophetam dictum est, *Seminatis triticum, & spinas metetis: quia bona praecipiant & mala faciunt.* Non ergo, qui eos audiebant, & faciebant, quae ab eis dicebantur, de spinis legebant vnas, sed per spinas de vite legebant vnas: tanquam si manum aliquis per sepem mittat, aut certe de vite, quae sepi fuerit inuoluta, vnam legat, non spinarum est fructus iste, sed vitis. Rectissime sane quaritur, quos fructus nos attendere voluerit, quibus cognoscere arborem possimus. Multi enim quaedam in fructibus deputant, quae ad vestitum ouium pertinent, & hoc modo a lupis decipiuntur: sicuti sunt vel ieiunia, vel orationes, vel elemosynae: quae omnia nisi fieri etiam ab hypocritis possent, non superius diceret, *Cauete iustitiam vestram facere coram hominibus vt videamini ab eis.* Qua sententia praeposita, ipsa tria exequitur, elemosynam, orationem, ieiunium. Multi enim multa pauperibus, non misericordia, sed ambitione largiuntur. Et multi orant vel potius videntur orare, non inuenientes Deum, sed hominibus placere cupientes. Et multi ieiunant, & mirabilem abstinentiam praetendunt eis quibus ista difficilia videtur, & honore digna existimantur: & huiuscemodi dolis eos capiunt, dum aliud ostentant ad decipiendum, aliud exerunt ad depraedandum, vel interficiendum eos, qui sub vestitu ouino lupos videre non possunt. Hi ergo non sunt fructus de quibus cognosci arborem monet. Ista enim cum bono animo in veritate fiunt, propriae sunt ouibus vestes: cum autem malo in errore, non aliud quam lupos tegunt. Sed non ideo debent oues odisse vestimentum suum, quia plerunque illo se occultant lupi. Qui sunt ergo fructus, quibus inuentis cognoscamus arborem malam? dicit Apostolus. Manifesta autem sunt opera carnis, quae sunt fornicationes, immunditiae, luxuriae, idolorum seruitus, veneficia, inimicitiae, contentiones, emulationes, animositates, dissensiones, haereses, inuidiae, ebrietates, comestationes, & his similia, quae praedico vobis, sicut praedixi, quoniam qui talia agunt regnum Dei non consequentur. Et qui sunt fructus, per quos cognoscimus arborem bonam, idem ipse Apostolus consequenter dicit; Fructus autem spiritus est charitas, gaudium, pax, longanimitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, continentia. Sane sciendum est, hic gaudium proprie positum, mali enim homines non gaudere, sed gestire dicuntur proprie: sicut superius diximus voluntatem proprie positam, quam non habent mali, vbi dictum est. Omnia quaecumque vultis vt faciant vobis homines, & reliqua. Ex ista proprietate verbi quae gaudium non dicitur nisi in bonis, etiam propheta loquitur dicens. Non est gaudere impiis dicit dominus:

Matth. 23.

Hieronim.

Gal. 1.

1. Cor. 13.

1. Cor. 13.

Gal. 1.

\* al. habent

Esai. 57.

CHRISTIANI DRVTH-  
mari eiusdem Euang. expositio.

dominus: Ita quoque posita est fides, non quaecumque vique sed vera fides, & caetera, quae hic posita sunt, habet quaedam imagines suas in malis hominibus & deceptoribus: vt omnino fallat, nisi quisque iam mundum oculum & simplicem habuerit, quo ista cognoscat. Optimo itaque ordine primo actus est de mundando oculo, & deinde dicta sunt, quae cauerentur. Sed quonia quamuis quisque oculo mundo sit, id est, simplici & syncero corde viuat: non potest tamen cor alterius intrare: quaecumque ergo in factis vel dictis apparere non potuerit, tentationibus aperitur. Tentatio autem duplex est, aut in spe adipiscendi aliquid commodum temporale, aut in errore amittendi. Et maxime cauendum est, ne tendentes ad sapientiam, quae in solo Christo inueniri potest, in quo sunt omnes thesauri sapientiae & scientiae absconditi, Cauendum, inquam, est ne pro Christi nomine ab hereticis vel quibuslibet male intelligentibus & seculi huius amatoribus decipiamur. Nam ideo sequitur & monet dicens, *Non omnis, qui dicit mihi domine domine, intrabit in regnum celorum, &c.* Ne putemus ad illos fructus pertinere, si quis domino nostro dicat domine domine, & ex eo nobis arbor bona videatur. Sed illi sunt fructus, facere voluntatem patris qui est in caelis, cuius faciendae seipsum exemplum praebere dignatus est. Sed merito potest mouere, quo modo huic sententiae conueniat illud Apostoli vbi ait, *Nemo in spiritu Dei loquens dicit anathema Iesum: & nemo potest dicere dominus Iesus nisi in spiritu sancto: quia neque aliquos habet spiritum sanctum possumus dicere non introituros in regnum celorum si perseuerauerint vsque in finem: neque illos, qui dicunt domine domine, & tamen non intrant in regnum celorum, possimus dicere habere spiritum sanctum.* Quomodo ergo nemo dicit dominus Iesus nisi in spiritu sancto, nisi quia proprie Apostolus posuit verbum quod est, dicit, vt significet voluntatem, atque intellectum dicentis: Dominus vero generaliter posuit verbum quod ait, *Non omnis qui dicit, &c.* Videtur enim dicere etiam ille qui nec vult nec intelligit quod dicit: sed ille proprie dicit, qui voluntatem, ac mentem suam sono vocis enunciat. Sicut paulo ante quod dictum est, gaudium in fructibus spiritus sancti, proprie dictum est, non eo modo quo alibi dicit idem Apostolus, *Non gaudet super iniquitatem: quasi quisquam possit super iniquitatem gaudere: quia illa elatio est animi turbide gestientis, non gaudium: nam hoc soli boni habent.* Ergo dicere videntur etiam illi, qui non hoc quod sonant dicere videntur, & intellectu cernunt, & voluptate agunt, sed voce tantum sonant, secundum quem modum dominus ait, *Non omnis qui dicit, &c.* Vere autem ac proprie illi dicuntur, quorum voluntate ac mente non abhorret prolatio sermonis sui, secundum quam significationem dicit Apostolus, *Nemo potest dicere dominus Iesus nisi in spiritu sancto.* Atque illud ad rem maxime pertinet ne decipiamur tendentes ad contemplationem veritatis, non solum nomine Christi, per eos qui nomen habent & facta non agunt, sed etiam quibusdam factis atque miraculis: qualia propter inuides cum fecerint, dominus monuit tamen, ne talibus decipiamur, arbitrantur ibi esse inuisibilem sapientiam, vbi miraculum visibile viderimus.

**A**tendite a falsis prophetis. Attendite caute, obseruate. In tribus locis in hoc libro istud verbum est & semper eundem sensum habet. Multi prophetae falsi apparuerunt in illa gente etiam post aduentum domini, sicut fuit Theodas, & Iudas Galilaeus, sicut in actibus apostolorum legimus. Et de his praecipit apostolis, ne sequerentur eos & perirent, sicut illi, qui eos secuti sunt. Post vero de omnibus falsis Christianis potest accipi: qui aliud ore, aliud opere agunt. Nam fuerunt pagani, qui dixerunt se Christianos esse, vt possent eorum habitum explorare, & tradere ad mortem vt Torqueatus. Sed & de hereticis potest accipi. *Qui veniunt ad vos in vestimentis ouium.* Oues molle pecus, corpus inerme, animo placidum. Sic iussit Christus esse suos, mites, non resistentes malo, cum omnibus hominibus pacem habere, de vestimentis suis & cibis alios alere. Omnia ista Christianitatis sunt opera: & vestimenta ouium. Qui ista non fecit, lupus est. Lupus Graece *λυκος* dicitur, & habet a moribus etymologiam: eo quod rapacitati sit semper deditus & cruori. Similes sunt: qui semper alios Christianos cupiunt depraedare aut per violentiam, aut etiam quasi per legem mundanam. Si sunt de eius beneficio: aut etiam serui: vel si habent ministerium super illos, quaerunt occasiones vt quasi per legem possint eos expoliare, non cogitant quod de vna progenie sunt, & de vno patre: sed peius quam suos canes eos tractant: non considerant quod vno modo Deus illos condidit: & vno sanguine redemit. Quod ipse dedit imperatori intranti in mundum: dedit & mendico similiter exeunti: Nihil in hac mundum intulimus: sed nec auferre quid possumus, nisi opera nostra. Non erit in alia vita discretio domini, & serui, nisi per merita. Multi Christiani dicuntur: sed actione lupi sunt multi, non solum laici, sed & clerici lupi moribus sunt: qui in ouili domini inter oues videntur: sed lupi sunt etiam & rapaces. Quicumque cum rapace consortium habet, similis est illi. Quia Paulus dicit. Si quis frater nominatur, & est auarus, aut rapax, &c. cum huiuscemodi nec cibum sumere. Qui pauperum annonas, pecunias prae deuorat, lupi rapaces sunt. Sequitur. *A fructibus eorum cognoscetis eos.* Dicunt in beneficio mei sunt: secundum legem accipio quod accipio. Deus dixit. Recogita si ita velles tibi fieri: tunc facis bene. Sin aliter: veniet tempus quando ipse erit in gloria: tu in inferno. Fructus hominum, sunt opera aut bona aut mala. Si bona sunt, ouis: si mala lupus. *Nunquid colligunt de spinis vnas: aut de tribulis ficus.* Per spinas, illi qui superius lupi vocati sunt: per tribulos quoque quae similiter spinosa est arbor, quae est rubus, ipsi designantur. Per vnas & ficus, digna Deo opera. *Sic omnis arbor bona fructus bonos facit.* Sicut enim vna quaeque arbor ex fructu cognoscitur, & vel laudatur ex ipso: sic omnis homo ex opere suo, quod est fructus eius, aut remunerabitur, aut condemnabitur. Et est allegoria parabola comparatio de inferiori ad superiorem hortatis. Vnas debuit facere Israel, & fecit labruscas: & debuit proferre ficus dulcedinis, & fecit ficus amaritudinis. Viris dicta, quod vim habeat radicandi. Ficus a fecunditate dicitur: eo quod

ter



ter in anno fructum ferat. Non potest arbor bona fructus malos facere: neque arbor mala fructus bonos facere. Si arbor bona non potest fructus malos facere: quomodo Moyses arbor bona, ad aquam contradictionis peccauit: & Dauid adulterium, & homicidium commisit: & Petrus dominum negauit: vel quomodo Ierho, & Achior arbores malae consilium vile dederunt? Sed sciendum, quod tam diu arbor bona appellatur homo, quando opera bona facit. Si vero mala ceperit facere: mala arbor appellatur. Sic Manasses mala arbor extitit dum per multa scelera oblitus dominum fuit. Sed dum egit penitentiam de malo in bonum, in bonam arborem conuersus est. Deus de presentibus unumquemque iudicabit: & si in bono opere inuentus fuerit in die iudicij, de bono iudicabitur. Si autem in criminali peccato inuentus fuerit: in malo iudicatus erit. Sicut in Ezechiel plenus habetur. Et Salomon dicit. Lignum in quam partem ceciderit, ibi manebit. hoc est, peccator si in malo occubuerit, de malo condemnabitur: & cum ipso punietur. Si autem auerit se à malo: & in bono fuerit inuentus, ante diem infirmitatis: cum illo bono liberabitur. De his namque qui in infirmitate conuertuntur: dicit beatus Hieronymus in versu Psalmi: Quoniam non est in morte, qui memor sit tui: & in morte & in inferno vtrumque agendam penitentiam denegauit. *Omnis arbor quae non facit fructum bonum excidetur.* Omnis homo Christianus, siue paganus, si non fructum facit etiam bonum, excidetur: eradicabitur anima eius à corpore: non se liberabit de ignorantia: quia non licet ignorare. *In ignem mittetur.* qui in sempiternum non exstinguetur. *Igitur ex fructibus corum cognoscetis eos.* Quia cognoscetis eos ideo dico: attendite ab illis. *Non omnis qui dicit mihi domine, domine, intrabit in regnum calorum.* Non se confidat aliquis quod Christianus est: si non facit opera Christianitatis, non intrabit in vitam eternam. Quia qui dicit se nosse Deum & mandata eius non custodit: mendax est. Etenim & illud quod Paulus dicit nemo potest dicere dominus Iesus: nisi in spiritu sancto. Dictum hic profecto accipimus: & in credulitate cantamus, & qui bona egerunt, ibunt in vitam eternam: qui vero mala, in ignem eternum. Et eternus erit ille ignis unicuique, si ut Deus dixit. Ite in ignem eternum: quia semel qui infernum introierit: ulterius non exibit. Licet recipiat corpus: absque iudicio & morte reuertetur vbi erat deputatus.

## HAYMONIS EPISCOPI

*Halberst. superioris Euang. expositio.*

**A**tendite à falsis prophetis qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, &c. Sicut fuerunt in veteri testamento falsi & Pseudoprophetae, qui populum Israeliticum à cultura Dei omnipotentis auertere conabantur, dicentes: Hæc dicit dominus, cum dominus non misisset eos: ita, etiam fuerunt in nouo testamento falsi & peruersi Christiani, hoc est hæretici, utpote Arriani, & alij multi qui populum Christianum à cultu Dei omnipotentis, suis dogmatibus auertere conati sunt, quos cauendos præmonet dominus, dicens: *Attendite à falsis prophetis, id est cauete, prouidete ne decipiamini ab eorum fallacijs. Qui veniunt ad vos in vesti-*

*mentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Per oues possumus intelligere sanctos & innocentes. Ouis enim mitissimum est animal & innocentissimum: ideoque designat sanctos, & innocentes. Vestimenta autem harum ouium sunt bonæ operationes, id est ieiunium, vigilia, orationes, & his similia, quibus sancti velut pulchris vestibus adornantur. Quas etiam nonnunquam sibi hæretici falsè usurpant, vt videlicet facilius ireretur possint corda aliorum hominum. Videntur enim ieiunare, ieiunant & illi, orant isti, orant & illi. Sed quamuis hoc faciant, intrinsecus tamen venenatum & promptissimum ad decipiendum habent animum, agentes more veneficorum, qui prima calicis melle liniunt, in fundo autem mortis poculum ponunt, vt dum dulcedo mellis intenditur, facilius mortis poculum capiatur. Sed quia mens simplicium in talium cogitatione dubitate poterat, modò dominus ostendit quomodo eorum fallacia comprobada sit. Dicit namque: *A fructibus eorum cognoscetis eos*, qui sunt fructus bonorum, siue malorum hominum Beatus Paulus ostendit, dicens: Manifesta autem sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, & his similia, de quibus in conclusione dicitur, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. Fructus autem spiritus sunt pax, bonitas, longanimitas, & his similia, vsque dum dicit: *Aduersus huiusmodi non est lex.* His ergo fructibus cognoscuntur boni, & mali. *Nunquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis figas?* Omnibus in promptu est, quia nec botrus de spinis, nec dulcedo figarum de tribulis carpitur. Sed solet botrus pendere in spinam, ita vt à stultis putetur quod de radice spinæ ortus sit. Sed si diligentiùs attendatur, non radix spinæ portat botrum, sed radix vitis. Dicit ergo B. August. quia, si vis eius dulcedine frui, spinam caue, botrum carpe. Hoc mysticè est. Si vides aliquem hæreticum bonum opus agere, sic bonum, quod in eo est, accipe, vt malum, quod in eo latet, vitare possis. Mysticè autem per spinas, & tribulos, punctiones, & aculeos possumus intelligere, de quibus primo homini dictum est peccanti. Terra tua, spinas, & tribulos germinabit ibi; id est caro tua punctiones, & aculeos vitiorum tibi gignere non desistet. *Sic omnis arbor bona fructus bonos facit, mala autem arbor fructus malos facit. Non potest arbor bona, fructus malos facere, nec arbor mala fructus bonos facere.* Arborem malam appellat dominus hominem bonum, fructum vero illius opus bonum, siue malum. Sed mirum est, cur dicat arborem bonam non posse facere fructum malum, cum legamus in veteri testamento bonas arbores extitisse, sed malum fructum fecisse. Nunquid enim B. Dauid bona arbor non erat qui erat electus à Deo propheta & plenus spiritu sancto, & vnctionem diuinitatis habens, sed tamen tunc malum fructum fecit, quando uxorem Vriæ Ethæi concupuit, & vno eodemque tempore duo perpetravit, homicidium videlicet, & adulterium? B. Petrus bona arbor non erat, qui ante dominum clara voce confessus fuerat dicens: Tu es Christus filius Dei viui? Sed tamen tunc malam fructum fecit, quando ad vocem vnus mulieris territus trina vice dominum negauit. Ierho cognatus Moysi mala arbor extitit, quia idola colebat, sed tamen tunc bonum fructum fecit, quando cognato suo Moysi consilium dedit, vt constitueret super populum domini centenarios, & quaternarios, & decanos: & pentecostarios, qui eum à face populi subleuarent. Sed sciendum est, quia primo mutatur homo, deinde intentio, primum enim mutatur arbor, deinde fructus. Primum enim mutatur Dauid per concupiscentiam, deinde vt faceret adulterium, & homicidium. Similiter Beatus Petrus primum mutatus est per timorem, deinde vt negaret dominum. Ierho etiam cognatus Moysi primum mutatus est à sua malitia, deinde vt faceret bonum. *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur.* Hæc sententia vnique homini pertimescenda est. *Omnis arbor*, id est omnis homo, quæ non facit fructum, excidetur, hæc per mortem carnis, & mittetur in ignem eternæ damnationis. Excidetur enim illa securi, de qua Ioan. dicit. Iam securis ad radicem arboris est. *Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos.* Repetitio sermonis, confirmatio operis. *Non omnis, qui dicit mihi, domine, domine, intrabit in regnum calorum, sed qui facit voluntatem patris mei, qui in celis est, ipse intrabit in regnum calorum.* Quia licet quidam, qui verbo tenus dominum constituentur, sed moribus fugiunt, de talibus dicitur. Constitentur se nosse Deum, factis autem negant. Et fides sine operibus mortua est. Notandum quod hæc sententia huic contraria videtur, quia idem dicit apostolus: Quia quicumque inuocauerit nomen domini, saluus erit. Sed sciendum est, quia verba domini non discrepant à verbis sancti apostoli. Solet in scriptura, verbum pro facto poni: sicut est in hoc loco. Nos ergo non in hoc confidere debemus quod Christiani sumus, & vnda baptismatis regenerati, sed fidem quam accepimus, bonis operibus adornare studeamus, quatenus præmia vitæ eternæ percipere valeamus.

## INCERTI AVTHORIS

*sub nomine Eusebii Episcopi Emissemi superioris Euangelij expositio.*

**A**tendite (inquit) & cauete vobis à falsis prophetis, à malis sacerdotibus, & episcopis, attendite à simoniacis, & hæreticis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium. Oium simplicitatem simulant, ouium innocentiam fingunt, & ouium patientiam mentiuntur. Quos quidem si interius videretis, si sub vestibus cerneretis, aliud ibi quæ ouem esse, cognoscetis. Latet enim lupus sub ouina pelle: & quos exterius oues esse putatis, intrinsecus sunt lupi rapaces. Lupi enim rapaces sunt, qui ad hoc non venerunt vt gregem custodiant, sed ad hoc vt furentur & rapiant, macent & perdant. Quomodo autem eos cognoscere possitis, audite. Sicut enim vnaquæque arbor à fructu suo cognoscitur, ita vnusquisque homo in operibus suis cognosci potest. Ideoque non dixit à folijs eorum, sed, à fructibus eorum cognoscetis eos. Si enim verba attendamus, non facile boni discernuntur à malis. Vnde & alibi dominus ait, Super cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi: quæcunque dixerint vobis facite, secundum opera eorum nolite facere. In quo apertissime eos bene dicere, & male facere ostendit. Qui igitur in verbis non discernuntur, in operibus comprehenduntur. Prædicent igitur quicquid velint, vos autem opera considerate: si fideles sunt, si mites,

si patientes, si misericordes, si humiles, si pacifici, si casti, si beneuoli, si auaritiâ odetis, si pecuniam non abscondunt, & similia, quæ enumerare longum est. Isti sunt fructus bonæ arboris: horum laudes, folia sunt. Qui enim laudant hæc, & non agunt, folia tantum, & non fructus ostendunt. Sic igitur à fructibus eorum cognoscetis eos, Nā & spinæ & tribuli à fructibus suis cognoscuntur: quoniam neque in spinis vix, neque in tribulis ficus colliguntur. *Sic omnis arbor bona fructus bonos facit, mala autem arbor malos fructus facit. Non potest arbor bona fructus malos facere, neque arbor mala fructus bonos facere.* Verum est enim quod omnis arbor bona facit fructum bonum, & omnis arbor mala facit fructum malum. Sed quomodo illud verum est, quod verum esse veritas dicit, vt nulla bona faciat malum, & nulla mala faciat bonum? Nemo enim tam iustus, qui aliquando non peccet. Hoc enim Ioannes Apostolus ait, Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Omne autem peccatum, malus fructus est. Malus igitur fructus etiam in bona arbore reperitur. Similiter autem nemo tam iniquus, qui aliquando bonum non agat. Neque enim fieri potest, vt saltem verum aliquando non dicat. Verum autem dicere, verum est. Inuenitur igitur bonus fructus & in arbore mala. Quid igitur? quomodo verum esse probabimus, quod verum esse non dubitamus? Veritas enim mentiri non potuit. Verum est itaque, quod nulla arbor bona malos fructus facit, & nulla arbor mala fructus bonos facit. Verum vtrique est, sed cum determinatione verum est. Dicitur ergo: Nulla bona arbor, secundum hoc quod bona est, fructus malos facit. Nullum enim contrarium suum contrarium generat. Nam neque dulce facit amarum, neque sanitas ægritudinem, neque frigus calorem, neque veritas falsitatem. Non igitur bonum facit malum, neque malum bonum, contraria enim sunt. Omnis enim arbor secundum suam naturam bona est, & bonos fructus facit. Secundum corruptionem verò mala est, & malos fructus facit. Quid autem in arbore significetur intelligis. Arbor enim ista, homo est. Sed vis videre quia non hominis natura, quæ vtrique bona est, facit fructum malum, sed eius corruptio, & peccatum? Audi quid Apostolus dicat, Nō enim quod volo, hoc ago, sed quod nolo malum, illud facio. Si autem quod nolo, illud facio, iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Inde igitur dicitur arbor mala, non quod secundum se mala sit, sed quia in ea est corruptio mali. Et si parum quidem corrupta est, quasi iam à corruptione sana, non mala, sed bona vocatur. Si verò multum corrupta est, mala, & non bona vocatur. Ab eo enim suscipit nomen, quod magis in ea abundat. Cognoscitur igitur falsi prophetae à fructibus suis: quoniam et si aliquando bonum aliquid facere videantur, tamen quia vel pro lucro, vel pro laude faciunt, eorum simulatio diu celari nō potest. Quia enim omnia opera sua faciunt vt videantur ab hominibus, ipsum quoque quod bonum esse videretur, bonum non est. Sequitur: *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Tunc enim arbores exciduntur, quando homines moriuntur. In ignem verò tunc mittentur, quando dicitur eis, Ite maledicti in ignem eternum.

num. Non omnis, qui dicit mihi domine domine intrabit in regnum celorum, sed qui facit voluntatem patris mei, qui in caelis est, ipse intrabit in regnum celorum. Dicere enim, domine domine, adulatio est: seruire autem ei sicut domino, amor est, dilectionisque probatio, & patris, filijque voluntas. Tantum autem interest inter dicere & facere, quantum inter folia & fructus. Hæc igitur ad superiora spectant, vbi ait; *A fructibus eorum cognoscetis eos.*

**THEOPHYL. EPISCOPI**  
*Bulgar. superioris Euangelij*  
*expositio.*

**A**ttendite à falsis prophetis. Vastri, & impostores hæretici, propterea dicit, *attendite*, hoc est, caute. Blandiloquentiam enim prætexunt, & vitam simulat sanctam, sed intrinsecus later aculeus. Indumentum autem ouis est, & mansuetudo, quam vsurpant, dum adulantur, & decipiunt. A fructu autem cognoscuntur, hoc est, operum, & vitæ. Nam, licet ad tempus simulent, sed produntur successu temporis. *Nunquid colligunt à spinis vnam, vel à tribulis ficus?* Spinæ, & tribuli sunt hypocritæ. Spinæ, vt occultè carpentes: tribuli, vt vastri, & versatiles. Arbor autem putris, omnis qui tristi, & dissoluta vita putrescit. *Non potest arbor bona fructus malos facere, &c.* Quoad est putris, non potest, vbi autem conuertitur, potest. Vide enim, quòd non dixit, non poterit: sed quatenus est putris, bona non parit. *Omnis arbor non faciens fructum bonum, excinditur, & in ignem mittitur.* His Iudæos perstringit, nam & Ioannes talia eis dicebat. Arbori autem confert putridum, eò quòd potest à sterili peccato in virtutem inseri. *Non omnis, qui dicit mihi, domine, domine, &c.* Hoc loco ostendit seipsum dominum, quando quidem dicit, *domine, domine*, nam ita se & Deum dicit. Docet autem nos, si fidem absque operibus habuerimus, nihil nobis eam profuturam. Nam dicendo, *qui facit voluntatem*, non dicit qui semel fecit, sed qui vsque ad mortem facit. Et non dixit voluntatem meam, ne offenderet auditores, sed, *patris mei.* Omnino vna, eademque voluntas est patris, & filij, nisi degens sit filius.

**E V T H Y M I I Z I G A B O N I**  
*superioris Euang. expositio.*

**C**auete à falsis prophetis, &c. Postquam de via dixit, addit & de iis, quæ per viam in insidiis ponuntur, vt attentiores, ac vigilantiores simus. Et in præcedentibus quidem, de canibus, ac porcis docuit: hic verò aliud quoque genus periculosius inducit, luporum videlicet ouina pelle contentorum: quia illi certe manifesti, hi autem absconditi sunt, & occulti. Dicunt ergo quidam hos esse prodigiosa, & falsa loquentes, ac homines quosdam sine Deo, qui fallendo plurimos, obambulant: nuncupari vero falsos prophetas, vt potest futura subindicantes, ac prædicentes: venire autem in vestimentis ouium, tanquam in figura rationalium ouium, quæ sub Christo pastore procedunt, esse vero lupos rapaces, hoc est, tacite, & clanculo simplicium animas fallentes, & in perditionem surripientes. Chryostomus autem hos

dicit esse Christianos, vitam quidem habentes nociuam, ac perniciosam, simulantes autem bonitatem, ac pietatem, quorum colloquia corrumpunt mores bonos. Exprimens itaque Christus differentiam à prædictis canibus, ac porcis iussit illis quidem mystica dogmata non concedere: ab his autem cauere, ne perniciem ipsorum participemus, tanquam à feris venenatis. Ne turbentur autem auditores, eo quòd non facile cognoscantur huiusmodi homines, docet etiam quo pacto ipsos cognoscant, dicens; *A fructibus eorum cognoscetis eos.* Quanquam, inquit, latere videantur, attamen facile arguentur. Ea enim via, qua meos discipulos incedere iussit, laboriosa est, ac difficilis, nec possunt hypocritæ per eam incedere. Quemadmodum enim bona, ac generosa arbor, non à floribus, sed à fructu cognoscitur: ita sane & hos non à sermonibus, sed ab operibus eorum cognoscemus. De quibus & Paulus Apostolus dixit, quòd per dulces sermones decipiunt corda simplicium. Deinde ponit etiam considerationem ab exemplo, vt hi facilius dignoscantur. *Nunquid colligunt de spinis vnam, &c.* *Nunquid, id est, vtrum, modo interrogatio.* Dicit ergo; *Vtrum colligunt homines de spinis vnam?* Est autem & tribulus spinarum genus. *Sic omnis arbor bona fructus bonos facit, &c.* Vbi rem præter naturam, factuque impossibilem interrogasset: subdit, quòd sicut illud fieri non potest, eo quòd spinæ, ac tribuli inutilia sunt, hoc est, inepta ad ferendum fructum, qui sit aptus eui: vna autem, ac ficus ad cibum conueniunt. Ita quoque. *Omnis arbor bona fructus bonos facit, &c.* *συνεργον* (pro quo vulgata æditio hebet malum, & potius marcidum significat, aut putridum) non solum dicitur putridum, verum etiam quicquid vitiosum est, & inutile. Nunc ergo vocat arbores marcidas, aut vitiosas prædictos hypocritas, quorum fructus, hoc est, actiones æquales sunt marcedini, aut inutilitati ipsorum. *Nō potest arbor bona, &c.* Ne quis suspicaret, quòd posset bona arbor malos quoque fructus, aut inutiles producere, & arbor vitiosa bonos; manifestat, quòd hoc fieri non possit. Verum Dauid, quum bona esset arbor, quomodo fructus malos produxit, adulterium videlicet, ac homicidium? Paulus autem, quum vitiosa esset arbor, fructus bonos protulit, effectus Christo vas electum? Quo modo? Quia mutati sunt, hic quidem à prauitate ad virtutem, ille vero à virtute ad prauitatem. Donec autem manserunt Dauid quidem in virtute, Paulus vero in prauitate, non potuerunt huiusmodi fructus producere. Dixit ergo hoc esse impossibile in iis, qui immutati permanerent. *Omnis arbor, quæ non facit, &c.* Illos quidem punire non iussit, sed tantum ab eis cauere. Ipsi tamen metum incussit atrocissimæ ex hac vita excisionis impendentis, ac supplicij ignis inextinguibilis: simul quidem illos, qui male ab eis accipiuntur consolando, & simul ipsos exterrendo. *Itaque ex fructibus eorum cognoscetis eos, &c.* *itaque, vti que, sane, confirmatiuum est, ac si diceretur, omnino. Positis enim exemplorum considerationibus, ac demonstrato quo modo tales cognoscendi essent, subdit; Omnino, sicut prius demonstratum est, cognoscetis ipsos à prauis actionibus eorum. Non omnia, qui dicit mihi domine domine, &c.* Vide quid nunc dicat. Non omnis, qui credit in me, ingreditur ad bonorum cælestium fruitionem

Supra 3.  
Fides sine operibus nō prodest.


1. Cor. 1.

Rom. 16.

Fides sola sufficit ad salutem, sed et opera requiruntur: sicut nec opera sola sine fide saluantur.

fruitionem, nisi etiam fecerit, quæ dico: ita quippe addidit Lucas. Neque enim sola fides ad salutem sufficit, nisi & vita fide digna adiungatur: neque vita solum virtuti conformis, si non etiam fide ditescamus: sed vtrumque simul adiunxit, vt non separetur alterum ab altero. Nam ipsum

appellare dominum, fidei tantum est. Quomodo autem nō dixit: Sed qui facit voluntatem meam? Vt patrem honoraret: & quia non alia est patris voluntas ab ea, quæ filij est: voluntas autem patris, filij præcepta sunt.



**DOMINICA VIII. POST PENTECOSTEN.**

L V C. 16.



**N** illo tempore: dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc, Dicebat autem & ad discipulos suos: Homo quidam erat diues qui habebat villicum, & hic diffamatus est apud illum, quasi passet bona illius, & vocauit illum, & ait illi: Quid hoc audio de te? Redde rationem villicationis tuæ: Iam enim non poteris villicare. Ait autem villicus intra se: Quid faciam: quia dominus meus auferet à me villicationem? Fodere non valeo, mendicare erubescō. Scio quid faciam, vt cum amotus fuero à villicatione, recipiant me in domos suas. Conuocatis itaque singulis debitoribus domini sui, dicebat primo: Quantum debes domino meo? At ille dixit: Centum cados olei. Dixitque illi: Accipe cautionem tuam, & sede citò, scribe quinquaginta. Deinde alij dixit: Tu vero quantum debes? Qui ait: Centum choros tritici. Ait illi: Accipe literas tuas, & scribe octoginta. Et laudauit dominus villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset, quia filij huius seculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt. Et ego vobis dico: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.

**GLOSSA ORDINARIA**  
*in superioris Euang.*

**D**ICEBAT aut. Postquã tribus parabolis murmurantes de pœnitentium receptione redarguit: supponit duas parabolas de danda eleemosyna & sequenda parsimonia. Et congruè post pœnitentiam de eleemosyna subditur: Iuste enim à Deo pœnitentes misericordiam expectant: qui indigent fratri misericordiam præstat. Monet ergo apostolos ad clementiam, quasi dicat. Dimitte & dimittetur vobis: date & dabitur vobis. *Ad disci.*

Quia Pharisæi superbi & auari sicut petentibus veniam, ita egentibus pecuniam negabant: ideo saluator nunc ad illos, nunc illis audientibus ad discipulos de pietate verba facit. *Homo quidam.* Villicus proprie, villæ custos: sed ponitur hic pro œconomo, id est, dispensatore, qui vniuersam substantiam domus dispensat. In hoc quippe dispensatore non omnia ad imitandum debemus sumere, scilicet vt fraudulenter erga Deum agamus. Sed e contrario istæ similitudines dantur, vt intelligamus: si laudari potuit à domino, qui fraudem faciebat: quanto magis placet Deo, qui secundum eius præceptum opera illa facit. Nec reprehenditur villicus, in quo discimus, non ipsi esse

a Hæc accusatio fit quando non exerceat opera pietatis erga illos quibus debuit.  
b Dissipatio est vel quando male congregatur, vel non bene expenditur.  
c Vocat quando in cutit timorem æternæ damnationis.  
d Dum vitius cogita qualiter debeas operari.  
e A tempore mortis.  
f Timore perterritus.  
g Vt penas euitem.  
h Tempore huius villicationis.  
i Illi quibus misericordiam impendero.  
k Dimidiam partem dimittit.  
l Quiniam partem dimittit.

Supra 6.

Bibl. Hom. tom. 3. Mm 2 domi

domini, sed potius alienarum dispensatores facultatum. Et ideo licet peccauerit tamen quia sibi in posterum ex indulgentia rerum domini quæ sicut auxilia, prædicatur. Allegoricè. Villicus est, cui Deus aliquas pecunias ad erogandum pauperibus commisit. Qui si cogitat talem villicationem cum vita illa finiendam, magis de amicis acquirendis, quam de cõgregandis diuitiis pertractat. Intelligens finita vita ista non esse ei locum, vt terram suam deuota compunctione fodiat ad ferendum fructum. Et ibi etiam confusibile erit mendicare, eo modo quo mendicabunt fatuæ virgines. *Centum cados.* Cadus Græcè, amphora dicitur, Latine continens tres vinas, Chorus modis triginta impletur. Simpliciter sic potest accipi. Quisquis indigentiam pauperis vel ex dimidia, vel ex quinta parte alleuiat misericordie suæ mercede donandus est. Vel sic accipiat, vt cum Iudæi decimas dederint sacerdotibus & Leuitis suis, super iustitiam eorum abundet iustitia ecclesie Christi. Et cum illi decimas, isti dent dimidias; sicut Zachæus fecit de bonis suis, vel duplicent illorum decimas dando quintas. *Et lau.* Si dispensator iniqui mammonæ domini voce laudatur, quod de re iniqua sibi iustitiam præparauit, & passus dispensandum, tamen laudat prudentiam eius, non quod aduersum dominum fraudulenter egerit, sed quod pro se prudenter fecerit: quanto magis Christus, qui nullum damnatum sustinere potest, & pronus est ad clementiam, laudabit discipulos, si in sibi creditos misericordes fuerint. *Quia si.* Cuius quisque opera agit, eius & filius dicitur. vnde: *Filius hu.* Id est, tenebrarum: & filij lucis æternæ vitæ. *Facite vobis.* Mammona lingua Syrorum diuitiæ iniquitatis, quia de iniquitate collectæ sunt: Si ergo iniquitas bene dispensata vertitur in iustitiam, quanto magis epulæ diuini sermonis in quo nulla est iniquitas, bonum dispensatorem leuant in cælum.

### CATENA AVREA in idem Euangelium.

**D**icebat autem et ad discipulos suos: Homo quidam erat diues qui habebat villicum, &c. Bed. Postquam murmurantes de penitentium receptione tribus parabolis saluator redarguit, quartam mox quintamque de eleemosyna danda & parsimonia sequenda subiungit: quia & ordo prædicandi apertissimus est, vt post penitentiam eleemosyna subiungatur, vnde dicitur: *Dicebat autem ad discipulos. Homo quidam, &c.* Chrysof. Opinio quædam erronea aggravata mortalibus auget crimina, minuit bona. Ea verò est opinari, quod ea quæcunque possidemus in vfu vitæ possideamus vt domini, & ideo etiam opportunè ea apprehendimus tanquam bona præcipua. Sed contrarium est, non enim nos vt domini in vita præfenti collocari sumus in propria domo: sed tanquam hospites & aduenæ quo nolimus ducimur, & quo tempore non putamus: qui nunc locuples est, in breui fit mendicus. Ergo quicumque sis, noueris te esse dispensatorem alienorum, & transitorij vsus & breuis tibi iura concessa sunt. Abiecto ergo ab anima dominij fastu, sumas humilitatem & modestiam villici. Bed. Villicus quippe villæ gubernator est:

vnde & à villa nomen accepit. Oeconomus autem tam pecuniarum quam frugum, & omnium quæ habet dominus dispensator est. Ambros. Ex hoc ergo dicimus non ipsos esse dominos, sed potius villicos alienarum facultatum. Theophil. Deinde quod cum non exerceamus dispensationem opum ad libitum domini, sed ad proprias illecebras commissis abutimur, criminosi villici sumus: vnde sequitur, *Et hic dissimulata est apud, &c.* Chrysof. Interea euulsus à villicatione eripitur: sequitur enim: *Et vocauit illum, & ait ei: Quid hoc audio de te? Redde rationem villicationis tuæ. Iam enim non poteris villicare.* Quotidie talia nobis per effectus exclamat dominus, ostendens nobis fraentem in meridie sospitate, priusquam vesperscat exanimem: & alium inter prandia expirantem, & diuersimodè ab hac villicatione discedimus. Sed fidelis dispensator, qui de propria dispensatione confidit, desiderat cum Paulo dissolui, & esse cum Christo. Is autem cuius sunt vota terrena, anxiat in exitu: vnde de hoc villico subditur. *Ait autem villicus intra se: Quid fa. quia do. meus aufert à me villicationem? Fodere non valeo, mendicare erubescio.* Impotentem esse in opere crimen est vitæ inertis. Non enim timere, si consueuisset affectare labores. Quod si secundum allegoriam accipiamus parabolam, post transgressionem hinc factam non est tempus operandi. Vita præfens habet exercitium mandatorum, futura verò solatium. Si nihil operatus es hic, frustra in futurum curas, sed nec mendicando proficies: huius iudicium sunt virgines fatuæ, quæ imprudenter à prudentibus mendicauerunt, sed reuerfæ sunt vacuæ: quilibet enim suam conuersionem vt tunicam induit: non est autem eam exuere, nec ambire cum alio. Sed debitorum remissionem ingeniatus est nequitia villicus, statuens sibi malorum remedium in conseruis. Sequitur enim: *Scio quid faciam, vt cum amotus fuero à villica. recu. me in do. suas.* Quoties enim quis exitum suum percipiens, leuat beneficio sarcinam peccatorum vel relaxando debita debitori, vel tribuens inopibus copiam, ea quæ sunt domini largiens, multos amicos conciliat præbituros sibi coram iudice testimonium veritatis, non vocibus, sed bonorum operum ostensione: quinetiam paraturos per testimonium refrigerij mansionem. Nihil autè est nostrum, sed omnia sunt ditionis Dei: vnde sequitur: *Conuocatis itaque singulis debitoribus domini sui dicebat primo: Quantum debes do. meo? At illi. Centum cados olei.* Bed. Cadus Græcè est amphora continens vinas tres. Sequitur: *Dixitque illi, Accipe cautionem tuam & sede cito, & scribe quinquaginta,* dimidiam ei partem dimittens. Sequitur: *Deinde alij dixit, Tu verò quantum debes? At: centum covos tritici.* Cornus modis xxx. completur. *Ait illi. Accipe literas tuas, & scribe lxxx.* Quintam partem ei dimittens. Simpliciter ergo sic potest accipi: Quisquis indigentiam pauperis vel ex dimidia, vel ex quinta alleuiat parte: misericordie suæ mercede donandus est. August. de quæst. euang. Vel quod de centum cadis olei quinquaginta fecit scribi à debitore, & de centum covis tritici octoginta ad hoc valere arbitror, vt ea quæ in sacerdotes atque Leuitas Iudæus quisque operatur in ecclesia Christi abundant, vt cum illi decimas darent, isti dimidias dent: sicut de bonis suis fecit Zachæus, aut certè duas decimas dando, id est vnam quintam superent impendia Iudæorum. *Et laudauit do-*

minus

minus villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset, &c. August. de quæst. euang. Villicum quem dominus eiciebat à villicatu laudauit dominus, eo quod in futurum sibi prospexerit: vnde dicitur. *Et lau. do. vil. iniqui. quia prud. egit.* Non tamen omnia debemus ad imitandum sumere: non enim domino nostro facienda est in aliquo fraus, vt de ipsa fraude eleemosynas faciamus. Orig. Verum quia gentiles dicunt prudentiam esse virtutem, & diffiniunt eam peritiam bonorum, malorum & neutrorum, vel cognitionem agendorum & non agendorum: considerandum est vtrum hæc dictio plura aut vnum significet: dicitur enim quod Deus parauit cælos prudentia, constat bonam esse prudentiam, qua dominus cælos parauit. Dicitur etiam in Genes. secundum lxx. quod serpens prudentissimus erat, vbi prudentiam non virtutem dicit, sed astutiam ad mala inclinationem habentem, & secundum hoc dicitur: quod dominus laudauit villicum, quia prudenter egisset, hoc est, callidè & perperam. Et forsitan quod dicitur, *Laudauit,* non secundum veram commendationem, sed abusu dictum est, vt cum dicimus aliquem commendari in mediocribus, & differentibus rebus, & quodammodo mirandos esse concursus & acumen, quibus vigor mentis elicitur. Aug. de quæst. euang. Econtrario dicuntur istæ similitudines, vt intelligamus si laudari potuit ipse à domino, qui fraudem faciebat, quanto amplius placeant Deo, qui secundum eius præceptum opera illa faciunt. Orig. Filij quoque huius seculi non sapientiores, sed prudentiores dicuntur lucis filiis: & hoc non absolute & simpliciter, sed in genere suo. Sequitur: *Quia filij huius seculi, &c.* Bed. Filij lucis & filij huius seculi vocantur, quomodo filij regni & filij perditionis: cuius enim vnusquisque agit opera, eius cognominatur & filius. Theoph. Filios ergo huius seculi vocat cogitationes, quæ sibi commoda sunt in terra, filios verò lucis spirituales opes tractantes intuitu diuini amoris. Inuenimur autem in humanis quidem administrationibus prudenter omnia disponentes, & summo opere sagittantes: vt si deserimus ab administratione habeamus vitæ refugium: cum verò dispensare debemus diuina, nõ præmeditamur quæ nobis postmodum sunt profutura. Gregor. 18. mor. Vt ergo in sua manu homines post mortem quicquam inueniant, ante mortem, diuitias suas in pauperum manibus ponant: vnde sequitur, *Et ego dico vobis, facite, &c.* August. de ver. do. Quod Hebræi vocant mammona, Latine diuitiæ vocantur, acsi diceret: Facite vobis amicos de diuitiis iniquitatis. Hoc autem quidam malè intelligendo rapiunt aliena, & inde aliquid pauperibus largiuntur & putant se facere quod præceptum est. Intellectus iste corrigendus est: De iustis laboribus eleemosynas facite, nõ enim corrupturi estis iudicem Christum, si de præda inopis daretis aliquid iudici vt pro te iudicaret, si iudex ille pro te indicabit, tanta vis est iustitiæ, vt etiam tibi displiceat. Noli tibi pingere talem Deum, fons iustitiæ est. Noli ergo eleemosynas facere de foenore & vsuris, fidelibus dico quibus corpus Christi erogamus: sed si pecunias tales habebis, de malo est quod habetis. Iam nolite malum facere. Zachæus dixit: Dimidium rerum mearum do pauperibus. Ecce quomodo currit, qui currit facere amicos de mammona iniquitatis, & ne reus aliunde teneretur. Si cui ali-

quid tuli, quadruplum reddam. Est & alius intellectus, Mammonæ iniquitatis diuitiæ seculi sunt omnes vndecunque sint. Si enim veras diuitias quæris, aliæ sunt quibus Iob nudus abundabat, quando in Deum cor plenum habebat. Istæ enim ab iniquitate appellantur diuitiæ quia veræ non sunt, paupertate enim plenæ sunt, & semper obnoxie casibus. Si enim veræ diuitiæ essent, securitatem tibi darent. August. de quæst. euang. Vel diuitiæ iniquitatis dicuntur, quia non sunt istæ diuitiæ nisi iniquis, & qui in eis constituunt spem atque copiam suæ beatitudinis. A iustis verò cum hic possidentur, est quidem ista pecunia, sed non sunt illis diuitiæ nisi cælestes & spirituales. Amb. Vel iniquum mammona dixit: quia variis diuitiarum illecebris nostras auaricias tentat affectus, vt velimus seruire diuitiis. Basil. Vel si successeris patrimonio, ab iniustis congregata cepisti: in pluribus enim prædecessoribus necesse est aliquem reperiri qui iniuste vsurpauerit aliena. Ponatur autem vt nec pater exegerit, sed aurum vnde habes? Siquidem dicis à me, ignarus Dei es, non habens notitiam creatoris: si verò à Deo, die nobis rationem propter quam eas accepisti? annon Dei est terra & plenitudo eius? ergo si commutis domini nostra sunt, erunt & conseruorum nostrorum. Theoph. illæ ergo dicuntur opes nequitie, quæcunque dominus dedit ad impendia necessitatis fratrum ac conseruorum nostrorum, nos verò tenemus nobis. Decebat igitur à principio omnia pauperibus tradi, verum quia iniquitatis sumus villici nequiter retinentes quod deputatum est ad aliorum opus, non est omnino manendum in hac crudelitate, sed impartendum est pauperibus vt recipiamur ab eis in cælestibus tabernaculis. Sequitur enim: *Vt cum defeceritis, recipiant vos in ater. tab.* Gregor. 22. moral. Si autem eorum amicitias æterna tabernacula acquirimus, dantes pensare debemus: quia patronis potius munera offerimus quam egenis dona largimur. August. de ver. do. Qui sunt enim qui habebunt tabernacula æterna nisi sancti Dei? Et qui sunt, qui ab ipsis accipiendi sunt in tabernacula æterna, nisi qui indigentia seruiunt, & quod eis opus est, hilariter subministrant? Isti sunt minimi Christi, qui omnia sua dimiserunt, & secuti sunt eum, & quicquid habuerunt pauperibus distribuerunt, vt Deo sine seculari compede expediri seruirent, & ab oneribus mundi liberatos, velut pennatos sursum humeros tollerent. August. de quæst. euang. Non ergo eos à quibus recipi volumus in tabernacula æterna tanquam debitores Dei fas est intelligi, cum iusti & sancti significatiuis suis terrena bona communicauerunt. Ambros. Vel aliter: *Facite vobis. am. de ini. mam.* vt largiendo pauperibus angelorum cæterorumque sanctorum gratiam comparemus. Chrysof. Attende etiam quod non dixit, vt suscipiant vos in suis mansionibus, non enim ipsi sunt qui suscipiunt: vnde cum dixisset: *Facite vobis. am. addidit, De man. ini.* ostendens quod non simpliciter eorum amicitia nobis patrocinabitur nisi bona opera nos comitentur, nisi euacuemus iuste diuitias congestas iniuste. Ars igitur artium peritissima est eleemosyna, non enim nobis domos fabricat luteas, sed vitam perennem impendit. Singularum artium alia alterius adminiculo indiget. Cum autem misereri oportet, nullius al-

Bibl. Hom. rom. 3. M m 3 terius



terius sed solius voluntatis est opus. Cyril. Sic igitur docebat Christus affluentes diuitiis summo-  
pere diligere amicitiam pauperum, & thesaurizare in caelis. Nouerat autem humanam mentis desiderium: quomodo ambientes diuitias nullum charitatum opus impendunt egentibus.

S. AMBROSII MEDIO-  
lanensis Episcopi superioris Euang.  
expositio.

Homo quidam erat diues, qui habebat villicum, &c. Ait dominus: facite vobis amicos de iniquo mammona; ut largiendo pauperibus angelorum nobis, carcerumque sanctorum gratiam comparemus. Nec reprehenditur villicus, in quo discimus, non ipsi esse domini, sed potius alienarum villici facultatum. Et ideo, licet peccauerit, tamen, quia sibi in posterum ex indulgentia domini quaesuit auxilia, praedicatur. Pulchre autem iniquum mammonam dixit; quia variis diuitiarum illecebris nostros auaritia tentat affectus, ut velimus seruire diuitiis.

TITI BOSTRORVM  
Episcopi eiusdem Euang.  
expositio.

Homo quidam erat diues, qui habebat villicum. Scopus & mens parabola hinc proposita, ut eodem Cyrillo placet, eiusmodi est: Vniuersorum Deus & Dominus nihil aequum desiderat, atque ut totis animi neruis virtutum studiis incumbamus, illique omnibus, quae animos nostros in hac vita distrahere, & disturbare solita sunt, nutium mittamus, quod nimirum quiete, pacateque assidue ipsi seruiamus. Vacate, clamat per Dauidem, & videte quia ego sum Deus, & pere seipsum rursum: Luc. 2. Vendite quae possidetis, & date eleemosynam. Et quidem lex haec diuinae voluntatis citra ullam controuersiam est utilis & salutaris: Verum humana mens est admodum infirma, & ad res terrenas plus satis semper incuruata. Propter haec ergo Dominus per similitudinem, hoc loco propositam, facilem expeditamque salutis viam nobis ostendit: tantum non eiusmodi oratione omnes compellas. Si quis ex vobis sunt, qui omnibus omnino, quas in terra possident, opibus, simul & semel desertis, sublimem illam vitae conuersationem capessere non volunt: minimum ex eo, quod a necessario sumptu reddat, pauperum aequum sint; quod nimirum vel hac qualicumque facultatum suarum communicatione, multis amicis, multisque misericordiae testibus hinc comparatis, quando olim e caduca hac, terrenaque vita excedent, in eorum tabernaculis tum locum aliquem inueniant, quibus in hoc seculo benignè quandoque fecerant. Quod si verò ne hoc quidem facere in animum induxerint; verum omnia, quae gratis à Domino acceperunt, suis tantum sumptibus, & voluptariis consecrare, aut in momentaneos honores conuertere perreperint, obliti Dei dicentis: Aperiendo aperies viscera tua fratri tuo egeno, aliorumque omnium, quae diuina scriptura de subleuanda miserorum inopia passim praecipit, morte iam illis insultante, & ab omnibus, quae in bonis ha-

Psal. 45.  
Luc. 2.  
Deut. 15.

bebant, ipsos vel inuitos submouente, & extrahente, à sua villicatione omnino amouebuntur. Et quod his grauius est, propter inclementem illam, duramque, & inhumanam in pauperes voluntatem, aeternorum tabernaculorum loco, aeternum inextinguibilemque ignem fortientur.

S. GAUDENTII EPISCOPI  
Brixiani, de villico iniquitatis ad Germinum Sermo.

Seruo Christi Germinio Gaudentius Episcopus.

Sapientem virum semper conuenit dicta sapientia cogitare, hisque intelligendis omne acumen ingenij, omnem vigorem mentis intendere, & ideo tu qui & mundanae sapientiae literis eruditus es, & veram Dei sapientiam per sacras literas didicisti: operam nanare non desinis ad perquirendos interiores sensus verborum Christi, quem Dei esse virtutem, Deique sapientiam docente Apostolo, non ignoras. Nam inter caetera Diuinae legis eloquia, quorum dispersionem frequenter exigit, hoc etiam specialiter postulasti, ut parabolam de villico iniquitatis valde difficilem, cuius nemo nostrum tibi idoneus videtur interpretes, ego scriptis proprijs explanarem. Explanationem verò ipsam literis tradi, ideo forsitan vis, ut Chyroglyphum teneas responsionis meae, de capitulo, ut ipse fateris obscurissimo: sed non formidabo vel eloqui interrogatus, vel etiam scribere pro pusillitate sensus mei, salua fidei ratione, quid sentiam. Ac primum, charissimi, ipsius lectionis verba ponenda sunt. Ita demum ratio est aperienda dictorum. Refert in Euangelij sui libro beatus Lucas. Dicebat, inquit, Dominus Iesus ad discipulos suos parabolam: Homo quidam erat diues, qui habebat villicum, & hic delatus est, quasi dissiparet facultates eius. Et vocato eo, ait illi. Quid hoc audio de te? Redde rationem villicationis tuae, iam enim non poteris villicare: Ait autem villicus intra se: Quid faciam? quia Dominus meus aufert à me villicationem, fodere non valeo, medicare erubescio, scio quid faciam, ut cum amotus fuero de villicatione recipiant me in domos suas. Et conuocans vnumquemque debitorem Domini sui, dicebat primo, quantum debes Domino meo? At ille dixit centum baros olei. Et ait illi: Accipe literas tuas, & sedens cito scribe quinquaginta. Deinde alij dixit: Tu vero quantum debes? At ille ait. Centum coros tritici. Et ait illi: Accipe literas tuas, & scribe octoginta. Et laudauit Dominus villicum iniquitatis, quia prudenter fecit: quoniam filij huius seculi prudentiores quam filij lucis in regeneratione sua sunt. Et ego vobis dico, facite vobis amicos de Mammona iniquitatis, ut cum defeceritis recipiant vos in aeterna tabernacula. Qui fidelis est in minimo, & in multo fidelis est, & qui in minimo iniquus est, & in multo iniquus est. Si ergo in iniquo Mammona fideles non fuistis, quod vestrum est, quis credet vobis? Et si in alieno fideles non fuistis, quod vestrum est, quis dabit vobis? Nemo potest seruus duobus Dominis seruire, aut enim vnum oderit, & alterum patietur, aut alterum contemnet. Non potestis Deo seruire & Mammonae. Perfeci doctoris est ad erudiendos discipulos similitudines earum rerum

Luc. 16.  
Luc. 16.  
Luc. 16.

Christus ad  
eleemosynas  
facit inuitas

rerum proponere, quae in conuersatione humani generis frequentatur, ut auditor idoneus ad operandum studium comparationis magisterio informetur, nec dubitet hoc opus aggredi, quod possibile ac necessarium esse parabola imago monstrauerit: Et ideo Dominus Iesus salutarium mandatorum verus magister discipulos suos, vel tunc Apostolos, vel nunc vniuersos credentes inuitare volens ad eleemosynas fideliter exercendas, similitudinem proposuit villici: ut exemplo huius personae nihil nostrum in seculo isto signaret, sed dispensationem nobis creditam facultatem Domini nostri, vel ad vtendum ex eis sufficienter, cum gratiarum actione, vel ad distribuendum conseruans, prout cuique opus est, nec licere nobis passim facultatibus abuti commisisit, aut expensas usurpare superfluas, cum sit erogationis ratio Domino venienti reddenda. Denique post finem parabola, sic adiecit. Et ego dico vobis: Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in aeterna tabernacula, id est, amicos vobis pauperes facite de terrenis facultatibus, quas iniquitas humanae auaritiae, sibi vendicat, ne hominibus Dei & eius rebus quicquam impertiat. Mammona enim sermo Syro, pecuniae suae diuitiae nuncupantur. Facite ergo vobis, inquit, amicos pauperes de Mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, eadem substantia in pauperum necessitates erogata atque consumpta, recipiat vos in aeterna tabernacula. Idem videlicet pauperes amici, conciliandae salutis, in quibus Christus remunerator aeternus se huius humanitatis fatebitur officia percepisse. Recipient ergo vos, non ipsi omnino pauperes per semetipsos, sed per eum qui in illis obedientiae ac fidei nostrae fructu reficitur, suscepturus ministros pietatis huius in aeterna tabernacula regni caelestis: Dicit enim: Venite benedicti patris mei, possidete regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi: desistit enim & deditis mihi manducare, situi & deditis mihi bibere, peregrinus eram, & collegistis me, nudus & cooperuistis me, infirmus & visitastis me, in carcere eram, & venistis ad me. Quibus verecundè ac reuerenter excusantibus, Domine quando te vidimus in his necessitatibus & ministravimus tibi respondere dicens: Amen dico vobis, cum fecistis vni ex minimis istis, mihi fecistis. Nulli itaque absurdum videatur, quod illi nos dicantur suscipere quorum causa suscipimur, cum & ipse susceptor noster Dominus Iesus, qui necessitatibus humanis non subiacer, se in illis esurisse, & sitisse, & peregrinum, & nudum, & infirmum, & incarceratum fuisse perhibeat. Facite ergo vobis ait, amicos de Mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in aeterna tabernacula. Et post pauca, si in iniquo Mammona fideles non fuistis, quod vestrum est quis credet vobis? Enim verò, dilectissime, quis ei qui terrenas facultates iniquitatis plerumque materiae suggerentes, dispensare fideliter nesciat, committendas putet esse veras caelestium rerum diuitias, quibus fidelis distributor ac iustus ritè meritoque perfruitur? Na glotia & diuitiae in domo eius, & iustitia eius manet in seculo manet seculi. Statim denique sermo ille Dominicus ita coniungitur. Et si in alieno fideles non fuistis, quod vestrum est, quis dabit vobis? Profectò enim quicquid in hoc seculo est, alienum nobis est, qui retributionem futuram

sperantes, velut hospites & peregrini in hoc mundo conuersari iubemur, ut vni quisque nostrum securus Domino audeat cõfiteri: A diuina ego sum & peregrinus, sicut omnes patres mei. Propria verò credentibus & aeterna possessio est illa caelestis vbi esse cor & thesaurum nostrum nouimus: Vbi iam toto affectu mentis per fidem nobis habitare praesumimus. Quoniam iuxta Beati Pauli doctrinam conuersatio nostra in caelis est. Nostrum est igitur caelorum regnum, si pollicenti Domino in humilitate cordis & spiritus mansuetudine, seruiamus: Beati enim pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum. Quod utique regnum non potest adipisci omnis, qui in alieno huius saeculi patrimonio temporarie sibi credito, idoneus ac fidelis dispensator non fuerit. vnde alio in loco dicebat Dominus. Quam difficile, qui pecunias habent, intrabunt in regnum Dei. Et in fine lectionis huius ait: Non potestis Deo & Mammonae seruire: Dei enim Christi seruos atque discipulos imperare oportet pecuniae, non seruire: ne dum cupiditati eius obedimus, à charitate seruitutis eius, dominante pecunia separemur. Dispergenda sunt, ergo pecuniae indigentibus secundum praecipitum Creatoris omnium Dei: quoniam neque nostra sunt, neque illas sine iniquitate ac sui perniciè auarus quisquam derinet. Nam iuxta sententiam Saluatoris aditum regni caelorum suis retentoribus, intercludunt, & facilius est camelum per foramen acus transire, quam diuitem intrare in regnum Dei: illum nempe diuitem, qui sit ob horrorem turpis auaritiae camelo infirmior. Grauis pecuniarum sarcina est, quae tenacium sui mentes auaritiae pondere ad terram deprimit, nec emergere ad superna, caelumque suspicere, vbi vita nostra est, omnino permittit, cum doceat Beatus Apostolus: Si consurrexistis cum Christo, quae sursum sunt, quaerite, vbi Christus est in dextera Dei sedens, quae sursum sunt sapite, non quae super terram. Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Cum Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria. Quoniam verò arcta & angusta via est, quae ducit ad vitam, oneratos diuitiarum terrestrium, falsibus ingredi per illam non capit. Expeditos quaerit ac tenues omnique continentia castigatos (& ut ita dixerim) filo gracili similes, qui etiam per foramen illius myticae acus, facile transeant, spirituales effecti: Hac est & ratio & utilitas parabola huius, cui primum, iuxta quod iubetur, parandum est. Et ita intellectus secretior, si reperiri valeat, inquirendus est. Quia non in sermone est regnum Dei, sed in virtute: Et non auditores tantum, sed factores legis iustificabuntur apud Deum: nec aliquis liquido comprehendere interiori scientia diuini eloquij Apostolo protestante: O altitudo diuitiarum & sapientiae & scientiae Dei, quam imperscrutabilia sunt iudicia eius, inuestigabiles viae eius! Quis enim cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit? Et alio in loco, cum de Adam & Eva sacramentum Diuini sermonis nimirum grande sentiret, & loqui illud digne non posset, ait: Mystèrium hoc grande est: Ego autem dico in Christo & in Ecclesia. Vis autem nosse quod ad aeternam vitam non per notitiam secretorum, sed per operum bonorum efficientiam, peruenitur? Dominus in Euangelio interroganti cuidam di-

Psal. 38.  
Math. 6.  
Philip. 3.  
Math. 5.  
Math. 19.  
Math. 19.  
Col. 3.  
Math. 7.  
1 Cor. 4.  
Rom. 2.  
Rom. 11.

uiti, sic respondit. Si vis ad vitam venire, serua mandata. Quæ cum se ille omnia custodisse iactaret, extorqueri tamen ab eo ad præfens vnum mandatum nõ potuit, vt misericors esset in pauperes, & thesaurum suum transferret ad cælum. Nam statim audito hoc sermone, abcessit tristis. Nec immerito tristis, quia gaudium cælestis thesauri malo auaritiæ possessus, possidere non poterat. Profectò radix omnium malorum est amor pecuniæ, vt ingemiscit Apostolus, quam quidam appetentes errauerunt à fide, & inferuerunt se doloribus multis. Nam preciosa fidei errorum patitur & inferit se doloribus multis, qui amore terrestrium, sicut adolescens iste discedit à Christo: dum mandatum eius subterfugit, dum à conspectu Domini tristis ac lugens ad pœnas auaris & contemptoribus præparatas, spontanea cæcitate deducitur. In sinistra enim parte instructio sitis merito constitutus dicitur: Discedite à me in igne æternum, quem parauit pater meus Diabolo & Angelis eius. Quia cū non fecistis misericordiam indigentibus, nec mihi fecistis. Venio nunc ad illud, quod tantopere à me exegisti, & quid super eo sentiam, qua potero breuitate narrabo: nulli præiudicaturus, qualiter interpretari uoluerit, modo vt explanatio eius traditionem fidei Apostolicæ non infringat. Iniquitatis villicum Diabolum puto esse, qui idcirco ob correptionem generis humani sæculo isto dimissus est, vt immanitatem crudelissimi huius villici fugientes, ad pietatem Dei suppliciter concurramus: cuius misericordia atque virtute contra omnes infestationes eius defensi esse possumus. Quãdoquidem & ipse villicus sub potestate constitutus est Domini Dei illius verè diuitis, qui sicut docet Apostolus, diues est in omnes, & super omnes, qui inuocant eum. Omnis enim, qui inuocauerit nomen Domini saluus erit. Dissipat autem Diabolus facultatem Domini sui, quando in perniciem generis humani grassatur, id est, in nostram necem, qui possessio Dei sumus, sicut ipse Dei filius, Patris sui dicta per Prophetam referendo testatur. Postula à me, & dabo tibi Gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Et iterum. Quoniam elegit sibi Dominus, Iacob & Israel in possessionem sibi: Videns ergo Deus in tantum Dæmonis audaciam prorupisse, vt quos correctionis causâ tentare solum permissus fuerat, vsurpauerit & necare comminatur: illi expulsiõnem, vt immanitas eius metu vltionis interminata frangatur. At ille nequissimus, hominum mortem quæstum suum computas, æstuat anxius, quod Dominus ei & potestate dominandi ablaturus esset & quoniam nec operari bonum vult & petere, misericordiam pœnitens erubescit, argumentatur, quomodo præualeat debitorum Domini sui, id est peccatorum debitis inuolutos, non tantum aperto prælio persequi, sed etiã sub prætextu fallacis beneuolentiæ blanda fraude decipere, quo magis cum in domos suas falsa benignitate seducti recipiant, cum ipso in perpetuum indicandi: Magnum siquidem supplicium suis diabolus putat hoc esse remedium, si pœnarum socios multos acquirat. Nam callidus hostis adueniente & comminante Christo turbatus, excogitauit venenato consilio, qualiter hi etiam, qui illum persequentem fugiebant, cedentem sequatur: Festinat enim nouis artibus, variisque tenta-

1. Tr. 6.  
 Math. 25.  
 Luc. 16.  
 Villicus iniquitatis Diabolus.  
 Rom. 10.  
 Facultates Domini, genus humani.  
 Psal. 1.  
 Psal. 137.

tionum generibus supplantare homines, à quorum dominatu in sine sæculi submouendū se penitus esse cognoscit. Nam post aduentum Christi duplicato cõtra hominum genus furore succenditur, sciens quia modicum tempus habet, sicut scriptum de illo est. Debita cõseruorum suorum, quæ in potestate Domini sunt, relaxare se falso promittit, dum vanã vel in fide, vel in opere peccantibus indulgentiam pollicetur, dum persuadet non imputari ad peccatum ea scelera, quæ ipsi etiam, qui committunt, grauiã esse crimina non ignorant. Nam consensurum sui debiti quantitatem, cum ex integro obnoxios se esse Deo, & pro fide contempta, & pro opere neglecto, negare non possunt. Qui autem reddūt, quæ Dei sunt, Deo iam debitores non sunt. Nec mireris, si debitorum remissionem taliter mœtiatur hominibus, quos hac parte subtilius conatur occidere, qui Christo rerum omnium cõditori ausus est regna mundi promittere, sua illa esse impudenter asserendo, Hæc omnia mea sunt, inquit, & cui volo, do illa: tu itaque si prociðes adoraueris me, erunt tua omnia. O inenarrabilis Christi patientia, quæ idcirco tentatore loqui permittit, vt suscepto homini artem præliandi atque vincendi, in semetipso demonstraret! O effrena diaboli mendacis audacia, Deum sentit & tentat, Dominum nouit vniuersæ creaturæ cui sua esse mundi regna mentitur, & ei se largiturum possessionem creabilium pollicetur, per quem creata esse omnia non ignorat! Ab initio enim, sicut scriptum est, homicida fuit diabolus, & in veritate non stetit, quia veritas nõ est in eo. Sed iam ad ipsas, de quibus queritur, species veniamus. Triticum, sicut, supra tetigimus, fides Christi est vitæ humanæ principium. Hic enim est panis viuus, qui de cælo descendit, & vitam dat huic mundo. Et iterum dicit ipse: Qui credit in me etiam si mortuus fuerit, viuet. Oleum verò bona sunt opera, quæ non habentes illi virgines fatuæ extinctis animarum suarum lampadibus, in tenebris remanserunt, à thalamo regni cælestis exclusæ. Animas enim nostras non solum virgines esse in fide oportet, atque integras: verum etiam torius boni operis oleum portare secum semper in vasis suis, ne ipse in nobis fidei lampades defectu operum extinguantur. Nam sicut caro sine anima: ita fides sine operibus mortua est, secundum Iacobi sancti sententiam. Lumen quippe fidei tunc erit iuge atque perpetuum, si affatum bonorum operum pinguedine illuminetur. Circouenit ergo diabolus hominum genus pollicitationibus falsis, vt debitum fidei & operum non cognoscant, donec sententia Domini iudicis in inferni carcerem retrudantur, vsque ad nouissimum quadratam per supplicia exigendi. Quod autem centum vasa olei, id est, operis persuadet in quinquaginta transcribi, & centum choros tritici, id est, fidei cogit in octoginta transferri, occultior ista fraus est multumque subtilis circumuenit inimici, dum retractos ab idololatria homines variis perniciosorum dogmatum inuoluit erroribus summam salutaris fidei minuendo, & ab iniquis artibus remotos, bonisque operibus insistere cupientes, pestifero iactantiã, amore supplantat. Nam conatur fidem nostram, & opera nostra, à cõtenario numero perfectò scilicet, & in dextera constituto, ad sinistrae partis dolosa compendia deprauare, Apostolicam fide-

4. Pet. 1.  
 Math. 5.  
 Math. 6.  
 Luc. 4.  
 1. Cor. 11.  
 Math. 10.  
 1. Cor. 14.  
 Spiritus per dicitur.  
 Math. 1.  
 Luc. 11.  
 Math. 1.  
 Luc. 11.

dem sinistro hæreticæ persuasione sensu peruertens, & merita bonorum operum, dextrorumque factorum, ad sinistrae mores plerumque deducens. Quantos enim diabolus à dexterae partis vigore, sinistrae motibus in vitia voluptatum carnalium relaxauit? Quantos debita spiritalia religiosi operibus persoluerit gestientes, à mercede cælesti illectos gloria humanæ cupiditatis priuauit? Vt dexterae partis præmia promissa nõ capiant, dum in ipsis bonis operibus non Deo, sed hominibus placere festinant. Vnde filius Dei Christus Dominus discipulos suos monens, vt iustitiam & eleemosynas, & ieiunia, & preces suas non studerent coram hominibus celebrare, ne per vitium iactantiæ, quod sinistrae parti deputatur, mercedem dexterae partis amitterent, ait. Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua. Clarè pater ergo quàm venenata prudentia ille iniquitatis villicus debita religionis officia de dextera parte in sinistra comutet. Nec illud ociosum est quod maior numerus deperit Domino, cui debitores sumus ex operibus oleo figuratis, quam ex tritico ad vitalis fidei specimen comparato. Minus enim turpis est, qui à fide recta, quam qui ab operibus cogitis diaboli fraude subrahatur Saluatoris testante. Quid mihi dicitis: Domine Domine, & nõ facitis, quæ dico vobis? Laudat verò Dominus, non bonitatem, non pietatem, non æquitatem, sed astutiam & callidam prudentiam villici iniquitatis, quod dolum suum subtili nequitia concinnasset. Laudat autem minaciter simul & prudenter. Minaciter quidem, dum ipso iniquitatis vocabulo pessimam diaboli prudentiam damnat: prudenter autem dum contra argumetorum eius consilia discipulos audientes informat, vt omni cautela atque prudentia, tam callido, tam nequiter prudenti inimico repugnet. Ipse enim serpens erat in Paradiso prudentior omnibus bestis, qui protoplastos homines venenato morsu seductionis occidit. Cuius serpentis tortuosa ingenia beatus Apostolus deprehendens ait: Non enim astutias eius ignoramus. Vnde & Saluator, Estote, inquit, prudentes sicut serpentes, & simplices vt columbae, quod aliis verbis Apostolus Paulus edisserit, cum dicit: Malicia paruuli estote, vt sensibus perfecti sitis. Prudentes nos esse Christus præcepit, non venenatos: sapientes non noxios: sed qui veterem peccati tunicam, vt coluber deponentes, in nouum hominem reformemur, caput nostrum, qui est Christus, omni diligentia conseruantes, & pro eo membra omnia persequeutoribus laceranda tradentes, vt fides Dei, quæ caput salutis, ac vitæ nostræ est, sana & inuulnerata permaneat. Quapropter, dilectissimi, imitemur prudentiam Villici huius non perfidiam: æmulemur astutiã eius, non sectemur nequitiam: quantum ille in opere iniquitatis suæ nocendi peritus est, tantum nos studiis salutaribus eruditi & omni prudentia instructi atque armati esse debemus: induentes nos ipsos loriceam fidei, & galeam salutis, & gladium spiritus, & scutum inexpugnabile æquitatis, in quo possumus, (vt hortatur Apostolus) omnia iacula nequissimi, ardentia extinguere: ne nos incautos suggestionum suarum spiculis, vbicumque configat, ne inermes opprimat, ne interficiat dormientes, ne & vigilantes & armatos, si vsus belligeradi nesciamus, interimat. Prudentes enim reperiuntur interdum Spiritus

immundi, quos filios sæculi, id est, tenebrarum filios Dominus nuncupat, quàm filij lucis, quos Deus, qui lux est, in adoptionem filiorum vocari dignatur, per lauachri cælestis sacramenta renatos. Vale in Christo, charissime fili.

S. AVGVST. EPISCOPI  
 Hippon. in superius Euang.  
 Homilia.

Quod admonemur, admonere debemus. Recens Euagelica lectio admonuit facere amicos de mammona iniquitatis, vt eos, qui faciunt, recipiant & ipsi in æterna tabernacula. Qui sunt qui habebūt tabernacula æterna, nisi sancti Dei? Et qui sunt qui ab ipsis accipiendi sunt in tabernacula æterna, nisi qui eorum indigentia seruiunt, & quod eis opus est, hilariter subministrant? Recordemur ergo in nouissimo iudicio domitium esse dicturum eis qui stabunt ad dexteram eius: Esuriui, & dedistis mihi manducare, & cætera quæ nobis. Et cum illi quærent quando ei obsequia ista præbuisent, respondit, Quando vni ex minimis meis fecistis. Isti minimi sunt qui recipiuntur in æterna tabernacula. Hoc dixit dextris qui fecerunt, hoc dixit sinistris, quia facere noluerūt. Sed dextri qui fecerunt quid acceperunt, vel potius quid accepturi sunt? Venite, inquit, benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnū à constitutione mundi. Esuriui enim & dedistis mihi manducare. Quãdo vni ex minimis meis fecistis, nihil fecistis. Minimi ergo qui sunt Christi? Hi illi sunt, qui omnia sua dimiserunt, & secuti sunt eum, & quicquid habuerunt, pauperibus distribuerūt, vt Deo sine seculari cõpede expediti seruirent, & ab oneribus mundi liberatos, vult pennatos sursum humeros tollerent. Hi sunt minimi. Quare minimi? Quia humiles, quia non elati, nõ superbi. Appende minimos istos, & graue pondus inuenies. Sed quid est quod ait eos esse amicos de mammona iniquitatis? Quid est mammona iniquitatis? Primum quid est mammona? Verbum est enim quod Latinum non est. Hebræum verbum est, cognatum linguæ Punicæ. Ista enim linguæ sibi significationis quadam vicinitate sociatur. Quod Punicè dicunt mammon, Latine lucrum vocatur. Quod Hebræi dicunt mammona, Latine diuitiæ vocantur. Vt ergo Latine totum dicamus, hoc ait dominus noster Iesus Christus, Facite vobis amicos de diuitiis iniquitatis. Hoc quidam male intelligendo rapiunt res alienas, & aliquid inde pauperibus largiuntur, & putant se facere quod præceptum est. Dicit enim rapere res alienas, mammona est iniquitatis: erogare inde aliquid maxime egentibus sanctis hoc ita est facere amicos de mammona iniquitatis. Intellectus iste corrigendus est, imò de tabulis cordis vestri omnino delendus est. Nolo sic intelligaris. De iustis laboribus facite eleemosynas, ex eo quod recte habetis, date. Non enim corrupturi estis iudicem Christum, vt non vos audiat cum pauperibus, quibus tollitis. Si enim deprædaretis aliquem inualidum, tu validior, & potentior, & veniret tecum ad iudicem hominem quemlibet in hac terra, habentem iudicandi aliquam potestatem: vellèrque tecum causam dicere, si tu de præda, & spoliatioe illa inopis dares aliquid iudici, vt pro te indicaret iudex

Ex ser. 35. de verbis domini.  
 Math. 25.  
 Vbi supra.  
 Concor. 14. quæst. 5. ca. Forra.

index ille, vel tibi placeret? Nempe pro te iudicavit, & tamē tanta vis est iusticiæ, ut & tibi displiceat? Noli tibi talem pingere Deum, noli collocare in templo cordis tui tale idolum. Non est talis Deus tuus, qualis non debes esse nec tu. Si tu non sic iudices, sed iuste iudices, etiam sic melior est te Deus tuus, non est inferior, iustior est fons iusticiæ. Quicquid boni fecisti, inde sumpisti, & quicquid boni eructasti, inde bibisti. Laudas vas, quia habet inde aliquid, & vituperas fontē? Noli velle elemosinas facere de scenore, & vñtis. Fidelibus dico, eis quibus corpus Christi erogamus dico. Timete, corrigite vos, ne dicā postea, tu facis, & tu facis. Et puto quia si fecero, non mihi debent irasci, sed vobis ut corrigamini, ad hoc enim valet, quod dictū est in Psal. Irascimini, & nolite peccare. Volo vos irasci, sed nō ut peccetis, ut autē nō peccetis, quibus habetis irasci nisi vobis? Quid est enim homo pœnitēs, nisi homo iratus sibi? Ut accipiat veniam, de seipso exigit pœnam, & rectē dicit Deo, Auerte faciem tuam à peccatis meis, quoniam peccatum meum ego agnosco. Si tu agnoscis, & ille ignoscet, quæ faciebatis, nolite facere. Non licet. Sed iam si fecistis, & pecunias tales habetis, & inde facellos impletis, inde thesaurizabitis. De malo est, quod habetis, iam nolite malum facere, & facite vobis amicos de mammona iniquitatis. Nunquid Zachæus de bono habebat? Legite, & videte. Maior erat publicanorum, id est, cui vestigalia publica conferebant. Inde habebat diuitias: Multos profferat, multis abstulerat, multa congefferat. Intrauit domum eius Christus, & venit salus super domum eius: sic enim ait ipse dominus, Hodie salus huic domui facta est. Sed ipsam salutem videte. Primo desiderabat dominum videre, quia statura pusillus erat, sed turba impediēte ascendit in arborem sycomorū & vidit transeūtem, Ille autem aspexit eum & ait, Zachæe, descende, apud te oportet me manere, Tu pendes, sed non te suspendo, hoc est, non te differo. Volebas videre transeūtem, hodie me apud te inuenies habitantem. Ingressus est ad eū dominus, repletus ille gaudio ait: Dimidium rerū mearū do pauperibus. Ecce quomodo currit qui currit facere amicos de mammona iniquitatis. Et ne reus aliunde teneretur: Si cui aliquid tuli, ait, quadruplum reddam. Infixit sibi condemnationem, ne incurreret damnationem. Ergo qui habetis de malo, facite inde bonum. Qui non habetis de malo, nolite acquirere de malo. Esto bonus tu qui bonum facis de malo, & cum cœperis boni aliquid facere de malo, noli remanere tu malus. Nummi tui conuertuntur in bonum, tu autem remanes malus? Est quidem & alius intellectus, nec ipsum tacebo. Mammona iniquitatis, diuitiæ sunt seculi omnes vñdecunquē sint. Vñdecunquē congregentur, mammona iniquitatis est, id est, diuitiæ sunt iniquitatis. Quid est diuitiæ sunt iniquitatis? Pecunia est, quam nomine diuitiarum appellat iniquitas. Si enim veras diuitias quæris, alię sunt. Talibus Iob nudus abundabat, quando in Deum cor plenum habebat: & laudes Deo perditis omnibus rebus tanquam gemmas preciosissimas profererebat. De quo thesauro si nihil habebat, ipsa sunt veræ diuitiæ, istæ autem ab iniquitate appellantur diuitiæ. Habes illas, non reprehendo, hæreditas venit, patet tuus diues fuit & dimisit tibi,

Honestè acquisisti, de iustis laboribus plenā domum habes, non reprehendo. Tamen etiā si non illas dicis diuitias: Nam si dicis illas diuitias, amabis illas. Et si amaueris illas: peribis cum illis. Perde ne pereas, dona ut acquiras, semina ut metas. Has diuitias noli appellare, quia veræ non sunt. Paupertate plenæ sunt, & semper obnoxii casibus. Quales diuitiæ sunt, propter quas latro nem times, propter quas times seruum tuum, ne te occiso auferat & fugiat? Si veræ diuitiæ essent, securitatem tibi darent. Ergo illæ sunt veræ diuitiæ, quas cum habuerimus, perdere nō possumus. Et ne forte propter illas furem timeas, ibi erant ubi nullus auferet: Audi dominū tuum, Thesaurizate vobis thesauros in cælo, quōd fur non accedat. Tunc erunt diuitiæ, quando eas migraueris. Quādiu in terra sunt, diuitiæ non sunt: sed diuitias vocat illas mundus, iniquitatis vocat Deus: ideo mammona iniquitatis, quia diuitias vocat iniquitas: audi Psalmum, Domine, libera me de manu filiorum alienorum, quorum os locutum est vanitatem, & dextra eorum dextera iniquitatis. Quorum filij sicut nouellæ constabunt à iuventute sua. Filia eorum ornata, circumornata ut similitudo templi. Cellaria eorum plena eructantia ex hoc in illud. Boves eorum crassæ, oues eorum fecundæ, multiplicatæ in itineribus suis. Non est ruina maceræ, neque transitus, neque clamor in plateis eorum. Vidisti Psalmum qualem felicitatem descripsit, sed audi quid sit, quos proposuit filios iniquitatis. Quorum os locutum est vanitatem, & dextera eorum dextera iniquitatis. Ipsos proposuit, & dixit felicitatem eorum tantum super terram: & quid adiunxit? Beati dixerunt populum, cui hæc sunt. Sed qui dixerunt? Filij alieni, alienigenæ, & non pertinentes ad semen Abraham. Ipsi dixerunt populum beatū, cui hæc sunt. Qui dixerit: Quorum os locutum est vanitatem. Ergo vanum est, dicere beatos esse eos quibus hæc sunt, & tamen dicitur ab eis, quorum os locutum est vanitatem. Ab ipsis dicuntur istæ diuitiæ, quæ vocantur mammona iniquitatis. Tu autem quid dicis? Quia illi filij alieni, quia illi quorum os locutum est vanitatem, dixerunt beatum esse populum cui hæc sunt, tu quid dicis? Falsæ sunt istæ diuitiæ, da mihi veras. Reprehendis istas, ostēde quod laudas. Vis ut contemnam hoc, ostēde quid præferam. Dicit ipse Psalmus, Qui enim dixit, beati dixerunt populum cui hæc sunt, tale nobis dat responsum, quasi diceremus illi, id est, ipsi Psalmo, Ecce hoc nobis tulisti, & nihil nobis dedisti. Ecce ista contemnimus, vñde viuimus, vñde beati erimus? Quia qui locuti sunt, ipsi de ipsis recipient. Omnes enim diuitias habentes beatos esse dixerunt: Tu quid dicis? Responder quasi sic interrogatus & dicit, Illi dicunt diuites beatos, ego dico, beatus populus cuius est dominus Deus eius. Audistis veras diuitias, fac amicos de mammona iniquitatis, & cris beatus populus cuius est dominus Deus ipsius. Aliquando transimus viā, & videmus amœnissimos & vberes fundos, & dicimus; Cuius est ille fundus? Afferit illius, & nos dicimus, Beatus homo: vanitatem loquimur, Beatus est, cuius illa domus, beatus est, cuius ille fundus, beatus est, cuius illud pecus, beatus est, cuius ille seruus, beatus est, cuius illa famula: Tolle vanitatem, si vis audire veritatem. Beatus est, cuius est domi-

nus Deus ipsius. Non enim cuius est fundus iste beatus est, sed ille cuius est Deus. Sed ut aperitissime beatitudinem rerum anuncies, dicis, quod beatum te fecit fundus tuus. Quare? Quia inde viuus. Nam quando laudas pro magno fundum tuum hoc dicis, Ille pascit me inde viuo, Attende vñde viuas. Ille est vñde viuus, cui dicis, Apud te est fons vitæ, Beatus populus, cuius est dominus Deus ipse. O domine Deus meus, o domine Deus noster, ut veniamus ad te, fac nos beatos de te. Nolumus de auro, neque de argento, nec de fundis: Nolumus de terrenis istis, & vanissimis, & de caducæ vitæ transitorijs. Non loquatur os nostrum vanitatem: Fac nos beatos de te, quia non perdimus te. Cum tenuerimus te, nec te perdimus, nec nos perimus. Fac nos beatos de te, quia beatus populus, cuius est dominus Deus ipse. Nec irascitur autem si dixerimus de Deo, fundus noster. Legimus enim, Dominus pars hæreditatis meæ. Magna res, fratres, & hæreditas ipsius sumus, & hæreditas nostra est, quia & colimus eum & colit nos. Nulla est iniuria illi, quia colit nos. Quia si nos colimus illum, ut Deum nostrum, ille colit nos ut agrum suum. Et ut sciat quia colit nos, audite nos, quem misit nobis, Ego sum, inquit, vitis, vos estis palmites, pater meus agricola est. Ergo colit nos, sed si fructum reddamus, parat horreum. Si autem sub tanto custode stirpes esse voluerimus, & pro frumento spinas proferimus, nolo dicere quod sequitur, ad gaudium finiamus.

## PETRI CHRYSOL.

Episcopi Rauen. in superius Euang.  
de villico iniquo, Sermo 1.

Omnia quidem ciborū sal salubre est condimentum, si mensura non desit: alioqui sine modo & ipsum perit, & quod salierit, perdit: amarum enim nimietas, quod poterat cōdare mensura. Sic, qui in nobis est sensus, si teneat modū, dat saporem, intellectum parit, prudentiam generat, cor dilatat, auget ingenium, maturat dicenda, audienda componit, sitque sibi dulcis, sit degustantibus tota dulcedinis plenitudo: & planè erit ille mellensensus, qui ore proferet nil amarum. Hoc præmissimus, ut sit nobis in Euangelicis sensibus nostri sensus constringenda mensura: quatenus vitalem cibum, diuinū pastum, cælestem saporem non violet, sed cautissima nobis sobrietate custodiat, iuxta illud Apostoli; Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem. Sed iam, quid dominus dixerit, audiamus: Homo quidam erat diues. Et quis erat homo iste, nisi Christus? Quis diues, nisi ipse, qui in paupertate nostra totas creaturæ diuitias possidebat? Homo quidam erat diues. Hoc Iudæi sæpius inculcabat, ut intelligerent, quōd inesset ei locuples deitas, cui erat humana paupertas. Erat diues. Erat in maiestate sua diues, qui oculis Iudæorum erat pauper. Et quomodo diues non erat, cui ministrabant angeli? virtutes parebant? elementa seruiebant? & quæ non erant, fiebant iussa, vocata veniebant. Homo quidam erat diues: & habebat villicum. Quem nisi hominem, cui ad colendū mundum tota fuerat commissa possessio. Et hic diffamatus est apud illum. Quasi non præciserit, quasi

non præuiderit, cui occulta nota sunt, cuius oculis etiam illa nuda sunt, quæ teguntur. Et hic diffamatus est apud illum. Ergo ille famæ credidit: fama nūciante, cognouit? Absit. Sed, quia illa, quæ nouerat, quæ pietate velabat, quærere tūc cœpit, quando accusabat terra, clamabat cælum, dolebant Angeli, quando iam tota sæculi fama loquebatur. Et hic diffamatus est apud illum, quōd dissipasset substantiam eius. Filius inuicem ante istius hominis lectus est substantiam dissipasse, nunc ipsius bona villicus dissipasse perhibetur. Sicut idem Deus, & homo Christus, idem paterfamilias, & pater: sic hunc eundem esse & villicū constat, & filium: est hic causarum diuersitas, est mutatio nominum; non est varietas personarum. Et vocauit eum. Vocauit per Euangelium. Et ait illi. Et quid per Euangelium nō agit? Per quod mores arguit, oculos nudat, conscientiam pandit, commissā castigat, dinumerat mala, & in his præsententi minatur pœnam, quamuis conuerso veniam repromittit. Et ait illi: Quid hoc audio de te? Cognita velut audita imputat, quia in reum non vult accelerare sententiam: & conuictum penes se, velut accusatum conuenit, qui iudicium gestit venia sic præire. Redde rationem villicationis tuæ, iam enim non poteris villicare. Tam pijs tam secura cur iungit? cur ante à villicatione submouet, quam rationem cognoscat? Redde rationem. Rationem modò instat hominis expetit: modò sicut Deus instantia denunciat, & futura. Redde rationem. Rationem petit, non ut exigit, sed relaxet: petit, ut petatur: petit hinc, ne petat ibi: petit in seculo, ne petat in iudicio: petit cito, ne pœnarum tempus, tempus satisfactionis excludat. Redde rationem villicationis tuæ, iam enim non poteris villicare. Quare? Quia venit finis vitæ, tempus mortis, iam te apparitio superna constringit, iam iudicium vocat. Festina ergo, ne satisfactionis tempus perdas: qui tempus operis perdidisti. Redde rationem. Hoc est dicere, compone rationem, compone tuam, ne reddas mea: compones autem, si iam desines dissipare: priora debita suscepi ego, cum te suscepi; solui ego, cum te absolui: ego cognitor pro te cognitori audiendus astiti: iudicium intraui iudex; rei mei reus factus sum, à pœnalibus suscepi pœnas, à damnatis sententiam non refugi, mortis perditorem mortem excepi, penetraui inferos destructor inferni, ut te per ista non modò subducerem tuæ pœnæ, sed & meæ confortem facerem dignitatis. Age ergo, ut te, quem tempus tuæ villicationis excludit, perpetuitas meæ donationis includat. Sed villicus quid responderit iam perferretur. Ait, inquit, intra se: quid faciam? Quid faciam modò, semper homo bona facere tunc cupit, quando mors faciendi tempus ademit. Ait, inquit, intra se. Quærit, inquit, intra se consilium, qui foris, vñde sibi iam succurreret, non habebat. Ait intra se. Pungit cor suum, stimulat mentem suam, & omnia vexat interna, ut à se pœnitentiam, quam pro se dare possit, extorqueat. Fodere non valeo. Nō vires isti, sed tempora defecerant ad laborem. Fodere non valeo: mendicare erubescio. Confusionem futuri iudicij pertimescit, in quo iam non pœnitendi tempus est, sed pœnarum, & ubi reus plus de conscientia, quàm de gehennæ erubescit incendio. Mendicare erubescio. Et quis non erubescit in cælestibus mendicare? Miser, quem temporalitas habuit



habuit diuitem, mendicum sempiternitas possidebit: & habebit hunc nudum tartarus, quem locupletem suscipere cælum potuit, & tenere. Præsens figura tendit ad populum, sed bonum nobis, bonum nimis, si ad nos illa aptemus singuli, si ad nos ista referamus, qui in terra nos debemus sentire villicos, dominos non putare; prorogationis temporaria ministerium suscepisse, non inuenisse ius perpetuum possidendi: cauere, ne ad patrem familias fama uersæ substantiæ nos præcedat, iuxta illud Apostoli; Quotundam peccata manifesta sunt, præcedentia ad iudicium, quotundam autem & subsequuntur. Non peruenit ad statutum terminum vitæ, qui villicationis amittit tēpus: quem \* sonarit, credita dissipasse. Hinc, hinc est immaturus exitus, hinc est ante diem mors, hinc est uocatio amara, hinc est seipsa acerbior redhibitio, sicut Propheta lamentatur, clamans. Viri sanguinum, & dolosi non dimidiabunt dies suos. Sed vtinam, quando nos de uocatione commonet ægritudo, quando febris à villicatione inclementer excludit, quando vis doloris ad reddendam villicationem properare compellit, præsentis villici factum, sensumque; sequeremur, conuerteremur ad animæ consilium, ad compunctionem cordis ad mentis, penitentiam, ad misericordiam suffragium, ad pietatis patrocinium, ad confessionis aduocationem, certe peteremus dominicorum chirographa debitorum, & si non tota, vel media, sicut iste villicus, ad nostram veniam solueremus: vt, qui bona credita dissipando iniquitatis uocamur villici, in nouissimis pia fraude ipsius laudem iudicis consequamur. *Et laudauit, inquit, villicum iniquitatis.* Et quia Euangelici factum villici nō paruam generat quæstionem, qui reus de multis, vnam legitur placuisse per fraudem; quare placuerit sic, vel quis sit iste, sequenti per Deum plenius sermone pandemus.

## EIVSDEM DE EODEM

Sermo 2.

Quam sit commodum, quam lucrosam debitorum nodos soluere, cautionum vincla laxare, præsentis villici nos edocet, & informat exemplum, qui, dum chirographorum cumulos pio moderatur assensu, non modò euasit certissimas discussionis angustias, sed etiam discussoris laudem mansuram sæculis conquisiuit. Et nos, fratres, quod de præsentis lectione vobis fecit promissio me debere, auditu piissimo temperate; ne me, vobis simul oneret seuera discussio, quos intelligentia poterit benigne releuare. Vnde, quæ supersunt lectionis iam sequamur: & consilium villicus, quod inuenerit, audiamus. *Ait, inquit, intra se. Quid faciam, &c.* Vel nunc liquet in euangelicis lectioibus obscuratas mysteriis diuinis, supernis velatas sensibus contineri, quamplurimas quæstiones: nec facillè humano intellectui subiacere, quod ore Christi de cælestibus profertur arcanis. *Et laudauit, inquit, dominus villicum iniquitatis, quod prudenter fecisset.* Rogo quid hoc loco mundanus capit animus? quid hic communis capit, & recipit auditus? vbi inter villicum, & dominicis debitores uersatæ fraudis laudatur inuentio: vbi debitoris honestas tollitur, auferitur pudor, violatur innocentia, verecundia tota se-

pelitur: vbi villicus reddendæ rationis tempore plus ardet in fraude, quam tempore villicationis anhelaui in luxu: in articulo discussionis ipsum dominicum plus in dispendium læuit, quam diebus suæ fudit, & disperdidit actionis: & qui ante, substantiam vacauerat dissipando, vacuando chirographa, quod remanserat, plus euerit: nec curat, vnde possit facite, quod deerat, sed quod remansit, quemadmodum minorare possit, excogitat. *Dicebat debitori; Quantum debes domino meo?* Non dicebat, quantum debes mihi. Cōueniebat conscientiam, testabatur debitoris animum, sic dicendo. Et quid est, quod sine respectu domini debitor ad tantam fraudem villico cōspirauerat? *Quantum debes domino meo? Dicit ille, Centum cados olei.* Accipe cautionem tuam, & scribe quinquaginta. Ad tantam fraudem villicus conspirabat, & agebat, vt totam fidē perderet, dum mediat cautionem. *Quantum debes domino meo? Sciebant ambo, quia præsens erat vbique, & semper supernus creditor nec poterat fraude præueniri, sed neque in oculis dominicis desinit, semel cōperit qui furari. Esto tamen sit humani moris, vt debitor quærat compendia fraudulenta, & villicus sibi consulat, sic furado. Dominus iterum quare probat fraudem? furta collaudat? prædicat falsitatem? Quod est nequitia, prudentiam dicit: & hoc pium iudicat, quod multis pessimum falsitatis præstat exemplum? Sapit ita carnalibus sensibus, spiritualibus, quod est diuini luminis, iam luceat. Iterata est parabola per villicum, quæ fuerat iuniorum prælibata per filium. Villicus iniquitatis à mammona iniquo gentium populus nuncupatur. Facite vobis, inquit, amicos de mammona iniquitatis, qui relicto creatore, totum se mammonæ tradiderat seruituti. Quisquis est ab huius mammonæ captiuitate liber, & pecuniæ iam crudeli pondere non grauatur, consistat in specula cælesti, & inde despectet mammonam, mundo, & mundanis tyrannico furore dominantem. Imperat genibus, iubet regnis, bella mandat, comparat belatores, sanguinem vendit, agit mores, prodit patrias, vrbes destruit, subdit populos, arces vrget, vexat ciues, foro præsidet, ius delet, fas, nefasque confundit, & ad mortes vsque tendendo: fidem tentat, violat veritatem, famam carpit, honestatem dissipat, soluit affectus, innocentiam tollit, pietatem sepelit, necessitudinem scindit, amicitia subruit. Et quid plura? Hoc est in mammona, dominus iniquitatis, qui inique humanis, & corporibus dominatur, & mentibus. Huius ergo mammonæ villicus, hoc est, gentilis populus dissipatè taliter substantiæ reus à Domino per Euangelicū conuenitur, vt reddat rationem villicationis suæ, id est, naturalis boni. Cui tunc dicitur, *Iam non poteris villicare.* Quando ei finis sæculi nunciatur. Credit denique iuxta Apostolum, figuram præterire mundi, transire tempora villicationis humane: & intra se, in se reuersus, quid facere deberet interrogat. *Ait, inquit, intra se. Quid faciam?* Ingemuit cor, doluit mens, respondit fides, redulitas dedit consilium salutare, vt villicus ad verum dominum iam rediret: & erogando mammonam, seruum dominum suæ victor subderet seruituti, vt seret salutis occasio, quod perditionis extiterat instrumentum. Pergit ergo villicus gentilis quondam, iam Christianus, ad primum debitorem domini sui. *Quem? Iudæum interrogat debi-**

## BEDAE VENERABILIS

presbyteri in idem Euang.

expositio.

rorem: quid, quantumque interrogat, quasi nesciat modum debiti: porritor cautionis nouerat iam per Euangelium, sed interrogando confessionem taliter requirebat, denique & qualitatem, & quantitatem debiti confitetur, dicens: *Centum cados olei.* Quare non argenti, vel auri pondus: quare non centum decem, aut nonaginta, sed centum? Vt & de debito, & de numero cælesti luceat sacramentum. Debebat Iudæus oleum, quod chirographo legis ad vnguentos Reges, Prophetas, & Sacerdotes, Christiani chrisimatis acceperat in figuram, donec ad ipsum Regum, & Prophetarum, & Sacerdotum principem perueniret, cui tota reddenda, & infundenda erat centenaria chrisimatis plenitudo. Sed, quia contra cautionis fidem debitor, ne debitum redderet, occidit impius creditorem; legalis ipsa cautio peruenit ad Gentem, hoc est lex: vt Iudæus conuictus per Gentilem quia debitum conuertit in crimen, penitentiam soluat vsuram. Vides ergo, quia villicus non fraudem, sed penitentiam suadet: sollicitus ad acquirendam misericordiam, non impellit ad falsum, cum dicit, *Accipe cautionem tuam: scribe cito, & scribe quinquaginta.* Quinquagesimum numerum ad misericordiam pertinere, David pandit, cum plallium, quinquagesimum cantat, clamans; *Miserere mei, Deus secundum magnam misericordiam tuam.* Quinquagesimus numerus patefecit misericordiam, dum quinquagesimum annū, qui est iubilæus, lex debitorum omnium, omnium cōtractū delere, & soluere ligamenta perscribit. Villicus ergo agit iste, vt per misericordiam Christi idoneus sit Iudæus, qui per cautionem legis insolubilibus confusus debitis tenebatur. Debet Iudæus oleum, qui iuxta Apostolum, *feracis in se oliuæ pinguedinem incredulitatis sterilitate sicauerat.* Vnde & Evangelica fidei calore iam tota redit in ramos, Christiano totam reuiuiscit in gratiam. *Deinde alij dicebat; Tu verò quantum debes? Qui ait; Centum coros tritici.* Posteaquam granum tritici, quod est Christus, factum est in terra nostræ catinis, & ad vbertatem supernam per dominicā fecundatum est sepulturam, factum est, vt homo centesimum fructum suo iam debeat auctori: Nisi inquit, granum frumēti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. Vident ergo villicus satis prouidet, cum dicit, *Accipe cautionem tuam, & scribe octoginta.* Quia sicut quinquagesimus misericordiam confert, ita octogimus totam fidem præfiguratur, & gratiam. Hic est numerus, in quo decalogus legis esse, & octogidam gratiæ satis gnarus legis, satis studiosus Euangelij lector intelligit. Itaque villicus cum dicit, *scribe octoginta, id agit, vt per gratiam soluat, quod reddere non poterat per naturam.* Bene ergo iste villicus meruit laudem domini sui, qui in chirographis non fraudem molitus est, sed salutem: quod autem dicit, *Prudentiores sunt filij sæculi in generatione sua, quam filij lucis.* ita intelligendum est, quia, qui erant filij sæculi quondam, id est, gentiles, nunc electi sunt Dei, & qui erant filij Dei, hoc est, Iudæi, nunc in filiis sæculi sunt relicti. *In generatione sua.* Quia renati sunt, non qua nati sunt. Scribatur hæc, inquit, in generatione altera. Altera hæc est generatio quærentium dominum. Deus autem scientiæ, & illuminationis illuminet corda vestra, & totam scientiæ suæ plenitudinem in vestra mentis infundat arcanum.

Postquam murmurantes de peccatorum, vel potius penitentium receptione eos, qui sibi iusti videbantur tribus continuis parabolis; de quibus supra disputatum est Saluator redarguit, docens salutem respicientium Deo quidem, & angelis gratissimam, sed inuidis hominibus esse grauissimam, quartam mox, quintamque de elemosyna danda; & parsimonia sequenda subiungens, pia, iustaque discretionem manifestat eos, qui bona terrena disperferint dederintque pauperibus, ab illis in æterna tabernacula recipiendos. Illos autem, qui in his soli luxuriari desiderant, in inferno sepeliendos, & nec stilam aquæ per modicam, qua perennes tormentorum ardores vel ad momentum refrigerare queant, esse nacturos. Quia videlicet & ordo prædicandi aptissimus est, vt post penitentiam elemosyna, id est, opus misericordiarum suggeratur. Ille enim iuste à Deo penitens vt sui misereatur impetrat, qui proximi indigentis quantum valet ipse miseri non tardat. At qui auertit aurem suam, ne audiat pauperem oratio eius erit execrabilis. Vnde & Ioannes Baptista, cum turbis suaderet, ne merito suæ sterilitatis in ignem mitterentur, dignos penitentiarum fructus esse faciendos, mox consilium salutis suæ quærentibus adiunxit, atque ait; Qui habet duas tunicas, det non habenti, & qui habet escas, similiter faciat. Et iidem Pharisæi, ac Scribæ, non minus auaritiæ, quam superbiæ peste languentes, sicut penitentibus veniam, sic & egentibus pecuniam dare negabant. Verum ille, qui vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, nunc ad eos, nunc eis audientibus ad discipulos suos verba faciendæ cōsuetæ pietatis dona benignus impendere non cessat. Sed veniamus ad textum. *Dicebat autem & ad discipulos suos. Homo quidam erat diues, &c.* In villico hoc, quem dominus in futurum sibi prospexerit, non omnia debemus ad imitandum sumere. Nō enim aut domino nostro faciendæ est in aliquo fraus, vt de ipsa fraude elemosynas faciamus, aut eos, à quibus recipi volumus in tabernacula æterna, tanquam debitores Dei, & domini nostri fas est intelligi, cum iusti, & sancti significentur hoc loco, qui eos introducant in tabernacula æterna, qui necessitatibus suis terrena bona communicauerint. De quibus etiam dicit, quod si quis alicui eorum calicem aquæ frigidæ dederit tantum in nomine discipuli, non perdet mercedem suam. Sed etiam econtrario dicuntur istæ similitudines, vt intelligamus, si laudari potuit ille à domino, cui fraudem faciebat, quanto amplius placeant domino Deo, qui secundum eius præceptum illa opera faciunt. Sicut etiam de indice iniquitatis, qui interpellabatur à vidua, comparisonem duxit ad iudicem Deum, cui nulla ex parte iudex iniquus conferendus est. Villici sane vocabulo discimus eos, qui pecunias habent, non iam dominos suæ, sed alienæ potius rei dispensatores esse putandos. Qui si iuxta huius serui exemplum sedulo finientæ villicationis, ac rationis reddendæ tēpus præuiderint, facile terrenorum omnium delectatione

Bibl. Hom. tom. 3. Nn simul,

ALCVINI, AVT ALTE-  
rius in superius Ewang. Homilia.

simul, & dilectione nudati, plus sibi de amicis  
conquirendis in futuro, quam diuitiis in praesenti  
colligendis prospicere curabunt. Qui multa se-  
cum anxius pertractado, quid faciam? inquit. Fodere  
non valeo, mendicare erubescio. Ablata quippe villica-  
tione, fodere non valemus, quia finita hac vita  
in qua tantum licet operari, nequaquam ultra bo-  
nae conuersationis fructum, ligone deuota com-  
punctionis licet inquirere. Mendicare, confusio-  
nis est. Illo scilicet pessimo genere mendicandi,  
quo virgines illae fatuae mendicasse referuntur,  
quae ingruente tempore nuptiarum, oleo virtum  
deficiente, sapientibus dixerunt; Date nobis  
de oleo vestro, quia lampades nostrae extinguntur.  
Et de quo Salomon ait; Propter frigus piger  
arare noluit, mendicabit ergo aestate, & non dabitur  
ei. *Conuocatis itaque singulis debitoribus domini  
sui, &c.* Cadus Graeca amphora est, continens vr-  
nas tres. Corus vero modios triginta complectitur.  
Quod autem de centum cadis olei quinquaginta  
scribi fecit a debitore, & de centum coris  
triginta octoginta, ad nihil aliud valere arbitror,  
nisi vt ea, quae similiter in sacerdotes atque in le-  
uitas Iudaeus quisque operatur, in Christi Eccle-  
sia abunde iustitia eius super Scribarum, & Pha-  
risaeorum, vt, cum illi decimas darent, isti dimi-  
dias dent, sicut non de fructibus, sed de ipsis bo-  
nis suis fecit Zachaeus. Aut certe dupliciter deci-  
mas, vt duas decimas dando, superet impendia  
Iudaeorum. Nisi forte quis simpliciter accipien-  
dum putet, quod omnis, qui indigentiam cuiuslibet  
pauperis sanctorum, vel ex dimidia, vel certe  
ex quinta parte, quantum viginti, vel quinquaginta  
ad centum sunt, adleuiauerit, certa suae mi-  
sericordiae sit mercede donandus. *Et laudauit domi-  
nus villicum iniquitatis, &c.* Audiant sapientes hu-  
ius saeculi, vt stultam sapientiam deserere, & sa-  
pientem Dei stultitiam discere queant, quanti eor-  
um sapientiam diuina & quitas estimauerit, quos  
non vere prudentes, sed in generatione sua pru-  
dentes esse commemorat. Iuxta hoc, quod alibi  
dicitur; Vae qui sapientes estis in oculis vestris, &  
coram vobis in ipsis prudentes. Nec non & ama-  
tores aeternae vitae, filios lucis appellando, non  
aliud eos, qui sapientes sunt, vt faciant mala, bene  
autem facere nescierunt, quam filios arguit esse  
tenebrarum. Filij autem lucis, & filij huius sae-  
culi vocantur, quomodo filij regni, & filij perdi-  
tionis. Cuius enim quisque agit opera, eius cog-  
nominatur & filius. *Et ego vobis dico. Facite vobis  
amicos de mammona, &c.* Mammonam iniquitatis  
ob hoc appellat istam pecuniam, quam posside-  
mus ad tempus, quia mammona diuitiae interpretan-  
tur. Nec sunt istae diuitiae nisi iniquis, qui in  
eis constituunt spem, atque copiam beatitudinis  
suae. A iustis vero cum haec possidentur, est qui-  
dem ista pecunia, sed non sunt illis diuitiae, nisi  
caelestes, & spirituales. Quibus indigentiam suam  
spiritualiter supplentes, exclusa egestate miseris,  
beatitudinis copia dirabuntur. Si autem ij, qui  
praebent eleemosynam, de iniquo mammona fa-  
ciunt sibi amicos, a quibus in aeterna tabernacu-  
la recipiantur, quanto magis ij qui spirituales  
largiuntur epulas, qui dant conseruis  
cibaria in tempore suo, certissi-  
ma debent spe summam  
retributionis  
erigi?

Q Vis est homo diues, nisi Christus? Diues in  
caelo, & diues in terra, diues vbique diues,  
plenus gratiae & veritatis: & nos omnes de pleni-  
tudine eius accepimus. Diues, apud quem abscondi-  
ti sunt omnes thesauri sapientiae & scientiae. Diues  
in omnibus & in omnes, qui inuocant illum. Vil-  
licus autem est vnusquisque Christianus, qui in  
baptismo villicationem sui accepit, & proximi.  
Christianus enim vnusquisque non tantum sui  
causa viuens, sed & proximi: & non tantum reddi-  
turus est rationem pro anima sua, sed & pro eius  
cum quo viuunt in hac vita, exercens se corpore &  
animo: & adiuuans proximum documentis &  
exemplo: nec tantum querens quae sua sunt, sed  
& quae aliorum. Haec est Christianorum cura no-  
bilis, & sancta villicatio. Hinc est iudicium Chri-  
sti intuentium, & futura exaetio. *Et hic diffamatus  
est apud illum, quasi dissipasset bona ipsius.* Quotidie  
diffamatur apud Deum, quia angeli nostri sem-  
per vident faciem patris, & nuntiat ei omnia ope-  
ra nostra. Quid ergo faciemus? Vbi abscondemur?  
Illi nos diffamant, qui nostra interiora vident. Illi  
nos diffamant, qui omni hora nos intuentur &  
Deum. Intuetur omnia nostra & Deum, quia nos-  
tra intiendo, nuntiant Deo. Non est obstaculum,  
non sunt tenebrae, quibus impediatur videre om-  
nia nostra, quia diuinum lumen quo illuminan-  
tur, penetrat omnia. Quia lux in tenebris lucet, &  
nox sicut dies illuminabitur. *Et hic diffamatus est  
apud illum, quasi dissipasset bona ipsius.* Quis omnia si-  
bi tradita bona bene dispensat in omnibus? Quis  
non aliquando dormitat? Quandoque bonus dor-  
mitat Homerus, & in multis offendimus omnes:  
Et si dixerimus quia peccatum non habemus, nos-  
metipsos seducimus, & veritas in nobis non est.  
*Et vocauit illum, & ait illi: Quid hoc audio de te? Quo-  
tidie nos vocat Dominus: Venite filij, audite me.  
Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati  
estis. Et: O viri ad vos clamito, & vox mea ad filios  
hominum. Quotidie loquitur nobis. Loquitur  
per prophetas, loquitur per apostolos, loquitur  
per seipsum in euangelio, loquitur per doctores,  
loquitur in conscientia. Quid hoc audio de te? In-  
crepat male cogitantes, increpat male loquentes, in-  
crepat praeu ageres, increpat male viuentes. Quid  
hoc audio de te? Redde rationem villicationis tuae.  
Quia de omni verbo ocioso, quod locuti fuerint  
homines, reddent rationem in die iudicij. Redde  
rationem villicationis tuae. Quid agas apud te, quid  
apud proximum, quid cogites in corde, quale  
proferas verbum, quid auditu delectet, & cui in-  
figas oculum, Redde rationem villicationis tuae.  
Bona mea dissipas, bonis meis male vteris, bona  
mea das extraneis. Voco, & non respondes: porri-  
go manum, & non respicis. Redde rationem villica-  
tionis tuae. *Iam enim non poteris villicare.* Ad finem  
peruenisti, tempus est iudicij & rationis reddendae.  
Iam non poteris villicare. Citò hinc abiturus,  
citò moriturus es, iam non poteris villicare. Post  
hanc enim vitam non est villicatio. Hic villicando  
seruimus, ibi requiescendo mercedem capimus.  
Hic acquirimus, quod ibi possideamus. Hic labor,  
ibi praemium. *Ait autem villicus intra se: Quid faciam,  
quia Dominus meus aufert à me villicationem?* Felix  
qui*

qui de sine cogitat, felix qui quotidie cogitat se  
moriturum, quia melior est finis orationis quam  
principium. Et sancti dum finantur in saeculo,  
sunt in caelesti sede perpetui, quibus finis vitae vi-  
uendi initium confert. Quid faciam? Quomodo  
de male dispersa villicatione euadam? Fodere non  
valeo. Postquam defecit huius vitae villicatio, non  
relinquitur actio post hanc vitam, pro qua metea-  
mur aeternam vitam. Ibi iam non valeo fodere,  
quia ibi non est pauperes recreare, infirmos visita-  
re, vigilijs sacris & orationibus insistere. Quid est  
enim aliud fodere, nisi sanctarum exercitij actio-  
num terram mentis & corporis excolere? Terram  
fodimus, cum a nobis extirpamus vitia, & virtutes  
inferimus. Quod fieri non potest post hanc vi-  
tam, quia tempus illud non est penitentiae aptum,  
sed retributioni bonorum siue malorum operum.  
*Mendicare erubescio.* Ne mihi dicatur, quod fatuus  
virginibus dictum est: Ne forte non sufficiat nobis  
& vobis: ne potius ad vendentes, & emite vobis.  
Est mendicatio bona, est mendicatio mala. Mendicatio  
bona hic. Hic enim bene mendicamus à doctores  
sapientiam & doctrinam: à sanctis mendicamus in  
litanij, vt orent pro nobis. In alia vita mendicatio  
erubescenda. Quis enim non erubescat dicere; Date  
nobis de oleo vestro, quia lampades nostrae extinguntur;  
& mendicare erubescio. Verè mendicatio erubescenda,  
vbi nihil recuperatur, & egestas omnium bonorum  
perpetua comitatur. Ideo mendicare erubescit  
co. Ibi non prodest alieni boni mendicatio, vbi  
deficit omne bonum suum. Nec potest ab alio  
quisquam expectare quod ipse non meruerit, cum  
vnicuique vix sua satisfiant, & iustus vix saluabitur.  
Ideo mendicare erubescio. *Scio quid faciam, vt  
cum amos fuero à villicatione, recipiant me in domos  
suarum.* Salubre consilium reperit ad finem, qui male  
dispensat villicationem, sicut vt daret pauca,  
recepturus plura, & recipere in domos aliorum,  
cui propria deficiebant. *Conuocatis itaque singulis  
debitoribus Domini sui, dicebat primo: Quantum  
debet domino meo? At ille dixit: Centum cados olei. Co-  
munem Dominum habemus, qui vnus Deum colimus,  
cui omnes debemus, quicquid boni possumus.  
Sed quia omnes villici sumus, de iure villica-  
tionis nostrae debitorum Domini pars ad nos refer-  
tur, vt non solum inueniamur debitorum Dei, sed etiam  
inueniamur debitorum Dei, sed & proximi. Debitorum  
ergo sumus Dei, debitorum sumus & proximi: Deo tamen  
totum debemus, etiam id quod ad proximum referimus.  
vt quicquid debemus Deo debeamus. Habemus autem  
spiritualia bona, habemus & corporalia. Spiritualia,  
vt fidem, iustitiam, charitatem, & cetera, quae Deo  
debemus & proximo. Corporalia, vt aurum, argen-  
tum, triticum, vinum, & cetera, vnde Deo seruimus,  
& proximum adiuuamus. Quid melius per oleum  
possumus intelligere, quam spiritualia, quid rarius est  
& leuius triticea soliditate, & lumen fouet: vt cultus virtutum  
illuminat mentem ad intuendam veritatem, & praestat  
omnibus liquidis, vt spiritualia corporalibus: Quid  
per triticum, nisi corporalia: Siquidem per speciem  
saepè genus intelligitur. Villicus autem primum  
debitori loquitur olei, quia priora sunt spiritualia  
corporalibus. Qui debet centum cados olei, quia  
debet Deo quicquid spiritualis habet boni. Sic enim  
sunt olei cadi plures, sicut*

spiritualis boni multae species. Vas enim olei cen-  
tenarium, species designat omnes spiritualium  
bonorum. Nam & centenarius plenitudinem saepè  
significat, finitus saepè ponitur pro infinito. Debet  
ergo centum cados olei, qui debet Deo perfectionem  
spiritualis boni. Sed multum pertinet proximo de hoc,  
quod debetur Deo. Multum enim offendimus, nisi fidem,  
iustitiam, & charitatem proximo reddamus. Cum  
igitur de centum cadis olei villicus quinquaginta scribi  
iuberet, quod debetur Deo confirmatur scripto, quia  
non dimittitur quod sibi debetur: non iuberet scribi,  
quia dimittitur. Dimittit quod suum est, relinquit  
quod Dei est. De hoc quod sibi debetur, venia facit  
securum: de hoc quod debetur Deo, scripto facit  
solicitem. Vnde sequitur: *Dixit illi: accipe cautionem  
tuam, & sede citò, & scribe quinquaginta.* Ac si aperte  
diceret: Quod mihi debes, dimitto tibi: quod debes  
Deo, cautelam assume. Et qui superbus stas, sede citò,  
& humiliare: & quod paruipendebas, vel obliuione  
pro nihilo ducebas, scribe in tabulis cordis, & memoria  
tene, vt frequenter peniteas & expies, donec & ipsum  
dimittatur tibi. *Sede citò, id est, ne differas de die in  
diem. Scribe quinquaginta. Numerus penitentiae & remissionis.  
Vnde & annus quinquagesimus remissionis, & Psalmus  
quingagesimus penitentialis. Quinquaginta ergo scribitur,  
& quinquaginta dimittitur. Similis numerus similem  
offensionem in Deum & hominem. Vnde dominus dicit  
in euangelio: Diliges dominum Deum tuum ex toto corde  
tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua: hoc est  
primum & magnum mandatum. Secundum autem simile  
est huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Nam  
quorum similis est dilectio, similis est & offensio. Sequitur:  
*Deinde alij dixit: Tu vero quantum debes? Qui ait: Centum  
coros tritici.* Cadus liquorum mensura est, & corus  
seminum. Valdè timendum est nobis, qui plenitudinem  
corporalium bonorum debemus proximis: debemus, &  
tamen non soluimus: debemus totum, & vix parum  
soluimus. Quid ergo faciemus? Si non possumus soluere  
totum quod debetur aliis, dimittamus saltem quod  
debetur nobis. Vnde sequitur: *Ait illi: accipe literas  
tuas, & scribe octoginta.* Qui enim de centum scribit  
octoginta, quintam partem dimittit, quia de corporali-  
bus hoc debetur proximo, quod quinque sensus corporis  
exigunt. Hoc scripto commendatur, quod diuinae gratiae  
per octonarium relinquitur. Rapiisti meum, abstulisti  
praestitum, negasti commendatum. Si dimitto tibi quid  
mea refert? scribe octoginta, id est, commenda memoria,  
quod adhuc eges venia diuinae gratiae. Siquidem euangelij  
gratia significatur per octonarium, sicut austeritas legis  
per septenarium: Sed meretur octonarij gratiam, qui  
praecipua custodit quae significantur per decem: vt  
per octonarium iuncto denario gratiam intelligamus  
acquistam praecipua, & qui scribit octoginta, per  
decalogi custodiam perueniat ad octonarij gratiam.  
*Et laudauit Dominus villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset.* Mira-  
res, malus est villicus, & laudatur: male dispensauit,  
& parciuit: non emendauit quod fecit, & indulgetur.  
Verè prudenter egit quia dimisit pauca, vt recipere  
plura: dimisit temporalia, vt aeterna perciperet. Audierat  
enim: Dimitte nobis debita nostra, sicut & dimitte nobis  
debita nostra, sicut & dimitte nobis debita nostra, sicut &  
Bibl. Hom. tom. 3. N n 2 nos*

nos dimittimus debitoribus nostris. Verè prudenter egit, qui Deum molitur facere debitorem suum, ut exigat ab eo debitam remissionem, quia remisit. Prudenter egit, quia cui erat obnoxius, ipsum sibi facit obnoxium: & quem habebat durum exactorem, nunc pius habet debitorem, ut fiducialiter dicat: Dimitte, quia dimisi: redde quã debes veniam, quia ego dedi veniam. *Quia filij huius seculi prudentiores filijs lucis in generatione sua sunt.* Filij lucis laborant, & vix merentur precium: currunt, & vix ad brauium perueniunt: parturiunt, & vix euadunt. Filij seculi post fraudes & illecebras ac illicitos mōres, solummodò dimittunt, & Deum debitorem tenent: parcunt, & parciunt eis, condonant, & donantur. Ideò prudentiores sunt filij seculi filiis lucis in generatione sua, id est, quando regenerantur Deo, & renouantur spiritali vita. *Et ego dico vobis: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis.* Mammona, id est, diuitiæ, quæ iniquitatis dicuntur, quia sine iniquitate non capiuntur, & quia iniquum est eas reuocare in proprios vsus, quas creauit communes dominus. Vnde scriptum est: Pro iniquitate vidi tentoria Æthiopiæ, id est, pro diuitiis captiuis vidi homines factos tabernacula nigredinis, id est, vitiorum & dæmonum, ut qui poterant esse tabernacula virtutum festinando paupertatem, facti sint vitiorum tentoria pro iniquitate congreganda. Quis non videat multos periuria incurere, homicidia facere, dolos machinari cōtra proximos, rerum domesticarum & dominorum proditores esse propter diuitias? Hi sunt pro iniquitate tentoria Æthiopiæ. Sed cū villicus dixerit superius & de spiritalibus & de corporalibus, cur dominus finem concludit parabola suæ de solis corporalibus? Citius dimittimus iniuriam factam, quam præstitam pecuniam: facilius damus fidem, quam possessionem: prouiores sumus dimittere odia, quam expendere nostra. Ideò dominus parabola nobis ad misericordiam instructis, in ea parte misericordiam concludit sermonem, quam nouit esse apud homines difficiliorem: & ad eam nos enixius hortatur in fine, ad quam videt nos difficilius inclinari, quia melior est finis orationis, quam principium. Faciamus ergo de diuitiis iniquitatis amicos, pauperibus eas distribuendo, & debitoribus atque his qui eas abstulerint dimittendo. Sed quia iniquitatis diuitiæ aliæ paterna possidentur successione, aliæ iusto conquiruntur labore, aliæ vsurpantur ex scelere vel impietate; de his certè amici non fiunt, quæ de scelere vel impietate veniunt. Nec putet quisquam ex his adiutores querere salutis, quas ex mercimonio corrafit iniquitatis. Scriptum est enim: Hostiæ impiorum abominabiles, quæ offeruntur ex scelere. Et immolantis ex iniquo, oblatio est maculata. Et: Qui offert sacrificium ex substantia pauperis, quasi qui victimat filium in conspectu patris. Cū ergo præcipitur fieri amicos de mammona iniquitatis, discernendum est, ut eas intelligamus, quæ de successione vel iusto labore proveniunt. Quæ tamen & ipsæ iniquitatis dicuntur, quasi inæqualitatis: quia cū eas in proprietate tenemus, æqualitatem cum alijs hominibus non seruamus. Sunt ergo illæ, de quibus amicos facere præcipimur, diuitiæ & iniquitatis, & iustitiæ. Iniquitatis quidem, quantum ad Deum, qui omnia communibus creat vsibus: Iustitiæ verò

quantum ad seculum, quia iustitia seculari possidentur ab hominibus. Diuitiæ ergo quæ iustè possidentur in terra, & iniuste sunt quantum ad diuinam iustitiam, & iustæ sunt quantum ad terrenam. Diuina iustitia cuiuslibet, proprietatis alicuius possessionem defendit. Per terrenam iustitiam homines propria colligunt, per diuinam iustitiam sua communia faciunt. Diuitiæ verò quæ sunt ex scelere, omninò sunt iniustæ, nec illas iustitia diuina comprobatur, quas etiam terrena condemnat. Et istæ Deo nullo modo sunt offerendæ, quæ de scelere sunt acquisitæ. Et citò tamen reddendæ sunt, immò proiciendæ, ne malefactor inueniatur in malo cœpto perseverare. *Ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Exponit hic quod dixerat. Recipiant vos in domos suas. Mansiones enim æternæ domus sunt eorum, quibus impenditur misericordia. Domus, inquam, eorum non possessione, sed causa. Non possessione, quod eas possideant, quas forsitan non possidebunt: sed causa, quod scilicet causa sunt suis benefactoribus possidendi. In suas ergo domos nos recipiunt, quando in æternas mansiones nos ire faciunt. Suas enim reputamus, quas non nisi per eos accipimus. Quas nobis quasi retribuunt propter beneficia quæ receperunt: & propter misericordias quas acceperunt temporalium, æternorum retributores existunt, per eum qui pro ipsis reddidit quod debuerunt, Dominum nostrum Iesum Christum, qui uiuit & regnat per omnia secula seculorum, Amen.

### HAYMONIS EPISCOPI

*Halberst. superioris Euang. expositio.*

**H**omo quidam erat diues, & habebat, &c. Frequenter solitus erat dominus loqui parabolice ad turbas, agens more suæ terræ. Conseruendo nanque est Palæstinis, ut suis dictis parabolas annectant, ut quæ simpliciter prolata minime intelligere poterant, annectione parabolarum facilius intelligerentur. Ait ergo dominus loquens parabolam: *Homo quidam erat diues qui habebat villicum.* Villicus dicitur, qui villis rei custos est, vel villæ custos, quia ad comparationem illarum rerum quæ in vrbibus seruantur, auri scilicet & argenti, preciosorum lapidum: viles res sunt quæ in villis seruantur. Homo iste Deus omnipotens intelligitur, quo nihil est ditius, qui omnes diuitias spirituales & terrenas in manu sua habet. Qui dicit angelos in cælo sua claritate, & homines in terra, spe, fide, & charitate. *Qui habuit villicum.* In Græcò nō scribitur villicus, sed œconomus, qui dispensator intelligitur, qui nimitum substantiam domini sui secundum voluntatem eius disponit. Quem nullum melius quam Paulum, ut accipiamus necesse est, qui villicus dicitur, non spiritaliter legem intelligens, sed carnaliter eam obseruans. *Qui diffamatus est apud dominum suum:* quando persequendo Christianos, ab eis accusabatur, ex quibus vnus erat Ananias, qui apparente sibi domino, dixit: Domine, audiui à multis de viro hoc, quanta mala sanctis tuis fecerit in Hierusalem, &c. Vocatus est autem à domino suo, quando eo pergente Damascum, circumfulsit eum lux de cælo, & cum luce simul vox de cælo emissa est, dicebat:

cens: Saule, Saule, quid me persequeris? *Quid hoc audio de te,* id est, quare tam nequiter agis, persequendo seruos meos? *Iam non poteris villicare,* hoc est, in lege proficere. *Ait autem villicus intra se: Quid faciam quia dominus aufert à me villicationem?* Videns se B. Paulus à lege subtrahi, & prædicationem Euangelij subrogari, aiebat: *Quid faciam, quia dominus meus aufert à me villicationem? Fodere non valeo, mendicare erubescio.* Scio quid faciam, ut quum amotus fuero à villicatione, recipiam me in domos suas. Ut qui antea fui magister Iudæorum, nunc incipiam esse discipulus Christianorum: & qui hætenus fui legis doctor, nunc incipiam esse piscatoris auditor. *Conuocatis itaque singulis debitoribus domini sui, dicebat primo. Quantum debes domino meo? At ille dixit: Centum cados olei.* Cados, est Græca mensura, continens vinas tres. *Dixitq; illi: Accipe cautionem tuam, & sede, cado scribe quinquaginta.* Deinde alij dixit: *Tu verò quantum debes? Qui ait: Centum coros tritici.* Ait illi: *Accipe literas tuas, & scribe octoginta.* Coros verò triginta modis implerur. Per hos autem debitores, vtrunque populum Iudaicum, atque gentilem intellige. Per illum, qui debebat centum coros tritici, Iudaicum qui titulo legis pascēbatur, cui iussit scribere octoginta, quia sanctus Paulus Iudæos resurrectionem credendam docuit, ad quam olim Salomon eundem populum admonerat, dicens: Da partes septem, nec non & octo. Septem propter sabbatum, octo propter mylterium dominicæ resurrectionis, quæ octauo die celebratur. Per illum verò, qui debebat centum cados olei, gentiles intelliguntur, qui populus vr ab idolorum cultura eriperetur, magna misericordia domini indigebat. Oleum ad misericordiam pertinet, quia oleos Græcè, dicitur misericordiam dominicæ resurrectionis, quæ octauo die celebratur. Per illum verò, qui debebat centum cados olei, gentiles intelliguntur, qui populus vr ab idolorum cultura eriperetur, magna misericordia domini indigebat. Oleum ad misericordiam pertinet, quia oleos Græcè, dicitur misericordiam dominicæ resurrectionis, quæ octauo die celebratur. Vnde & quinquagesimus palmus in penitentiā canitur, & quinquagesimus Iubileus annus, hoc est, remissionis dicitur. Cui iussit scribere quinquaginta, quia gentibus de præteritis sceleribus penitentiam indixit. *Et laudauit dominus villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset.* Laudauit dominus villicum, hoc est, Paulum apostolum, quando dixit Ananiæ: Vade, quoniam vas electionis est mihi, ut portet nomen meum coram gentibus & regibus, & filiis Israël. Prudenter autem fecit, quando vtrunque populum lucrificauit, sicut ipse ait: Factus sum Iudæis tanquam Iudæus, ut Iudæos lucrarer, &c. Et omnibus omnia factus sum, ut omnes lucrarer. Possimus quoque hoc ad vnumquemque diuitem referre, qui villicus dicitur, quia corporales diuitiæ æternitati comparatæ, quasi viles, & nullius pretij habentur. Nam omnia, quæ in præsentī lectione dicuntur, sicut hic sonant, ad imitationem sunt sumenda. Non enim fraudem facere debemus dominis nostris, ut inde eleemosynam faciamus, sed potius per contrarietatem accipiendum est. Quia si ille meruit laudari à domino, cui fraudem faciebat, multò magis laude digni erunt, qui de suis facultatibus pauperes sibi patronos prouiderint. Villicus autem, id est diues quilibet vocatur à domino, cū per aegritudinē carnis ad mortem vsque perducitur. Diffamatur autem apud illum, quando inclemens, & immisericos existens, ab angelis vniuersiūque facta Deo renunciantibus, apud domini præsentiam accusatur. Vnde dicitur in Apocal. de malignis spiritibus: Hic est accusator

fratrum nostrorum. Et dicitur ei. *Iam non poteris villicare,* id est, vltra non poteris in præsentī, & transitoria vita proficere. *Ait autem villicus intra se, &c.* Ablata quippe villicatione, fodere non valeo, quia post quã ab hac vita discesserim us, in quantum licet operari, mentes nostras ligone compunctionis exarare non valeamus. *Mendicare erubescio.* Mendicare confusions genus est, illo videlicet pessimo genere mendicando, quo referuntur illæ fatuæ virgines mendicasse, quæ deficiente oleo, sapientibus dixerunt: Date nobis de oleo vestro. Et vnde Salomon: Propter frigus piger arare noluit, mendicabit autem æstate, & non dabitur ei, id est propter aduersitatem istius seculi bona opera agere distulit. Mendicabit æstate, id est cū lux Christus inclaruerit, vitam æternam, & non dabitur ei. Quod autem ex centum cados olei, quinquaginta scribi iussit, & ex centum coris tritici, octoginta. Sicut Hierony. dicit, ad nihil aliud valet, nisi ut iustitia Christianorum superexcellat iustitiam scribarum, & Phariseorum: & non solum decimas, sed etiã duas decimas, insuper etiam dimidium bonorum nostrorum Deo offerre debemus ad imitationem illius Zachæi, qui conuersus ad Deum dixit: Ecce, domine dimidium bonorum meorum do pauperibus, & si aliquid defraudauit, reddo quadruplum. *Et laudauit dominus villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset.* Laudat dominus villicum iniquitatis, eò quod per fraudem sibi in futurum prouiderit. *Quia filij huius seculi, prudentiores filijs lucis in generatione sua sunt.* Filios huius seculi appellat dominus potētes, diuites filios lucis, electos, hoc est filios Dei, de qua luce dicitur: Erat lux vera, &c. Prudentiores autē filij huius seculi sunt filij lucis in generatione sua, quia nonnunquam quamplurimi homines eos in negotiis secularibus superexcellere videntur, qui Deo seruire noscuntur. *Et ego vobis dico. Quare dominus hanc parabolam apposuerat, fineternus ostendit cū dicit. Et ego vobis dico: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, &c.* Mammona Syrum nomen, Latine sonat diuitias. Quare diuitiæ dicuntur iniquitatis? quia non possunt acquiri sine iniquitate, quoniam sicut B. Gregor. dicit: Omnis diues aut iniquus, aut hæres iniqui. Diuitiæ dicuntur à delectando. Qui confidunt in virtute sua, & in multitudine diuitiarū suarum gloriantur, illis sunt diuitiæ. Isti tales sunt fures, & latrones: Quare? Quia Deus in commune dedit, ipsi in proprios vsus conuertunt. Sol omnibus in commune lucet, sicut regi ita mendico: pluuia sicut cadit super bonos, ita & super malos, terram & nobiles & ignobiles calcant, sic omnibus frugibus, quæ terra profert, in communi deberet vei genus humanum. At iusti si habent diuitias temporales, non sunt illis diuitiæ, sed solummodò pecunia, quia expleta sua necessitate, & suorum, quod superest in pauperum vsus expendunt, iuxta quod dominus dicit: Date eleemosynã, & omnia munda sunt vobis. Iustorum ergo diuitiæ sunt spirituales, id est fides, spes, charitas, castitas, doctrina veteris testamenti, & noui. De quibus diuitiis dicit Propheta: Diuitiæ salutis sapientia, timor domini. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis,* id est de temporalibus bonis, nudos tegēdo, esurientes reficiendo, sientes potando, infirmos visitando, mortuos sepeliendo, & in cæteris positus in indigentibus subueniendo. *Ut, quum defeceritis*



à præsenti vita per mortem temporalem, recipiant vos ipsi pauperes, in aeterna tabernacula. Vel in mansiones patrie caelestis. Mansiones dico, diuersas qualitates meritorem, de quibus dominus alibi dicit: In domo patris mei mansiones multae sunt. Quomodo recipient pauperes benefactores suos in aeternam gloriam? Christus recipit vice illorum: quia quod pauperibus datur in terra, à Christo recipitur in caelo. Ipse enim dicit: Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.

AVTHORIS INCERTI sub nomine Eusebij episcopi Emisseni superioris Euang. expositio.

Hæc autem secundum litteram plana sunt, & per singula exponere non est necesse. Dicat tamen ipse dominus ad quid hanc similitudinem dederit. Quia, inquit, filij huius seculi prudentiores filijs lucis in generatione sua sunt. Non enim villici iniquitatem, sed prudentiam dominus laudat. Hic autem dominus, qui villicum iniquitatis laudat, non dominus omnium, sed dominus villici intelligi debet. Non laudat eum de fraude quam fecit, sed de ingenio, quod sibi in futuram prospexit. Nesciens enim quomodo videret, (si quidem fodere non valebat, mendicare erubescere) hoc singulare inuenit praesidium, ut, qui prius domini sui bona dissipauerat, hanc in finem fraudem committeret. Laudatur igitur non de bonitate aliqua, sed de calliditate & fraudandi astutia, ut, qui bona domini sui iam furando rapere non poterat, celando, & abscondendo subtraheret. Cui prudentiae non solum dominus villici, sed & dominus omnium applaudere videtur, clam dicit. Quia filij huius seculi prudentiores filijs lucis in generatione sua sunt. Prudentiores sunt illi in malo, quam isti in bono. Vix enim inueniuntur aliqui sancti, qui tantam prudentiam habeant in acquirendis bonis aeternis, quam tam calliditatem isti habent in acquirendis bonis temporalibus, & fugitiuis. Pro his enim die, nocturneque vigilant, laborant, angustiantur, & per fraudes, rapinas, furta, proditiones, periurias, homicidia, & his similia, has tales diuitias coaceruare non cessant. Denique quis dicere valeat, quam se vicissim decipiendo huius seculi prudentiam, & calliditatem habeant? Audiant igitur hæc filij lucis, & à filiis huius seculi vinci erubescant. Ideo enim hæc scripta sunt, ut audiendo prudentiores fiant, non autem ut iniquitatis villicum imitando, fraudem in aliquo vel iniustitiam agant. Vnde & subditur, Et ego vobis dico, facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut, quum defeceritis, recipiant vos in aeterna tabernacula. Facite, inquit, vobis amicos de mammona iniquitatis, sed non eo modo, quo fecit villicus iniquitatis. Non fraudando aliena, sed largiendo vestra. Sicut igitur villicus iniquitatis, qui domini sui bona dissipauerat, sciens quia iam ulterius villicare non posset, fecit sibi amicos ad quorum auxiliu post villicatione confugeret: ita & vos facite de mammona iniquitatis, & diuitiis domini vestri, quas dissipastis, quia auare eas retinuitis, & secundum eius voluntatem non expendistis. Eas igitur pauperibus erogate, de his vobis amicos facite: ut, quum defeceritis, in aeterna recipiant vos tabernacula. Quæ diuitiæ quum sua natura bonæ sint, vestra

renacitate iniquæ sunt. Omnes enim diuitiæ iniquæ sunt, quæ auare retentæ propriis dominis nocent, vel quæ ex æqualitate non expenduntur. Tunc enim ex æqualitate eas expendis, si & ubi tantum referues quantum sufficere possit, & cetera indigentibus largiaris. Vnde Apostolus, Non enim ut aliis sit remissio, vobis autem tribulatio, sed ex æqualitate in præsentia responde, vestra abundantia illorum inopiam suppleat, ut & illorum abundantia vestra inopia sit supplementum. In quo manifestè ostenditur, quia non necessaria, sed superabundantia dare iubemur. Non enim vult Apostolus, ut sic in dando prodigi simus, ut ipsi postea penuria tribulemur. Diuitiæ igitur, quæ per se quidem iniquæ sunt, si sic diuidantur, æternos vobis amicos & aeterna tabernacula partiant. Per se quidem diuitiæ iniquæ sunt, quia nisi diuidantur, æquæ non sunt. Diuitiæ autem iam non sunt, iniquæ igitur sunt, quando sunt. Non enim dicuntur diuitiæ, quæ non ad superfluitatem, sed ad necessitatem referuntur. Si igitur tollas ab eis superfluitatem, tolles & nomen iniquitatis. Sequitur; Qui fidelis est in minimo, & in maiore fidelis est: & qui in modico iniquus est, & in maiore iniquus est. Hæc enim specialiter de Apostolis, & per eos de cæteris ecclesiarum dispensatoribus, & prælaris dicuntur. Vnde & in huius euangelij principio dicitur, quod hæc dominus direxerit ad discipulos suos. Maiora igitur Ecclesiarum negotia eis committenda, & credenda non sunt, qui in vita priuata fideles non extiterunt, & de illo modico, quod habebant, pietatis, & misericordiae opera non fecerant. At verò illos in prioratu fore fideles dubitare non debemus, quos de modico quod possident, libenter aliis subuenire videmus. Hic enim Apostolus præcepit Episcopos non cupidos esse, nec tarpis lucrifectores. Valde igitur considerandum est in electione præpositorum, quales in modico fuerint, & quid pietatis & misericordiae habuerint: quoniam qui in modico fideles non sunt, in magnis quoque fideles non sunt. Vnde & subditur; Si ergo in iniquo manumona fideles non fuerint, quod vestrum est, quis dabit vobis? Si de diuitiis, quæ fugitiuæ, & fallaces, & transitoriae sunt, misericordiam non fecistis, quis Ecclesiarum dispensationem, & regimen, quod verum, & quom, & sanctum est, & sine dolo dispensari debet, vobis credere, & committere audeat? Et si in alieno fideles non fuerint, quod vestrum est, quis dabit vobis? Illa enim aliena sunt, & non nostra, quæ sic possidemus, ut semper amittere timeamus. Nostra verò sunt, de quibus securi sumus, & nunquam amittere timeamus. Temporales igitur diuitiæ alienæ sunt, nostræ verò aeternæ, si boni fuerimus & in his temporalibus spem non habuerimus. Sed illa quæ nostra sunt, & nobis prædestinata sunt, vobis non dabuntur, si in hoc alieno fideles non fuerimus, quoniam sub ea conditione & data & prædestinata sunt nobis, si huius fidelitatis virtus inueniatur in nobis.

THEOPHYLACTI EPISCOPI Bulgar. superioris Euang. expositio.

Homo quidam erat diues, qui habebat dispensatores, &c. Omnis parabola obliquè, & figurato modo rerum quarundam naturam manifestat, non per omnia rebus illis assimilata, propter quas assumpra

assumpta est. Idcirco non oportet omnes parabolarum partes curiosius inquirere, sed quatenus apparent proposito vtilis. reliquæ enim sinendæ sunt quasi parabolâ contextentes, & nihil ad propositum conducentes, quomodo & in proposita parabola faciendum. Nam, si perennes particulas omnes exponere tentauero quis dispensator, quis dispensatoris dominus, & à quo delatus sit, & qui debitor, & propter quâ causam ille quidem oleum, alius autem triticum, & qua de causa centum debere dicantur, & si alia omnia perquisierimus, obscurum, & molestum sermonem faciemus; & fortassis, si valde hæsitauerimus, etiâ ridiculi erimus. Igitur tantum vtilitatis ex præfata parabola capere oportet, quantum possibile est. Et, ut aliquid dicam, dominus hoc loco vult nos docere, ut bene dispensentur creditæ nobis diuitiæ. Et primum hoc discimus, quod non sumus domini diuitiarum. Nihil enim habeamus proprium, sed dispensatores alienarum rerum sumus, quæ à domino nobis concredita sunt, ut illas bene dispensemus sicut ipse imperat. At, si concreditas diuitias non expendierimus iuxta mentem domini, & abusi fuerimus illis in nostrum luxum, accusabimur. Etenim voluntas domini est, datis vti in vsu consuorum, non in proprias delicias. Porro qui accusantur, & delinuntur à dispensatione diuitiarum, hi sunt, qui ex hac vita emigrant, quando scilicet & rationem dabimus de dispensatione, quum destituti fuerimus. Si itaque prudentes essemus, vel tarde sentiremus quid facto opus, & faceremus nobis amicos ex diuitiis iniustitiæ. Dicuntur autè diuitiæ iniustitiæ, quæ nobis debemus in vsu fratrum, & consuorum infumendas dedit; nos autem nobis depositas tenemus. Verum vel tarde sentiamus quò feramur, & quòd quum dies illa venerit, neque laborare poterimus. Non enim tunc erit operandi tempus neque tunc honestum erit mendicare. Stultæ enim virgines dicuntur quæ mendicant. Quid igitur reliquum, quàm vti harum diuitiarum fratres participes faciamus, ut, quòd hinc defecerimus, hoc est, ex hac vita excefferimus, accipiant nos pauperes in aeterna tabernacula? Aeterna enim tabernacula constituta sunt, in quæ possint recipere eos, qui hic ipsis amice de bonis, quæ sunt dominica, largiuntur. Pauperibus enim primum debemus dare: nam illi debitorum sunt, secundum hoc quod dictum est; Tota die miseretur & commodat iustus, & iterum; Qui miseretur pauperi, generatur Deo. Oportet igitur primum dare bonis illis debitoribus, qui centupla reddunt. Verum, quia dispensatores iniustitiæ inuenimur, iniuste retinentes, quæ aliis seposita sunt: non semper manendum erit in hac infidelitate, sed communicandum pauperibus, ut ab ipsis suscipiamur in aeterna tabernacula. Sic igitur nobis exponentibus parabolam, nihil vel superfluu, vel curiosum, vel somnulosum enarrando occurret. Videtur autem & alienu quiddam significare, dicens; Filij huius seculi prudentiores sunt, &c. Non autem male cohæret, neque alienum est. Filios enim huius seculi dicit eos, qui laudant omnia, quæ in terra lucrosa sunt: filios vero lucis, eos, qui debent pie spirituales diuitias communicare. Hoc igitur dicit, quia homines humanis dispensationibus præfati, omnibus modis curam habent, & prouident, ut quum destituti fue-

rint à dispensationis munere, consolationem habeant. Filij autem lucis ordinantur, hoc est, quibus concredita est spiritualis rerum dispensatio, non cogitant quomodo post hanc vitam commodum percipiant. Filij itaque seculi huius, quibus humanæ dispensationes concredita sunt, & in generatione sua, hoc est, in vita hac prudenter res suas dispensant. Filij verò lucis, qui pecunias receperant, ut illas in pios vsus dispenserent. Inuenimur itaque in humanis dispensationibus res nostras prudenter dispensare, ut etiam si administratione exciderimus, habeamus quoddam refugium vitæ: in his autem rebus, quæ debent secundum Deum dispensari, nullam videmus gerere curam, quomodo rationem dispensationis reddamus, ex hac vita educti, ne inueniamur ab omni consolatione destituti. Ideo & insipientes vocamur, non sapientes ea, quæ nobis posthac sint profutura, & quomodo faciamus nobis pauperes amicos, communicatis diuitiis iniustitiæ, hoc est, quæ datæ sunt nobis à Deo, ut sint arma iustitiæ, sed à nobis detinentur, & propterea ad iniustitiam pertinent. Si autem diuitiæ, quæ iustis modis partæ sunt, quòd non bene dispensantur, & dantur pauperibus, iniustitiæ, & mammona reputantur: quæ ex iniustitiâ, multo magis. Ex ipsis igitur faciamus nobis amicos, ut, quando defecerimus, & ex hac vita emigrauerimus; vel etiam aliter, quando pusillo animo sumus, & illic condemnamur, accipiant nos in aeterna tabernacula.

EVTHYMII ZIGABONI superioris Euang. expositio.

Homo quidam erat diues, &c. Parabola hæc Christianis attributa est, qui non volunt omnino possessiones, ac pecunias despiciere: admonens illos, ut in pauperes sint beneficii. Dicta est autem ad discipulos, quia etiam sunt dispensatores. Representat etiam hominè diuitem, puta Deum humanum, nulloque indigentem: & eorum vero, siue dispensatorem, omnem, qui possidet diuitias: tales enim non sunt domini, sed dispensatores. Dicit namque Deus; Meum est aurum, inuentum est argentum. Delatus est autem apud Deum malus dispensator de mala dispensatione, ut qui dissiparet, quæ Dei erant, in ea, quæ non oportuit, nec superflua pauperibus distribueret. Quid hoc audio de te? redde rationem dispensationis tue. Hic illi per diuinas dixit scripturas, quæ de futuro docent iudicio, & de redditione rationis. Neque enim posthac poteris dispensare. Morte propemodum te transfere. At autem dispensator intra se; Quid faciam, &c. Post mortem enim nemo poterit operari: nã præfens tempus operationis est, futurum vero retributionis, & deprecati erit inutile. Scio quid faciam. Eruditus à scripturis. Vt quum amicus fuero à dispensatione, recipiam me in domos suas. I quos scio, & quos nunc dicitur est. Et, aduocato vnoquoque debitorum domini sui, &c. Qui suam debitor sit olei, & quis tetrici, qui vniquisque debitor, & quæ cautio debiti, & quare prior scripsit quinquaginta, posterior vero octoginta, ac similia, quæ in præfati reperimur parabola, superfluum est inquirere: si quidem ad nihil aliud efficta sunt, quàm ut ostendatur, quòd dictus dispensator, dum dispensatio-

nis tempus habuit, prudenter domini rebus ad suum commodum abusus est, & per eas in futurum suam salutem procuravit, ut hinc discant, qui habet diuitias, quod oporteat eos, quum illarum dispensatores constituti sint, dum vitæ tempus habent, prudenter Dei rebus ad suum abuti commodum: & per illas, pauperibus beneficiando, in futurum salutem sibi acquirere. Batus itaque mensura erat olei, corus vero tritici mensura. *Et laudavit dominus dispensatorem iniquum, &c.* Quid manifeste consequatur auditoribus reliquit cogitandum. Nam, si dominus iniustitia affectus laudavit iniquum dispensatorem, qui videlicet suam ipsius salutem ex iniustitia procurauerat: multo magis Deus, qui in nullo iniustitia afficitur, laudabit iustum, siue iustitiam dispensatorem, qui videlicet suam ipsius salutem ex iustitia dispensauerit: id enim habet iniustitia, ut superflua pauperibus diuidantur. *Quia filij huius seculi prudentiores sunt, &c.* Filios huius se-

culi dicit mundo adherentes: seculum enim nunc mundum appellavit: filios autem lucis vocat eos, qui seipsum a mundo separauerunt. Et dicit illos prudentiores esse istis in hoc hoc solo, quod de futuro illis cura est, sicut dicti dispensatoris exemplum demonstravit. Exhortatur autem sermo eos, qui de futuro negligentes sunt. *Facite vobis amicos de iniquo mammona.* Mammona apud Hebræos diuitiarum dicitur. Iniquum autem dixit, siue iniquitatis, quod ex iniquitate recondatur: quæ in hoc est, quia superflua pauperibus non diuiduntur. Quum ergo, inquit, hæcenus male dispensaueritis, & concreditis vobis iniquitatis diuitias male expendieritis: vel tandem sero facite vobis ab ipsis amicis pauperes, ad imitationem modo dictæ parabolæ. *Ut quum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Ut, quum per mortem hinc demigraveritis, præparent vobis locum ad æterna tabernacula, ipsi prius hospites ibi facti.



DOMINICA IX. POST PENTECOSTEN.

L V C. 19.



**N**illo tempore: Cùm appropinquaret Iesus Hierusalem, videns ciuitatem, fleuit super illam, dicens: Quia si <sup>a</sup> cognouisses & <sup>b</sup> tu, & quidem in hac die tua, quæ ad <sup>c</sup> pacem tibi: nunc autem abscondita sunt ab <sup>d</sup> oculis tuis. Quia venient dies in te, & circumdabunt te <sup>e</sup> inimici tui vallo, & circumdabunt te, & coangustabunt te vndique: & ad terram prosterrent te, & filios tuos qui in te sunt. Et non relinquent in te lapidem super lapidem, eo quod non cognoueris tempus visitationis tuæ. Et ingressus in templum cœpit eiicere vendentes & ementes, dicens illis: Scriptum est: Quia domus mea domus orationis est: vos autem <sup>f</sup> fecistis illam speluncam latronum. Et erat <sup>g</sup> docens quotidie in templo.

GLOSSA ORDINARIA in superius Euangelium.

**I**t ut appropinquauit. Quod dominus secundum historiam semel fecit, hoc quotidie per electos suos in ecclesia agit: Plangit reprobos, qui nesciunt cur planguntur: sed exultant in rebus pessimis, qui si damnationem suam præuiderent, seipsum cum electorum lachrymis plangeret: Qui in peruersitate sua diem suum hic habent: in qua & pacem habent ex abundantia temporalium, & supplicia nunc absconduntur ab oculis eorum, qui refugium futura præuiderent, quæ temporalem læ-

titiam perturbent. Sed venient dies quando animas exeuntes à corporibus demones inimici circumdabunt vallo trahentes eas ad societatem suæ damnationis: Et vndique circumdabunt: & coangustabunt: quando non solum operis, sed etiam loquutionis & cogitationis iniquitates ante oculos eorum replicabunt. Et ad terram prosterrent, cum caro in puluerem redigeretur. Filij etiam cæ-

*cog. t.* Peruersam enim animam Deus visitat, aliquando præcepto, aliquando flagello, aliquando miraculo: Sed quia superbiens contemnit, nec de malis suis erubescit, in extremo inimicis tradetur: cum quibus in æterno iudicio damnationis facietate colligatur. *Ad pacem, &c.* Dum carnem das voluptatibus mala ventura non prospiciens, habes bona præsentia quæ ad pacem possunt esse temporalem: Et cur hoc, subdit, scilicet quia non præuidet mala quæ ei uentura sunt. Si enim præuideret in præsentibus prosperis læta non fuisset. *Et non relinquent.* Cum Hierusalem modo sit constructa extra portam, ubi dominus crucifixus erat, apparet illam Hierusalem ex toto fuisse destructam. Cui vnde euerfio contigerit, subditur: *Eo quod non cog. id est, aduentum filij Dei in carne: Et ingressus.* Post enumerata mala, ingressus templum eiicit vendentes & ementes: per hoc innuens, quod ruina populi, maxime ex sacerdotum culpa fuit, dum enim vendentes & ementes percussit, ostendit vnde radix perditionis processit. Moraliter. Sicut in ciuitate est templum: sic in plebe fidei vita religioforum. Sed multi dum pro religionis habitu sacrorum ordinum locum percipiunt, religionis officium in mercimonium terrenæ negotiationis conuertunt. In templo vendit, qui hoc quod quibusdam iure competit, ad præmium largitur. Iustitiam vendit, qui hæc pro præmij acceptione seruat. Emit in templo: quia dum hoc quod proximo iure debet, negat, dato pattonis præmio, emit peccatum. Quibus dicitur: *Fecistis do. m. f. l.* quia dum peruersi locum tenent religionis, ibi per malitiam occidunt, ubi per orationem viuificare debuerunt. Sed quia contra peruersa per sacras paginas nos indefinenter instruit, rectè subditur: *Et e. do. quo in t.* Domus Dei est conscientia fidelium, quam facit speluncam latronum qui relicta simplicitate sanctitatis, illud meditari agere, vnde proximum innocentem possit lædere. Sed e contra dominus mentes fidelium ad cauenda mala erudit, Et erat do. &c.

CATENA AVREA in idem Euang.

**E**t ut appropinquauit videns ciuitatem, fleuit super illam, dicens: Quia si cognouisses, &c. Orige. Omnes beatitudines, quas locutus est Iesus in Euangelio suo, firmat exemplo: sicut dixerat, Beati mites, probat, dicens: Discite à me, quia mitis sum. Et quia dixerat. Beati flentes, ipse quoque fleuit super ciuitatem: vnde dicitur: *Et cum ap. &c.* Cyrillus, Miserebatur enim eorum Christus qui omnes homines vult saluare, quod nobis non paruisset nisi per aliquod humanum fieret euidentis. Effusa enim lachrymæ sunt signa tristitiæ. Gregor. in ho. Fleuit igitur pius redemptor ruinam perfidie ciuitatis, quam ipsa ciuitas sibi non cognoscebat esse venturam: vnde subditur: dicens, *Quia si cog. & tu,* subaudi heres: quæ modò quia nescis quod imminet, exultas: vnde subditur, *Et quidem in hac die tua, &c.* Cùm enim carnis se voluptatibus daret in die sua, quæ ad pacem ei esse poterant habebat. Cur verò bona præsentia ad pacem habuerit, manifestatur cum subditur: *Nunc au. abscon. &c.* Si enim à cordis eius oculis mala quæ imminerent abscondita non essent, læta in præ-

sentibus prosperis nõ fuissent: vnde mox eius pena quæ imminebat adiuncta est, cùm sequitur: *Quia ve. dies in te.* Cyril. Vel aliter: *Quia si cognouisses & tu.* Non enim erant digni percipere diuinitus inspiratas scripturas, quæ narrant Christi mysterium. Quoties enim legitur Moyses, velamen obnubilat cor eorum. Et quia non sunt intuiti veritatem, indignos se fecerunt salute quæ manat à Christo: vnde sequitur, *Et quidem in hac die, &c.* Euseb. Vbi notat suum aduentum ad pacem totius mundi factum fuisse, venit enim ad hoc ut pacem prædicaret propinquis & longinquis: sed quia annunciatam sibi pacem recipere noluerunt, hoc eos lætebat: vnde subditur: *Nunc au. abscon. &c.* Et ideo obsidionem quæ in breui erat ei superuentura expressissimè prænticiat, subdens: *Quia ve. dies in te, &c.* Grego. Vbi Romani principes denunciantur. Illa enim Hierosolymorum subuersio describitur, quæ à Vespasiano & Tito Romanis principibus facta est. vnde subditur: *Et circum. da. te, &c.* Euseb. Quomodo autem hæc completa sint ex his quæ tradita sunt à Iosepho colligere possumus, qui cum esset Iudæus, singula quoque gesta narravit cõsona his quæ sunt à Christo prædicta. Gregor. Hoc quoque quod addit, *Et non relin. in te, &c.* Et ipsa iam eiusdem ciuitas transmigratio testatur: quia dum nunc in eo loco constructa est, ubi extra portam dominus fuerat crucifixus, prior illa (vt dicitur) Hierusalem funditus est euerfa. Cui ex qua culpa euerfionis pena fuerit illata subiungitur: *Eo quod non cognoueris, &c.* Theod. id est, mei aduentus, veni enim visurus & saluaturus te. Quod si cognosceres, & in me crederes, esset pacata Romanis, & ex omnibus exempta periculis, sicut omnes qui crediderunt in Christum euaferunt. Orig. Non nego igitur & illam Hierusalem propter habitatorum scelera fuisse destructam, sed quæro ne forte ad hanc Hierusalem flentus iste pertineat. Si enim post mysteria veritatis aliquis peccauerit, plangeretur. Nemo enim gentilis fleret, sed ille qui fuerit Hierusalem, & esse cessauit. Gregor. Redemptor enim noster per electos suos plangere non cessat, cum quosdam ex bona vita ad mores reprobos peruenisse considerat, qui si damnationem suam quæ eis imminet agnouissent, semetipsos cum lachrymis electorum plangerent. Suam autem diem hic haber anima peruersa, quæ transitorio gaudet in tempore. Cui ea quæ adsunt ad pacem sunt, dum ex rebus temporalibus lætatur: hæc præuideret futura refugit, quæ præsentem læticiam perturbabant: vnde sequitur: *Nunc au. abscon. &c.* Orig. Fletur autem & nostra Hierusalem, quod post peccata circumdant eius inimici, id est, spiritus nequam, & immittunt in circuitum eius vallum, ut obsideant eam & lapidem super lapidem non relinquant: maxime si post multam continentiam, si post aliquot annos castitatis victus quis fuerit & blandimentis carnis illectus, patientiam pudicitiamque amiserit: si fuerit fornicatus, lapidè super lapidè non relinquent in eo, secundum illud: Nec recordabor primarum iustitiarum eius. Greg. Vel aliter: Maligni spiritus animam à corpore exeuntem obsident, quam in carnis amore positam deceptoris delectationibus fouet: qui vallo circumdant, quia ante mentis eius oculos reductis iniquitatibus quas perpetravit, hanc societate suæ damnationis coarctant, vt ipsa extremitate vitæ deprehensa, & à quibus

quibus hostibus circumclusa sit videat, & tamen euadendi aditum inuenire non possit, quia operari iam non potest bona, quæ cum licuit agere contempsit; vndique etiam animam coangulât, quando ei non solû operis, verum etiam locutionis atq; cogitationis iniquitates replicantur: quæ prius se per multa dilatauit in scelere, in extremû de omnibus angustetur in retributione. Tunc autem anima per conditionem reatus sui ad terram consternitur, cum caro quam viam suam credidit, redire ad puluerem vgetur. Tunc in morte filij illius cadunt, cum cogitationes illicitæ quæ modò ex illa procedunt in extrema vitæ vltione dissipantur, quæ etiam cogitationes per lapides significari valent. Peruersa enim mens cum peruersa cogitatione peruersionem adiicit, quasi lapidem supra lapidem ponit; sed cum ad vltionem suam anima ducitur, omnis cogitationum constructio dissipatur. Pravam autem animam Deus assidue visitat præcepto, aliquando flagello, aliquando autem miraculo, vt vera quæ nesciebat audiat, & ea contemnens à dolore compuncta redeat, aut beneficiis denicta malum quod fecit, erubescat. Sed quia visitationis suæ tempus non cognoscit, in extremo vitæ traditur suis inimicis. *Et ingressus in templum, cepit eijcere vendentes in illo, &c.* Gregor. in hom. Quia narrauerat mala ventura, prorsus templum ingressus est: vt de illo vendentes & ementes eiiceret, ostendens quòd ruina populi maxime ex culpa sacerdotum fuit: vnde dicitur: *Et ingre. in tem. &c.* Ambr. Deus enim templi sui non mercatoris vult esse diuersorium sed domicilium sanctitatis: nec vendibili religionis officio, sed obsequio gratuito vsum ministerij sacerdotalis informat. Cyril. Erat autem in templo multitudo mercatorum qui vendebant animalia ritu legis macanda in hostiis, sed iam adeerat tempus desinendi vmbra, resurgendi verò Christi veritatem: ob hoc Christus qui cum patre simul colebatur in templo, iussit ritus corrigi legis, fieri verò templum orationis domum. vnde subditur: *Dicens illis, script. est quia do. mea, &c.* Greg. Qui enim ad accipienda munera in templo residebant, quia quibusdam non dantibus læsiones exquirent, dubium non erat. Theop. Hoc etiam dominus fecit in principio prædicationis suæ, vt narrat Ioannes, & nunc iterum illud fecit, quia ad maius crimen ludæorum redundat, qui non fuerunt ex priori admonitione castigati. August. de quæst. euang. Mystice autem templum ipsum hominem Christum intelligas vel etiam adiuncto corpore eius quod est ecclesia: secundum autem id quod est caput ecclesiæ dictû est. Soluite templum hoc, & in triduo suscitabo illud: secundum id verò quod est adiuncta ecclesia, intelligitur templum de quo videtur dixisse, *Auferte ista hinc: significauit enim futuros in ecclesia, qui sua negotia potius agerent, vel receptacula ibi haberent ad occultanda scelera sua, quam vt charitatem Christi sequerentur, & peccatorum confessione accepta venia corrigerentur.* Greg. in ho. Redemptor verò noster prædicationis verba, nec indignis, nec ingratis subtrahit: vnde postquam rigorem disciplinæ eiiciendo peruersos tenuit, donum his gratiæ ostendit: nam subditur, *Et erat docens, &c.* Cyril. Decebat autem ex his quæ Christus dixerat & fecerat, eum adorare vt Deum, sed ipsi nequaquam hoc facientes, querebant eum occidere.

## ORIGENIS PRESBYTERI in idem Euang. Homilia.

*Cum appropinquasset Hierusalem dominus non steter, videns eam fleuit, & dixit, Si cognosceres quæ tibi in die ista qua ad pacem sunt tibi nunc abscondita sunt ab oculis tuis. Sacramenta sunt quæ dicuntur, & speramus pandere Deo aperiri posse, quod latitat: Primum ergo de fletu eius videndum. Omnes beatitudines, quas locutus est in Euangelio Iesus, suo firmat exemplo, & quod docuit pro testimonio probat. Beati, inquit, mites. Huic simile est de semetipso, Discite à me, quoniam mitis sum. Beati pacifici. Et quis alius ita pacificus vt dominus meus Iesus, qui est pax nostra; qui soluit inimicitiam, & in sua eam carne destruxit? Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. Nemo sic persecutionem passus est propter iustitiam vt dominus Iesus, qui pro peccatis nostris crucifixus est. Omnes igitur beatitudines in semetipso, dominus ostendit. Ad quam similitudinem etiam illud quod dixerat, Beati fientes, ipse fleuit, vt huius quoque beatitudinis iaceret fundamenta. Fleuit autem super Hierusalem dicens. Si cognoscesses quæ tibi in die ista qua ad pacem sunt tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis, & reliqua. Dicat aliquis auditorû: Manifesta sunt quæ dicuntur, & opere completa de Hierusalem. Circundedit enim eam Romanus exercitus, & ad internicionem vsque vastauit, tempusque venit quando lapis super lapidem non relinqueretur super eam. Non nego & illam quidem Hierusalem propter habitatorum scelera fuisse destrudam: sed quero an ad hanc nostram Hierusalem fletus iste pertineat. Nos enim sumus Hierusalem, quæ defletur, qui nobis videmur intuitum habere maiorem. Quod si post mysteria veritatis, post sermone euangelij, post doctrinam ecclesiæ, post visionem sacramentorum eius, aliquis è nobis peccauerit: plangitur, atque fletur. Nemo enim gentilis fletur, sed ille, qui fuit de Hierusalem, quòd post peccata circundent eam inimici: contraria videlicet fortitudines, spiritus nequam, & imitant in circuitu eius vallum, & obideant eam, & lapidem super lapidem non relinquunt: maxime si post multam continentiam, post aliquot annos castitatis, victus quis fuerit, blandimentisque carnis illectus patientiam, pudicitiamque amiserit. Si fueris fornicatus, lapidem super lapidem non relinquent super te. Ait enim in alio loco, Non recordabor priorum iustitiarum eius: in peccato suo, in quo deprehensus fuerit, in ipso iudicabo eum. Hæc est ergo, quæ defletur Hierusalem. Post quæ dicitur, *Ingressus est templum.* Quod cum fuisset ingressus, eiicit eos qui vendebant columbas. Non eiicit ementes: qui enim emunt, & quod emerint possident. Illos eiicit de templo patris Iesus, qui vendunt, & abiciunt quod habuerant: in similitudinem illius luxuriosi filij, qui substantiam suam accepit à patre, & vniuersa perdidit nimie potando. Si quis ergo vendit, eiicitur, præcipue si vendat columbas. Quare alias aues non posuit nisi columbas? Hoc animal simplex est, & decorum. Vereor ne & in nobis vitium istiusmodi deprehendatur. Si enim ea quæ mihi à sancto spiritu reuelata sunt & credita vt in vulgus efferrem, precio vendidero, & absque mercede non docuero:*

docuero: quid aliud facio nisi columbas, id est, spiritum sanctum vendo? Quem cum vendidero, eiicitur de templo Dei. Quapropter rogemus dominum, vt omnes emamus potius quam vendamus. Si enim non vendiderimus, cognoscimus & intelligimus salutem nostram: alioquin inimici circuldabunt vrbem nostram. Quasi dicat, Si semel nos exercitus hostilis cinxerit, lachrymas Dei non merebimur. Surgamus ergo diluculo, & obsecremus dominum, vt saltem micæ, quæ de mensa eius cadunt comedere possimus. Miratur scriptura reginam Saba venisse ab extremo terræ audire sapientiam Salomonis: quæ cum vidisset prandium, & supellectilem, & ministeria domus eius; obstupuit, & tota in miraculo fuit. Nos si tantas domini nostri opes, tantam sermonis supellectilem & abundantiam doctrinarum non libenter amplectimur, si non comedimus panem vitæ: si non carnibus Christi vescimur, & cruore potamur: si contemnimus dapes Saluatoris nostri: scire debemus quòd habet Deus & benignitatem, & feritatem. E quibus benignitatem eius magis orare debemus, in Christo Iesu domino nostro: Cui est gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

## S. AMBROSII MEDIO- lanensis Episcopi superioris Euang. expositio.

*ET vt appropinquauit videns ciuitatem, &c.* Sed Deus templum suum: non mercatoris vult esse diuersorium: sed domicilium sanctitatis: nec vendibili religionis officio sed obsequio gratuito vsum ministerij sacerdotalis informat. Considera igitur qui d tibi ad exemplum viuendi: dominica gesta præscribat, sequitur enim; *Et eiiciebat omnes vendentes, &c.* Generaliter supra docuit, sculantes à Dei templo abesse debere contractus; specialiter autem nummularios pepulit. Qui sunt nummularij, nisi qui de pecunia domini lucrum querunt; nec bona, malique discernunt? Pecunia enim domini scriptura diuina est. Nam & denarios seruis distribuit profecturus, & talenta diuisit, & pro sanitate hominis vulnerati duo æra stibulario dereliquit. Duobus enim testamentis vulnera nostra curantur. Sed tu quasi bonus nummularius eloquia domini, eloquia casta, argerum igne examinatum reconde, purgatum spiritu seipsum, nec adulteram imaginem regis (quia & satanas transfiguratur se in angelum lucis) impia commutatione suscipias: nec imminutam principis tui figuram Atianæ fraude perfidiæ thesauro tuo misceas; nec pecuniæ sono aures tententium fidelium: vt religiosorum audientiam scripturarum tinnitus eris excludat: vel religiosis affectibus habendi cupiditas inseratur. Non ergo omnes excludantur nummularij. Sunt enim & boni. Denique pecuniam meam, inquit, de disse nummularis, & ego veniens cum vsuris recepissem eam. Quòd si nummus est scriptura, & vsura est scripturarum. Cathedras autem vendentium columbas: cur euererit, secundum litteram non intelligo. Neque enim nundinatores auium vendicare sibi poterant honorati alicuius in nundinis solij dignitatem: nam quæ prærogatiua dignitatis est in columbis? Admonet tamen dominici forma

baptismatis, quando descendit spiritus sanctus in columbæ typo, eiectionum de templo huiusmodi mercatorum; in ecclesia Dei consortium eos non posse habere, qui sancti spiritus gratiam nundinant. Gratis, inquit, accepistis; gratis date. Denique Simoni qui sanctificauit munus precio in se putauit posse conferri, respondit Petrus; Pecunia, inquit, tua tecum sit in interitum; quoniam gratiam Dei putas te pecunia consequi posse: non est tibi pars, neque fors in hac fide. Venditores quoque ouium, & bouum eos puto, qui de labore alieno, vel simplicitate fædi auctionatores quosdam nundinas ancupantur. Aut, quia oues eiiciuntur, & boues, columbæ iubentur auferri; populus videtur Iudæus excludi. Erem enim sicut columba: quod eorum dominus & successiones oderit, & labores. Es effunditur, vt gratia colligatur. Mensa nummulariorum eueritur, vt domini subrogetur. Ara deiicitur, vt erigantur altaria. Atque hoc non aliqua succinctus manu, diuinitusque faciebat; sed flagello de restibus cædedat turbas: & nullus resistere audebat. Et nunc virga vritur; nunc flagello. Virga enim recta est, virga regni tui. Virga vt corrigat; flagello vt suadeat. Recta illic, hic inflexa præceptio, qua peccatoris conscientia velut lento verberare flagellatur. Alij sunt enim terrores prophetici; alia apostolica suasiones. In vtroque tamen vnus verbi est disciplina. Et ideo flagellum de restibus fecit; quia funes ceciderunt inquit, mihi in præclaris: etenim hæreditas mea præclara est mihi. Funes enim dicuntur, quibus agrimensores metiendorum limites partiuntur agrorum. Et ideo tanquam bonus agrimensores synagogæ terminos distinguebat, & ecclesiæ sacrilegos de templo iubeat exire. Nouus enim vernerat feracium metator animarum: qui agrorum genera, non spacia metiretur. Pulchre tamen non extensis funibus modus aliquis possessionis includitur: nec quasi definita densitate rei, limites fidei terminantur; sed flagello in immensum libero fines ecclesiæ portiguntur: eliminantur ludæi, non in præscripto aliquo exilio; sed in termino, vt nusquam synagogæ locus in orbe remaneret.

## S. TITI BOSTRORVM Episcopi eiusdem Euang. expositio.

*ET vt appropinquauit ciuitati, &c.* Fleuit super Hierusalem hominum amator Dominus, vt hinc discamus vero doloris sensu eius causa tactû fuisse; si ei tamen, qui est Deus super omnia, dolorem tribuere fas est. At fas est; nam qua ratione sceleratorum hominum miseria affici cognosceremus, nisi per opus humanû, planum illud nobis faceret? Quare non statim quoque, sed trigesimo demum quinto anno post Christi Seruatoris ad cælos ascensum Hierosolymorum ciuitas capta est: benignissimo Deo tanto annorum intervallo promeritam poenâ differente; patienterque, vt per sanctorum Apostolorum prædicationem ab errore ad sanam mentem, veramque fidei cognitionem se recipere, expectante: eaque ratione ab ira, quæ super filios dissidentia ventura est, liberarentur. Quare etiam omnes illi cladem euaserunt, qui ex illis in Christum crediderunt, ceteri verò, qui in perfidia persistenterunt, miserè interierunt



ierunt. Quia si cognouisses & tu & quidem in hac die tua, quae ad pacem tibi est. Hoc est, si cognosceres, quoniam sunt illa, quae & vtilia, & plane necessaria sunt, ut pacem cum Deo in eas ( cuiusmodi inter cetera sunt fides in Christum, & obedientia, cessatio à typis, & umbris, cultusque legali ) non tantè te miseriam & cruce exciperent : verùm sunt isthæc ab oculis tuis abscondita. De industria enim scire, hoc est, Scripturas, quæ economiæ meæ Sacramenta produunt, intelligere noluiti. Tempus visitationis tuæ. Visitationis tempus illud vocat, quo ipse è cælo dilapsus, eam visitauit; multaque inter visitandum diuina documenta tradidit, ac plurima tandem stupenda miracula in ea patrauit.

S. GREGORII PAPAE in superius Euang. Homil.

Est Hom. 39. in Euang.

LECTIONEM breuem sancti Euangelij, breui, si possum, volo sermone percurrere, ut illis in ea prolixior detur intentio, qui sciunt ex paucis multa cogitare. Quod fletu Domino, illa Hierosolymorū subuersio describatur, quæ à Vespasiano, & Tito Romanis principibus facta est, nullus qui historiâ euerfionis eiusdem legit, ignorat. Romani enim principes denunciantur, cum dicitur: Quia venient dies in te, &c. Hoc quoque quod additur: Et non relinquent in te lapidem super lapidem, etiâ ipsa iam eiusdem ciuitatis transmigratione attestatur: quia, dum nunc in eo loco constructa est, vbi extra portam fuit Dominus crucifixus, prior illa Hierusalem, ut dicitur, funditus est euerfa. Cui ex qua culpa euerfionis suæ pena fuerit illata, subiungitur; Et quod non cognoueris tempus visitationis tuæ. Creator quippe omnium per incarnationis suæ mysterium hanc visitare dignatus est, sed ipsa timoris, & amoris illius recordata non est. Vnde etiam per prophetam in increpatione cordis humani, aues cæli ad testimonium deducuntur, cum dicitur; Miluus in cælo cognouit tempus suum, turtur, & hirundo, & ciconia custodierunt tempus aduentus sui: populus autem meus non cognouit iudiciū Domini. Sed quærendum prius est, quid sit quod dicitur: Videns ciuitatem, fleuit super illam, dicens: Quia si cognouisses, & tu. Fleuit enim prius redemptor ruinam perfidæ ciuitatis, quam ipsa sibi ciuitas non cognoscebat esse venturam. Cui à fletu Domino rectè dicitur; Quia si cognouisses, & tu, subaudi fletus, quæ modò, quia nescis quod imminet, exultas. Vnde & subditur. Et quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi. Cum enim carnis se voluptatibus daret, & ventura mala non prospiceret, in die sua quæ ad pacem ei esse poterant, habebat. Cur verò bona præsentia ad pacem habuerit, manifestatur cum subditur; Nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Si enim à cordis eius oculis mala, quæ imminabant, abscondita non essent, læta in præsentibus prospexit non fuisset. Cuius mox etiam pœna, quæ de Romanis, sicut prædixi, principibus imminebat, adiuncta est. Qua descripta, quid dominus fecerit subditur: Quia ingressus templum, cepit eijcere vendentes de illo, &c. Qui enim narrauit mala ventura, & protinus templum ingressus est, ut de illo vendentes, & ementes eijceret, profectò innotuit, quia ruina populi maximè ex culpa sacerdotum fuit. Euer-

Hier. 8.

sfionem quippe describens, sed vendentes in templo, & ementes feriens, in ipso effectu sui operis ostendit, vnde radix prodijt perditionis. Sicut autem Euangelista alio teste didicimus, in templo columbæ vendebantur. Et quid per columbas, nisi spiritus sancti donum accipitur? Sed vendentes & ementes è templo eliminati, quia vel eos qui promunere impositionem manuum tribuunt, vel eos qui donum spiritus sancti emere nituntur, damnat. De quo templo mox subditur; Domus mea, domus orationis est: vos autem fecistis illam speluncam latronum. Qui enim ad accipièda munera in templo residebant, profectò quia à quibusdam non dantibus lesiones exquirent, dubium non erat. Domus ergo orationis, spelunca latronum facta fuerat: quia ad hoc in templo assistere nouerant, ut aut non dantes munera studerent corporaliter persequi, aut dantes spiritualiter necare. Quia verò redemptor noster prædicationis verba nec indignis, & ingratis subtrahit, postquam discipline vigorem eijciendo peruersos tenuit, donum gratiæ mox ostendit. Nam subditur, Et erat docens quotidie in templo. Hæc iuxta historiam breuiter tractando transcurramus. Sed quia euerfam iam Hierusalem nouimus, atque euerfione sua in melius commutatam, quia expulsos latrones è templo, atque ipsum iam templum erutum scimus: debemus ex rebus exterioribus introrsus aliquâ similitudinem trahere, atque ex euerfis adificiis patrietum, morum ruinam timere. Videns enim ciuitatem fleuit super illam, dicens: Quia si non cognouisses, & tu. Hoc semel egit, cum perituram ciuitatem esse nunciavit. Hoc quotidie redemptor noster per electos suos agere nullatenus cessat, cum quosdam ex bona vita ad mores reprobos peruensse considerat. Plangit enim eos, qui nesciunt cur plangantur, qui iuxta Salomonis verba lætatur cum malefecerint, & exultant in rebus pessimis. Qui si damnatione suam, quæ eis imminet agnouissent, semetipsos cum lachrymis electorum plangerent. Bene ergo peritura animæ sententia quæ subditur, conuenit; Et quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi: nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Suâ hic diem habet anima peruersa, quia transitorio gaudet in tempore: cui ea, quæ adfunt, ad pacem sunt, quia dum ex rebus temporalibus lætatur, dum honoribus extollitur, dum in carnis voluptate resolutitur, dum nulla vêturæ pœnæ formidine terretur, pacem habet in die sua, quæ græue damnationis suæ scandalum in die habebit aliena. Ibi enim affligenda est, vbi iusti lætabantur, & cuncta, quæ modò ei ad pacem sunt, tunc in amaritudinem rixæ vertentur: quia rixari secum incipit, cur damnationem, quam patitur, non expanit, cur à prospiciendis malis sequentibus oculis mētis clausit. Vnde ei dicitur; Nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Peruersa quippe anima rebus presentibus dedita, in terrenis voluptatibus resoluta, abscondit sibi mala sequentia, qui præuide-re futura refugit, quæ præsentis lætitiæ perturbent: dumque in præsentis vitæ oblectatione se deserit, quid aliud quam oculis clausis ad ignem vadit. Vnde bene scriptum est; In die bonorum ne immemor sis malorum. Et vnde per Paulum dicitur: Qui gaudent, tanquam non gaudentes sint: quia & si qua est præsentis temporis, ita est agenda lætitiâ, ut nunquam amaritudo sequentis iudicij recedat à memoria: quatenus, dum mens pauida

Excl. 10.

extremæ vltionis timore transfigitur, quantum nunc præsens lætitiâ, tantum post ira sublequens temperetur. Hinc nanque scriptum est; Beatus homo, qui semper est pauidus: qui verò mentis est duræ, corruet in malum. Sequentis enim ira iudicij tanto tunc districtior portabitur, quanto nunc & inter culpas minimè timetur. Sequitur: Quia venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo. Qui vnquam sunt humane animæ maiores inimici, quam maligni spiritus, qui hæc à corpore exeuntem obfident, quam in carnis amore positam, deceptoris delectationibus fouent? Quam vallo circumdant, quia ante mentis eius oculos reductis iniquitatibus, quas perpetravit, hæc ad societatem suæ damnationis coarctant, ut in ipsa iam extremitate vitæ deprehensa, & à quibus hostibus circumclusa sit, videat, & tamen euadendi aditum inuenire non possit: quia operari iam bona non licet, quæ cum licuit agere contempsit. De quibus adhuc aptè quod sequitur, intelligi valet; Circumdabunt te, & congregabunt te iudicij. Maligni quippe spiritus vndique animam coangustant, quando ei non solum operis, verum etiam locutionis, atque insuper cogitationis iniquitates replicant, ut quæ prius se per multa dilatant in scelere, ad extremum de omnibus angustetur in retributione. Sequitur; Et ad terram profertent te, & filios tuos qui in te sunt. Tunc anima per cogitationem reatus sui ad terram conternitur, cum caro, quam vitam suam credidit, redire ad puluerem virgetur. Tunc in mortem filij illius cadunt, cum cogitationes illicitæ, quæ modò ex illa prædeit, in extrema vitæ vltione dissipantur, sicut scriptum est; In illa die peribunt omnes cogitationes eorum. Quæ scilicet duræ cogitationes intelligi etiam per lapidum significationem valet. Nam sequitur; Et non relinquet in te lapidem super lapidem. Peruersa etenim mens cum peruersæ cogitationi adhuc peruersiorem adiciit, quid aliud quam lapidem super lapidem ponit? Sed in destructa ciuitate super lapidem lapis non relinquitur, quia dum ad vltionem suâ anima ducitur, omnis ab illa cogitationū suarū constructio dissipatur. Quæ cur hoc patitur, adiungitur; Et quod non cognoueris tempus visitationis tuæ. Præuâ quæque animam omnipotens Deus multis modis visitare cõsuevit. Nam assidue hæc visitat præcepto, aliquando autem flagello, aliquando verò miraculo, ut & vera, quæ nesciebat, audiat, & tamen adhuc superbens, atque contemnens, aut dolore compuncta redeat, aut beneficiis deuicta, malum, quod fecit, erubescat. Sed quia visitationis suæ tempus minimè cognoscit, illis in extremo vitæ inimicis traditur, cum quibus in æterno iudicio damnationis perpetuæ societate colligatur, sicut scriptum est; Cum vadis cum aduersario tuo ad principem in viâ, da operam liberari ab illo; ne forte trahat te ad iudicem, & iudex tradat te exactori, & exactor mittat te in carcerem. Aduersarius quippe noster in viâ, est sermo Dei, contrarius nostris carnalibus desiderijs in præsentis vitæ: à quo ipse liberatur, qui præceptis eius humiliter subditur. Alioquin aduersarius iudicij, & iudex tradet exactori: quia ex sermone Domini contempto, reus peccator tenetur in examine iudicij, quem iudex exactori tradet, quia hunc maligno spiritui ad vltionem trahere permittit, ut compulsum animam ipse ad pœnam de corpore exigat, quæ ei ad culpam sponte cõsensit. Exactor mittit in carcerem,

Luc. 11.

quia per malignum spiritum in inferno retrahitur, quousque dies iudicij adueniat, ex quo iam in inferni ignibus simul & ipse crucietur. Expleta igitur perditione ciuitatis, quam nos ad perentis animæ similitudinem traximus, protinus subditur; Et ingressus templum, cepit eijcere vendentes, & ementes in illo. Sicut Dei templum in ciuitate est, ita in plebe fidei vira religiosorum. Et sæpe nonnulli religionis habitum assumunt, & dum sacrorum ordinum locum percipiunt, sanctæ religionis officium in commercium terrenæ negotiationis trahunt. Vendentes quippe in templo sunt, qui hoc, quod quibusdam iure competit, ad præmium largiuntur. Iustitiam enim vendere est, hæc pro præmij acceptatione seruare. Ementes verò in templo sunt, qui dum hoc persolvere proximo, quod iustum est nolunt, dumque rem iure debitam facere contemnunt, dato patronis præmio, emunt peccatum. Quibus bene dicitur; Domus mea, domus orationis est: vos autem fecistis illam speluncam latronum. Quia dum nonnunquam peruersi homines locum religionis tenent, ibi malitiæ suæ gladius occidunt, vbi viuificare proximum orationis suæ intercessione debuerunt. Templum quoque, & domus Dei, est ipsa mens, atque conscientia fidelium. Quæ si quando in læsione proximi peruersas cogitationes profert, quasi in spelunca latrones resident, & simpliciter gradientes interficiunt, quando in eos, qui in nullo rei sunt, læsionis gladius desigunt. Mens enim fidelium non iam domus orationis, sed spelunca latronum est, quando relicta innocentiâ, & simplicitate sanctitatis, illud conatur agere, vnde valeat proximis nocere. Sed quia contra peruersa hæc omnia verbis redemptoris nostri, per sacras paginas indefinenter instrumur, nunc vique hoc agitur, quod factum fuisse perhibetur, cum dicitur; Et erat quotidie docens in templo. Cum enim mentem fidelium ad cauenda, mala subtiliter erudit, quotidie veritas in templo docet. Sed scièdum nobis est, quia veritatis verbis veraciter erudimur, si extrema nostra formidolose, & indefinenter suscipimus, iuxta hoc quod per quendam sapientem dicitur; In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis. Pensare quippe quotidie debemus, quod ex eiusdem voce vultu redemptoris audiuimus. Et quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi: nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Dum enim districtus iudex sustinet, & adhuc manum non exerit in percussione, dum à retributione vltionis vltimæ esse quædam temporis securitas videtur, debemus pensare malum quod sequitur, pensantes gemere, gementes virare: ea, quæ commisimus peccata, indefinenter aspiciere, aspiciètes flere, fletus abstergere. Nulla nos prosperitatis transitoria lætitiâ dissoluat, nec mentis nostræ oculos ea, quæ sunt transitoria, obtineant, ne carcos ad ignem ducant. Si enim districtè pensetur, cuius sit ponderis improprium, ex ore veritatis agnoscitur, cum negligenti, & futura non prospicienti dicit; Et quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi: nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Nam cogitandum valde est, quantum nobis erit terribilis hora nostræ resolutionis, qui pauor mētis, quanta tunc omnium malorum memoria, quæ obliuio transactæ felicitatis, quæ formido, & cõsideratio iudicij. Quid ergo esse nobis de præsentibus ad delectationem debet, quædo cunctis simul transeuntibus, non valet transire quod im-

Ecclesi. 7.

miner? quando & hoc funditus finitur, quod diligitur, & illud incipitur, ubi dolor nunquam finitur? Tunc maligni spiritus egrediente anima, sua opera requirunt: tunc mala, quae susceperunt, replicant, ut sociam ad tormenta trahant. Sed cur hoc de peruerfa solummodo anima dicimus, cum ad electos quoque egredientes veniant, & suum in illis, si praevalent, aliquid requirant? Vnus autem in hominibus extitit, qui ante passionem suam libera voce dixit; *Iam non multa loquar vobiscum: venit enim princeps mundi huius, & in me non habet quicquam.* Quia enim hunc mortalem hominem vidit, suum in illo princeps mundi aliquid inuenire se posse credidit. Sed sine villo peccato à mundi corruptione exiit, qui sine peccato ad mundum venit. Hoc de se contra mundi principem nec Petrus dicere praesumpsit, qui audire meruit: *Quaecunque ligaueris super terram, erunt ligata & in caelis: & quodcumque solueris super terram, solutum erit & in caelis.* Hoc nec Paulus dicere praesumpsit, qui priusquam mortis debitum solueret, ad caeli tertij secreta peruenit. *Joan. 17.* Hoc nec Ioannes dicere ausus est, qui pro amore praecipuo in redemptoris sui pectore in caena recubuit. Nam cum propheta dicit; *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me mater mea: sine culpa esse in mundo non potuit, qui in mundum cum culpa venit.* Hinc namque idem propheta ait; *Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.* Hinc Salomon ait; *Non est homo iustus in terra, qui faciat bonum, & non peccet.* Hinc Ioannes dicit; *Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Hinc Iacobus ait; *In multis offendimus omnes. Constat enim quia omnes, qui de carnis delectatione concepti sunt, in eorum proculdubio vel actione, vel locutione, vel cogitatione aliquid suum princeps mundi huius habuit. Sed idcirco illos vel post rapere, vel prius tenere non potuit, quia eos ille à debitis suis eripuit, qui pro nobis sine debito mortis debita nostra non teneant, quia pro nobis mediator Dei, & hominum homo Christus Iesus gratuito reddidit, quod non debebat. Qui enim pro nobis mortem carnis indebitam reddidit, nos à debita animae morte liberauit. Ait ergo; Venit enim princeps mundi huius, & in me non habet quicquam. Vnde curandum nobis est, & cum magnis quotidie fletibus cogitandum, quam laeuus, quam terribilis sua in nobis opera requireris in die nostri exitus princeps huius mundi veniat, si etiam ad Deum carne morientem venit, & in illo aliquid quaesitum, in quo inuenire nihil potuit. Quid itaque nos miseri dicturi, quid acturi sumus, qui innumera mala commissimus? Quid requirenti aduersario, & multa sua in nobis inuenienti dicemus, nisi solum quod nobis est certum refugium, & solida spes, quia vnum cum illo facti sumus, in quo princeps huius mundi & suum aliquid requisitum, & inuenire non potuit, quoniam solus est inter mortuos liber, & à peccati iam seruitio veraci libertate solui mur, quia ei, qui verè liber est, vnumur? Constat enim, nec negare possumus, sed veraciter fatemur, quia princeps huius mundi habet in nobis multa: sed tamen mortis nostrae tempore iam nos rapere non valet, quia eius membra effecti sumus, in quo non*

habet quicquam. Sed quid prodest, quod eidem redemptori nostro per fidem iungimur, si ab eorum moribus disjungamur? Ipse etenim dicit; *Nō omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum caelorum. Recta ergo opera, fidei rectae iungenda sunt. Mala quae fecimus, per quotidiana lamenta diluamus: transactas nequicias nostras, surgentia ab amore Dei, & proximi recta opera superent, nulla quae possumus fratribus impendere bona recusamus. Neque enim aliter redemptoris nostri membra efficiamur, nisi inhærendo Deo, & compatiendo proximo. Sed quia ad amorem Dei, & proximi plerumque corda audientium plus exempla quam verba excitant, charitati vestrae indicare studeo, quod is, qui praesens est filius meus Epiphanius diaconus, in Isauria prouincia exortus, in vicina factum terra Lycaonia solet narrare miraculum. Ait enim, quod in ea quidam Martyrius nomine, vitæ valde venerabilis monachus fuit, qui ex suo monasterio visitationis gratia ad aliud monasterium tendebat, cui spiritualis pater praerant. Pergens itaque, leprosum quandam, quem densis vulneribus elephatinus morbus per membra caedauerat, inuenit in via, volentem ad suum hospitium redire, sed praesens lassitudine non valentem. In ipso verò itinere se habere perhibebat hospitium, quod idem Martyrius monachus ire festinabat. Vit autem Dei, eiusdem leprosi lassitudinis miseratus, pallium, quo vestiebatur, in terram prostratus proiecit & expedit, ac desuper leprosum posuit, eumque pallio suo vndique circumstrinxit, super humerum leuauit, secumque reuerens derulit. Cumque iam monasterij foribus propinquaret, spiritualis pater eiusdem monasterij magnis clamare vocibus cepit; *Currite, ianuas monasterij citius aperite, quia frater Martyrius venit, Dominum portans.* Statim verò ut Martyrius ad monasterij aditum peruenit, is, qui leprosus esse putabatur, de collo eius exiliens, & in ea specie apparens, qua recognosci solet ad hominibus redemptor humani generis, Deus homo Christus Iesus, ad caelum Martyrio aspiciente rediit, eique ascendens dixit; *Martyri, tu me non erubisti super terram, ego te non erubescam super caelos. Qui sanctus vir mox ut est monasterium ingressus, ei pater monasterij dixit; Frater Martyri, ubi est, quem portabas? Cui ille respondit, dicens; Ego si scissem quis esset, pedes illius tenuissem.* Tunc idem Martyrius narrabat, quia cum eum portasset, pondus eius minimè sensisset. Nec mirum. Quomodo enim pondus sentire poterat, qui portante portabat? Qua in repensandum nobis est, quantum fraternae compassio valeat, quantum nos omnipotenti Deo misericordiae viscera coniungant. Inde enim ei, qui est super omnia, propinquamus, vnde nos per compassionem proximi etiam sub nosmetipsos deponimus. In rebus corporalibus nemo alta tangit, nisi qui tenditur: in rebus verò spiritualibus certum est, quia quanto plus per compassionem attrahimur, tanto altius verius appropinquamus. Ecce autem redemptori generis humani ad aedificationem nostram minimè sufficit, quod in extremo iudicio dicturum se esse perhibuit: *Quandiu fecistis vni de fratribus meis minimis, mihi fecistis: nisi & ante iudicium hoc in se ostenderet, quod dixisset; ut videlicet demonstraret, quia quisquis nunc bona opera indigentibus**

tribus exhibet, ei hoc specialiter impendit; cuius hæc amore exhibuerit: & tanto plus quisque maiorem mercedem recipit, quanto nec eum despiciat, qui amplius despiciendus videtur. Quid enim in humana carne sublimius carne Christi, quæ est super angelos exaltata? Et quid in humana carne abiecius carne leprosi, quæ tumescitibus vulneribus scinditur, & exhalantibus foetoribus impletur? Sed ecce in specie leprosi apparuit, & is qui est reuerendus super omnia, videri despectus infra omnia indignatus non est. Per hoc, nisi ut nos sensu tardiores admoneret, quatenus quisquis ei, qui in caelo est, festinat assistere, humiliari in terra & compati etiam abiectis & despicabilibus fratribus non recuset. Loqui charitati vestrae sub breuitate decreueram: sed quia non est in homine via eius, decurrens sermo retineri non potest, quem disponit ipse de quo loquimur: qui vivit & regnat cum patre in vno spiritu sancti Dei, per omnia secula seculorum, Amen.

### BEDAE VENERABILIS presbyteri in superioribus Euang. expositio.

*Et ut appropinquauit videns ciuitatem fleuit super illam, &c.* Quod, fleuit domino, illa Hierosolymorum subuersio describitur, quæ à Vespasiano, & Tito Romanis principibus facta est, nullus qui Historiam euerfionis eiusdem legit, ignorat. Sed querendum prius est, quid sit quod dicitur: *Videns ciuitatem fleuit super illam dicens, &c.* Fleuit etenim pius redemptor ruinam perfida ciuitatis, quam ipsa sibi ciuitas non cognoscebat esse venturam. Cui à fleute domino recte dicitur, *Quia si cognouisses & tu, subaudis, feres, quæ modo, quia nescis, quod imminet, exultas.* Vnde & subditur, *Et quidem in hac die tua quæ ad pacem tibi.* Cum enim carnis voluptatibus se daret, ventura mala non prospiceret, in die sua quæ ad pacem ei esse poterant habebat. Cur vero bona presentia ad pacem haberet, manifestatur cum subditur; *Nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis.* Si enim cordis eius oculis mala, quæ imminerent, abscondita non essent, lata in presentibus prosperis non fuisset. Cuius mox etiam poena, quæ de Romanis, sicut praedixi, principibus imminerebat, adiuncta est cum dicitur; *Quia venient dies in te, &c.* Hoc quoque, quod additur; *Et non relinquent in te lapidem super lapidem.* Etiam ipsa iam eiusdem ciuitatis transmigratione restatur, quia, dum nunc in eo loco constructa est, ubi extra portam dominus crucifixus fuerat, prior illa Hierusalem funditus est euerfa. Cui ex qua culpa euerfionis suæ poena fuerit illata, subiungitur. *Eo quod non cognoueris tempus visitationis tuæ.* Creator quippe omnium per incarnationis mysterium hanc visitare dignatus est, sed ipsa timoris, & amoris illius recordata non est. Vnde etiam per prophetam in reparatione cordis humani aures caeli ad testimonium deducuntur dum dicitur; *Miluis in caelo cognouit tempus suum, turrur, & hitando, & ciconia custodierunt tempus aduentus sui, populus autem meus non cognouit iudicium domini.* *Et ingressus in templum cepit eicere vendentes in illo, &c.* Qui enarrauit mala ventura, & protinus templum ingressus est, ut de illo vendentes, & ementes eiceret, profecto innotuit, quia ruina populi maximè ex cul-

pa sacerdotum fuit. Euerfionem quippe describens, sed vendentes & ementes in templo facti, in ipso effectu sui operis ostendit, vnde radix prodiit perditionis. *Vos autem fecistis illam speluncam latronum.* Qui ad accipienda munera in templo residebant, profecto quia quibusdam non dantibus læsiones exquirentes dubium non erat. Dominus ergo orationis spelunca latronum facta fuerat, quia ad hoc in tempore adfistere non erant, ut aut non dantes munera studebant corporaliter persequi, aut dantes spiritualiter necare. Quia vero redemptor noster praedicationis verba nec indignis, & ingratis subtrahit, postquam disciplinae vigorem eiciendo peruersos tenuit, donum mox gratiae ostendit: nam subditur; *Et erat docens quotidie in templo.* Hæc iuxta historiam breuiter tractando transcurramus, nunc eadem morali intellectu discutienda repetamus. *Videns ciuitatem fleuit super illam, &c.* Hoc semel egit, cum peritiam ciuitatem esse nunciavit. Hoc quotidie redemptor noster per electos suos agere nullatenus cessat, cum quosdam ex bona vita ad mores reprobos peruenisse considerat. Plangit enim eos, qui nesciunt cur plangantur, quia iuxta Salomonis verba, lætantur cum malefecerint, & exultant in rebus pessimis. Qui si damnationem suam, quæ eis imminet, agnouissent, semetipsos cum lachrymis delictorum plangerent. *Et quidem in hac die tua quæ ad pacem tibi.* Suam hic diem habet anima peruersa, quæ transitorio gaudet in tempore. Cui ea, quæ ad sunt, ad pacem sunt, quia, dum ex rebus temporalibus lætatur, dum honoribus extollitur, dum in carnis voluptate resoluitur, dum nulla venturae poenae formidine terretur, pacem habet in die sua, quæ graue damnationis suæ scandalum in die habebit aliena. Ibi enim affligenda est, ubi iusti lætabuntur. *Nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis.* Peruersa anima, rebus presentibus dedita, in terrenis voluptatibus resoluta, abscondit sibi mala sequentia, quia praeuidere futura refugit, quæ presentem lætitiā perturbent. Dumque in presentibus vitæ oblectatione se deserit, quid aliud quam clausis oculis ad ignem vadit: *Quia venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo.* Qui vnquam sunt humanae animæ maiores inimici quam maligni spiritus? qui hanc à corpore exeuntem obsident, quam in carnis amore positam deceptoris delectationibus fouent. Quam vallo circumdant, quia ante mentis eius oculos reductis iniquitatibus, quas perpetravit, hanc ad societatem suæ damnationis trahentes coarctant. *Et circumdabunt te, & coangustabunt te vndique.* Maligni spiritus vndique animam coangustant, quando ei non solum operis, verum etiam locutionis, atque insuper cogitationis iniquitates replicant, ut, quæ prius se per multa dilatauit in scelere, ad extremum de omnibus angustetur in retributione. *Et ad terram consterment te, & filios tuos qui in te sunt.* Tunc anima per cognitionem reatus sui ad terram constermentur, cum caro, quam vitam suam credidit, redire ad puluerem vrgetur. Tunc in morte filij illius cadunt, cum cogitationes illicitæ, quæ modo ex illa prodeunt, in extrema vitæ vitione dissipantur, sicut scriptum est, *In illa die peribunt omnes cogitationes eorum.* Quæ scilicet duræ cogitationes intelligi etiam per lapidum significationem valent. Nam sequitur; *Et non relinquent in te lapidem super lapidem.* Peruersa etenim mens cum

peruersæ cogitationi adhuc peruersiorem adijcit, quid aliud quam lapidem super lapidem ponit? Sed in destructa ciuitate super lapidem lapis non relinquitur, quia cū ad vltionem suam anima deducitur omnis ab illa cogitationum suarum constructio dissipatur. *Et quod non cognoueris tempus visitationis tuæ.* Peruersam quoque animam omnipotens Deus modis multis visitare consuevit. Nam assidue hanc visitat præcepto, aliquando autem flagello, aliquando vero miraculo, vt & vera, quæ nesciebat, audiat, & tamen adhuc superbiens, atque contēnens, aut dolore compūcta redeat, aut beneficijs deuicta malum, quod fecit, erubescat. Sed, quia visitationis suæ tempus minime cognoscit, illis in extremo vitæ inimicis traditur, cum quibus in æterno iudicio, damnationis suæ societate colligatur. *Et ingressus in templum, cepit eijcere vendentes in illo & ementes.* Sicut templū Dei in ciuitate est, ita in plebe fidei vita religiosorum. Et sepe nonnulli religionis habitum sumunt, sed, dum factorum ordinum locum percipiunt, sanctæ religionis officium in commercium terrene negotiationis tribuunt. Vendentes quippe in templo sunt, qui hoc, quod quibusdam iure cōpetit, ad præmium largiūtur. Iustitiam enim vendere est, hæc pro premij acceptione seruare. Ementes vero in templo sunt, qui dum hæc persoluere proximo, quod iustum est, nolunt, quāque rem iure debitam facere contemnunt, dato patronis præmio, emunt peccatum. Quibus bene dicitur; *Domus mea domus orationis est. Vos autem fecistis eam speluncam latronum.* Quia, dum nonnunquam peruersi homines locum religionis tenent, ibi malitiæ suæ gladijs occidunt, vbi viuificare proximos orationis suæ intercessione debuerūt. Templum quoque, & domus Dei est ipsa mens, atque conscientia fidelium, quæ si quando in læsione proximi peruersas cogitationes profert, quasi in spelunca latrones resident, & simpliciter gradientes interficiunt, quando in eos, qui in nullo rei sunt, læsionis gladios defigunt. Mens enim fidelium non iam domus orationis, sed spelunca latronis est, quando, relicta innocentia, & simplicitate sanctitatis, illud conatur agere, vnde valeat proximis nocere.

## HAYMONIS EPISCOPI

*Halberst. superioris Euang. expositio.*

**C**um appropinquaret Iesus Hierusalem, &c. Cum legimus in sacro euangelio motus & diuersos affectus domini, nō debemus credere in eum necessitatem aut fragilitatem corporis, sed potius ea fide accipiendum est, vt credamus eum hæc omnia pro nobis sustinuisse, simulque, vt ostenderet se pro nobis veram carnem assumpsisse. Dicit ergo sanctus euangelista. *Cum appropinquaret dominus Hierusalem, videns ciuitatem fleuit super illam dicens:* Metonymicè loquitur dominum fleuisse super Hierusalem. Non enim fleuit adificia murorum, aut pulchritudinem templi, sed potius populum qui inhabitabat. *Quia si cognouisset & tu.* Ac si dixisset, si cognosceres imminetia tibi mala, sicut ego cognosco, fletus vtique sicut & ego desseo, quæ quia nescis quæ tibi imminet, ideo exultas. *Et quidem in hac die tua quæ ad pacem tibi nunc abscondita sunt ab oculis tuis.* Iudaicus populus ea quæ habere poterat in die sua

ad pacem illi erant, quia scilicet prosperis de ditus imminetia sibi mala non prospiciebat. Sed & si quis diceret ei, non credebat. *Quia venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & conuersabunt te inique.* Hic etiam aperte subuersio ciuitatis illius declaratur, quæ à principibus Romanis facta est, sicut Historiographi Iudæorum narrant. Dicunt enim Iosephus & Egesippus, quia congregatis ex omni regno Iudæis in Hierusalem in solemnitate paschali, superueniēte Romano exercitu intra septa suæ ciuitatis conclusi sunt, vt ne vnus quidem euadere posset, vallo sunt circumdati, quæ est sepes munitio, & fit ex fossa, & palis. In qua munitio: sicut eisdem Historiographi narrant, decies centena millia gladio perierunt, totidem fame perierūt, totidem in captiuitatem ducti sunt. *Et ad terram prosterneret te, & filios tuos, qui in te sunt.* Quomodo ipsa ciuitas sit penitus exterminata, testatur illa, quæ ab Helio Adriano reaedificata est, cum statum mutauit, & nōmē. Nam antea Hierusalem est dicta, nunc Heliā vocatur. Et in illa priori ciuitate dominus extra portā legitur passus: hæc autem ita ædificata est, vt in medio sui locum dominicæ passionis contineret. *Et non relinquent in te lapidem super lapide, eod quod non cognoueris tempus visitationis tuæ.* Narrat supradicti Historici, quia reuertētes iterū fugitiui Iudæi, & qui hostium manus effugere poterant, iterum ciuitatem reaedificare conati sunt, sed tamen non eodem spiritu. Veniens autem supradictus princeps, non solum penitus eam exterminauit, sed & fundamenta murorum exarare præcepit, vt adimpleretur canticū Prophetæ dicens: Sion quasi ager arabitur, & Hierusalem in acervum lapidum erit. *Et quod non cognoueris tempus visitationis tuæ.* Multis modis visitauit dominus plebē Iseraëliticam. Primò per patriarchas, deinde per prophetas, ad vltimū per semetipsum. Sed illa plebs non cognouit tempus visitationis suæ, quia videns eum, quem à prophetis prædictum habebat mortalem ac fragile corpus habere, in eum credere respuit. Vnde & aues cæli in testimoniu illis trahuntur, dicente propheta: Miluus in cælo cognouit tempus suum, turtur, & hirundo custodierunt tempus aduentus sui, populus autem meus non cognouit iudicium domini sui. *Et ingressus in templum cepit eijcere vendentes & ementes de illo.* Quod dominus post prædictam ruinam perfidæ ciuitatis in templum ingressus, inde vendentes, & ementes eiicit, signat, quia ruina illius ciuitatis maxime ex culpa sacerdotum accidit. Qui ad hoc in templo residere nouerant, vt aut dantes spiritualiter necarent, aut non dantes mortaliter persequerentur. Alius euangelista dicit: *Et vendebantur ibi boues, & oves, & columbæ.* Præcipiebat lex, vt ter in anno appareret omne masculinum in conspectu Dei, dicens: Non apparebis in conspectu domini tui vacuus. Causa autem auaritiæ habebant ibi sacerdotes diuersa animalia nutrita in templo, quæ venientibus de longinquo vendebant, acquirentes sic duplex commercium, id est, quod dabant, & quod accipiebant. Et vt non viderentur vsuram facere, quam prohibet lex, habebant ipsi sacerdotes numularios in templo, vt de longinquo venientibus petegrinis illis accommodarent. Sed ne hoc manifestaretur, inuenerunt illi malefici & aliam materiam dicētes fœneratoribus suis, vt

*Ioan. 2.  
Exod. 21.  
& 24.*

quæque vilia sua darent illis, à quibus erant munera accepturi. Quapropter dabant illis vnam passam, sicut, cicer, legumina, & cætera talia. Dicit beatus Hieron. quia ex omnibus miraculis domini istud specialius fuit. Sed hoc iuxta literam dominus semel egit, quod quotidie in sancta ecclesia agere non desistit per membra sua, cum viderit à recta fide recedere, plangit enim eos, qui nesciunt, cur plangantur, & qui iuxta Salomonem lætantur, cum malè fecerint, & exultant in rebus pessimis. Nam hæc peccatrix ciuitas designat peccatricem animam grauidam suis facinoribus. Et quidē peruersa anima dum rebus temporalibus lætatur, dum honoribus extollitur, dum carnali voluptate resoluitur, ea, quæ habet in die sua ad pacem habet, quia mala sua imminetia nequaquam cauere præcogitat. *Quia venient dies in te, id est, veniet tempus mortis tuæ.* *Et circumdabunt te inimici tui vallo.* Inimicos nullo melius quàm malignos spiritus possumus intelligere, qui animam vallo circumdant, quando videlicet ea à corpore exeunte omnia mala, quæ in hoc seculo egit, ante oculos illi reponunt recogitata. Tunc anima ad terrā prosternitur, quando caro, quam vitam suam credidit, redire in puluerem virgetur. *Et filios tuos, qui in te sunt.* Filij peruersæ animæ prauæ cogitationes intelliguntur, quæ simul anima pereunte, pereunt. Quia sicut Psalmista ait: In illa die peribunt omnes cogitationes eorum. *Et non relinquent in te lapidem super lapide, &c.* Peccator cum peccatum peccato adijcit, quasi lapidem super lapidem ponit. Sed tunc pariter destruentur, quando in illo examine districti iudicij, non solum facta operum, sed etiam facta cogitationum destruentur. *Et quod non cognoueris tempus visitationis tuæ.* Multis modis visitat dominus animam peruersam, Visitat enim eam aliquando aduersis, aliquando prosperis, aliquando miraculo, aliquando terrore. *Et ingressus templum cepit eijcere vendentes, & ementes de illo.* Quod dominus post prædictam ruinam perfidæ ciuitatis in templum ingressus est, signat, vt, quando terrena exercere desistimus, ad locum religionis pergamus. Sicut enim in ciuitate pulchrius est omnibus edificis templum domini, ita & in plebe fidelium, vita religiosorum. Iuxta alium euangelistam vendebantur ibi oves, & boues, & columbæ. Per boues sancti doctores designantur, qui vomere diuini verbi corda auditorum irri-gant. Boues autem vendunt, qui propter prædicationem munera accipiunt. Per oves possumus intelligere sanctos innocentes. Ovis enim misericors, & innocentissimus est animal. Oves autem vendunt, qui ideo simplicitatem custodiunt, vt laudes ab hominibus acquirant. Per columbas possumus intelligere spiritum sanctum, qui in specie columbæ super dominum apparuit. Columbas autem vendunt, qui propter manus impositionem munera accipiunt. Vendentes autem & ementes sunt hi, qui etiam hoc, quod illis debetur, non nisi precio largiuntur. Canones Symoniacam hæresim damnant. Symon pecuniam dare voluit Petro, & Ioanni pro spiritu sancto, dicens: Date mihi potestatem, vt, cuiusque manus imposuerero, accipiat spiritum sanctum. Cui dictum est à Petro: Pecunia tua tecum sit in perditionem, id est, ad perditionem tibi proueniat. Si ergo Symon, qui dare voluit pecuniam pro acci-

piendo spiritu sancto, & nō dedit, damnationem euadere non potuit, quid illi facient, qui dant, & accipiunt, & mediatores sunt? Certè damnabuntur. *Scriptum est, quia domus mea domus orationis est.* Domus Dei sancta ecclesia est, sicut supra diximus. Sicut ergo domus Dei in ciuitate aliis domibus eminet, ita & in plebe fidelium vita religiosorum præcellere debet. *Vos autem fecistis illam speluncam latronum.* Domus ergo Dei spelunca latronum est, quia mens fidelium hoc hodie certat in cogitatione, vnde valeat proximis nocere. *Et erit quotidie docens in templo.* Quotidie docet dominus in templo, quando euangelium recitatur in sancta ecclesia. Quando ergo Deus spiritualiter suggerit in cordibus nostris, quid vitandum, quidve agendum sit, vt relinquamus mala, & sequeamur virtutes, quotidie veritas in templo docetur. Sed tunc veraciter docemur, cum in omnibus actibus nostris diem nouissimum cogitamus, iuxta Salomonis vocem, qui dicit: In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis. Infirmus igitur præceptis, & mandatis Dei, & opere impleamus, vt adueniente die mortis nostræ, vel die iudicij, confortes regni cælorum effici mereamur.

## INCERTI AVTHORIS

*sub nomine Eusebij Episcopi Emissemi  
superioris Euangelij expositio.*

**R**esuscitato namque Lazaro, veniens dominus Hierosolymam, sedens super pullum asinæ, quum iam appropinquaret ad descensum montis Oliueti, cœperunt omnes turbæ discipulorum gaudentes laudare eum voce magna, dicentes: Benedictus, qui venit in nomine domini. Et quidam Phariseorum de turba dixerunt ad illum, Magister, increpa discipulos tuos. Quibus ipse ait, Dico vobis, quia si isti tacuerint, lapides clamabunt. Lapidem enim Gentiles dicuntur, qui duri, steriles, & infructuosi erant, & ligna & lapides adorabant. Isti autem modò clamant, & Christi virtutes laudare non cessant. Vt igitur appropinquauit videns ipsam ciuitatem in suam necem conspirantem, non de sua morte, quam illa machinabatur, sed de illius ruina, & perditione fleuit, dicens, *Quia si cognouisset & tu.* Sicut (inquit) ego fleo, qui omnia video, & futura cuncta cognosco, sic & tu fletes, si nunc ventura videres. Nobis fratres, nobis iste lachrymæ sunt, vt magistrum imitemur, & ab hoc tanto præceptore nostro discamus, quid de nostrorum inimicorum morte, & ruina agere debeamus. Vnde & ipse ait, Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro persequentibus, & calumniantibus vobis. *Et quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis.* In hac (inquit) die, in hoc tempore tua sunt, quæ ad pacem tibi, breui tempore data sunt. Nunc abscondita sunt ab oculis tuis ea mala, quæ subitò venient tibi in diebus tuis. Et hoc exponit. *Quia venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, &c.* Hæc autem omnia sub Vespasiano, & Tito filio eius completa sunt, sicut Iosephus plenissime narrat: quando ex dura, & longa obsidione tanta calamitas Iudæos oppressit, vt ipsæ matres filios deuorarent. Et hoc ideo, quia non cognouerunt tempus visitationis suæ, quando visitauit eos oriens ex alto.



De qua visitatione Zacharias ait, Benedictus dominus Deus Israel, quia visitavit, & fecit redemptionem plebis suae. Quod autem ait, *Non relinquent in te lapidem super lapidem*, hyperbolicè dictum est. Sive lapis super lapidem relictus non est, quo vel ipsa ciuitas vel aliquis in tota ciuitate defendi potuisset. Prius enim ciuitas ipsa, deinde turris, quae Antonia dicebatur, postmodum verò templum illud nobilissimū, super quod aliquanti confugerant, magna vi captum, & destructum est. Qui si se hostibus tradidissent, templum destructum non fuisset. In quod, quum iam incendiaretur, Titus intrasse, multumque illud laudasse dicitur. Huius autem ciuitatis destructio, cuiuslibet animae perditionem significare potest, in qua, fide corrupta, & virtutum populo deficiente, malignorum spirituum, vitiorumque exercitus eam aggreditur, incēdit, & dissipat. De tali autem anima, Domini nostri Iesu Christi exempla sequentes, nos quoque flere debemus: & tantò amplius flere, quanto ipsa de seipsa flere ignorat. Si enim suas infirmitates intelligeret, & calamitates quae ei superuenturæ sunt cognouisset, fleret vtiq̄ue & ipsa. *Nunc autem abscondita sunt ab oculis eius.* Non enim muros ciuitatis, quamuis post modicum perituræ, sed animarum ruinam & perditionem flebat Iesus: nobisque exemplum dabat, quid in tali re facere debeamus, quum peccatorem aliquem in æternam perditionem ruere videmus. Capta est autem ciuitas Hierusalem post quadraginta & duos annos à Christi passione. Quod bene quidem Elifæus significauit, qui ascendens Bethel, quum pueri ipsius loci illuderent ei, dicentes, Ascende, calue, ascende, calue, maledixit eis in nomine domini. Et statim egressi sunt duo vrsi de saltu, & occiderunt quadraginta duos ex illis. Ideo enim post quadraginta & duos annos à duobus vrsis, Tito videlicet, & Vespasiano, Iudæi interfecti sunt, quia Christo illudentes, in Caluarie montem eum duxerunt, ibique eum crucifixerunt. Sequitur: *Et ingressus templum, cepit eicere vendentes in illo & ementes.* Vnde & Matthæus ait, Et intrauit Iesus in templum Dei, & eiecit omnes vendentes & ementes in templo, & mensas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas euerit. Audite hæc Simoniaci, audite nefandi negotiatores, aut cessate à negotiis, aut exite de templo. Non enim vnum vel duos, sed indifferenter omnes & vendentes, & ementes dominus templi eiecit de templo. Ipse & mensas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas euerit. Vos nummularij estis, vos columbas venditis, vos sine nūmo, & pretio nihil agitis. Columbas enim vendunt, quicumque vel ecclesias, vel sancti spiritus gratias pretio largiuntur. Horum autem cathedras dominus euerit, vt per hoc eos non esse Episcopos intelligamus. Et dicit eis, Scriptum est quod domus mea, domus orationis est, vos autem fecistis eam speluncam latronum. Latrones enim vos estis, quia per ostium non intrastis. Qui enim non intrat per ostium in ouile ouium, fur est & latro. Ostium enim Christus est, qui, quoniam per eum non intrastis, vestras cathedras euerit. Per hoc enim ostium illi soli intrat, qui secundum canonum instituta Episcopi constituuntur. Exite igitur de domo orationis: quæ, quoniam vos in ea habitatis, facta est spelunca latronum. Nusquam alibi corporaliter dominus restitisse,

alios impulsisse, vel eiecisse narratur. Si igitur eum in hoc quoque imitari velimus, si aliter non possumus, violenter Simoniacos ab ecclesia pellere debemus, si tamen vires suppetunt, quibus hoc sine ecclesiæ detrimento facere valeamus.

THEOPHYL. EPISCOPI  
*Bulgar. superioris Euangelij  
expositio.*

**E**T vt appropinquauit, videns ciuitatem, fleuit super illam, dicens, &c. Plorat super ciuitate vt misericors, nolens perdi eos, qui in illa, propter facinus contra se. Ostendit itaque viscera misericordiae per fletum. Quod enim miserebatur eis, & non solum ante crucem, sed & post crucē etiam conuersionem eorum stiebat, manifestum est ex eo, quod post trigintaquinque annos Romanis traditi sunt. Nam propter nihil aliud distulit supplicium, quam quod cupiebat eos conuerti. Hoc est, si cognouisset quæ nunc tibi conferunt, ac pacem, & quietem afferunt, nempe fidem erga me, & cessationem à persequendo me. Nunc autem sunt abscondita ab oculis tuis, quod propter me, quem tu reprobas, innumera mala te apprehendent, patierisque hæc, ac illa, *eo quod non cognoueris tempus visitationis tuæ*, hoc est, mei aduentus, quando veni, vt inuiserem te, & saluarem. Oportebat igitur scire te, quæ ad pacem tuam, vt in me crederes, & habuisses vtiq̄ue pacem à Romanis, & omnis malitiæ liberationem. Etenim omnes, qui crediderunt Christo, à captiuitate fuerunt securi; & ita si omnes credidissent, nullus fuisset captus. *Et ingressus in templum, cepit eicere vendentes in illo & ementes, &c.* Iesus gloriose Hierusalem ingressus, suæ autoritatis indicium facit, repurgando domum patris sui à negociatoribus: quauis & in principio prædicationis hoc fecerit, sicut Ioannes dicit: & iterum nunc secundo facit: id quod ad maiorem Iudæorum accusationem pertinet, quod primo suo aduentu non fuerint facti emendatiores, & manserint ipsi negociatores, illum Dei aduersarium dicentes, qui patrem, & Deum maximè coleret, ita vt & domū illius à negociatoribus repurgatam voluerit. Idcirco & Elaiam inducit, qui eos arguat, dicentem, *Esai. 56.* Domus mea domus prædicationis vocabitur.

EVTHYMII ZIGABONI  
*superioris Euang. expositio.*

**E**T postquam appropinquauit, intuens ciuitatem fleuit, &c. Sciens illam propter immensa vitia destruendam humano modo ipsam præ immensa sua bonitate deslet, etiam hinc ostendens, qualia haberet erga ingratos Iudæos viscera, dicens; *Si cognouissetis & tu. Et quidem in isto die tuo quæ ad pacem tuam.* Defectiuus sermo est: deficit enim: Nequam perires. Consueuerunt enim flentes verba præ affectus vehementia abrumpere. Quod autem ait, tantundem est, ac si diceret; Si cognosceres & tu in die hoc, id est in hoc tempore, quo ego hic conuersor: tum enim est, quia propter te potissimum humanitatem assumpsit, & peregrinus effectus sum. Si cognosceres, inquam, quæ ad pacem tuam pertinent, quæ te erga Deum pacif-

*Alij dicunt  
Iudæos eos  
prostratos  
uisse post  
Christi pas-  
sum.*


cant, quæ sunt aut fides in me filiū eius, aut meæ prædicationis susceptio, nequaquam perires. Quod autem interponitur, *Et quidem*, superfluum est tanquam proprietates Hebraicæ compositionis. *Nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis.* Abscondita sunt hæc ab oculis animæ tuæ: siue contempta, neglecta. *Quod venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo.* Hæc tanquam ab exordio proprie legenda sunt. Nam ipsum *Quod*, propheticum est hic, & narratiuum. Dies itaque dicit obfessionis:

inimicos vero illius, Romanos, qui postmodum in eam sauerunt. *Et filios tuos in te*, videlicet solo proferent. *Nec relinquent in te lapidem super lapidem.* Hoc est, lapidum compositionem siue structuram. *Ed quod non cognoueris tempus visitationis tuæ.* Quia non agnouisti tempus curæ tuæ, tempus nanque peregrinationis meæ erat tempus curæ salutis meæ. *Et ingressus in templum cepit eicere vendentes in eo, &c.* Laus de his scriptis Matthæus.



DOMINICA X. POST  
PENTECOSTEN.

L V C. 18.



**I**n illo tempore: dixit Iesus ad quosdam qui in se confidebant  
<sup>a</sup> tanquam iusti, & aspernabantur cæteros, parabolam istam, di-  
<sup>b</sup> cens: <sup>b</sup> Duo homines ascenderunt in templum, vt orarent, vnus  
Pharisæus, & alter Publicanus. Pharisæus stans hæc apud se ora-

bat: <sup>c</sup> Deus <sup>c</sup> gratias ago tibi, quia non sum sicut <sup>d</sup> ceteri homines, raptores, iniu-  
sti, adulteri: velut etiam hic <sup>e</sup> Publicanus. Ieiuno bis in sabbato, decimas do-  
omnium, quæ possideo. Et Publicanus à longe stans nolebat nec oculos ad cæ-  
lum leuare: sed percuriebat pectus suum, dicens: Deus propitius esto mihi pec-  
catori. Amen dico vobis, descendit hic <sup>f</sup> iustificatus in domum suam <sup>g</sup> ab illo:  
<sup>h</sup> Quia omnis qui se <sup>i</sup> exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur.

GLOSSA ORDINARIA  
*in superioris Euang.*

**D**V o ho. Quia parabolam qua ad orandum inuitauit, ita conclusit, vt diceret veniente iudice, difficile fidem in terra reperendam. Ne quis sibi de superna fidei cognitione vel etiam confessione blandiretur, in hac parabola diligentius ostendit à Deo non fidei verba, sed opera examinanda: inter quæ maximè regnat humilitas, quam quia non habent superbi, de sua iusticia præsumentes, & infirmos despicientes, quasi vacui fide, cum orant, non exaudiuntur. *Dens g.* Quatuor sunt species tumoris: Cum vel quis bonum quod habet, à se habere æstimat: Aut si datum à Deo eredit, pro meritis datum putat; Aut cum iactat se habere quod non habet; Aut cum despectis cæteris appetit singulariter videri habere quæ habet. Hac Pharisæus peste laborabat, qui ideo non iustificatus descendit, quia merita bonorum ope-

rum sibi singulariter tribuens, publicano se prætulit. *Ieiuno bis.* Ecce Pharisæus ad exhibendam abstinentiam, ad imperrandam misericordiam, ad referendas Deo gratias oculum habet, ad humilitatis custodiam non habet. Et quid prodest si tota ciuitas custodiatur, & vnum foramen per quod hostes intrent relinquatur? *Et pu.* Sicut humilis, non audet appropinquare, vt ad eum Deus appropinquet. Non aspicit vt aspiciatur: Premit conscientiam, sed spem subleuat: Percutit pectus, pœnas de se exigit, vt Deus parcat; consistit vt Deus ignoscat, ignoscit Deus quod ille agnoscat. *Dens propi.* Publicanus humiliter orans ad illos pertinet, de quibus dicitur: Deus non faciet vindictam electorum ad se clamantium. Pharisæus merita iactans, ad illos de quibus subditur: Filius hominis veniens, putas inueniet fidem in terra? *Quia.* Postquam Pharisæi & publicani cōtrouersia, ponitur iudicis sententia, vt caueatur superbia. Typicè. Pharisæus, populum Iudæorum designat, qui ex iustificationibus legis extollit merita sua, & superbiendo recedit: Humiliatus Publicanus

Gentilem, qui longè à Deo positus peccata confiteatur & lamentando appropinquet Deo & exaltatur.

### CATENA AVREA in idem Euangelium.

**D**ixit autem & ad quosdam qui in se confidebant tanquam iusti, &c. Aug. de ver. do. Quia fides non est superborum, sed humilium, præmissis subiecit parabolam de humilitate, & contra superbiam. vnde dicitur: *Dixit au. ad. &c. Theo.* Quia enim superbia pluraquam aliæ passiones vexat hominum mentes, ideo crebrius de hac monet. Est autem superbia Dei contemptus, quoties enim aliquis non Deo, sed sibi ascribit bona quæ facit, quid est aliud quam Dei negatio? causa igitur confidentium in seipsis, non autem totum attribuentium Deo, sed ob hoc etiam cæteros contemnentium parabolâ proponit, ostendens quod iustitia quamvis hominem approximet Deo, si tamè assumat superbiam ad infimum deiicit hominem, vnde sequitur: *Duo hom. ascen. in tpm. &c. Græc.* Dilectam quidem orationis docuit nos per viduam & iudicem, hic autem per pharisæum & publicanum docet nos, quomodo sint ei dirigenda precamina, ne sit infructuosum orationis negotium. Condemnatus est autem pharisæus cum incautè oraret, nam sequitur: *Phari. autem stans, &c. Theo.* Per hoc quod dicit, Stans: elatum eius animum notat: ipso enim habitu superbissimus videbatur. *Basil.* Dicit autem, *Apud se orabat,* quasi non apud Deum, quia ad seipsum redibat per peccatum superbiæ. Sequitur enim: *Deus gratias ago tibi.* Aug. de ver. do. Non reprehenditur quia Deo gratias agebat, sed quia nihil sibi addi cupiebat. Ergo iam plenus es, iam abundas, non est quare dicas: Demitte nobis debita nostra. Quis est igitur qui impunè oppugnat gratiam, si reprehenditur qui superbè agit gratias? Audiant qui dicunt: Deus me hominem fecit, ego me iustum facio. O peior & detestabilior pharisæo, qui superbiè iustum se dicebat, sed tamen inde gratias Deo agebat. *The.* Attende autem seriem orationis pharisæi. Primò nanque dixit quæ ei aberant, deinde subiungit quæ habebat, vnde sequitur enim: *Quia non sum sicut cæteri.* Aug. de ver. do. Diceret saltem sicut multi homines. Quid est cæteri homines nisi omnes præter ipsum? Ego (inquit) iustus sum, cæteri peccatores. *Gre. 24. mo.* Quatuor quippe sunt species quibus omnis tumor arrogantium demonstratur, cum bonum aut à semetipsis habere se æstimant, aut sibi datum desuper credunt, pro suis se hoc accepisse meritis putant, aut certè cum iactant se habere quod non habent: aut despectis cæteris singulariter videri appetunt habere quod habent, vnde & pharisæus hic bonorum operum merita singulariter tribuit. *Aug. de verb. do.* Ecce autem ex vicino publicano maioris erat ei tumoris occasio, sequitur enim: *Velut etiam hic publica.* Quali dicat, Ego sum solus. Iste de cæteris est. *Chry.* Non enim satiauerat contemptum eius tota humana natura, sed & publicanum aggressus est: moderatius autem peccasset, si publicanum excepisset. Nunc autem vno verbo & absentes inuadit, & vulnera presentis laceffit. Non est autem gratiarum actio inue-

ctiua aliorum. Si regratias Deo, ipse tibi tantum sufficias, nec te ad homines transferas, nec proximum condemnes. *Basil.* Discrepat autem elatus à conuiliatore sola habitu. Is enim in alios vitur conuiliis, hic autem se mentis temeritate extollit. *Chry.* Qui autem aliis conuiliatur, sibi & aliis multa mala facit. Primò enim audientem reddit peiorem, quia si sit peccator, fit lætior criminis inuento collega: si sit iustus, extollitur per aliena crimina inductus de se magna putare. Secundò communitatem ecclesiæ lædit: non enim omnes audientes vituperant eum solum qui peccauit, sed ritu Christiano contumelias incedunt. Tertiò Dei gloriam blasphemare facit, sicut enim rectè agentibus nomen Dei glorificatur, sic nobis peccantibus blasphematur. Quartò eum qui audiuit opprobria confundit imprudentiorem eum & aduersarium faciens. Quintò statuit se pœnæ obnoxium, rebus prolatis quæ sibi non conueniant. *The.* Expedit autem non solum declinare à malo, sed etiam agere bonum. Et ideo cum dixisset: *Non sum sicut adulteri,* subiungit per oppositum: *ieiunio bis in sabbato.* Sabbathum hi dicebant hebdomadam ab vltima die quietis, Ieiunabant enim pharisæi secunda & quinta feria: sic igitur ieiunia obiecit contra passionem adulterij, nam ex voluptate est lasciuia. Rapacibus verò & iniustis opposuit decimarum solutionem. Sequitur enim: *Decimas de omnibus, &c.* Adeo rapinas & nequitas refugio, vt etiam mea contribuam. *Grego. 29. mo.* Ecce, ciuitatem cordis sui insidiantibus hostibus per elationem aperuit, quam frustra per ieiunium, & orationem clausit. Incautum munita sunt cætera, cum locus vnus de quo hosti patet aditio munitus non est. *Aug. de ver. do.* Quere autem in verbis eius, nihil inuenies quod Deum rogauerit: ascendit quidè orare, noluit Deum rogare, sed se laudare, & rogati insultare: publicanum autem cordis conscientia remouebat, sed pietas applicabat, vnde sequitur: *Et publicanus à longè stans, &c. Theoph.* Quamuis autem publicanus itersse dicatur, distabat autem à Pharisæo tam verbis quam habitu, nec non & corde contrito. Nam verebatur oculos leuare in cælum, censens indignos visionis supernæ eos qui mauerunt bona terrena spectare & querere: nec non & pectus tondebat. vnde sequitur: *Sed percuti. ps. suum,* cor quodammodo pungens causa cogitationum præuarum, nec non & excitans vt dormitans. vnde non aliud quam Deum propitiatorum perebat. sequitur enim: *Dicens, Deus propitius, &c. Chry.* Audiuit quia non sum velut hic publicanus, nec indignatus sed compunctus detexit ille vulneris, querit hic medicinam. Nemo igitur illud frigidum proferat verbum, Non audeo, pudor sum, non possum aperire os. Talis reuerentia est diabolica, vult tibi diabolus obserare fores accessus ad Deum. *Aug. de ver. do.* Quid igitur miraris si Deus ignoscit, quando ipse agnoscat? de longinquo stabat, Deo tamè appropinquabat, & eum dominus de prope attedebat. Excelsus enim dominus, & humilia respicit, nec oculos ad cælum leuabat vt respiceret, tremebat conscientia, spes subleuabat: percutiebat pectus suam, pœnas de seipso exigebat, propterea dominus confidenti parcebat. Audisti superbum accusatorem, audisti humilem reum. Audi nunc iudicem dicentem: *Amen dico vobis, Descendit hic iustiss. in do. suam ab illo.* *Chry.*

*Chry.* Geminos autigas, & duas bigas in stadio positas sermo præfens proponit: in altera quidem iustitiam cum superbia, in altera peccatam & humilitatem: & vides bigam peccati superari iustitiâ, non propriis virtutibus, sed humilitatis coniunctâ. Illam verò deuictam non fragilitate iustitiæ, sed mole & tumore superbiæ: nam sicut humilitas per sui eminentiam peccati pondus superat, & saltens attingit Deum: sic superbia ob sui molem de facili iustitiam deprimit, si ergo plura facta strenuè geras, putas autem te posse præsumere, tota caruisti oratione. Si verò mille feras in conscientia facies reatum, & hoc solum de te credas, quod es infimus omnium, multam obtinebis ante Deum fiduciam. Et ideo suæ sententiæ causam assignans subdit: *Quia omnis qui se exal. humili. & qui se hu. exal.* Humilitatis nomen multiplex est. Est enim quædam virtus humilitas, secundum illud: Cor contriti, & humili. Deus non despicies. Est & humilitas ab ærûnis, iuxta illud: Humiliauit in terra vitam meam. Est & humilitas à peccatis & superbia & infatigabilitate diuitiarum. Quid enim humilior his qui se submitunt in diuitiis & potentari? & hæc reputant magna. *Basil.* Similiter etiam & exaltari laudabiliter contingit, quando, scilicet non humilia cogitas, sed mens tua est per magnanimitatem in virtute erecta. Talis autem animi celsitudo est eminentia in tristitiis terrenorum contemptus, cõuersatio in cælis: & videtur huiusmodi mentis sublimitas eandem habere differetiam ad elationem quam arrogantia patit, quam habet corpulentia corporis bene dispositi ad inflationem carnis cum ex hydropis tumet. *Chry.* Hæc igitur factus inflatio ab ipsis cælis potest deprimeri non cauentem, humilitas verò & ab ipsa abyssu reatum hominem sublimare: hæc enim præ Pharisæo publicanum saluauit, latronem autem apostolos in paradysum duxit: illa verò etiam incorpoream ingressa est potestatem. Cæterum si iuxta delicta humilitas tam faciliè currit vt superbia iustitiæ transeat, si iustitiæ cõiunxeris eam, quomodo non ibit? assistet ipsa tribunali diuino in medio angelorum cum fiducia multa. Rursus si factus coniunctus iustitiæ eam deprimeri potuisset, si coniunctus sit peccato, in quandam gehennam detrudet. Hoc dico non vt negligamus iustitiam, sed vt factum vitemus. *Theo.* Sed fortissimè mirabitur aliquis, quomodo Pharisæus cum pauca verba suæ laudis protulerit, condemneretur, Iob verò cum plurima fuderit, coronatur. Ed, scilicet quod Pharisæus talia dicebat criminando alios nulla ratione cogente, Iob verò videntibus enim amicis & pressuris prementibus coactus est proprias virtutes referre ad Dei gloriam, ne homines desisterent à profectu virtutis. *Bed.* Typicè autem Pharisæus est populus Iudæorum qui ex iustificationibus legis extollit merita sua, publicanus verò gentilis est, qui longè à Deo positus consistetur peccata sua: quorum vnus superbiendo recessit humiliatus, alter lamentando appropinquare meruit exaltatus.

### S. IO. CHRYSOSTOMI

*Episcopi Constanc. in superius Euang. De Publicano & Pharisæo Concio: Ioa-chimo Peronio Benedictino Cormæriaceno interprete.*

*Principium videtur deesse.*

**Q**uemadmodum enim nubium concursus principio quidem caliginosum aëra facit, postquam autem se inter se contigerunt nubes, deposita omni pluuia, totum cælum, mundumque tranquillam, & lætum reddit: sic etiam inertia, & desidia, quando incus in animo versatur, rationi, mentique nostræ tenebras offundit: postea verò quam orationis verbis, & lachrymis, quæ illius sunt comites, expellitur, & foras eijcitur, magnam infundit alacritatem in animum, Dei præsidio, quasi radio quodam relicto in mente eius, qui precatur. Sed aliquis frigidus dicit: Nō audeo multis verbis orare: pudore, cuius plenus sum, prohibeor: neque os aperire possum. Ab hoste proficiscitur hæc religio, & metus: desidia sunt istæ excusationes. Fores enim aditus ad Deum tibi vult Diabolus occludere. Non audeo, inquit, loqui. Magna quidem certè est fiducia, te ipsum non audent loqui existimare: quæ admodum summus pudor est, & condemnatio, existimare te habere fiduciam. Si enim multa in te rectè facta sint, nec vilius sceleris te angat conscientia, & te fiduciam habere putes, omnem salutem amisisti. Et, si innumerabilibus peccatis te inquinatum esse scias, atque hoc vnus tibi persuadeas, te postremum esse omnium, magna tibi apud Deum est fiducia. Atqui non est hoc humilitas, eum, qui peccator sit, peccatorem se esse profiteri. Humilitas & modestia est, cum aliquis sciens in se multa, & magna præclare facta inesse, nihil magnum de se ipse sentit. Neque enim eos modo, qui demisso animo sunt, sed eos etiam, qui peccata sua ex animo, atque simpliciter enumerant, recipit, & probat Deus, estque propitius, & clemens ijs, qui hoc sunt animo cõstituti. Vt autem discas quanta virtus sit, nihil magnum de se sentire, duos mihi autigas constitue, qui ratione ad curriculum venerint, currusque iugauerint, & coniunxerint, alterum iustitiam, & superbiam, alterum peccatum, & modestiam: tum videbis peccati iugum iustitiam vincere, non vi sua, sed vi paris suæ, modestiæ: contraque illud superatum non iustitiæ imbecillitate, sed pondere, ac mole arrogantis. Vt enim modestia præstati sua lenitate peccati grauitatem, & pondus superat, & ad Deum properat ascendere: sic arrogantia magno suo pondere summam grauitatem vincere potest, seque facile deorsum trahere. Atque vt hoc iugum illo crassius intelligas, age verba Euangelij, quæ modo à nobis recitata sunt, proponamus. *Homines duo ascendunt in templum, vt orarent, vnus Pharisæus, alter Publicanus.* Aurigæ duo in stadium perueniunt: Pharisæus iustitiam, siue virtutem cum superbia coniunxit, Publicanus peccatum cum modestia. Otabat Pharisæus hæc dicens: *Deus, gratias ago tibi, quod non sum vt cæteri homines, raptores, iniusti, aut etiam vt hic Publicanus.* O mentiam! ô summam arrogantiam! ô exuperantem iactationem! Nō fati-

*Habetur in bello separatum excuso.*

tiavit eius insaniam, & amentiam omnis natura hominum ad probra obijcienda, sed in publicanum etiam, qui in propinquo erat, cum magna dementia inuasit. Quid igitur ille, propulsavit ne probra non acerbe tulit accusationem, sed maledictum, quod iactatum est, a quo animo accepit: ex inimici telo medicinam, ex vituperatione laudem, ex accusatione coronam consequutus est. *Deus, gratias ago tibi, quod non sum qualis sunt multi homines, vel etiam qualis hic publicanus. Ieiunio bis sabbato decimam do eorum, quae possideo. Quid miser loqueris? Gloriaris in ieiunio, & non sentis tantam morborum contemptiopem? Arrogantiae tuae immodicam magnitudinem non vides? Culicem excolas, & camelum deuoras: & cum legis te dicis discipulum, quod scriptum est, ignoras. Laudet te proximus, non os tuum: alienus, non labia tua. Publicanus autem a longe stans, nolebat etiam oculos leuare in caelum, sed percussit pectus suum, dicens: Deus propitius esto mihi peccatori.* Audiuit humanitatis plenus Deus humilia, abiecitque verba; statimque corona illum donauit. *Dico vobis, descendit hic iustificatus in domum suam.* Tantum est bonum modestiae: tantum est lucrum, non morderi aliorum conuiuijs, nec offerri ad contumelias proximorum. Licet enim tibi etiam magnam, generosamque fructum, qui etiam publicano euenit; decerpere. Accepit enim probra peccata depoluit, & eluit. & cum dixisset: *Propitius esto mihi peccatori, descendit iustificatus in domum suam ab illo:* ieiunioque facta superauit, & adionem verba vicerunt. Ille enim iustitia amictus erat, & ieiunij, atque decimae: hic autem nudum verbum protulit, & peccata deleuit omnia. Neque enim verba tantum Deus audiuit, sed etiam mentem, ex qua haec promebatur: inuentaque mente, quae abiecit, contritaque esset, misertus est, humanumque se praebuit. Haec autem non edico, vt peccemus, sed vt demisso animo simus. Si enim publicanus homo, audito summo improbitatis genere, cum non solum se summi esse gessisset, verum etiam a quo animo peccata dixisset, atque id, quod erat, professus esset, tantam a Deo benivolentiam, studiumque impetrauit: quantum praesidium, & auxiliu[m] ijs, qui magna, praeclearaque facinora peccerunt, nihilque magnum de se sentiunt, ab eodem accipient? Itaque admono, vt assidue confiteare. Neque enim te ad theatrum duco conferuorum tuorum; nec te cogo peccata tua hominibus enuntiare: conscientiam tuam Deo expone: ei ostende facta & vulnera, & ab eo medicinam pete. ostende te non exprobranti, sed curanti. Vt enim taceas, tamen scit ille omnia. Dic ergo, vt lucrifacias: dic, vt deposita sarcina, illuc liber, atque solutus a peccatis abeas, & ab illa publicatione intolerabili liberere. Pueri tres in fornace viuebant, vitamque pro Domini confessione profuderant, & tamen post tot, & talia facinora dicunt: Non est nostrum os aperire: pudor, & probum seruos tuos oppresserunt. Os igitur nostrum aperiamus, vt hoc ipsum dicamus, non esse nostrum aperire os, atque hoc ipso Dominum attrahamus. Vis precum vim ignis restinxit: leonum furorem: represit, bella sedauit, pugnas diremit, tempestates mitigauit, daemones expulit, caeli portas aperuit, mortis vincula dirupit, morbos profligauit, calumnias dissoluit, ciuitates motibus agitatae constituit, & plagas atque mala, quae ex superio-

*Haec de confessione publica intelleguntur.*

re loco delabuntur, & hominum insidias, mala denique omnia sustulit. Orationem rursus dico, non eam, quae omnino ore profertur, sed eam, quae ex imo pectore mittitur. Vt enim arbores omnes, quae altas radices egerunt, si etiam mille ventorum impetus recipiant, non franguntur, nec euelluntur, quod radices tuto terrae altitudine coercentur: sic etiam preces, quae deorsum ex imo pectore emittunt, nixae sibi, tuto ad superiora contendunt, nec villo cogitationis incursu defleunt. Itaque Propheeta ait: De profundis clamaui ad te, Domine. Haec dico non modo vt laudetis, sed vt etiam in operibus specimen vestri edatis. Si enim hominibus suarum calamitatum enuntiatione, & malorum, quae oppresserunt, deploratio, iis, qui in dolore sunt, quandam afferit consolationem, quod oratione ipsa quasi quaedam respiratio pariat: quantum magis si cum Domino tuo animi tui morbos communicaueris, oblectationem quandam capies, magnamque alacritatem. Nam homo quidem eum, qui secum dolet, atque lamentatur, offendit, dolorumque eius auget, & pellitur: Deus autem non ita facit, sed admittit, & allicit: ac si totos dies cum eo miserias, malaque tua communicaueris, tum magis gaudet; & annuit precibus tuis. Hoc igitur Christus ipse ostendens, dicebat: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Vocat, ne surdos nos praebearius, allicit, ne discendamus. Vt enim sexcentis peccatis, scelentibusque contaminati simus, tamen facilius, atque oculus accurramus, praesertim cum tales vocet. Non enim veni, inquit, vocatum iustos, sed peccatores ad penitentiam. Vocat eos, qui toto corde, & ex animo dicunt: *Deus, propitius esto mihi peccatori:* atque hic eos, qui onusti sunt, eos, qui laborant, eos, qui ex immensitate peccatorum laborant. Deus consolationis dicitur, Deus misericordia. Quoniam hoc semper eius officium est, eos, qui doloribus afficiuntur, consolari, etiam si mille peccatis inquinati sint, tantum nos promoueamus, tantum ad eum confugiamus, nec discendamus: tum denique eorum, quae dicta sunt, re ipsa veritatem intellegemus, neque res vlla nobis dolorem, atque tristitiam poterit afferre, si contentam, & diligentem, accuratamque orationem habeamus: quod si accesserit, non facile ea duce repellimur. Equidem mirum, si mala, & pericula, quae homines opprimunt, vis orationis solet tollere, cum etiam peccatorum naturam facile conficiat, & deleat. Quapropter, vt facile huius vitae cursum conficiamus, omniaque ea peccata, quae contraximus, deponamus, & abijciamus, atque cum fiducia stemus pro tribunali Christi: hanc quasi medicinam semper, & assidue nobis paremus, eamque conficiamus, & condiamus lachrymis, studio, continuatione, & perseverantia. Sic enim semper salute perfruemus, eaque bona, quae futura sunt, assequemur, quae vti nam nos omnes assequamur Domini nostri Iesu Christi munere, & humanitate, cum quo & Patri, & Spiritui sancto, & nunc, & semper ad omnem aeternitatem gloria tribuatur, Amen.

S. TITI

S. TITI BOSTRORVM  
Episcopi superioris Euangel.  
expofitio.

*Dixit autem ad quosdam, qui in se confidebant, etc.* Per parabolam de Publicano & Pharisaeo, qui vnus ex eorum numero erat, qui in se confidebant, tanquam iusti, & alpernabantur ceteros, benignus Deus, & dominus noster Iesus Christus nos docet, qua ratione hominem orare oporteat, ne orando frustraneam operam sumat, hoc est, ne per ea, per quae rem se facturum existimabat, eum contra se concitet, a quo omnia caelestia charismata, tanquam a fonte dimanant. Scriptum est enim: est iustus, qui in iustitia sua perit. Nam & Pharisaeus quoque, hoc loco ea de causa condemnatur, quod orationem instituisse nimis insulam, nimisque inscitam, & imprudentem. Multa enim errata ex illa, contra illum depromi possunt. Nec enim ipse tantum seipsum admirabatur, id quod stultorum proprium est; sed multos praeterea vna cum ipso Publicano condemnabat, scelerumque reos praenunciabat. At vero Publicanus ab ipso condemnatus, ne oculos quidem ad caelum tollere audebat; verum omni propemodum animi fiducia destitutus; conscientiaque stimulis grauiter agitatus (vt qui Dei leges nullo se loco sese habuisse non ignorare) vel in diuinum solum conspectum prodire nefas ducebat. Summum igitur peccatum tendens, quaeque admiserat delicta, humiliter confitens, & animi morbum Deo tanquam medico pandens, ad misericordiam illum prouocabat, & inclinabat. Quomobrem, vt iustus iudex testatur, descendit hic iustificatus in domum suam ab illo. Haec itaque audientes, prudenter virtutum studia exerceamus; Nemo autem harum rerum causa in superbiam, & fastum efferatur. Quin ea potius mente recolat, quae Christus dominus sanctis Apostolis alicubi praedicat, Cum, inquit, omnia feceritis, quae praecipita sunt vobis, dicite: serui inutiles sumus; quod debuimus facere, fecimus, & ante hanc locum, Omnis, qui se exaltat, humiliabitur; & qui se humiliat, exaltabitur. At stupore, inquit, & admiratione dignum est, quomodo Pharisaeus, dum gratia quaedam de se iactat, impegit: Iob vero, qui multo plura, multoque maiora de se deprompserat, laudem promeruerit? Audi breuiter. Pharisaeus nemine profus instigante, vel irritante, magna de se fundens, vniuersoque terrarum orbi sese anteponebat, merito offendit, vt qui superbiae morbo sese laborare manifestis argumentis prodiderit; Iob vero, quousque probabatur, suas virtutes & praerogatiuas omnino occultas habebat. At vero cum iniuste accusabatur, ea coactus in mediis attulit, quae ad depellenda crimina falso ipsi imposita, facere videbantur. Quod ergo celebris Iob fecit, hoc ab omni noxa alienum fuit, tota nimirum culpa penes illos residente, qui inique illum accusauerant. Haec Pelusioti.

BEDAE VENERABILIS  
presbyteri in idem Euang. expofitio.

*Dixit autem et ad quosdam qui in se confidebant tanquam iusti, etc.* Quia parabolam dominus, qua

semper orare, & non deficere docebat, ita concludit vt diceret veniente iudice, difficile fidem in terra repertiendam, ne quis sibi forte de superuacua fidei cognitione vel etiam confessione blandiretur, mox altera iuncta parabola diligentius ostendit a Deo fidei non verba examinanda, sed opera. Inter quae nimirum opera, maxime regnat humilitas. Vnde & supra cum fidem grano sinapis minuto quidem, sed ex contritione flagranti compararet, quasi exponendo subiunxit: Cum feceritis omnia, quae praecipita sunt vobis, dicite serui inutiles sumus. Cui contra superbi cum nequaquam omnia, sed modicum quid eorum, quae praecipita sunt faciunt, non solum mox de sua iustitia praesumunt, sed & infirmos quosque despiciunt, atque ideo quasi fide vacui cum orauerint non exaudiuntur. *Duo homines ascenderunt in templum vt orarent, etc.* Publicanus humiliter orans, ad illam praefatae viduae, hoc est, Ecclesiae membra pertinet, de quibus supra dicitur; Deus autem non facit vindictam electorum suorum clamantium ad se; Pharisaeus autem merita iactans, ad ea, de quibus terribilis in conclusione sententia subditur; Verumtamen filius hominis veniens, putas inueniet fidem in terra? *Pharisaeus stans, haec apud se orabat, etc.* Quatuor sunt species, quibus omnis tumor arrogantium demonstratur, cum bonum aut a semetipsis habere se aestimant, aut si sibi datum desuper credunt, pro suis se hoc accepisse meritis putant, aut certe cum iactant se habere, quod non habent, aut, despectis ceteris, singulariter videri appetunt habere, quod habent. Quia Pharisaeus iste iactantiae peste laborasse deprehenditur, qui idcirco de templo absque iustificatione descendit, quia bonorum operum merita sibi quasi singulariter tribuens, oranti publicano se praetulit. *Ieiunio bis in sabbato, etc.* Iezechiel Propheeta de ostensis sibi caeli animalibus scribit; Et totum corpus plenum oculis, in circuitu ipsorum quatuor. Corpora quippe animalium idcirco plena oculis describuntur, quia sanctorum actio ab omni parte circumspicienda est, bona desiderabiliter prouidens, mala solerter cauens. Sed nos saepe, dum alijs rebus intendimus, fit vt alia negligamus. Et vbi negleximus, ibi proculdubio, oculum non habemus. Nam ecce Pharisaeus ad exhibendam abstinentiam, ad impendendam misericordiam, ad referendas Deo gratias oculum habuerat, sed ad humilitatis custodiam non habebat. Et quid prodest quod contra hostium insidias pene tota ciuitas caute custoditur, si vnum foramen apertum relinquitur, vnde ab hostibus intrerit? *Et publicanus a longe stans, etc.* Quantam veniae fiduciam digni poenitentibus praebet, quod publicanus, qui reatum suae nequitiae perfecte cognouit; fletuit, confessus est, & si iniustus ad templum venit, iustificatus a templo rediit. Typice autem Pharisaeus Iudaeorum est populus, qui ex iustificationibus legis extollit merita sua. Publicanus vero gentilis est, qui longe a Deo positus confitetur peccata sua. Quorum vnus superbiendo recessit humiliatus, alter lamentando appropinquare meruit exaltatus. *Quia omnis qui se exaltat humiliabitur, etc.* Et de vtroque populo praefato, & de omni superbo, vel humili recte potest intelligi, sicut & illud, quod alibi legimus; Ante ruinam exaltatur cor, & ante gloriam humiliatur. Quapropter & de verbis elati Pharisaei, quibus humiliari meruit, possumus



sumus ex diuerso formam humilitatis, qua sublimemur, adsumere, vt sicut ille consideratis & peiorum vitiis, & suis virtutibus est elatus ad ruinam, ita nos non nostra solum pigritia, sed & meliorum virtutibus inspectis, humiliemur ad gloriam, quatenus vnusquisque nostrum hæc apud se supplex, ac summissus obsecret; Deus omnipotens, miserere supplici tuo; quia non sum sicut innumer serui tui, contemptu sæculi sublimes; iustitiæ merito gloriosi, castitatis laude angelici, velut etiam multi illorum, qui post flagitia publica penitendo tibi meruerunt esse deuoti. Qui etiam si quid boni tua gratia largiente fecero, quo sine hoc faciam quæue à te districtione penitetur, ignoro.

ERICI IN SVPERIVS  
Euang. Homil.

Luc. 18. Sensus huius lectiois heret per omnia superioribus, vbi dominus discipulos ad instantiam orationis prouocat, iudicis Deum non timentis, & viduè inclamantis introducta parabola, quàmque hoc modo terminauit: Veruntamen filius hominis veniens, putas inueniet fidem in terra? Ne verò sibi quisquam improbe de fide applauderet, humilitatis illic documenta subiunxit, eam inter cuncta bonorum operum exercitia plus valere, matrèmque virtutum esse demonstrans, sicut constat superbiam vitiorum omnium caput existere. Ad huius ergo singulare meritum declarandum vsus est comparatione duorum hominum, in altero quidem humilitatem laudans, in altero superbiam reprobans, Duo, inquit, homines ascenderunt in templum, vt orarent, &c. Videns Dominus quosdam Iudæorum de facta se sanctitate extollere, ad per hoc quasi excellentioris meriti essent cæteris præferre, hanc parabolam dedit in medium, in qua & virtus humilitatis præcipuè commendatur, & præsumptiua superbia quàm sit cauenda ostenditur. Dixit autem, inquit euangelista, ad quosdam, qui in se confidebant tanquam iusti, &c. Nobile illud templum & toto orbe famosum, quod à Salomone Hierosolymis affluentissimis sumpibus fuerat ædificatum, in eminentiore ipsius ciuitatis parte situm fuerat, in monte videlicet Moria. Pulchrè igitur dictum est, ascenderunt, quia ciuitas Hierusalem in cliuo montis, hoc est, in descensu sita ex parte erat in monte, & ex parte in valle: templum autem Domini, vt diximus, in eminentiori loco ipsius ciuitatis fuit collocatum: & qui ad illud venire cupiebat, necesse erat vt illic ascendendo perveniret. Vnde & in sequentibus legitur; Descendit hic iustificatus in domum suam ab illo, hoc est, templum: vel descendit iustificatus publicanus ab illo, id est, ex comparatione Pharisei. Et in alio euangelio homo legitur descendisse ab Hierusalem in Iericho, & incidisse in latrones. Causa quoque ascensionis eorum subditur; Et orarent. Ad hoc enim illud templum constat ædificatum, vt ibi populus rum primitiua sua, & reliqua quæ in lege præcipiebantur, offerret: tum etiam pro se, sui que regni statu, certis temporibus postularer. Ex his autem duobus hominibus, qui ascenderunt in templum vt orarent; vnus erat Phariseus, & alter publicanus. Pharisei, clerici, & presbyteri erant Iudæorum, qui pro

Luc. 10.

eo quod à cæteris se diuidebāt, tanquā sanctioris, ac potioris meriti, diuisi interpretantur, à Phares filio Iudæ mutuo vocabulo. E quibus iste fuisse deprehenditur, qui arrogancia tumens, in templum ascendit, non tam Deum oraturus, quàm se laudaturus. Publicani autem dicebantur, vel qui publicis flagitiis incumbebant, vel qui publicis negotiis inleuebant, vestigalia reipublicæ perfoluentes, id est, telonarij, vel etiam omnes qui per fas, & nefas diuitias sibi accumulabant. Deinde publicanus iste ad membra supradictæ pertinet mulieris, sanctæ Ecclesiæ, de quibus supra dicitur; Deus autem non faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se? Phariseus verò ad illos, de quibus formidabilis in conclusione sententia subditur; Veruntamen filius hominis veniens, putas inueniet fidem in terra? Phariseus stans, hæc apud se orabat. Quod stans phariseus hic orasse perhibetur, ad morem illius populi referretur, qui ad templum Domini venientes, non solo prostrati, sed toto corpore erecti orare consueverant, quod gestus corporis attestatur. Deus, gratias tibi ago, quia non sum sicut cæteri hominum. Quatuor species à sanctis doctoribus numerantur, quibus omnis tumor arrogantium deprehenditur. Prima quidem species est, cum homo putat se habere bonum, quod non habet; quem sententia Apostoli ex obliquo repercutit, dicens; Si quis existimat se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit. Secunda species est, cum aliquis bonum quod habet, à seipso se arbitratur habere, diaboli profecto imitans, qui per elationem dixit; Nescio dominum. Et; Ego feci me ipsum, quem redarguit Apostoli sententia, dicens; Quid enim habes, quod non accepisti? Tertia verò est, cum quilibet est bonum quidem quod habet, cælitus sibi datum nouit, sed tamen hoc pro suis meritis se accepisse confidit, contrarius Apostolo Paulo dicenti, Quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Quarta nihilominus est, cum singulariter se aliquis bonum putat habere, & cæteris despectis, specialiter bonus videri appetit. Quo morbo phariseus iste potissimum laborasse probatur, qui sub quadam generalitate, omnibus in se se positus, suaque præponderans merita, etiam publicano orare se prætulit. Deus, inquit, gratias ago tibi quia non sum sicut cæteri hominum, raptores, iniusti, adulteri, velut etiam hic publicanus. Raptores sunt, qui per vim aliena diripiunt: Iniusti, qui legem Dei, quæ summa, perfecta que iustitiæ index est, non custodiunt: adulteri, qui alienum thorum violant. Ieiunio bis in sabbato. Si quem mouet, cur se bis in sabbato ieiunasse iacet, huiusmodi quæstio sub tali citius sensu dissoluetur: Iudæos omnes dies suos à sabbato computasse manifestissimè est, hoc modo: Prima sabbati, secunda sabbati, sicque reliqui à sabbato dies non occupantur vsque sabbatum: sicut & nos primam, & secundam feriam dicere constat. Non incongruè hoc loco nomine sabbati tota hebdomada intelligitur, quæ sabbato clauditur, Nemo enim tam dementissimus esse potest, qui hunc in vna die bis, quod vti que impossibile est, ieiunasse putet. Bis ergo in sabbato, id est, duobus diebus in hebdomada ieiunasse se perhibet. Decimas do omnium que possideo. Lege præcipiebatur, vt filij Israel annuatim omnium rerum suarum Domino decimas darent. Sed scribæ, & pharisei, vt cæteris decimas dantibus sanctiores

Luc. 11.

Galat. 3.

Exod. 22.

Exod. 22.

Rom. 12.

Exod. 12.

apparerent, non modò reditus frugū, verum etiam minima queque olerum decimabant. Vnde & dignè alibi à Domino redarguuntur, cum dicitur; Væ vobis, scribæ, & pharisei hypocritæ, qui decimatis mentam, & anethum, & cyminum, & relinquitis quæ grauiora sunt legis, hoc est, altiora præcepta legis, dilectionem videlicet Dei, & proximi, vel iudicium, & misericordiam. Hoc loco breuiter commemorandum, quod Ezechiel propheta in mysticissima visione, quam refert sibi apparuisse iuxta fluuium Chobar, inter reliqua dicit se vidisse quatuor animalia plena oculis antè, & retrò. Quæ cum multiplicibus sint referta mysteriorum sensibus, speciatim sanctorum symboli præferunt. Hæc ergo animalia rectè vndique oculata esse dicuntur, quia sanctorum actio vndique magna vigilantia cura circumspecta est. Ita enim bona desiderabiliter prouident, vt mala quæque solerter caueat. Sic denique terrenorum sese impendunt actibus officiorum, vt à cælestibus non secernant animum. Sic postremò nouerunt frui temporalibus, vt semper intèdant æternis: tantòque etiam in bonis, quæ agunt, solliciti, & prudentes sunt, quato hostis versutissimi fraudes etiam in bonis subrepere solere non nesciunt. At hi, quos minima vel nulla sui cura exercet, dum aliis intendunt, frequenter alia negligunt: multumque hic sanctis dissimiles animalibus, circumspectionis oculos prouidè ad cuncta non porrigunt. Quod huic Phariseo accidisse deprehenditur, qui ad Deo gratias agendas, ad elemosinam dandam, ad ieiunia faciendâ sagaci oculo intèdit, sed ad humilitatis obseruantiam negligenter torpuit, & quasi omnes suæ ciuitatis aditus diligenter emuniens, superbiam cicarricem reliquit, per quam feroci hostium deprædationi subiacuit. Quemadmodum enim nihil prodest, quod tota ciuitas contra hostium custoditur incursum, si vnum in ea foramen relinquatur, per quod ab hostibus intretur: sic nihil iuuat, quod multas virtutes congregamus: si vnum nobis vitium relinquamus, per quod à diabolo capiamur, Et publicanus à longè stans, nolebat nec oculos ad cælum leuare, sed percutiebat pectus suum. Quot in phariseo signa præcessere superbiæ, tot consequenter in publicano humilitatis indicia describuntur. Ille enim sua merita prædicare, aliis se potiore ostendere: econtrâ iste suorum confessione peccatorum, demissione luminum, pectoris insuper verberatione diuinitatem sibi conciliat. A longè stabat, quia se & peccatorem, & prophanum veraciter intelligens, sanctuario appropinquare non audebat. A longè vti que stabat, quia peccatò se longè à Deo recessisse nouerat. Oculos ad cælum leuare nolebat, quia sciebat se illum, qui in cælis est, grauius offendisse illicita conspiciendo: indignum certè existimans iisdem obtutibus Deum vel Dei templum aspicere, quibus ad concupiscendum illicita plurima fuerat cõspicatus: necdumque eorum numero se sociare audebat, qui de peccatorum indulgentia filij, cum Psalmista dicunt; Ad te leuauit oculos meos, qui habitas in cælis. Pectus quoque suum percutiebat, quoniam se nouerat plurima ibi cogitasse nefanda, vnde Deum offendere: & quasi supplicium sibi de seipso exigens, veniam scelerum non tam impetrabat, quàm extorquebat à domino. Deus, inquit, propitijs esto mihi peccatori. Magna precis breuitas, sed mira, robu-

Matth. 23.

Exod. 12.

Matth. 23.

Matth. 23.

flaque deuotione commendata, quæ & iudicis sententiam permutaret, & ex iniusto iustificatum derepentè publicanum efficeret. Vnde sequitur; Dico vobis descendit hic iustificatus in domum suam ab illo. Maxima fiducia sub exemplo istius publicani dignè penitentibus prærogatur: Qui quoniam culpas præteritas humiliter desinit, quamuis iniustus ad templum venerit, iustificatus tamen à templo recessit. Quod verò dicit; Ab illo, dupliciter authores exponunt, vel ab illo scilicet templo: vel ab illo, subaudiendū, phariseo, id est, plusquam ille. Hæc quia ad literam per se eminent, si quid mysterij superest, requiramus. Duo isti homines, duorum est typus populorum. Phariseus quidem desmeritorum excellentia inaniter se efferens, iudaicum populum figuraliter exprimit, qui de acceptæ legis obseruantia tumuit, & redemptoris sui ad se in humilitate venientis aduentum superbamente recipere detrectauit: cum inter cætera, quæ culparum immanitas exposcebat, illic recto satis ordine peruenit, vt qui olim in prioribus patribus angelos hospicio receperat, iam secum ulterius habitare nolentes, in templo clamantes audiret: Recedamus ab his sedibus. Per publicanum verò, qui se humiliando, suaque peccata confitendo exaltari meruit, gentilis equè designatus est populus, qui Apostolicæ prædicationis veritate percepta, falsorum numinum portenta deseruit, suumque creatorem cõdigna penitudine sibi propitiare contendit: cuius dignè satis exaltationi contigit, vt qui pridem fuerat mancipium diaboli, efficeretur filius Dei. Qui quoniam ad Deum conuersus, peccata sua recognouit, & scelerum suorum perfectè penituit, solum veniam, sed etiam vt populum Iudæorum fidei dignitate præcederet, accepit. Quia omnis qui se exultat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur. Hæc sententia & de vtroque populo valet intelligi, Iudaico scilicet, atque gentili: quorum alter, vt dictum est, de diuinis beneficiis superbiens, humiliari: alter verò deuorè se in confessione peccatorum humilians, meruit exaltari: Et de omni superbo, & humili potest conuenientissimè accipi, concordante super hoc Salomonis sententia; Ante ruinam exaltatur cor hominis, & ante gloriam humiliatur. At videmus multos honoribus, & diuitiis huius sæculi florere, & in eis vsque ad finem perseverare: cernimus econtrâ nonnullos paupertate, & inopia laborare, & in eadem egestate vsque ad exitum vitæ permanere. Cum ergo isti in inchoata felicitate, & illi in pristina paupertate vsque ad terminum vitæ permaneant: quomodo verum esse constat, quod dominus dicit, omnem hominem exaltatum humiliari, atque humiliatum exaltari? Sed quoniam veritas falli non potest, sciendum quia si non in præfenti hoc semper adimpleri viderur, in futuro tamen complendum non dubitamus. Omnis enim qui in præfenti vita se exultat, vt diuinis præceptis se subdere contemnat, hic in die iudicij cum superbis & impijs sociatus, humiliari cogetur, à Domino auditurus; Ite in ignem æternum. Qui autem amore diuino hic se humiliare studuerit, imitans illum qui dicit; Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde: ipe in futuro iudicio à Domino exaltabitur, cum optabilem vocè audire meruerit; Venite benedicti patris mei. Nos autem non solum ex humilitate publicani

Præf. 18.

Matth. 23.

Matth. 23.



THEOPHYLACTI EPISCOPI *Bulgar. superioris Euang. expositio.*

**D**ixit autem et ad quosdam qui in se confidebant, etc. Non cessat dominus pluribus argumentis repurgare superbiam vitium. Plus enim aliis vitiis mentem humanam turbat, propterea saepe, & multum de hac docet. Denique & nunc peiorem eius speciem purgat. Multa enim sunt philantia germina. Opinio de se magna, arrogatia, & inanis gloria cupiditas ab hac pullulant. Perniciosior autem omnibus aliis est superbia, quae abominatio apud Deum est, quum quis non Deo, sed sibi sua bona opera tribuit, quid hoc aliud quam negare Deum est, & ei aduersari? Hoc igitur vitium cui dominus ita aduersatur, vt inimicus inimico, hac parabola medicari dominus pollicetur. Propter hoc enim, quod confidunt in seipsis, & non totum Deo tribuunt, sed alios per hoc exinanunt, haec dicit: & ostendit quod iustitia, quamvis alioqui sit mirabilis, & hominem Deo proximum constituat, quum superbiam admiserit, hominem in locum infirmum reiciat, & damnum reddat, qui iam se aequalem Deo fecerat. Similia itaque sunt verba pharisaei ab initio, grati hominis sermonibus. *Gratias enim habeo tibi, inquit, Deus: at cetera quanta referta sunt arrogantis? Non enim dixit, fecisti me abstinere ab iniustitia, & a rapina: sed quomodo? Non sum. Sibi ipsi attribuit bonum opus, & suo robori. At alios iudicare, quomodo est hominis scientis, quod a Deo habeat, quae habet? Omnino enim, si credidisset, quod per gratiam haberet aliena bona, non contempsisset alios considerans, quod etiam ipse aequae nudus esset, quantum ad suam virtutem attinebat. Gratis enim indutus est propter misericordiam: propterea superbus pharisaeus, tanquam propriae adscribens potentiae ea, quae dicta sunt, inde eo progressus est, vt & alios iudicet. Ostendit autem dominus & per stationem, superbiam eius, & humilitatis inopiam. Humilis enim viri est, & aspectu humiliari, hic autem & habitu, & gestu superbus agnoscebat. Quamuis autem & de publicano dictum sit, quod steterit, tamen vide & quae sequuntur, quod neque oculos in caelum voluerit extollere, vnde statio eius incuruata erat. Illius autem & oculi in caelum extollebantur, & cor simul extollebatur. Vide autem & in oratione pharisaei ordinem quid indicet nobis: primum quidem quod dixerit id, quod erat, & tunc enumeravit quae erant. Dixit enim; *Non sum sicut multi hominum.* Illa autem, & illa apposuit, quae virtutis erant, vt ieiunare bis in sabbato, & decimas dare de omnibus, quae possidebat. Oportet enim non solum declinare a malo, sed & facere bonum. Et prius oportet abstinere a malo, & postea virtutem aggredi: quemadmodum & fonte turbato, vt aqua pura defluat, prius lutum expurgandum, vt haurias puram aquam. Considera autem & hoc, quomodo non arripuerit paruum verbum, vt singulari nomine diceret: sed plurali numero in multos haec expuerat, dicendo: quia non sum vt adulteri apposuit, & dixit; *Ieiunio bis in Sabbato*, hoc est bis in hebdomada. Sabbatum enim hebdomada est, quae a consummatione, & quieto die nominatur. Sabet enim, quies. Sabbata autem hebdomadam dixit plurali numero. Vnde & vnam sabbatorum*

*Ecce author pie sentit de diuina opa quae nobis ad vicia declinanda, & virtutes excorruentias est necessaria.*

primam diem hebdomadae, quae apud nos est dominica, vocabant. Apud Hebraeos enim vnum, & primum idem signat. Est & alius profundior sermo. Nam contra adulterium gloriabatur de ieiunio: a deliciis enim petulantia. Ipse igitur corpus propter ieiunium compescens, a multis eiusmodi affectionibus liber erat. Ieiunabant autem pharisaei secunda, & quinta. Contra rapinam, & iniustitiam proferebat dationem decimarum omnium, quae possidebat. Tantum, inquit, contrarius sum rapinae, & iniustitiae, vt etiam, quae mea sunt, expendam. Decimarum enim datio videtur quibusdam simpliciter, & semel de lege praedicari: iis autem, qui profundius scrutantur, occurrunt tres decimarum dationes, quas introducit id, quod ex Deuteronomio discis, si diligenter intuearis. Et haec quidem pharisaeus. At publicanus diuersa. Longe enim stabat a pharisaeo, & gestibus, & sermone, & compunctione cordis distabat ab illo, non tantum loco. Verebatur enim oculos in caelum attollere, indignos iudicans, qui sursum spectarent, qui voluerant videre bona terrena, & illis frui. Et percussit pectus suam, cor videlicet propter malas cogitationes, & vt exciter, quod dormierat: & nihil aliud dicebat, quam *Deus propitius esto mihi peccatori.* Et propter haec omnia, descendit iustificatus in domum suam, magis quam ille, Immundus enim apud dominum omnis superbus corde. Et do. 1. 2. 3. minus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Verum admirabitur quis, quomodo superbus, quum pauca verba humilitatis pronuntiauerit, condemnetur: Iob autem, quum multa de se magnifice dicat, coronetur; Quia pharisaeus quidem, nullo cogente, stat talia nugans, & condemnans, alio nullo vsu vrgente; Iob vero, prementibus se amicis, & grauius incumbentibus quam calamitas ipsa, dicentibusque, quod propter peccata illa sit passus, compulsus est enumerare sua opera, idque propter gloriam Dei, ne scilicet homines a recto virtutum cursu exciderent. Nam, si comperissent homines peccata fuisse, quae fecerat Iob, & propter illa passum, cauisset, ne eadem facerent; factique insuper fuissent osiores hospitem, & inhospitales, immisericordes, & iniusti. Haec enim erant opera Iob. Igitur, ne multi inde incommoventur, eius gratia bona opera enumerat. Et causae quidem Iob tales fuere, vt ne dicamus quod & in iis, quae grandiloquentiam quandam sonant, non omnis resulget humilitas, Quis enim me dabit, inquit, iuxta menses dierum pristinorum, quando Deus me custodiebat? Vides quod omne Deo obtulerit, & non condemnet alios, sed ipse ab amicis condemnetur. Pharisaeo omnia in se, & non in Deum referenti, & absque necessitate condemnati alios, merito condemnatio ascribitur. Omnis enim, qui se exaltat, humiliabitur, Deo illum condemnante: qui autem se condemnando humiliat, exaltabitur a Deo iustificante. Dic igitur tu prior peccata tua, vt iustificeris.

EVTHYMII ZIGABONI *superioris Euang. expositio.*

**D**uo homines ascenderunt in templum vt precarentur, vnus pharisaeus, etc. Aperte vnum proposuit phari-

pharisaeum, & alterum publicanum: pharisaei quidem iusti videbatur, & publicani peccatores. *Deus, gratias tibi ago quod non sum sicut ceteri homines, etc.* Talia oras nihil aliud agebat, quam quod seipsum laudabat, ceteros vero homines, ac publicanum spernebat. At qui scriptum est; *Laudet te vicinus, & non os tuum, alienus, & non labia tua. Ieiunio bis in sabbato.* Sabbatum dicit hic totam hebdomadam. *Decimas do omnium, quae possideo.* Pauperum gratia. *Et publicanus procul stans, nec oculos ad caelum volebat attollere.* Non solum indignum se iudicans, vt prope staret, verum etiam vt in caelum intenderet. *Sed percutiebat pectus suum & dicens, etc.* Spreus a pharisaeo sese magis hinc condemnabat, & percutiebat pectus suum, ostendens, quod plagi dignus esset. *† Verberans enim pectus crimina confitetur, & tanquam morbum medico manifestans, precatur sibi miseri-*

*cordiam exhiberi.* *Dico vobis; Descendit hic iustificatus in domum suam potius quam ille. Hoc est, & non ille.* Siquidem, qui sese adeo iustificauerat, a Deo condemnatus est: &, qui sese adeo condemnauerat, a Deo iustificatus est: & illius quidem eminentias omnes, seu bona opera euacuauit iactantia: huius autem omnes defectus repleuit humilitas, siue propria delectio. Vide ergo quomodo breui tempore cordis affectus, & oris sermo, illius quidem multorum annorum iustitias, huius vero multorum annorum iniustitias corruperit. Hinc itaque discamus & nos, quomodo precari oporteat, & a miserabili statione, & ab habitu miseratione digno, & a verbis placantibus potius flectamus, nec iritemus Deum horum contrariis. *Quia omnia, qui sese extollit, deicietur, etc.* Haec omnino manifesta sunt.



DOMINICA XI. POST PENTECOSTEN.

MARC. 7.



**I**n illo tempore: Exiens Iesus de finibus <sup>a</sup> Tyri, venit per <sup>b</sup> Sidonem ad mare <sup>c</sup> Galilaeae inter <sup>d</sup> medios fines <sup>e</sup> Decapoleos, & adducunt ei <sup>f</sup> surdum & <sup>g</sup> mutum. Et <sup>h</sup> deprecabantur eum, vt imponat illi <sup>i</sup> manum. Et apprehendens <sup>k</sup> eum seorsum de <sup>l</sup> turba misit <sup>m</sup> digitos suos in auriculas eius. <sup>n</sup> Et expuere tetigit <sup>o</sup> linguam eius, & <sup>p</sup> suspiciens in <sup>q</sup> caelum <sup>r</sup> ingemuit, & ait illi: <sup>s</sup> Effeta quod est <sup>t</sup> adaperire. Et statim apertae sunt aures eius, & solutum est <sup>v</sup> vinculum linguae eius, & loquebatur recte. Et <sup>x</sup> praecipit illis, ne cui dicerent. Quantò autem eis <sup>y</sup> praecipiebat, tantò magis plus praedicabant, & eo amplius admirabantur, dicentes: Bene <sup>z</sup> omnia fecit, & surdos fecit audire, & mutos loqui.

GLOSSA ORDINARIA *in superioris Euangelium.*



**I**YRI. Hieron. Tyrus angustia, significans Iudaeam, cui dominus. Coangustatum est stratum, breue est pallium tuum: vt trunque aperire non potest, vt transferat se ad alias gentes. *Sidonem.* Hieron. Sidon, venatio, fera indomita, nostra regio vel natio est. *Decapoleos.* Bed. Regio decem urbium trans Iordanem ad Orientem. Quod autem dicitur: *Non ipsos eum intrasse significat, neque enim mare transiisse dicitur, sed vsque ad mare venisse: atque ad locum qui medios fines Decapoleos longè trans mare positos respiciebat.* Hieron. Saluator ad saluandas gentes ab Apostolis deducitur, & docet quod adolescenti interroganti respondit: *Nosti mandata, haec fac & viues. Surdum & mutum.* Bed. Qui scilicet nec aures verbis Dei audiendis, nec os proloquendis aperit. Quales necesse est, vt hi qui audire & loqui verbum Dei longo vsu didicerunt, domino sanandos offerant, vt eos, quos humana *Bibl. Hom. tom. 3. Pp 3 fragi*

<sup>a</sup> Angustia.

<sup>b</sup> Venatio.

<sup>c</sup> Fluctuosam volubilitatem.

<sup>d</sup> Alias contra.

<sup>e</sup> Mandata decalogi.

<sup>f</sup> Genus humanum. Quia audiuit desiderantes.

<sup>g</sup> Quia loquutum.

<sup>h</sup> Patriarcha vel propheta incarnationem dominus i. Misericordia.

<sup>k</sup> Alias illum.

<sup>l</sup> De strepitu mundi.

<sup>m</sup> Isidorus, verba, spiritus.

<sup>n</sup> Sapientiam. <sup>o</sup> Vt dicat. Credo in Deum patrem, &c. <sup>p</sup> Quasi homo. <sup>q</sup> Quia inde verba mutis, auditus surdis, medela cunctis infirmis. Docens corda ad dominum dirigere. <sup>r</sup> Gemere nos docuit, vel pro nostris vel pro nostrorum reatibus supplicantes.

<sup>s</sup> Vno sermone curauit, quia Deus. <sup>t</sup> Ad hymnos & cantica & Psalmos.

<sup>v</sup> Veruadet verbum bonum. <sup>x</sup> Quia non est in altis gloriandum, sed in cruce & humilitate.

<sup>y</sup> Humilitas praecedit gloriam.

<sup>z</sup> Hoc scilicet.

Luce. 18.



fragilitas nequit, gratiæ dextera saluet. Hierony. Genus humanum tanquam vnus homo varia peste absumptus in protoplasto, cæcatur, dum videt, surdus fit, dum audit, dum odoratur, emungitur, obmutescit, dum loquitur, mancus fit, dum manus erigit, incuruatur, dum erigitur, hydropicus fit, dum concupiscit, claudus, dum progreditur, lepra suffunditur, dum mundatur, dæmone impletur, dum diuinitatem appetit, moritur morte, dum audacter excusat. *Et deprecabantur.* Incarnationem Domini prophetæ & patriarchæ cupiebant. *Et apprehendens eum, &c.* Seorsum à turbulentis cogitationibus & actibus inordinatis sermonibusque incompositis educitur qui sanari meretur. Digni, qui in aures mittuntur, verba spiritus sancti, de quo dicitur, *Digitus Dei est hic.* Et, opera digitorum tuorum sunt cæli. *Tetigit linguam, &c.* Spuma de carne Domini, diuina sapientia, quæ soluit ignorantiam humani generis, vt dicat; Credo in Deum patrem omnipotentem, &c. *Seorsum de tur.* Bed. Prima salutis via est de turba educi. De turba educit dominus infirmum, cum mentem peccatis languidam visitando illustrat, & à consuetæ conuersationis moribus aduocat, & ad sequenda præcepta sua prouocat. Dignos autem in auriculas mittit, cum per dona spiritus sancti aures cordis ad intelligenda & suscipienda verba salutis aperit. Et quia cognitionem veritatis debet sequi confessio. Sequitur: *Et expuens te.* Cum scilicet ad confessionem fidei ora catechizatorum instruit. Sputum namque Domini est sapor sapientiæ quæ dicit: Ego ex ore altissimi prodij primogenita.

*Ezech. 4.* Vnde, sputo eius terræ commixto cæcus illuminatur. Sputum enim quod ex capite domini descendit, diuinam eius naturam exprimit, quæ ex Deo est. Portio terræ, cui sputum immixtum est, humanam significat naturam. Sic ergo ex sputo ac terra composito medicamēto oculos cæci nati aperuit quia genus humanum per confessionem virtusque suæ naturæ ab ingenitis errorum tenebris eruit. Expuens ergo linguam muti, vt loqui valeat tangit, cum ora diu bruta ad verba sapientiæ proferenda contactu suæ pietatis informat. *Et suspiciens, &c.* Hieron. *Ingeniuit.* Gemere nos docuit, & in cælum thesaurum nostri cordis erigere, quod per compunctionem cordis à frivola carnis læritia purgatur, vt dicitur; *Rugiebam à ge. cordis mei: Domine, ante te omne desid. meum, &c.* *Et ait illi: Effeta, quod est adape.* Corde creditur ad iusti. &c. *Et statim aperta, &c.* Aures apertæ sunt ad hymnos & cantica, & psalmos. Soluitur lingua, vt eructet verbum bonum: quod nõ possunt nec minæ nec verba cohibere vel prohibere. Vnde Paulus. Ego vincus sum, sed verbum Dei non est alligatum in me. *Et præcepit illis ne cui dice.* Non in virtutibus gloriandum esse docuit, sed in cruce & in humiliatione. *Quanto autem eis præci. &c.* Ciuitas in monte posita vndique circumspècta abscondi non potest: humilitas semper præcedit gloriam. *Adaperire.* Ad aures propriæ. Aures enim ad audiendum aperiendæ lingua vt loqui possit erat soluenda. Vnde sequitur: *Statim aperta, &c.* *Et loquebatur re.* Bed. Ille solus rectè loquitur vel dominum confitendo, vel aliis, prædicando: Cuius auditum vt cælestibus possit auscultare, & obsecundare mandatis diuina gratia referat: Cuius linguam dominus tactu sapientiæ, quæ ipse est ad loquendum instruit. Hic talis dicere potest:

Domine labia mea aperies, &c. *Quanto autem.* Sciebat ille, qui omnia nouit, antequam fiant, quod magis prædicarent, & hoc præcipiendo pigris voluit ostendere, quanto studiosius quantoque \* frequentius prædicare debeant, quibus iubet, vt prædicarent: quando illi qui prohibentur tacere non poterant.

CATENA AVREA  
in idem Euang.

*Et iterum exiens de finibus Tyri, venit per Sidonem ad mare Galilææ inter medios fines Decapoleos, &c.* Theoph. In gentiliū locis moram dominus facere non volebat: ne occasione Iudæis daret, vt transgressorem legis enim æstimaret quod se gentibus admiscebat, & ideo confestim reuertitur, vnde dicitur, *Et iterum exiens, &c.* Bed. Decapolis est regio x. vrbium trans Iordanem ad orientem contra Galilæam. Quod ergo dicitur quod dominus venit ad mare Galilææ inter medios fines Decapoleos, non ipsos fines Decapolis intrasse significat, neque enim mare nauigasse dicitur, sed potius ad mare vsque venisse, atque ad ipsum peruenisse locum, qui medios fines Decapolis longè trans mare positos respiciebat. Sequitur, *Et adducunt ei surdum, &c.* Theoph. Quod rectè post dæmoniacy liberationem ponitur: ex dæmonio enim talis passio erat. Sequitur, *Et apprehendens eum, &c.* Chryl. Seorsum à turba oblatum surdum & mutum apprehendit vt diuina miracula non faceret manifestè instruens nos vanam gloriam eicere & tumorem: nihil enim est ex quo aliquis sic miracula operetur, sicut si humilitatem colat, & modestiam sequatur. Misit verò digitos in auriculam potens verbo sanare, vt ostenderet quod diuina virtute dicatum erat corpus diuinitati vnitum, & operatio eius. Quia enim propter transgressionem Adæ, natura humana multâ incurrerat passionem, ac membrorum & sensuum læsionem, veniens Christus in seipso perfectionem demonstrauit humanæ naturæ, & propter hoc digitis aures aperuit & sputo loquelam dedit. vnde sequitur, *Et expu. re. ling. eius.* Theoph. Vt, scilicet ostenderet quod omnia membra sacri corporis eius diuina existunt & sancta, sicut & sputum quod vinculum linguæ dissoluit. Etenim omne sputum superfluitas est, sed in domino omnia diuina fuerunt. Sequitur, *Et suspi. in cæ. inge. &c.* Bed. Suspexit quidè in cælum: vt inde mutis loquelâ, inde auditum surdis, inde cunctis infirmatibus medelam doceret esse querendam. Ingeniuit autè: non quia ipsi opus esset cum gemitu aliquod petere à patre, qui cuncta petentibus donat cū patre: sed vt nobis gemèdi daret exempla, cum vel pro nostri, vel pro nostrorum erroribus proximorum supernæ pietatis præsidia innocamus. Chryl. Simul etiam ingeniuit nostram causam suscipiens in seipso, & naturæ misertus humanæ, videns miseriam in quam humanum genus inciderat. Bed. Quod autem ait, *Hephetaph, id est, adaperire*, ad aures propriæ pertinet: aures enim ad audiendum aperiendæ, lingua verò vt loqui posset à retinaculis erat suæ tarditatis soluenda. vnde sequitur; *Et statim aperta sunt au. &c.* Vbi vtraq; natura vnus & eiusdem Christi manifestè distincta est. Suspiciens quidem in cælum, quasi homo, Deum deprecatus, ingemuit: sed

sed mox vno sermone, quasi potens diuina maiestate curauit. Sequitur, *Et præcis ne cui dice.* Hiero. Per quod non in virtutibus gloriandum esse docuit, sed in cruce & humiliatione. Chryl. Præcepit etiam miraculum occultare, ne ante tempus accenderet Iudæos ad homicidium per inuidiam perpetrandum. Hierony. Ciuitas autem in monte posita vndique circumspècta abscondi non potest, & humilitas semper præcedit gloriam. vnde sequitur: *Quanto autem eis, &c.* Theop. Docemur autem ex hoc, cum alicui beneficia largimur, minimè, applausus, & laudes petere: cum verò accipimus beneficia, benefactores prædicare & laudare, quamuis nolint. August. de con. euang. Si autem sciebat eos, sicut ille qui notas habebat, & presentes & futuras hominum voluntates tanto magis prædicaturos, quanto magis ne prædicarent eis præcipiebat, vt quid hoc præcipiebat: nisi pigris volebat ostendere quod gaudiosius, quanto feruentius eum prædicare debeant, quibus iubet vt prædicent, quando illi qui prohibebantur, tacere non poterant. Glo. Ex prædicatione autem saluatorum à Christo, crescebat admiratio turbarum & confessio beneficiorum Christi. vnde sequitur, *Et eo amp. ad. di. Bene omnia fecit: hoc scilicet surdos fecit audire, & mutos loqui.* Hierony. Mysticè autem Tyrus interpretatur angustia, & signat Iudæam, cui dominus dicit. Coangustatum est stratum, à qua transfert se ad gentes alias. Sidon, venatio interpretatur. Fera autem in domita, nostra natio est, & mare, quod fluctuosa volubilitas est. Inter medios autem fines Decapoleos, quod interpretatur decalogi mandata, saluator ad saluandas gentes venit. Genus autem humanum per multa membra, quasi vnus homo varia peste assumptus enumeratur in protoplasto, cæcatur dum male videt, surdus fit cum audit, obmutescit cum loquitur. Deprecantur autem eum vt imponat illi manum, quia incarnatum fore dominum multi infiri & patriarchæ cupiebant & oprabant. Bed. Vel surdus & mutus est, qui nec aures audiendi verba Dei habet, nec os aperit pro loquendis, quales necesse est, vt hi qui loqui iam & audire diuina eloquia didicerunt, domino sanandos offerant. Hierony. Seorsum autem semper à turbulentis cogitationibus & actibus inordinatis sermonibusque incompositis educitur, qui sanari meretur. Digni autem qui in aures mittuntur, verba vel dona spiritus sunt, de quo dicitur, *Digitus Dei est hic.* Sputum autem diuina sapientia est, quæ soluit vinculum labiorum humani generis, vt dicat, Credo in Deum patrem omnipotentem, & reliqua. Suspiciens autem in cælum ingemuit, id est, gemere nos docuit, & in cælum thesauros nostri cordis erigere: quia per gemitum compunctionis intimæ friuola læritia carnis purgatur. Apertæ sunt aures ad hymnos, ad cantica & psalmos. Soluit linguam, vt eructet verbum bonum, quod non possunt nec verbera cohibere.

S. HIERONYMI PRESBYTERI in idem Euang. expositio.

*Et iterum exiens de finibus Ty. &c.* Et hic propriè narrat Marcus decimam virtutem. Tyrus interpretatur angustia significans Iudæam: cui do-

minus dicit: Coangustatum est stratum, breue est pallium, vt trunque operire non potest, vt transferat se ad gentes alias. Sidon vero venatio interpretatur, quæ fera indomitæque nostra natio est: & venit ad mare Galilææ, quod fluctuosa volubilitas est, inter medios fines Decapoleos, quod interpretatur decalogi madata. Saluator ad saluandas gentes ab Apostolis ducitur, qui interroganti se adolescenti quid faceret, respondit: Nosti mandata? *Et addu. &c.* Genus humanum per multa membra, ac si vnus homo varia peste absumptus enumeratur, in protoplasto cæcatur, cum videt, Surdus fit, dum audit: dum odoratur, emungitur. Obmutescit, dum loquitur. Mancus fit, dum manum extendit. Incuruatur, dum erigitur. Hydropicus fit, dum concupiscit. Claudus fit, dum progreditur. Lepra suffunditur, dum nudatur. Dæmone impletur, dum diuinitatem appetit. Morte moritur, dum audacter excusat quod inobedienter commisit. *Et deprecabantur eum, &c.* Incarnatum fore dominum, multi iusti & patriarchæ cupiebant & oprabant. *Apprehendens eum.* Seorsum semper à turbulentis cogitationibus, & actibus inordinatis, sermonibusque incompositis ducitur, qui sanari meretur. Digni qui in aures eius mittuntur, verba spiritus sunt, de quo dicitur; *Digitus Dei hic est.* Et: Opera digitorum tuorum sunt cæli. *Et expuens, &c.* Spuma de carne domini, est diuina sapientia, quæ soluit vinculum labiorum humani generis, vt dicat; Credo in Deum patrem omnipotentem, &c. *Et suspiciens in cælum inge. &c.* Id est, nos gemere docuit, & in cælum thesaurum cordis nostri erigere, quod per gemitum compunctionis intimæ, friuola læritia carnis purgatur, vt dicitur; *Rugiebam à gemitu cordis mei. Et ait illi: Effeta, quod, &c.* Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. *Et statim aperta sunt au. &c.* Apertæ sunt aures eius ad hymnos, & cantica, & psalmos: soluitur lingua, vt eructet verbum bonum, quod nõ possunt minæ nec verbera cohibere, vt ait Apostolus Paulus; Ego vincus, sed non est alligatum in me verbum Dei. *Et præcepit illis, ne cui dicerent.* Non in virtutibus gloriandum esse docuit, sed in cruce & in humiliatione. *Quanto autem eis præcipiebat, tanto magis prædicabant.* Ciuitas in monte posita vndique circumspècta abscondi non potest, humilitas semper præcedit gloriam.

S. AMBROSII MEDIO-LANENSIS Episcopi superioris Euang. expositio.

*Effeta quod est adaperire.* De sacramentis quæ accepistis, sermonem adior cuius rationem non putau ante præmitti. In Christiano enim viro prima est fides. Ideo Romæ fideles dicuntur qui baptizati sunt, & parer noster Abraham ex fide iustificatus est, non ex operibus. Ergo acceptis baptismū, credidistis. Nefas est enim me aliud æstimare. Neque enim vocatus esses ad gratiam, nisi dignum te Christus sua gratia iudicasset. Ergo quid egimus sabbato? Nempe apertionem. Quæ mysteria celebrata sunt apertionis, quando tibi aures tetigit sacerdos & nares. Quod significat in Euangelio Dominus noster Iesus Christus cum ei oblatum esset surdus & mutus, & tetigit au-

**Mat. 7.** res eius, & os eius. Aures, quia surdus erat: os, quia mutus. Et ait: Effeta, quod Hebraicum verbum est, & Latine dicitur adaperire. Ideo ergo tibi sacerdos aures tetigit, ut aperirentur aures tuae ad sermonem & ad eloquium sacerdotis. Sed dicis mihi, quare nares? Quia mutus erat, os tetigit: ut quia loqui non poterat sacramenta caelestia, vocem acciperet à Christo. Et ibi quia viri, hinc quia mulieres baptizantur, & non eadem puritas ferui, quanta & Domini. Cum ille peccata concedat, huic peccata donentur, quae potest esse comparatio? Ideo propter gratiam operis & muneris non os tetigit episcopus, sed nares. Quare nares? Ut bonum odorem accipias pietatis aeternae, ut dicas: **2. Cor. 2.** Christi enim bonus odor sumus Deo: quemadmodum dixit Apostolus sanctus. Et sit in te fidei deuotionisque plena fragrantia.

### VICTORIS ANTI- CHENI EIVSDEM EVANG. EXPOSITIO.

**E**T apprehendens eum à turba seorsum. Dominus non teresus Christus, non ita ad suam dignitatem spectare videtur, sicut ad nostram salutem: neque ad eum curare, ut magnum aliquod sonet; atque ut illud deprimat, quo nos ad se pertrahere queat. Quamobrem sublimibus illius dictis factisque, permulta passim tenuia, & humilia interseruntur. Quamobrem surdum, & mutum, quem obrulerant, seorsum accipit, quantumque res sunt, à turba seorsum: tum ne ad ostentationem diuinam signa perficere videatur, tum maxime, quod nos hoc facta imoneat, uti animi candorem, laudatamque ab omni factu vacuitatem studiosè semper confectemur. Majoris enim facit illos, qui animi modestiam, morumque grauitatem impigrè confectantur, quam qui virtutes & signa operantur. *Misit digitos suos in auriculas eius.* Infert digitos in aures eius, cum solo verbo miraculum parare valuerit: quod corpus, modo qui verbis exprimi nequit, ipsi vnitum, animamque intelligenti, & rationali informatum, diuinam virtutis vim & energiam obtinere monstrat. *Et expuens, tetigit linguam eius.* Eiusmodi quiddam, ut Ioannes exponit, in homine à natiuitate cæco obseruatum est quod. Etenim cum per Adami præuaricationem, multa incommoda, multaque pestes, & membrorum ægritudines humanæ naturæ acciderint: (Quæ quidem corporis incommoda & vitia, præter alia, ostendunt, in quantam miseriam, & infirmitatem eadem illa mortalium natura per peccatum prolapsa sit.) Christus Dominus in mundum hinc ingressus, naturam illam læsam & quasi fatam admirabili modo sibi adiunxit; perque adiunctam, ac quasi de integro in se ipso reformatam, partium sibi cõsubstantialium ægritudines, & morbos curauit, & in integrum restituit. Ob hoc ergo digitis in illas insertis, muti & surdi aures aperuit, sandique facultatem per saluam linguam impertuit. *Et suspiciens in cælum, ingemuit.* Cælum respicit, partim quidem ea, quæ faciebat, ad caelestem Patrem, tanquam ad primarium auctorem referens; partim verò humanæ naturæ causam dolore & commiseratione prosequens. Exponebat enim, in quantam calamitatem & miseriam omnis bonæ honestæque actionis hostis diabolus, primorumque parentum incuria & la-

pus, illam deiecerat. *Et ait illi, effeta, quod est adaperire.* Hæc dixit, vrâque cum verbo miraculum in opus abiit: Statim namque aperta sunt aures eius, & locutus est rectè. Quomodo enim nõ rectè loqueretur, rectèque audiret, cum naturæ opifex id expleret, quod naturæ deerat? *Et præcepit, ne cui diceret.* Hic de nouo modestiam & humilitatem nos docet: Siquidem ijs, qui sanitatis beneficium cõsecuti fuerant, ut rem tacitam apud se contineant, grauitate iniungit. Fecit hoc quoque ea de causa, ne Iudæorum animos in eadem accensos, ante tempus contra se inflammaret, & concitaret; etiam si certò sciret, eos opus vsque ad eum admirabile & inulnarum minime tacituros; sed passim inulngaturos.

### S. AVGVST. EPISCOPI HIPPO. IN SUPERIUS EVANG. HOMILIA.

**M**ODO aures corporis surdæ non aperiantur. Sed quàm multi habent clausas cordis aures quæ tamen verbo Dei penetrante patecunt, ut credant qui non credebant & bene viuant qui male vivebant, & obediant qui non obediebant. Et dicimus ille credit ac miramur quem audimus de his quos aliquando duos noueramus. Cur ergo nunc miraris credentem, innocentem, Deo seruientem, nisi quia conspicias videntem quem noueras cæcum: conspicias viuentem quem noueras mortuū, conspicias audientem quem noueras surdum? Nam videte: taliter mortuos de quibus dicebat dominus cuidam, ideo tardant ne dominum sequeretur, quia patrem sepelire volebat. Sine, inquit, mortuos sepelire mortuos suos. Certe mortui sepulchros non sint corpore mortui, quia si hoc essent, mortua corpora sepelire non possent. Tamen dominus mortuos eos vocat, ubi nisi intrus & in anima. Sicut enim in domo etiam plerumque visibiliter integra & salua dominus eiusdem domus mortuos iacet, sic in corpore integro multi habent animam intus mortuam. Et hos sic excitat Apostolus, Surge qui dormis & exurge à mortuis & illuminabit te Christus. Ipse illuminat ex cæcitate qui excitat mortuum. Voce enim eius clamatur per Apostolum ad mortuum, Surge qui dormis, Cæcus luce illuminabitur quum resurrexerit. Surdos autem quàm multos ante oculos suos dominus intuebatur quum diceret, Qui habet aures audiendi audiat, Quis enim ante illum sine corporis auribus stabat? Quas ergo alias aures nisi interioris hominis requirebat? Hoc dico fratres ne forte simus strepentes vocibus & muti moribus. A malis corde semper desungimini, ad tempus caute corpore copulamini. Nec tamen negligentes sitis in corrigendis vestris ad curam, scilicet vestram quodam modo pertinentibus monendo, docendo, hortando, terrendo. Quibuscumque modis potestis agere, ne quum inuenitis in scripturis & exemplis sanctorum, siue qui ante, siue qui post aduentum domini fuerant in hac vita quod mali bonos in vnitatem nõ maculant, efficiamini pigri ad corrigendos malos. Duobus modis non te maculat malus, si non consentias, et si redarguas: hoc est non communicare, non consentire. Communicatur quippe quando facto eius consortium voluntatis,

luntatis, vel approbationis adiungitur. Hoc ergo nos admonens Apostolus ait, Nolite communicare operibus infirmis & tenebrarum. Et quia parum erat non consentire, si sequeretur negligentia disciplina, magis autem, inquit, & redarguite, Videte quemadmodum vtrumque complexus est, Nolite communicare, magis autem & redarguite. Quid est nolite communicare? Nolite consentire, nolite laudare, nolite approbare. Quid est magis autem & redarguite? Reprehendite, corripite, coercete. Deinde in ipsa coercitione vel correptione aliorum peccatorum cauendum est, ne se extollat qui alterum corripit, & apostolica illa sententia cogitanda est, Quapropter qui putat se stare, videat ne cadat: foris terribiliter personet increpatio, intus lenitatis teneatur dilectio.

### BEDAE VENERABILIS PRESBYTERI IN IDEM EVANG. HOMILIA 1.

**E**XIENS DE FINIBUS TYRI, &c. Decapolis est (vt ipse nomine probatur) regio decem vrbiū trans Iordanem ad orientem circa Hippum & Pellam & Gadaram contra Galilæam. Quod ergo dicitur quod dominus venit ad mare Galilææ inter medios fines decapolos, non ipsos sine decapolis eum intrasse significat. Neque enim mare trans nauigasse dicitur, sed potius ad mare vsque venisse, atque ad ipsum peruenisse locum qui medios fines decapolis longe trans mare positos respiciebat. *Et adducunt ei surdum & mutum, &c.* Surdus & mutus est qui nec aures audiendis Dei verbis, nec os aperit proloquendis: quales necesse est vt hi qui loqui iam & audire diuina eloquia longo vsu didicerunt, domino sanandos offerant: quatenus eos quos humana fragilitas nequit, ipse gratiæ suæ dextera saluet. *Et apprehendens eum de turba seorsum misit digitos suos in auriculas.* Prima salutis ianua est infirmum apprehendente domino de turba seorsum educi. Apprehendens namque infirmum de turba seorsum educit, cum mentem peccatis languidam visitatione suæ pietatis illustrans, à consuetis humanæ conuersationis moribus auocat, atque ad sequenda præceptorum suorum itinera pronocat. *Misit digitos suos in auriculas, cum per dona sancti spiritus aures cordis ad intelligenda ac suscipienda verba salutis aperit.* Namque digitum Dei appellari spiritum sanctum testatur ipse dominus cum dicit Iudæis, Si ego in digito Dei eiicio dæmonia, filij vestri in quo eiiciunt? Quod exponens alius euangelista dicit, Si ego in spiritu Dei eiicio dæmonia. Quo nimirum digito & magi in Aegypto superati sunt à Moysè dicentes, Digitus Dei est hic, & lex in tabulis scripta est lapideis, quia per donum sancti spiritus & ab insidiis defendimur hominum siue spirituum malignorum, & in agnitione diuinæ voluntatis erudimur. Digito ergo Dei in auriculas missi eius qui sanandus erat, dona sunt sancti spiritus quibus corda quæ à via veritatis aberrauerant, ad scientiam salutis audiendam, discendamque reuelat. Et quia cognita veritatem lucem sequi confessio debet, apte subiungitur. *Et expuens tetigit linguam eius.* Expuens quippe dominus linguam tangit ægroti, cum ad confessionem fidei ora catechizatorum instruit. Sputum namque do-

mini saporem designat sapientiæ, quæ teste viro sapiente loquitur. Ego ex ore altissimi prodiui primogenita. Vnde & alibi sputo eius terræ commixto, cæcus natus illuminatur. Spiritum etenim quod ex capite domini descendit, diuinam eius naturam quæ ex Deo est, portio terræ cui idem spiritum immiscuit, humanam quæ ex hominibus assumpta est, designat. Et per medicamentum ex sputo suo ac terra compositum, oculos cæci nati aperuit, quia genus humanum per confessionem virtutis suæ naturæ ab ingenitis errorum suorum tenebris fruit. Expuens ergo dominus linguam muti vt loqui valeat tangit, cum ora diu bruta ad verba sapientiæ, proferenda contactu suæ pietatis informat. Bene autem subditur. *Et suspiciens in cælum, ingemuit, & ait illi, Effeta, quod est adaperire.* Suspexit namque in cælum, vt inde mutis loquelam, inde surdis auditum, inde cum his infirmitatibus medelam doceret esse querendam. Ingemuit autem nõ quia ipsi opus esset cum gemitu aliquid petere à patre, qui cuncta perentibus donat cum patre, sed vt nobis gemendi daret exemplum cũ vel pro nostris vel pro nostrorum erratibus proximorum supernæ pietatis præsidia inuocamus. Quod autem ait, Effeta, id est adaperire, ad aures proprie pertinet. Aures etenim ad audiendum aperiendæ, lingua vero vt loqui possit à retinaculis erat suæ tarditatis soluenda, vnde & subditur. *Et statim aperte sunt aures, &c.* Vbi vtraque vnus eiusdemque mediatoris Dei & hominum natura manifeste distincta est. Suscipiens enim in cælum quasi homo Deum precaturus ingemuit, sed mox vno sermone quasi diuina potens maiestate curauit. Bene autem dicitur de eo cuius dominus aperuit aures, ac linguæ vinculum soluit, quia loquebatur rectè, ille etenim solus rectè loquitur, siue Deum confitendo, seu aliis prædicando, cuius auditum vt caelestibus possit auctulare & obsecundare mandatis, diuina gratia referat, cuius linguam dominus tactu sapientiæ, quæ ipse est, ad loquendum instituit. Talis autem merito potest dicere cum Psalmista. Domine labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam. Et cũ Esaia. Dominus dedit mihi linguam eruditam, vt sciam sustentare eum qui lapsus est verbo. Erigit mane, mane erigit mihi aurem, vt audiam quasi magistrum. *Et præcepit illis ne cui dicerent. Quanto autem eis præcipiebat tanto magis plus prædicabam, & eo amplius admirabantur dicentes. Bene omnia fecit, & surdos fecit audire, & mutos loqui.* Si sciebat eos, sicut ille qui notas habebat & præfentes & futuras hominum voluntates, tanto magis prædicaturos quanto magis ne prædicarent eis præcipiebat, vt quid hoc præcipiebat, nisi quia pigris volebat ostendere, quãto studiosius, quantoque foruentius eum prædicare debeant, quibus iubet vt prædicent, quando illi qui prohibebantur tacere non poterant?

### EIVSDEM IN IDEM HOMILIA 2.

**S**URDUS ille & mutus, quem mirabiliter curatum à domino modo cum euangelium legeretur audiimus, genus designat humanum, in his qui ab errore diabolice deceptionis diuina merentur gratia liberari. Obsurdum namque ho-

mo ab audiendo vitæ verbo, postquam mortifera serpentis verba contra Deum tumidus audiuit mutus à laude conditoris effectus est, ex quo cum seductore colloquium habere presumpsit. Et merito clausit aures ab audienda inter angelos laude creatoris, quas ad audiendam eiusdem creatoris vituperationem sermonibus hostis incautus aperuit. Merito clausit os à prædicanda cum angelis laude creatoris, quod velut ad meliorandum eiusdem opus creatoris, cibi vetiti præuaticatione superbus impleuit. Et heu miser generis humani defectus, quod in radice vitiosum germinauit, vitiosus multo dilatari cepit in propagine ramorum, ita ut veniente in carne domino, exceptis paucis de Iudæa fidelibus, totus penè mundus ab agnitione & confessione veritatis surdus erraret & mutus. Sed ubi abundauit peccatum superabundauit & gratia. Venit namque dominus ad mare Galilææ, ubi nouerat ægrotare quem sanaret. Venit suæ gratia pietatis ad tumentia, turbida, & instabilia gentium corda, in quibus nouerat esse qui ad suam gratiam pertinerent. Et bene inter medios fines Decapoleos ad mare Galilææ ubi ægrotum sanare venisse perhibetur, quia relicto ob perfidiam populo qui decalogi mandata acceperat, exteras venit ad gentes, ut sicut Ioannes ait, filios Dei qui erant dispersi, congregaret in vnum. Et adducunt, inquit, ei surdum, & mutum, & deprecatur eum, ut imponat illi manum. Quia ipse surdus saluatorem agnoscere, mutus rogare nequibat, adducunt eum amici, & pro eius salute domino supplicat. Sic nimirum, sic in spiritali necesse est curatione geratur, ut si quis humana industria ad auditum confessionemque veritatis conuerteri non potest, diuinæ pietatis offeratur aspectibus, atque ad sanandum eum supernæ manus flagitetur auxilium. Nec tardat cælestis misericordia medici, si intenta precantum non hæsitat, nec deficit oratio. Vnde statim subinfertur: Quia apprehendens ægrotum Iesus de turba seorsum, misit digitos suos in auriculas eius, & expuens tetigit linguam eius. Digitos quippe surdo in auriculas mittit ut audiat, cum per dona gratiæ spiritualis diu non credentes ad auditum sui verbi conuertit. Expuens, linguam muti ut loqui valeat tangit. cum per ministerium prædicationis rationem fidei, quam confiteri debeat præstat. Per digitos namque domini spiritus sancti dona significari & ipse docet dicens, Si ego in digito Dei eiicio dæmonia, quod alius euangelista manifestius ponit, Si ego in spiritu Dei eiicio dæmones, & Psalmita ubi ait: Quoniam videbo cælos opera digitorum tuorum, id est, videbo sanctos non suæ merito virtutis, sed tui munere spiritus à terrenis suspensos, & cælesti factos conuersione sublimes. Sputum quoque capitis & otis domini verbum est euangelij, quod ex inuisibili diuinitatis arcano sumptum, visibiliter mundo ut sanari posset, ministrare dignatus est. Notandum sane quod dominus priusquam auriculas linguamque sanandi tangeret ægroti, apprehendens eum seorsum duxit e turba. Prima namque salutis spes est quemlibet assuetos vitorum cumultus turbasq; deserere, & sic ad suscipienda sanitatis munera humiliter caput inclinare. Neque vltatenus saluari putandus est, quam diu quis inordinatis moribus adherere, superuacuis verbis delectari, turbulētis cogitationibus non timet deuari, vt

Roma. 5.

Ioan. 11.

Luc. 11.

Matth. 11.

Psal. 8.

qui miserante, & adiuuante domino turbidam præcæ conuersionis vitam mutauit, qui inspirationem diuinæ gratiæ corde concepit, qui verbo doctrinæ cælestis confessionem veræ didicit fidei, testat ut confestim optata sanitatis gaudia consequatur. Vnde bene postquam de turba segregat infirmum dominus, postquam mittit digitos in auriculas, postquam sputo tangit linguam illius, subinfertur: *Suspiciens in cælum, ingemuit, & ait illi, Ephpheta, quod est adaperire. Et statim aperte sunt aures eius, & solutum est vinculum lingue eius.* Et recte sanaturus ægrotum dominus suspicit in cælum & ingemuit, ut ubi nobis speranda salus, & qua compunctionis vel lachrymarum sit deuotione querenda, ac petenda significet. *Suspiciens in cælum ingemuit*, quia nos quos ad cælestia possidenda creauit, longè in terrestria deiectos esse dolgit. *Suspiciens in cælum ingemuit*, ut nobis qui à cælestibus gaudiis per terrena oblectamenta discessimus, ad hæc per gemitus & suspiria insinuaret esse redeundum. Quod autem ait ephpheta, id est, adaperire, propter aures dicit sanandas, quas surditas diutina clauserat, sed ad audiendum iam tactus patefecit ipsas. Vnde credo mos increbuit ecclesiæ ut sacerdotes illius his, quos percipiendis baptismi sacramentis præparant, prius inter cætera consecrationis exordia de salina oris sui nates tangat & aures, dicentes ephpheta saluam quidem oris sui, gustum quo initiandi sunt supernæ sapientiæ designant; per tactum vero narium, ut abiectis delectationibus noxiis, solum Christi semper amplectantur odorem, de quo dicit Apostolus: Christi bonus odor sumus Deo in omni loco, & ut meminerint se iuxta exemplum beati Iob, donec superest halitus in eis, & spiritus Dei in naribus eorum, non loqui iniquitatem labiis, nec lingua mendacium meditari debere. Porro per tactum aurium, ut relicto auditu linguæ nequam audiant verbi Christi & faciant ea, similes viro prudenti qui edificauit domum suam supra petram. Et vnusquisque nostrum, fratres charissimi, qui baptismi Christi rite suscepit, hoc ordine consecratus est. Omnes quidem qui salutem lauatrum vel proximo hoc pacto tempore vel aliquando alias rite suscepturi sunt, ipso sunt ordine consecrati. Vnde multum necesse est, ut quod dominus in nobis propitius abluere & sanctificare dignatus est, ipsi passim contaminare, & pro nihilo profanare timeamus. Sed & si qui in cœnum nequitie sordidantis incidimus, festinamus rursum lachrymarum & poenitentiae fonte mundari. Renouemus aurium puritatem, quam nobis auditu fidei diuinitus constat fuisse collatam, cauentes illud Apostoli quod quibusdam exprorsus, ait: Et à veritate quidem auditum auertit, ad fabulas autem conuertentur. Cohibeamus linguam à malo quæ confessione fidei sanctificata est, timeamus in ipsa qua benedicimus Deum & patrè maledicere homines, qui ad imaginem Dei facti sunt. Qui enim putat se religiosum esse non refrenans linguam suam, huius vana est religio. Ecce enim dicitur, quia *aperta sunt aures eius, & solutum est vinculum lingue eius, & loquebatur recte.* Qui ergo recte loqui baptismatis nostri tempore didicimus, corde credendo ad iustitiam, ore autem confessionem faciendo ad salutem, curadum summo opere est, ne post baptismum ad iniusta & noxia verba declinemus. Si enim ipso indice attestante,

Matth. 11.

Luc. 11.

Matth. 11.

Luc. 11.

Matth. 11.

Luc. 11.

Matth. 11.

Luc. 11.

Matth. 11.

Luc. 11.

Matth. 11.

Luc. 11.

Matth. 11.

Luc. 11.

Matth. 11.

Luc. 11.

Matth. 11.

Luc. 11.

Matth. 11.

Luc. 11.

Matth. 11.

Luc. 11.

Matth. 11.

Luc. 11.

Matth. 11.

Luc. 11.

Matth. 11.

Luc. 11.

Matth. 11.

Luc. 11.

Matth. 11.

Luc. 11.

Matth. 11.

Luc. 11.

Matth. 11.

Luc. 11.

Matth. 11.

Luc. 11.

Matth. 11.

Luc. 11.

Matth. 11.

Luc. 11.

Matth. 11.

Luc. 11.

Matth. 11.

Luc. 11.

Matth. 11.

Luc. 11.

Matth. 11.

Luc. 11.

Matth. 11.

Luc. 11.

Matth. 11.

testante, omne verbum ociosum, quod loquuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij, quid putamus fieri de illis qui non solum ociosa, sed & criminosa loquuntur, qui impudicitia, iactantia, blasphemia, & quod maxime minus libet detractionis sermonibus seruire non timent, qui proferunt mendacia, testes fallaces, qui seminant inter fratres discordias? Non solum autem à malis aures linguamque satis est castigare loquelis, si non etiam iuxta Psalmistam inclinemus aurem nostram in verbo oris Dei, si non os nostrum loquatur sapientiam, & meditatio cordis nostri prudentiam. Sed & cunctos simul interioris exteriorisque hominis nostri sensus, qui cuncti in baptismo abluti sunt, oportet mundos ac bonis operibus seruemus insuper semper ornatos. Curato autem surdo & mutuo, videamus quid sequitur. Et præcepit, inquit, illis, ne cui diceret. Quanto autem eis præcipiebat, tanto magis plus prædicabant, & eo amplius admirabantur, dicentes: Bene omnia fecit, & surdos fecit audire, & mutos loqui. Quare, fratres charissimi, hæc acta credamus? Nunquid non æstimandum est, quod vnigenitus Dei filius signum faciens, & abscondi hoc voluerit, & contra voluntatem illius sit patefactum in turbas, nec potuerit silentio signum tægere si vellet, quod potuit facere cum voluit? An forte nobis exemplum dare voluit, ut virtutum opera facientes, vitium iactantia per omnia gloriam que vitemus humanam, ne bona nostra actio, per inanem vulgi fauorem supernæ retributionis munere priuetur? Et tamen sciamus opera nostra si digna imitatione sunt, nullatenus posse celari, sed ad vilitatem fraternæ correctionis ipso dispensante patefieri qui dicit: Non potest ciuitas abscondi super montem posita. Et alibi: Quoniam quæ in tenebris dixistis, in lumine dicentur. Et reuera ita omnimode ita intelligenda est dominici dispensatio præcepti. Quod non ita tamen dictum quis æstimet, quasi bona facientes fraternos cauere debeamus aspectus, cum dominus dicat, luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, sed ut per opera quæ fratribus ostendimus, non laudem ab illis, sed profectum queramus, hoc est enim quod sequitur: Et glorificent patrem vestrum qui in cælis est. Nam qui ea intentione bona ostendunt opera, ut ipsi solum laudentur, non autem ut laudantes in bono proficiant, neque ut pater qui in cælis est glorificetur, tales sunt nimirum illa terribili increpatione plectendi, qua dicitur: Amen amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Sed & hoc dicendum, quia si illi virtutes dominicas tacere nequeunt, qui tacendi præceptum acceperunt, multo amplius sit nobis diuinæ gratiæ præconiis semper insistendum, qui quotidianis inuicem nos verbis ac cælestibus alimentis reficere præcipimur, dicente apostolo Ioanne: Qui audit dicat, veni, id est, qui gratiam supernæ aspirationis mète concepit, qui verbum exhortationis quo vtiliter proximum confortare valeat, dicit, nequaquam quod nouit silentio abscondat, sed ipsum protinus fratribus aperiendo communicet. Si enim ea que nouimus benigne proximis dicere bona non negligimus, aderit illi in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi, & quod nunc ex parte cognouimus, ad perfectum nobis lumen veritatis intimare dignabitur Iesus Christus, dominus noster, vni-

Matth. 12.

Luc. 11.

Matth. 12.

Luc. 11.

Matth. 12.

Luc. 11.

Matth. 12.

Luc. 11.

Matth. 12.

Luc. 11.

Matth. 12.

Luc. 11.

Matth. 12.

Luc. 11.

Matth. 12.

Luc. 11.

Matth. 12.

Luc. 11.

Matth. 12.

Luc. 11.

Matth. 12.

Luc. 11.

Matth. 12.

Luc. 11.

Matth. 12.

Luc. 11.

Matth. 12.

Luc. 11.

Matth. 12.

Luc. 11.

Matth. 12.

Luc. 11.

Matth. 12.

Luc. 11.

Matth. 12.

Luc. 11.

Matth. 12.

Luc. 11.

Matth. 12.

Luc. 11.

Matth. 12.

Luc. 11.

Matth. 12.

Luc. 11.

Matth. 12.

Luc. 11.

Matth. 12.

Luc. 11.

Matth. 12.

Luc. 11.

Matth. 12.

Luc. 11.

Matth. 12.

Luc. 11.

Matth. 12.

Luc. 11.

Matth. 12.

Luc. 11.

Matth. 12.

Luc. 11.

Matth. 12.

Luc. 11.

Matth. 12.

Luc. 11.

Matth. 12.

Luc. 11.

Matth. 12.

Luc. 11.

Matth. 12.

Luc. 11.

Matth. 12.

genitus patris, qui cum eo viuit & regnat in unitate spiritus sancti Deus per omnia secula seculorum, Amen.

HAYMONIS EPISCOPI  
Halberst. superioris Euang.  
expositio.

Exiens Iesus de finibus Tyri venit per Sidonem, &c. Superius dixit Matthæus Euangelista quod discesserit dominus à Iudæis in partes Tyri ciuitatis Phœnicum, ubi sanauit filiam mulieris Cananæ. Qua sanata, egressus de finibus Tyri venit per Sidonem, id est, per regionem que pertinebat ad Sidonem aliam ciuitatem Phœnicum ad mare Galilææ. Quomodo venit inter medios fines Decapoleos, id est, per medios fines regionis illius? quæ Decapolis vocatur à numero decem urbium. Deca enim decem, polis dicitur regio trans Iordanem ad orientem plagam, quæ decem ciuitates habet. Et adducunt ei surdum, & mutum. Iste homo surdus, & mutus erat, & ideo aliorum auxilio indigebat. Allegoricè iste surdus, & mutus signat genus humanum, quod obfurdit, & obmutuit in primo homine Adam. Ipsi namque dixit Deus: Ex omni ligno paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni, & mali ne comedas, dum huic præcepto obaudiuit, id est, nõ obediuit, quasi surdus effectus est: dum verò pomum interdictum comedit, quasi mutus factus à laude creatoris sui cessauit. Antea laudabat Deum inter angelos, postmodum non meruit dignè laudare, quia non est speciosa laus in ore peccatoris. Et per Psal. 49. dicit Deus peccatori: Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Quod surditas, & taciturnitas permansit in genere humano vsque ad aduentum filij Dei, exceptis paucis Iudæis & patriarchis videlicet & prophetis, Abraham, Isaac, & Iacob, & Mose, & cæteris qui cogitationem Dei habuerunt, & cum domino loquuti sunt, per quos etiam diuina eloquia prolata sunt generi humano. Sed quid fecit dominus miseris nostris? Venit per medios fines Decapoleos ad mare Galilææ. Per decapolim designantur Iudæi propter decalogum legis. Per mare Galilææ designantur gentiles qui turbidi erant. Veniens dominus in mundum per incarnationis mysterium, reliquit Iudæos qui de præceptis legis erant imbuti, & venit ad tumentia corda gentilium, ut gratiam eius, quam Iudæi amittebant, non credendo, gentiles reciperent, credendo. Quomodo venit? Per prædicationem Apost. de quibus dixit: Euntes in mundum vniversum, &c. Et adducunt ei surdum, & mutum. Qui sunt, qui adduxerunt surdum, & mutum? Apostoli, & apostolici viri, qui adduxerunt ad Dominum Iesum Christum gentilem populum sua prædicatione. Gentilis populus surdus erat, & mutus, surdus, quia non habebat aures spirituales ad audiendum verbum Dei, quas dominus requirit in Euangelio, cum dicit: Qui habet aures audiendi, audiat. Mutus erat, quia non laudabat creatorem suum, sed idola, Iouem, Mercurium, Dianam, Venerem, & cætera dæmoniorum portenta. Pro quo populo deprecati sunt Apost. dominum, vt imponeret illi manum, id est, ut operationem suam exhiberet circa illum inuadendo eum ad fidem. Moraliter

Matth. 7.

Matth. 6.

Matth. 6.

Matth. 6.

Matth. 6.

Matth. 6.

Matth. 6.

Matth. 6.

Matth. 6.

Matth. 6.

Matth. 6.

Matth. 6.

Matth. 6.

Matth. 6.

Matth. 6.

Matth. 6.

Matth. 6.

Matth. 6.

Matth. 6.

Matth. 6.

Matth. 6.

Matth. 6.

Matth. 6.

Matth. 6.

Matth. 6.

Matth. 6.

Matth. 6.

Matth. 6.

Matth. 6.

Matth. 6.

Matth. 6.

Matth. 6.

Matth. 6.



raliter surdus est, qui verbum Dei non audit ad utilitatem sui. Murus est, qui laudem sui creatoris non habet in ore. Istos tales necesse est, ut hi, qui longo usu & audire verbum Dei didicerint, & loqui domino, sanandos offerant, quatenus quos humana fragilitas sanare nequit, diuina gratia sanet, & illuminet. *Et apprehendens eum de turba seorsum.* Seorsum eduxit dominus surdum, & mutum de turba, quia gentilem populum à turba dæmonum, & à cultura idolorum separauit, & ad credulitatem suam perduxit, ad fidem per gratiam baptismi, & per confirmationem spiritus sancti. *Misit digitos suos in auriculas eius.* In nullis aliis membris nostris ita apparet partitio velut in digitis, & ideo non inconuenienter designantur per digitos dona spiritus sancti, quæ enumerans Paulus dicit: Alij datur per spiritum sanctum sermo sapientie, &c. usquequo subiungit. Hæc operatur omnia vnus, atque idem spiritus diuidens singulis prout vult. Quod per digitum designetur spiritus sanctus, manifestat dominus in alio euangelio, quum dicit. Si ego in digito Dei eicio dæmonia, profecto peruenit ad vos regnum Dei. Iste est digitus, quo superati Magi à Mose in Ægypto dixerunt ad Pharaonem: digitus Dei est hic, id est, spiritus sanctus operatur in homine isto. Et hoc digito scriptæ sunt tabule lapideæ in monte Synai. Si ergo dominus per spiritum sanctum eiciebat dæmones, & magi opere spiritus sancti superati sunt, & lex in tabulis à spiritu sancto dictata est, datur nobis intelligi, quia neque tentationes dæmonum superare valeamus sine adiutorio spiritus sancti, neque versutias prauorum hominum vitare, neque cognitionem diuinæ legis possumus scire, nisi gratia spiritus sancti nobis affuerit. Misit ergo dominus digitos in auriculas surdi, quia dona spiritus sancti infudit cordibus gentilium, ut haberent veram fidem in corde, & veram confessionem in ore, & per hoc saluarentur, iuxta quod Apostolus dicit: Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. *Et expuens tetigit linguam eius.* Nunquid non poterat sine sputo ei loquelam reddere? Poterat vtique, sed ideo expuit, & tetigit linguam eius, ut facta sua mysterium haberet. Sputum ex ore profluit, & ideo per sputum hic possumus intelligere doctrinam Euangelicam, quæ ex ore Dei prodiit. Et sputo suo namque dominus muto loquelam restituit: quia per doctrinam Euangelicam populum gentilem ad lumen fidei perduxit. Tale quid legimus secundum Ioannem, vbi dominus sanaturus cæcum à natiuitate, expuit in terram, & fecit lutum de sputo, & de puluere terræ liniuit oculos cæci, dixitque illi: Vade ad natatoriam Syloë, & laua. Et abiit, & lauit, & vidit. Postquam dominus liniuit oculos cæci de luto, misit eum ad Syloë, quod interpretatur missus: quia homo cum percipit fidem qualiter credere debeat, baptizatur à spiritu sancto. Quod postmodum erat dominus facturus in genere humano, hoc tunc præfigurare voluit in illo loco. Superius intellexit per spiritum Domini doctrinam Euangelicam, quæ ex ore eius procedit, modo per spiritum intellige sapientiam Dei patris, quæ est filius Dei qui dicit Salomon. Ego sapientia ex ore altissimi prodiui ante omnem creaturam primogenita. Sputum ergo domini mixtum est puluere terræ, quia diuinitas verbi Dei, quod à patre processit, assumpsit carnem humanam,

iuxta quod Ioannes Euangelista dicit: Verbum caro factum est. Et de luto factum ex sputo, & puluere illuminatus est cæcus, quia per fidem dominicæ incarnationis, qui Deus est, & homo illuminatur ad fidem, & saluatur. *Et suspiciens in cælum.* Specio verbum fuit apud antiquos, sed modò simplex non habetur in usu. Componuntur tamé ex eo aspicio, & suspicio. *Et suspiciens in cælum.* Sanaturus dominus surdum, & mutum suspexit in cælum, ut daret nobis exemplum, & quotienscunque pro infirmitatibus corporum, vel animarum, hoc est, pro peccatis minuendis exoraret dominum volumus, intuitum mentis nostræ illuc, id est, in cælum dirigamus, vbi ille habitat, qui dicit: Cælum mihi sedes est. Ab illo peramus melam corporum, & animarum, qui est fons omnium bonorum, iuxta quod Iacobus dicit: Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est. *Ingenuit.* Quare ingenuit dominus, in cuius potestate omnia sunt, quæ vult facere? Ut demonstraret, quia quotiens aut pro infirmitate corporea, siue nostra, siue proximorum, aut pro erratibus nostris Dei misericordiam supplicamus, cum gemitu hoc debemus facere. Vel etiam si possumus cum lachrymis, ut facilius Dei misericordiam in nos prouocemus. *Et ait illi: Effeta, quod est adaperire.* Effeta Hebræus sermo est. Quid sit Effeta, manifestat Euangelist. quum subiungit, *adaperire.* Aperiendæ erant aures illius surdi ad audiendum, & lingua à retinaculis suæ tarditatis soluenda, ut loqui posset, ideo dixit dñs: *Effeta, id est, adaperire.* Ex hoc loco inoleuit mos in sancta ecclesia, ut presbyteri dicat Catechumini, quando tangunt aures illorum de sputo, Effeta. *Et statim aperta sunt aures eius, & solutum est vinculum linguæ eius.* Nulla mora inter verbum domini, & opus eius, quia in verbo illius, ibi constat operatio eius, iuxta quod dicit de eo: Ipse dixit, & facta sunt. Vbi dixit, adaperire statim, *aperta sunt aures eius, & solutum est vinculum linguæ eius, & loquebatur recte,* sine impedimento balbutiendi: Ille recte loquitur siue Deum laudando, in missarum celebrationibus, in Psalmis, & in responsoriis siue aliis prædicando gloriam Dei cuius aures cordis per gratiam sancti spiritus, dominus aperit ad intelligenda eloquia sua. Et cuius linguam dominus soluit, ut se laudare possit, meritò talis potest dicere cum propheta Esa. Dominus aperuit mihi aurem, ut audiam eum quasi magistrum. Et cum Psal. Domine, labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam. Aperies dixit, pro aperi, Futurum indicatiui pro imperatiuo ponens. *Et præcepit illis, ne cui dicerent.* Alibi dicit dominus. Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cælis est. Si ergo opera bona coram hominibus iubet fieri ad ædificationem, quare opus suum vult taceri, quod surdo, & muto restituit sanitatem, nisi ut demonstraret beneficia nostra non vulganda esse, sed premeunda? Ut vbiunque aliquid boni agimus, non solum à pecuniæ mercede abstinemus, verum etiam à gratia laudis humanæ, ne dicatur nobis in die iudicij: Recepistis mercedem vestram. Debet namque bona opera nostra & lucere in conspectu hominum, ut ædificentur alij exemplo nostro, ita tamen occultari, ut ea intentione faciamus, qua soli Deo placere valeamus non hominibus. Ita fit opus nostrum in publico, ut recta intentio

riò maneat in occulto. *Quòd autem eis præcipiebat, ut tacerent, tamò magis prædicabant, &c.* Nunquid factum est, quod dominus noluit? Non. Quia ipse qui exterius præcipiebat, ut tacerent, ipse interius instigabat, ut prædicarét. In hoc dedit exemplum pietis prædicatoribus, quibus officij prædicandi in sancta ecclesia commissum, ut non cessent prædicare. Quibus dicitur per proph. Esa. Clama, ne cesses. Et do. in euang. Ite in mundum vni, &c. Et alibi: Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, & quod in aure auditis, prædicare super terram. Ac si diceret dominus talibus: Si illis, quibus ego præcepit, ut tacerent, non potuerit tacere, sed potius hæc, illucque prædicauerunt gloria meam, quanto magis vos, prædicatores ecclesiæ, debetis prædicare populis verbum Dei, & vitam æternam, de qua poenitentiam agentes exhilarentur? *Et eo amplius admirabatur, dicentes: Bene omnia fecit, & surdos fecit audire, & mutos loqui.* Superius in hoc euang. de vno solùmmodo surdo, & muto fit mentio: hic autem pluralem numerum posuit euang. dicens: *Bene omnia fecit, & surdos fecit audire, & mutos loqui.* Et ideo datur nobis intelligi, quia non solummodo vnus surdus, & mutus, sed plures à domino sanati sunt. Hoc impletum est in populo gentili. Gentilis populus ante incarnationem filij Dei surdus erat, & mutus. Surdus, quia non audiebat Dei verbum. Mutus, quia laudem creatoris non habebat in ore, sed carmina poetarum, paganorum, & laudes Iouis, Mercurij, & Apollinis. Sed postquàm venit ad dominum per prædicationem apostolorum, percepit rectam fidem in corde, & rectam confessionem in ore. Moraliter omnis homo, qui seculariter viuunt, qui verba turpia, & risui apta sectantur, & qui carminibus meretricum, aures libenter accommodat, surdus, & mutus est, sed, si per domini gratiam compunctus ad audienda libenter Dei verba se conuertit, & dominum laudare in Psal. hymnis, & cæteris canticis spiritualibus coeperit, completur in illo, quod hic dicit: *Bene omnia fecit Iesus, quia in talibus operatur Iesus. Surdos fecit audire, & mutos loqui.* Qui antea de secularibus loquebantur, videlicet de suis canibus, vel de suis accipitribus, fecit eos se laudare, & benedicere.

## INCERTI AVTHORIS

*sub nomine Eusebij Episcopi Emissseni  
superioris Euangelij expositio.*

Describit euangelista per quam viam in Galilæam dominus redierit. Sicut autem pentapolis à quinque, ita decapolis à decem ciuitatibus nominatur. *Et adducunt ei surdum & mutum, & deprecabantur eum ut imponat illi manum.* Qui sunt isti qui surdum & mutum domino adducunt? Isti enim sunt apostoli & doctores, isti sunt episcopi & sacerdotes, isti sunt, quicumque alios sanare desiderant, & ad fidem peruenire persudant. Surdus est enim omnis homo, qui audiendi aures non habet, & qui euangelij verba audire contemnit. Surdi erant illi, quibus dominus dicebat, Qui est ex Deo, verba Dei audit: propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. De talibus & Psalmista ait, Furor illis secundum similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ, & obturantis aures suas, quæ non exaudiet vocem incantantium, &

veneficia quæ incantantur à sapiente. Mutus vero est, qui Deum non laudat, qui Christum non confitetur, qui iustitiam non defendit, & qui iniustitiam non damnat. Tales illi sunt, de quibus dicitur, Canes muti, non valentes larrare. Hos igitur debemus ducere ad Iesum, & pro eis rogare, ut eis manum imponat. Sanatur enim, quem tangit Iesus, sanatur, quem tangit Saluator, quia ipsa est salus, & vita. Non aliunde quærit herbas, ipse est medicus, & medicina, tangit, & sanat: respicit & medetur. Vnde & subditur. *Et apprehendens à turba seorsum, misit digitos suos in auriculas eius, & expuens tetigit linguam eius, & suspiciens in cælum ingenuit, & ait illi, Epphata, quod est adaperire.* Cognoscimus hic ecclesiæ sacramenta, hæc nouiter ad fidem venientibus sacerdotes facere videmus. Dicunt Epphata, quod est adaperire, non ut exterioris hominis aures aperiant, & linguam soluant, quatenus & verba vitæ diligenter intelligant, & intellecta aliis fideliter nuncient. Nisi enim aliud hoc significaret, hunc tantum laborem in hoc nomine sanando dominus non suscepisset. Poterat enim eum solo verbo sanare, sicut multos alios sanare consueuerat. Hoc tamen non fecit: Sed quid fecit? De turba eum traxit, digitos ei in auriculas misit, expuit, & linguam tetigit, in cælum suspiciens ingenuit, & ait illi Epphata, quod est adaperire. hæc enim turba, de qua hic homo à domino trahitur, vitiorum est multitudo, & malignorum spirituum turbulentus exercitus. Qui enim de hac turba non trahitur, à domino non sanatur. Meritò igitur dominus de turba eum traxit, quem sanare volebat. *Et misit digitos suos in auriculum eius,* quia in illius auditum sancti spiritus gratiam infudit, ut haberet spiritum sapientiæ & intellectus, sine quibus aures cordis non aperiantur. De hoc enim digito ipse quoque alibi ait, Si ego in digito Dei eicio dæmonia, quod Matthæus exponens, ait, Si ego in spiritu Dei eicio dæmones, profecto peruegit in vos regnum Dei. Expuit autem, & tangit linguam eius, ut per hoc eum doceat superflua cuncta abicere, si linguam vult habere solutam, & ad loquendum idoneam. Sæpe enim sputum ad loquendum linguæ facit impedimentum. Est enim sputum superfluitas quædam, & stomachi, capitisque purgatio. Qui igitur vult bene loqui, qui vult ut Deo, & hominibus verba sua placeant, omni superfluo humore omnique impedimento & stomachum releuet, & mentem, quam per caput intelligimus. Possimus autem & per sputum Christi quod ex capite quidem descendit, eius diuinitatis dulcedinem intelligere. Christi namque caput (ait Apostolus) Deus est. Hæc autem dulcedo, hæc salua nostri redemptoris, linguas infantum fecit disertas, quas olim vetiti pomi amaritudo ligauerat. De hac autem dulcedine ait Psalmista, Gustate, & videte, quoniam suavis est dominus: beatus vir, qui sperat in eo. Itemq; dulcis, & rectus dominus. Et Petrus Apostolus, Deponetes (inquit) omnem malitiam & omnem dolum, & simulationes, & inuidias, & detractiones, sicut modò geniti infantes rationabiles lac sine dolo occupiscite, ut in eo crescatis in salutem, si tamè gustatis quam dulcis est dominus. Hæc igitur dulcedo, hæc salua Christi pellit antiquum venenum, omnemque amaritudinem de lingua fidelium. Hæc autem salua illorum lingua



forfitram misericordiam fecerat, & ideo ignorabat. Hoc factum. Ex primo legis capitulo docetur legis ignarum, probans quod lex in principio statim patrem & filium predicauerit, & incarnationem filij annunciauert dicens: *Diligens dominum Deum tuum, & diligens proximum tuum sicut teipsum.* Vnde & addit: *Hoc factum.* Sed ille qui cum nesciret proximum, quia non credebat in Christum respondit. *Quis est meus proximus.* Ita qui Christum nescit, & legem nescit. Quomodo enim potest scire legem, cum veritatem ignoret, cum lex annunciet veritatem? *Ille autem volens.* Legis peritus vt sapienter respondisse dicatur, primum se legis faceret ignorare mandatum: quia humiliari recusans, & seipsum iustificare volens, arcana non potest videre quae reuelantur paruulis Christi, cui Christus ita respondit: *Quis est meus proximus?* ut & omnis qui misericordiam facit, proximus intelligatur, & specialiter ipse Dei filius qui nobis per humanitatem proximus factus est designetur. *Quis est meus.* Nemo proximior homini quam Deus, qui intrinsecus & extrinsecus nouit, & omnia curare potest: sed omnis incredulus vel tentator nec Deum nec hominem proximum habet. *Homo quidam, &c.* Homo iste Adā intelligitur in genere humano: Quia a beatitudine caelestis Hierusalem, praeruaricationis prolapsione ad miseras, & defectum huius vitae mutabilis & erroneae descendit, cum intumescere coepit. Et per hoc etiam incidit in latrones, id est, in potestatem angelorum noctis, qui se transfigurant in angelos lucis: sed perseuerare non possunt. In quos non incideret, nisi eius mandati caelestis deuius se fecisset obnoxium. Qui etiam indumenta gratiae spiritualis, immortalitatis scilicet & innocentiae auferunt, & sic vulnera inferunt, id est, peccata, quibus humanae naturae integritas violatur, & mors quasi fossis visceribus inducitur, qui seruat intemerata, quae sumpsit indumenta, non potest sentire latronum plagas. *Abierunt,* non cessando ab insidiis, se occultando insidias. *Semiuino relicto,* quia immortalitate exuere sed rationis sensum abolere non possunt: qui in hoc sapere, & Deum possit cognoscere. Sacerdos & leuita qui transeunt, sacerdotium & ministerium veteris figurant testamenti, ubi vulnera languentis mundi monstrantur, sed non curantur. Samaritanus, qui custos interpretatur, dominus est, qui propter nos: homo factus, vitae praesentis iter arripuit, & venit secus vulneratum. In similitudine hominum factus, & h. in. v. h. compassionis nostrae susceptione finitimus, & misericordiae collatione vicinus. Alligauit vul. eius peccata redarguendo cohibuit. Infundit oleum, dum poenitentibus tribuit spem dicens: Poenitentiam agite, quia appropinquabit regnum caelorum. Infundit vinum dum peccantibus terrorem poenae incutit dominus dicens: Omnis arbor quae non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Iumentum, caro ipsius est: in qua ad nos venit, in qua saucium imponit, quia peccata nostra portauit in corpore suo. Imponitur verò qui ipsam incarnationem credit. *Stabulum est praesens ecclesia,* ubi reficiuntur viatores in aeternam patriam redeuntes. Impositus iumento, in stabulum ducitur, quia nemo nisi baptizatus, nisi corpori Christi adunatus ecclesiam intravit. Et curam egit: ne eger precepta quae acceperat dimitteret. Sed non vacat Samaritano diu in terris degere, redeundum erat

Philip. 2.

Math. 3.

Ibidem

1. Pet. 2.

vnde descenderat. Itaque altero die, id est, post resurrectionem suam quando amplior aeternae lucis splendor, quam ante passionem effulsit in mundo, protulit duos denarios, duo testameta, in quibus aeterni regis nomen & imago continetur, stabulario, id est, apostolis dedit, quia tunc illis sensum aperuit, vt intelligerent scripturas ad regendum populum. Quodcumque supererogaueris. Supererogatur a domino non habeo, consilium autem do. Supererogatur, cum non vitur potestate accipiendi necessaria. Rediens in iudicio reddet dicens. Quia super pauca fuisi fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium domini tui. *Quis horum.* Iuxta litteram patet, quod alienigena Ierosolymitae, cui misericordiam impendens, proximior fuit quam sacerdos vel leuita eiusdem gentis. *Accidit autem, &c.* Sacerdos Dei legem annunciat: Descendit quidem lux per Moysen in mundum, & nullam sanitate contulit huiusmodi. Descendit Leuita, qui typum ostendit prophetarum: sed & hic nullum sanat: quia lex peccata arguit, sed pertransit, quia indulgentiam non largitur. *Misericordiam motus.* Hoc de sacerdotibus & leuita non est dictum: quia lex non habet misericordiam: sed iudicium & vindictam. *Ducit in sta.* Non domum, sed stabulum vocat, quo nomine miseras, & factores huius vitae signat, ne homo in hoc exilio tanquam in patria gaudeat. *Qui fecit.* Cognatio non facit proximum, sed misericordia, quae misericordia est secundum naturam. Nihil enim tam secundum naturam quam naturae iuuare confortem. *Allego.* Nemo propinquior quam qui nostra vulnera curauit, qui vnum est caput cum membris. Diligamus ergo eum, vt Deum & dominum, Diligamus quasi proximum, diligamus etiam eum qui imitator Christi est. Vnde sequitur: *Est similiter,* id est, verè te proximum sicut te ipsum, diligere manifestes, quidquid vales in eius corporali vel spiritali necessitate subleuanda deuotus operare.

Supererogatur mi opeta Da gratia. 1. Cor. 7. Math. 23.

CATENA AVREA

in idem Euangelium.

ET conuersus ad discipulos suos, dixit: *Beati oculi qui vident quae vos videtis.* The. Quia superius dixerat, Nemo nouit quid sit pater, nisi filius, & cui voluerit filius reuelare, beatificat discipulos quibus pater eum reuelatur. vnde dicitur. *Et conuersus ad discipulos suos, dixit: Beati oculi qui vident quae vos videtis.* Cyr. Conuertitur quidem ad eos, quia repellens Iudaeos surdos coecam mentem gerentes nec videre volentes, totum se praebat diligentibus eum, & beatos asserit oculos videntes quae prius a iis ipsi videbant. Illud tamen scire conuenit, quia videre non significat actum oculorum, sed mentis recreationem in praestitis beneficiis: puta si quis dicat, *Iste vidit bona tempora,* id est, gauisus est in bonis temporibus: secundum illud, *videas bona Hierusalem.* Multi enim Iudaeorum viderunt Christum diuine operantem, corporali, scilicet, intuitu, nec tamen omnibus beatificatio conuenit, non enim crediderunt, sed neque viderunt gloriam Dei oculis mentis. Beatificati sunt ergo oculi nostri, in hoc quod fide vidimus verbum pro nobis hominem factum imprimens nobis decorem sui numinis, vt nos sibi con

conformes faciat per sanctificationem atque iustitiam. Theoph. Beatificat autem eos & omnes simpliciter qui cum fide respiciunt, ex hoc quod antiqui prophetae & reges Deum in carne videre & audire optauerunt. vnde sequitur: *Dico enim vobis, quod multi prophetae, &c.* Beda, Matthaeus apertius prophetas & iustos appellat: ipsi enim sunt reges magni, quia tentationum suarum moribus non consentiendo succubere, sed regendo praesse voluerunt. Chry. Ex hoc autem dicto plures existimant prophetas caruisse Christi notitia: sed si optauerunt videre quae viderunt apostoli, nouerunt illum venturum ad homines, & dispensaturum quae dispensauit. Nullus enim habet horum appetitum quae mente non concepit: nouerunt ergo filium Dei. vnde non simpliciter dicit, *Voluerunt videre me, sed, quae vos videtis:* nec audire me, sed, *quae vos audistis.* Viderant enim ipsum non tamen iam incarnatum, nec sic cum hominibus conuersantem, nec tanta maiestate eis loquentem. Beda, Illi enim a longè inspicientes, per speculum & in aenigmatè viderunt. Apostoli autem impresentiarum habentes dominum, quocumque voluissent interrogando discerentes, nequaquam per angelos aut alias visionum species opus habebant doceri. Orig. Sed quare dicit plerosque prophetas optasse, non autem omnes? quia de Abraham dicitur quod vidit diem Christi, & laetatus est, quam visionem non plures imò pauci contigerunt: fuerunt autem alij prophetae & iusti non cauti vt visionem Abraham & peritiam apostolorum attingerent. Et hos dicit non vidisse, sed optasse. *Et ecce quidam legisperitus surrexit, tentans illum, &c.* Bed. Dixit supra dominus quod nomina eorum scripta sunt in caelis, vnde vt puo occasionem tentandi dominum Legisperitus assumpsit. vnde dicitur. *Et ec. qui legis, sur. ten. illum.* Cyril. Erant enim quidam verbosi circumeuntes totam regionem Iudaeorum incusantes Christum, & dicentes quod praecipuum Moysi inutile diceret, ipse autem quaedam nouas doctrinas prometeret: volens ergo legisperitus seducere Christum vt aliquid contra Moysen loqueretur, adest tentans ipsum, magistrum vocans, doceri non patiens. Et quia dominus solitus erat his qui veniebant ad eum loqui de vita aeterna, vtitur legisperitus eius eloquijs. Et quod tentabat astute nihil aliud audit nisi quae per Moysen edita sunt: sequitur enim. *At il. dix. ad eum: In lege quae scrip. est & quomodo legis?* Amb. Erat enim ex his qui sibi legisperiti videntur qui verba legis tenent, vim legis ignorant: & ex ipso legis capitulo docet esse legis ignaros, probans quod in principio statim lex patrem & filium predicauerit, & incarnationis dominicae annunciauert sacramentum. Sequitur enim, *Ille resp. di. Dili. do. &c.* Basil: Quod dicitur: *Tota mente tua:* in caetera non recipit sectionem. Nam quantumcunque dilectionem in infirmis expenderis, hoc tibi necessarium a toto deficiet. Sicut enim in vase aliquo pleno liquore quantum emanat foras, tantum necesse est plenitudinae derogari: sic & in anima inquantum emanauerit ab ipsius dilectione ad illicita, in tantum minui necessarium est amorem ad Deum. Gre. Nise. In tria autè quaedam animae vis discernitur. Haec enim est augmentatiua solum & nutritiua, quae etiam in plantis reperitur. Alia est quae sensualiter disponitur: quae saluatur in natura irrationalium animalium. Per-

fecta autem vis animae est irrationalis, quae in natura humana conspicitur. Dicendo ergo cor, substantiam corporalem significauit, scilicet, nutritiuam: dicendo verò animam, mediocrem, id est, sensitiuam: dicendo verò mentem, a lioriorem naturam, id est, intellectiuam & consideratiuam potentiam. Theo. Hic igitur intelligendum est, quod oportet nos omnem virtutem animae amori diuino subiacere: & hoc viriliter & non remisse, vnde additur: *Et ex om. viribus tuis.* Max. Cum hac igitur intentione trinum ad Deum dilectione lex pertractat, vt euellat nos à trina mundi habitudine, qua respicitur ad possessiones, ad gloriam, & ad voluptates, in quibus etiam tentatus est Christus. Basil. Si quis autem quaerat, quo pacto diuina dilectio poterit obtineri, dicemus quoniam indocilis est diuina dilectio, nam nec lucis gaudere praesentia, nec vitam amplecti ab alio didicimus, vel amare parentes aut alumnos, & multò magis diuinam dilectionis doctrina. Sed seminalis quaedam ratio nobis insita est, intrinsecus habens causas vt homo Deo adhaereat, quam rationem accipiens doctrina diuinorum praceptorum colere diligenter, cautèque fouere, & ad perfectionem diuinae gratiae perducere consuevit. Naturaliter enim bonum amamus, amamus etiam proprium & cognatum necnon & benefactoribus sponte affectionem totam profundimus. Si igitur bonus est Deus, omnia verò bonum desiderant, quod voluntariè perficitur, naturaliter bonis inest: quem etiam per bonitatem minimè nouissemus, ex hoc ipso tamen quod ab ipso processimus tenemur ipsum ultra modum amare, tanquam scilicet nobis cognatum. Maior etiam est & benefactor omnibus qui naturaliter diliguntur. Est igitur primum & praecipuum mandatum diuinæ dilectionis: secundum autem primi completum & ab eo completum, quo monemur diligere proximum. vnde sequitur, *Et prox. tuum, &c.* Sortimur autem à Deo potentiam ad huius executionem mandati. Quis autem non nouit quoniam mansuetum & comunicatiuum animal est homo, non autem solitariu & silyuicere? Nihil enim tam proprium est nostrae naturae, sicut ad uitam communicare, & mutuo indigere, & cognatum diligere. Quorum ergo conueniens nobis tradidit semina, horum consequenter fructus requirit. Chry. Tu tamen attende qualiter ferè cum eodem excessu postulat vtrunque praecipuum: de Deo enim ait: *Toto corde tuo: de proximo, Sicut seipsum.* Quod si diligenter obseruaretur, nec seruus esset nec liber, nec victor nec victus, nec dives nec pauper, nec notus vnquam esset diabolus. Potius enim paleae ignis sustineret immisionem quam feruorem charitatis, diabolus adeo cuncta superat dilectionis constantia. Greg. 29. Mor. Cum autem dicatur, *Diligens proximum tuum sicut teipsum:* quomodo alteri miserando pius est, qui adhuc iniuste viuendo sic impius sibi metipso? Chry. Cum autem legisperitus respondisset quae continebantur in lege: Christus cui nota sunt omnia scindit fallaciae eius retia. sequitur enim, *Dixit que il. re. respon. hoc fac & viues.* Orig. Ex his indubitanter colligitur, quod vita quae praedicatur secundum mundi creatorem Deum & antiquas scripturas ab eo tradita, vita perpetua est. Attestatur enim dominus sumenti ex Deuter. quidem illud, *Diliges dominum Deum tuum:* ex Leuitico verò il-



lud, Diliges proximum sicut teipsum. Hęc autem dicta sunt contra sequaces Valentini, Basilidis & Marcionis. Quid enim aliud voluit nos facere ad quærendam vitam æternam, nisi quæ continent lex & propheta? *Ille autem volens iustificare seipsum dixit ad Iesum, Et quis est meus proximus? Suscipiens autem Iesus, dixit: Homo quidam, &c.* Cyril. Laudatus Legisperitus à saluatore quod rectè respondit, in superbiam prorupit, nullum sibi proximum putans esse quasi nullus esset ei in iustitia comparandus. vnde dicitur, *Il. au. vo. iust. seip. di. ad Ie. Et quis est meus proximi.* Circumueniunt enim eum quodammodo æternam vitam, à fallacia qua tentando quæsiuerat, ad arrogantiam lapsus. In hoc autem quod quærit, *Quis est meus proximus?* vacuus à dilectione proximi ostenditur, cum non æstimet aliquem sibi proximum esse, & per consequens à dilectione diuina, quoniam cum fratrem non diligat quem videt, nõ potest Deum diligere quem non videt. Amb. Respondit etiam quod nesciret proximum suum, quia nõ credebat in Christum: & qui Christum nescit, nescit legem. Cum enim veritatem ignoret, quomodo potest scire legem quæ annuntiat veritatem? The. Saluator autem non actibus aut dignitatibus, sed natura determinat proximum, quasi dicat nõ putes quod quamuis iustus sis, nullus tibi sit proximus. Omnes namque qui eadem naturam communicant, proximi tui sunt: sias igitur & tu eorum proximus, non loco sed affectu, & circa eos cura: & ad hoc Samaritanum in exemplum ducit. vnde sequitur: *Suscipiens autem, &c. Homo quidam descens. &c.* Græc. Bene est generis appellatio, nõ enim ait, Descendit quidam, sed homo quidam: nam sermo fuit de tota humanitate. Aug. de quæ. euan. Homo enim iste, ipse Adam intelligitur in genere humano. Hierusalem ciuitas pacis, illa cælestis, à cuius beatitudine lapsus est. Hierico interpretatur luna, & significat mortalitatem nostram, propter hoc quod nascitur, crescit, fenescit, & occidit. Aug. con. Pel. Vel Hierusalem quæ interpretatur visio pacis, paradysum dicimus. Antè enim quam peccaret homo in visione pacis erat, hoc est in paradiso: quicquid videbat, pax erat & lætitia. Inde descendit quasi humiliatus & miser factus per peccatum. Hierico, id est, in mundum, in quo omnia orta occidunt, sicut luna. The. Non autem dicit, Descendit, sed *descendebat*: semper enim humana natura ad inferiora tendebat, & non in parte, sed in toto vitæ attendebat passibili. Bas. Conuenit etiam hoc si quis loca perspexerit. Hierico enim tenet loca conuallia Palæstinæ, Hierusalem verò in cacumine sita est occupans apicem montis: venit igitur homo ab altis ad infirma vt à latronibus caperetur, qui incolebant desertum. vnde sequitur, *Et incidit in latrones.* Chry. Primum istius hominis miserandus est casus, qui inermis ac destitutus in latrones incidit, qui quæ improuidus incautusque eam viam elegerit, qua euadere prædonum manus nequiverit. Non enim posset inermis armatos, improuidus pessimos, incautus nocuos effugere. Quippe cū malitia semper armata sit dolis, crudelitate septa, munita fallacia, & ad nocendi læuitiam preparata. Ambr. Qui sunt autem isti latrones nisi angeli noctis atque tenebrarum? in quos non incidisset, nisi eis mandati cælestis deus se fecisset obnoxium. Chry. In exordio igitur mundi nocendi fallaciam diabolus

est operatus in hominem, in quem fallendi virus exercuit, & malitiæ nocentiam dedicauit. Aug. con. Pel. Incidit ergo in latrones, id est in diabolum & angelos eius, qui per inobedientiam primi hominis humanum genus despoliauerunt, mortum scilicet ornamentis, & vulnerauerunt, dono scilicet possibilitatis liberi arbitrij perduto. vnde sequitur, *Qui etiam despoliatus, &c.* In illo enim peccante plagam fecit, in nos verò plagas: cum per vnum peccatum quod contrahimus superaddimus multa peccata. Aug. de quæ. euan. Vel spoliauerunt hominem immortalitate, & plagis impositis peccata suadendo reliquerunt seminiuum, quia ex parte qua potest intelligere & cognoscere Deum viuus est homo, ex parte autè qua peccatis contabescit, & premitur, mortuus est, & hoc est quod subditur, *seminiuum reliquit.* Aug. con. Pel. Seminiuum enim habet vitalem motum, id est, liberum arbitrium vulneratum, quod ad æternam vitam quam perdidit, redire non sufficiebat: & ideo iacebat, quia vires ei propriæ ad surgendum non sufficiebant, vt ad sanandum medicum, id est, Deum requireret. Theop. aut seminiuum dicitur homo post peccatum, quia anima immortalis est, corpus verò mortale, ita vt medietas hominis morti succumbat: aut quia humana natura in Christo sperabat cõsequi salutem, ita vt non omnino morti succumberet, sed in quantum Adam peccauerat, mors in mundum intrauit, in Christi verò iustificatione mors erat destruenda. Amb. Vel spoliat quæ accepimus indumenta gratiæ spiritalis, & sic vulnera inferre consueuerunt: nam si intemerata quæ sumpsimus indumenta seruemus, plagas latronum sentire non possumus. Bas. Vel potest intelligi quod expoliauerunt eum, plagis prius impositis, præcedunt enim vulnera nuditatem, vt intelligas quod peccatum gratiæ præcedit carentiam. Bed. Dicuntur autem plagæ peccata, quia his nature humane integritas violatur. Abierunt autem non ab infidijs cessando, sed infidiarum fraudes occultando. Chry. Hic itaque homo, id est, Adam iacebat destitutus salutis auxilio, confossus vulneribus delictorum, cui nec sacerdos Aron transiens sacrificio potuit profuisse. Sequitur enim, *Acc. au. vt sacer. &c.* Nec etiam eius frater Moyses leuita, per legem potuit subuenire. vnde sequitur, *Similiter & leuita cum esset secus locum, &c.* Aug. con. Pel. Vel in sacerdote & leuita duo tempora intelliguntur, legis scilicet, & prophetarum: in sacerdote lex per quam sacerdotium & sacrificia instituta sunt, in leuita vaticinium prophetarum: quorum temporibus humanum genus sanari non potuit, quia per legem contraditio peccati nõ aboleuit. The. Dicit autem, præterit, quia lex venit & stetit vsque ad tempus præfixum, deinde non valens curare abiit: vide etiam quod lex non ad hoc data est prærogatiuè vt hominem curaret: non enim poterat homo à principio suscipere Christi mysterium, & ideo dicitur: *Accidit vt sacerdos quidam, quod cõsueuimus dicere in his quæ nõ præmeditatiuè sũt.* Aug. de ver. domi. Vel quia homo descendens à Hierusalem in Hierico Israëlita fuisse intelligitur, quod intelligi potest, quia transiens sacerdos vtique genere proximus præterijt iacentem, transijt leuita, & hic genere proximus iacentem & ipse contempsit. Theop. Miserti inquam illius fuere cum cogitauerunt: postmodum verò tenacitate deuicti

deuicti abierunt retrorsum: hoc enim designat quod dicit, *Præterijt.* Aug. de ver. do. Transijt Samaritanus genere longinquus, misericordia proximus, fecit quod sequitur: *Samaritanus, &c.* In quo Samaritano se voluit intelligi dominus noster Iesus Christus. Samaritanus enim custos interpretatur, & de ipso dicitur, Non dormitabit neque dormiet qui custodit Israël, quia resurgens à mortuis iam nõ moritur. Denique cum dictum esset illi, *Quia Samaritanus es, & demonia habes: negauit se habere demonia, quia se nouerat demonia expulsores, non se negauit infirmi custodem.* Græc. Vocat autem hic Christus se Samaritanum opportunè: cum enim alloqueretur legisperitum superbientem in lege, voluit exprimere: quoniam nec sacerdos nec leuita & qui conuersabantur in lege, legis propositum implebant, sed ipse venit cõsummaturus legis propositum. Ambr. Hic autem Samaritanus etiam erat descendens. Quis enim est qui descendit de cælo, nisi qui ascendit in cælum filius hominis qui est in cælo? Theo. Dicit autem, *Iter faciens, quasi ex proposito hoc statuens, vt nos curaret.* Augustinus contra Pelag. Venit autem in similitudine carnis peccati, ideo secus eum quasi in similitudine. Græc. Vel secus viam venit, fuit enim verè viator, non deuitor gratia nostri descendens in terram. Ambr. Veniens autem factus est compassionis nostræ susceptione finitimus & misericordiae collatione vicinus. vnde sequitur, *Et vi. cum, &c.* Aug. con. Pelag. Videns quidem eum iacentem, non valentem, non currentem, & ideo misericordia motus est, quia in eo nullum meritum inuenit quo curari dignus esset, sed ipse de peccato damnauit peccatū in carne. vnde sequitur, *Et appro. ali. vul. eius, infum. ol. & vi.* August. de ver. do. Quid enim tam longinquum, quid tam remotum, quàm Deus ab hominibus, immortalis à mortalibus, iustus à peccatoribus? non loco longè sed dissimilitudine. Cum ergo haberet in se duo bona, scilicet iustitiam & immortalitatem, & nos duo mala, scilicet iniquitatem & immortalitatem, si vtrunque malum nostrum suscepisset, par nosser fuisset & liberatore nobiscum opus haberet: vt ergo esset non hoc quod nos, sed prope nos, non est ille peccator vt tu, sed factus est mortalis quod tu, suscipiendo poenam, & non suscipiendo culpam, culpam deleuit. Aug. de quæst. euang. Alligatio vulnerum est cohibitiõ peccatorum, oleum consolatio spei bonæ apud indulgentiam datam ad reconciliationem pacis: vinum exhortatio ad operandum feruentissime in spiritu. Amb. Vel constringit vulnera nostra austeriore præcepto: sicut oleo fouet remissione peccati, sic vino compungit denunciatione iudicij. Gregor. 20. mor. Vel in vino morsum districtiõis adhibet, in oleo mollitiem pietatis: per vinum vngantur putrida, per oleum sananda foueantur. Miscenda ergo lenitas cum seueritate, & faciendum est quoddam ex vtroque temperamentum, vt neque multa asperitate exulcerentur subditi, neque nimia benignitate soluantur. Theoph. Vel ali. Quæ secundum hominem est cõuersio, oleum est: quæ verò secundum Deum, vinum est, quod diuinitatem significat: quam nemo potuisset sustinere nisi oleum haberetur, id est, conuersatio humana: vnde quædam operatus est humanè, quædam diuinitus. Infudit ergo oleum & vinum,

qui nos humanitate & diuinitate saluabit. Chry. Vel vinum infudit, id est, sanguinem passionis & oleum chrismatis: vt indulgentia daretur per sanguinem, sanctificatio conferretur per chrismatis vnditionem. A cælesti medico cõscissa loca ligantur, & intra semetipsa retinentia medicinam operante medicamine, pristinae sanitati redduntur. Infuso ergo vino & oleo, impositum eum super iumentum. vnde sequitur, *Et im. il. &c.* August. de quæst. euang. Iumentum eius est caro, qua ad nos venire dignatus est. Imponi iumento, est in ipsam incarnationem Christi credere. Ambr. Vel iumento imponit, dum peccata nostra portat, & pro nobis dolet: homo enim iumento similis factus est, ideo supra iumentum suum nos impositus, ne nos essemus sicut equus & mulus, vt per nostri corporis assumptionem infirmitatem nostræ carnis aboleret. Theo. Vel imposuit in suum iumentum, id est, in corpus suum: membra namque sua nos fecit & participes corporis eius: & lex quidem non omnes suscipiebat. Moabitæ (inquit) & Ammonitæ non intrabunt in ecclesiam Dei: nunc verò in omni gente qui timet dominum ab eo suscipitur, volens credere, & pars ecclesiæ fieri: propter hoc dicit, quod duxit eum in stabulum. Chry. Est enim stabulum ecclesia quæ in itinere mundi lassatos, & sarcinis delictorum desessos suscipit venientes: vbi depositò onere peccatorum viator lassus reficitur, & refectus salubri pasua reparatur. Et hoc est quod dicitur, *Et cu. il. egit.* Torum enim quicquid contrarium nocens & malum est, foris est, quia intra stabulum requies omnis salubritasque inclusa est. Bed. Et bene iumento impositum duxit in stabulum, quia nemo nisi per baptismum corpori Christi adunatus ecclesiam intrabit. Ambr. Sed quia non vacabat Samaritano huic, diu in terris degere, redeundum erat vnde descenderat. vnde sequitur, *Et alte. die, &c.* Quis est iste alter dies, nisi forte ille dominicæ resurrectionis? de quo dictum est, Hęc est dies quam fecit dominus. Duo autem denarij, sunt duo testamenta quæ imaginem in se habent æterni regis expressam, quorum precio vulnera nostra curantur. August. de quæst. euang. Vel duo denarij sunt duo præcepta charitatis, quam per spiritum sanctum acceperunt apostoli ad euangelizandum cæteris, vel promissio vitæ præsentis & futuræ. Orige. Vel duo denarij videntur mihi esse scientia sacramenti quomodo pater in filio & filius in patre sit: qua velut mercede donatur ecclesiæ angelus, vt diligentius curet hominem sibi commendatum, quem pro angustia temporis etiam ipse curauerat. Et promittitur ei quicquid de suo in medela semiuuentis expenderet, illicd esse reddendum. vnde sequitur, *Et quodcumque super. &c.* August. de quæst. euang. Stabularius fuit Apostolus qui supererogauit, aut illud consilium quod ait: De virginibus autem præceptum domini non habeo, cõsiliium autem do: aut quod etiam manibus suis operatus est, ne infirmorum aliquem in nouitate euangelij grauaret, cum ei liceret ex euangelio pasci. Multum etiam supererogauerunt apostoli: sed & pro tempore doctores, qui vetus & nouum testamentum exposuere supererogauerunt, pro quibus retributionem accipiēt. Ambr. Beatus ergo ille stabularius qui alterius vulnera curare potest. Beatus ille cui dicit Iesus: *Quodcumque supererogaueris, reuertens reddam tibi.*

Opera supererogationis retributionem merentur.

Sed quando reuerteris domine nisi iudicij die? Nam licet vbique sis semper, & stans in medio nostrum, non cernis a nobis, erit tamen tempus quo vniuersa caro te respiciet reuertentem. Reddes ergo quod debes beatis, quibus es debitor. Vtinam nos simus idonei debitores, vt quod accepimus, possimus exoluere. Cyril. His ergo premis, opportunè iam dominus legisperitum interrogat subdens: *Quis horum trium tibi videtur proximus fuisse illi qui incidit in latrones?* At ille, dixit, qui fecit misericordiam in illum. Neque enim sacerdos, neque Leuita factus fuit proximus patientis, sed ille qui est eius miseris. Inutilis est enim sacerdotij dignitas & legis scientia, nisi per bona opera confirmetur. vnde sequitur, *Et ait il. Iesus, &c.* Chrysost. quasi dicat. Si quem vides oppressum, non dicas, vtrique nequam est: sed siue gentilis sit, siue Iudæus & opè indigeat, non cauilleris auxiliari quæcunque mala fuerit passus. Aug. de doct. Christi. Ex hoc intelligimus eum esse proximum, cui vel exhibendum est officium misericordiæ si indiget: & exhibendam esset si indigeret. Ex quo iam consequens est, vt etiam ille à quo nobis vicissim exhibendum est, proximus noster sit: proximi enim nomen ad aliquid est, nec quisquam esse proximus nisi proximo potest. Nullum autem exceptum esse cui misericordiæ denegeret officium, quis non videat? Dicente domino, benefacite his qui vos oderunt. vnde manifestum est hoc præcepto quo iubemur diligere proximum, etiam sanctos angelos contineri, à quibus tanta nobis misericordiæ impendantur officia, ex quo & ipse dominus proximum nostrum se dici voluit, significans se opitulatum esse seminiuo iacenti in via. Ambr. Non enim cognatio facit proximum sed misericordia, quia misericordia est secundum naturam, nihil enim tam secundum naturam, quam iuuare consortem naturæ.

ORIGENIS PRESBYTERI in idem Euang. Homilia.

*Epist. Hom. 34. in Lucam.*

Cum multa in lege præcepta sint, hæc tatum compendio ad æterna obediens ducerent. Ad id enim respicit quod legis doctor interrogauerat eum dicens. *Magister quid faciens, vitam æternam possidebo?* Quæ lectio secundum Lucam hodie vobis recitata est. Respondit. In lege quid scriptum est? Quomodo legis? Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota virtute tua, & ex tota mente tua, & proximum tuum tanquam teipsum. Ac deinde, *Bene (ait) respondisti: hoc fac & viues.* Haud dubium quin sempiternam vitam hoc faciendo accepturus sis, de qua & legis doctor interrogauerat. Simulque perspicue docemur in legis præcepto, vt diligamus Deum. In Deuteronomio scriptum est. Audi (inquit) Israël, dominus Deus tuus, Deus vnus est. Et diliges dominum Deum tuum ex tota mente tua, & reliqua, & proximum quasi teipsum. Et saluator super his testatus est dicens. In his duobus mandatis tota lex pendet, & prophætæ. Volente autem doctore legis iustificare semetipsum & ostendere quod nemo sibi esset proximus atque dicente, *Quis est proximus meus?* intulit dominus parabolam cuius exordium est: *Homo quidam descen-*

*debat de Hierusalem in Hiericho, & reliqua: & docet nullius fuisse proximum descendentem, nisi illius, qui voluerit custodire præcepta, & præparare se, vt sit proximus omni homini, qui auxilio indiget. Hoc enim est, quod post parabolam in fine ponitur. Quis de his tribus videtur tibi proximus esse, eius qui in latrones incidit? Nec enim sacerdos, nec Leuitæ proximi eius fuerunt, sed vt ipse quoque legis doctor respondit, Ille qui fecit misericordiam proximo eius fuit. Vnde & à saluatore dicitur. Vade, & tu fac similiter. Aiebat quidam de presbyteris volens parabolam interpretari, hominem, qui descendit, esse Adam: Hierusalem, paradysum; Hiericho, mundum: latrones, contrarias fortitudines: sacerdotem, legem: leuitem, prophetas: Samaritanen, Christum: vulnera vero, inobedientiam: animal, corpus domini: Pandochion, id est, stabulum, quod vniuersos volentes introire suscipiat, ecclesiam interpretari. Porro duos denarios, patrem, & filium intelligi: Stabularium, ecclesiæ præsidem, cui dispensatio credita sit. De eo verò, quod Samaritanen reuersurum se esse promittit, secundum saluatoris figuram aduertum. Hæc cum rationabiliter, pulchrèque dicantur, non est tamen existimandum, quod ad omnem hominem pertineant. Neque enim omnis homo descendit de Hierusalem in Hiericho, nec vniuersi propterea in præfenti seculo commorantur, licet ille, qui missus est, propter perditas oues venerit domus Israël. Homo igitur, qui de Hierusalem descendit in Hiericho, quia voluit ipse & descendere, propterea in latrones incidit. Latrones autem nulli sunt alij, nisi de quibus saluator ait, Omnes, qui ante me venerunt, fures fuerunt, & latrones. Verumtamen non incidit in fures, sed in multo furibus nequiores latrones, qui descendentes eum de Hierusalem cum incidisset in illos spoliauerunt, & imposuerunt ei plagas. Quæ sunt plagæ? quæ vulnera quibus vulneratus est homo? Vitia, atque peccata. Deinde quia latrones qui nudauerant eum, & vulnerauerant, non assident nudo, sed plagis rursus impositis, relinquunt eum, idcirco scriptum est, Spoliantes eum, & vulnera apponentes abierunt eo non mortuo, sed seminece. Factum est autem, vt in eadem via primus sacerdos, deinde leuitæ descenderent: qui forsitan aliis hominibus bona quædam fecerant, non tamen huic, qui descenderat ab Hierusalem in Hiericho. Hunc enim vidit sacerdos, puto lex vidit: leuitæ, vt reor, sermo propheticus. Et cum vidissent reliquerunt, & transferunt. Seruabat quippe seminecem prouidentia ei, qui fortior erat lege & prophetis, Samaritano videlicet, qui interpretatur, custos. Iste est, qui non dormitat, neque dormit custodiens Israël: propter seminecem profectus est iste Samaritanus, non de Hierusalem in Hiericho, sicut sacerdos, & leuita descendens: aut si descendit, idcirco descendit vt saluaret, custodirèque moriturum. Ad quem locuti sunt Iudæi, Samaritanus es tu & demonium habes. Qui cum negasset se habere demonium, Samaritanen negare se noluit. Sciebat enim se custodem. Itaque cum venisset ad seminecem, & vidisset eum in suo sanguine volutari: miseris accessit ad eum, vt fieret eius proximus. Ligauit vulnera, infudit oleum mixtum: neque dixit quod in propheta legitur. Non est malagma imponere, neque oleum, neque alligaturas. Iste est Samaritanus,*

Samaritanus, cuius cura, & auxilio omnes, qui male habent, indigent. Huius vel maxime Samaritanus indigebat auxilio, qui de Hierusalem descendens incidit in latrones: & vulneratus ab eis, semianimis fuerat relictus. Vt autem scias, quod iuxta prouidentiam Dei Samaritanen iste descendit vt curaret eum, qui incidit in latrones: manifesto doceberis ex eo quod secum habebat alligaturas, secum oleum, secum vinum. Quæ quidem ego puto non propter istum vnum seminecem, sed propter alios quoque, qui ob varias causas fuerant vulnerati, & indigebant alligaturis, & oleo, & vino, secum portasse Samaritanen. Habebat oleum, de quo scriptum est, Vt exhilaret faciem in oleo. Haud dubium quin eius, qui curatus fuerat, oleo etiam tumores vulnerum sedarentur. Sed & vino mundat vulnera, asperitatis aliquid admiscens: eumque qui fuerat vulneratus imposuit iumento, id est, proprio corpori, iuxta id quod est hominem dignatum assumere. Iste Samaritanus peccata nostra portat, & pro nobis dolet, portat seminecem, inducit in Pandochion, id est, in ecclesiam, quæ omnes suscipit, & nulli auxilium suum denegat: ad quam cunctos prouocat Iesus dicens; Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Et postquam induxit eum, non statim recedit: sed vno die in stabulo cum seminece perseverat, & curat vulnera non solum in die, verum etiam in nocte, reliquam sollicitudinem suam, & industriam tribuens. Cumque veller mane proficisci, de probato argento suo, de probata pecunia sua tollit duos denarios, & onerat stabularium, haud dubium quin angelum ecclesiæ, cui præcipit vt diligenter curet eum, & ad sanitatem vsque perducat, quem pro angustia temporis etiam ipse curauerat. Duo denarij notitia mihi videtur esse patris, & filij, & scientia sacramenti quomodo patris in filio, & filius in patre sit, qui velut mercedes donantur angelo, vt diligentius curet sibi hominem commendatum: & promittitur ei quicquid de suo in medalam seminecis expendit, illico esse reddendum. Vere lege & prophetia custos animarum iste vicinior, qui fecit misericordiam ei, qui incidit in latrones, & proximus eius apparuit non tam fermone, quam opere. Quia ergo possibile est iuxta illud quod sequitur, imitari nos Christum, & misereri eorum qui incidit in latrones, accedere ad eos, ligare vulnera, infundere oleum & vinum, imponere super proprium iumentum, & ferre onera ipsorum: propterea ad talia nos cohortans filius Dei: non tam doctore legis nobis quoque omnibus loquitur. *Vade & tu fac similiter. Quæ si similiter fecerimus, vitam consequemur æternam in Christo Iesu: Cui est gloria & imperium in secula seculorum, Amen.*

S. IO. CHRYSOSTOMI Episcopi Constantinensis in superius Euang. de eo qui incidit in latrones, Sermo.

*Tunc dixit dominus similitudinem istam ad eos: Homo quidam descendens ab Hierusalem in Hiericho, incidit in latrones, &c. Primū hominis istius statum intellige, qui inermis ac destitutus in latrones in-*

*Causa legis non videtur facit ad quæ ad hunc pertinet.*

ciderit, quique improvidens, incautusque eam viam elegerit, quia euadere prædonum manus nequiverit. Non enim posset inermis armatos, improvidus pessimos, incautus nocuos effugere (quippe cum malitia semper armata sit dolis, crudelitate septa, munita fallacia, & ad nocendi sæuitiam præparata) cum improvidus nec vnquam possit obistere, nec eius iacula declinare. Est igitur iste homo, quæ diximus, Adam protoplastus: cuius figurā in isto loco posuit dominus, in quem nocendi fallaciam in exordio mudi serpens operatus est diabolus, in quem fallendi virus exercuit, & malitiæ suæ perniciem dedicauit. Hunc itaque immortalitate nudatum, & cælesti dignitate priuatum, spoliandum tradidit suis: vt quem latro ipse nudauerat, latronibus, id est, apostaticis angelis spoliandum penitus tradidisset: & quem gladio transgressionis ipse transfixerat, vulnerandum suis & pene exanimem latro ipse latronibus sociis commendauerit, inuadendum. Hic itaque homo, id est, Adam iacebat destitutus salutis auxilio: iacebat confossus vulneribus delictorum, & squalenti corpore, fluensque tabo cruentus, & marcens, vix exiguum partem animæ, spiritusque trahebat. Cui nec sacerdos Aaron transiens sacrificio potuit profuisse: nec eius frater Moyses Leuita per legem potuit subuenire. Samaritanus autem quidam transiens solus, dissimulare non potuit, quia propter eum à Deo patre missus aduenit. Hic est Samaritanus dominus Christus, cui hoc nomen sceleratus Iudæorum imposuit populus. Hic, inquam, dominus iacentem, vulneratumque accessit, vinum oleumque vulneribus infudit: vinum, inquam, id est sanguinem passionis, & oleum chrismaris, quibus & delictorum vulnera curantur, & sanctificationis tutela præstat, vt indulgentia daretur per sanguinem, sanctificatio conferretur per chrisma vnctione. Iam teguntur vulnera, quæ fuerant antè denudata. Iam à cælesti medico cõfossa loca ligantur: vt intra semet ipsa retinentia medicinam, operante medicamine, pristinae sanitati reddantur. Infuso itaque vino, & oleo, ligatisque vulneribus, imposuit, inquit, eum super iumentum suum, id est, corpori suo eum imposuit: quia Adam protoplastum (vt omnibus notum est) Christus ipse portauit. Mox enim ad stabulum adduxit, atque illum stabulario commendauit. Stabulum ecclesiam accipimus: stabularium, episcopum confirmamus. Est, inquam, stabulum, ecclesia: quæ itinere mundi lassatos, & peccatorum sarcinis defessos suscipit venientes: vbi post æstuantis animi perniciosos ardores, & squalentis vitæ desperata solatia, refrigeria blanda, & auræ delectabiles sentiuntur: vbi, deposito onete peccatorum, viator lassus reficitur, & refectus salubri pascua reparatur: vbi stabularius salubres exhibet cibos, & defessis viatoribus vriles tribuit potus: vbi nec flagrantis solis molestus ardor sentitur, nec hyemis importunum frigus metuitur, sed aut temperies verna blanditur, aut spirans autumnitas reficiendis hospitibus procuratur. Totum enim quicquid contrarium, nocens, & malum est, foris est: quia intra stabulum, requies omnis, salubritasque inclusa est. Vt enim extra stabulum latrones pessimi, prædonesque horrendi, & lupi graues, & immanes belluæ deuorandis miseris, inuadendisque grassantur: intra stabulum innocens agnorum copia, & ouium multi

*Sanctificatio conferretur per chrisma vnctionem.*

*Vide quantæ sit bonæ ipsius, quæ intra ecclesiam continentur, & contra quantæ mali extra degerint.*

*Homilia 3. in Lucam. Nisi est Chrysostomus sed po-*

multiplex innocentia commoratur. Vbi si forte aut bestia nocens, aut lupus latens sub velamen onium esse detegitur: extra stabulum confestim abiectus cū sui similibus, publicatus abiicitur, & abiectus extra stabuli tegmina religatur. Ad hoc ergo stabulum adduxit Samaritanus hominem à latronibus vulneratum, atque eum stabulario commendans, protulit duos denarios, dicens; *Attende, inquit, illi: & si quid plus erogaueris, reuersus cum fuero, ego tibi restitua.* Duo itaque denarii, duo legis testamenta sunt, id est, vetus, & nouum, lex, & Euangelium. Alterum per Moysen in præteritum datum: alterum per Christum in Euangelio consignatum. Hi sunt igitur duo denarii, quos stabularius acceptos semper debeat erogare. Hi sunt, inquam, per quos confirmantur sani, & eriguntur lapsi, curantur egroti, & sanantur per medicū vulnerati. Quos ita stabularius apud se non debeat occultare, vt prolatos qui audierit, non debeat recusare. Vt enim erogare iustus est, qui accipit: ita libenter sumere debet, qui sanari promeruit. *Attende, inquit dominus, illi: & si quid plus erogaueris, reuersus cum fuero, ego tibi restitua.* Videamus igitur quid à duobus denariis, id est, à duobus testamentis ecclesiæ rector plus possit impendere, quid amplius possit in Dei populum erogare, in quo se ei dominus promisit debitorem existere. Nam, cum addi ad duo testamenta nihil possit, nec quicquam augmenti, detrimentūve lex sancta suscipiat: quid est ergo, quod possit plus erogare rector, quam accipit, nisi illud, quod est proprii officij, in quo debet eniti, vt credita erogat, accepta dispenset, aperiat obscura, reuelat occulta, innoluta pandat, quæstiones in lucem deducat, insiliat fortiter, perseueret instanter? Meminerit se speculatorem esse cunctorum, vt ouibus pascuas salubres tribuat, agnis puri fontis vndas exhibeat: exterminet ab ouibus lupos, ab agnis nocuas bestias excludat, vulneratos curet, errantes reuocet, ignaros instruat, erigat lapsos, generaliter omnes, specialiter singulos doceat, suę vitę prouocet vniuersos exemplo. Sit eius doctrina duplex, vt verbis facta conueniant, actus doctrinæ respondeant, in nullo sit minor, qui cunctis est potior. Charismatibus fulgeat, splendescat officiis. Sit cum autoritate humilis, cum humilitate sublimis. Nec ideo sit melior, quia maior: sed ideo maior, quia melior. Multiplicet populos, & eos docendo meliores faciat, quam accepit. Sic sit, vt, dum hominibus feruenter insilit, dominum sibi constituat debitorem. Sed iam vt stabulum in ecclesiæ nomen conuertam, & de figura proprietatem iam faciam, ad te, quisquis es, o Christiane, conuerto, qui sanitatem iactas, & te vulneratum fuisse dissimulas: quia integritate gaudes, & te ægrotum fuisse non mœres: qui te destitutum iacuisse non respicis, sed erectum in ecclesia gloriaris. Ama Christum, qui te à prædonibus liberauit; dilige dominū, qui te prostratum, iacentemque erexit. Dilige, inquam, dominum, qui te in ecclesiæ stabulum per semetipsum inuenit, qui rectori stabulario commendauit: qui duos denarios, hoc est, legem, & euangelium in eruditionem tuam erogari præcepit. Dilige, inquam, dominum, qui tibi dicit: Ecce sanus es, iam noli peccare, ne quid tibi deterius fiat. Erogauit tibi summam legis, & euangelij, libenter amplectere: impendi propter te duorum denariorum quanti-

Ioan. 5.  
Ibidem.

tatem, deuotione auida suscipe, Dominica summa tui causa deposita in lucta tuæ salutis proficiat; fors propter te credita, vñris cumalata consistat. Dominus enim charam tuam salutem habet: qui propter te in seculū venit, & te à nefandis latronibus liberauit. Nec difficile est iam curato dare præmia, cui difficile non fuit curando tribuere medicinam: per Christum dominum nostrum, Amen.

## S. TITI BOSTRORVM

*Episcopi eiusdem Euang. expositio.*

**I**lle autem volens seipsum iustificare, etc. Iureconsultus hic à Domino laudatus, in superbiam & arrogantiam protumpe: ponit namque, se nullum habere proximum, hoc est, nullum extare, qui secundum exactam iustitię rationem cum illo conferri queat. Hoc enim insinuat Euangelista dum ait: *Ille autem volens seipsum iustificare, dixit ad seipsum: Et quis est meus proximus?* Hic legisperitus, scribit Pelusiota, solum iustum iusto proximum iudicat. Eum autem ille tantum iustum censebat, qui ad virtutum fastigiū peruenerat. Neque enim hominum inter se cognationem, aut excellentiam ex natura, aut naturæ similitudine spectandam putabat, sed ex dignitate, & actione. Seipsum proinde iustificare, hoc est, iustū demonstrare, quantumque in virtutibus, aut iuris sapientia progressus haberet, ostentare volens, aiebat: *Et quis est meus proximus?* quasi dicat: ostēde mihi aliquem tantum, quantum sum ego? Dominus autem, tantum rerum omnium opifex (ipse enim paruum formauit & magnum) propinquitatem hanc non ex dignitate, vel præclara aliqua actione æstimari vult; sed ex naturæ conditione. Hominem itaque tantum non ita cōpellat: Nolo nunc dicere, quod cæteris nihil præstes; neque, quod falso opinaris, studeo hic refutare; ne verè studiosi fortè autement, charitatem vitæque integritatem proximo nihil debere; verum detur, quod de virtute & dignitate persuasum habes, ratione niti: at tu interim operam da, vt egenti posthac proximus sis, non spatium, aut loco tantum; sed pia animi affectione, diligentique eiusdem cura præcipue; huc enim exemplum, quod de Samaritano hoc loco adfertur, pertinet. Cum ergo cognatio, de qua hic sermo est, non ex virtute, aut dignitate, vt dictum est, æstimanda sit; sed ex natura, commiserationisque & curationis ratione; tute illum potissimum tibi proximum iudicatio, qui opera tua maxime indiget, adeoque vt opem illi ferat, ne tantisper, dum voceris, expectes; sed vltro occurras, manūque porrigas. *Suspiciens autem Iesus dixit: Homo quidam descendebat ab Hierusalem in Hierichon.* Quando Christus Dominus hominem ab Hierosolymis Hierichonta versum descendisse asserit, eius è supernis ad inferna descensum tacite exprimit. Qui quidem descensus, per Adæ præuaricationem contigit. Hic enim è sublimi illa, patet, & diuina paradisi habitatione (que Hierusalem, quæ Dei pacem denotat, haud incommodè appellatur) ad cauam illam, humilēque, & ardore præfocatum Hierichonta prono lapsū decidit. Hiericho namque mundi huius vitam, miseris & perturbationibus, quæ à Deo seiungunt, plenam, significat. *Et incidit in latrones.* Latronum

tronum nomine agrēstes, seuasque dæmonum agies designat. Qui quidem dæmones hominem illum fortitudine, temperantia, cæterisque virtutum indumentis & ornamentis miserè exutum, peccatorumque vulneribus dirè sauciatus, seminum reliquerunt, & abierunt. Neque enim facile est illis, lethalia vulnera prius alicui inferre, quam virtutum præsidij & munimentis ipsum despoliarint. At verò vbi primum virtutum arma abstulerunt, statim citra intermissionem cædunt & lætiunt; neque antè cædendi & læniendi finem faciunt, quam mortem intulerint. Neque enim contenti sunt solo virtutum spolio, verum toti in hoc sunt, vt homini vitam adimant. *Accidit autem, vt sacerdos quidam descenderet eadem via.* Quandoquidem lex Leuiticum sacerdotium inducit; Dominus per sacerdotem & Leuitam legis imbecillitatem, eiusdemque inutilitatem explanat. Neque enim plagas, illi qui in latrones incidit illatas, sanare valebat. Impossibile est enim, per taurorum & hircorum sanguinem aucteri peccata. Et quidem sacerdos sauciatus defixis oculis aspexit, verum robore destitutus; neque perfectæ sanitati ægrum restituere; neque prostratū erigere potuit. Quod enim præterisse scribitur, id ita inde digressum subindicat, vt tamen vulneratum contueri non omiserit. Constitit enim, & iacentem contemplatus est: imò verò sanandi animo eundem cōreclauit, verum cum se ad præstandam sanitatem impotentē animaduerteteret, plagarum, hoc est, perturbationū, magnitudine victus exterritusque, retrorsum abiit, pedemque retulit, hoc enim significatur vocabulo illo *ἔστραπυλλῆσθαι*. At verò vbi ille, qui per nostræ primitias, vniuersam naturam humanam induerat (in ea enim cuiusque generis, hoc est, Iudæi, Samaritani, Græci, & vt paucis dicam, omnium hominum pars quædam inerat) corpore, quod iumentum vice ipsi erat, loco hominis sauciari affecto, afflictōque sese applicuit, omnis mox vulnerum dolor, & sanies è medio facescit. Verè hic enim erat, qui ibat, sed non præteribat: quinimò studio ob id iter isthac faciebat, quod eos inuideret, propter quos è cælo in terram descenderat; & apud quos rursum veluti hospes diuenteret. Neque enim posteaquam citra vllam prorsus sui mutationem, aut falsæ imaginis speciem, hominem semel induit, ab hominibus tantum visus est; sed verè etiam inter homines conuersatus est. Enimvero legitimum, benèque affectorum medicorum proprium est, familiariter cum ægris versari; neque prius eos deserere, quam integram sanitatem recuperauerint. *Infudit oleum & vinum.* Vinum oleo temperatum, hoc est, doctrinam informandis animis idoneum, in ægri vulnera infudit: siquidem vulnus graue, & moribus quodammodo insanabilis, non ferebat illud purum, hoc est, excedentem illam astrictionem & acrimoniam. Quare cum publicanis quoque & peccatoribus accumbebat, cibumque cum illis sumebat. *Imponens illum in iumentum suum;* hoc est in seipsum. Ipse enim veluti propria corporis sui membra nos portat. *Duxit in stabulum.* Hoc est in Ecclesiam; hæc enim cum omnium capax existat, omnes intra gremium suum cōplectitur. Neque enim nūc amplius iuxta legalis vmbræ, typicicque cultus angustias, audimus: Non introibit in Ecclesiam Dei Moabites, aut Amonites, audimus

autem: Eantes docentes omnes gentes, &c. rursum: In omni gente, quæ timet Deum & operatur iustitiam, acceptus est illi. *Et curam eius egit.* Quomodo peculiarem illius curam habuit? Quia Christus ipse in Ecclesia ex gentibus, quæ in idololatriæ fordibus sepultæ iacebant, congregata, versatus est, iuxta illud: Habitabo & ambulabo in eis, omnemque spiritalem gratiam illi imperitus est. *Dedit duos denarios stabulario.* Stabularij typum gerunt Apostoli, & qui illos secuti sunt, doctores & pastores. Iis enim Christus Dominus ad cælum ascensus, obtulit duos denarios, mandatum dans, vt diligentem curam ægro impendant; certōque promittens, vbi redierit, se id totum cumulatè resuturum, quodcunque supererogatum fuerit. Cæterum per duos denarios, duo testamenta designat, vetus nimirum & nouum; vtunque enim Dei est; & vtunque, vt legitima numismata solent, vnam eandemque Regis vnus imaginem & inscriptionem præ se fert; & eundem tandem per diuina eloquia, regni characterem cordibus nostris imprimit inducitur. His ergo denariis acceptis, propriæque industria auctis, (eius enim naturæ est argentum spiritale) Domino ad vltimum diem reuertenti, singuli dicturi sunt: Domine duos denarios tradidisti mihi; ecce propriam industriam in medium conferens, eandemque hisce adiungens, lucratus sum alios duos: siquidem gregem tuum auxi. Quibus Dominus responsurus est: Euge serue bone & fidelis. Deinde Domino ex legisperito seiscitante; *Quis horum trium videtur tibi proximus fuisse illi, qui incidit in latrones?* illōque respondente, *qui fecit misericordiam in illum,* mox audiuit: *vide, & tu fac similiter.* Quasi dicat, & sacerdotij dignitas, & titulus rursum, nomenque iureconsulti, res sunt, quæ paruum utilitatem sacerdotibus & iurisperitis adferunt, nisi bonis operibus illa probet, & exornent. Cernis hinc ergo regni coronam iis contextam & præparatam, qui proximum diligunt.

## S. AVGVST. EPISCOPI

*Hippo. n. in superius Euang.*

*Homilia.*

**G**audere nos apostolus præcipit, sed in domino non in seculo. Quicumque enim voluerit amicus esse huius seculi, sicut scriptura dicit, inimicus Dei reputabitur. Sicut autem non potest homo duobus dominis seruire, sic & nemo in hoc seculo potest gaudere & in domino. Multum inter se hæc duo gaudia differunt, suntque omnino contraria. Quando gaudetur in seculo, non gaudetur in domino. Quando gaudetur in domino, non gaudetur in seculo. Vincat gaudium in domino, donec finiatur gaudium in seculo. Gaudium in domino semper augeatur, gaudium in seculo semper minuatur, donec finiatur. Non ideo ista dicuntur, quia in hoc seculo cum sumus, gaudere non debemus, sed etiam in hoc seculo constitui iam in domino gaudeamus. Sed ait aliquis, In hoc seculo sum, vtique si gaudeo, ibi gaudeo vbi sum. Quid enim? Quia es in seculo, in domino non es: audi eundem Apostolum ad Athenienses loquentem, & in Actibus Apostolorum dicentem de Deo, & de domino creatore nostro, *In illo viuimus, mouemur, & sumus.* Qui enim vbi que

Ser. 17. de ver.  
Domini.  
Philip. 4.  
Iacob. 4.  
Math. 6.

Acto. 17.





natus, ecclesiam intrabit. *Et altera die protulit duos denarios, &c.* Altera dies est post domini resurrectionem. Nam & ante quidem per evangelij sui gratiam illuminauerat iis, qui in tenebris, & in ymbra mortis sedebant, sed potior resurrectione celebrata, perpetuæ lucis splendor effulsit. Duo denarij sunt duo testamenta, in quibus æterni regis nomen & imago continetur. Finit enim legis Christus. Qui altera die prolati dantur stabulario, quia tunc aperuit illis sensum, vt intelligerent scripturas. Altera die stabularius denarios, quorum precio vulneratum curaret accepit, quia spiritus sanctus adueniens docuit Apostolos omnem veritatem, quo gentibus erudiendis instare, atque Euangelium prædicare sufficerent. *Et quodcumque supererogaueris, &c.* Supererogat stabularius, quod in duobus denariis non accepit, cum dicit Apostolus; De virginibus autem præceptum domini non habeo, consilium autem do. Itemque; Et dominus ordinauit iis, qui euangelium adnunciabant, de euangelio viuere. Sed non vñ sumus hac potestate, ne quem vestrum grauaremus. Cui rediens, quod promiserat debitor redder, quia veniens in iudicio dominus dicit; Quia super pauca fuisti fidelis, super multa te cõstituiam. Intra in gaudium domini tui. *Quis horum trium videtur tibi proximus, &c.* Iuxta litteram, manifesta est domini sententia, nullum nobis amplius quam qui miseratur esse proximum; si Hierosolymitæ cui non sacerdos, non Leuita ex eadem gente, immo in eadem vrbe nati, & nutriti, sed exteræ gentis accola, quia magis miserus est, factus est proximus. Sacratiore autem intellexerit, quoniam nemo magis proximus quam qui vulnera nostra curauit, diligamus eum quasi dominum Deum nostrum, diligamus quasi proximum. Nihil enim tam proximum, quam caput membrum. Diligamus etiam eum, qui imitator est Christi. Hoc est enim, Id est, vt vere te proximum sicut teipsum diligere manifestes, quicquid vales in eius, vel corporali, vel spiritali necessitate subleuanda, deuotus operare.

ERICI IN SVPERIVS  
Euang. Homil.

Familiare & quodammodo proprium est diuinæ scripturæ, sequentia præcedentibus iungere, & ex præmissorum scientia ad sensum eorum, quæ sequuntur, recto ordine se inornare. Vnde oportet ad huius lectionis seriem pernoscendam paulò superius dicta sancti euangelistæ retexere, vbi legitur, quòd reuersis de officio prædicationis discipulis, & vt moris est hominum, exultantibus, quòd etiã dæmonia ei subiicerentur, ait eis Dominus; Nolite gaudere, quia dæmonia vobis subiiciuntur, sed gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in caelis. Et paucis interpositis, conuersus ad discipulos, ait; *Beati oculi qui vident, quæ vos videtis.* In quibus verbis illud quam maximè queri debet, vtrum omnium, qui Christum hominem videre poterant oculi, ad hanc credantur beatitudinem pertinere, cum non solum boni quique & fideles, verum etiam mali, & infideles possent eum videre; nec modò ad videndum eum, sed & ad iniurias irrogandas expositum haberent; Et vt

Opera supererogationis dicta Deo gratia.

Luc. 10.

scrupulus huius quæstionis elucidetur, necesse est, vt vtriusque visionis modus distinctè in Domino consideretur. Aliter enim apostolis spiritualibus; aliter scribis, & pharisæis, seu turbis carnalibus apparebat. Apostoli, & ceteri fideles hominem esse cernentes, verum quoque Deum esse non dubitabant: quod manifestat Petrus Apostolus; qui pro omnibus respondit Domino, dicens; Tu es Christus filius Dei viui. Pharisæi verò illud, quod videbant, hoc solummodo credebant. Videbant eum oculis corporeis, & tantum purum hominem esse credebant: Credebant dico, quia ab hominibus hoc credi volebant: alioquin lege, & prophetis edocti, Christum illum esse non dubitabant; sed propter gloriam humanam, quam perdere timebant, Christum illum confiteri metuebant. Vel ita; Pharisæi verò solo visu corporis Dominum merientes, nihil in eo diuinum cæca mente intelligebant. Vnde nec eum persequi, & iniuriis vel contumeliis, ac probris insectari metuebant. Non ergo horum oculi beatificauerunt, qui eum hominem solummodo esse putabant; sed oculi Apostolorum & fidelium beati, qui Christum in decore suæ diuinitatis cernebat; qui Christum in decore illi & verum Deum, & verum hominem esse credebant, de quibus ipse superius ad patrem loquens, dicebat; *Gratias ago tibi, pater, Domine cæli, & terræ, quòd abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, scribis videlicet, & pharisæis; & reuelasti ea paruulis, id est, humilibus, & mansuetis Apostolis; qui & si illum viderunt communi infirmitate circumdatum, crediderunt tamen, & intellexerunt in homine latentem vnum cum patre Deum. Felices etiam eorum oculi, & huius sine dubio beatitudinis cum Apostolis consij, qui omni vitiorum effusione deteresa, & omni labis numero ad purum excocto, purgatissima mentis acie Deum contemplari merentur; qui non solum cum multis Dominum per fidem cognoscere, sed eius insuper diuinitatis naturam quantum ipse permittit, sapienti ratione intueri festinant. Dico enim vobis, quòd multi propheta, & reges voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt; & audire, quæ auditis, & non audierunt.* Reges, sanctos & iustos appellat, qui omnes corporis motus, omnes animi appetitus iuxta sui conditoris voluntatem regere, & disponere nouerunt, animi imperio, corporis vterites seruitio. Sed cum constet Deum à patribus præscis temporibus visum, quid sibi vult quod dicitur; *Multi propheta, & reges voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt?* Abraham siquidem Deum vidit, quem toties apparentem in tribus etiam angelorum personis hospitio recepit. Moyses quoque, vt testatur scriptura, solitus erat cum Deo loqui facie ad faciem, sicut loquitur homo ad amicum suum. Sed & magnæ vocis Esaias; *Vidi, inquit, Dominum sedentem super solum excelsum.* Sic Michæas, multique alij prophetae verissimè sibi Deum apparuisse confirmant. Vnde & videntes sunt appellati; & penè cuncta scriptura relecta, patres antiquos frè omnes Deum vidisse demonstrat. Si ergo sancti patres, & prophetae Deum viderunt, vt scriptura testatur, quid est quòd Dominus dicit; *Multi propheta, & reges voluerunt videre quæ vos videtis?* Sed aliud est videre per fidem, aliud per speciem. Viderunt siquidem præmemorati sancti Deum omnipotentem, sed

Matth. 13.

Matth. 7.

Hier. 17.

Exod. 3.

Psal. 118.

Exod. 6.

Psal. 143.

Matth. 13.

Psal. 6.

Luc. 10.

sed per speculum, & per imagines, & in subiecta creatura. Omnes enim manifestationes, quæ in veteri testamento ad patres factæ fuisset memorantur, per inferiores creaturas, hoc est, per angelos peractæ à doctotibus affirmantur. Si enim in sua diuinitate vt est, absque vllis imaginibus Deum videbant sancti, quid est, quòd Moyses, vt iam dictum est, cum Domino facie ad faciem loquebatur, tamen obnixè Dominum obsecrabat, dicens; Si inueni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi teipsum manifestè, vt videam te. Quem enim manifestè videre quærebat, vtique vsque ad illud tempus per imagines, & figurâs vidisset declarabat. Et beatus Stephanus de eodem Moysè dicit; *Hic est Moyses, qui fuit cum Angelo, qui apparuit ei in rubo.* Verum sancti Apostoli Dominum semper præsentem habebant; & cum in omni familiaritate, tum etiam in conuictu illi familiarissimè adhæreres, quicquid cognoscere voluissent, non per speculum, nò per ænigma, sed per ipsum Dominum interrogando disciebant. Vnde meritò omnibus, retro sanctis lege beatitudinis præferuntur, audientes à Domino; *Multi reges, & prophetae voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt; & audire quæ auditis, & non audierunt.* Nam illi, qui in veteri Testamento Deum vidisse narrantur, iuxta fidem defuncti sunt omnes, non acceptis promissionibus, sed à longè eas aspicientes, & salutantes. Sciendum verò per incrementa temporum creuisse diuinæ cognitionis augmentum. Apparuit enim Deus Abraham, sed longè post Moysi visus dicit; *Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob, & nomen meum Adonai non indicaui eis.* Quibus verbis plus aliquid de Deo Moyses, quam præcedentes patres, cognouisse ostenditur. Beatus etiam David multis post sæculi temporibus natus, manifestè clamat, dicens; *Super senes intellexi. Quod est apertè dicere; Præ cunctis, qui ante me fuere, patriarchis, & prophetis, subtilius aliquid de Dei maiestate cognoui. Quid verò de sanctis iam dicatur apostolis, qui ab ipsa, & per ipsam Dei sapientiam eruditi, cuncta, quæ de cælestibus, & diuinis humana poterat sufferre scientia, plenissimè didicerunt; Quòd enim antiqui sancti maximum desiderium habuerint, vt Deum viderent in carne præsentem, quòd hic ipse eos intueri desiderasse asseuerat, ipsorum verba testantur, quibus se Dei filium incarnatum videre totis affectibus concupuisse declarant. Hinc Esaias magno, & incõparabili Deum videndi seruens desiderio, clamabat; *Vtinam dirumperes cælos, & descenderes.* Hinc David pari cupiditate exæstuans, aiebat; *Domine, inclina cælos tuos, & descende.* Optabant enim singuli, si fieri posset, vt suo quisque tempore Dei filium incarnatum videret. Notandum autem, quia quos Lucas in præsentem lectione prophetas, & reges dicit, Matthæus alibi distinctus loquens, prophetas, & iustos appellat. Ipsi sunt enim reges magni, qui & iusti, qui tentationum suarum moribus non cõsentiendo succumbere, sed regendo præesse nouerunt. *Et ecce quidam legisperitus surrexit venans eum, & dicens; Magister, quid faciendo, vitam æternam possidebo?* Ille legisperitus, id est, legis doctor, vt Dominum quæstione tentaret, ex ipsius Domini verbis materiam sumpsit, quæ ad discipulos superius specialiter dicta fuerant; Gaudete quòd nomina ve-*

stra scripta sunt in cælis. Hoc iste audiens, & suum quoque nomen in cælo assignari cupiens, percontatus est, quid facere deberet, vt vitam æternam possideret. Intellexerat enim, quia in cælo scribi, nihil aliud est, quam in æternitatis memoria titulari. Verum quia à legisperito Dominus interrogatus fuerat, consequens erat, vt eum ad legis scientiam mitteret, vt suis verbis sibi ipsi satisfaceret. Vnde sequitur; *Ait illi Iesus; In lege quid scriptum est? quomodo legis?* Quia ipse legis doctor erat, vt dictum est, idè de ipsa lege eum interrogat. Sed ille non tam Domino respondit, quam sibi quæstionis obiectæ nodum aperit; *Diliges, inquit, Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, id est, ex toto intellectu; & ex tota anima tua, id est, ex tota voluntate tua, vel ex omni quod viuus, & sapis; & ex omnibus viribus tuis, hoc est, ex omni fortitudine; & ex tota mente tua, id est, ex omni memoria, vel ratione. Et proximum tuum sicut teipsum.* Post dilectionem Dei, iure secundo loco ponitur dilectio proximi, quæ iam quadam certâ determinatur mensura: cum sicut nos, ita proximum diligere præcipimur. Namque in dilectione Dei nullus modus constituitur, sed omnibus simul mentis & corporis officiis diligere mandatur. Ait enim Apostolus Paulus; *Quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt.* Dum ergo Dominus legisperito se tentanti respondere dignatur, nostram ignorantiam erudit; in qua responsione iter patriæ cælestis nobis ostendit. Cum enim suo tentatori mandatum dilectionis exponenti dicit; *Rectè respondiisti, hoc fac, & viues;* apertè nobis declarat, quia per solam dilectionem ad vitam æternam peruenire possumus, si hanc non verbo tantum, sed opere seruamus: scilicet vt diligamus Deum ex toto corde, & ex tota anima, & ex omnibus viribus, & ex tota mente. Tunc etiam diligimus proximum tanquam nosmetipsos, si omnia, quæ nobis à proximis fieri volumus, eadè & nos proximis faciamus. Sciendum præterea, omnem illum decalogum, in quo totius diuinæ legis perfectio constat, his duabus charitatis complexi sententiis. In decalogo enim tria sunt præcepta ad dilectionem Dei pertinentia, & septem, quibus fraternæ dilectionis mos instruitur. Hinc Dominus dicit; *Quia in his duobus mandatis vniuersa lex pendet, & Propheta.* Nulli ergo iam de ignorantia excusandi locus conceditur, nulli de implendis mandatis Dei impossibilitatis argumentum relinquatur. Omnia enim legis, & euangelij præcepta charitatem commendant. Hæc in singulis sola, in omnibus tota præcipitur. Hæc quisquis eo, quo in Deum, & secundum Deum seruanda est, ordine tenuerit, omnem profectò legis, & euangelij summam, quæ ex hac pendet, implebit. Sola enim charitas virtutes inchoat, sola prouehit, sola perficit, vt meritò de hac per Psalmistam dictum sit; *Ibant sancti de virtute in virtutem.* *Ait illi Iesus; Rectè respondiisti, hoc fac, & viues.* Dum legisperiti Dominus responsonem approbat, & obiectæ quæstionis nodum soluit, & nobis, qua vitæ æternæ iter sequi debeamus, ostendit. Sed ille Domini se ore laudatum videns, maioris adhuc fauoris audis, iteratò quem suum proximum scire deberet, interrogat, hoc est, quod Euangelij ait; *Ille autem volens iustificare seipsum, hoc est, iustum, & sapientem ostendere. Neque enim dignus erat numero eorum, de quibus supra*

Rom. 15.

Matth. 22.

Psal. 83.

Luc. 10. 472

prà ad patrem dixerat: Reuelasti ea paruulis, id est humilibus, & manseris Apostolis, sed illorum socius exitebat, de quibus ait; Abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, scribis videlicet, & Phariseis. Quia ergo laudatus fuerat à Domino, quod optimè respondisset, vt supra dictum est, quantulacunque ex hoc percepta iactantia, volens se iustum ostendere, dixit ad Dominum; *Et quis est meus proximus?* Quærit iste legis doctor, vtrum is, qui consanguinitate tantum aut propinquitate carnis affinis est, an potius omnis homo, qui misericordiam alteri impedit, proximus intelligi debeat. Cui Dominus ita respondet, vt & omnem hominem, qui alterius miseretur, proximum illius esse doceret; & tamen quia ipse per assumptam humanitatem proximus nobis fieri dignatus est, euidenter ostenderet, iam verò quid Dominus fecerit, consequentur aperitur, cum subditur; *Suscipiens autem Iesus, dixit:* Verbum, suscipio, duobus modis intelligitur. Aliquando ponitur pro eo, quod est accipio, vt est illud: *Suscipiens Iesum in vlnas suas Simeon.* Aliquando verò significat, respondeo, sicut in præsentī loco cum dicit; *Suscipiens Iesus,* id est, respondens dicit; *Homo quidam descendebat ab Hierusalem Hiericho, & incidit in latrones.* Interrogante legisperito Dominum, quis esset eius proximus, proponit illi Dominus parabolam hominis descendens de Hierusalem in ciuitate Hiericho, qui fuit à latronibus in itinere despoliatus, atque vulneratus: quem Leuita, & sacerdos, qui erant ex gente ipsius, inuenientes pertransierunt, neq; illi misericordiam impendere studuerunt. Præteriens autem Samaritanus quidam, qui gentis erat alterius, misericordia motus alligauit vulnera eius, & imponens illum in iumentum suum, duxit in stabulum suum, hoc est, ad hospitium suum, & curam illius cepit habere. Sequenti autem die dans stabulario, videlicet hospiti suo, duos denarios, petiuit vt curam illius haberet, promittens in redeundo mercedem illi restituendam. Qua proposito parabola, interrogat Dominus doctorem legis, quis horum trium fuerit proximus illi, qui fuerat vulneratus; vtrum Leuita, vel sacerdos, qui ex eadem gente, immò ex eadem ciuitate erant, & misericordiam non fecerunt: an potius Samaritanus alienigena, qui ei misericordiam impendit. Et ex responsione scribæ patenter approbat, nullum nobis amplius proximum esse, quam illum, qui nostri miseretur: cui & præcipitur à Domino vt pergat, & similiter agere studeat. *Homo quidam descendebat ab Hierusalem in Hiericho.* Quantum ad literam, idèd hominem ab Hierusalem in Hiericho descendisse narrat, quia Hierusalem in montosis, Hiericho verò ciuitas in campestribus sita est: atque idèd de Hierusalem in Hiericho non nisi descendendo peruenitur. In quo itinere ferunt latrones in quibusdam speluncis, ac foueis latitare atque subinde de transeuntibus prædas agere. Aliter: Ferunt, iuxta literam, inter Hierusalem, & Hiericho vallum fuisse frequentibus permeantium deprædationibus, & atrocitatis famosam, eo tempore quo decem tribus à David regno defecerant, atque inter Roboam, & Hierobeam intestina bella vigeabant. Situs autem Hierichoninus mirabilis fuisse à locorum \* scitis asseritur. Fuit enim vrbs illa instar lunaris hemisphærij, septemplex muro vallata, vnde lunæ nomen accepit: nam Hiericho

luna interpretatur. Sed ita ea, quæ literæ superficies exposcit tangenda sunt, vt veritas allegoriæ efficaciter requiratur, eique inconcusse inhaeratur. Homo igitur iste, qui descendit de Hierusalem in Hiericho, & incidit in latrones, Adam, & in eo casualiter genus humanum accipitur. Hierusalem autem ciuitas, de qua descendisse refertur, quæ visio pacis interpretatur, significat caelestem Hierusalem, id est, illam habitationem patriæ caelestis, ad quam perpetualiter contemplan- dam, atque possidendam, primus homo à Deo fuerat creatus. A cuius felicitate tunc decidit, cum superbiens ex paradiso expulsus est, atque à visione diuinæ contemplantationis alienatus. Quandiu enim in paradiso fuit, in consortio, & societate angelorum per mentis cõtemplationem mansit. At vbi serpentis persuasionem motus, contra creatorem superbiuit, statim à paradiso simul & à contemplantatione sui conditoris decidit. Et hoc significat præsens parabola, quæ narrat hominem descendisse de Hierusalem: cuius nomine, videlicet Hierusalem, designatur illa beatitudo patriæ caelestis. Quo verò deciderit, ipse primus parens noster, postquam à contemplantatione caelestis Hierusalem alienatus est, manifestat Dominus cum addit: In Hiericho, hoc est, in hanc vitam mortalem, laboribus & defectibus plenâ, in quam merito inobedienciæ infelix humana mortalitas expulsa, grauissimam præsumptione superbiæ perpetuo deflet exilio. Hæc vita præsens nomine Hiericho designatur. Et rectè per Hiericho, quæ interpretatur luna, defectus nostræ mortis figuratur: quoniam sicut singulis mensibus luna decrescens deficit, ita & vita nostræ mortalitatis singulis momentis deficiens, quotidie euanescit. Homo ergo iste tuc à Hierusalem descendit in Hiericho, quando parès humani generis, in quo omnes fuimus, peccando ab illis immortalibus sedibus paradisi ad hanc mortalem, & ærumnarum plenam deuolutus est vitam. Sed videamus qui sint latrones, in quos primus homo incidit, vel quomodo ab eis despoliatus, atque vulneratus, seminiuum euaserit. *Et incidit in latrones.* Latrones olim dicebantur, quos modo satellites vocamus, quod regum astarent lateribus. Sed modo latrones, à latendo prædones, & fures conspigerando obtinuit nuncupari. Per latrones, qui à latendo didi sunt, maligni spiritus intelliguntur, qui latrones dicuntur, quod eo nequius, quo occultius seuiunt. Si enim præuiderentur, fortassis aliquatenus caperentur. Pro eo enim quod inuisibiles sunt, iter nostrum latentèr obsident. In hos latrones homo idèd incidit, quia descendebat. Descensus autem hic non alius quam superbia intelligitur, de qua Dominus ait; *Qui se exaltat, humiliabitur.* Nisi ergo superbiendo descendisset; in latrones non incidisset, qui primum in se superbus, ac deinde tentatus, hostibus cessit. Scriptum namque est; *Ante ruinam exaltatur cor, & ante gloriam humiliatur.* Benè autem prius descendisse; & deinde latrones incurrisse dicitur. Iam enim primus homo interiùs ante Dei oculos per superbiàm ruerat, quando eum sibi hostis tentando foris tam facile sternebat. Qua de re conijci datur, neminem suggestionem malorum spirituum, nisi volentem, & vltro tentandi occasiones appetentem, ad peccandum posse impelli. *Qui etiam despoliauerunt eum,* quando primum hominem illa immortalitatis,

tatis, & innocentie veste nudauerunt, & ex iustis, & immortalibus peccatores, & mortales fecerunt. Nisi enim superbiendo primus parens noster Adam peccasset, immortalis vtiq; permanisset. Hoc enim meritò designatum est per folia ficus, quibus pudenda texerunt, asperitas scilicet peccatorum, & pruritus illicitæ voluptatis. Sed & in vestibus pelliceis conditio præfigurata est mortalitatis. Hæc est enim illa stola, quam prodigus filius recipere meruit, ad pietatem patris reuersus. *Et plagis impostis, abierunt.* Quid vulnera plagarum, nisi inflitæ corruptiones intelliguntur peccatorum? Sicut enim plagis caro sauciatur, ita peccatis anima cruciatur. Quod intuens Psalmista, hebili lachrymatione semetipsum deplorat, dicens; *Peccata mea sicut sagittæ infixæ sunt in me: tanto vtiq; nequius, quanto per hæc animæ, non corporis vita subducitur.* *Plagis igitur impostis,* id est, peccatis cumulatis, abiisse dicuntur, non quod ab hominum impugnatione aliqua tenus cessent, sed ipsas suas fraudes, & nequitas spirituales callidè, ne caueti, vel deprehendi valeant, occultando. *Seminiuum relicto.* Ex ea parte, qua homo Deum cognoscere potest, viuunt: ex qua verò peccando Deum offendit, mortuus esse probatur, sicut legitur; *Anima, quæ peccauerit, ipsa morietur.* Licet enim meliorem in homine partem, id est, animam, occiderunt, nequaquam tamen ei rationis, & diuinæ imaginis dignitatem auferre poterunt. In quantum enim homo peccatis contabescit, moritur. Quantum verò ratione viger, & authorem suum cognoscit, non mortuus, sed viuus habetur. Latrones ergo, id est, dæmones, seminiuum hominem reliquerunt, quia beatitudinem quidem ab eo immortalitatis tulerunt, sed rationem animi, qua Deum nosse potest, auferre minimè potuerunt. *Accidit autem, vt sacerdos quidam descenderet eadem via, & viso illo, præteriuit.* Similiter & Leuita, cum esset secus locum, & videret eum, pertransiit. Per sacerdotem, & Leuitam, qui inspec- to saucio transierunt, significatur lex veteris testamenti, & sacerdotium Iudæorum, quod maxime quondam in sacerdotibus, & Leuitis emicuit. Vel vt distinctius loquamur, per sacerdotè quidem Aaron sacerdos cum omni sua progenie: per Leuitam verò Moyse similitèr cū sua successione intelligitur. *Qui eadem via descendit, quia vna, qua & omnes, mortis conditione per iter seculi decurrerunt.* Sed viso saucio, sine vilius remedij effectu pertransierunt: quia vetus illa lex & sacerdotium peccata quidem valebant tantum ostendere, sed neminem à peccato liberare. Peccatorum enim vulnera per legem, & sacerdotium Iudæorum tantum monstrari poterant, non autem curari. Vt enim apostolus ait; *Impossibile erat sanguine brutorum animalium auferri peccata, donec veniret illud singulare sacrificium, quod in cruce oblatum, peccata mundi exterisit, vnde sequitur; Samaritanus autem quidam iter faciens venit secus eum.* Samaritani non erant de populo Iudæorum, sed alienigenæ potius, & idolis seruientes. Cùm enim à rege Assyriotum X. tribus propter peccata sua translatæ fuissent de Samaria, ne terra eorum habitatore vacua, redigeretur in solitudinem, iussu regis Assyriorum quidam de alienigenis, Assyrii videlicet, missi sunt in Samariam, quæ erat caput decem tribuum, vt ha-

bitarent ibi, & terram excolerent. Cùmque cepissent inibi degere, & idolis (vtpotè Deū ignorantes) deseruire, immisit in eos Dominus feroces bestias, ad quarum deaflatione interibant. Quo comperto, rex Assyriorum, cum suis communicato consilio, direxit eis quendam de sacerdotibus Iudæorum, qui eos legitima Dei terræ doceret. Qui cùm diuinam eis legem dedisset (vt Regum plenissimè narrat historia) ceperunt timore cogente Deum colere, sed pristina adhuc infidelitate vigente, nihilominus idola non destiterunt adorare. Istos ergo Iudæi abominationi, & contemptui deputantes, Samaritanos, & plenos dæmonii vocabant, eò quod dæmonis deseruirent. Vnde & hoc pro summo conuicio Domino Christo obiecerunt; Samaritanus es tu, & dæmonium habes. Samaritanus hic, Domini Iesu Christi typus est, qui alibi Iudæis se blasphemantibus, & Samaritanum, ac dæmonium cum habere dicentibus, Samaritanum se esse non abnuuit, sed falsò illos quod dæmonium haberet, succensere declarauit, dicens; *Ego dæmonium non habeo.* Non ergo se Samaritanum vocari indignum tulit, quia in nota dedecoris, mysterium amplexus est veritatis. Samaritanus enim interpretatur custos. Custos autem noster nemo competentius, quam humani generis redemptor accipitur, cui propheta in persona Ecclesiæ dicit; *Custos quid de nocte? Et Psalmista; Nisi Dominus custodierit ciuitatem in vanum vigilant qui custodiunt eam.* Et idem Psalmista vt hos latrones spirituales euitaret, huc custodem deprecabatur, dicens, *Custodi me à laqueo, quem statuerunt mihi.* Hic ergo Samaritanus, id est, Dominus Iesus Christus Compassione finitimus, misericordia vicinus, iter faciens secus sauciū venit, hoc est, iuxta genus humanum, quod peccatis erat vulneratum: quia Deus super omnia, factus est homo inter omnia: temporum conditor, & locorum, in tempore, & loco voluit comprehendi, quando assumpta humanitate in similitudine carnis peccati apparuit, vt per peccatum damnaret peccatum. Quasi enim quodam iter habuit, quia de caelis venit in vterum virginis, de vtero venit in præsepe, de præsepi ad crucem, de cruce collocatur in monumento, de monumento iterum surgens ascendit in caelum. Hinc & in epithalamio Ecclesiæ voce dicitur; *Ecce iste venit saliens in montibus transiens colles.* Hoc iter peragès dominus, vidit saucium genus humanum, hoc est, miserus est eius. Secus saucium venisse dicitur, quia quodammodo iuxta nos stetit, quando similis hominibus in veritate susceptæ carnis apparuit: de quo benè dicitur, *Videns eum, misericordia motus est.* Solius enim diuinæ pietatis, & misericordiæ fuit, quod nos sub duræ mortis imperio constitutos indoluit. Hæc iustum vicit, & vt miseris subueniret, obtinuit. *Et appropians, alligauit vulnera eius.* Per alligationem vulnerum intelligitur abolitio peccatorum. Tunc dominus appropians, sauciati vulnera alligauit, quando veniens in hunc mundum, peccata, quæ in hominibus inuenit, redarguendo cohibuit, dicens; *Pœnitentiam agite.* Alligauit ergo vulnera, dum peccandi consuetudine summa, iustitiæ, & sanctitatis fascia mentes saucias astrinxit. Vnde & propheta peccatoris animâ à prauo opere dolens nō respicere, dicit; *Vulnus, & liuor, & plaga tumes non est circum ligata, neque sota.* *Bibl. Hom. tom. 3. R r 3 oleo*

3 Reg. 12. \* for. scijs

Luc. 11.

Præterit.

Non cogit ad peccatum

2an. 8.

Ibidem.

Ps. 12. Ps. 126.

Ps. 40.

Rom. 8.

Cent. 2.

Matth. 3.

Esai. 1.



oleo. *Infundens oleum, & vinum.* Vinum plagis infusum mordet, oleum verò lenit & mollit. Per vinum autem aspera, & acerbata inuectio peccati accipitur; per oleum verò lenis, & blanda curatio designatur. Vinum enim putridas carnes refecat. Et quodammodò vinum infudit, dum peccantes, & non penitentes pœnarum lenitate perterruit, dicens; Omnis aibor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Oleum nihilominus infudit, cum spem veniæ penitentibus repromissit, dicens; penitentiam agite, appropinquabit enim regnum calorù. *Et imponens illum in iumentum suum.* Iumentum accipitur caro saluatoris. Iumentum enim à iuuando dicitur. Et caro domini iumentù fuit, quia nobis vt ad vitã repararemur æternam, adiumentum præstitit. Imposuit ergo faucium in iumentù, quãdo peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum. Et mira Deus dignatione iumentum factus est, vt homo iumentum, fieret Deus. Iumenta enim irrationabilia erant homines, quibus dicitur: Nolite fieri sicut equus & mulus. Vnde & quasi iumenta in stabulum inducuntur. De hac humanitatis assumptione loquens propheta, dicit; Ecce dominus ascendet super nubem leuem: hoc est, assumet corpus pondere peccatorum nequaquam grauatum. Hoc autem est, quòd hic dicitur vulneratum iumento suo imposuisse, quòd & in alia parabola significatur, in qua pastor bonus inuentam ouem humeris suis imposuit, & sic reportauit ad gregem. Moraliter autem tunc quilibet super iumentum domini imponitur, & in stabulum ducitur, cum ad baptismum veniens, fidem sanctæ Trinitatis percipit, & in societate sanctæ Ecclesiæ collocatur. Nam sequitur: *Duxit in stabulum.* Stabulum autem in quod illum duxit, præfens sancta Ecclesia accipitur, in qua sancta Dei animalia, hoc est, fideles, frumento verbi Dei iugiter aluntur, & sacratissimo diuini corporis pane confirmantur, de quibus dictum est; Animalia tua habitabunt in ea. Stabularius autem ordinem prædicatorum designat, quibus sancta Ecclesia commissa est à Christo, vt pabulo verbi diuini eam reficere audeant. Stabulo etiam viatores fessi succedere solent, & sancti quique tumultuosis seculi actionibus defatigati, intra Ecclesiam quieti consistunt. *Et curam illius egit.* Non enim suffecit domino quòd peccata prohibuit, quòd vitæ præcepta proposuit, nisi etiam ægerrimo generi humano conferret, vt prohibita vitaret, & præcepta impleret. Sed non vacabat Samaritano huic diutius in terris morari, redeundum erat illuc, vnde venerat. *Et altera die protulit duos denarios, & dedit stabulario, & ait: Curam illius habe.* Prima dies, est tempus dominicæ incarnationis, quando, sicut scriptum est, sedentibus in tenebris & umbra mortis, lux orta est eis. Altera verò dies, est post domini resurrectionem, in qua splendor lucis æternæ cum claritate euangelij cunctis per orbem gentibus radiauit. Duo verò denarij, duo testamenta significant, vetus scilicet, & nouum in quibus æterni regis nomen, & imago, hoc est, cognitio, & contemplatio continetur. Altera igitur die dominus duos denarios protulit, & dedit stabulario, quia resurgens ex mortuis aperuit discipulis sensum, & vtriusque testamenti mysteria ad eruditionem omnium gentium illis patefecit. Stabularius verò, vt præmissum est, ordo intelligitur

Math. 3.

Ibidem.

Iumentum corpus Domini. 1. Pet. 2.

Psal. 31.

Esai. 19.

Psal. 67.

Esai. 9.

prædicatorum, è quibus vnus est eximius Paulus apostolus, qui legis denarium in curam faucij expendens, dicebat; Hæc omnia contempno, & arbitror vt sterora. Duos ergo denarios stabularius accepit, quando apostolus vtriusque testamenti scientia collata est, & ad prædicationem quasi ad curationem humani generis directi sunt. Quid enim est aliud dicere? *Curam illius habe, nisi, Ite in mundum vniuersum, & prædicate euangelium omni creaturæ? Et quodcumque supererogaueris, ego cum rediero reddam tibi.* Videmus quid supererogauerunt stabularij, id est, sancti prædicatores. Supererogauerunt apostoli, quando super euangelij præcepta, dictis laicis, & epistolis salutis hominum conduxerunt. Impleuit hoc magister gentium, qui fuit vnus sanctæ Ecclesiæ stabularius, qui super eam, quam accepit rationem, aliquid erogauit, quando moderatum mandatum domini propè immoderato labore executus est, quando etiam de his, de quibus præceptum non acceperat, concilium dabat, dicens; De virginibus præceptum domini non habeo, consilium autem do. Et rursum: dominus ordinauit his qui euangelium annunciant, de euangelio viuere. Nos autem non vsi sumus hac potestate inter vos, ne quem vestrum grauaremus. Cui cum venerit, hoc est, cum in fine seculi vniuersæ carni apparuerit, supererogata restituet, quia iuxta aliam euangelij parabolam, super omnia bona sua illum constituit. Magni ergo meriti est hic stabularius, cui debitor est Christus. Quis enim non gaudeat saltem idoneus debitor esse Christi? Quantus est ergo iste, cuius ille est debitor, qui omnes habet debitores? Hinc ipse certus gloriatur, dicens; Non negabit debitum, qui donauit indebitum. Perduto verò huiusmodi similitudinis huius tenore, id quod susceperat conclusurus, legisperitum interrogat, quis horum trium illi, qui in latrones incidit, proximus fuisse videretur: vtrum videlicet sacerdos, & Leuita, qui genere proximi, misericordia fuerant extraneam Samaritanus, qui natione externus, compassione fuerat vicinus. At ille, quod ratio persuadebat respondit, illum scilicet magis illi fuisse proximum, qui fecit misericordiam in illum. Et dominus ad similem eum pietatis operam prouocans, *Vade, inquit, & tu fac similiter.* Quod est dicere; Vt ostendas te veraciter diligere proximum sicut teipsum, vade, & quicquid vales in utilitate illius, vel corporali, vel spiritali promptus operare. Imitare huius prædicabile Samaritani exemplum, & cuiusque potueris misericordiam munus impartire. Tali argumento omnem hominem nostrum esse proximum & cognoscendo diligamus, & diligendo inopiam ipsius affinitatis intuitu compatiatur. Plus enim misericordia quam cognatio proximum facit, quia misericordia res est naturæ. Quid enim magis secundum naturam, quam iuuare consortem naturæ? Spiritualiter verò proximus noster nullus amplius est quam Christus, qui vulnera nostra curauit. Proximus vtrique nobis est per diuinitatem, quia non longè est ab vnoquoque nostrù. In ipso enim viuimus, mouemur, & sumus. Proximus etiam nobis fieri dignatus est ex humanitate, quia cum esset longè à nobis, vt potè immortalis à mortalibus, iustus à peccatoribus, descendit ad nos, vt nobis fieret proximus, qui erat antè longinquus. Veneremur ergo

Phil.

Matth.

Open for reuerentia Deo qui 1. Cor.

Matth.

Adh.

ergo eum quasi dominum, & Deum nostrum, diligamus & quasi proximum, quia ipse est caput nostrum. Et constat, quia nihil est proximius quam caput membrum. Hunc semper quasi membra fidelissima caput respectemus eiusque misericordiam iam de cætero securi poscimus. Non enim poterit non misereri subditis, qui sese proximum præbere dignatus est indeuotis. Diligentes ergo se diliget, & ad contemplatione suã patrique introducet Iesus Christus Dominus noster.

**HAYMONIS EPISCOPI**  
*Halberst. superioris Euang.*  
*expositio.*

**B**eati oculi qui vident quæ vos videtis. Vertex huius lectionis facta perplexam, & valde difficile mouet quætionem, quare dicit dominus; Beati oculi qui vident quæ vos videtis, cum Lucas superius narret quòd designauit dominus septuaginta duos discipulos mittens illos binos ad prædicandum in omnem locum & ciuitatem, quo erat ipse venturus. Et post prædicationis officium completum, reuersi ad eum dixerunt; Domine, in nomine tuo erunt dæmonia nobis subiiciuntur. Ille autem respondens, dixit eis; Nolite gaudere si in nomine meo vobis dæmonia subiiciuntur, sed potius in hoc quòd nomina vestra scripta sunt in cælis. Et statim exultauit in spiritu sancto, dicens; Confiteor tibi pater domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc, id est mysteria incarnationis meæ sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis, hoc est, apostolis meis. Et post paululum conuersus ad discipulos dixit. *Beati oculi, qui vident quæ vos videtis.* Non oculi scribarum, & Pharisæorum fuerit beati, quia viderunt dominum hominem, nõ tamen crediderunt verum Deum, & hominem, nec crediderunt verum Deum esse. Beati ergo fuerit oculi apostolorum, & mæris, quia viderunt dominum corporalibus oculis corporaliter ambulantem, & mente crediderunt verum Deum esse in sua maiestate manentem. Ideoque oculi ipsorum beatificauerunt, illorum verò hac beatitudine priuantur. *Dico enim vobis, quòd multi propheta, & reges voluerunt videre, quæ vos videtis, & audire, quæ vos auditis,* id est euangelium ex ore meo. *Et non audierunt.* Quos hinc Lucas appellat reges, Matthæus vocat iustos. Rex dicitur à regendo, quia vnusquisque homo, qui rectè credit, & iustè viuunt, rex est. Omnes propheta, & patriarchæ, & reges, qui aduentum domini præcesserunt, omni desiderio desiderauerunt videre dominum secundum carnem & non viderunt. Abraham, vt ipse dominus in alio loco testatur, exultauit vt videret diem Christi, & vidit, & gauisus est. Esaias vidit dominum sedentem in habitu regnantis, & agmina Cherubim dicentia; Sanctus, sanctus, sanctus. Michæas vidit dominum sedentem in habitu regnantis. David Psalm. dicit; Excita, domine, potentiam tuam, & veni. Et, domine Deus virtutum, conuertere nos, & ostende faciem tuam, & salui erimus. Esaias quoque dicit; Vtinam dirumperes cælos, & descenderes, & defluerent montes à facie tua. Sed omnes isti à longè, & per speculum viderunt, & in ænigmate. Sed quod isti spiritalibus oculis videre meruerunt. Impresenciam enim domini

num habentes, cum illo manducabant, & bibebant, in conspectu illius dormiebant, & quicquid interrogare volebant, ab illo interrogando discabant. Per momenta enim temporum fit diuina cognitionis augmentum. Plus quoque sciterunt propheta de Christo, quam patriarchæ. Hinc est, quòd dicitur Mosi; Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob, & nomen Adonai non indicauit eis, id est, patriarchis. David autem dicit; Super senes intellexi, id est, super patriarchas, & prophetas. Apostoli autem processit temporis nati, non solum plus quam patriarchæ & prophetæ, verum etiam omnia, quæ de Christo mortalibus noscenda erant, aperta reuelatione didicerunt. Quibus dicitur; Omnia, quæ audisti à patre meo, nota feci vobis. *Et ecce quidam legisperitus,* hoc est legis doctor, legem sciens, surrexit de folio suo; *tentans illum.* Vbi accepit occasionem tentandi dominum? Ex verbis superius prælibatis, quibus dixerat discipulis suis; Nolite gaudere, quòd in nomine meo dæmonia vobis subiiciuntur, sed potius in hoc gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cælis. Hoc audiens, idèoque volens nomen suum aseribi in cælo, venit ad dominum. Cur ergo dicit, *tentans eum,* cum ei dominus dicat; Non es longe à regno Dei. Poterat siquidem fieri, vt primum causa tentandi veniret, sed, audita domini verissima, & saluberrima responsione, in eum credidit, in tantum vt hac beatitudine dignus habitus sit. *Magister, quid faciendo vitam æternam possidebo,* id est quid operis operabor, vt vitam æternam possideam, & vt nomen meum scribatur in cælis? *At ille dixit; In lege quid scriptum est? Quomodo legis?* Quia sciebat eum legisperitum, idèoque ex ipsis suis verbis vult eum instruere. *Ille autem respondens dixit; Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo,* id est ex tota mente: *ex tota anima tua,* id est ex voluntate. *Et ex omnibus viribus,* id est ex omni fortitudine: *et ex omni mente tua,* id est ex tota memoria, & ratione. *Et proximum tuum sicut teipsum,* id est vnunquemque hominem. In dilectione Dei non est modus ponendus, in dilectione autem fratris est exhibendus. Nam Deus in omnia, & super omnia est diligendus, fratres verò vt nosmetipsos; & quod nobis illori volumus, æquè illis faciamus. *Dixitque illi; Rectè respondiisti. De vita æterna, hoc fac & viues;* Ille autem volens iustificare seipsum, id est volens iustus haberi à populo, dixit ad Iesum; *Et quis est meus proximus?* Suspiciens autem Iesus, verba illius ad disputanda, id est respondens ad hæc, quæ ille prætulerat, ita suum temperauit sermonem, vt quæstioni illius satisfaceret, & hanc demonstraret parabolam specialiter ad ipsum mediatorum Dei, & hominum pertinere, dicens; *Homo quidam descendebat ab Hierusalem in Hiericho.* Homo iste specialiter Adam intelligitur in genere humano. Hierusalem, quæ intelligitur visio pacis, illam signat vitam, in qua primus homo conditus à Deo positus est. Primus homo ad hoc creatus fuit, vt, nisi peccasset, completo numero electorum, de paradiso terreno transfret ad paradysum cælestem sine morte corporis, id est ad Hierusalem supernam quæ est patria æternæ beatitudinis, in qua angeli, & sancti in pace constituti semper Deum facie ad faciem contemplantur. Vbi peccauit manducando de cibo vetito contra præceptum domini, de cælesti Hierusalem eiectus est, & missus in Hiericho, id est in hanc mortalem

vitam. Hiericho nanque interpretatur luna. Luna in sacro eloquio pro defectu carnis ponitur, id est pro mortalitate: quia sicut luna mensuris momentis crescit, & decrescit, ita homines crescunt per naturam, & decrescunt per mortem: crescunt per abundantiam, decrescunt per inopiam: crescunt per lætitiā, decrescunt per tristitiā. *Et incidit in latrones.* Latrones diaboli, & angelos eius intelligit, in quo faucius incidit: quia nisi intus intumuerit, exterius tentatus non tam citò caderet, quia dæmones quādo ad nos veniunt, occultè suadent ad malum. *Qui etiam despoliauerunt eum,* id est dæmones genus humanum: quia veste innocentie, & immortalitatis priuauerunt eum. *Et plagis impositis, abierunt: seminiuo relicto.* Per plagas intelliguntur peccata. Sicut enim corpus plagis sauciatur, sic peccatis anima cruentatur. Quomodo plagauit diabolus hominem? Quando suasit ad peccandum, dicens: Cur præcepit vobis dominus Deus vester, ne comederetis de ligno scientiæ boni, & mali? Scit enim dominus Deus, quia in quacunque die comederetis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut dii sciētes bonum, & malum. *Abierunt.* Quare dicuntur dæmones abire, cum nullo temporis spatio cessent ab impugnatione? Sed abire eorum est, nō ab insidiis aliquatenus cessando, sed ipsas fraudes insidiarum suarum occultando, *seminiuo relicto.* Seminiuum reliquerunt dæmones genus humanum, quia licet peccare fecerint, tamen rationem scientiæ ab eo auferre non potuerunt. Ex ea enim parte, qua peccamus, morimur, ex qua rationabiles sumus, viuimus. *Accidit autem, ut sacerdos quidam, videlicet Aaron descenderet eadem via.* Per hunc sacerdotem intelligitur Aaron, qui per Moysen fratrem suum, electus fuit in sacerdotio, & omnes ministri veteris testamenti, qui vsque ad aduentum domini fuerunt. Accidit ergo, ut sacerdos Aaron descenderet eadem via, qua primus homo descēdit: quia peccauit primus homo, peccauit & ipse, quando fecit vitulum in Oreb, ut adorarent filij Israël. *Et videns eum pertransiit.* Vidēs sacerdos genus humanum tabescēs peccatis, nō potuit soluere eum ab illis. *Quare? Quia & ipse peccator erat.* *Similiter & leuita cum esset secus locum, & videns eum pertransiit.* Per hunc leuitā intelligitur Moyses. Similiter & leuita Moyses descendit eadē via, qua primus homo descēderat, quia peccauit primus homo, peccauit & ipse ad aquas contradictionis. *Et videns eum pertransiit.* Vidit ergo sacerdos, vidit & leuita vulneratum hominem, & pertransierunt, quia viderūt genus humanum plenum peccatis, & non potuerunt liberare eum. *Quare? Quia peccatores erant: donec veniret ille, qui nullum peccatum omnino habuit, nec inuentus est dolus in ore eius.* Mundę debent esse manus, quæ tergere debent sordes alterius coinquinationis. Non enim manus sordes tergere valent, quæ lutum tenent. *Samaritanus autem quidam iter faciens.* Samaritanus interpretatur custos, & signat Christum, qui custos est humani generis, quem deprecatur Psal. ne inter hos latrones, id est, dæmones possit incurrere, dicens: Custodi me à laqueo, quem statuerunt mihi. Et de quo idem Psal. Non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israël. Ad quem clamat populus ex Seir. id est, ex desertis gentium, Custos quid de nocte, id est, tu es ille custos, qui de nocte infidelitatis liberas populū tuū. Vel aliter, Custos quid

Psal. 140. &  
120.

de nocte, custos quid de nocte, subauditur peccatorū cogitas? Quomodo fecit dominus iter suum? De sinu patris descendit in vterum virginis, de vtero venit in præsepe, de præsepio prædicando ascendit in crucem, de cruce descendit in sepulchrum, de sepulchro in anima sola descendit in infernum, & iterum rediit in sepulchrum, de sepulchro ascendit ad cælum. Hoc fuit iter domini: *Venit secus eum.* Venit dominus secus primum hominem vulneratum, quia propter nos, & propter nostram salutem descendit de cælis, & factus est homo inter homines, sicut Paulus dicit: In similitudinem hominum factus, & habitu inuentus ut homo, *miseri cordia motus est.* Non pro nostro, sed gratuito munere miserus est nostri. *Et appropians alligauit vulnera eius.* Appropians dominus generi humano, quādo carnem assumpsit, & qui antea erat inuisibilis Deus per diuinitatem, factus est visibilis per humanitatem, ut Ioan. dicit: Verbum caro factum est, *alligauit vulnera eius.* quādo dixit: penitentiam agite, *infundens oleum, & vinum.* Oleum lenis fomenti blandimentum præstat, vinum verū austeritatem. Infundit oleum cum ait: Appropinquabit enim regnum cælorum. Infundit & vinum, cum subiungit: Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Quando dominus prædicauit de regno cælorum, quasi tunc infudit oleum: & quādo de pænis inferni quasi tunc infudit vinum. *Et imponens illum in iumentum suum.* Iumentum nempe dicitur quasi adiumentum, eò quòd corpora nostra fessa subleuet, & adiuet. Per iumentū etenim ipsa caro mediatoris Dei, & hominū domini nostri Iesu Christi signatur. Imponi itaque in iumentum, est incarnationē Christi credere, & resurrectionē, & ascensionē. *Duxit in stabulum, & curam eius egit.* Per stabulum designatur sancta ecclesia, in qua pia animalia ruminant diuinarū pabula scripturarum. Redemit dominus genus humanum proprio sanguine, & adduxit in stabulum, id est, in societatem sanctę ecclesię. Quia sicut in stabulo reficiuntur animalia, ut melius possint iter suum peragere: ita & nos reficimur corpore & sanguine Christi in ecclesia, ut melius possimus ad regnum cælorum peruenire. Et curam eius egit: & per se, & per apostolos suos. *Et altera die protulit duos denarios.* Altera dies est post domini resurrectionem, nam prima die ante passionem suam illuminauerat eos, qui in tenebris & in vmbra mortis sedebant, per prædicationem. Duodenarij sunt duo testamenta, in quibus regis nomen, & imago continebatur. Protulit dominus noster duos denarios, id est, duo testamenta: quando aperuit discipulis suis omnia, quæ scripta erant in lege & prophetis, & psalms de eo & dedit stabulario, & ait: Per stabularium designatur ordo doctorum, episcopi, & presbyteri, & omnes prælati ecclesię. *Curam illius habe.* Curam habuit dominus noster de genere humano, quando misit discipulos suos prædicare in mundo, dicens: Euntes in mundum vniuersum, &c. *Et quodcumque supererogaueris, ego, cum rediero, reddam tibi.* Supererogat stabularius quod in duobus denariis non accepit, id est, duobus testamentis, cum dicit B. Paul. De virginibus præceptum non habeo, consilium autem do, quia melius est ut perseuerent in virginitate sua, sicut & ego perseuero. Et dominus in alio loco dicit per Paulum, Omnes, qui euangelium prædicant, de euan-

Phila.

Ioan.

Matth.

Ioan.

Mar. 16.

1. Cor. 7.

Opera sicut

vogantur per

ea Deo.

de euangelio viuant, sed nos non sumus vsi hac potestate, ne quem vestrum grauaremus. *Quis hominum trium videtur tibi proximus fuisse illi, qui incidit in latrones, id est, ex istis tribus, ex sacerdote qui cuius illius fuit, vel ex leuita eiusdem gentis, vel ex Samaritano exterę gentis, proximus tibi videtur esse vulnerato illi, qui incidit in latrones: At ille dixit: Qui fecit misericordiam in illum. Vade & tu fac similiter, id est, ostende te proximum esse vnicuique homini, ac si diceret. Quicquid vales in necessitate proximi tui tam spiritualis quàm carnalis subleuando, deuorū operare. Si ergo ex illis tribus nemo fuit proximus vulnerato, nisi qui miserus est illi: certe nemo est tam proximus noster quam dominus Iesus, qui proprio sanguine nos redemit qui est caput omnium electorum. Nihil enim tam proximum membris, quàm caput. Ergo diligamus Deum ut caput nostrum, diligamus eum ut proximum, diligamus etiam illum, qui imitator est eius: ut ad regnum æternum valeamus peruenire.*

### AVTHORIS INCERTI sub nomine Eusebij episcopi Emissemi superioris Euang. expositio.

SVt exiret (inquit) legisperitus legis conditorem reprehendere volens: sed nō est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Deum. Peritus quidem erat, quem ipse Dei filius peritum fuisse testatur. Sed quæ peritia, vel sapientia ad diuinę sapientię mensuram se extendere valeat? In hoc enim quod ait *tentans eum*, manifestè ostendit, quia non ad hoc ut vitam æternam possideret, sed ut in aliquo eum reprehenderet si posset, eum interrogabat. At ille dixit ad eum, *In lege quid scriptum est? quomodo legis?* Si (inquit) legisperitus es, & legem nosti, vtique quid de vita æterna lex dicat intelligis: dic ergo quid de hoc in lege scriptum sit. *Ille respondens dixit, Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c.* Ecce quomodo dominus comprehendit sapientes in astutia eorum. Ipse legisperitus suam intentionem reuelat, & ad quid dominum interrogauerit manifestat. Ipse interrogat, ipse respondet, ipse suipius & magister, & discipulus factus est. Sciebat enim quid in lege scriptum erat: hoc enim dominus eum fateri cōegit. Cur ergo interrogabat quod sciebat? Ideo vtique, quia dominum reprehendere volebat. Dominus tamen eum non reprehēdit, sed rectè eum respondiisse ait, *Ille autem volens seipsum iustificare, dixit ad Iesum, Et quis est proximus meus?* Quia enim Deum, & proximum diligere ad iustitiam, & vitam æternam possidendam sufficere posse audierat, illico seipsum iustum ostendere voluit, quasi qui Deum, & proximum dilexisset, nisi forte aliter quàm ipse quis sit eius proximus, dominus intelligeret. Vnde & ait, *Et quis est meus proximus?* Putabat enim forrasse illum solum sibi esse proximum, qui vel amore, vel carnis coniunctione sibi præ cæteris propinquior erat. Sed non est ita, dicente domino, Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis: nōne & publicani hoc faciunt? *Suspiciens autem Iesus dixit, Homo quidam descēdebat ab Hierusalem Iericho, &c.* Quid enim homo iste, nisi genus humanum? Quid Hierusalem, nisi paradisi? Quid Iericho, nisi mundus iste intelligitur? Iericho nanque interpreta-

tur luna, quæ tantæ mutabilitati subdita est, ut nunquam in eodem statu, nunc crescendo, nunc minuendo, permaneat. Vnde & non immerito, hunc mundū significat, cuius mutabilitas perpetua est, & nisi mutationibus stare non potest. Vt enim de cælo, & tempore, de diebus, & mensibus, & annis taceamus, quæ semper voluūt, & in se replicantur: neque aer, neque terra, neque mare, neque ipsi homines suam perpetuō seruant figuram. Quorum omnium mutationes longum est narrare per singula. Tunc igitur genus humanum ab Hierusalem descendit in Iericho, quando in hunc mundum primus homo de paradiso eiectus est. Totum enim humanum genus simul erat in eo: totum igitur simul descendit cum eo. *Et incidit in latrones:* latrones isti, maligni spiritus sunt, qui furim, & per latrocinium, animarum thesaurum cunctis diuitiis excellentiorem, virtutes scilicet & bona opera, nobis subripiunt. *Qui etiam despoliauerunt eum,* nimirum illa tunica immortalitatis, qua primus homo exutus, nudum se intelligens, domino interroganti vbi esset, respondit, dicens, *Audiui, domine, vocem tuam, & abscondi me, eò quòd nudus essem.* *Et plagis impositis, abierunt, seminiuo relicto.* Tot enim plagas vnicuique homini diabolus imponit, quot virtus eum seruire compellit. Alios enim per superbiam, alios per auaritiā, alios per luxuriā, atque alios aliis modis vulnerat & occidit. *Accidit autem, ut sacerdos quidam descenderet eadem via, & viso illo, præteriiit.* Quis est iste sacerdos, nisi Aaron cum filiis suis totūque ille ordo sacerdotalis, quos pro cæteris orare dominus iusserat? Iste autem eadem via descēdebat, quia ipse morti, & corruptioni subditus erat. Vnde & viso eo, præteriiit, quia eum liberare non potuit. *Similiter & leuita, quum esset secus locum, & videret eum, pertransiit.* Leuita enim non solum Moyses, sed & tota Leuitica intelligitur. Quamuis enim soli filij Aaron sacerdotio fungerentur, tota tamen tribus Leui orationibus instabat, quoniam de decimis & elemosynis viuebat. Pertransiit igitur & leuita, quia neque isti genus humanum à mortis periculo eripere potuerunt. *Samaritanus autem quidam iter faciens, venit secus eum, & videns eum, motus est misericordia.* Seipsum Samaritanū dominus dicit, quod nomen inimici sui Iudæi imposuerunt ei, dicentes, Nōne hene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes? Samaritanus autem interpretatur custos. Quo nomine ille quidē dignus est, cui per prophetam dicitur, Custos qui de nocte, custos qui de nocte, & psalmista, Nisi dominus custos dierit ciuitatem, in vanum vigilant, qui custodiunt eam. Hic autem iter faciens, & sicut cæteri homines ad finem tendens, sua misericordia hominem liberauit, & suo sanguine redemit. Vnde & subditur: *Et appropians alligauit vulnera eius, infundens oleum, & vinum.* Qua in re dominus docuit, qualiter infirmis & ad penitentiam venientibus mederi debeamus. Vulnera enim ligamus, quando hominem à peccato cessare iubemus. Quanto enim tempore in peccato homo perseuerat, tãto tempore vulnera soluta, & aperta habet. Oleum autem infundimus, quando misericorditer consolando indulgentiam peccatori promittimus. Infundimus insuper & vinū, quando asperè redarguendo ieiunare, & carnem maccare iubemus. Non sit igitur sine vino oleum, nec oleum

oleum sine vino. Vnde Apostolus, Argue, inquit, obsecra: in sta opportune, importune. Obsecrando enim oleum, & increpando vulneribus vinum infundimus. *Et imponens illum in iumentum suum, duxit in stabulum, & curam eius egit.* Iumentum Christi eius humanitas est. Hoc enim ferimur, hoc ad stabulum & ad ecclesiam ducimur. De quo ipse, *Vt iumentum, inquit, factus sum apud te: & propheta, Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit.* Christi enim humanitas nos docuit, nos redemit, nos in vnam fidem, & in vnam ecclesiam collegit. Ibi curam nostri agit, tibi nos quotidie sanat, & alit. *Et altera die protulit duos denarios, & dedit stabulario: & ait, Curam illius habe, & quodcumque supererogaueris, ego, quum rediero, reddam tibi.* Duo nanque dies, duo tempora sunt. Primus dies ab Adam vsque ad Christum, secundus verò vsque ad finem seculi. Hoc igitur secundo die, id est, postquam dominus in mundum venit, duos denarios protulit, eosque stabulario dedit. Duo nanque denarii, duo sunt testamenta. Primo itaque die vnus tantum denarius datur, quia alter denarius nondum compositus erat: nunc autem duo denarii dantur, qui cunctis languentibus ad ecclesiam venientibus ad omnem expensam sufficere possunt. Stabulum enim, ecclesia est: vnde & in stabulo dominus natus est. Stabularius, episcopus: ipse enim stabulum custodit, ecclesiam regit, & Dei animalia diuini eloquij pabulo reficit. Bonus stabularius, beatus Paulus: qui & duos denarios sibi à domino commissos fideliter distribuit, & magnum aliquid de suo supererogauit. Ait enim, De virginibus præceptum domini non habeo, cõsiliam autem do. Audiamus igitur consilium, quod supererogando Apostolus ait: Existimo (inquit) hoc bonum esse propter instantem necessitatem, quoniam bonum est homini sic esse: alligatus es vxori? Noli querere solutionem: solutus es ab vxore? noli querere vxorem. Si autem acceperis vxorem, non peccasti: & si nupserit virgo, non peccauit. Hoc Apostolus supererogauit, hoc in duobus denariis non accepit. Supererogauit autem & multa alia. Quum enim ei de euangelio viuere liceret, de euangelio tamen viuere nolebat, sed laborem labori supererogabat. Possimus autem per hanc supererogationem, ipsam quoque bonam operationem intelligere. Qui enim testamentorum verba exponit, denarios expendit: qui verò agit quòd exponit, etiam super denarios aliquid erogat. Cuius erogationis mercedem dominus se tunc redditurum esse promittit, quando ad iudicium reuertetur. Sequitur: *Quis horum trium videtur tibi proximus fuisse illi, qui incidit in latrones? At ille dixit, Qui fecit misericordiam in illum. Et ait illi Iesus, Vade & tu fac similiter.* Ille enim proximus est tibi, cui miserando appropinquas. Qui verò nulli miseretur, nullum proximum habet. Magna est igitur misericordia, quæ ignotis etiam, & extraneis nos proximos facit: magna est igitur misericordia, per quam vita possidetur æterna.

Opera supererogationis statim dicitur.

THEOPHYL. EPISCOPI

Bulgar. superioris Euangel. expositio.

Et conuersus ad discipulos seorsum dixit, Beati oculi, &c. Conuersus vero ad discipulos, beatos

illos dicit, & omnes quoque, qui cum fide ipsum in carne ambularem vident, & miracula operantem. Etenim propheta prisci, & reges desiderauerunt quidem in carne videre dominum, & audire eum, sed non contigit eis. Et aliter, quia supra dixit, Cui filius reuelauerit, ille scit patrem: beatos nunc dicit discipulos, quòd sua reuelatione ista eis contingat. Reuelauit enim eis patrem per se. Ipsum enim videns, videt patrem: quòd bonum nullus ex sanctis, qui ante incarnatione eius fuerunt, obtinuit, quia non viderunt dominum in carne, per quem pater cognosceretur. vnde neque patrem sic viderunt vt apostoli. *Ad coce quidam legisperitus surrexit tentans illum, &c.* Arrogans quidam legisperitus fuit, immo superbus, vt ex iis, quæ sequuntur, manifestum est: in super & dolosus. Accedit itaque tentans dominum. Opinabatur enim, quòd ex responsis supplantare dominum posset. Sed dominus illum ad legem ducit, in qua mirè gloriabatur. Vide autem, quanto studio iubeat lex Deum amare. Homo animalium omnium perfectissimum est, & particeps nature omnium, & præterea quiddam sublimius habens: vt exempli gratia quid dicam; Particeps est nature lapidis: habet enim capillos, & ungues, quæ insensata sunt, quemadmodum lapis. Particeps est & nature plantarum, secundum quod crescit, & nutritur, & simile generat, sicut & plantæ. Particeps est & nature brutorum, secundum quod habet sensus, & irascitur, & concupiscit. Particeps est autem & Dei iuxta rationalem animam, supra omnia alia animalia. Itaque lex ostendere volens, quòd homo debeat sese totum tradere Deo, & omnes animales virtutes infundere in dilectionem Dei, eo quòd dicit, *ex toto corde, frastiore, & plantis propriam declarauit virtutem:* Dicendo dicit, *ex tota fortitudine,* medium ostendit, & sensatis congruentem. Per hoc autem quod dicit, *ex tota mente,* homini maximè propriam vim significauit, animam rationalem. Porro quod dicit, *ex tota fortitudine,* ad omnia hæc trahendum. Oportet enim nos & naturalem, ac vegetatiuam virtutem subicere dilectioni Christi. Sed quomodo? Fortiter, & non dissolute. Et sensitiuam, atque illam fortiter. Denique & rationalem, atque illam ex tota virtute. Atque ita debemus nos totos dare Deo, subicereque & nutritiuam, & sensitiuam, & rationalem nostram virtutem dilectioni Dei. *Et proximum tuum sicut teipsum.* Lex nõdum valens perfecta docere ob auditorum puerilitatem, proximum diligere hortatur vt seipsum. Christus autem & plus quàm seipsum diligere proximum docuit. Maiorem enim hac dilectione, inquit, nemo exhibere potest, quàm vt animam suam ponat quis pro amico suo. Dicit igitur ad legisperitum, *Re-ete respondisti.* Quia enim (dicere vult) legi adhuc subiectus es, rectè respondisti: iuxta legem enim sapis. *Ille autem volens iustificare seipsum, &c.* Laudatus à saluatore legisperitus, prodidit insolentiam animi, dixit enim, *Et quis est meus proximus?* Existimabar enim se iustum esse, nullumque habere sibi similem, & proximum virtute: putans solum iustum iusto proximum esse. Proinde volens iustificare seipsum, & extolli super omnes homines, insolens inquit, *Et quis est proximus meus?* Saluator autem quoniam conditor ipse erat sciens nos omnes vnam creaturam, nõ operibus, neque dignitatibus, sed natura definit proximum. Ne

Ne igitur putes, inquit, quia iustus es, quòd nullus tibi similis sit. Omnes enim, qui eiusdem nature sunt, proximi tui sunt. Sis igitur vicissim & tu illis proximus: non loco, sed affectione & studio erga illos. Idcirco & Samaritanum introduxit in exemplum, vt tibi monstret, quòd licet hic vita excelluerat, proximus tamen ei erat, qui miseratione dignus. Sic & tu compassionem proximum te illi exhibe, & sponte, ac non vocatus in illius subsidium curre. Docemur igitur & hoc loco per parabolam, vt parati simus ad misericordiam, & conemur esse proximi iis, qui indigent nostro subsidio. Docet autem & quanta Dei bonitas erga homines, Descendebat enim humana natura à Hierusalem, hoc est, à tranquilla, & pacifica vita. Hierusalem enim interpretatur visio pacis. Quo autem descendit in Hiericho humilem, & æstu suffocantem, hoc est, vitam affectionibus plenam. Vide autem, quòd non dixit, descendit, sed, *descendebat,* Semper enim humana natura ad inferiora procliuus est, non semel, sed semper vitæ affectionibus deditæ vacans. *Incidit autem in latrones,* hoc est, demones. Nisi quis à cogitationibus sublimibus deciderit, non incidit in demones, qui, exuto homini, & spoliato vestibus virtutum, plagas inferunt peccati. Primum enim denudant nos omni bona cogitatione, & visitatione Dei: deinde plagas peccati inferunt. Porro naturam humanam semimortuam reliquerunt: vel quòd anima immortalis, corpus autem mortale, & ita dimidium hominis morti subditum est: vel quòd non omnino desperata est humana natura. In Christo enim salutem se habere sperauit: & ita neque moriatur omnino, sed propter ruinam Adæ, mors in mundum intravit: propter Christi autem iustificationem mors abolenda est. Per sacerdotem vero, & leuitam, legem intellige, & prophetas. Illi enim volebant iustificare humanam naturam, sed non potuerunt. Impossibile enim, inquit Paulus, sanguinem taurorum, & hircorum tollere peccatum. Miserti itaque sunt hominis, & de eius sanitate cogitarunt. Deinde plagarum magnitudine victi, ad posteriora iterum regressi sunt. Hoc enim significat *apostolus dicitur.* Venit enim (inquit) lex, & astitit iacenti: deinde non valens sanare, reuera est. Attende item, quòd verbum *accidit,* sensum quædam habet. Nam reuera legem nõdum data opera inuenerunt, sed propter humanam infirmitatem, quæ nõ potuit ab initio sacramentum Christi suscipere, data est. Propterea dicit, *accidit quod sacerdos,* hoc est, lex (ita enim dicere solemus de iis, quæ fortuito obueniunt, & citra operam nostram) venit vt sanaret hominem: sed dominus, & Deus noster, qui propter nos factus est maledictum, & vocatus Samaritanus, iter faciens, hoc est, hanc potissimum sui itineris causam esse volens, & hunc scopum obseruans: vt nos sanaret: non præteriens, & obiter nos visitans venit ad nos, sed conuersatus nobiscum, & locutus non apparenter, sed vere. Proinde statim obligat vulnera, neque permittit malitiam amplius laxari, sed obligat eam. Infundit oleum, ac vinum: oleum, hoc est, sermonem doctrinæ, qui per suauia nos adhortatur, vinum vero, sermonem, qui per austeriora inducit ad virtutem. Exempli gratia, quando audis dominum dicentem; Venite ad me, & ego refocillabo vos: hoc oleum hilaritatem & quietem ostendit, & iterum, Venite, hæredita-

te preparatum vobis regnum. Quando autem dicitur, Ite in tenebras: vinum est, hoc est austerior doctrina. Intelligere potes & aliter. Oleum humanam significat conuersationem; vinum diuinam, vt tale quid dicam, Dominus alia humano more operabatur, alia autem diuino. Humanum erat comedere, & bibere, & vitam laxiorem sectari, & non austeritatem præ se ferre, vt Ioannes: atque hoc fuerit oleum. Ieiunium vero mirabile, & ambulatio in mari, & alia diuinæ virtutes, vinum sunt. Vino enim assimilata est deitas, quam meracam sustinere, ac ferre nullus posset, nisi & oleum adesset: hoc est, humanior conuersario. Et proinde quia per vtraque nos seruauit, diuinitatem inquam, & humanitatem: propterea dicit vinum, & oleum infudisse. Et quotidie, qui baptizantur, liberantur à vulneribus animæ, oleo quidem vnguenti vncti: statim autem communicantes, & diuini sanguinis participes fiunt. Porro dominus imposuit sauciam nostram naturam super proprium iumentum, hoc est, super corpus suum. Membra enim sua nos fecit, & particeps sui corporis: nõsque infimo loco sitos posuit in dignitatem illam, vt & eiusdem corporis videamur esse. Diuersorium autem ecclesia est, quæ omnes suscipit, lex enim non omnes suscipiebat. Moabita enim, dicit, & Ammonita nõ intrabant in ecclesiam Dei. Nunc autem in omni gente, qui timer Deum, acceptus est ei, modo velit credere, & pars fieri ecclesie, quæ omnes peccatores, & publicanos suscipit. Vide item & diligentiam, quomodo ducens, inquit, in diuersorium, curam eius egit. Nam prius quàm in hoc duceret, solum obligauit vulnera. Quid igitur est, quod dico? Quia, quum constituta est ecclesia, & factum est diuersorium, hoc est ex omnibus ferme gentibus aucta, tunc fuerunt & spiritus sancti dona, & dilatata est gratia Dei: id quod ex actis Apostolorum dices. Tenet autem figuram hospitis, omnis apostolus; & doctor, & pastor: quibus dedit dominus duos denarios, duo testamenta, vetus, & nouum. Vnius enim regis imaginè vtraque tenent, nempe quòd eloquia Dei sint. Itaque denarios illos dominus in cælum ascendens reliquit apostolis, & episcopis aliis, atque doctoribus. Dixit autem: *Quicquid ex tuo insumpseris, ego dabo tibi.* Reuera enim de suo apostoli multa insumpserunt, multum laborantes, & omnem doctrinam seminantes. Sed & doctores, qui explanant veterem, & nouam, multa è suo insumunt, pro quibus mercedem accipient domino reddito in secundo aduètu. Tunc enim singuli dicent ei, Domine, duos denarios dedisti mihi, ecce alios duos præterea impendi. Cui dicit & ipse; Euge, serue bone, & fidelis, &c.

Baptizati oleo vnguntur.

Deut. 23. Act. 10.

Opera supererogationis meretur apud Deum.

Marc. 15.

EVTHYMI ZIGABONI

superioris Euang. expositio.

Et conuersus ad discipulos seorsum dixit: Beati oculi, &c. Hæc quoque dixit apud Mattheum vbi dicitur, Vestri autem beati oculi. Hac autè auiditate captus est David propheta simul & rex: ideo etiam dixit; Ostende nobis domine misericordiam tuam: saluatoris videlicet incarnationem appellans misericordiam, vtpote propter hominum misericordiam factam. Verù obserua, quòd ad discipulos saluator conuertitur, & ipse seorsim

Psal. 84.

Math. 11. Marc. 25.



sim loquitur, ab iis, qui discipuli non sunt, avertus. Ideo & nos quoque, si discipuli eius fuerimus, per obedientiam mandatorum ipsius, & animae simul & corporis habuerimus oculos recte intuentes, auribusque recte audientes, ad nos etiam omnino conuerteretur, & mysteriis à vulgo absconditis dignabitur. *Et ecce legisperitus quidam surrexit tentans eum, &c.* Illaqueare putabat Christum, si quippiam legi contrarium villo pacto doceret. Dicit ergo; *Quid faciendo, vitam aeternam possidebo, quam populo annuntias? Cognita autem illius versutia, saluator ad legem ipsum remittit; simul quidem conatum illum repellens, simul etiam arguens illum; quod sese pro virtutis cultore gereret quum non esset, veluti finis indicabit parabola. Ipse vero dixit ad eum: In lege quod scriptum est? Maius praeceptum.*

† *Ex hoc auctoris scholio videtur iuxta mentem eius legendum in litera. Quod, ut pro substantiuo habeat, praeceptum, quod facile subauditur. Nam Graeci eadem dictione tria efferunt, Quid, & quod.*

† *Quomodo legis? Maiora legis praecepta: de maioribus namque ipsum interrogavit. At ille respondens ait, Diliges dominum Deum tuum, &c. Recte illum respondisse dixit: ut qui duo recitauerit praecepta, quae ad se inuicem conueniunt. Alius autem erat hic legisperitus ab eo, de quo à Matthæo, & Marco facta est mentio. Hoc fac, & viues. Hoc, quod nunc recitasti, hoc, inquam, fac, & viues vita aeterna, qua viuunt iusti, qui haec praecepta seruauerunt. Docuit siquidem apud Matthæum, quod in his duobus praeceptis vniuersa lex, & prophetarum pendet. At ille volens iustificare seipsum, &c. Conatu suo frustratus, effudit quem apud se occultabat tumorem. Putabat enim se cunctis esse praestantiorem: Nam lex proximū nominauit eum, qui alterius egeret auxilio: ipse vero illum dici opinabatur, qui virtute aequalis esset: ideo etiam volens seipsum iustificare, siue aliis praeponere, interrogat; Quis mihi est aequalis? Deinde Christus per parabolam demonstrat illum esse proximum, qui alterius indiget auxilio.*

† *Proximus dicitur omnis homo, quod omnes inter nos propinqui sumus secundum naturam communicationem.*

† *Suscipiens autem Iesus dixit. Suscipiens, hoc est, excipiens sermonem. Homo quidam descendebat ab Hierusalem in Iericho. Parabola haec, etsi efficta sit, ut ostendat quis sit proximus: paucis tamen verbis ostendit humanam, & benignam saluatoris nostri gubernationem. Hominem siquidem intellegimus Adam, & qui ab Adam descenderunt vniuersos: descensum autem ab Hierusalem in Iericho, viam à virtute ad vitium, & ab obedientia ad inobedientiam, & à sublimi vitae instituto ad terrenam conuersationem: est enim Hierusalem sublimis, Iericho vero humilis. Et incidit in latrones. Id est dæmones, qui in via residebant. Qui etiam exuerunt eum. Vestimentis virtutis, timore Dei, quo in modum vestis circumdatus erat. Et, vulneribus inflicis, abierunt. Anima plagis, vulneribus peccatorum, Relinquentes semimortuum. Ex dimidio factum mortalem: iuxta animam enim mansit immortalis, corpore vero mortuus est. Quod autem dicitur, Abierunt, & Re-*

Matth. 22.

Ecce agnoscat peccatū Originale.

linquentes, non est de hoc curiose scrutandum propter normam parabolae. Casu autem sacerdos quidam via illa descendebat. Sacerdos, hoc est, lex data per Moysen, utpote de sacrificiis disputans. *Visusque illo, praeteriit. Pertransiit illum, quum ita male affectus esset. Similiter Leuites, quum iret iuxta locum, &c.* Per Leuitem hoc loco accipiendus est sermo prophetarum, utpote Dei in passionibus subministrans. Samaritanus vero quidam iter faciens, &c. Samaritanus intelligitur nunc Christus, utpote ab incredulis Iudaeis Samaritanus appellatus. Vel etiam nō Iudaeorum tantum, sed & cunctarum gentium naturam per carnis assumptionem amplectens: Samaritani enim sunt quaedam natio gentium. *Et accedens obligauit, vulnera eius. Vinculo doctrine. Infundens oleum, & vinum. Lenitatem, ac mordacitatem. Doctrina enim eius: alibi quidem mansuete procedit, & exhilarat: interdum vero perstringit, ac mordet: & ita pulchre temperata est, ac vndique iuuat. Et imponens illum in iumentum suum. In proprium corpus, quod occidendum erat: hoc est, portans infirmitates eius per assumptam humanitatem.*

† *Nam et hic, pro quo hic habemus iumentum, dicitur, ut non est occidit quia pecus sine iumentum mactationi nascitur: vel mactari, & immolari solet. Duxit in diuersorium. Diuersorium est ecclesia, quae omne genus hominum recipit. Et curam illius equit. Rationem eius habuit, & de eo prouidit. Ac postero die egressus. Post aliquid tempus mortuus, & de mundo egressus. Depromptos duos denarios dedit hosti, &c. Donec vinebat, ipse curam habebat infirmorum: vbi vero mortuus est, ac resurrexit, & ad peregrinandum in caelum diuertit, hanc curam Apostolis commisit: hospes enim est, quisquis ecclesiae praest, puta omnis episcopus, vel quisquis Apostolorum successor est: Duo vero denarii sunt nouum, ac vetus testamentum, quae infirmis medicinae suppedita. Dixit enim apud Matthæum, Omnis scriba edoctus ad regnum caelorum, similis est homini patrifamilias, qui depromit de thesauro suo noua, & vetera. Vel, duo denarii duae sunt interpretationes scripturae euangelicae, aut etiam omnis diuina: illa videlicet, quae iuxta historiam est, & quae iuxta anagogen. *Et quodcumque praeterea insumpseris, &c.* Si etiam de tuo quippiam insumpseris, quod in eius cedat utilitatem. Nam de suo quoque praecipit apponunt, dilatantes diuinorum sermonum interpretationes. A duobus siquidem testamentis sumunt quidem argumentum: propriis autem sermonibus abundantiore curam exhibent laborantibus. Reuerso vero Christi, secundus est aduentus eius, in quo persoluet omnibus retributiones. *Qui fecit misericordiam cum illo. Cum illo, hoc est in illum. Dixit ergo ei Iesus, Vade & tu fac similiter. Curam eius habet, qui auxilio indiget. Qui enim hoc non facit, non diligit proximum suum, sicut seipsum: qui vero proximum non diligit tanquam seipsum, neque Deum diligit ex toto corde suo, & ex tota anima sua, & ex tota fortitudine sua, & ex tota mente sua, quae dilectionis vehementiam, ac intentionem manifestant.**

DOMI

DOMINICA XIII POST PENTECOSTEN.

L. V. C. 17.

**I**n illo tempore: Dum iret Iesus in Hierusalem, transibat per mediam Samariam & Galilaeam. Et cum ingrederetur quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi. Qui steterunt à longè, & leuaerunt vocem dicentes: Iesu praceptor miserere nostri. Quos ut vidit, dixit: Ite ostendite vos sacerdotibus. Et factum est, dum irent, mundati sunt. Vnus autem ex illis, ut vidit, quia mundatus est, regressus est cum magna voce magnificans Deum. Et cecidit in faciem ante pedes eius, gratias agens. Et hic erat Samaritanus. Respondens autem Iesus dixit: Nonne decem mundati sunt: & nouem vbi sunt? Non est inuentus qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena. Et ait illi: Surge, vade quia fides tua te saluum fecit.

GLOSSA ORDINARIA in superius Euang.

**F**actum est. Post parabolam qua inuitat ad humilitatem & perseverantiam in diuersis officiis Dei, reprehenduntur ingrati de impensis beneficiis. Occurrerunt. Leprosi sunt haeretici, qui quasi varios colores habentes in eodem corpore, varias sectas, nunc salutat, nunc veritatis permittent in eadem praedicatione. Hi autem quia vitantur & ab ecclesia remouentur longè, necesse habent, ut magno clamore interpellent: vnde sequitur: Qui steterunt. Qui contra decalogum peccauerant, nec amando Deum (de quo malè sentiunt) nec proximum, à quo diuiduntur: sub denario ad Deum clamant & sanantur, dum in ecclesia societate doctrinam integram veramque assequuntur, & omnia secundum catholicae fidei regulam disserunt, & varietate mendaciorum quasi lepra cauent. Sed vnus gratias agit, id est, qui in vnitatem, ecclesiam per humilitatem remanent. Qui verò per superbiam elati mundatori sunt ingrati, nouem sunt: quia per vnitatem à perfectione denarij deficiunt: vnde Apostolus. Qui cum Deum cognouissent, non sicut Deum glorificauit, aut gr.e. sed e in co. suis. Et le. ro. di. Quia in verbis Saluatoris se errasse cognoscunt, saluandi praepceptorem vocant: & per cognitionem praepceptoris redeunt ad formam salutis. Ite ostendite vos sacerdotibus. Et facti. Quisquis haeretica prauitate vel Gentili superstitione, vel Iudaica perfidia, vel fraterno Schismate per Dei gratiam mundatus cauerit, necesse est ut ad ecclesiam veniat, colorumque fidei verum aliis similem ostendat. Vnde Paulus ad Ananiam, Cornelius ad Petrum mittitur. Caetera

vicia dominus in conscientia per seipsum corrigit & sanat. Vnus autem regressus significat vnus ecclesiae deuotam in Christo humilitatem, qui cadens ad pedes eius gratias agens, quia repressis praesumptionis cogitationibus, quam sit infirmus videt: nihil virtutis sibi tribuit, bona quae agit de misericordia intelligit. Vnde & Samaritanus, id est, custos cognominatur, qui ita bona quae accepit Deo tribuit, ut cum Psal. dicere possit: Fortitudinem meam ad te custodiam. Et Psal. 38. cecidi in faciem, qui de perpetratis malis erubescit. Ibi enim cadit homo, vbi confunditur. Qui in faciem cadit, videt quo cadat: qui retro cadit, non videt. Boni ergo in faciem cadunt, quia humiliant se in his visibilibus: ut ad invisibilia erigantur. Mali retrò cadunt quia cadunt in invisibilibus, vbi non vident quid eos sequatur. Surge. Qui infirmitatem suam agnoscens humiliter ante Deum iacuit, diuina consolatione surgere ad fortiora opera, & ire crescendo vsque ad perfectiora iuberetur. Fides tua. Fides quae ad agendas gratias inclinavit, e contra perfidia illos damnat, qui de acceptis beneficiis sunt ingrati. Te saluum feci. In superiori parabola decernitur, fidem per humilitatem debere augeri. In ista rebus ipsis manifestè ostenditur, non fidei tantum agnitam rationem, sed fidei executam operationem esse, quae saluum faciat credentem.

CATENA AVREA in idem Euang.

**A** Mbr. Post praedictam parabolam reprehenditur ingrati, dicitur enim: *Et facti sunt, &c.* Tit. Ut ostendat quod Samaritani quidem beneuoli, Iudaei verò praedictis beneficiis sunt ingrati. Bibl. Hom. tom. 3. S s erat

erat enim discordia inter Samaritanos & Iudæos, quam ipse pacificans inter utrosque transit, ut utrosque compingat in unum nomen hominis. Cyril. Deinde suam gloriam saluator manifestat, attrahens ad fidem Israël. vnde sequitur: *Et cum ingre. quod. cast. oc. ei. &c.* ab urbibus & oppidis expulsi & quasi immundi ritu legis Mosaicæ. Tit. Conuertebantur autem adiuuicem, quia fecerat eos vnanimis communitas passionis, & prestolabantur transitum Iesu solliciti donec aduenientem Christum viderent. vnde sequitur: *Qui steterunt à longè*, eo quod lex Iudæorum lepram immundam iudicat. Lex autem euangelica non extremam, sed internam asserit esse immundam. The. A longè ergo stant quasi vetercundantes de immunditia quæ eis imputabatur: putabant enim quod Christus eos fastidiret ad modum aliorum: sic ergo absterunt loco, sed facti sunt proximi deprecando: propè enim est dominus omnibus inuocantibus eum in veritate. vnde sequitur: *Et leua. v. di. le. pra. &c.* Tit. Dicunt nomen Iesu, & lucifaciunt rem. Nam Iesus interpretatur saluator. Dicitur: *miserere nobis*: propter experientiam virtutis eius, neque argentum petentes, neque aurum, sed ut aspectum corporis sanum obtineant. Theo. Nec simpliciter obsecrant eum, nec rogant eum ut mortalem. Vocant enim eum præceptorem, id est dominum: quo penè videtur hunc opinari Deum. At ipse iubet illis, ut ostenderent se sacerdotibus. Ipsi enim experiebantur, si mundati forent à lepra vel non. Cyril. Lex etiam mundatos à lepra iubebat se ostendere sacerdotibus offerre sacrificium causa purgationis. The. Iubere ergo eis ut irent ad sacerdotes, nihil aliud innuebat nisi quod debebant curari. vnde sequitur: *Et fa. est. &c.* Cyril. In quo Iudæorum pontifices æmuli gloriæ eius cognoscere poterant quod inopinatè & mirificè sanati sunt, cõcedente Christo eis salutem. Theo. Cùm autem decem essent, nouem qui Israëlitarum erant ingrati fuerunt, sed alienigena Samaritanus reuersus voces emittebat benignas. vnde sequitur: *Vnus autem ex illis, &c.* Tit. Dedit autem ei appropinquandi fiduciam suscepta purgatio. vnde sequitur: *Et cecidit in fa. suam ante pe. eius gra. agens.* Ex procubitu & supplicatione fidem suam simul cum beneuolentia pandens. Sequitur: *Et hic erat Samaritanus.* Theo. Hinc poterit quisque conuicere, quod nihil impedit quenquam placere Deo & si de genere prophano processerit, dummodo bonum gerat propositum. Nullus etiam natus ex sanctis superbiat, nouè enim qui Israëlitarum erant, ingrati fuerunt. vnde sequitur: *Respondens autem Iesus dixit, nōne decem, &c.* Titus, Per hoc ostenditur quod promptiores ad fidem erant alienigenæ, lentus enim erat ad fidem Israël. vnde subditur: *Et ait illi, surge, vade, quia fides tua te saluum fecit.* Aug. de quæst. euang. Mysticè autem leprosi intelligi possunt, qui sententiam veræ fidei non habentes varias doctrinas profitentur erroris. Non enim abscondunt imperitiam suam, sed pro summa peritia proferunt in lucem, & iactantiam sermonis ostendunt. Coloris quippe vitium lepra est: vera ergo falsis inordinate permixta in vna disputatione vel narratione hominis tanquam in vnus corporis colore apparentia, significat lepram, tanquam veris falsisque colorum locis humana corpora variatè atque maculantè. Hi autem tam vitandi sunt ecclesiæ, ut si fieri potest. lon-

gius remoti magno clamore Christum interpellent. Quod autem præceptorem eum inuocauerunt, satis puto verè lepram falsam esse doctrinam, quam bonus præceptor abstergat. Nullum autem eorum quibus hæc corporalia beneficia dominus præstitit, inuenitur misisse ad sacerdotes nisi leprofos. Sacerdotium enim Iudæorum figura fuit sacerdotij quod est in ecclesia. Cætera autem vitia per seipsum interius in conscientia dominus sanat & corrigit. Doctrina verò vel imbuendi per sacramenta, vel catechizandi per sermonem potestas ecclesiæ tributa est. Qui dum irent, mundati sunt, quia gẽtiles ad quos venerat Petrus nondum accepto baptismatis sacramento, per quod spiritaliter ad sacerdotes peruenitur, infusione spiritus sancti declarantur. Quisquis ergo in ecclesiæ societate doctrinam integram veramque assequatur: eo quod manifestatur varietate mendaciorum, tanquam lepra caruisse, hic tamen ingratus Deo mundator suo, gratiarum agendarum pia humilitate non prosternitur, similis est illis de quibus dicit Apost. quod cum Deum cognouissent, non ut Deum magnificauerunt, aut gratias egerunt, ideo tales in nouenario numero tanquam imperfecti remanebunt. Nouem enim indigent vno, ut quadam vnitatis forma coagulentur vix sint. Ille autem qui gratias egit vnica ecclesiæ significatione approbatus est. Et quia illi erant Iudæi, amissis per superbiam declarati sunt regnum cælorum, vbi maxime vnitas custoditur. Ille verò qui erat Samaritanus, quod interpretatur custos, illi à quo accepit tribuens quod accepit seruandum illud: Fortitudinem meam ad te custodiam, vnitatem regni humiliter deuotione seruauit. Bed. Cecidit autem in faciem, quia ex malis quæ se perpetrare minime erubescit: qui surgere & ire præcipitur, quia qui infirmitatem suam cognoscens humiliter iacet, per diuini verbi consolationem ad fortia opera proficere iubetur: si autem fides saluum fecit eum qui se ad agendas gratias inclinavit, ergo perfidia perdidit eos qui de acceptis beneficiis Deo dare gloriam neglexerunt. Quapropter fidem per humilitatem augeri debere, sicut in parabola superiori decernitur, ita hic ipsis rebus ostenditur.

### S. TITI BOSTRORVM Episcopi superioris Euangel. expositio.

**R**ursus seruator noster Iesus Christus, illustris miraculi opere, gloriam suam pandit, quod, vel hac ratione, excordem amentemque Israëlitem ad fidem pertrahat: Verum ut ex leproforum quorundam sanatione clarè cognoscere licet, perstitit ille in sua obstinatione, & infidelitate æquè atque ante, Hi enim secundum Mosaicæ legis præscriptum, è ciuitatibus & castellis, tanquam immundi, exclusi, Christo iter facienti obuiam venerunt, eundemque, ut à morbo, quo tenebantur, sese liberaret, enixè rogauerunt. Is autem, cum benignus & clemens esset, sortis illorum miserus, lepram profligauit. E quorum numero nouem erant Iudæi, vnus autem Samaritanus. Cùm autem abirent, Sacerdotibus, ut iussu erant, sese ostensuri inter eundem sanitate potiti sunt. Et quidem nouem in ingratam obliuionem lapsi,

lapsi, non sunt reuersi, ut darent gloriam Deo: vnus autem solus, & ille quidem alienigena, debitam gratiarum actionem obtulit. Promptiores namque propensioresque fuerunt hi semper ad fidem amplectendam, quam ingrati Iudæi. Quare dominus, nōne, inquit, decem mundati sunt, & nouem vbi sunt?

### BEDAE VENERABILIS presbyteri in idem Euang. expositio.

**E**t factum est dum iret in Hierusalem, transibat per mediam Samaritiam, &c. Leprosi, non absurde intelligi possunt, qui scientiam veræ fidei non habentes varias doctrinas profitentur erroris. Non enim vel abscondunt imperitiam suam, sed pro summa peritia proferunt in lucem, & iactantiam sermonis ostentant. Nulla porro falsa doctrina est, quæ non aliqua vera intermiscat. Vera ergo falsis inordinate permixta, in vna disputatione vel narratione hominis, tanquam in vnus corporis colore apparentia, significat lepram tanquam veris, falsisque colorum locis humana corpora variatè, atque maculantem. Hi autem tam vitandi sunt ecclesiæ, ut, si fieri potest, longius remoti, magno clamore Christum interpellent. Vnde & aptè subiungitur: *Qui steterunt à longè, & leuauerunt, &c.* Et bene ut saluentur, Iesum præceptorem nominant. Quia enim in eius verbis se errasse significant hunc saluandi humiliter præceptorem vocant, cumque ad cognitionem præceptoris redeunt, mox ad formam salutis recurrunt. Nam sequitur: *Quos ut vidit dixit, Ire ostendite vos sacerdotibus, &c.* Nullum dominus eorum, quibus hæc corporalia beneficia præstitit, inuenitur misisse ad sacerdotes nisi leprofos, quia videlicet sacerdotium Iudæorum figura erit futuri sacerdotij regalis, quod est in ecclesia, quo consecrantur omnes pertinètes ad corpus Christi summi, & veri principis sacerdotum. Et quisquis vel heretica prauitate, vel superstitione gentili, vel Iudaica perfidia, vel etiam schismate fraterno, quasi vario colore per domini gratiam caruerit, necesse est ad ecclesiam veniat, colorumque fidei verum, quem acceperit, ostendat. Cætera vero vitia tanquam vitium, & quasi membrorum animæ, atque sensuum, per seipsum interius in conscientia & intellectu dominus sanat, & corrigit. Denique & Paulus voce domini audita: *Quid me persequeris, & ego sum Iesus, quem tu persecutus, ad Ananiam tamen missus est, ut illo sacerdotio quid in ecclesia constitutum est, sacramentum doctrinæ fidei perciperet, & verus eius adprobaretur color: non quia non potest per seipsum dominus omnia facere (nam quis alius hæc facit etiam in ecclesia?) sed ut ipsa societas congregatorum fidelium adprobando in innocem, atque communicando verè fidei doctrinam, in omnibus, quæ dicuntur verbis, vel signantur sacramentis, tanquam vniam speciem veri coloris obducatur. Cornelius etiam, cum & eleemosynæ eius acceptæ, & preces eius audita: illi ab angelo nuntiatur, propter doctrinæ tamen, sacramentorumque vnitatem ad Petrum iubetur mittere, tanquam illi, & suis diceretur: ire ostendite vos sacerdotibus: nam & cum irent, mundati sunt. Iam*

enim ad eos venerat Petrus, sed tamen ipsi, nondum accepto baptismatis sacramento, nondum spiritaliter ad sacerdotes peruenierant, & tamen infusione spiritus sancti, & admiratione linguarum, eorum mundatio declarata est. *Vnus autem ex illis ut vidit, quia mundatus est, &c.* Vnus iste, qui magnificans Deum regressus est, vnus ecclesiæ deuotam Christo humilitatem significat. Qui bene cadens ante pedes Domini gratias egit. Ille enim vere Deo gratias agit, qui repressis præsumptionis suæ cogitationibus, quam in semetipso infirmus sit, humiliter videt, qui nihil sibi virtutis tribuit: qui bona, quæ agit, esse de misericordia conditoris agnoscit. Vnde & rectè subiungitur: *Et hic erat Samaritanus.* Samaritanus quippe interpretatur custos. Quo nomine ille populus aptissime significatur, qui gratias agendo ei, à quo accepit tribuit omne, quod accepit, quodam modo cantans illud de Psalmo; Fortitudinem meam ad te custodiam, quia tu Deus susceptor meus es, Deus meus, misericordia eius præueniet me. Cadit autem in faciem, quia ex malis, quæ se perpetrare meminuit, erubescit. Ibi enim cadit homo vbi confunditur. Vnde & Paulus quasi quibusdam in facie iacentibus dicebat: *Quem ergo fructam habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis?* At contra de ascensore equi, id est, de eo, qui in huius mundi gloria elatus est, dicitur: *Vt cadat ascensor eius retro.* Rursusque de persecutoribus domini scriptum est: *Abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram.* Quid est hoc quod electi in faciem, & reprobi retrorsum cadunt, nisi quod omnis, qui post se cadit, vbi proculdubio cadit, vbi non videt, qui vero ante se ceciderit, ibi cecidit vbi videt? Iniqui ergo quia in inuisibilibus cadunt, post se cadere dicuntur, quia ibi corruunt vbi quid eos tunc sequatur modo videre non possunt. Iusti vero, quia istis visibilibus semetipsos sponte deiciunt, ut in inuisibilibus erigantur, quasi in faciem cadunt, quia timore compuncti videntes humiliantur. *Respondens autem Iesus dixit: Nōne decem mundati sunt, &c.* Vnum si addatur ad nouem, quædam effigies vnitatis impletur. Quo fit tanta complexio, ut vltra non progrediatur numerus nisi rursus ad vnum redeatur, & hæc per infinitatem numeri regula custodiatur. Nouem itaque indigent vno, ut quadam vnitatis forma coagulentur, & decem sint. Vnum autem non eis indiget, ut custodiat vnitatem. Quamobrem ut vnus ille, qui gratias egit, vnica ecclesiæ significatione approbatus, atque laudatus est, ita illi nouem, qui gratias non egerunt, reprobi effecti, à consortio vnitatis exclusi sunt. Idèoque tales in nouenario numero tanquam imperfecti remanebunt. Et merito eos saluator quasi ignotos vbi sunt inquit. Scire enim Dei eligere, nescire, reprobare est. *Non est inuentus qui rediret, &c.* Secundum corpus quidem facile est videre, posse hominem non habere lepram, & tamen animi esse non boni: secundum significationem autem huius miraculi, conturbat considerantem, quomodo mundus dici possit ingratus. Sed iam facile est etiam illud videre, fieri posse, ut quisque in ecclesiæ societate doctrinam integram, veramque assequatur, & omnia secundum catholicæ regulam differat, distinguat à creatore creaturam, eoque manifestetur varietate mendatorum tanquam lepra caruisse, & tamen ingratus

fit Deo, & domino mundatori suo, quia elatus superbia, gratiarum agendarum pia humilitate non sternitur, similisque efficitur eis, de quibus dicit Apostolus; Qui cum cognouissent Deum, non ut Deum magnificauerunt, aut gratias egerunt. Quod enim dicit eos Deum cognouisse, ostendit quidem à lepra fuisse mundatos, sed tamen statim accusat ingratos. Et ait illi: Surge, vade, quia fides tua te saluum fecit. Qui deuotus ante dominum cecidit, surgere, & ire præcipitur, quia qui infirmitatem suam subtiliter cognoscens humiliter iacet, per diuini verbi consolationem surgere ad fortia opera: & crescentibus quotidie meritis, ad perfectiora passim proficere iubetur. Si autem fides saluum fecit eum, quem ad agendas saluatori & mundatori suo gratias inclinauit, ergo perfidia perdidit eos, qui de acceptis beneficiis Deo gloriam dare neglexerunt. Quapropter & hæc lectio superiori ea ratione coniungitur, quod ibi fidem per humilitatem augeri debere parabola data decernitur, hic autem manifestius ipsis rebus ostenditur non fidei tantum agnitam rationem, sed executam fidei operationem esse, quæ saluum faciat credentem, detque gloriam patri, qui est in cælis.

ERICI IN IDEM

Euang. Homil.

**T**inera Domini, & saluatoris nostri, tum miraculis, tum etiam mysteriis plena semper fuisse sanctorum euangelistarum euidentissima declarat assertio. Neque enim locali tantum ambulatione explebatur necessitudo, verum etiam per hoc saluti aliquid providebatur humanæ. Ambulabat enim de loco transiens ad locum, ut omnibus adesset, omnibus subueniret, occurreret singulis, concurreret vniuersis: hos miraculis, illos prædicationibus ad fidem cogeret. Qui & idcirco cum diuinitate implemet omnia humanitate loco voluit circumscribi, ut assumendo quod eramus, suæ nos diuinitatis participes esse donaret. Verum non satis est, si hoc iter Domini solummodo carnaliter acceperimus, & non etiam si forte aliquid mysterij lateat, investigauerimus. Iter ergo Domini transitus est de terris ad cælum. Ibat enim, quia mox impleta passione, & transito mundo, festinatò ad patrem repedabat. Ibat, quia de mortalitate ad immortalitatem, de pœna ad gloriam, de contemptu ad regnum festinabat. Dum ergo iret in Hierusalem, transibat per mediam Samariam. Memor Dominus salutis humanæ, ob quæ restaurandam cælitus aduenerat, instante iam suæ passionis articulo, ibat in Hierusalem ciuitatem, non reformidans gentem quamlibet atrocem, quamlibet sui effusionem sanguinis anxie sitientem. In Hierusalem enim erat templum Domini, ibi sacerdotium Iudæorum, ibi erat cultus sacræ religionis, ibi etiam ter in anno apparebat omne masculinum Iudæorum secundum præceptum legale: & idcirco Dominus sæpè adibat illam ciuitatem, cupiens ibi pluribus annunciare verba salutis, & sua ostendere miracula. Ut ergo nec iter illius à miraculorum præconiis alienum, atque immune videretur, Transiente illo per mediam Samariam, & Galilæam, & ingrediente quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi, ita ut erant legis decreto à communi domorum, vel urbium cohabi-

Dem. 16.

Lam. 13.

tatione discreti. Samaria nanque ciuitas vel regio fuerat, in qua olim regnum decem vigerat tributuum, antequam à cultura Dei deficientes, captiuitatem Assyriorum experirentur. Illis ergo à solo proprio in exilium ductis, terras eorum missæ gentes ab Assyriis incolebāt. Galilæa verò maxima pars erat Iudaici regni, in qua & Nazareth fuit, patria (si dici fas est) Domini. Pergens ergo Dominus in Hierusalem, ad passionem, quæ è vestigio implenda erat, properans, has quoque provincias in transitu visitabat, & miraculorum insignibus illustrabat. Et dum ingrederetur quoddam castellum. Pulchrè sanctus euangelista castelli huius vocabulū nominatim exprimere noluit, ut ostenderet hos, qui Domino occurrere, leprosos nullam cum hominibus habere societate, nusquam certum consistendi locum. Legis enim decreto sequestrati fuerant à consortio communis habitationis. Notandum autem, quia non legitimus occurrisse istos leprosos Domino in vico, aut in castello, vel ciuitate, sed potius in itinere, quia lex præcipiebat, ut quisquis leprosus esset, per ministerium sacerdotis ab omni plebe separaretur: & idcirco isti à communi consortio segregati, non occurrerunt Domino in vico, aut in castello, sed potius in itinere. Ingrediendi Domino castellum, occurrerunt, quia è vicino sanandi erant. Vnde & auspiciatò Dominum præceptorem in clamant, à quo cum salute corporis vitæ æternæ præcepta suscipiebant. Sed Dominus ut doceret diuinæ legi semper esse parendum, legis à se constituta mandatum executus, eos ad sacerdotes direxit, dicens; *Ite ostendite vos sacerdotibus.* Præcipiebat enim lex, ut, si quis lepræ maculam incurrisset, ad sacerdotem duceretur, & eius iudicio mundus, vel immundus iudicaretur. Prouida ergo dispensatione Dominus leprosos ad sacerdotes mittebat, multas ob causas. Primum quidem, ut eis aditum calumniandi obstrueret, illis magis parcens, qui eorum garrula obloquia curabant. Secundò, ut videntes à Domino leprosos mundatos, quos ipsi per sacerdotium, & legem curare nequiebat, aut crederent, & saluarentur: aut, si non crederent, inexcusabiles de eius aduentu redderentur. Tertiò, ut per hoc sanctæ Ecclesiæ sacerdotium altius commendaret. Si enim illud sacerdotium, quod in typo, & figura agebatur, ad eò venerabile suo tempore extitit, ut ab ipso Domino honoraretur, multo magis hoc, quod nunc iam non in figura, sed in veritate administratur, reuerendum, & omni sit honore colendum, Aliter; *Quos ut vidit dixit: Ite, ostendite vos sacerdotibus.* Inter omnes, quos Dominus à diuersis infirmitatibus multipliciter curasse narratur, nemo è illorum, quibus curam impendit, præter leprosos ad sacerdotes mittere voluit. Cuius rei quidem ad literam facilis est intellectus, quia pater illum idcirco hoc egisse, ne calumniantibus sibi aduersarijs, aduersum se iacula videretur ministrare, dum querentur illum sacerdotibus suis debitum honorem, ac reuerentiam non deferre, præsertim cum leprosoꝝ curatio specialiter à sacerdotibus esset discernenda. Si verò spiritualis in hoc facto intelligentia requiratur, constat quia illud sacerdotiū Iudæorum, typus erat sacerdotij regalis & Christiani, quod nunc per Dei gratiam in Ecclesia manet, quo etiã emundantur & consecrantur omnes, ad veri sacerdotis

Lam. 13.

Idem.

Sacerdotum ut reddant dignum est referri.

cerdotis membra pertinentes. Et factum est, dum iuenti mandati sunt. Velocem obedientiam, aptè festina sanitas est subsecuta. Et magna gestum prouidentia, ut, antequam ad sacerdotes venirent, mundarentur, ne, si in eorum præsentia mundari eos contigisset, arbitrarentur se fortassis eorum ministerio, & non virtute mitentis fuisse curatos. Sed hæc, quæ ad literam cursum exequimur, plena sacramentorum esse, ipse resum ordo manifestat. Miracula enim Domini hoc sibi specialiter priuilegium vendicant, & iuxta historiam veraciter facta credantur, & spiritualiter excussa, interiora reconditam mysteriosum aperiant suauitatem. Quod quando agunt, quid aliud quam abstrusis fauorum intemissis mella producantur? Leprosi ergo isti hæreticos non incongruè designare possunt. Lepra nanque eiusmodi est natura, ut cutem, quam infecerit, diuersis coloribus respergat. Sic & hæretici, ut verum se dicere mentiantur, vera falsis permiscunt, & quasi vniuersus coloris dogma mendaciorum superducta varietate intertingunt: quia, si semper vera prosequerentur, hæretici non essent: si autem semper falsa dicerent, nullus eis nisi dementissimus crederet. Permissit ergo, ut dictum est, vera falsis, ut, dum veritas superducta recipitur, latens intrinsecus falsitatis morbus irrepat, more eorum, qui venena propinantes, ora calicis melle liniunt, ut dum mellis dulcedo intenditur, virus poculi auidius infumatur. Aliter; Sed quia lepra in vna, eademque cute diuersis permixta coloribus sedum hominem reddit, non incongruè iuxta significationem spiritualem leprosoꝝ nomine signantur hæretici, qui vnitatem fidei non habentes, diuersis inficiuntur erroribus. Sciendum verò est, nullam profus esse falsam doctrinam, quæ non aliqua sit veritate permixta: ne, si aut aperta mendax fuerit, non recipiatur: aut, si ex toto vera, hæretica non sit. Quemadmodum autem vulnera in vniuersis corporis cute apparentia, diuersis coloribus carnem obducunt: ita in vniuersisque hæretici doctrina, falsa veris resperguntur, ut sub obtentu veritatis, falsitatis inimica præualeat. Nam & qui venena porrigunt, prius ora calicis melle liniunt, ut per guttum dulcedinis perueniant ad poculum mortis. Huiusmodi autem pestes, autoritate principum Ecclesiæ ita sunt propellendæ, ut authores earum à totius Christianitatis societate deiecti, magnis Dominum Iesum vocibus pro salute recipienda necessario interpellare cogantur. Et attendendum, quòd sanctus euangelista ipsum quoque numerum signanter expresserit, cum quor fuerint, indicare curauit. Ait enim; *Occurrerunt ei decem viri leprosi.* Pulchra quidem quæritate commendabiles, sed obscena cute deformes. Ergo hæretici intra denarium quodammodo perfectionem sese iactant comprehensos, dum diuinorum, quæ decalogo accipiuntur, mandatorum impletores se esse confirmant, & Christianæ fidei professores se assueant. Delectat numerus, sed offendit sinistra dogmatis insinceritas. Hoc est, quod Apostolus de talibus ait, Habentes quidem speciem sanctitatis, virtutem autem eius abnegantes. Hi tales à cohobitatione ciuitatis Dei, hoc est, à communionem vniuersalis Ecclesiæ promouendi sunt, ut saltè damnati, & ab omni consortio sequestrati, tandem longo suæ eliminatiois tædio fatigati, Christum magnis vocibus in-

Hæretici à principibus Ecclesiæ excludendi.

2. Tim. 3.

mare, & cum veritatis præceptorè fateri cogantur. Hoc enim est, quòd euangelista ait: *Steterunt à longè & leuauerunt vocem, dicentes, Iesu præceptor, miserere nostri.* Idcirco à longè steterunt, nec Domino appropinquarunt, quia, ut iam dictum est, à communi consortio separati erant. Et à longè stantes leprosi vocem ad Dominum extollunt, ne tumultuantis turbæ strepitu possent aliquatenus impediri. Et meritò præceptorem iam sanandi vocat, in cuius fide, ac doctrina se errasse considerant. Sed & in parte spiritualis intelligentiæ quàm congruè Iesum præceptorem hæretici vocant, in cuius verbis se recolunt deliquisse, dumque ad eius magisterij regulam studiosè festinant recurrere, mox merentur optatæ salutis beneficia inuenire. Quos ut vidit, dixit; *Ite, ostendite vos sacerdotibus.* Et factum est dum irent, mandati sunt. Lepra quatuor habet differentias significationum. Designat enim infidelitatem paganorum, perfidiam Iudæoꝝ, errorum hæreticorum, & maculas grauium peccatoꝝ. Ab hac tam multiplici lepra quicumque expiari desiderat, necesse est Ecclesiam adeat, sacerdotes requirat, ut per eorum ministeriū exni valeat maculis peccatorum, sine quibus constat neminem ab huiusmodi valetudine posse curari. Quod autem ad sacerdotes leprosi missi sunt significat quia conuersi hæretici sacerdotibus, vel magistris sanctæ Ecclesiæ sese offerre debent, & prauis dogmatis errorem, quasi morbidæ cutis varietatem ad examinandum pandere, sicque ab eis fidei catholicæ regulis instructi, pristinæ munditiæ, & pulchritudini restituantur. Quânis enim Dominus, qui summus pontifex, verusque magister est, interna sui eruditione quid tenendum sit, valeat inspirare, magna tamen dispensatione vult doctoribus obsequi, ut per hoc qui docendi sunt, profunda humilitate solidentur, humiliati verò ad capiendâ fidei sacramenta potiores efficiantur. Sic etenim beatus Paulus, qui diuinis cælitus reuelationibus fuerat instructus, quique se dicit euangelium non ab homine, neque per hominem accepisse, sed per reuelationem Iesu Christi, tamen missus est ad Ananiam, ut ab eo fidei veritatem acciperet, & reliqua, quæ ordo ecclesiasticus exposcit, impleteret. Quid verò sibi vult, quòd antequam ad sacerdotes venissent, mandati sunt? Fortè illud præsignat, quòd multi fide feruentes, dum pro recuperanda animarum salute doctores sanctos expeterent, tanta sunt præuenientis Dei gratia donati, ut, antequam per baptismi lauacrum animæ lepram deponerent, spiritus sancti illapsu ab originalibus peccatis emundati promeruerint. Hoc in Cornelio, eiusque, qui cum eo erant, impletum est, de quibus legitur, *Quia disputante diu Petro, cecidit spiritus sanctus super eos, qui audiebant verbum.* Et beatus Petrus, *Quis, inquit, aquam prohibere potest, ut non baptizentur hi, qui spiritum sanctum acceperunt, credentes sicut & nos?* Multiplex enim Dei misericordia hanc prælati Ecclesiæ sacerdotibus potestatem contulit, ut & contentibus penitentiarum sanctionem darent, & eadè salubri satisfactione purgatos, ad iannam reconciliationis admitterent, sic diuinæ voluntatis prædictis ordinatis, ut indulgentia Dei nisi supplicationibus sacerdotum nequeat obtineri. *Præterea autem ex illis ut vidit, quia mundatus est, regressus est cum magna voce magnificans Deum.* Magni meriti, Bibl. Hom. tom. 3. Ss 3 ingen

Sine sacerdotum ministerio vniuersis peccatis mundari.

Gal. 1.

Act. 9.

Act. 10.

ibidem.

Cessatio & satisfactio necessaria ad peccatorum remissionem consequendam.



ingentisque fidei istum vnū fuisse, ex hoc vel maxime conici datur, quod ceteris ingratissimis remanentibus, ipse solus mūdatori suo gratias acturus rediit, sacerdotum, ad quos missus fuerat, conspectibus sese ostendere paripendens, vero sacerdoti Christo, qui est sacerdos in aeternum secundum ordinē Melchisedech, quiq; pontifex pontificum, & sacerdos est sacerdotum, sua ora studuit praesentare. Vnus iste, qui ceteris ingratē abeuntibus, solus rediit, saluatori gratias agens, vnus Ecclesiae deuotam Deo humilitatem significat, quae verē Deo quotidie grates exoluit: quia repressis praesumptionis suae cogitationibus infirmitatem suā humiliter aspicit, de bonis, quae agit, nihil sibi tribuit, sed omnia à diuina clementia procedere confitetur, Pulchrē autem dicitur, quia regressus est cum magna voce, Cum magna voce rediit, quia magnam erga se Dei misericordiam mente persensit. Rectē magna voce Deum magnificans reuersus est, cuius omnipotentiam in tam subita sui restauratione expertus est. Quo in facto membrum se praecipuum sanctae Ecclesiae esse ostendit, quae quotidie Christum inter blasphemias haereticorum, & Iudaeorum voces collaudere, eique gratias agere non desistit. De quo adhuc rectē subditur: *Quia cecidit in facie suam gratias agens.* Casus iste proprie electorum est. Reprobos autem retrorsum semper est cadere, iuxta quod de Domini persecutoribus scriptum est, & ceciderunt retrorsum. Et de sequacibus Antichristi sub figura Dan Iacob dicit: Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita, mordens vngulas equi, vt cadat ascensor eius retrō. Qui enim retrō cadit, ibi cadit, vbi quid doleri lateat nescit, Qui verō in faciem cadit, ibi vtiq; cadit, vbi cūctā, quae fuerint, aspicit. Repti enim retrō cadunt, quia, dum mala praeterita modō ante mentis oculos ducere negligunt, postmodum retrō, hoc est, ad supplicia aeterna, quae prauidere noluerunt, infeliciter deuoluuntur. In faciem verō cadere, est de iis, quae per ignorantiam seu per negligentiam commissa sunt, crubescere. Taliter namque in faciem cadentibus, Paulus apostolus loquitur; *Quem ergo fructum habuistis tunc, in quibus nūc erubescitis? Quod verō sanctus Euāgelista de suo tam studiosē interposuit, dicens; Et hic erat Samaritanus, non ex superfluo, aut ocioso additum reperimus, si nominis mysterium consideremus, Samaritanus enim interpretatur custos. Quo nomine aptissime declaratur is, qui perceptae dona sp̄s spiritus, humilis, & gratus maluit custodire, quam tumens, & ingratus amittere. Ideoque veri illius Samaritani, qui faucij vulnera curauit, cognomine beatificari meruit. Et hic erat Samaritanus, id est, alienigena. Saepē legimus in Euangelio, quia gentiles venientes ad Dominum, vt eum audirent, & sanarentur ab eo, sanitate percepta, gratias Deo referre studuerunt. Iudei verō iugiter eius miracula videntes, & ab eo emundationem percipientes, semper ingrati persistenterunt, Spirituāliter Samaritanus, qui interpretatur custos, significat vniuersitatem populi gentilis per fidem ad Deum conuersi, qui custodiam habet ad humilitatem conseruandam. Dum enim gentilis populus ad Deum conuersus, omne bonum, quod habet, ei tribuit, à quo accepit, profecto beneficia diuinitus sibi collata vigilanter*

Psal. 109.

Joan. 18. Gen. 49.

Rom. 6.

Luc. 10.

custodit, decantans cum Psalmista: Fortitudinem meam ad te custodiam, &c. Respondens autem Iesus dixit: *Nomine decem mundati sunt, & nouem vbi sunt?* Merito saluator eos qui ingrati persistenterunt, quasi ignotos requirit cum dicit, *Nouem vbi sunt?* Sicut enim eos, quos eligit, scire comprobatur: ita eos, quos reprobat, nō incongruē nescire dicitur. Vnde & quibusdam in fine dicitur est; *Nescio vos,* vnde litis, discedite à me operarij iniquitatis: non quod Deum aliquid lateat, sed quia impiorum vias, quorum figuram isti praetendunt leprosi, quasi ignotas reprobat. Sic & mentiri nescire vir verax dicitur, qui loqui per mendacium dē dignatur: non quod si mentiri velit nesciat, sed quia falsa loqui veritatis amore contemnat. Loquens ergo Dominus, dicit; *Nomine decem mundati sunt, & nouem vbi sunt?* Nouenarius numerus, si vnum in augmentum sui percipiat, quandam formulam vnitatis explet, & in denarium surgit. Quo numero, id est, denario tanta fit completio, vt vltra illum alius numerus non excreseat, nisi hic idem denarius repetatur à capite, hoc est, ab vnitatem. Vnum ergo ad vnitatem suam custodiendam non indiget nouem, nouem verō indiget vno, vt quaedam effigies vnitatis compleatur, id est, denarius. Similiter & illi, qui intra vnitatem sanctae Ecclesiae sunt collocati, qui designantur per vnum, non indigent auxilio eorum, qui extra sunt positi per infidelitatem: illi verō, qui foris sunt, indigent adiutorio electorum, vt per eorum ministerium atque intercessionem mereantur sanctae Ecclesiae incorporari, quoniam aliter saluari nō possunt. Adhuc quoque de illis, qui ingrati remanserant, subditur; *Non est inuentus, qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena.* Supra decem mundatos asseruit, nunc autem neminem dicit inuentum, qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi illum alienigenam. Iuxta literam facile est hominem videri corpore sanatum, & tamen persistere ingratum. Spirituāliter autem mirum est, cur istos dicat esse sanatos, qui gratia Dei de infidelitate ad fidem conuertuntur, & tamen permanere ingratos. Si enim perfectē mundus est aliquis per fidem, & baptismum, quomodo est Deo ingratus, cuius misericordia ab infidelitate adductus est ad fidem? Et si ingratus, quomodo mundus? Sed sciendum, quia sunt quidam in congregatione fidelium, qui mūdantur quidem per fidem, & baptismum, ingrati verō persistunt per bonam operationem. De quibus dicit Apostolus Paulus; *Qui cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt aut gratias egerunt.* Cum enim dicit eos Dominum cognouisse, ostendit mundatos esse à lepra infidelitatis per baptismum; cum verō addit non glorificasse eos Deum, nec illi gratias egisse, acculantur ingrati, *Non est inuentus, qui rediret, & daret gloriam Deo, Quia sententia & duritia Iudaeorum clam percussit, & gentium ad credendum facilitatem collaudat.* Penē enim in omnibus sancti euāgelij locis, & Iudaeos ad fidem tardos, & gentiles ad credendum impigros, immō paratissimos fuisse inuenimus. Hoc in illo beato centurione, de quo dictum est; *Nō inueni tātam fidem in Israël;* hoc in gentilibus, qui circa passionem Christum videre desiderabant, considerari apertissime potest. Ait ergo; *Non est inuentus, qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena.* Tāquam diceret: Cives me oderunt, alienigenae complectuntur. Iudei

Psal. 117.

Luc. 11.

Rom. 1.

Matth. 23.

Joan. 11.

Luc. 11.

dei persequuntur, gentes ambiunt, & venerantur. Hi laborant, vt post tot beneficia perimant: illi certant, vt de perceptis gratias agentes, maioribus digni existant. *Et ait illi Iesus: Surge, vade, quia fides tua te saluum fecit.* Surge, videlicet à vitiis peccatorum, & vade ad operationem virtutum. Iacētem, & suppliciter se adorātem laudat dominus, eumque, vt surgat, diuini oris affatu animat, & quod perfectē credens perfectē saluari meruit, approbat. Nihilominus & quid illi, qui redire vt gratias agerent detrectarunt, meruerint indicat: quia si istum fides sua saluauit, illos profectō sua infidelitas damnauit. Sed & illis, qui iam de perpetratis peccatis erubescere ceperunt, surgendum primō, deinde indicitur ambulandum. Prius enim quasi surgimus, cum à peccatis resipiscimus, cum malae iustitiae consuetudini resistimus, cum nobis ipsis quod tales fuimus displicemus. Ambulamus verō, cum in via mandatorum Dei, boni operis gressum ponimus, cum virtutum studij defectum iam & quasi ignauum animum exercemus. Spirituāliter quoque possumus intelligere, quoniam si illos, qui intra sanctam Ecclesiam consistunt, fides illorum saluos facit, proculdubio eos, qui extra manēt, infidelitas eorum damnat. Illud etiam in isto, qui iacens ante pedes Domini surgere iubetur, nobis innuitur, quia qui fidem rectam cum humilitatis obseruatione tenent, atque conditori suo se humiliter subdunt, quorum figuram iste praetendit, qui mundatus ad gratias Deo agendas rediit, per diuini verbi consolationem à peccatis resurgere, & ad opera virtutum exercenda iubentur accedere, donec crescentibus quotidie virtutum incrementis, ad illam perfectionem sublimetur, in qua Deum deorum in Sion perpetuū contempleri mereantur, qui viuunt, & regnant.

HAYMONIS EPISCOPI  
Halberst. superioris Euang.  
expositio.

*Cum iret Iesus in Hierusalem, &c.* Studium domini ac saluatoris nostri erga reparationem generis humani ostenditur, dum crebrō de loco ad locum transire, officiumque praedicationis implere perhibetur. Ait enim sanctus euāgelista: *Dum iret Iesus in Hierusalem, transibat per mediam Samariam, & Galilaeam.* Hierusalem Metropolis fuit illius populi ciuitas, in qua erat templum famosissimum, & toto orbe sanctius. Samaria namque caput extitit decē tribuū, sed illis propter sua facinora in captiuitate ductis, ab incolis gētium tenebatur. Galilaea verō pars septentrionalis tribu Iudae, dicta autem eo quod ibi candidiores homines praeter ceteris populis turbae Iudaeorum nascantur. Pergens verō dominus Hierusalem, vt more solito doceret, transibat per mediam Samariam & Galilaeam, vt inter eundem ab officio praedicationis minime cessaret. *Et cum ingrederetur quoddam castellum, occurrerunt decem viri leprosi.* Hi leprosi obuiam domino venientes non in ciuitate, aut castello seu in oppido occurrerunt, sed potius in via posito, & hoc secundum legis edictum. Lex enim praecipiebat, vt si quis macula leprae contaminaretur, a consortio communis habitationis secerneretur. Leprosus enim huiusmodi morbus est, vt cutem quam occupauerit variis coloribus in-

terstinguat. Signat non immeritō haereticos, qui variis coloribus scinduntur & quodammodo respergantur. Hi tales eliminandi sunt ab ecclesia, quousque dominum magnis vocibus exclamare eiusque misericordiam expetere cogantur. Vnde iure Iesum nō saluatorē, sed praep̄torē vocāt, in cuius verbis se errasse cognoscunt Magistru dicunt, per cuius doctrinā ab erronea infidelitate ad viā salutis venire desyderant. *Ite, ostendite vos sacerdotibus.* Ex omnibus, quos dominus sanauit, neminē legimus ad sacerdotes missum, nisi leprosos. Quoniam lex praecipiebat, vt, si quis contagione huius morbi viciaretur, mitteretur ad sacerdotes, & illorum iudicio mundus, aut immundus decerneretur. Ideo misit, ne daret occasionem suis calumniatoribus reprehendendi, & dicendi. In hūc nolumus credere, quia solutor est legis. Vel idcirco, vt demonstraret, quoniam, si sacerdotiū typicum ad eō erat venerandum, vt à domino honoraretur, multo magis sacrificium spirituāle, quod in ecclesia tenetur in veritate, venerandum, honorabilissimumque foret. Vel etiam misit, vt videntes illi per virtutem domini sanatos, quos illi per legis ministerium sanare nequieuerant, aut crederent, aut inexcusabiles fierent. *Et factum est, dum irent, mundati sunt.* Diuinitus actum est, vt in itinere sanarentur, ne illi putarent se per legis ministerium curatos, & non per virtutem domini sanatos. *Vnus autem vt vidit, quia mundatus est.* Iste vnus vnitatem ecclesiae signat. Nā vnus si addatur ad nouem, denarius efficitur, & tanta fit complexio vnitatis, vt vltra non numeretur, nisi ad vnum redeatur. Qui Samaritanus dicitur, demonstrans multitudinem gentium ad fidem Christi coadunatam. Quia virtutes, quas habet & si quod bonum caelitus percipit, non sibi sed mundatori suo tribuit, cupiens ab eo custodiri atque saluari dicens cum Psal. Fortitudinem meam ad te custodiam: Et misericordia eius praerueniet me. Nam in faciem dicitur cecidisse. In faciem cadere electorum est, retrō reprobos. Qui enim retrō cadit, ibi cadit, vbi nō videt. Retrō cadere est in laqueū damnationis diaboli ruere. Vnde dictum est de ascensore equi, vt cadat ascensor eius retrō. Et de persecutoribus domini. Abierunt retrō, & ceciderunt in terram. In faciem verō cadere est de peccatis praeteritis erubescere. De quibus Paul. Quem ergo fructum habuistis tūc in illis, in quibus nunc erubescitis? Respondens Iesus ait: *Nomine decem mundati sunt, & nouem vbi sunt?* Vnus ergo si addatur ad nouem, quaedam effigies vnitatis completur. Siquidem fideles per vnum, per nouem verō omnes reprobi in ecclesia figurantur, qui sacro baptismate curati, à laude sui creatoris cessant, & in pristinis vitiis permanent. De quibus Paul. Qui cum Deum cognouissent, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, sed euauerunt in cogitationibus suis, & obsecratum est insipiens cor eorum. Dicit enim, *Nomine decem mundati sunt?* Requirit dominus quasi nesciens. Nescire enim illius reprobare est, vnde in fine dicitur est: *Nescio vos.* Sicut econtra scire eligere est. Vnde Moyse dicitur: *Noui te ex nomine.* Et nouit dominus, qui sunt eius. *Non est inuentus, qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena.* Hic apertissime reprobatio Iudaeorum, & collectio gentium notatur, cum ait: *Surge, vade.* Iacenti, ac se adoranti dominus, vt surgat, imperat. Surge dicit,

Sacrificiū ecclesiae lōge maius sacrificiis Iudaeorum.

& cessa à vitiis. Quod quotidie agitur in sancta ecclesia, dum dicit Deus peccatori. Surge de vitiis ad virtutes, à malo ad bonum, de bono ad optimum, vt proficiendo merearis videre Deum deorum in Syon. *Fides tua te saluum fecit*, fides saluat, infidelitas perdit. Si istum fides saluauit, ergo infidelitas illos perdidit. Nos ergo studeamus ne donis spiritualibus ingrati simus, vt non cum in gratis damnatis, sed cum gratias agentibus, & dona Dei recipientibus dignè mereamur remunerari.

### INCERTI AVTHORIS

*sub nomine Eusebij Episcopi Emisseni superioris Euangelij expositio.*

**O**mnes in via sumus, omnes ad patriam festinamus: alij quidem ad cælestem Hierusalem, alij verò ad terram miseræ, & tenebrarum. Nulla mora est in itinere, quotidie illuc quo tendimus appropinquamus. Hanc autem viam dominus, & saluator noster currere non est dedignatus. Vnde ipse quoque alibi ait, Exiui à patre, & veni in mundum: iterum relinquo mundum, & vado ad patrem. Hanc autem viam quum dominus teneret, quum mundum relinqueret, & ad patrem irer, transibat per mediam Samariam, & Galilæam. Sed quid per Galilæam, nisi Iudæos: & quid per Samariam, nisi Gentiles intelligimus? Inde est enim quod dicitur, Non contantur Iudæi Samaritanis. Per medium autem illorū transibat Iesus, quia hos, & illos vocabat, hos, & illos prædicabat, hos, & illos sanabat, & ad fidem conuertebat. Quum autem hoc faceret, accidit, vt ingrederetur quoddam castellum: per quod videlicet sanctam ecclesiam intelligimus. Tunc enim prius in eam ingressus est, quando eam prædicando & baptizando construere cœpit. Vnde ipse ait, Ego sto ad ostium, & pulso: & si quis aperuerit mihi, intrabo ad illum, & cœnabo cum ipso, & ipse mecum. Cur autem castellum ecclesia dicitur, multæ rationes reddi possunt. Sed qui sunt decem viri leprosi, nisi omnes peccatores? Quia enim hic numerus omnes in se numeros continet, frequenter decem pro omnibus ponuntur. Vnde & de sanctis dicitur in Apocalypsi, Ecce missurus est ex vobis diabolus in carcerem, vt tentemini, & habeatis tribulationem diebus decem, id est, diebus omnibus. Omnis enim, qui numerat, postquam ad decem venit, nisi iterum à capite incipiat, quid dicat nõ habet. Vnde manifestum est, quòd idem sunt decem, quod omnes. Quantum enim ad animam, Christo domino veniente, omnes homines leprosi erant: quantum verò ad corpus, non omnes. Omnis fornicator, adulter, homicida, periurus, & sacrilegus, secundum animam leprosus est. De leprosis autem præcipit Moyses, vt eiciantur extra castra. Cum adulteris verò, & fornicatoribus, dicit Apostolus, nec cibum sumere. Quos enim pro suis iniquitatibus excommunicamus, quasi leprosos extra castra eiciamus. Valde enim deterior est lepra animæ, quàm lepra corporis. Sed videamus quod sequitur: *Qui steterunt à longe, & leuauerunt vocem, dicentes, Iesu præceptor, miserere nostri.* A longe enim stabant, quia tales viri propius accedere non audebant. Similiter autem & nos tandiu à longe sta-

mus, quandiu in peccatis perseueramus. Vt igitur sanemur, & à peccatorum nostrorum lepra curemur, clamemus magna voce, & dicamus, *Iesu præceptor, miserere nostri.* Clamemus autem non ore, sed corde: cordis enim vox altior est, clamor cordis cælos penetrat, & ante thronum Dei sublimius eleuatur. *Quos vt vidit, dixit, Ite, ostendite vos sacerdotibus.* Respicere nanque Dei, misereri est. Vidit igitur eos, & mox misertus eorum ad sacerdotes ire præcepit. Nõ vt sacerdotes eos mundarent, sed vt mundos eos esse iudicarent. Præcipit enim lex, vt, si plaga lepræ in homine appareat, ducatur ad sacerdotem, & secundum eius arbitrium separetur septem diebus. Deinde sacerdos contempletur: & si viderit lepram non creuisse, mundum iudicabit. Omnia autè hæc (vt ait Apostolus) in figura contingebant illis, scripta sunt autem ad correctionem nostram. Nam & nos peccatores multis modis separamus: alios quidem à cibis, quos prius licitè vtebantur, alios à corpore, & sanguine Christi, alios ab ecclesiæ introitu, atque alios à nostra communione: & alios quidem septem, alios plures vel pauciores & dies, & annos separamus. In quibus si viderimus lepram non creuisse, mundos eos iudicamus, & ecclesiæ reconciliamus. Hæc est igitur causa quare dominus ad sacerdotes hos leprosos ire præcepit. *Et factum est, dum irent, mundati sunt.* Hoc peccatores audiant, diligentèrque intelligant. Facile est, domino, peccata dimittere. Prius enim multoties peccatori debita remittuntur, quàm veniat ad sacerdotem. Vna enim eademque hora & poenitet, & saluatur. Peccator enim quacunque hora conuersus fuerit, vita viuet, & non morietur. Videat tamen quomodo poeniteat, videat quomodo conuertatur. Audiat quid dominus dicat: *Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & fletu, & planctu, & scindite corda vestra, & non vestimenta vestra.* Intus igitur in corde conuertatur, quia cor contritum, & humiliatum Deus non spernit. Sed vide cuius obedientiæ fuerint isti leprosi. Ad sacerdotes eos ire dominus iussit: adhuc se leprosos esse videbāt, adhuc ægritudinem sentiebant, ramen ad sacerdotes pergebant, quia non frustra hoc eis dominum iussisse credebant. Non tantæ obedientiæ fuit Naaman princeps malitiæ regis Syriæ: cui quum Elifæus præcepisset, vt septies se lauaret in Iordane, acquiescere nolebat, sed potius indignatus abibat, donec saniori accepto consilio fecit quod ei propheta imperauerat, lauit & mundatus est. Et hoc fortasse isti audierant, eiusque exemplo admoniti, quid fides, & obedientia possit, intelligebant. *Vnus autem ex illis vt vidit, quia mundatus est, regressus est cum magna voce magnificans Deum, & cecidit in faciem ante pedes eius, gratias agens, & hic erat Samaritanus.* Per hunc enim omnes illi figurantur, qui postquam aqua baptismatis mundati sunt, aut per poenitentiam curati, iam non diabolum sequuntur, sed Christum imitantur, post eum vadunt, eum magnificant, eum adorant, illi gratias agunt, & ab eius seruitio non recedunt. *Respondens autem Iesus, dixit, Nõne decem mundati sunt? & nouem vbi sunt? Non est inuentus, qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena.* Hoc est enim quod alibi ait, *Quia multi sunt vocati, pauci verò electi.* Multi enim sunt baptizati, multi à peccatorum lepra mundati, qui quoniam non Christum sequuntur, & iterum ad peccata

peccata reuertuntur, in electorum numero non computabuntur. Valde enim pauci sunt boni, ad malorum comparisonem. Sed quia iste alienigena fuit, plures ex Gentibus quàm ex Iudæis saluandos esse significatur. *Et ait illi, Surge, vade, quia fides tua te saluum fecit.* Magna est igitur virtus fidei, sine qua (vt Apostolus ait) impossibile est placere Deo. Credit enim Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiam. Fides igitur saluat, fides iustificat, fides interius, & exterius hominè satiat.

### THEOPHYL. EPISCOPI

*Bulgar. superioris Euangelij expositio.*

**E**t factum est, dum iret Hierosolimam, & ipse transibat, &c. Et hinc dicere quis potest, quòd nihil cuiquam abest ad hoc, vt Deo placeat, etiam si maledicti generis sit, modo bonam voluntatem habeat. Ecce enim decem leprosi occurrerunt Iesu in ciuitatem quandam ingressuro: occurrerunt autem extra ciuitatem. Non enim licebat eis, qui habebantur maledicti, in ciuitatibus versari. Procul igitur stabant, vt pote propter immunditiam, quæ in eis apparebat, erubescens: & neque audebant appropiare, putantes quòd abominabiles ei essent, sicut & alii. Extollunt igitur vocè suam, & orant. Et loco quidam procul stant, oratione autem appropiant. Prope enim est dominus omnibus inuocantibus se in veritate. Et non simpliciter orant vt hominem, sed vt eum, qui supra hominem. Præceptorem enim eum nominant, hoc est, dominum, curatorem: id quod est putare illum prope Deum. At ille præcipit eis, vt ostendat se sacerdotibus. Nam sacerdotes probabant tales, & ab aliis sententiam accipiebant, an mundi essent, vel non. Habebant enim sacerdotes signa, per quæ insanabilem lepram inuestigabant. Sed & quando lepra quis infectus, postea sanitatem assequutus erat, eum sacerdotes probabāt, & donum offerebatur in lege præceptum. Hoc autem loco, quum ex confesso essent leprosi, quid opus erat se ostendere sacerdotibus, nisi omnino fuissent mundandi? Nam quod præcipiebat eis, vt ad sacerdotes abirent, nihil aliud indicabat, quàm quòd mundi futuri essent: idcirco & dicit, quòd inter eundem mundati fuerunt. At vide hoc, vt in principio diximus, quòd, quum decem essent, nouem quidem, quumvis Israëlita, ingrati apparuerunt: Samaritanus, quum esset generis alterius, reuersus est, & vocem gratitudinis emisit. Assyrij enim erant Samaritani: vt nullus gentilis despecter, & nullus de sanctis parentibus glorietur. Insignat hoc miraculum etiam communem totius humani generis salutem fieri. Decem enim leprosi, omne genus hominum signant lepra mali-

tiæ infectum, ac turpitudinem peccati circumferens, & extra regni cælorū ciuitatem propter immunditiam constitutum, proculq; à Deo stans. Et istud ipsum procul stare, supplicadi speciè habet. Misericordi enim, & volenti omnibus benefacere, magna occasio est ad miserendum, videre in nullo participem suæ bonitatis: propter hoc enim reuelauit se, vt sanaret eos, qui tam male habebant. Quamuis etiam omnem naturam sanauerit lepra infectam, pro omnibus & incarnatus, & mortuus: attamen Iudæi, quàmvis à domino mundati fuissent ab immunditiis leprosi peccati, ingrati fuerunt: & non reuersi sunt à via vanitatis suæ, ita vt darent gloriæ ei, qui saluos eos fecerat: hoc est, vt crederet ei, quòd, quum Deus esset, extremam passionem tulerit. Hæc enim est gloria Dei, caro, & crux. Hi igitur incarnatum, & crucifixum dominum gloriæ non sunt confessi. Alienus autem populus gentilium, agnouit eum, qui mundauerat, & glorificauit eum credendo, quòd tam misericors, & tam potens sit dominus, vt & propter nos vilissima tulerit, id quod est misericordiae: & quum pertulerit, nihil inde incommodi acceperit, id quod potentiae est.

### EVTHYMII ZIGABONI

*superioris Euang. expositio.*

**O**ccurrerunt ei decem leprosi. Notem quidem erant Iudæi, vnus autem Samaritanus: morbi vero communicatio tunc eos adunauerat, audito quòd petrâsiret Christus. *Qui steterunt procul.* Tanquam immundi. *Et eleuata voce dixerunt, Iesu præceptor, &c. emigra.* hoc est, domine, præceptor, aut magister. *Quos vt vidit, dixit illis, Ite ostendite vos sacerdotibus.* Nondum mundauit eos, sed mittit sacerdotibus manifestandos, vt inter eundem mundarentur. Hoc autem fecit probans fidè illorum. Illi vero credendo, quòd eundo posset illos mundare, ibant non diiudicantes de eius præcepto. Manifestabantur autem sacerdotibus, qui mundati erant, vt ab illis mundi dicerentur: & tunc iuxta legem hostiam offerebāt. *Vnus autem ex illis, vt vidit, quòd mundatus esset, regressus est cum magna voce glorificans Deum.* Magnum quendam, ac magnæ potentiae credens esse Christum, nondum tamen natura Deum. *Et procidit in faciem ad pedes eius, gratias illi agens.* Quum enim mundatus esset, iam appropinquabat. *Et hic erat Samaritanus, &c.* Hinc ostendit, quod magis grati sunt gentiles, quàm Iudæi: hi enim beneficium continuo obliuioni tradentes, ingrati & erga patrem, & erga filium apparebant. *Et ait illi, Surge, vade, fides tua te saluum fecit.* Atqui etiam illos fides eorū saluos effecerat: sed fideles quidem decem fuerunt, solus autem hic gratus fuit.

### DOMINI



# DOMINICA XIII. POST PENTECOSTEN.

M A T T H. 6.

**N**illo tempore dixit Iesus discipulis suis, <sup>a</sup> Nemo potest <sup>b</sup> duobus <sup>c</sup> dominis seruire: Aut enim vnum <sup>d</sup> odio habebit, & <sup>e</sup> alterum diliget: aut <sup>f</sup> vnum sustinebit, & <sup>g</sup> alterum contemnet. <sup>h</sup> Non potestis Deo <sup>i</sup> seruire, & <sup>k</sup> mammonæ. <sup>l</sup> Ideo dico vobis, ne solliciti sitis

<sup>m</sup> animæ vestræ, quid manducetis: neque corpori vestro quid induamini: Nonne <sup>n</sup> anima plus est, quam esca: & corpus plus quam vestimentum? Respicite <sup>o</sup> volatilia cæli: quoniam <sup>p</sup> non serunt, nec metunt, neque congregant in horrea: & <sup>q</sup> pater vester <sup>r</sup> cælestis pascit illa. <sup>s</sup> Nonne vos magis pluris estis illis? Quis autem vestrum <sup>t</sup> cogitans potest adicere ad staturam suam cubitum vnum? Et de <sup>v</sup> vestimentis, quid <sup>x</sup> solliciti estis? <sup>y</sup> Considerate lilia agri, quomodo crescunt. Non <sup>z</sup> laborant, neque <sup>a</sup> nent. Dico <sup>b</sup> autem vobis, quoniam nec Salomon in omni <sup>c</sup> gloria sua coopertus est, sicut vnum ex istis. Si enim foenum agri, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, Deus sic <sup>d</sup> vestit, <sup>e</sup> quanto magis <sup>f</sup> vos modicæ fidei. <sup>g</sup> Nolite ergo <sup>h</sup> solliciti esse, dicentes: quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Hæc enim omnia gentes inquirunt: Scit enim <sup>i</sup> pater vester, quia his omnibus <sup>k</sup> indigetis. <sup>l</sup> Querite ergo <sup>m</sup> primum regnum Dei & <sup>n</sup> iustitiam eius, & hæc <sup>o</sup> omnia <sup>p</sup> adicientur vobis.

## GLOSSA ORDINARIA in superius Euangelium.

**N**emo potest. Quasi dicat, non poteritis ad oculum hominū bona agere, & ex his Deo placere. Non simul in cælo & in terra thesaurizare, nec & vitis & virtutibus deseruire. Quidquid facis, vel ex amore Dei, vel seruitute diaboli. Cum regnum Dei & diaboli dissideant inter se, in vitroque nemo potest simul militare: vnde qui baptizantur, diabolo

abrenunciant & operibus eius. *Aut enim vnum odio.* Nihil est medium. Quidquid enim facis, aut ex amore Dei, vel ex seruitute diaboli. Aug. Diabolus enim semper est odio habendus: Deus verò diligendus. Nec enim aperte aliquis vnquam Deum odio habuit: sed omnes se eum amare fatentur, & diaboli nomen execrantur, quamuis vitiosi eum quasi tyrannum super se dominantem sustineant: Deum verò odio non habent, sed contemunt, victi concupiscentia sua, & persuasione diabolica. *Aut vnum sustinebit.* Aug. Non quidem diligit: nemo enim diabolū diligit, sed sua cupiditate

piditate implicatus patitur eum: vt si quis ancillæ alienæ coniunctus propter suam cupiditatem duram patitur seruitutem: etsi nō amet illum cuius ancillam diligit. *Alterum contemnet.* Non quidem odio habebit: nullius enim conscientia Deum potest odisse. Idem in retractione rei eiusdem. Non video fuisse dicendum: Multi enim sunt de quibus scriptum est: Superbia eorum qui te oderunt, &c. *Et mammonæ.* Mammona Syra lingua, diuitiæ, quibus seruire, Deum negare est. Non dicit, habere: quod fieri licet, vt bene dispense, sed seruire quod est anati. Dicitur hoc nomen esse demonis qui præest diuitiis, non quod in eius ditione sint: sed quod his vitur ad decipiendum, irretiendo laqueis diuitiarū. *Ideo dico vobis.* Quia non potestis Deo seruire & mammonæ. Ne sitis solliciti, quod est seruire diuitiis. Contemptum seculi, & fiduciam futurorum, toto sermone præcepit, dum & mala sustinere & non vlceri, & inimicos diligere iussit, & humanam gloriam fugere. Nunc vult confirmare per fidem in spe æternorum, quia plures sunt, quos amor præsentium, & desperatio futurorum torpentes facit. In sudore vultis paratur panis, sed labor est exercendus, sollicitudo tollenda est, quæ mentem perturbat: dum timet ne aut possessa dispereant, aut elaborata non contingant. *Animæ vestra.* Id est animalitati, cui hæc necessaria sunt. Totā spem Deo comittite, quia nihil nisi quo decreuerit ille potestis acquirere, vel retinere. Anima hinc ponitur pro vita, quæ cibo sustentatur vt ibi: Qui amat animam suam, perdet eam. Animalitas cibo alitur: & ponitur hic pro vita, viuit cum peccatoribus: quam qui perdit propter Christum, inuenit eam spiritualem in vitam æternam. *Nōne anima.* Non vita propter escā, nec corpus propter vestimentum, sed e contra. Ideo nō sit sollicitus animus, vt percipiat quod propter se creatum est. Quasi dicat, qui dedit maiora, id est, vitam & corpus, dabit & minora, id est, victum, & vestes. In his promissis veritatis nemo dubitet: Sit homo quod esse debet, mox adduntur ei omnia, propter que sunt facta. *Respicite.* Hoc ad escam. Sancti merito comparantur auibus, quia cælum petunt, & quidam ita remouit sunt à mundo, vt iam in terris nil agant, sed sola contemplatione iam in cælo degunt. De quibus dicitur: Qui sunt hi, qui vt nubes volant, &c. Hæc exempla non prohibent prouidentiam, ne labore, sed sollicitudinem, vt tota fiducia vestra sit in Deo, cum & aues sine cura viuunt. *Et pater vester.* Exaggerat fiduciam filiorum & confirmat: quia si bonitas patris etiam ad illa se extendit, quanto magis ad filios adoptionis: *Quis autem vestrum, &c.* Illi autem curam regendi corporis relinquite, qui illud ad hanc mensuram fecit peruenire. *Et de vestimentis.* Non quod laborare & prouidere hoc non deceat, sed omnis sollicitudo abicienda est, & spes in Deo habenda est. *Considerate lilia agri.* Exhortationem de indumento factis congruo confirmat exemplo. *Quo. nec Salomon in omni, &c.* Quæ purpura regum, quæ pictura texturicū potest floribus comparari? Ipse color dicitur operimentum florum, sicut dicimus: operuit istum rubor. *Si enim fennum agri.* Si ista, quæ ad vsum sunt temporis tantum, & cito decidua igne cremabuntur, Deus tam venuste adornat. Cras pro futuro ponitur in scripturis, dicente Iacob; Exaudiet me cras iustitia mea. *In clibanum mittitur.*

Alij libri habent, in ignem, vel in aceruum, qui habet speciem clibani. *Quanto magis vos,* scilicet vestiet. Et idē omnis fiducia in eo habēda. Quod si nec de his fidētes sumus, quomodo inuisibilia spernamus? Permodica fides est, quæ nec de minimis ceta est. Ideo & de æternis ingerit fiduciā, & condemnat infidelitatem. *Modice s̄.* Quicumq; in aliqua promissione dubitat, modicus est fidei, & quanto plus dubitat, tanto minus inuenit ea pro quibus sollicitus fuit. *Nolite ergo solliciti, &c.* Plenius inculcat & reuoluit, quod à principio sermonis docuit, vt absque sollicitudine viuamus. *Nolite ergo solliciti esse.* Hic videntur argui hi, qui spreto victu, vel vestitu communi, lautiora sibi, vel austeriora præ his, cum quibus viuunt alimenta quærunt, vel indumenta. *Solliciti esse.* Sollicitudo suffocat verbum Dei, ne fructum referat: & facit similem gentili, id est infidelem. *Hæc enim om.* Quid ergo amplius habet à gentili: cuius infidelitas animum sollicitat, & curis vitæ huius fatigat? *Gentes.* Quibus de futuris cura non est, sed filiorum est quærere regnum. *Scit e.* Prouisa sunt hæc à Deo, qui nouit nobis hæc in via sua esse necessaria. *Pater vester.* Sic filios de bonitate & prouidentia patris securos reddit, absque cura seculi. *Querite er. p.* Hic aperte ostendit ista non esse petenda tanquam bona nostra, etsi necessaria. Regnum autem Dei petendum est & in eo finis noster est ponendus, propter quem omnia faciamus, verbi gratia: Manducemus vt euāgelizemus: non euāgelizemus, vt manducemus. Cum dicit primum, significat hoc posterius, non tempore sed dignitate. Illud enim petendum est, hoc propter illud necessarium: ergo primum quærere regnum Dei, id est, præponere omnibus rebus cæternis. Vt autem hoc quæratis, non debet subesse sollicitudo, ne illa desint: Scit enim (vt dixit) pater vester, quia his indigetis: & ideo non subdit, deinde ista quærite: sed ait, hæc apponentur, id est, consequentur sine vilo impedimento, si illa quæritis. Nec ait, illa dabuntur: sed apponentur, quia aliud est quod principaliter datur, aliud quod superadditur, quia in intentione æternitas, in vsu debet esse temporalitas: & illud datur, hoc superadditur. Regnum Dei quæramus, sectando iustitiam eius. Iustitia verò regni est, omnia que Christus docuit obseruare. Regnum quærere, est ipsam iustitiam operibus implere: ideo tan: um vt Deus glorificetur, & vt nos ei per omnia placeamus. Regnum Dei summum bonum est: & ideo quærendum. Quæratur autem fide, spe, & charitate. *Et hæc omnia.* Quia omnia sunt filiorum: & ideo hæc omnia adijciuntur, etiam non quærētib; quibus si subtrahuntur, ad probationem est: si dantur, ad gratiarum actionem: quia omnia cooperantur in bonum. Rom. 8.

## CATENA AVREA in idem Euangelium.

**N**emo potest duobus dominis seruire. *Aut enim vni odio habebit, & alterum diliget, aut vnum sustinebit, & alterum contemnet.* Non potestis Deo seruire & mammonæ. Chrys. super Matt. Superius dixerat dominus quod qui habet mentem spiritualem, ille potest corpus suum seruire sine peccato: qui autem non habet, non potest: cuius rationē subiungit,



git, dicens: *Nemo potest, &c.* Glo. Vel aliter: Quod dictum est supra quod propter intentionem temporalium, bona mala fiunt. vnde posset aliquis dicere: Ego faciam bona, & propter temporalia & propter caelestia. Contra quod dominus ait: *Nemo potest, do. ser.* Chry. in ho. Vel aliter: In anterioribus auaritia compressit tyrannidem per multa & magna, sed adhuc alia apponit ampliora. Nō enim in hoc solum nobis nocent diuitia quod latrones aduersus nos armant, & quod intellectum obtenebrant, sed etiam a seruitute Dei nos expellunt. & hoc probat a cōmunibus conceptionibus, dicens: *Nemo potest, do. ser.* Duos autem dicit, qui contraria iniungūt. Concordia enim multos vnum facit, quod ostenditur per hoc quod subdit: Aut enim vnum odio habebit. Ideo autem duo ponit, vt monstrer facilem esse transmutationem ad melius. Si enim dicas: Seruus factus sum pecuniarum, amando scilicet eas, monstrat quod possibile est ad aliud venire, scilicet non sustinendo seruitutem, sed contempnendo. Glof. Vel duo tangere videtur seruitutum genera: quidam enim seruiunt liberaliter ex amore, quidam seruiliter ex timore. Si ergo aliquis ex amore seruiat vni contrariorum dominorum, necesse est, vt alterum odio habeat. Si verō ex timore seruiat, necesse est vt dum vnum sustinet, alterum contemnat. Res autem terrena vel Deus, si in corde hominis dominetur, ad contraria ex vtroque trahitur homo; nam Deus trahit ad superiora sibi seruientē, res verō terrena ad inferiora: & ideo quasi concludēs subdit: *Non potest, deo ser. & man.* Hier. Mammonae sermone Syriaco diuitia nuncupantur. Audiatur ergo hoc auarus, qui censetur vocabulo Christiano, non posse simul diuitiis Christiōe seruire, & tamen non dixit: Qui habet diuitias, sed qui seruit diuitiis. Qui enim diuitiarum seruus est, diuitias custodit vt seruus: qui autem seruitutis excussit iugum, tribuit eas vt dominus. Glo. Per mammona etiam intelligitur diabolus, qui praestit diuitiis: non quod possit eas dare nisi quando Deus permittit, sed quia per eas homines fallit. Aug. de ser. do. in monte. Qui enim seruit mammonae, id est, diuitiis, illi vti que seruit, qui rebus istis terrenis merito suae peruersitatis praepositus princeps huius seculi a domino dicitur. Vel aliter, qui sunt duo domini ostendit cum dicitur: Nō potest, deo ser. & mam. scilicet deo, & diabolo. *Aut ergo hūc odio habe.* hoc est, diabolū: & *alt. dili.* id est, deū. *Aut enim vnum, &c.* Patitur enim durum dominum quisquis seruit mammonae, sua enim cupiditate implicatus subditur diabolo, & non eum diligit. Sicut qui ancillae alienae coniunctus est propter concupiscentiam, durā patitur seruitutē, et si non diligit eam, cuius ancillā diligit. Dixit autem, *alterum contemnet*, non odio habebit: nullus etiam vera conscientia Deum potest odisse. *Contemnit autem*, id est non timet eum, cum quasi de eius bonitate securus est. *Ideo dico vobis, ne solliciti sitis anima vestra, &c.* Aug. de ser. do. in mon. Quia superius docuerat dominus quod quisquis vult diligere Deum & cauere ne offendat, non se arbitretur duobus dominis posse seruire: ne forte quamuis iam superflua non quaerantur, propter ipsa tamen necessaria cor duplicetur, & ad ea deflectenda torqueatur intentio, subiungit dicens: *Ideo dico vobis, &c.* Chry. in ho. Non hoc dicit quod anima cibo indigeat (incorporea est enim) sed se-

cundum communem locutus est consuetudinem; aliter enim non potest morari in corpore, nisi eo cibato. Aug. Vel animam in hoc loco pro animali vita positam nouerimus. Hic. In nonnullis codicibus additum est, neque quid bibatis. Ergo quod omnibus natura tribuit, & iumentis & bestis hominibusque commune est, huius cura penitus liberamur. Quod autem hic dicitur, de carnali cibo & vestimento accipiamus. Ceterum de spiritualibus cibis & vestimentis semper debemus esse solliciti. Aug. de hare. Dicuntur autem Eucharistia quidam haeretici opinantes monacho non licere sustentandae vitae suae causa aliquid operari, atque ita se ipsos profiteri, vt omnino ab operibus vacent. Aug. de operibus mona. Inquiunt enim de hoc opere corporali, in quo vel agricola vel opifex laborant, praepit apostolus, cum dixit: Qui non vult operari, non manducet. Neque euangelio posset omnino esse cōtrarius vbi ait dominus: *Ideo dico vobis, ne solliciti sitis.* In verbo ergo apostoli praedicto spiritualia opera debemus accipere, de quibus alibi dicitur: Ego plantavi. Apollō rigauit, & ita se arbitrantur apostolica & euangelica obtemperare sententiae; cum euangelium credunt de non curanda corporali huius vitae indigentia praepitisse, & apostolum de opere & cibo spirituali dixisse: Qui non vult opere non manducet. Prius ergo demonstramus apostolum opera corporalia seruos Dei operari voluisse. Praepit enim dicens: Ipsi scitis quomodo oporteat nos imitari, quia non inquieti fuimus inter vos, neque panem ab aliquo gratis manducauimus: sed in labore & fatigatione die ac nocte laborantes, ne quem vestrum grauaremus: non quia non habuimus potestatem, sed vt nos ipsos formam daremus vobis, qua nos imitaretis. Nam & cum essemus apud vos, hoc denuntiabamus vobis, quoniam si quis non vult operari, non manducet. Quid ad hoc dicit potest, quando exemplo suo docuit quid praepit, scilicet corporaliter operando? Nam quod corporaliter operaretur, ostenditur in Act. vbi dicitur, quod mās cum Aquila & vxore eius Priscilla opus faciendo apud illos: erant enim tabernaculorum artifices, & tamē apostolo tanquam praedicatori euangelij, militi Christi, plantatori vineae, pastori gregis constituerat dominus, vt de euangelio viveret; qui tamē stipendium sibi debitum non exegit, vt se formam daret eis, qui exigere indebita cupiebant. Audiatur ergo, qui non habent hanc potestatem, quam ille habebat, vt tantummodo spiritualiter operantes manducet panem a corporali labore gratuitum. Si autem euangelistae sunt, si ministri altaris, dispensatores sacramentorum, habent hanc potestatem, si saltem habebant aliquid in seculo, quo facile sine opificio sustentarent hanc vitam, quod conuersi ad Deum indigentibus dispartiti sunt, & credenda est eorum infirmitas, & ferēda. Nec attendendum in quo loco hoc quod habebant impenderint, cum omnium Christianorum sit vna respublica. Sed qui veniunt ad professionem seruitutis Dei ex vita rusticana, & opificum exercitio, & plebeio labore, si quo minus operentur, excusari nō possunt. Nullo enim modo decet vt in ea vita, vbi seruatorum sunt laboriosissimi, ibi fiant opifex otiosi: & quo veniunt relictis deliciis suis, qui fuerunt praedictorum domini, ibi sint rustici delicati. At cum dominus ait: *Nolite solliciti esse*, non hoc dicit vt ista non

non procurent, quantum necessitatis est, vnde honeste poterunt: sed vt ista intueatur, & propter ista faciant quicquid in euangelij praedicatione facere iubentur, eam namque intentionem paulo superius oculum vocauerat. Chr. in ho. Vel potest aliter continuari. Cum enim docuisset dominus pecuniam despiciere: ne aliqui dicerent qualiter poterimus viuere, si omnia proiecerimus? subiungit, dicens: *Ideo dico vobis.* Glo. Id est, cura temporalis ne retrahamini ab aeternis. Hiero. Praepit ergo nobis ne solliciti simus quid comedamus, quia in sudore vultus praeparamus nobis panem. Ergo, labor exercendus est, sollicitudo tollenda. Chry. super Matth. Non enim sollicitudinibus spiritualibus, sed laboribus corporalibus acquirendus est panis: qui laborantibus pro praedicatione diligentia Deo praestante abundat, & negligentibus pro poena Deo faciente subducitur. Confirmat autem spem nostram dominus, & primō de maiori ad minus descendit, dicens: *Nōne anima plus est quā esca, & corpus plus quā vestimentum?* Hic. Qui maiora praestitit, vti que & minora praestabit. Chry. super Matth. Nisi enim voluisset cōseruari quod erat, non creasset: quod autem sic creauit vt per escam seruetur, necesse est vt det ei escam quandiu vult esse quod fecit. Hil. vel aliter: Quia corruptus circa futurorum curam infidelium sensus est calumniantium quae in resurrectione corporum species sit futura, quae in substantia aeternitatis alimonia. Ideo subsequenter dicitur: *Nōne anima plus est quā esca?* Non enim patitur spem nostram futuri in resurrectione cibi & potus & vestitus sollicitudine demorari, ne in redempti corpus atque animam cōtumelia in non efficiunt leuioribus inferatur. *Respicite volatilia caeli quoniam non serunt neque metunt, &c.* Chr. super Matth. Postquam confirmauit spem nostram de maiori ad minus descendens, deinde confirmat de minori ad maius ascendens, cum dicit: *Respicite volatilia caeli quoniam non se, neque me.* Aug. de operibus mona. Quidam se dicunt propterea operari non debere, quia nec volucres caeli seminant neque metunt. Cur ergo nō attendunt quod sequitur? *Neque congregant in horrea.* Cur ergo isti manus otiosas, & plena repositoria vult habere: cur denique molunt, & coquunt: haec enim aues non faciunt, aut si reperiant quibus hoc persuadeant, vt eis per singulos dies escas afferant praeparatas, saltem sibi de fontibus aquam afferūt, & reponunt, quod volatilia non faciunt. Sed si nec aqua sibi vasa coguntur implere, & iam illos qui tunc erant Hierosolymae nouo gradu iustitiae supergressi sunt, qui de misso sibi ex gratia frumento panem fecerunt, aut facere curauerunt, quod aues non faciunt. Non possunt autem ista seruire, vt scilicet nihil in crastinum reponant, qui se per multos dies a conspectu hominum separatos, & nulli ad se praebentes accessum includunt se ipsos, viuentes in magna intentione orationum. An forte quod sunt sanctiores, eō sunt volucibus dissimiliores? Quod ergo dicit de volatilibus caeli ad hoc dicit, ne quisquam putet Deum seruorum suorum necessaria non curare, cum eius prouidentia vsque ad ista gubernanda perueniat. Neque enim non ipse pascit eos qui manibus operatur, neque etiā quia Deus dixit: Inuoca me in die tribulationis, & eruat te: non debuit fugere apostolus, sed expectare vt comprehenderetur, & cum Deus, sicut

tres pueros, de mediis ignibus liberaret. Sicut enim qui fugientibus sanctis huiusmodi quaestione obiceret, responderent non se oportuisse tentare Deum, sed tunc talia Deum, si vellet, esse facturum, vt eos liberaret, sicut Daniele a leonibus, & Petrum a vinculis, cum ipsi quid facerent, non haberent. Cum verō eis fugam in potestate dedisset, etiam si liberarentur per illam, non nisi ab ipso liberari: sic seruis Dei valentibus manibus suis victum transigere, si ex euangelio mouerit quaestione de volatilibus caeli, quae non seminant neque metunt, facile respōdebunt: Si nos per aliquam infirmitatem vel occupationem non possumus operari, ille nos pascet sicut oues quae nihil operantur. Cum autem possumus, non debemus tentare Deum: quia haec quae possumus, eius munere possumus. Et cum hic viuimus, illo largiente viuimus, qui largitus est vt possumus: & ille nos pascit a quo aues pascuntur, sicut dicitur: *Et pater vester caelestis pascit illa, nōne vos magis, &c.* Aug. de ser. do. in mon. Id est carius vos valetis, quia rationale animal, sicut est homo, sublimius ordinatur in rerum natura quam irrationalia, sicut sunt aues. Aug. 2. de ci. Dei. Plerumque tamen carius comparatur equus quā seruus, & gemma quā famula, non ratione considerantis, sed necessitate indigentis, seu voluptate cupientis. Chr. super Matth. Omnia enim animalia Deus propter hominem fecit, hominem autem propter se: quāto ergo pretiosior est hominis creatio, tantō maior est Dei sollicitudo de ipso. Si ergo aues non laborantes inveniunt escas, homo non inueniet, cui Deus dedit & operandi scientiam & fructificandi spem. Hic. Sunt autē quidam, qui dum volunt terminos patrum excedere, & ad alta volitare, in ima merguntur. Volatilia caeli angelos esse volunt, ceterasque in Dei ministerio fortitudines, quae absque cura, Dei sui alantur prouidentia. Si hoc ita est vt intelligi volunt, quomodo sequitur dictum ad homines: *Nōne vos magis istis illis?* Simpliciter ergo accipiunt, quod si volatilia absque cura & arumnis, Dei aluntur prouidentia, quae hodie sunt & cras non erunt: quāto magis homines, quibus aeternitas repromittitur: Hil. Potest autem dici quod sub nomine volucrum, exemplo nos immundorum spirituum hortatur, quibus sine aliquo negotio quaerendi & congregandi, viuendi tamen tribuitur de aeterni consilij potestate substantia: atque vt ad immundos istud spiritus referatur, opportunē adiecit: *Nōne vos magis plura estis illis?* De comparationis praestantia, differentiam nequitiae & sanctitatis ostendens. Glo. Non solum autem exemplo animum, sed experimento docet, quod ad hoc quod sumus & viuimus nostra cura nō sufficit, sed diuina prouidentia operatur, dicens: *Quis autem vestrum cogitans potest adiacere ad staturam suam cubitum vnum?* Chr. super Matth. Deus enim est qui per singulos dies incrementa corporis tui facit, te non intelligente. Si ergo in teipso quotidie Dei prouidentia operatur, quomodo in necessariis tuis cessabis? Si autem vos cogitando modicam partem corpori vestro ad dēre nō potestis, quomodo cogitando saluandi estis in toto? Aug. de ser. do. in mon. Vel potest referri ad consequentia, ac si diceret: Non esse cura nostra factum, vt ad hanc staturam veniret corpus nostrum: ex hoc intelligi potest, quod si velletis adiacere vnum cubitum, non possētis. Illi

ergo tegendi corporis curam relinquit, cuius cura factum est, ut esset tantæ staturæ. Hila. Vel aliter: Sicut fidem vitalis substantiæ nostræ de documento spirituum seruauit, ita opinionem futuri habitus iudicio communis intelligentiæ dereliquit. Cum enim vniuersorum corporum quæ vitam hauserunt, diuersitatem in vnum perfectum virum sit excitaturus, solus qui potens sit ad vniuersi quæque proceritatem cubitum vnum, & alterum, tertiumve præstare, de vestitu, id est de specie corporum cum eius contumelia ambigimus, qui vt æqualem omnem hominē efficiat, tantum mensuræ est humanis corporibus additurus. Aug. vlt. de ciu. Dei. Sed si Christus in ea mensura corporis, in quo mortuus est, resurrexit, nefas est dicere cum resurrectionis omnium tempus venerit, accessurâ corpori eius eam magnitudinem, quam non habuit, quando in ea discipulis, in qua notus erat, apparuit: vt longissimis fieri possit æqualis. Si autē dixerimus ad dominici corporis modum etiam minorum maiorumque corpora redigenda, peribit de multorum corporibus plurimum, cum ipse nec capillum periturum esse promiserit. Restat ergo vt quisque recipiat suam mensuram, quam vel habuit in iuuentute, si senex est mortuus: vel fuerat habiturus, si est antè defunctus. Et Deo non est dictum ab Apostolo, in mensuram staturæ, sed in mensuram ætatis plenitudinis Christi: quia resurgent corpora mortuorum in iuuenili ætate & robore, ad quam Christum peruenisse cognouimus. *Et de vestimentis quid solliciti estis? Considerate lilia agri, &c.* Chr. in ho. Postquam monstrauit quod non oportet nos pro cibo esse sollicitos, ad id quod leuius est pertransit. Neque enim ita necessarium est indumentum, sicut cibum. vnde dicit: *Et de vesti. quid solliciti estis?* Non autem hic vtitur exemplo volucrum vt induceret pauonem, & cygnum, à quibus erat similia exempla accipere: sed vtitur exemplo liliorum, dicens: *Considerate lilia agri.* Vult ex duobus demonstrare superabundantiam, scilicet à magnificentia pulchritudinis, & à vilitate participantium tali decore. Aug. de ser. do. in mon. Ipsa autem documenta non sic allegoricè discutienda sunt, vt queramus quid significant aues cæli aut lilia agri: posita sunt enim vt rebus minoribus maiora persuadeantur. Chr. super Matth. Lilia enim sturto tempore formantur in frondibus, vestiuntur candore, implentur odoribus. Et quod terra radici nō dederat, Deus inuisibili operatione largitur. In omnibus autem eadem plenitudo seruatur, vt non ab euentu facta putentur, sed Dei prouidentia intelligantur esse disposita. Dicendo autem, *Non laborant*, viros confortat. Dicendo verò, *Neque nent*, mulieres. Chry. in ho. Hæc autem dicens nō opus prohibuit, sed sollicitudinem, sicut & supra, cum de seminatione loqueretur. Chry. Et vt magis Dei prouidentiam in ipsis commenderet, quæ omnem superat humanam industriam, subdit: *Dico autem vo. quoniam neque Salomon, &c.* Hier. Reuera enim quod sericum, quæ regum purpura, quæ pictura texturicū potest floribus comparari: Quid ita rubet vt rosa? quid ita cander vt lilium? Violæ verò purpuram nullo superati murice, oculorum magis quàm sermonis indicium est. Chr. in ho. Quantum enim veritatis ad mendacium, tantum vestimentorum & florum differentiæ est. Si ergo Salomon à floribus superatus est, qui omnibus

regibus fuit præclatior, quando tu vestimentis poteris vincere florum decorem? Est autem Salomon superatus à florum decore, non semel tantum neque bis, sed per totum tempus sui regni. Et hoc est quod dicit. *In omni gloria sua*, qui nec in vno die ita decoratus est vt flores. Chr. super Matth. Vel hoc dicit, quia Salomon etiam non laborabat, quid vestiretur tamen iubebat. Vbi autem iussio, illic & ministrantium offensa, & iubentis ita frequenter inuenitur: hunc autem quando nesciunt, sic ornantur. Hil. Vel lilia intelligenda sunt angelorum celestium claritates quibus à Deo gloriæ candor indutus est. Non laborant autem neque nent, quia virtutes angelorum ex ea, quam adeptæ sunt originis suæ sorte, vt sint semper accipientes, & cum in resurrectione similes homines angelis erunt, sperare celestis gloriæ voluit operimentum, exemplo angelicæ claritatis. Chr. super Matth. Si autem floribus terrenis sic succurrit Deus, qui nati sunt vt tantum modo videantur & pereant, homines negliget, quos sic creauit, vt non pro tempore videantur, sed vt perpetuò sint? Et hoc est quod dicit: *Si autem fœnum agri quod hodie est & cras in clybanum mittitur, Deus sic vestit: quanto magis vos modica fidei?* Hic. Cras autē in scripturis futurū tempus intelligitur, dicitur Iacobi: Exaudiat me cras iustitia mea. Gl. Alij libri habent in ignem, vel in aceruū, qui habet speciem clybani. Chry. in ho. Nō autem lilia iam ea vocat, sed fœnū agri, vt eorum vilitatem ostendat. Sed & aliam vilitatem apponit, dicens, quæ hodie sunt: & non dixit, Cras non erunt, sed quod est multò deficientius, quia in clybanum mittitur. Quod autem dicit, *Quantò magis vos?* occultè insinuat humani generis honor, ac si diceret: Vos quibus animam dedit, corpus plasmauit, prophetas misit, & vniuersum filiū tradidit. Dicit autem, *Modica fidei*, quia modica est fides, quæ nec de minimis certa est. Hil. Vel sub fœni nomine gentes nuncupantur. Si igitur gentibus idcirco tantum indulgetur æternitas corporalis vt mox igni iudicij destinentur, quam prophatum est sanctos de gloria æternitatis ambigere, cum iniquis æternitatis opus præstetur ad poenam? Remi. Spiritualiter autem per volatilia, sancti viri designantur: qui ex aqua sacri baptismatis renascuntur, & deuotione terrena despiciunt, & caelestia petunt: quibus plures dicuntur esse apostoli, quia principes sunt omnium sanctorum. Per lilia etiam sancti viri intelliguntur, qui absque labore legalium ceremoniarum sola fide Deo placuerunt: de quibus dicitur: *Dilectus meus mihi pascitur inter lilia.* Sancta etiam ecclesia per liliū intelligitur, propter candorem fidei, & odorem bonæ conuersationis: de qua dicitur, *Sicut lilium inter spinas.* Per fœnum designantur infideles, de quibus dicitur. *Aruit fœnum, & flos eius cecidit.* Per clybanum æterna damnatio, vt sit sensus: Si Deus infidelibus tribuit bona temporalia, quātò magis tribuet nobis æterna? *Nolite ergo solliciti esse, dicentes. Quid manducabimus, &c.* Glo. Postquam sigillatim de victu & de vestitu sollicitudinem excluderat, argumento ab inferioribus sumpto, hic consequenter vtrumque excludit, dicens: *Nolite er. sol. esse. dicent. quid man. aut quid bi. aut quo ope.* Remi. Ideo autem hoc dominus repetiuit, vt ostenderet hanc rem esse pernecessariam, vt reclusus eius in cordibus nostris inculcasset. Raba. Notandum verò quòd non ait: *Nolite querere*

querere, aut solliciti esse de cibo, aut potu, aut indumento, sed, *quid manducetis, aut quid bibatis, aut quid vestiamini.* vbi mihi videtur argui qui spreto victu, vel vestimento communi, lautiora sibi vel auteriora his, cum quibus vitam ducunt alimenta, vel indumenta requirunt. Glo. Est etiam alia sollicitudo superflua ex vitio hominum, quādo fructus & pecuniam plusquam necesse est referunt, & dimissis spiritualibus, illis intenti sunt quasi de bonitate Dei desperantes; & hoc prohibetur. vnde subditur: *Hæc enim omnia gentes requirunt.* Chry. super. Mat. Quia in rebus humanis fortunam credunt esse non prouidentiam, neque iudicio Dei vitas suas gubernari æstimant, sed incerto duci euentu. Et ideo meritò timent, & desperant, quasi qui neminem habent gubernatorem. Qui autem credit se Dei iudicio gubernari, escā quidem suam in manu Dei committit. vnde sequitur, *Scit enim pater vester quia his omnibus indigetis.* Chry. in ho. Non autem dixit, *Scit Deus, sed, scit pater vester, vt eos in maiorem spem ducat: si enim pater est, nō poterit despiciere filios, cum nec homines patres hoc sustineant.* Dicit autem, *Quoniam his omnibus indigetis, vt magis sollicitudinem abiciatis, quia necessaria sunt.* Qualiter enim est pater qui sustinet etiam necessaria filiis nō dare? Si autem essent superflua, non ita oporteret confidere. Aug. 15. de tri. Non autem ista ex aliquo tempore cognouit Deus, sed futura omnia temporalia, atque in eis etiam quid & quando ab illo petiuri eramus, si ne initio ante præsciuit. Aug. 12. de ciu. Dei. Quòd autem dicunt quidam, hæc Dei scientia non posse comprehendere, quia infinita sunt: restat eis dicere, quòd nō omnes numeros Deus nouerit, quos infinitos esse certissimum est. Infinitas autem numeri non est incomprehensibilis ei, cuius intelligentiæ non est numerus. Quapropter si quicquid scientia comprehenditur, scientis comprehensione finitur, profectò omnis infinitas quodam ineffabili modo Deo finita est, quia eius scientiæ incomprehensibilis non est. Greg. Nicenus in lib. de homine. Quoniam autem eius prouidentia per huiusmodi signa demonstratur: permanentia enim vniuersorum, & maxime eorum quæ sunt in generatione, & corruptione: & positio & ordo eorum quæ sunt semper custoditur secundum eundem modum, qualiter veterque perficeretur nullo prouidente? Sed quidam dicunt, Deo curam esse existentium permanentiæ in vniuersali: & huius folius prouidentiam habere. Singularia verò fieri vt contigerit. Tres autem causas solas vtique quis dicit non fieri prouidentiam singulariū. Aut enim hoc quod est ignorare Deum, quoniam bonum est particularium diligentiam habere, aut non velle, aut non posse. Sed ignorantia omnino aliena est à beata substantia. Qualiter enim latebit Deum quod nec homo sapiens ignorabit, quòd singularibus destructis vniuersalia destruentur? Nihil autem prohibet omnia indiuidua perire, nulla procurante potentia. Si autem non vult, propter duas sit causas: aut propter pigritiam, aut propter indecentiam. Pigritia autem à duobus generatur: aut enim voluptate aliqua attracti pigritamur, aut propter timorem desistimus, quorum neutrum fas est cogitare de Deo. Si autem dicant non decere Deum: indignum enim esse tãtæ beatitudinis paruis condescendere: qualiter non incoeuens est artificem quidē procu-

rātem vniuersalia, nihil particularium neque particularium dereliquente sine procuratore, scientem quo ad torum proficit pais: conditorem verò Deum artificibus enuntiare indoctorem? Si autem non potest, imbecillus est Deus, & impotens benefacere. Si verò incomprehensibilis nobis est singularium prouidentia ratio, non propterea oportet dicere quia non est prouidentia. ita enim diceret, quia numerum hominum ignoramus, neque homines esse. Chry. super. Mat. Sic ergo qui credit se Dei iudicio gubernari, escam suam in manu Dei committat: cogitet autē de bono & malo, de quo nisi sollicitus fuerit, neque malum fugiet neque bonum apprehendet: & ideo subditur: *Querite autem primum regnum Dei, & iustitiam eius.* Regnum Dei est retributio bonorum operū. Iustitia autem eius, via pietatis per quam itur ad regnum. Si ergo cogites qualis erit gloria sanctorum, necesse est aut propter timorem poenæ recedas à malo, aut propter desiderium gloriæ festines ad bonum. Et si cogitaueris quæ sit Dei iustitia, quid scilicet odit Deus & quod amat: iustitia ipsa ostendit tibi vias suas, quæ amantes se sequitur. Non autem datur sumus rationem si pauperes sumus aut diuites, sed si bene vel malè egerimus, quod est in nostro arbitrio. Glo. Vel dicit iustitiam eius, quasi dicat, vt per eum, non per vos iusti sitis. Chry. super Mat. Terra autem etiam propter peccata hominum maledicitur, vt non germinet, secundum illud, *Maledicta terra in opere tuo: benedicitur autem, cum bona fecerimus.* Quere ergo iustitiam, & non decrit tibi panis, vnde sequitur: *Et hæc omnia adiciuntur vobis.* Aug. de ser. do. in mon. scilicet temporalia, quæ manifestè hinc ostendit non esse talia bona nostra, propter quæ benefacere debeamus, sed tamen necessaria esse. Regnum verò Dei, & iustitia eius bonum nostrum est: vbi finis constituendus est. Sed quia in hac vita militamus, vt ad illud regnum peruenire possimus: quæ vita sine his necessariis agi nō potest, apponuntur inquit hæc vobis. Cum autem dixit illud primum, significauit quia hoc posterius querendum est non tempore, sed dignitate: illud tãquam bonum nostrum, hoc tanquam necessarium est. Neque enim (verbi gratia) debemus euangelizare vt manducemus, quia sic vilius haberemus euangelium quam cibum: sed ideo manducare, vt euangelizemus. Querentibus autem primum regnum Dei, & iustitiam eius, id est, hoc præponentibus ceteris rebus, vt hoc propter cetera queramus, non debet subesse sollicitudo ne necessaria desint, & ideo ait: *Hæc omnia adiciuntur vobis, id est, consequentur sine vilo vestro impedimento, ne cum ista queritis, illinc auertamini, aut duos fines constituatis.* Chry. in ho. Et non dixit dabuntur, sed, *apponentur*, vt dicas quia præsentia nihil sunt ad magnitudinem futurorum. Aug. de ser. do. in mon. Cum autem legimus in fame & siti apostolum laborasse, non existimemus hinc domini promissa titubasse, quandoquidem ista sunt adiutoria. Medicus iste cui nos totos commisimus, nouit quando apponat, & quādo detrahat, sicut nobis indicat expedire. Si enim nobis aliquando defuerint (quod plerumque propter nostram exercitationem Deus finit) non debilitat propositum nostrum, sed examinatum confirmat.

S. HILARII PICTAVIENSIS EPISCOPI SUPERIORIS EUANG. EXPOSITIO.

**N**emo potest duobus dominis servire, &c. Duum dominorum infidele seruitium est, nec per eiusdem potest esse ad seculum atque ad Deum cura. In alterum enim necesse est odium sit, in alterum amor; quia idem opus diuersae dominorum non conueniat voluntati, nec pauperes spiritu Deo placentes ambitiose seculi eius possint apti esse iactantiae. Ideo dico vobis, ne cogitatis in corde vestro, quid manducetis: neque corpori vestro, quid vestiat. Nonne anima vestra plura est quam esca, & corpus plura est quam vestimentum? Contemptum seculi, & fiduciam futurorum toro superiore sermonis praecipit. Nam cum ad iniuriam pronos iuber esse, & ad damnum voluntarios, & ad vltionem negligentes, & ad diligendum promiscuos, & ad humanam gloriam incuriosos; confirmare nos in spem bonorum aeternorum laborat. Plures enim & amor praesentium, & desperatio futurorum incertos facit; & aut illecebris capit, aut infidelitate confundit. Ergo regnum caelorum, quod propheta nunciauerunt, Ioannes praedicauit, Dominus noster in se esse positum est professus, vult sine aliqua incertae voluntatis ambiguitate sperari: alioquin iustificatio ex fide nulla est, si fides ipsa fiat ambigua. Igitur curam nullam esse vestitus & sibi praecipit, dicens & escis animam, & cibo corpus esse preciosius. Et quidem pulchrum est, praesentium rerum contemptu curam tantum diuini rebus impendere: sed altius sermo descendit, & in caelestis dicti intelligentiam verbis subiecta ratio extenditur. Thesaurum Dominus condi iussit in caelo, & ex oculi lumine corpori quoque splendorem spondit, & dominis dupbus naminem placere posse testatus est, & post haec ait: Ideo dico vobis, ne cogitatis in corde vestro quid manducetis, neque corpori vestro quid induatis. Quae consequuntur, non satis propositionibus congruunt. Nunquid & vnus domini seruus, non possit circa vestem esse cibumque sollicitus? Nunquid per aduersam valetudinem hebetato oculi lumine obscurabitur corpus? aut quod corporis lumen esse possit ex oculo? Nunquid thesaurizare in caelis sola nuditas ac fames poterit? Sed quia corruptus circa futurorum curam infidelium sensus est, calumniantium quae in resurrectione corporum species sit futura, quae in substantia aeternitatis alimonia: & cum ex difficultatibus questionum inutilium quaedam vitendarum praesentium voluptatum ratio quaesita est, inutili metu circa Dei reuerentiam demorantes in seculi gaudia transeunt, atque ita est, vt duobus dominis vnus infidele seruitium sit. Igitur ex summo pietatis affectu, grauissimoque dissidentiae periculo ante praedicto, ita admonet: Nonne vos magis plura est quam esca, & corpus plura est quam vestimentum? In dictis Dei veritas est, & rerum creandarum efficientia omnis in verbo est; itaque nec quod spondit ambiguum est, nec inefficax quod loquutus est. Nihil est quod non in substantia sua & creatione corporeum sit: & omnium siue in caelo, siue in terra, siue visibiliu, siue inuisibilium elementa formata sunt. Nam & animarum species, siue obtinentium corpora, siue corporibus

exultantium, corpoream tamen naturae suae substantiam sortiuntur: quia omne quod creatum est, in aliquo sit necesse est. Atque ideo inerti in utilissimae quaestiones Deus arguens, non patitur, anima & corpore in aeternitatis substantia collocandis, spem nostram futuri in resurrectione cibi & vestitus sollicitudine demorari: ne tanto preciosa reddenti, corpus scilicet atque animam, contumelia in non sciendis leuioribus inferatur. Respicite volatilia caeli quoniam non seruum, neque congregant in horrea: & pater vester caelestis illa pascit. Nonne vos magis plura estis illis? Sub nomine volucrum exemplo nos immundorum spirituum adhortatur: quibus sine aliquo negotio quaerendi & congregandi, viuenti tamen tribuitur de aeterni consilij potestate substantia. Atque vt ad immundos istud spiritus referri oportere monstraret, adiecit: Nonne vos magis plura estis illis? De comparationis praestantia, discrimen nequitiae & sanctitatis ostendens. Quis autem vestrum potest adijcere ad staturam suam cubitum vnum? Et de vestimento quid solliciti estis? Fidem vitalis substantiae nostrae documento spiritu firmavit: opinionem autem habitus futuri, iudicio communis intelligentiae dereliquit. Cum enim vniuersorum corporum quae vitam hauserint, diuersitatem in vnum consummatum vitum perfectumque sit excitatus, solusque potens sit ad vniuersumque proceritatem cubitum vnum & alterum tertiumque praestare: de vestitu, id est de specie corporum, cum tanta eius contumelia ambigemus, qui vt aequalem atque vniuersum omnem hominem efficiat, tantum mensurae sit humanis corporibus additurus. Considerate lilia agri quomodo crescunt, non laborant, neque nent. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua cooperatus est sicut vnum ex istis, &c. Lilia non laborant, neque nent: & Salomon cooperatus eorum gloria non fuit, propheta magnus, & merito dilectae sapientiae Deo charus. Sed lilia nascuntur potius quam operantur. Cooperatio autem velamentum est corporis, non corpus ipsum. Quod si ad sensum humanae intelligentiae refertur, colorem lilij velamenti candor potuerat emulari. Sed lilia non laborant, neque nentia significari intelligenda sunt, vt angelorum caelestium claritates, quibus extra humanae scientiae eruditionem, sui que operis mercedem a Deo gloriae candor indultus est: ne quid ex proprio labore aut arte existimarentur habuisse. Et cum in resurrectione similes omnes angelis erunt, sperare nos caelestis gloriae voluit operimentum, exemplo angelicae claritatis. Est autem in natura istius geminis, vt apertissime caelestibus angelorum substantiis comparetur. Hoc enim efflorescens, cum a stirpe detentae humi radicis auellitur naturae suae virtutem licet aruisse putetur, occultat, & redeunte tempore rursus lilij sui honore vestitur. Ex se igitur efflorescit ac redditur, & quod est, nec radici potest debere, nec terrae: cum ille qui se subeat succus, ex se sit. Atque ita annuae licet huius viriditatis exemplo, virtutem caelestis substantiae emulatur: cum ex eo tantum quod intra se acceptum habeat, alatur in florem. Ideo ergo lilia non laborant, neque nent: quia virtutes angelorum ex ea quam adeptae sunt originis suae sorte, vt sint semper accipiunt. Si enim sanum agri quod hodie est, & cras in ignem mittitur, Deus sic vestit, quanto magis vos modicae fidei? Fidei nostrae inuolabilem

labilem confidentiam exemplorum autoritate confirmat: vt tanto maioris periculi res sit ambigere, quanto impensiore cura omnem occasionem infidelitatis abstulerit. Faenum non idcirco nascitur, vt detur igni, neque ideo vestienti eius peculiaris Deo cura est vt cremetur: sed sub feni nomine nuncupatas esse a Deo gentes crebro inuenimus. German autem illud est, quod virtutis suae flore dilapso, ad calorem solis arefcit. Igitur requies nulla gentibus, neque mortis, vt volunt, compendio quies dabitur: sed corporalis & ipsis aeternitas destinabitur, vt ignis aeterni in ipsis sit aeterna materies, & in vniuersis sempiternis exerceatur vltio sempiterna. Si igitur gentibus idcirco tantum indulgetur aeternitas corporalis, vt mox igni iudicij destinentur: quam profanum est, sanctos de gloria aeternitatis ambigere? cum iniquis aeternitatis opus praeretur ad poenam. Omnem igitur expectationem nostram in fide reprobationem & virtutis suae potestate exegit: collocari: vt cura rerum quibus indigemus omnia, ab eo potius omnia a quo ipsi vitale exordium sumimus, expetamus, regnumque Dei vitae nostrae stipendii quaeramus. Et haec recte perfectaeque viuentium merces est: vt in nouam caelestemque substantiam ex hac corruptibilis corporis materia transferantur, & corruptio terrena caelesti incorruptione mutetur. Gentium igitur est infidelitatis istius cura angustis quibus seculi amore detentis, & corporis gaudis occupatis, nullum per fidem & confessionem Dei in caeleste regnum iter quaeritur & optatur.

CHROMATII EPISCOPI Aquilegens. in superius Euang. Serm.

**N**emo potest duobus dominis, &c. Non posse vnumquemque nostrum duobus dominis servire, id est, Deo, & diabolo, dominus manifeste declarat. Et Deus quidem quamuis dominus omnium sit, quia omnia ab ipso creata sunt, & in omnibus ipse dominetur potestate, virtute, natura: horum tamen praecipue dominus esse dignatur, qui dominum, ac Deum suum conditorum vniuersitatis cognoscentes, praecipua eius fideli seruitute custodiunt. Diabolus vero horum tantum dominum intelligitur, quos a vero domino, ac parente seducens per peccatum, nequissimae suae subiugat seruituti, & quibus per iniquitatis suae opera illicito iure dominatur. Hac ergo de causa & ipse suo loco dominus appellatur, quia huiusmodi stultis hominibus per peccatum dominatur. Et idcirco scriptum est: Qui facit peccatum, seruus est peccati. Sed, quia iam per Dei misericordiam visitati, liberati de diaboli dominatione, verum dominum recognouimus, a quo creati, & redempti sumus, priori domino, id est, diabolo, qui nobis more tyrannico dominabatur, seruire prohibemur. Vel potius auaritia, & cupiditati, quam mammonam nuncupat, quae interdum etiam religiofas mentes captiuas conseruit: vnde fugere, ac vitare debemus cupiditatem pecuniae, auaritiam seculi, ne nos indignae seruituti eius, vel diabolo, qui autor est auaritiae, subiugemus, & hoc est, quod ait dominus: Nemo potest duobus dominis seruire: aut enim vnum odiet, & alterum amabit: aut vnum patietur, & alterum contemnet. Quia, qui

cunquae ex toto corde dominum, ac Deum suum diligit necesse est diabolum cum suis actibus oderit, quia in dilectione manifestum est diabolum semper in execratione haberi. Verum, qui per iniqua opera peccatorum, mammonam, vel diabolum diligit, faciendo ipsius voluntatem, Deum amare non potest, cuius praecipua contemnit: & ideo, qui Deum diligit, seruus diaboli non potest nuncupari, cui iam ipse per fidem caelestis gratiae dominatur. Similiter & qui peccatis deseruiens, dominationi se diabolicae subdit, huiusmodi Deum habere dominum non meretur. Et ideo ait dominus: Non potestis Deo seruire, & mammonae. ostendens nos non posse & Deo seruire & diabolo, id est, Deo misericordiae auctori, & diabolo, mammonae, & auaritiae dominatori. Hoc & Apostolus ostendit, cum dicit: Quae societas lucis ad tenebras? Mammona, id est, diabolus, qui autor est mammonae. Ille nos ad misericordiam prouocat, hic ad auaritiam; ille ad vitam, hic ad mortem; ille ad salutem, hic ad perditionem: cui de duobus obtemperare debemus: ei vtique, qui nos ad vitam inuitat, non ei, qui nos tradit ad mortem.\*

\*Reliqua desiderantur.

S. HIERONYMI PRESBYTERI in idem Euang. expositio.

**N**on potestis Deo seruire & mammonae. Mammona sermone Syriaco, diuitiae nuncupantur. Non potestis Deo seruire & mammonae. Audi hoc auarus: audi qui censetur vocabulo Christiano, non posse se simul diuitiis Christoque seruire. Et tamen non dixit: qui habet diuitias, sed qui seruit diuitiis. Qui enim diuitiarum seruus est, diuitias custodit vt seruus: qui autem seruitutis excussit iugum, distribuit eas vt dominus. Ideo dico vobis: Ne solliciti sitis animae vestrae, quid manducetis: neque corpori vestro, &c. In nonnullis codicibus additum est, neque quid bibatis. Ergo quod omnibus natura tribuit, & iumentis ac bestiis hominibusque commune est, huius cura non penitus liberamur. Sed praecipitur nobis ne solliciti simus quid comedamus, quia in sudorem vultus praeparamus nobis panem. Labor exercendus est, sollicitudo tollenda. Hoc quod dicitur: Ne solliciti sitis animae vestrae quid comedatis, neque corpori vestro quid induamini, de carnali cibo & vestimento accipiamus. Caeterum de spiritualibus cibis & vestimentis semper debemus esse solliciti. Nonne anima plus est quam esca, &c. Quod dicit istiusmodi est: Qui maiora praestitit, vtique & minima praestabit. Respicite volatilia caeli, &c. Apostolus Rom. II. praecipit, ne plus sapiamus, quam oportet sapere. Istud testimonium & in praesenti capitulo conseruandum est. Sunt enim quidam qui dum volunt terminos patrum excedere, & ad alta volitare, in ima merguntur: volatilia dicentes caeli, angelos esse, caeteraque in Dei ministerio fortitudines, quae absque cura sui Dei alantur prouidentia. Si hoc ita est, vt intelligi volunt: quomodo sequitur dictum ad homines: Nonne vos magis plura estis illis? Simpliciter ergo accipiendum, quod si volatilia absque cura & arumnis Dei aluntur prouidentia: quae hodie sunt, & cras non erunt, quorum anima mortalis est, & cum esse cessauerint, semper non erunt: quanto magis homines Bibl. Rom. rom. 3. T t 3 quibus



quibus æternitas promittitur, Dei reguntur arbitrio? *Quis autem vestrum cogitans potest adijcere ad staturam suam cubitum unum, &c.* Sicut animam plus esse quam cibum, comparatione autem demonstravit: sic corpus plus esse quam vestem, ex consequentibus rebus ostendit, dicens; *Considerate lilia agri, quomodo crescunt, &c.* Et reuera quod sericum, quæ regum purpura, quæ pictura texturicum, potest floribus comparari? Quid ita ruber ut rosa? Quid ita candet ut lilius? Violæ verò purpuram, nullo superari murice, oculorum magis, quam sermonis indicium est. *Nolite ergo solliciti esse, &c.* De præsentibus ergo concessit debere esse sollicitos, qui futura prohibet cogitare. Vnde & Apostolus: Nocte & die, inquit, manibus nostris operantes: ne quem vestrum grauaremus. Cras in scripturis futurum tempus intelligitur, dicente Iacob; Et exaudiet me cras iustitia mea. Et in Samuelis phantasmate, Phitonissa loquitur ad Saulem: cras eris mecum.

1. Thes. 1.

Genes. 3. 1. Reg. 2.

S. IO. CHRYSOSTOMI  
Episcopi Constantinop. in idem  
Euang. Homilia 1.

Ex Hom. 22. in Math.

**N**emo potest duobus dominis seruire, &c. Vides ut paulatim à præsentibus auditorè rebus abducatur, perque multa sermonem de contemptu habendi inferens, tyrannidem cupiditatis extinguat. Neq; enim ea, quæ superius ait, dixisse contentus, & certè quum multa alia, & magna sint: sed alia quoque plura, & terribiliora subiungit. Quid enim iis, quæ nunc dicta sunt, ad vtrumque excitandum mentis affectum cumulatius profertur? Quidve terribilius est, quam, si propter pecunias, Christi etiam seruitio dicamur excidere; vel desiderabilis, quam, si despectu pecuniarum tota illi possimus mente, & dilectione coniungi? Quod enim dicere semper soleo, id nunc rursus admoneo, quod scilicet auditorem ad eorum, quæ dicit, obedientiam etiam per aduersa compellat, non solum scilicet per ista, quæ profunt, verum etiam per illa, quæ lædunt: sicut optimus quispiam medicus, qui & ex intemperantia ægritudinem ostendat esse secuturam, & ex obedientia sospitatem. Considera igitur quantum hic lucrum rursus ostēdat, & quemadmodum vtilitatem de aduersariorum vituperatione cōficiat. Non, inquit, hoc solo vobis diuitiæ nocent modo, quo contra vos latrocinantium armant manus, nec quia magno cum cumulo intellectum vestræ mentis obtenebrant: verum etiam quod vos à seruitute Dei diuellunt, & rei mortuæ, pecuniarum scilicet captiuos efficiunt; satis proculdubio ex vtroque ludentes, dum & earum vos seruitio subiungant, in quas oportuerat exerceri dominatum, & ab eius vos obsequio excludunt, cui supra omnes profectò seruire & necessarium est etiam vobis, pariter & commodum. Sicut enim duplex damnum esse perducit, hic quidem recondere, vbi erugo & tinea demolitur: ibi verò non reponere, vbi incorruptibilis thesaurus manebit. Itaque hic quoque geminum in auaritia posuit detrimentum, & hoc scilicet, per quod à Deo retrahit, & illud, per quod sub iugo mammonæ premit. Nec statim apertè illud posuit, ac nudè, sed primò de comunium illud sensum assertione construxit, ait

quippe. *Nemo potest duobus dominis seruire.* Duos hic esse dicens contraria imperantes, quod nisi intelligas, ne duo quidem sint. Nam & illius, quæ in Christum crederat multitudo, erat cor vnū, *Act. 4.* & anima vna. Et certè, quum in corpora illi essent multa diuisi, sed concordia tamen vnū fecit ex plurimis. Deinde, ut quod dicit, cumulet, non solum, inquit, non seruiet, sed auerfabitur, & habebit exosum. *Aut enim, inquit, vnū odierit, & alterum diliget, aut, vnū patrietur, & alterum contemnet.* Et videtur quidē id ipsum esse repetitū, sed nequaquā aut otiosè, aut redundanter hoc posuit: veruntamen, ut ostēderet, quia facilis est ad meliora mutatio. Ne enim diceret; Semel iam sum seruitio subiugatus, & tyrannide pecuniarum grauiter oppressus: ostendit non impossibile esse conuerti, & quemadmodum inde huc vētum est, ita hinc quoque illuc posse rediri. Quum hoc igitur sine vilius dixisset significatione personæ, quo videlicet auditori facilius persuaderet, æquum ad ea, quæ dicerentur, afferre iudicium: postquam illum ad sibi consentiendum parauit, tum demum etiam se reuelat, intulit quippe: *Non potestis Deo seruire, & mammonæ.* Hoc loco & animo profus toto perhorrescamus, & corpore, intelligentes istud, quod Christum dixisse memorauimus, ex aduerso scilicet Deum, aurūque consistere. Si igitur istud sono quoque sermonis horribile est, quantum est horribilius, quum ipsis operibus tyrannis auri Dei timori præfertur? Quid ergo apud veteres sanctos: nonne hic ipse auri potentatus vigeat? Nequaquam, ais enim; Quomodo Abraham, quomodo etiam Iacob placuerunt Deo? At noli tu mihi contra hanc sententiā proferre diuites, sed diuitiis seruitutes. Alioqui Iob erat quidem diues, non tamen pecuniæ seruebat, sed habebat diuitias, eisque, ut cogruit, imperabat: nec erat famulus earum profectò, sed dominus: sicut enim alieni patrimonij dispensator, ita illa omnia possidebat, non modo aliena non rapiens, sed propria quoque indigentibus largiens, quodque his maius est, nec habere se illa gaudebat, quod hinc intelligitur. Si lætatus sum, inquit, quia mihi essent multæ diuitiæ. Vnde etiā consequenter, quia gaudium de possessione non habuit, dolorem de amissione non pertulit. At non tales nostra sunt ætate locupletes, sed captiuis omnibus deterius effecti: & sicut inuiti cuidam tyranno tributa pendentes, non quiescunt à miseria seruitutis. Quasi enim arcem quandam, ita eorum mentem amor auri insedit. Vnde per dies singulos præcepta eis plena iniquitatis imponit, nec est omnino aliquis, cui non obediatur imperanti. Noli igitur ex superfluo argumentari: semel siquidem pronuntiauit Deus, impossibile esse dicēs, vtrumque hoc simul esse seruitium. Ne ergo tu dixeris, hoc esse possibile. Quando enim te vnus dominus propriis quoque exui iubet, alter verò etiam aliena diripere: quando ille tibi imperat castitatem, iste luxuriam: quando hic tibi castigationem ventris indicit, ille ebrietatem, atque delicias: quando te alter omnia iubet despiciere, alter verò inhære, atque inhiare præsentibus. Quum hic quidem præcipit læta marmora, patietes pictos, & laquearia deaurata mirari: ille verò inhorescere huiusmodi omnia, & veræ philosophiæ pulchritudinem, ac morum oramenta suspicere: quemadmodum possibile est, tam contraria hæc pariter

Genes. 3. 1. Job. 1. 1.

Job. 1. 1.

ter

ter conuenire? Dominum hic autem mammonam, id est, pecuniam nuncupauit, non ob propriam ipsius vti que naturam, sed ob eorum miseriam, qui se ad illius inclinauerunt seruitium. Sic etiam ventrè apostolus vocat Deum, non vti que à dignitate dominantis, sed ab infelicitate famulantium. Quod supplicio certè omni etiam maius est, satisque idoneum, etiam ante penam punire captiuum. Quibus enim captiuus non infeliciores putandi sunt, qui, quum dominum habeant Deum, ab illo regere mitissimo recedentes, tyranno se huic seruitissimo dederunt, & hoc quum nobis etiam in præsentem ista res noceat? Nam & dāna per hanc causam ineffabilia cōtingunt, & lites frequentes, & calūniæ, atque certamina, & assidui dolores, & cecitas mentis, quodque est grauius, etiā bonorū nobis cælestiū per hæc inferitur amissio, quæ solo certè possumus Dei seruitio promereri. Quum igitur ex his omnibus ostendisset, quā esset vtilis despectus pecuniarū, atq; ad custodiā, & animæ voluptatem, & ad virtutem tenendam, & ad pietatem, quæ erga Deum est, munimentum, cōfici iam possibile esse, quod præcepit. Hoc est quippe optimæ legis insigne, non vilia tantummodo, verum etiam possibile facere: propter quod intulit dicens; *Nolite cogitare animæ vestræ quid manducetis.* Ne ergo dicerent, quid ergo, si abiiciamus omnia? Idcirco huic contradictioni opportunè rursus occurrit. Sicut enim si inter principia ipsa dixisset, Nolite de cibo esse solliciti: sermo absque dubio esset onerosus. Ita, postquam ostendit miseriam, distentionemque animi de pecuniæ amore nascentem, coarctationem suam reddidit faciliorem: propter quod nertum quidem simpliciter ait, Nolite esse solliciti: sed prius adiecit & causam, sicque illud vti que præcepit. Postquam enim dixit; *Non potestis Deo seruire, & mammonæ.* intulit: *propterea dico vobis, Nolite solliciti esse.* Per quod ostendit ineffabile detrimentum. Non solum enim noxam in pecuniis, inquit, verum etiam plagam in rebus, & quidem principalibus sentietis, ac propriæ etiam subuersionem salutis. Si quidem vos excludunt à Deo, qui vos creauit, & tuerit, & diligit: propterea dico vobis, nolite solliciti esse. Quia enim inestimabilem esse noxam monstraerat, consequentissimè præceptum quoque ipsum, quo aduersus illam armemur, ostendit. Neque enim tantummodo ea, quæ parata sunt abiici iubet, verum ne super necessario quidem cibo esse sollicitos, dicens, *Ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis:* non quia anima indigeat cibo, quum sit incorporea profectò, sed iuxta commune, hoc est morem loquutus. Et si enim alimentis ipsa non indigeat, nō tamen potest permanere in corpore, nisi vti que alimenta sument. Quum igitur de cibo eos curare vetuisset, nequaquam illud inexpletum reliquit, sed magis adhuc, ac magis animos commouet audientium: tum quidem iis, quæ in nobismet ipsis gerimus, tum verò illis, quæ sunt exterius exemplis. Et de iis quidem, quæ in nobis sunt, ita distulit; *Nōne anima plus est quam esca, & corpus plus quam vestimentum?* Qui igitur hoc, quod magis est, tribuit, quomodo non etiam, quod minus est, largietur? Qui formauit eam, quæ tali indiget carne, quomodo non alimenta præstabit? Propter quod non simpliciter ait: *Nolite solliciti esse quid manducetis, aut quid induamini:* sed omnino signan-

ter animæ inquit, & corpori: quia ex ipsis erat vti que probaturus superfluum esse de victu, vti que stitūque curare. Et idcirco sermonem suū vtriusque substantiæ munuit exemplo. Sed animam quidem, qualem semel dedi, talis & permanet: corpus verò vsque ad sui mensuram quotidianis diebus augetur. Deinde proprium indicans vtriusque naturæ, & vnus immortalis asserēs, alterius temporale, intulit dicens; *Quia ex vobis potest addere ad staturam suam cubitum unum?* Nam de anima quidem conticuit, ut pote quæ incrementa non caperet, de corpore autem solo disputauit. Ex quo etiam istud ostendit, quia corpus ipsum non tam alimonia sui crescat, quam providentia conditoris. Quod etiam per alia demonstrans Paulus, *1. Cor. 3.* aiebat; Igitur neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementū dat, Deus. Ab iis igitur, quæ sunt in nobis, ita est cohortatus, ab aliis vero exemplis: *Aspicite, inquit, volatilia cæli.* Ne quis enim diceret, prodest nobis esse sollicitos: & ex maioribus, & ex minoribus à sollicitudine dehortatur. A maiorum quidem parte, quum & animi eos, & corporis admonuit, à minorum verò, quum ad animum misit eos exemplum. Si enim etiam longè inferiorum tantam se ostendit Deus habere curam: quemadmodum, inquit, vobis necessaria ista non tribuet? Et ad istos quidem hoc modo, erat enim vulgus auditor, diabolo autem aliter omnino respōdit; Non in pane solo, inquit, viuunt homines, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. His verò etiam volucrum exemplum, & maxima quidem cum increpatione, proposuit. quod certè in cohortationis ratione validissimū est. Sed in tantum quidem impiorum processere dementiæ, ut hoc ipsum reprehendere non vereantur exemplum. Est inquit, profus incongruum, ut ille, qui voluntatem in audientibus suscitabat, naturalium ad hoc rerū exempla proferret, quibus quippe hoc inest natura. Quid igitur ad ista dicemus? quia videlicet & si illis hoc iuxta naturam inest, nobis tamen id ipsum possibile est per studium voluntatis. Non enim dixit respicite, quia volant aues, quod nobis certè impossibile est prorsus imitari; sed quia absque sollicitudinis suæ præparatione pascantur, quod nos quoque si volumus, facile quimus implere. Et hoc illi ostendunt profectò, qui istud operibus executi sunt, propter quod dignum est docente sapientia, magis, magisque mirari. Qui cum hominum proponere posset exempla, & Moysen, Heliam, Ioannem, cæterosque proferre, qui eorum similes de victu non fuerunt solliciti, ut magis audientium conscientias verberaret, de irrationalium illos securitate commouit. Si enim iustos illos memorare voluisset, dicturi isti cōtinuò fuissent, nec dum ad eorum virtutis cacumen ascendimus. Nunc verò istos quidem reticens, & cæli eis volatilia proponens, omnem profus occasionē huiusmodi contradictionis incidit. In hoc quoque legem imitatus antiquam. Nam vetus quoque lex & ad apem homines, & ad formicam remittit, sed ad rurturem aliquando, & ad hirundinem. Verum hoc quoque grande documentum est, ad honorem, qui in libertate est hominis, exprimendum, quando quidem, quod illa habent lege naturæ, hoc nos assequi possumus voluntate. Si enim etiam illorum, quæ propter nos vti que creauit, tantam Deus curam gerit, quanto potius nostri,

1. Cor. 3.

Math. 4.

Exod. 34. Deut. 9. 3. Reg. 19. Math. 3. Marc. 1.

Iud. 14. & Prou. 6. Eccl. 11. & 30. Hier. 8. Esai. 38.

Hoc dicit, vol quia olz Chri stiani ab hu inmodi arribus abhorrebant, vel quod homines non malis quidem per se arribus abutuntur.

Psal. 144. Psal. 146.

Geno 28.

Math. 19.

Act. 2.

2. Reg. 19. Rom. 11.

Nota abstinentiam singularem quorundam monachorum.

quos dominos fecit? Respicite volatilia, & non ait, quæ non capponum, ac negotiatorum more vivunt: hæc enim desperatorum omnino professio est, sed quia non seminant, inquit, neque metunt. Quid igitur? Non oportet, inquit, seminare: Non dixit quia seminare non debeas: sed quia sollicitus hinc, atque anxius esse non debes. Nec ait, non oportet operari, sed quia pusillanimum esse non oportet, & curarum angore distendi. Nam & cibo refici utique iussit, sed nequaquam de hac esse necessitate sollicitus. Hinc & beatus David sermone porrò antè præmisit, sub quadam idipsum exprimitur cohortationis figura; Apertis tu, inquit, manum tuam, & imple omne animal benedictione. Et rursus; Qui dat iumentis escam ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus eum. Et quis, inquit, aliquando istius curæ mansit immunis? Non audisti quos viros, & quanto iustitiæ nominæ pollentes prætulit? Non vides in illis patriarcham Iacob nudum ex patria profectum domo? Non audis orantem illum, atque dicentem? Si dederit mihi Deus panem ad manducandum, & vestem ad operiendum: quod certe non erat sollicitudinem gerentis, sed à Deo cuncta querentis. Hoc etiam Apostoli perfecerant, omnia, quæ habebant, subito relinquentes, & rerum simul, curarumque onera ponentes. Hoc etiam tria millia credentium Christo se implese lætata sunt. Sin verò tot verba audiens, tot exempla, nihilominus retrahis assensum, ne his profectò molestissimis sollicitudinum vinculis libereris, intellige nihil tibi profuturam esse hanc ipsam, quæ de curarum nodis pateris ærumnam; & sic saltem sollicitudinum tuarum vincula dissolue. Quis enim, inquit, potest ex vobis adiciere ad staturam suam cubitum unum? Vidistine quemadmodum ex hoc, quod apertum est, illud etiam, quod occultum erat, fecerat esse perspicuum? Sicut enim corpori, inquit, ne exiguum quidem augmentum sui potes adiciere curando, sed absque tua sollicitudine illius incrementa consequeris, ita te oportet etiam alimoniam congregare, si tamen vel siccam putaveris congregandam. Ex quo profectò manifestum est, nequaquam nostra industria, sed providètia Dei ea perfici, in quibus ipsi videmur operari, quod si ille nos deserat, non sollicitudo vlla, non cura, non labor, nec quicquam horum aliud apparebit, sed cuncta prorsus infeliciter laborata, & effusa inaniter vaneſcent. Ne igitur opinemur impossibilia esse præcepta, plurimi quippe sunt, qui etiam nunc ista perficiant, si verò istud ignoras, nihil omnino mirandum est. Nam & Helias se esse iam solum putabat; sed audiuit à domino: quoniam reliqui mihi septem millia vitorum. Ex quo perspicuum est, quia nunc quoque multi sunt apostolicam vitam tenentes, sicut quæ paulò antè dixi octo millia credentium illa. Si verò tales modo esse non credimus, non quia defant, qui ista perficiant, sed quia longè nos ab illorum virtute distamus. Sicut ergo ebrietatis cum aliquis vitio obsessus est, difficile omnino credit esse quèpiam hominum, qui ne quidem aquam gustet, cum certè plurimi id apud nos monachi fecerint. Et sicut ille, qui cum mille meretricibus volutatur, virginem quenquam permanere posse desperat, & ut aliorum raptor, etiam propria quenquam facile contemnere posse non annuit; ita & qui mille curarum languoribus contabescunt, non facile

accipiant hæc, quæ à saluatore præcipitur in aliis esse virtutem. Nos verò, quia multi istud impleverint, ipsorum quoque, qui etiam nostra ætate iuxta euangelium philosophantur, possumus exemplis docere. Sed vobis interim satis esse poterit, si non appetere dicatis aliena, & misericordiæ opera complere, ac reconditas pecunias erogare. Hæc enim si feceris, dilectissime, cito etiam ad illa proficies. Nunc interim abundantiam, atque omne, quod superfuit, deponamus, simusque maximè mediocritate contenti, atque discamus omnia, quibus opus habemus, de iustis operibus, & laboribus possidere. Quia & beatus Ioannes quando iis, qui vestigalibus exigendis vacauerant, disputabat, & milites stipendiis suis esse contentos iubebat, volebat quidem etiam ad aliam eos celsiorem philosophiam provocare. Verùm, quia nondum ad eam apri erant, saltem minora dicebat, ne utique, si eis eminentiora suassisset, nec illa fuissent secuti, & hæc forsitan perdidissent. Propterea igitur & ipsi in iis nos adhuc inferioribus exercemus. Nouimus quippe supra nos esse interim amorem ex toto cõmẽtere possidendi. Quantum enim cælum à terra, tantum illa philosophia distat à nobis. Apprehendamus igitur saltem extrema hæc, & minima præcepta, nec ipsa enim exigua consolatio est. Et certè Græcos quosdam istud scimus implese, quamquam non qua debuerant animi sententia, propria respuerint. Verùm nos sufficere interim credimus, si misericordia à vobis larga præstetur, citò enim etiam illuc peruenire poterimus, si ad hoc fuerimus ante progressi, sin autem ne hoc quidem fecerimus, quo tandem non digni iudicamur esse supplicio? Qui cum veteris testamenti iustos superare iubeamur, inferiores etiam gentiliù philosophis inuenimur. Quid ergo dicemus, qui, cum angeli, ac Dei esse filij debeamus, ne hoc quidem nobis, ut videamur homines esse, seruamus? Rapere enim, & inuadere violenter aliena, non humanæ mansuetudinis, sed immanitatis est belluarum, quinimò ipsis quoque deteriores sumus, qui in alienum transimus affectum. Illis enim hoc naturaliter insitum est, nos verò, qui ratione honorati sumus, & tamen in eam, quæ præter naturam est, excedimus vilitatem, qua tandem venia digni esse poterimus? Considerantes igitur propositæ nobis philosophiæ mensuras, vel ad media peruenire properemus, ut & à supplicio liberemur futuro, & virtutum iter continuò carpentes, ad fastigia bonorum ipsa veniamus, quibus omnes nos contingat potiri, gratia, & misericordia domini nostri Iesu Christi, cui gloria, & imperium in secula seculorum, Amen.

EIVSDEM IN IDEM Homilia 2.

Considerate lilia agri quomodo crescunt, non laborant neque vult, &c. Postquam de necessario disputauit cibo, & ostendit, quia nec super hoc quidem nos oporteat esse sollicitos, transit ad leuius. Neque enim ita per omnia vestimentum necessarium est ut alimentum. Cuius igitur rei gratia, non hic quoque similis est vsus exemplo? Cur non ex auibus pauum nobis proposuit, aut cygnum

gnum, vel ex pecoribus agnum? Multa quippe ex hoc animantium genere sumere exempla potuisset. Quia scilicet vtrunque cumulum voluit exaggerationis attollere, & ab herbarum scilicet vilitate; quæ tanto tamen adornatur decore, & ab illius pulchritudinis dignitate, quæ splendet in floribus: minus enim exquisitæ vestis ambitum depreciaret, si ei non ornata solum, verum etiam animata præponeret: & idcirco, postquam ista confert, non iam lilia, sed agri illa scenum vocauit. Et ne hac quidem appellatione contentus, rursus aliam quoque illis addit vilitatem. Quod, inquit, hodie est, Et non dixit, cras verò non est: sed multò adhuc inferius, ac vilius: Et cras, inquit, in cibarium mittitur. Nec dixit, Deus illa vestit, sed, Deus illa sic vestit. Vides certè multos exaggerationum cumulos, magnaque elationis excrementa. Hoc autem facit, ut eos magis, magisque castiget, propter quod intulit; Quanto magis vos; multa quippe hic sermo vim continet. Quod enim dixit, vos, nihil egit omnino aliud, quam ut ostenderet, quanto genus humanum Deus honore cumulauerit, quantum etiam eorum curam gerat salutis, ac si diceret; Vobis quidem rationalem animam dedit, corpusque formauit, vos, propter quos fecit omnia, quæ videntur, propter quos misit prophetas, legemque constituit, propter quos bona operatus est innumera, propter quos etiam vnigenitum filium dedit. Et quia manifestè ista monstrauerat, meritò eos postea corripit, dicens; Modice fidei? Talis est, qui præcipit, non suadet solum, sed increpat ut magis excitet audientes ad eorum, quæ dicuntur, assensum. Per hæc verò non modò docet nequaquam debere esse sollicitos, sed nec arrogare nobis aliquid de pretiosa vestis ornatu: quandoquidem pulchritudo florum, & decor varius herbarum, ipsam que omnino seenum amictu nostro inuenitur pretiosus. Cur igitur ex his in superbiam mentis erigitis, in quibus per facile de re obtinet etiam herba victoriam? Et vide, quemadmodum ab initio se ostendat esse præceptum, dum per aduersa rursus, perque illa, quæ maximè timent, eos à timore deducit. Quum enim dixit, considerate lilia agri, intulit; Non laborant. Igitur volens nos à laboribus liberare, hæc ipsa præcipit. Non itaque de his rebus non curare, labor est, sed labor est profectò curare. Et sicut dicitur, non seminant, hand semina exclusit, sed curando onera decussit: sic etiam, quum dixisset, neque vult, non opus, sed sollicitudine sustulit. Si autem Salomon ipse florum decore superatus est, & non semel, aut iterum, sed tota prorsus illa, qua regnauit astate. Posset enim quispiam dicere, quia nunc quidem pulchritudinem florum splendore vestis æquauit, nunc verò candore eorum, vel fulgore superatus est, qui utique ne vna quidem die tanto est splendore decoratus. Hoc enim omnino signauit, dicendo; In omni regno suo, nec ab vno quidem flore victus, alium verò inuenit imitatus, sed ab omnibus pariter obscuratus abscedit: propter quod ait, sicut vnum ex istis. Quantum enim distat à veritate medacium, tantum illorum amictus, & horum quoque florum discrimen interiacet. Si ergo ille, inquam, victum se esse confessus est, qui cunctos certè, qui vnquã fuere, reges claritate superabat: quando tu poteris vincere, vel proximus huic tãta pulchritudini aliqua ex parte consistere? Hic etiam nos admonet, ne ad huius

modi ambiamus decorem. Respice namque finem eius: in ignem post victoriam mittitur. Si autem erga hæc vilia, nec vilo prorsus digna sermone, neque magno vsui necessaria, tantam prouidentiam creator ostendit: quando te negligere poterit, atque despiciere, animal longè omnibus, quæ propter te utique creauit, honoratius: Cuius verò rei gratia tanto etiam herbas decore vestit? ut suam scilicet sapientiam, creator ostenderet, copiamque virtutis, ut vndique illius gloriam disceremus. Non enim cæli tantummodo gloriam narrant Dei, verum etiam terra. Nam hoc quoque; David ipse dicit in Psalmo; Laudate dominum de terra ligna fructifera, & omnes cedri. Alia quippe de fructu, alia de magnitudine, alia de decore laudem Deo videntur emittere. Id autem ipsum maxima profectò designat diuitias sapientiæ, quando etiam in hæc, quæ sunt utique vilissima (quid enim vilius quam hodie quid esse, cras verò desinere?) tantum decoris effudit, quod nullo vsui esset futurum. Quid enim ad ignis alimoniam florum pulchritudo confert? Quemadmodum tibi non dabit, quod utique necesse est ad vsum, qui illud, quod omnibus rebus est vilius, tam abundanter ornauit? Et hoc non ad aliquem, ut dixi, vsum faciens, sed diuitias suæ liberalitatis ostendens, multò magis te omnibus certè honoratorem in iis, quæ ad vsum pertinent, honorabit. Cum igitur ostendisset plurimam esse erga homines prouidentiam Dei, quumque iam oporteret virgam eis correctionis adhibere, plenissime etiam istud exequitur. Verùm hic quoque admixta vitur lenitate, non enim infidelitatem eis imputat, sed fidei parnitatem. Si autem, inquit, scenum agri, quod hodie est, & cras in cibarium mittitur, Deus sic vestit, quanto magis vos, modice fidei? Et certè omnia ista idem proculdubio semper operatur, & sine ipso factum est nihil: & tamen nusquam aliquid de se adhuc commemorat. Sufficiebat quidem ad ostendendam interim autoritatem suã dicere per singula quæque præcepta. Audistis, quia dictum est antiquis; ego autem dico vobis. Nequaquam ergo mireris, quum etiam post ista vel occulit semetipsum, vel aliquid de se humiliter enunciat. Vnum enim interim illud studet, ut facilius illi possint capere sermonem, perque cuncta ipse demonstrat, non se esse aduersarium quendam Dei: sed contentem patri per omnia; quod cum hic quoque fecisse perspicimus. Quum enim tam multa iam dixerit, ipsum tamen adhuc solum & persæpe memorauit, sapientiam, prouidentiamque, eius admirans: utpote omnium rerum curam gerentis, magnarum scilicet, atque minimarum. Nam & quum per Hierusalem intrare prohiberet, ciuitatem illam magni regis vocauit: & quando cælum, Dei illud appellauit thronum; Et quum de mundi administratione loqueretur, ipsi omnia prorsus adscripsit, dicens; Qui solem suum ortiri facit super bonos, & malos, & pluit super iustos, & iniustos. Et in oratione nos docuit confiteri, quoniam ipse sit regnum, & potentia, & gloria. Hic quoque, quum de eiusdem prouidentia disputaret, & ostenderet quemadmodum etiam in minimis optimum impleter artificium; qui secnum, inquit, sic vestit, nec adhuc vsquam suum illum, sed eorum patrem vocauit, & hoc ita auditorum animas onere laxaret, ne quando, quum suum patrem esse diceret, indignum putarent. Sin verò

Psal. 148.

Joan. 5.

Math. 5.

Math. 5.

Math. 5.

verò de vilibus, necessariisque rebus non oportet esse sollicitos: qua tandem digni venia iudicandi sunt: qui curam suam multo pretio coemptis, & superfluis omnino rebus impendunt, imò qua erunt venia digni, qui nec somnum quidem capiunt, dum aliena diripiunt? Nolite ergo, inquit, esse solliciti, dicentes; Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Hæc enim omnia gentes inquirunt. Vidisti nempe quemadmodum eos rursus, & amplius increparit, & manifestius docuerit, & qui nihil vel onerosum præceperit, vel molestum. Sicut enim paulò antè cum diceret; Si diligitis diligentes vos, nihil amplius facitis: nam & gentes hoc faciunt, commemoratione gentilium eos ad id, quod erat perfectius, incitavit; ita nunc quoque eosdem adducit in medium, corripens, & ostendens necessarium se à nobis debitum flagitare. Si enim amplius nos quàm etiam scribas, atque Phariseos oportet efficere; qua poena videbimur esse digni, qui non solum illos non vincimus, sed in vilitate quoque gentium permanemus, eosque paritate dilectionis imitatur? Verum non usque ad correptionem tantummodo sermone progressus est, sed, quum cura sævius castigasset, perque hoc etiam suscitasset, plurimumque in eis succendisset pudorem, consequenter illos aliunde solatur; Nouit, inquit, pater vester caelestis, quia his omnibus indigetis. Non dixit, nouit Deus, sed, nouit pater vester, ut eos profectò ad spem certiorum vocaret. Si ergo & pater vester, & talis pater, nequaquam profectò pariter despici à se filios, mala vltima sustinentes, quando ne homines quidem patres hoc aliquando patiuntur. Sed alij quoque præter hunc intulit sensum dicendo; Quoniam his omnibus indigetis. Quod verò dicit eiusmodi est; Nunquid superflua ista sunt, vel vos ea despiciat requirentes? Et certè herbas quoque ne in superfluo quidem despexit ornatu: nunc autè ista necessaria sunt. Quam ergo tu opinaris causam tibi esse curandi, hanc ego idoneam esse dico, quæ te ab omni liberet intentione curatum. Si enim dixeris, propterea me oportet esse sollicitum, quia sunt necessaria: ego è regione respòdeo, propterea non oportet te esse sollicitum, quia sunt vti que necessaria. Si enim essent superflua, non ita deberes de eorum præstatione còsidere; nunc verò, quia necessaria sunt, profus non oportet ambigere. Quis enim pater inuenitur aliquando, qui liberis suis necessaria quidem se non præstare paratur? Igitur ob hoc quoque proculdubio Deus ista præstabit, quia natura creator ipse est, & satis plene, quorù illa indigeat, agnoscit. Nam ne hoc quidem poteris opponere, quod sit quidem pater, sint etiam necessaria, quæ à filiis requiruntur: ignoret autem ille, quia in eorum sint indigentia constituti. Est enim omnino clarum, quòd à Deus, qui naturam ipsam nouit, & eius creator existit, quique illam talem creando formauit, indigentiam quoque eius magis profectò prospiciat, quàm tu certè ipse, qui huiusmodi necessitatibus coartaris. Nam ipsi vti que sic placuit, vt hanc indigentiam natura pareretur. Nequaquam erit ergo contrarius in iis, quibus ei opus esse decreuit, nec ille, qui in tanta illam indigentiam necessitate còstituit, necessarium eam rerum perceptione fraudabit. Nihil horum itaque curemus, neque enim curando quicquam amplius consequemur, nisi quòd nosmetipsos sollicitudinè an-

gore distendimus. Cum enim etiam nobis non curantibus præstat, imò tunc magis, quòd nihil hinc omnino curamus: quid tibi amplius sollicitudo præstabit, nisi quòd superflua à te exigit vltionem? Neque enim quisquam ad conuiuium iturus opulètum, de ipsius diei cibo se curare patietur. Nec ad fontem aliquis accedens, sollicitudinem de sitis necessitate perpetuetur. Nequaquam ergo etiam nos, cum habemus liberalitatem, & prouidentiam Dei cunctis omnino fontibus affluentiorem, inopes nos putemus. Nam post illa, quæ dixi, rursus alium quoque sensum super eiusmodi rebus fiduciam suggerentem imponit, ac dicit; Querite autem primum regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis. Postquam enim animos audientium onere curatum leuauit, tunc eos etiam de cæli regione commouit. Venit quippe vetera solutus, & ad meliorem, veteramque patriam vocaturus: idcirco igitur cuncta perficit, vt nos à superfluis liberet, atque à terrena eximat passione. Propterea etiam Ethnicorum meminit, dicens; Quoniam hæc omnia gentes inquirunt, quorù videlicet, erga præsentem vitam studium omne consumitur, quibus nulla profus cura est futurorum, nec cogitatio alia de cælo; nobis autem ista non sunt principaliter requirenda, sed alia profectò. Neque propterea creati sumus, vt ederemus, atque biberemus, vesteq; regeremus, sed vt placerem⁹ Deo, & bonis potitemur futuris. Sicut ergo in vsu ipso hæc transitorie sunt habenda, ita etià in oratione transitorie postulanda. Querite autem primum regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis. Non dixit, dabuntur, sed, adijcientur, vt scilicet disceretis horum, quæ in præsentem dantur, nihil esse omnino magnum, si futurorum magnitudini comparerentur. Et idcirco nec peti illa, quidem iussit, sed alia quidem sollicitè postulari, illa verò his adicienda esse præsumi. Quære igitur tantum futura. Sic enim etiam optimè præsentia còsequeris, noli quærere, quæ videntur, & ea absque ambiguitate percipies. Est quippe profus indignum, vt super eiusmodi rebus interpellas Deum. Qui enim omne studiù, totamque curam pro illis ineffabilibus gerere debes bonis, satis te ipse depretias atque confundis, qui erga cupiditatem rerum mundanarum semper fluctuum temetipsum impendis. Quemadmodum igitur panem petere præcepit: sed addidit quotidianum: & cum dixisset, da nobis hodie, signanter adiecit, hodie: sic etiam hoc fecit loco. Non enim dixit: nolite esse solliciti: sed, nolite, inquit, solliciti esse in crastinum, per quod certè & nobis libertatem donauit petendi & animam nostram magis necessariis rebus affixit. Nam & illa ideo peti præcepit, non quia Deus nostrarum precum indigeret admonitu, sed vt absque dubio disceremus, quòd cum illius auxilio faciamus bona cuncta, quæ faciamus, vt & ipsa alfiduitate poscendi ei nos propriè deberemus. Còsiderasti certè quemadmodum etiam per ista suaserit, quòd præsentia quoque ab ipso absque dubitatione percipiant. Qui enim maiora præstat, multò magis tribuit & minora. Non enim propterea, inquit, dixi, nolite ista deposcere, vt velle me deficiatis vel nuditate deformes sitis: sed vt abundè vobis etiam necessaria ista suppeterent: quod certè omnium maximè idoneum erat, vt illos possit attrahere. Nam sicut in elemosyna dehortans eos sese hominibus ostentare, hæc illis præ-

præcipuè ratione suadebat, qua docebat multò eis maiorem gloriam esse tribuendam, si eam ipsi vltra non quærerent. pater enim, inquit, tuus, qui videt in occulto, in conspicuo reddet tibi: ita hic quoque abstrahens eos ab inquisitione præsentium, hoc eis maximè suadet modo, quo non requirentibus multò abundantius dandum esse promittit. Propterea, inquit, iubeo ista non quærere, non ne accipias, sed vt abundanter accipias. Cùmque ea, quæ tibi comperit, vilitate etiam præsentia consequaris, ne sollicitudinibus afflictus, & curarum moribus sæpe discerptus, non modò istis, verè etiam spiritualibus bonis te facias indignum, ne & superflua patiaris ærumnam, & quod est amplius, propositam tibi amittas coronam.

### AVTHORIS DICTI IMPERF. IN MATTH. EIVSDEM EVANG. EXPOSITIO.

**N**emo potest duobus dominis seruire, aut enim vnum odio habebit, & alterum diligit: aut vnum sustinebit & alterum contemnet. Videamus in primis quomodo dicta præcedentia subsequantur verba præsentia. Superius præcepit elemosynas facere, dicens: Theaurizate vobis thesauros in cælo, quoniam qui thesaurizauerit thesauros sibi in cælo, ille cor habet in cælo, & spem ad Deum, ille habet oculum animæ simplicem, id est mentem mundam, & spiritualem, ille potest corpus suum seruare lucidum, id est, sine peccato. Qui autem non facit elemosynas, nec cor habet in cælo, nec spem in Deum, nec mentem mundam, & spiritualem: neque potest corpus suum seruare lucidum, ac sine peccato. Quia nemo potest duobus dominis seruire, Deo, & Mammonæ, id est, diuitiis. Mammonæ enim Syriaca lingua diuitiæ appellantur. Sicut ergo qui duos dominos habet, necesse est, vt vnum amet, & alterum odiat: vnum contemnat, & alteri obediat: sic & qui vult Deum amare, necesse est vt odiat diuitias: qui autè voluerit amare diuitias, necesse est vt odiat Deum: & qui vult mandata Dei facere, necesse est vt odiat diuitias, & qui vult mandatis Dei obedire, necesse est vt contemnat auaritiæ mandata facere: & qui voluerit auaritiæ mandata facere, necesse est vt contemnat Dei mandata. Còsidera autem, non dixit, nemo potest habere Deum, & diuitias: sed nemo potest Dei esse seruus, & diuitiarum. Aliud est enim habere diuitias, aliud infernare diuitiis. Si habes diuitias, & diuitiæ illæ non te faciunt superbum aut violentum, sed secundum quod potes das impotentibus, dominus es diuitiarum tuarum, non seruus, quia nò te diuitiæ tuæ tenent, sed tu diuitias: Si autem diuitiæ tuæ superbum te faciunt, aut violentum, & constrictus auaritia nemini aliquid præstas, tunc seruus es diuitiarum tuarum; non dominus, quia diuitiæ tuæ te tenent, non tu diuitias tuas. Nunc iam docet, vt ne timor inopie impediatur ab elemosynis voluntatem, dicens. Ideo dico vobis ne solliciti sitis in cordibus vestris quid manducetis. Nam sollicitudo desperationis est filia, quia desperatio sollicitudinem generat. Quid est quod dicit, ideo dico vobis? Et quid? Vt elemosynas faciatis, vt thesaurizantes in cælo cor mun-

dum habeatis sperantes in Deum? Qui autem sperat in Deum, ille non est sollicitus quid manducet, aut quo vestiatur: quoniam nulla res est, quæ facit homines desperare in aliqua necessitate, nisi ista res, quia non habet spem in Deum. Ne ergo mihi dicas, nunquid nolo esse sollicitus? sed ipsa res cogit. Nūquid nolo sperare in Deum, sed non possum. Cor enim meum non audit. Nescis quid pateris, languens, & tamen causam tui languoris ignoras. Vis ostendam tibi causam, vt in omni necessitate nunquam desperes? Fac bene, & operate iustitiam, & spem habeas apud Deum, & non desperabis in terra. Bona enim opera sunt, quæ sperare faciunt, & mala opera desperare compellunt. Propterea non dixit propheta: Spera in Deo, & inhabita terram, & pascaris in diuitiis eius: sed, Spera in Deo, & fac bonitatem, & inhabita terram. Ne solliciti sitis quid manducetis. Non dixit, nolite laborare: sed, nolite solliciti esse. Ergo solliciti esse vetamur, laborare autem iubemur. Sic enim & dominus loquens ad Adam, nò dixit cum sollicitudine facies tibi panem, sed cum laborare, & sudore faciei tuæ. Ergo non sollicitudinibus spiritualibus, sed laboribus corporalibus acquirendus est panis. Sicut laborantibus enim pro præmio diligentia, Deo præstante, panis abundat, sic dormientibus, & negligentibus pro poena negligentia: Deo faciente, subducitur. Nò me anima plus est quàm esca, & corpus plus quàm vestimentum? Confirmat spem nostram primùm de maiore ad minus descendens, deinde à minore ad maius ascendens. Quomodo si animam dedit, escam non dabit? Si corpus plasmanit, vestimentum non prouidebit? Nisi voluisset esse quod est, non crearet. Quod autem sic creauit vt per escam seruetur, necesse est vt det ei escam, quãdiu vult esse quod fecit. Quid est à minore ad maius? Videte volatilia cæli, neque seminant, neque metunt. Si auibibus præstat alimētum: hominibus nò præstabit alituram? Si illi non laborantes inueniunt escas, homo non inueniet, cui Deus dedit & operandi \* sapiētiam, & fructificandi spem? Omnia enim animalia Deus propter homines fecit, hominem autem propter se. Si ergo animalibus, ministrat propter hominem, hominibus non ministrabit propter seipsum? Omnia Deus in sapientia fecit, hominem autem non solum in sapientia, sed etiam secundum sapientiam suam. Quanto ergo præciosior hominis creatio quàm animalium, tanto maior sollicitudo Dei de hominibus, quàm de animalibus. Omnia Deus animalia fecit, vt tandiu sint, quãdiu sunt: quum verò mortua fuerint, sicut tanquam quæ non fuerunt: hominem autem vt non solum ante mortem, sed etiam post mortem viuat: magis autem post mortem, quàm ante mortem: quoniam ante mortem in tentatione viuat, post mortem autem in gloria. Si ergo illis occurrit, quos sic creauit, vt tantummodo videantur: \* hominibus non occurreret, quos fecit, vt in perpetuo viuant? Quis vestrum cogitando potest adijcere ad staturam suam cubitum vnum? Si ergo cogitando modicam partem corpori vestro adhibere \* non potestis, quomodo cogitando saluadi estis in toto? Deus qui de ex nihilo formauit in vtero, & de periculo cum periculo nascētē de vtero matris eripuit, te non solum non cogitante, sed neque sciente. Deus qui per singulos dies incrementa corporis tui dat, & sapientia facit te non intelligente. Si ergo in teipso quoti-

Vides ex bonis operibus conopere nos per se fiduciam erga Deum. I sal. 39.

Gen. 3.

\* scientiam.

\* vnum.

\* addere.



die providentiam operatur, quomodo in necessa-  
riis tuis cessabit: Considerate lilia agri, quomodo  
in tempore opportuno crescunt, tempore siccato  
formantur. In frondibus vestiuntur candore, im-  
plentur odoribus, & quod terra radici non dederat,  
neque radix illi: inuisibili operatione Deus  
largitur, neque plus istis, & minus aliis: sed in om-  
nibus eadem providentia plenitudo servatur, ut  
non a seipsis nata, neque euentu facta putentur,  
sed Dei providentia intelligantur esse disposita.

\* laborant. Nunquid laborant? nunquid veni? Dicendo non \* semi-  
nant, viros confortat: dicendo autem, neque veni,  
mulieres: quoniam virorum vita seminationibus,  
mulierum ianificio sustentatur. Neque Salomon  
in omni gloria sua sic vestiebatur. Quia Salomon  
et si non laborabat, neque sollicitus erat, quid vestiret,  
tamen vel iubebat, vel disponebat, vel sciebat.  
Vbi autem iussio, & dispositio, illic & ministrantium  
offensa frequenter invenitur, & iubentis iracundia  
excitatur: hæc autem nesciunt quomodo sic \* coronantur.

\* vestiantur, ornantur. Si enim fenum agri, quod hodie est, & cras  
in cibum mittitur. Deus sic vestit, quanto magis  
vos, modice fidei? Si ergo floribus sic occurrit, qui  
sic nati sunt, ut tantummodo videantur, & pereant:  
homines negliget, quos sic creavit, ut non pro  
tempore videantur, sed ut in perpetuo sint? Qui  
intelligit quid est homo, non desperat de Deo:  
qui autem desperat de Deo, nescit quid est: quoniam  
homo in Deo, & Deus in homine est. Nolite ergo  
soliciti esse, dicentes, quid manducabimus, aut quid  
bibemus? Deus enim hæc in natura creavit, quasi  
regulam terræ mandans: Producat terra herbam  
pabuli: ideo vult, aut non vult, bonis, & malis ger-  
minat: quia terra ministrare iussa est, non iudicare.  
Bonum autem, & malum non in natura creantur,  
sed in arbitrio nostro posuit, ut quod volumus,  
simus. Ideo bonis palma proponitur, malis  
autem pœna. Quæ est ergo sapientia, de eo esse  
solicitem, quod & si sollicitus non fueris, habebis  
& de illo non esse sollicitum, de quo si sollicitus  
non fueris, perdes: Nam escam, & si sollicitus non  
fueris, invenies: iustitiam autem, nisi sollicitus  
fueris, non apprehendes: Hæc enim omnia gentes  
quærent. Quia in rebus humanis fortunam esse  
credunt, non providentiam, neque iudicio Dei  
vitas suas gubernari aestimant, sed incerto duci  
euentu, ideo meritò timent, meritò solliciti sunt,  
& desperant, quasi qui neminem habeant gubernantem.  
Qui autem credit se iudicio Dei gubernari, non  
incerto duci euentu, escam quidem suam in manu  
Dei committit, sciens quia neminem sine voluntate,  
& iudicio Dei famas, aut nuditas occidit.  
Cogitat autem de bono & malo, sciens quia nisi  
sollicitus fuerit, nec malum fugiet, nec bonum  
apprehendet: ideo dicit, Quærite primum regnum  
Dei, & iustitiam eius. Regnum Dei est retributio  
bonorum operum, & malorum, iustitia autem est  
via pietatis, per quam itur ad regnum. Si ergo die,  
ac nocte cogitas qualis erit gloria sanctorum,  
vel qualis erit interitus impiorum & peccatorum:  
necesse est, ut aut propter timorem pœnæ  
territus recedas à malo, aut propter desiderium  
gloriæ excitatus festines ad bonum. Et si  
quotidie cogitaveris quæ sit iustitia Dei, & quid  
odit, quidve amat, ipsa iustitia ostendet tibi vias  
suas. Nam iustitia sicut odieres se fugit, sic  
amantes se sequitur. Nec enim daturi sumus rationem,

Gen. 1. Libentè arbitrium adferunt.

utrum pauperes fuerimus, aut divites, quia nec fuit  
hoc in nostra potestate: sed si bene egimus, aut  
male, quod in nostro iacet arbitrio, dictum est ad  
hominem: Maledicta terra in operibus tuis. Vides  
quia propter peccata hominum maledicitur terra,  
ut non germinat: benedicetur autem, quum  
bona opera fecerimus. Tu ergo quære iustitiam,  
& non tibi deerit panis: quoniam sicut propter  
mala opera fructus terræ subducitur, sic propter  
bona abundat. Propterea dicit, Quærite regnum Dei,  
& iustitiam eius, & hæc omnia apponentur vobis. No-  
lite ergo solliciti esse in crastinum. Iam diximus, quoniam  
quod dicit hodie, hoc solum significat, quomodo  
opus habemus in vita nostra presenti. Quod autem  
dicit cras, quod superfluum est supra necessitatem  
ostendit. Nihil ergo curetis superfluum habere,  
quàm necessarium est vobis in vita presenti  
ad vitam quotidianam. Quod autem superfluum  
fuerit, quod est cras, curabit se: ac si dicat:  
Superflua quantacumque congregaveris, illa se-  
ipsa curabunt. Te quidem non eis fruente, ipsa  
autem inveniunt dominos multos, qui ea procurant,  
sicut placuerit ipsis. Quid ergo curas de illis,  
quorum potestatem alii es dimissurus? Sufficit  
enim diei malitia sua, ac si dicat, Sufficit tibi labor  
& miseria, quam pateris in vita propter vltus  
quotidianos, quos necessarios habes. Noli superflue  
pro superfluis laborare, ne labor quidam fiat tuus,  
fructus autem alterius. Malitiam autem dici, ipsam  
afflictionem appellat, sollicitudinum presentium  
& laborum: non sicut Manichæi dicunt, malam  
esse ipsam creaturam Dei.

S. AVGVST. EPISCOPI  
Hippon. in superius Euang.  
Homilia.

Quod autem sequitur & dicit, Nemo potest duo-  
bus dominis servire: ad hanc ipsam intentionem  
referendum est: quod consequenter exponit, di-  
cens, Aut enim unum odio habebit, & alterum diliget,  
aut alterum patietur, & alterum contemnet. Quæ  
verba diligenter consideranda sunt: nam qui sint duo  
domini, deinceps ostendit, cum dicit, Non potestis  
Deo servire, & mammonæ. Mamonæ apud Hebræos  
divitiæ appellari dicuntur. Congruit & Punicum  
nomen: nam lucrum Punicè mamon dicitur. Sed  
qui servit mammonæ, illi utique servit, qui rebus  
istis terrenis merito suæ perversitatis præpositus,  
magistratus huius seculi à domino dicitur. Aut  
enim unum odio habebit, & alterum diliget homo: id est,  
Deum: aut alterum patietur, & alterum contemnet.  
Patietur enim durum, & perniciosum dominum,  
quisquis servit mammonæ: sua enim cupiditate  
implicatus, subditur diabolo: & non eum diligit,  
quis enim est qui diligit diabolum? sed tamen  
paritur. Sic in maiore aliqua domo, qui ancillæ  
alienæ coniunctus est, propter cupiditatem suam  
duram patitur servitutem, etiam si non diligit  
eum, cuius ancillam diligit. Alterum autem  
contemnet, dicit, non odio habebit. Nullius enim ferè  
conscientia Deum odisse potest: contemnit autem,  
id est, non timet eum, qui quasi de eius bonitate  
securus est. Ab hac negligentia & pernicio-  
sitate renocat nos spiritus sanctus, cum per  
Prophetam dicit, Fili, ne adicias peccatum super  
peccatū, & dicas, Miseratio Dei magna est: Ignora-  
ras

De lib. 1. d. 1. serm. 2. in monte. 1. Rom. 16. 1. Rom. 1. Rom. 11.

ras quia patientia Dei ad poenitentiam te invitat?  
Cuius enim tanta misericordia commendari potest,  
quàm eius qui omnia donat peccata convertis:  
& olestrum facit participem pinguedinis oli-  
væ: Et cuius tanta seueritas, quàm eius qui natu-  
ralibus ramis non pepercit, sed propter infideli-  
tatem fregit illos? Sed quisquis vult diligere Deum,  
& cauere ne offendat, non se arbitretur duobus  
dominis posse servire, & intentionem cordis sui  
rectam ab omni duplicitate explicet. Ita enim  
sentiens de Deo, in bonitate, & in simplicitate  
cordis quærit illum. Ideo, inquit, dico vobis, non ha-  
bere sollicitudinem animæ vestræ, & reliqua. Hic  
portus vestro quid induatis. Ne forte, quamvis iam  
superflua non quærantur, propter ipsa necessaria  
cor duplicetur: & ad ipsa conquirenda nostra de-  
torqueatur intentio, cum aliquid quasi miseri-  
corditer operamur: id est, ut cum consulere alij  
videri volumus, nostrum emolumentum ibi po-  
tius, quàm illius vtilitatem attendamus, Et ideo  
nobis non videamur peccare, quia non superflua,  
sed necessaria sunt, quæ consequi volumus. Do-  
minus autem admonet, ut meminerimus multo  
amplius nobis Deum dedisse, quando nos fecit  
& composuit ex anima & corpore, quàm est ali-  
mentum atque tegumentum, quorum cura nos  
duplicare cor non vult. Nomen, inquit, anima plus est  
quàm esca? Vt tu intelligas eum, qui dedit animam,  
multo facilius escam esse daturum: & corpus quàm  
vestimentum: id est, plus est: ut similiter intelligas,  
eum, qui corpus dedit, multo facilius daturum  
esse vestimentum. Quo loco quæri solet, vtrum &  
ad animam cibis iste pertineat, cum anima in-  
corporea sit, iste autem cibus corporeus. Sed ani-  
mam hoc loco pro ista vita positam nouerimus,  
cuius retinaculum est alimentum istud corporeum.  
Secundum hanc significationem dictum est etiam  
illud, Qui amat animam suam, perdet illam. Quod  
nisi de hac vita acceperimus, quam oportet pro  
regno Dei perdere, quod potuisse martyres cla-  
rui, contrarium hoc præceptum erit illi senten-  
tiæ, qua dictum est, Quid prodest homini, si to-  
tum mundum lucratur, animæ autem suæ detri-  
mentum faciat? Respicite, inquit, volatilia celi, quo-  
niam non serunt, neque metunt, neque congregant in hor-  
rea, & pater vester cælestis pascit illa. Nomen vos pluris  
est illis: id est, carius vos valetis? Quia utique ra-  
tionale animal, sicuti est homo, sublimius ordi-  
natum est in rerum natura, quam irrationabilia,  
sicut sunt oves. Quis autem vestrum curans, inquit,  
potest adiacere ad staturam suam cubitum unum? Et de  
vestimento quid solliciti estis? id est, cuius potestate  
atque dominatu factum est, ut ad hanc staturam  
corpus vestrum produceretur, eius providentia  
etiam vestiri potest. Non autem vestra cura factum  
est, ut ad hanc staturam veniret corpus vestrum  
ex hoc intelligi potest, quod si curetis, & velitis  
adiacere unum cubitum huic staturæ, non pote-  
stis. Illi ergo iam tegendi corporis curam relin-  
quite, cuius videtis cura factum esse, ut tanta  
staturæ corpus habeatis. Dandum autem erat etiam  
documentum propter vestimentum, sicut datum  
est propter alimentum. Itaque sequitur & dicit,  
Considerate lilia agri, quomodo crescunt, non laborant  
neque nent: & reliqua. Quæ ergo vos modice  
fidei? Sed ista documenta non sic allegorice discutienda  
sunt, ut quæramus quid significent aues  
cæli, aut lilia agri. Posita sunt enim, ut de rebus

minoribus maiora persuaderentur: sicuti illud est  
de iudice, qui nec Deum timebat, nec hominem  
reuerbatur: & tamen sæpe interpellanti viduæ  
cessit, ut eius causam consideraret: non propter  
pietatem, aut humanitatem, sed ne tedium pate-  
retur. Nō enim vlllo modo ille iniustus iudex per-  
sonam domini allegorice sustinet, sed tamen  
quantum Deus, qui bonus est & iustus, curet de-  
precantes se, hinc conici dominus voluit: quia  
nec iniustus homo eos, qui illum assiduis preci-  
bus tundunt, vel propter tedium deuitandum,  
potest contemnere. Nolite ergo, inquit, solliciti esse  
dicentes, Quid edemus, aut quid bibemus, & reliqua. Hic  
manifestissime ostendit, non hæc esse appetenda,  
tanquam talia bona nostra, ut propter ea ipsa de-  
beamus bene facere, si quid facimus, sed tamen  
esse necessaria. Quid enim interfit inter bonum  
quod appetendum est, & necessarium quod su-  
mendum est, hac sententia declarauit, cum ait,  
Quærite primum regnum Dei & iustitiam eius, & hæc  
omni a apponentur vobis. Regnum ergo & iustitia  
Dei bonum nostrum est: & hoc appetendum, &  
ibi finis constituendus, propter quod omnia faci-  
mus, quæcunque facimus. Sed quia in hac vita  
militamus, ut ad illud regnum peruenire possi-  
mus, quæ vita sine his necessariis agi non potest,  
Apponentur vobis hæc, inquit, sed vos regnum Dei,  
& iustitiam eius primum quærite. Cum enim di-  
cit illud primum, significauit quod hoc posterius  
quærendum est, non tempore, sed dignitate. Illud  
tanquam bonum nostrum, hoc tanquam necessa-  
rium nostrum: necessarium autem propter illud  
bonum. Neque enim, verbi gratia, ideo debemus  
euangelizare, ut manducemus: sed ideo mandu-  
care, ut euangelizemus: nam, si propterea eu-  
angelizamus, ut manducemus, vilius habemus eu-  
angelium quàm cibum: & erit iam bonum nostrum  
in manducando, necessarium autem in euangeliza-  
zando. Quod etiam Apostolus prohibet, cum di-  
cit, licere sibi quidem, & permillum esse à domi-  
no, ut, qui Euangelium annunciant, de Euange-  
lio viuant: id est, de Euangelio habeant ea, quæ  
huic vitæ sunt necessaria: sed tamen se non esse  
ab usum hac potestate. Erant enim multi, qui oc-  
casionem habere cupiebant acquirendi, & ven-  
dendi Euangelium, quibus eam volens amputare,  
Apostolus manibus victum suum tolerauit. De  
his enim alio loco dicit, Ut amputet occasionem,  
iis, qui quærent occasionem. Quamquam etiam si  
ut ceteri boni Apostoli permissio domini de Eu-  
angelio viueret, non in eo victu constitueret finem  
euangelizandi, sed magis ipsius victus sui finem  
in Euangelio collocaret: id est, ut superius dixi,  
non ideo euangelizaret, ut perueniret ad cibum,  
& si qua sunt alia necessaria: sed ideo ista sume-  
ret, ut illud impleteret, ne non volens, sed necessitate  
euangelizaret. Hoc enim improbat, cum dicit,  
Nescitis quoniam qui in templo operantur, quæ  
de templo sunt edunt, & qui altario deseruiunt,  
altario compatiuntur. Sic & dominus ordinauit  
iis, qui euangelium annunciant, de Euangelio vi-  
uere: ego autem nullius horum vsus sum. Hic  
ostendit permissum esse, non iustum: alioquin  
contra præceptum domini fecisse tenebatur. De-  
inde sequitur & dicit, Non autem scripti hæc, ut  
ita fiat in me. Bonum est mihi magis mori, quam  
gloriam meam quisque inanem faciat. Hoc dixit,  
quia iam staturat propter quosdam occasionem  
Bibl. Hom. tom. 3. Vv quaren

1. Cor. 9. 1. Cor. 11. 1. Cor. 9.

quærentes manibus suis victum trāsfigere. Si enim euangelizauero, inquit, non est mihi gloria id est, si euangelizauero, ut ista fiat in me id est, si propterea euangelizauero, ut ad illa perueniam, & huc euangelij in cibo & potu & vestitu collocauero, sed quare nō est ei gloria? Necessitas enim, inquit, mihi incubit id est, ut ideo euangelizē, quia vnde viuā nō habeo, aut ut acquirā temporalem fructū de predicatione æternorū. Sic enim iā necessitas erit in euangelio non voluntas. Vā enim mihi est, inquit, si non euangelizauero: scilicet quoniam debet euangelizare sic, ut in ipso Euangelio & in regno Dei ponat mercedem: ita enim potest non coactus euangelizare, sed volens. Si enim volens, inquit, hoc facio, mercedem habeo. Si autem inuitus, hæc dispensatio mihi credita est: id est, si coactus inopia earum rerum, quæ temporali vitæ sunt necessaria, prædico Euangelium, alij per me habebūt mercedem Euangelij, qui Euangelium ipsum me prædicante diligunt: ego autem non habeo, quia non ipsum Euangelium opus, sed eius precium in illis temporalibus constitutum. Quod nefas est fieri, ut non tanquam filius ministraret quisque Euangelium, sed tanquam seruus cui dispensatio eredita est: ut tanquam alienum: erogat, nihil inde ipse accipiat præter cibaria, quæ non de participatione regni, sed ad sustentaculum miseræ seruitutis dantur extrinsecus. Quamquam alio loco dispensator se dicat, Potest enim & seruus in filiorum numerum adoptatus, eam rem, in qua cohæredis sortem meruit, fideliter dispensare participibus suis, sed nunc ubi ait, Si autem inuitus, hæc dispensatio mihi tunc credita est: talem dispensatorem intelligi voluit, qui alienum dispensat vnde ipse nihil accipit. Ergo quæcunque res propter aliud aliquid quæritur, sine dubio inferior est; quam id propter quod quæritur: & ideo illud primum est, propter quod istam rem quæris, non ista res, quam propter aliud quæris. Quapropter si Euangelium, & regnum Dei propter cibum quærimus, priorem facimus cibum, & posterius Euangelium, id est, regnum Dei: ita ut si non desit cibum, non quæramus regnum Dei. Hoc est ergo primum quærite cibum, & deinde regnum Dei, id est, hoc priore loco ponere, illud posteriore. Si autem ideo quæramus cibum: ut habeamus regnum Dei, facimus quod dictum est, *Quærite primum regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia apponentur vobis.* Quærenibus enim primum regnum Dei & iustitiam eius, id est, hæc præponentibus cæteris rebus, ut propter hæc cætera quæramus, non debet subesse sollicitudo ne illa desint, quæ hinc vitæ propter regnum Dei sunt necessaria. Dixit enim superius, *Scit pater vester quod horū omnium indigetis.* Et ideo cum dixisset, *Quærite primum regnum Dei & iustitiam eius:* non dixit, deinde ista quærite, quamuis sint necessaria: sed ait, *hæc omnia apponentur vobis,* id est, consequentur, si illa quæritis, sine illo vestro impedimento: ne cum ista quæritis, illinc auertamini: aut ne duos fines constituatis, ut & regnum Dei propter se appetatis, & ista necessaria, sed hæc potius propter illud. Ita vobis non deerunt, quia duobus dominis seruire non potestis. Duobus autem dominis seruire conatur, qui regnum Dei pro magno bono appetit, & hæc omnia temporalia. Non poterit autem simplicem habere oculum & vni domino seruire, nisi quæ-

cunque sunt cætera, si sunt necessaria, propter hoc vnum assumat, id est, propter regnum Dei. Sicut autem omnes militantes accipiunt annonam, & stipendium, sic omnes euangelizantes accipiunt victum, & tegumentum. Sed non omnes propter salutem reipublicæ militant, sed propter illa, quæ accipiunt: sic & non omnes propter salutem Ecclesiæ ministrant Deo, sed propter hæc temporalia, quæ tanquam annonam, & stipendia consequantur, aut propter hoc, & propter illud. Sed supra iam dictum est, *Non potestis duobus dominis seruire.* Ergo simplici corde tantummodo propter regnum Dei debemus operari bonum ad omnes. Non autem in hac operatione, vel solam, vel cum regno Dei mercedem temporalem cogitare, quorum omnium temporalium nomine crastinum posuit dicēs, *Nolite cogitare de crastino.* Non enim dicitur crastinus dies, nisi in tempore ubi præterito succedit futurum. Ergo cum aliquid boni operamur non temporalia sed æterna cogitemus, tunc erit illud bonum, & perfectum opus. *Crastinus enim dies,* inquit, *solicitus erit sibiipsum;* id est, ut cum oportuerit sumas cibum vel potum vel indumentum, cum ipsa scilicet necessitas vrgere coeperit, Aderunt enim hæc, quia nouit pater vester quod horum omnium indigeatis. *Sufficit enim,* inquit, *dies malitia sua,* id est, sufficit quod sumere vrgeret necessitas ipsa. Quam propterea malitiam nominatam arbitror, quia pœnalis est nobis. Pertinet enim ad hanc fragilitatem & mortalitatem quam peccando meruimus. Hinc ergo pœnæ temporalis necessitatis noli addere aliquid grauius, ut nō solum patiaris harum rerum indigentiam, sed etiam propter hanc explendam milites Deo. Hoc autē loco vehementer cauendum est, ne forte, cum viderimus aliquē seruū Dei prouidere, ne ista necessaria desint, vel sibi, vel eis, quorum sibi cura commissa est, iudicemus eum contra præceptum domini facere, & de crastino esse sollicitum. Nam & ipse dominus, cui ministrabant angeli, tamen propter exemplum, ne quis postea scandalum pareretur, cum aliquem seruum eius animaduertisset ista necessaria procurare, loculos habere dignatus est cum pecunia, vnde vobis necessariis quicquid opus fuisset præberetur: quorum loculorum custos & fur, sicut scriptum est, Iudas fuit, qui eum tradidit. Sicut & Apostolus Paulus potest videri de crastino cogitasse, cum dicit, De collectis autem in sanctos, sicut ordinauit Ecclesiis Galatiæ. ita & vos facite secundum vnam sabbati vnusquisque vestrum apud se ponat thesaurizans, quod sibi placuerit: ut non cum venero, tunc collectæ fiant. Cum autem aduenero, quoscūque approbaueritis per Epistolas, hos mittam perferre gratiam vestram in Hierusalem. Quod si dignum fuerit ut ego eam, mecum ibunt. Veniam autem ad vos, cum Macedoniam transiero, nam Macedoniam pertransibo: apud vos autem forsitan remanebo: vel etiam hyemabo, ut vos me deducatis quocūque iero. Nolo autem vos nunc in transitu videre: spero enim me aliquod temporis manere apud vos, si permiserit dominus. Permanebo autem Ephesi vsque ad Pentecostē. Item in actibus Apostolorum scriptum est, ea quæ ad victum sunt necessaria, procurata esse in futurum propter imminentem famem. Sic enim legimus, In illis diebus descenderunt ab Hierosolymis Propheta Antio-

chiam

CHRISTIANI DRVTH-  
mari eiusdem Euang. expositio.

chiam, erantque magna exultatio. Congregatis autem nobis, surgens vnus ex illis nomine Agabus, significauit per spiritum, famem magnam futuram in vniuerso orbe, quæ & facta est sub Claudio Casare. Descendentium autem vt quisque abudabat, statuerunt vnusquisque eorum in ministerium mittere presbyteris habitantibus in Iudæa fratribus, qui & miserunt per manus Barnabæ & Sauli. Et quia nauiganti eidem Apostolo Paulo imposita sunt vtenilia, quæ offerebantur, non ad vnum tantum diem viderunt victus esse procuratus. Et quod idem scripsit, Qui furabatur, iam nō furatur: magis autem labore operando manibus suis bonum, ut habeat vnde tribuat cui opus est quod bonum est; Male intelligentibus non videtur seruare præceptum domini, quo ait, *Respicite, inquit, volatilia cæli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea: & considerate lilia agri quomodo cresunt, non laborant neque nent:* cum istis præcipit vt laboret, operantes manibus suis, ita vt habeat quod etiam alijs possint tribuere: & quod sæpe de seipso dicit, quod manibus operatus est, æquem graualet. Et de illo scriptum est, quod coniunxerit se Aquilæ propter artis similitudinem, vt simul operarentur vnde victum transigerent, non videtur imitatus aues cæli & lilia agri. His & huiusmodi scripturarum locis, satis apparet dominum nostrum nō hoc improbare, si quis humano more ista procurat: sed si quis propter ista Deo militet, vt in operibus suis non regnum Dei, sed istorum inquisitionem intueatur. Ad hæc ergo regulam hoc totum præceptum dirigitur, vt etiam in istorum prouisione regnum Dei cogitemus, in militia vero regni Dei ista nō cogitemus. Ista enim etiam si aliquando defuerint, quod plerunque propter exercitationem nostram Deus finit, non solum nō debilitat propositum nostrum, sed etiam examinatum probatumque confirmat. Gloriamur enim, inquit, in tribulationibus, sciētes, quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio autem spem, spes vero non confundit: quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis. In commemoratione autem tribulationum ac laborum suorum idem Apostolus non tantum in carceribus & naufragiis, atque huiusmodi molestiis, sed etiam in fame & siti, in frigore & nuditate se laborasse commemorat. Quod cum legimus, non æstimemus Deum promissio titubasse, vt famem ac sitim & nuditatem pateretur Apostolus, quærens regnum & iustitiam Dei, cum dictum sit nobis, *Quærite primum regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis.* Quandoquidē ista sicut adiutoria nouit ille medicus, cui semel nos toros commisimus, & a quo habemus promissionem vitæ præsentis & futuræ, quando apponat, quando detrahat, sicut nobis indicat expedire: quod consolandos & exercēdos in hac vita, & post hanc vitam in perpetua requie stabilendos atque firmandos gubernat ac dirigit. Non enim & homo cum plerunque iumento suo cibaria detrahit, deserit illud cura sua, ac non potius curando hæc facit.

**N**emo potest duobus dominis seruire. Et quomodo potest: cum ipse alio loco dicat: Non veni ministrari, sed ministrare: Et Paulus dicat: per charitatem seruite inuicem in vinculo pacis. Sed tamen sciendum quia (sicut superius diximus) est seruitium quod soli Deo debet impendi, & nulli alij mortali, vt Deum credere certa fide, & illum adorare: Alium Deum non habere, nomen Dei in vanum non assumere: diligere illum ex toto corde, & totis visceribus: hostias illi offerre: omnia bona ab ipso sperare; Alia autem seruitia, & Deo & homini possumus secundum præcepta ipsius impendere: videlicet omnia bona, quæ nobis volumus impendi ab alijs, faciamus proximis nostris: est autem discretio in Græca lingua de ipsis duobus seruitiis. Nam illud seruitium quod soli Deo impenditur, λέγειται, dicitur: illud vero quod ad homines, δουλαίσις, appellatur, Et hoc est quod Paulus dicit seruite inuicem, in Græco habet, δουλοῦσθε; Aut enim vnum odio habebit, hoc est diabolus: & alterum diligit, id est, Deum, vt dignum, & iustum est. Aut vnum sustinebit, id est diabolus, quia nullus amat diabolus: sed ad modicum tempus sustinet illum propter suas voluptates perficiendas, & alterum contemnet, id est Deum, Non dixit, odiet, quia nullus potest odire Deum. Contemnunt autem multi: & abutuntur Dei patientia. Vnde & ad Samuel dominus dixit. Qui honorificauerint me, glorificabo eos: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles: Qui autem sint isti duo domini, quibus in simul seruire non possumus, sequitur dicens, *Non potestis Deo seruire & mammonæ:* Mammona Syra lingua diuitiæ dicuntur; Aliud est habere diuitias, aliud seruire diuitiis, Qui seruit diuitiis, non potest Deo seruire: non dixit qui habet diuitias. Qui enim habet diuitias, & distribuit eas, vt dominus dixit, ad eos qui cum hie recipiunt, quod recipientur in æterna tabernacula, & qui habent intelligentiam super egenum & pauperem, erunt in alia vita cum Iob, Abraham, Dauid, atque alijs, qui & in hoc seculo diuitias habuerunt, & vitam æternam sibi mercati sunt: Qui autem seruiunt diuitiis: & nulli bona largiuntur ex ipsis diuitiis, nisi à quibus possunt recipere in hoc seculo, sepelientur cum diuite sepultura æterna, vt illic indigeant omnibus bonis: Mammona quoque, nomen dæmonis Iudæi esse dicunt, qui diuitiis præest. Tradunt enim, super quodque vitium habere dæmones præpositos & alios sub se positos, qui seducant homines ad illa vel illa vicia: Atque inde dictum, spiritu fornicationis seducti sunt. Exceptis illis, habere vnumquemque hominem duos angelos custodes sui, vnum bonum, alterum malum. Ideo dico vobis. Subauditur, si me habetis electum dominum, & alium reiectum. Ne solliciti sitis animæ vestre, id est, vitæ vestre, quid manducetis, neque corpori vestro, quod induamini. Ego feci animam, ministrabo victum, quod possit subsistere vsque ad tempus præfinitum. Neque corpori vestro, quid induamini, Quia ego creauit corpus in tali statura quæ nunc est: & ego vestiam, si tamen meis obedietis præceptis, quia cuius opera facitis, eius filij sine serui vocabimini. Nōne anima plus est quam esca. Qui

Bibl. Hom. tom. 3. V v 2 dedit

dedit animam immortalem, & rationabilem, dabit victum. Plus, id est, plus valet & preciosior est: quia immortalis & rationalis. Et qui dedit corpus decorum sursum erectum, ad omnia agenda paratum, & intellectualem, multo excellentius quam bestia habeant, vestit illud. Hæc omnia dicit, ut timorem tollat de animabus nostris, & sollicitudinem: quasi moriamur fame, aut frigore, si voluntatem ipsius fecerimus. Nam opus debemus exercere, unde vivamus, & vestiamur quoniam sic dictum est primo homini. In sudore vultus tui vescere panem tuum. Er Paulus præcipit, dicens. Magis autem labore vniuscuiusque manibus suis quod bonum est: ut habeat unde tribuat necessitatem patientibus. *Respicite volatilia cæli, quomodo non serunt, id est seminant, neque metunt, neque congregant in horrea, & pater vester cælestis pascit illa.* In hoc iubet respicere volatilia: ut habeamus fiduciam quod ille, qui volatilibus dat escam, daturus sit nobis: quia illi irrationabiles, & mortales, & ad nostrum usum creati, non autem in hoc ut ociosi simus & non laboremus serendo, & metendo: sed ne pro timore thesauros condamus temporalium rerum: & non porrigamus manum egentibus; timentes indigentiam habere, si in nomine domini largiti fuerimus. *Nomine vos magis pluris estis illis,* hoc est plus valetis, & ipsi hodie sunt, cras non erunt. Vos autem semper eritis, si ne ad bonum siue ad malum. *Plus ad pondus refertur, hoc est plurius precij, plurius autem comparatiuus est gradus de multo positivo, & ad numerum refertur.* *Quis autem vestrum cogitans potest adijcere ad staturam suam cubitum unum?* Sicut adijcere quis non potest aliquid ad staturam suam, & tamen Deus omnipotens fecit vos crescere, quales estis: vti que qui maius dedit sine vestro conamine, minus etiam dabit, id est cibum & potum. *Et de vestimento, quid solliciti estis?* Sicut tulit timorem de cibo: similiter aufert de vestimento ex rebus consequentibus. *Considerate lilia agri quomodo crescunt, non laborant neque nent.* Nent dicitur filant, ab eo verbo quod est neo: dicit ut videamus qualiter vestita sunt lilia candore, sine ipsorum labore, vel rose: quia nullum linteum comparari potest candori lilij: neque vllum dirodinum roseo color: neque vlla purpura tincturæ violæ. Propterea si Deus sic vestit viles herbas, quas nos in focum soliti sumus mittere, cum aruerint: quanto magis vos vestiet, quos ad similitudinem suam creauit. *Dico autem vobis: quia nec Salomon in omni gloria sua cooperatus est, sicut unum ex istis.* De Salomone dicit Iudæis exemplum: quia ipsi ditiores regem non habuerunt. Fuerunt autem multi ditiores, ut Nabuchodonosor, Asuerus, Octavianus, & sequaces eorum: sed tamen non nouerant eos Iudæi, sicut Salomonem. Dicit ergo, quod Salomon non fuit cooperatus cum tota gloria sua de tam candenti linteo: nec de speciosiori pallio: quam præfatæ herbe. *Si autem sanum agri, quod hodie est. Fœnum agri appellat ipsas herbas. Hodie est, hoc est: non multum durant. Et cras in clibanum mittitur.* Cras hoc est in futuro cum siccatæ fuerint. *In clibanum, hoc est, in furnum mittuntur.* Deus tali decore vestit: quanto magis vos qui aliquid fidei habetis, quod ipsa non habent, quia insensibilia sunt. Cras autem in scriptura pro futuro tempore accipitur: ut Iacob dicit, exaudiat me cras iustitia mea. *Nolite ergo solliciti, &c.* Per omnia sollicitudi-

nem vult auferre à nobis, & opus exerceri. De spiritali vero cibo & indumento, semper debemus esse solliciti, & esuriam pati: quia beati, qui esuriunt iustitiam. *Hæc enim omnia gentes inquirunt.* Hoc est sollicitudinem de his rebus habent: quia non adorant Deum verum. *Scit enim pater vester, quia his omnibus indigetis.* Propterea curabit de nobis: si nos eius voluntatem fecerimus, quoniam scit omnia necessaria nostra, ante quam petamus. cum: quod & sequitur. *Querite primum regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia adijciuntur vobis.* Hoc est facite voluntatem Dei in his, quæ vobis præcepit, & hæc, subaudiuntur necessaria, adijciuntur, id est, adaugebuntur vobis. Ad necessitatem, non ad superfluitatem, quia nullus Christianus ad aliud debet querere subsidium temporalis vitæ, nisi ad necessitatem.

ERICI IN IDEM  
Euang. Homil.

**D**ominus ad hoc homo factus est, ut nos de potestate tenebrarum eriperet, & regnum Deo patri nos faceret: Ait enim ipse in quodam Euangelij loco parabolicis loquens, quod homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam, accipere sibi regnum. Quibus verbis nullum alium quam seipsum intelligi voluit, qui ad hoc de cælestibus in hanc ærumnarum, ac mortis regionem venire dignatus est, ut imperium diaboli, quod fœdere quodam peccati, mortisque æternæ pacto persuaserat, dissiparet, & tegnum suum iustitiæ, ac mansuetudinis legibus exaltaret. Cum ergo iam multi à regno diaboli deficerent, & edictis cælestibus parætes, fidei signa prompta deuotione subirent, hac oratione eos rex ille victoriosissimus alloquitur: *Nemo potest duobus dominis seruire.* Ac si verbis aliis ad spiritalis militiæ disciplinam exhortans, dicat: Si perfectè mei imperij ius eligitis, oportet ut per omnia prioris domini seruitium abnuatis. Neque enim simul vtriusque obtemperari potest, cum contraria sibi sint, quæ ego, & quæ ille præcipimus. Ego denique, quæ sanctitatis, atque honestatis sunt, iubeo impleri, illæ turpia omnia, atque honestati repugnantia præcipit exerceri. Ego virtutum arma meum militem pro mansuetudine, humilitatèque seruanda alacriter excipere, ille cogit suos pro superbia mortem infontibus irrogare. Quomodo ergo potest ambobus par exhiberi famulatus, quorum dispas est dominatus? Hæc verba redemptoris nostri ad curas istius seculi euitandas nos instruunt, & ut contemnere temporalia, & cælestia studeamus semper appetere, exhortatur: *Nemo (inquit) potest duobus dominis seruire.* Quæ sententia iuxta literam apertissime etiam non exposita claret, quia nemo scilicet duobus dominis carnalibus ita potest seruire, ut ambobus æqualiter placeat, vtriusque æqualiter obsequatur. unde subditur: *Aut enim unum odio habebit, & alterum diliget: aut unum sustinebit, & alterum contemnet.* Spirituali verò intellectu qui sunt isti duo domini, subsequenter ostendit, cum subdit: *Non potestis Deo seruire & mammonæ:* id est, Christo, & diabolo. Quæ enim participatio Christi, & diabolo? aut luci ad tenebras? Adhuc verò de duobus dominis sequitur: *Aut enim unum odio habebit, & alterum diliget, aut unum sustinebit, & alterum*

*unum contemnet.* Vnū odio habebit, si diabolus, qui odio habendus est, non per hoc, quod substantia, sed per hoc, quod malus est, oderit: & alterū diliget, id est, Christū, qui velut mansuetus Dominus solūmodo se diligī, solūmodo ex affectu præcipit amari: Diliges, inquit, Dominū Deū tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota virtute tua: Aut vnum sustinebit, id est, diabolū tantquam durum, & immitē dominum. Ipse enim durissimis imperiis amatores seculi quatit, & & postquam semel hominum dominari potuerit, etiam nolentem, inuitūque ad malè agendum compellit: nec sine grauissimis laboribus imperata peragunt. Frequenter enim exilia, naufragia, & rei familiaris damna, ipsam postremè mortem horum gratia perferunt. De talibus scriptura dicit: *Ut malè agerent, laborauerunt.* Hunc ergo talem dominum sustinent potius inuiti, quam seruiunt subditi: quia postquam semel eius super se dominium spontè susceperunt, nunquam de cætero suis viribus, nisi sola Dei validissima manu eripi possunt. *Et alterum (inquit) contemnet, hoc est, Deum.* Et notanda proprietates verborum dominicorum. Cum enim præmississet dominus, dicens: *Aut unum odio habebit, & alterum diliget:* nō est subsecutus econtrā, ut diceret: *Aut unum diliget, id est, diabolū, & alterum odio habebit,* hoc est, Deū: quia nullus cōscientia quatiens peruersissima ad hoc potest erumpere, ut dicat se Deum odio habere, aut diabolū diligere. *Contemnet* verò, id est, non timebit. Contemnunt enim Deū ab illis, qui peccantes sibi de impunitate scelerum blandiuntur, putantes aut nescire sua scelera Deum, aut visa statim indulgere: qui nesciūt quōd dissimulando eos diuina bonitas ad penitentiam prouocet, dicente Apostolo, An nescis, quia patientia Dei ad penitentiam te adducit? Tu autem secundum duritiam tuam, & cor impenitentis thesaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei. Aliter; Conuenienter autem addidit, aut vnum sustinendum, hoc est, diabolū, aut alterum contemnendum, videlicet Deum. Contemnunt enim Deum, sed tamē non odit, quisquis præcepta illius contradicendo despicit. Sustinet verò diabolū, tanquam si quis durum & crudelem habeat dominum, sed tamen non diligit, quicunque per cupiditatem diuitiarum illi se subdit, qui princeps huius mundi habetur, dicente domino; Venit princeps huius mundi, & in me non habet quicquam. Sed licet illum sustineat tanquam crudelem dominum, non tamē diligit. Verbi gratia; Si quis in maiori aliqua domo, ancillæ cuiuslibet hominis potentis copulatur, etiam si non diligit eum cuius ancillam diligit, propter vim tamen suæ cupidinis durā sustinet seruitutem, subiiciendo se illi, cuius ancillam sibi conuinctam diligit. Sic & homo diligens diuitias, seruus diaboli est, qui caput, & princeps est amatorum mundi. Diuitias enim possidere, indifferens opus est. Nam nec diuiti obfunt opes, si eis benè vtatur: nec pauperem egestas commendabiliorem facit, si inter sordes & inopiam peccata non caueat. *Non potestis Deo seruire & Mammonæ.* Mammona apud Hebræos vel Syrios, diuitiæ interpretatur Latine: Punice autem Mammon lucrum dicitur: vtrumque autem ad vnum finem pertinet. Et rectè auaritiā specialiter posuit, ut ostenderet manifestè diuitiarum seruos, diaboli quoque seruos existe-

re. Nam & Apostolus auaritiā idolorum seruitutem vocat non dubitauit, dicens: *Et auaritiā, quæ est idolorum seruitus.* Quo loco soletter notandum, quia non dicitur; Non potestis Deo seruire, & diuitias possidere: sed, *Non potestis Deo seruire, & mammonæ,* id est, diuitiis. Multos enim sanctorum patrum legimus temporaliter & diuitias habuisse, & nihilominus Deo deseruisse. Abraham nanque ditissimus fuit, qui cum trecentis decem, & octo vernaculis reges quinque bellica expeditione superauit, & Loth fratrem suum à captiuitate exemit. Iob quoque ille maximum exemplum patientiæ, inter omnes orientales diuitiis affluxisse, scripturæ testimonio declaratur. Quid de sanctissimo dicemus, cui & diuitiarum copia, & imperij magnificentia suppeditabar, eique à subiectis per circuitum nationibus munera deferebantur? Sed isti quamuis habuerunt diuitias, non seruiunt diuitiis, sed Deo: quia nequaquam spem suam diuitiis commiserunt, nec custodierunt eas ut serui, sed ingenuè dispensauerunt ut domini, tenentes eas in usu, non in desiderio, & tanquam ex latere sibi datas vtiliter disponentes. Hinc Beatus Danid quamuis in regni folio constitutus, quod nihil in fallacibus diuitiis fideret ostendebat, dicens; Egeus sum & pauper, sicut omnes patres mei. Diuites etiam vel qui erant, vel qui esse poterant, alloquens dicebat; Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere. Quisquis ergo custodit diuitias ut seruus, & non distribuit ut dominus, seruus est diuitiarum: & seruido diuitiis, compellitur seruire diabolo, quia cupiditate diuitiarum implicatus, diabolo se subdit, qui merito suæ prauitatis terrenis rebus præpositus est, & à Domino princeps huius seculi appellatur. Quapropter audiant ista diuites: & eligant magis Christi esse serui, quam mancipia diuitiarum. Discant non innitendum presentibus, sed spem omnem inserendam perennibus, solūque ad hoc velle habere diuitias, ut sit unde pauperum indigentia expleri, unde possint peccata redimi. *Ideo dico vobis, ne solliciti sitis animæ vestre, quid māducetis, neque corpori vestro quid induamini.* Tanquam dicat; Quia Deo simul, & cupiditatibus mundi seruire non potestis, qui in incerto diuitiarū considere non debetis, ideo dico vobis, ne solliciti sitis in aggregandis diuitiis, quibus mēs implicita alienetur ab amore sui creatoris. Quari verò potest: vtrum cibus iste corporeus ad animam, an ad corpus pertineat, cum constet animam incorpoream, cibum verò esse corporeum. Sed animæ nomine in scriptura sacra, vita præfens signari solet, iuxta quod Dominus alibi ait; Qui amat animam suam, hoc est, vitam suam, perdet eam. Et Apostolus Paulus; Non facio, inquit, animam meam preciosiores quam me. Ergo & hic anima hoc sensu accipienda est, ut per animam præfens vita intelligatur, quæ alimentis, ac vestibus retinetur, cuius vinculum atque conciliatio quædam est cibus iste corporeus; cuius causa labor exercendus est ad eam sustentandam: sollicitudo autem tollenda, ut habentes victum, & vestitum, his contenti sumus. Siue anima pro ipso corpore, quo continetur, est posita, à parte videlicet totum, sicut legimus Iacob descendisse in Ægyptum in animabus septuaginta, cum animas non absque corporibus descendisse manifestum sit.



Cæterum de spiritali cibo, ac vestimento valde nos oportet esse sollicitos. Adhuc tamen ipsa verba Domini ponderatius perpendenda sunt. Non enim ait, Ne queratis quid manducetis, aut quo indugamini: sed, *Ne solliciti sitis*, ac propterea non labor, sed sollicitudo prohibita est. Sed cum primo homini dictum sit; In sudore vultus tui vesceris pane tuo: quid est, quod nunc discipulis, in modo cunctis fidelibus præcipit, ne solliciti sint, quid manducare, vel bibere, vel induere debeant? Nunquid prohibet hominem laborare, qui prius iussit in sudore vultus panem comedere? Nequaquam. Cui etiam ob hoc exercendi ruris, & prosciendendi agri perita data est, vt labore proprio aleretur, & vestiretur. Sed in his præceptis dominicis illa differentia est attendenda, vt ea, quæ ad cibum, vel indumentum corporis sunt necessaria, vnusquisque procurare studeat, ne deficientibus his quæ naturalis fragilitas expetit, vt potè sine quibus non valet subsistere, etiam ipsa vita genuino adiutorio priuata deficiat. Sollicitudinem autem in his adhibere vetat, quod intelligitur cura superflua. Vnde pulchre hanc veteres ita desinierunt, vt dicerent sollicitudinem esse agritudinem animi cum immoderata cogitatione. Sollicitudo ergo quasi res superflua, & plus iusto anxia tollitur: labor verò quasi res necessaria exerceri permittitur. In tantum denique laboris vsus minimè prohibetur, vt Psalmista beatorum dicat, qui suis laboribus pascitur: & Apostolus laborandum manibus, quod bonum est, dicit, vt quis habeat vnde tribuat necessitatem patientibus. Quapropter labor exercendus est, vt necessitas elucetur: sollicitudo tollenda, qua non necessitati, sed cupiditati consulitur. *Nōne anima plus est quam esca, & corpus plus quam vestimentum?* Ex his duabus substantiis constat homo, anima videlicet, & corpore. Omne, quod appetimus, aut propter se, aut propter aliud appetimus. Propter se enim sapientia, quæ Deus est, appetenda est: propter aliud verò, si quis (verbi gratia) emplastra habere cupiat, non vt emplastra possideat, sed vt ex eis sanitas corpori provideatur. Nemo verò dubitat maius esse illud, quod propter se, quam illud quod propter aliud queritur. Datur ergo hic intelligi, animam plus esse quam escam, quod ad hoc esca requiritur, vt vita præfens illa sustentetur. Corpus quoque plus quam vestimentum, quod idcirco requiritur, vt nuditas illo tegatur. Admonet ergo nos Dominus hac sententia, vt meminerimus multo amplius nobis Deū dedisse in eo quod nos cum non essemus, composuit ex anima & corpore, quam sit alimentum & tegumentum, vt sit sensus: Quia maiora nobis præstitit, id est, corpus & animam, præstabit utique & maiora, victum videlicet, & vestitū. Quare ergo de minoribus solliciti sumus, qui maiora percepimus? *Respicite volatilia cæli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & pater vester cælestis pascit illa.* Volatilia cæli, aues per hunc aërem discursantes appellat. Quicquid cælo vicinior est, cælum in scripturis nuncupari consuevit. Dicit nos Dominus ad consideranda maiora opera, quatenus ex rebus minoribus maiora nobis facilius persuaderi possint. Nulli enim dubium est, quod homo maius sit, quam aliquod volatile. Homo ad Dei imaginem, & similitudinem factus est, volatile verò creatura quidem est,

Ita fere Cice ro 4. 2. 1. 1.

Psalm. 127.

Ephes. 4.

sed tamen irrationalis, & cum moritur, corpore, & anima moritur: homo verò quantum moriatur corpore, anima tamen vivit Deo. Ait ergo; *Respicite, id est, considerate volatilia cæli, quoniam non serunt, id est, non seminant, neque metunt, hoc est, non colligunt, neque congregant in horrea, videlicet in granaria, & pater vester cælestis pascit illa, id est, nutu Dei aluntur.* Si ergo volatilia, quorum mortalitas est anima, providentia Dei creatoris aluntur, multo magis homines, quibus æternitas repromittitur, illius munificentia gubernantur. Quidam plus appetentes sapere quam oportet, voluerunt hunc locum allegorica interpretatione discutere, dicentes per volatilia cæli angelos designari, qui absque vlla cura viventes, perpetua securitate, & quiete potiuntur: non attendentes quod sequitur; *Nōne vos magis pluris estis illis?* Si ergo his volatilibus, quibus nulla colendi terrarum industria, nullus de segetum fecunditate proventus est, indeficientem diuina providentia sufficit alimoniam, turpe est homines causa sollicitudinis fatigari, quibus & elementorum temperies, & terræ fecunditas famulatur. Et merito talium imprudentia exemplo irrationabilium auium coercetur, quia aues nil sibi speciale vendicant, nesciunt aliis invidere: hi verò propria defendunt, qui communia amiserunt. Ad suam proinde inuendam dignitatem, ad considerandam originem reuocantur, cum subditur; *Nōne vos magis pluris estis illis?* Non dicit; Plures estis, quia plures ad numerum pertinet: sed *pluris*, ad dignitatem respiciens, id est, carioris precii estis vos, & plus quam illa valetis. Illa enim irrationalia sunt, nullo se intellectu regentia, quæ cum moriuntur, corpore intereunt, & anima: vos autè ad imaginem Dei conditi, & ad æternitatem predestinati, ac sublimius in rerum natura compositi estis. Debetis ergo quid sitis recollere, ne dum nimis terrenis dediti estis, in terrena, & infima deficiatis. *Quis autem vestrum cogitans potest adiacere ad staturam suam cubitum vnus?* Vt facilius persuaderet nobis possibilia sine sollicitudine, dedit etiam de impossibilibus exemplum: *Quis, inquit, vestrum cogitans potest adiacere ad staturam suam cubitum vnus?* Quasi dicat; Si est aliquis vestrum, qui ad staturam suam vnus cubitum adiacere possit, vt vel longior, vel latior videatur: cogitet, & elaboret, qui eiusmodi est, qualiter illud pascat, & vestiat, quod ipse sibi adiecit. Cæterum quod Deus creauit, etiam sine vestra sollicitudine vestire, ac pascere procurabit, Nunc ergo quia neque quod Deo minimum est, implere potestis, illius providentia curam tegendi, & alendi corporis relinquit, qui fecit, vt ad hanc staturam vestrum corpus perduceretur. Sed, quia de alimentis datum fuerat documentum ex comparatione volatilium cæli, dandum etiam erat & de vestimentis exemplum collatione liliorum agri. Vnde sequitur, *Et de vestimento quid solliciti estis? Considerate lilia agri, quomodo crescunt. Non laborant in crescendo, neque metunt, id est, non filant, vt suo labore operiantur.* Quo morali præcepto persuademur, quia si etiam ea, quæ sunt sensu, & ratione cargestia, sic Dei providentia vestiuntur, vt nullo vsu vel ad gratiam egeant, vel ad ornatum, nullò magis credas rationabilem hominem, si omnem sui spem in Deo collocet, nunquam posse egere, eo quod præsumperit de fauore diuino. Notandum verò, quod lilia

lia agri pro omnibus herbis agri Dominus possunt, quæ non laborant in crescendo, neque metunt, id est, fila non contorquent, vt pulchra sibi indumenta coaptent. De quibus sequitur; *Dico autem vobis quoniam nec Salomon in omni gloria sua cooperatus est, sicut vnus ex istis.* Speciali nota pro generali vsus est, quod in sequenti aperitur, vbi scenum agri euentissimè ponitur. Nec illud omittendum, quod quidam doctores asserunt, nos hic angelorum exemplo esse præmonitos. Dicunt enim non ociosè accipiendum, quod flos homini, vel certe plus quam homini in Salomone conferatur, qui pro sui excellètia plus aliquid fuit quam homo, ad eum vt templum Deo conderet, & verum Salomonem, hoc est, Christum, in mysterio figurat. Ergo per lilia, angelorum celestium expressa est gloria, quorum & claritate ornatur, & odore sanctitatis delectatur. Hæc ergo lilia, angelica scilicet illa agmina, nulla solitudine præpediuntur, nullo laboris vsu exercentur, sed diuinæ libertatis gratiam, & celestis seruant dona naturæ. Addendum etiam, quod lilia nullum requirunt cultum, nec erga generationem huius floris, sicut erga prouentum fructuum cæterorum, redcat actus in orbem sollicitis labor agricolis. Et licet demisso flore, id quod extrinsecus est, videatur aestere, interius tamen radices virtutis alitur, & mox verni temporis prolocata blanditiis, floribus sui honore vestitur. Sic & angelicæ dignitates ex ea, quam adeptæ sunt originis sue sorte, vt sint semper accipiunt. His ergo floribus Salomon quantum magno decore circumdatus, componi non potest, quia licet infirmitatem naturæ corporeæ virtute quadam mentis, & operum gloria exornaret, nullatenus angelicæ potuit comparari celsitudini, quæ humanæ fragilitatis experta, incorruptæ bonitatis ornatum seruaret. Hanc immortalitatis pulchritudinem, hanc incorruptibilem habitum, in resurrectione se Dominus electis daturum repromittit dicens; *Erunt sicut angeli Dei in cælo. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua cooperatus est, sicut vnus ex istis.* Inter omnes reges Israelitarum Salomonem ditissimum fuisse, regum narrat historia. Qui inter reliquas dignitatum diuitias, præcipue decore vestium, ac diuersitate cum preciositate pollebat, ad eum vt singula ministrantium officia, cum omnibus sibi subiectis, propriis, ac singularibus vterentur indumentis. Vnde & de regina Saba, quæ à finibus terræ venerat audire sapientiam eius, legitur; *Quia videns ordinem ministrorum, & vestes, quibus in ministerio vtebantur, non habebat vltra spiritum.* Sed quantum tanto honore, ac splendore vestium fuerit decoratus, non est tamen tanta pulchritudine cooperatus, sicut vnus ex istis, subauditur, liliis. Et reuera quæ textura, aut pictura texerit mulierum, valet florum pulchritudini cœquari? Quid enim sic rubet vt rosa? Quid ita candet vt lilium? Iam verò violæ colorem pulcherrimum, nulla purpura superare, nulla valet tinctura supergredi. Quod autem ait; *Nec Salomon in omni gloria sua cooperatus est sicut vnus ex istis: in omni gloria dicit, id est, in magnitudine regni, in pulchritudine deliciarum, vel, vt diximus, in distinctione, & varietate vestium.* Cur autem hanc de delictis similitudinem præmiserit, subdendo manifestat; *Si autem sanum agri, quod hodie est, & cras in cli-*

banum mittitur, Deus sic vestit, quanto magis vos minima fidei? Fœnum agri idem appellat, quod & superius lilia agri, omnes scilicet herbas pulchris coloribus decoratas. Hoc autem aduerbiū quod est, *cras*, non semper pro succedenti die, sed aliquando etiam pro futuro tempore in scripturis excitatus, Saul ait; *Cras tu, & filij tui mecum eritis.* Et Iacob, Exaudiet, inquit, me cras iustitia mea. Sic ergo & hic quod dicitur; *Cras in clibanum mittitur*, de futuro tempore intelligi debet, & est sensus; Si Deus ea, quæ citò decidunt, & marcescunt, fœnum videlicet, quod hodie est in sua viriditate, & cras in clibanum, id est, in ignem mittitur, tanto decore circumdat: quanto impensiore diligentia ea, quæ vobis necessaria sunt, providebit, qui ad æternam hæreditatem præparati estis? Quod quia non vt oportet creditis, sed adhuc ambigitis, idcirco minimæ fidei estis. Minimos autem fide appellat Apostolos, qui necdum fidei perfectæ gulmen subierant. Vnde & Domino dicebant, Auge nobis fidem. *Nolite ergo solliciti esse dicentes; Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur?* Notandum quod non ait; Nolite querere, vel solliciti esse de cibo, aut potu, sed, *quid*, inquit, manducetis, aut bibatis. Vbi illi proprie notatur, qui in congregationibus constituti, sprete communionem aliorum, qui sub vno præposito generaliter aluntur, aut vestiuntur, lautiora, vel austeriora præ cæteris, cum quibus habitant, alimenta, vel indumenta requirunt, vt per hoc vel potentiores cæteris, vel fortiores æstimentur. Vtrunque sanè reprehensibile, vtrunque notabile: quia & de nimis superbo habitu elatio gignitur, & de nimis abiecto, & inculto vestitu, quasi ex religiosa specie, laus, & appetendi fauoris materies ministratur. Inter vtrunque proinde regia via gradiendum, vt nec vestis pretiosa designet elatum, nec vilis noceat plus iusto religiosum. Quibus verò cibi, & vestitus sollicitudo conueniat, in timatur cum subinfertur; *Hæc enim omnia gentes inquirunt.* Exceptis paucis Iudæis, qui legem habentes Deum cæli venerabantur, reliquæ per vniuersum orbem nationes idolis seruientes, gentes appellabantur. De quibus hic loquens Dominus, dicit; *Hæc omnia gentes inquirunt.* Illi scilicet, qui ignorant, qui nesciunt alia cogitare quam terrena, quorum est proprie mundanis angi curis, quibus nulla futurorum spes est, nullus laborum respectus, sed tantum presentibus delectantur. Comparati enim sunt iumentis insipientibus, & similes facti sunt illis. Vos autem aliter instituti, & ad cælestem compositi dignitatem, de spiritualibus, & perpetuis cogitate. Nec timendum, quia ista agentibus temporalium desit vsus bonorum, nec de Dei potentia diffidendum, qui & melius quam nos ipsi nouit quibus indigemus, & multo salubrius nobis prospicit, quam nos ipsi providere sciamus. Vnde & subditur; *Scit enim pater vester, quia his omnibus indigetis.* Hinc quidam superflue dogmatizantes obijciunt; Si Deus (aiunt) antequam petamus scit, quibus indigemus, quid necesse est, vt eum pro nostris necessitatibus exoremus? Ergo frustra scienti loquimur. Quibus respondendum est, quia non sumus narratores, sed potius rogatores. Aliud est enim nescienti narrare, aliud scientem humiliter exorare. Vult ergo se peti à nobis, qui etiam nouit ea, quæ petere debemus,

1. Reg. 28. Genes. 30.

Lnc. 17.

Psalm. 48.

512

HAYMONIS

EPISCOPI.

## HAYMONIS EPISCOPI

*Halberst. Superioris Euang.  
expositio.*

Matth. 13.

Matth. 21.

Matth. 23.

Luc. 17.

bemus, ut nostra petitio premium consequatur. Quid vero nobis precipuo mentis appetitu, summoque studio sit requirendum, subiecta sententia perdoceat. *Quarite autem primum regnum Dei, & iustitiam eius.* Primum, non ponitur hoc loco pro numero, sed potius pro quantitate. Primum, id est, ante omnia, & super omnia quarite regnum Dei. Regnum autem Dei in sanctis scripturis quatuor modis accipitur. Aliquando enim significat presentem Ecclesiam, ut illud; Omnis scriba doctus in regno caelorum, hoc est, in presenti Ecclesia, similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo noua, & vetera. Aliquando sanctam scripturam, ut illud; Auferetur a vobis regnum Dei, id est, intelligentia diuinarum scripturarum. Aliquando caelestem patriam, ut Ioannes dicit; Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum caelorum. Aliquando vero significat ipsum Dominum Iesum Christum, sicut ipse loquitur ad Iudæos; Regnum Dei intra vos, id est, Christus per humanitatem intra homines habitat. Et sicut in presenti lectione dicit; *Quarite primum regnum Dei, & iustitiam eius*; siue regnum Dei superna illius ciuitatis gaudia nuncupat, vbi summa pax, veraque tranquillitas, vbi fructus certaminum, & laborum premia sanctis debentur. Hoc regnum Dei vitæ nostræ stipendiis quaramus, ad illud cœtinuè suspiremus, & pro eius perceptione qualibet dura, & aspera libentissime perferamus. Quarimus & iustitiam eius. Iustitia enim regni Dei, impletio est mandatorum Dei. Iustitia regni Dei, est omnia caduca, & transitoria spernere, iacturam rerum presentium lucra sequentiū reputare. Ille nimirum iustitiam Dei quarit, qui bona opera exercens, dictis, & præceptis illius in omnibus obtemperat. Ita ergo nobis regnum Dei, & iustitiam eius requirentibus, illa quidem summa, & vera bona dabuntur; hæc vero quasi minima adijcientur. Quæ licet in presenti bona videantur, media sunt, & ad illa vera bona si comparentur, iam nec bona dicenda sunt. Dantur vero sanctis in presenti adhuc peregrinatione desudantibus, ut his quasi quodam viatico releuati, ad ea, quæ in patria sunt percipiendi bona perueniant. Debet enim in vsu haberi temporalitas, in voto æternitas. Nec, si adint bona presentia, his est animus occupandus, ne nimis ingesta onerent, & quasi ne ad patriam perueniant, quod pondere mentem grauent. Sic ergo parca, & honestè bonis presentibus vti debemus, quatenus excurtis longæui huius exilij spatiis, sempiternis perfrui valeamus. Aliter; *Et hæc omnia adijcientur vobis.* Quia adhuc in hac vita manentes, absque alimentis, & indumentis illam transire non possumus, necum præmisset; *Primum quarite regnum Dei, & iustitiam eius*, statim addidit; *Et hæc omnia* (subaudiendum, bona temporalia) *adijcientur vobis.* Vbi notandum, quod idè iubentur maiora quareri, id est, regnum Dei, & iustitia eius, ut minora possint consequi, id est, bona vitæ presentis. De quibus non dixit; Dabuntur, sed; *Adijcientur*, tanquam videlicet necessaria, quibus non fruamur, sed quasi in itinere possumus utamur.

**N**emo potest duobus dominis seruire. Diuina lectio supra memorauit, qualiter docuerit dominus fideles suos cupiditatibus huius seculi abrenunciare, & thesaurum indeficentem atque æternum in caelis thesaurizare: dicens: Thesaurizate vobis thesauros in caelo, vbi nec erugo nec tinea demolitur, & vbi feres non effodiunt nec furantur. Demum annectit quod diuitijs huius seculi seruire, & præcepta Christi obseruare simul non possunt. Cum verò ad vnus Dei culturam, atque seruitutem eos prouocaret, ostendens non posse simul vicijs & virtutibus seruire, ait inter cætera: *Nemo potest duobus dominis seruire.* Duo domini, Deus & diabolus intelliguntur. Dominus à dominatu dicitur quod nomen congruere illi videtur, qui omnia regit, gubernat, & dominatur, cui per Prophetam dicitur: Tu enim fecisti caelum & terram, & vniuersa quæ caeli ambitu continentur, dominus vniuersorum tu es. Deus à timore dicitur, quod nomen rectè illi congruit, quem omnis creatura metuit. De quo quidam ait: Primus in orbe fecit dominus timorem. De quo etiam & sapientissimus Salomon ait: Deum time, & mandata eius custodi. Diabolus verò abusuè & nõ propriè dicitur dominus super illos, scilicet qui voluntati eius obediunt & eius desiderijs. Istis ergo duobus vnus idèmq; homo seruire non valet, quia contraria sunt quæ dominus præcipit, & diabolus persuadet. Aliud enim est quod dominus præcipit, aliud quod diabolus suggerit. Dominus præcipit castitatem, diabolus libidinem: dominus humilitatem, diabolus superbiam: dominus charitatem, diabolus discordias, & dissensiones dissimulat. Et ideo vno, eodèmq; tempore, vnus, idèmq; homo, simul Deo, & diabolo seruire non potest. Neque enim humana mens tam ampla esse potest, ut vtrosque dominos capere valeat, quia sicut per beatum Iob dicitur: Nemo est, qui vtrunque valeat arguere, & mittere manum suam in ambobus. Vnde dominus per prophetam: Vt peccatori terram ingrediētī duabus vijs. Hinc namque per Paulum dicitur: Quæ conuentio Christi ad Belial, aut quæ societas lucis ad tenebras, vel quæ pars fidelis cum infidelibus subauditur, nulla. Nec putandum est, iuxta Nouatianum nobis peccatoribus veniam esse negandam, quia, sicut superius diximus, nemo est vnus, idèmq; homo, qui vno, eodèmq; tempore simul bonum, & malum operari possit. Quare autem homo istis duobus dominis seruire non possit, manifestatur cum subditur: *Aut enim vnus odio habebit, & alterum diliget: aut vnus sustinebit, & alterum contemnet.* Contemnat ergo diabolum, adhaereat domino. Nemo enim tam peruersæ mentis est, ut publica voce Deum se odire dicat. Sed odire dicitur non diligere, id est, præceptis illius non obtemperare. Sicut enim, qui diligunt, præcepta illius custodiunt, ita quoque qui non custodiunt, non diligere se manifestant, sicut alibi discipulis suis dicit: Si quis diligit me, sermone meos seruabit. Et iterum: Qui habet verba mea, & seruat ea, ipse est, qui diligit me. At verò Deum non diligentibus dominus dicit: Et viderunt, & oderunt me,

me, & patrem meum. Qui autem isti duo domini sint, manifestatur, cum subditur: *Non potestis Deo seruire, & mammonæ.* Mammon quippe Syriace, Latine interpretatur diuitiæ, puniè autem mammon lucrum dicitur. Ac si diceret: Non potestis Deo seruire, & diuitijs, quia dum in acquirendo diuitias, vel in acquirendo custodiis, quis mentem occupat, profecto à Dei seruitio vacat. Notandum verò, quod non ait: Non potestis Deo seruire, & habere diuitias, sed seruire diuitijs, qui enim diuitijs seruit, seruis est diuitiarum, quia non distribuit eas ut dominus, sed custodit, vt seruis: Quibus dominus in euangelio dicit. Vt vobis diuitibus, qui habetis consolationem vestram. Et item. Facilius est camelum per foramen acus transire, quam diuitem intrare in regnum Dei. De quorum introitu Iac. apo. dicit: Agite nunc diuites, plorantes, & vlulantes in miseris quæ aduenient vobis, diuitiæ vestre putrefactæ sunt, & vestimenta vestra à tineis comesta sunt. Cæterum fuerunt nonnulli, qui plurimas diuitias habuerunt, & serui diuitiarum non fuerunt, sed domini: quia legitime eis vtentes, non custodierunt vt serui, sed distribuerunt vt domini sicut Abraham, Isaac, & Iacob & duodecim patriarchæ, necnon & David, Elia, Ezechias, qui plurimas diuitias habuerunt, & bene eas distribuerunt. Taliter quoque B. Iob dominus diuitiarum extitit, qui dixit: Dominus dedit, dominus abstulit, sicut domino placuit ita factum est. Ideo dico vobis, ne solliciti sitis animæ vestre, quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini. In hoc itaque loco duas sollicitudines attendere debemus, bonam scilicet, & malam. Nisi enim bona sollicitudo esset, nequaquam apost. Paulus diceret, Solliciti seruate vnitatem spiritus in vinculo pacis, & sollicitudine non pigri. Et Petrus: Omne sollicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis. Et nisi esset mala sollicitudo, nequaquam dominus in euang. diceret, qui à sollicitudinibus huius seculi semen verbi Dei suffocatur, ut nõ ferat fructum. Et sicut in hoc loco cum dicit: *Dico vobis ne solliciti sitis animæ vestre.* Neque enim ætimadum est, quod dominus necessarium labore abstulerit, sed superfluum cogitationem interdixit. Alioquin contrarium videretur esse, quod primo homini dictum est: In sudore vultus tui vesceris pane tuo. Vnde & per Salom. dicitur: Manè semina semen tuum. Et B. Iob. Homo nascitur ad laborem, & auis ad volandum. Labor ergo, exercendus est, sollicitudo tollenda. Sicut enim sollicitudo superflua nocet: ita quoque ociositas inimica est animæ. Hinc & Paulus apo. quosdam inordinatè ambulantes, & de alieno labore viuere cupientes redarguit, dicens: qui non laborat, non manducet. *Nomine anima plus est quam esca, & corpus plus quam vestimentum?* Ac si diceret: Quid de minimis dubitas? qui maiora præstiterit, etiam minora subministrabit. Qui enim dedit animam, & corpus, quod maius est, vtique cibum, & vestimentum, quod minus est, vnde corpus sustentetur, tribuet. Et ne ad intelligenda hæc; humana mens pigra remaneret, ex rebus visibilibus dominus similitudinem proposuit dicens: *Respicite volatilia caeli, quoniam non seruant neque metunt.* Ac si diceret: Si volatilia caeli, quæ Deus ad humanos vsus creauit, sic pascit, cum necdum habeant horrea, vel cellaria, quando magis hominem quem ad imaginem, & similitudi-

nem suam creauit, fame perire non permittet. Vnde & alius euang. pro volatilibus coruos posuit dicens: Respicite coruos. Tradunt namque naturam esse coruorum, ut, quando pullos ediderint tam diu à parentibus negliguntur, quoad vsque nigrescendo similitudinem eorum in se expressam habuerint. Vnde, & per B. Iob. dicitur, Qui præparat coruo escam, quando pulli eius ad Deum clamant vocantes, ed quod non habeant cibos. Et Psal. Qui dat iumentis escam ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus eum. Sed postquam nigrescentibus plumis, similitudinem patrum in se expressam habuerint, tãd sollicitius ab eis aluntur, quando antea neglecti fuerint. Dicit ergo: Respicite coruos. Ac si diceret: Si Deus tam vtilia volatilia sic pascit, multò magis hominem quem ad laudem & gloriam nominis sui formauit, fame perire non permittet. Vnde Psalmista ait: Iunior fui, et enim senui, & non vidi iustam & æteritatem, nec semen eius querens panem. Quo pacto Psalmista satiari desiderans aiebat: Dominus pascit me, & nihil mihi deerit. *Nomine vos magis plus estis illis?* Pluris in hoc loco non pro numero, sed pro dignitate ponitur. Ac si diceret: Nõne vos meliores estis illis? *Quis vestrum cogitans potest adicere ad staturam suam cubitum vnum?* Hæc non affirmando, sed abnegando intulit. Non solum enim ad staturam suam cubitum vnum adicere non potest, sed nec parum aliquid. Nam sicut dominus alibi ait. Nec vnum capillum album, & alterum nigrum quis facere valet, quia causator, & formator omnium, omnia ex nihilo potentia fecit, quando voluit, & qualiter voluit, formam, & staturam corporis vnicuique dedit. *Et de vestimento quid solliciti estis?* Ergo qui dedit corpus, & animam, quod maius est, vtique dabit vestimentum, quod minimum est. *Considerate lilia agri, quomodo crescunt, non laborant, neque nent.* Lilia agri dicit omne genus herbarum, siue arborum, quanquam solis liliis possit referri, tamen generaliter his iher dominus attendere. Ipsa enim non laborat, neque nent, & absque sollicitudine sunt, sed Dei prouidentia crescunt, & decore pulchritudinis induuntur. Dat etiam dominus similitudinem de herbis terræ, quæ sine labore crescunt, & sine aliqua arte, vel ingenio, quod nullus hominum exogitare potest, vt ad illorum comparationem aliquam vitem componere possit dicens: *Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua vestiebatur sicut vnum ex istis, videlicet liliis.* Sed quaritur, quare dominus cæteros reges prætermisit, qui plus potentes Salomone fuerunt. Salomone proposuit dicens: *Quia nec Salomon in omni gloria sua cooperatus est sicut vnum ex istis.* Ipse enim non amplius quam vnam gentem tenuit, regnum videlicet in populo Iudæorum: alij verò non solum vnam gentem sicut Antiochus, & Octavianus, &c. tales verum etiam in pluribus gentibus principatum tenuerunt. Sed sciendum est, quia non pro potestate sed pro sapientia Salomonem in hoc loco posuit. Ipse enim præ cæteris plus sapiens fuit, sicut ei dixit dominus: Sapientiam quoque, & scientiam dedi tibi. Si ergo ipse in omni sapientia sua tale vestimentum excogitare non potuit, sic candidum quomodo liliam, tam rubeum vt rosa, sic purpureum vt viola, nos de preciosis vestimentis quid solliciti sumus? Quod enim terrenus Salomon habere non potuit, hoc noster

Salo

Psal. 94.

Gen. 30.

Salomon pacificus videlicet, dominus noster Iesus Christus habuit. Qui habet liliam in virginibus, rosam in martyribus, violam in cōfessoribus. Si autem sanum agri, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quanto magis vos minima fidei? Ex hoc loco nanque cognoscimus, quod liliam nō pro solis liliis sed pro omni genere herbarum ponitur, cum dicitur, Si autem sanum agri, sanum agri omne genus herbarum nominat. Quod hodie est. Hodie nanque pro æstatis tempore posuit, cras autem pro hyeme. Quasi enim sanum agri hodie esse dicitur, quando æstatis tempore videamus arbores foliis vestiri, pomis ornari, atque herbæ terram viriditate indui, sed cras acsi in clibanum mittuntur, id est hyemis tempore adueniente mox arbores folia & poma amittunt. Aliter hodie pro præfenti tempore ponitur, ut illud: Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra. Cras autem pro futuro, sicut in Genesi legitur. Cras audiet me iustitia mea, Deus sic vestit, acsi diceret: Si enim Deus omnipotēs hoc, quod ad vsus nostros condidit, sic vestit absque vllō labore, & sollicitudine, quanto magis nos, qui pluris, hoc est cariores sumus? Vnde & subditur: Quanto magis vos minima fidei? Minimæ fidei dicit illos, qui non sunt perfecti in fide. Perfecta nanque fides perfectorum est. Ille ergo minimæ fidei est, qui licet Deum credat, tamen non perfectē. Qui enim ex toto corde nō credit, infidelis est, qui autem perfectē crediderit, fidelissimus est; qui verō ex parte credit, & ex parte dubitat, minimæ est fidei non habens perfectā fidem, quam dominus discipulis habere præcipit, dicens: Si habueritis fidem ut granum sinapis, &c. Nolite ergo solliciti esse, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Hæc omnia gentes inquirunt, finita similitudine, quam dominus de volatilibus cæli atque de liliis posuit, ait qualiter solliciti de victu & vestitu esse non debeamus. Nunc verō addendo, atque imperando admonet dicens: Nolite solliciti esse. Notandum autem quia cum superius dominus de cibo, & vestimento nos sollicitos esse prohibuit, potum prætermisit. Illud potum, generale intelligi voluit, quod generaliter omnibus attributum est. Quod verō hic tria posuit, illud potum, ostendit, vnde homo inebrietur, & ingurgietur. Hæc ergo si sunt, cum gratiarū actione sunt sumenda, quantum corpori sunt necessaria, tamen absque crapula. Si verō non sunt, qualiter sint, solliciti esse non debemus. Hæc autem omnia gentes inquirunt. Gentes dicit Barbaras nationes, quæ à cætu fidelium segregatæ sunt. Ipsæ quotidie cibum inquirunt, vnde incalescent, & impingentur, Potum vnde inebrientur, preciosa vestimenta, vnde decorentur. Nos autem quorum cura, & sollicitudo Deus est, ista omnia respicere debemus, & ad illum tendere, de quo scriptum est: Iacta super dominum curam tuam. Et iterum: Non affliget dominus animam iusti fame. Scit enim pater vester: quia his omnibus indigetis. Quæritur quare dicit: Scit pater vester, quia his omnibus indigetis, cum alibi ad petendum inuitat nos importune dicens: Petite, & accipietis. Ad quod dicendū est, quod pater noster cælestis scit, quid nobis, id est corpori nostro necesse sit, sed hoc, quod nobis spōte tribuit, nostris petitionibus vult largiri: Quia ergo superius prohibuit, ne solliciti simus de cibo, & vestimento, nunc quod solliciti esse debemus, manifestē

adiungit dicens. Primum querite regnum Dei. Quod enim primum dicit, ostendit inter omnia secularia, & super omnia regnum Dei esse querendum, deinde temporalia vnde subsistere valeamus, quia sine illius ad utorio, nec ipsa bona temporalia habere possumus, de quo dicit apo. Omne datum optimum, & omne donum perfectum, desarsum est, descendēs à patre lūminū. Si enim quis totum mundum haberet, & cunctis delectabilibus eius cum lætitia perfrueretur, & regnum Dei non haberet, illud, scilicet de quo dicit Apost. Regnum Dei intra vos est: nihil ei prodesset, quia sicut dominus dicit: Quid prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ verō suæ detrimentum patiat? Notandum autem, quia non ait dabuntur, sed, adiciuntur vobis: quia ad comparationem patriæ cælestis, ista omnia quasi superflua, & penē non necessaria esse videntur. Nos ergo primum queramus regnum Dei, & hæc omnia adiciuntur nobis, hoc est & in præfenti accipiemus bona, & in futuro vitam æternam. Et tunc percipiemus quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit diligentibus se.

## INCERTI AVTHORIS

sub nomine Eusebii Episcopi Emisseni  
superioris Evangelij expositio.

Modd enim saluator noster superius de thesauro loquutus est: quem etiam quo in loco reponere debeamus ostendit, dicens, Thesaurizate vobis thesaurum in cælo, vbi neque ærugo, neque tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt, nec furantur. Nunc autem dicit, quia non possumus duobus dominis seruire, Deo scilicet, & mammonæ. Mammonæ nanque diuitiæ interpretantur. Reponat igitur in cælo diuitias suas, qui Deo familiariter seruire desiderat. Qui enim diuitiis seruit, eius seruitium Deus nō recipit. Facilius est camelum per foramen acus trāsire, quàm diuitem in regnum celorum introire. Diuitiis autem seruire est, subiectionem quandam eis exhibere, & pro necessitate, vel vtilitate eas expendere timere. Aliud igitur est seruire diuitiis, aliud habere diuitias. Ille enim diues à paupere non multum distat, qui in diuitiis spem non ponit, eaque vtiliter, largitèrque distribuit. Hoc autem si ad literam non intelligatur, ut simplex sermo dicere videtur, non solum duobus dominis, sed & multis dominis non est impossibile seruire. Ideoque de quibus dominis hoc intelligere debeamus, confestim subdidit, dicens, Non potestis Deo seruire, & mammonæ. Istis enim duobus nemo simul seruire potest. Quis enim seruit mammonæ, nisi auarus? Auarus igitur Deum contemnit & odio habet. Vnde hoc: Quia idolis seruit. Sic enim Apostolus ait, Hoc autem scitote, intelligentes quod omnis fornicator, aut immundus, aut auarus, quod est idolorum seruitus, non habet hæreditatem in regno Christi, & Dei. De auaritia nanque Zacharias propheta loquebatur, quum diceret se vidisse amphoram egredientem, in qua mulier inclusa erat, quæ impietas vocabatur, cuius os ne egredi potuisset, massa plumbea claudabatur. Et ecce duæ mulieres, quæ habebant alas sicut milui, ferebant amphoram in terram Samaar, ut ponerent eam

eam sibi super basim suam. Hæc autem superius exposuimus in eo euangelio, vbi saluator noster loquitur, dicens, Spiritus domini super me, propter quod vnxit me, euangelizare pauperibus misit me. Sequitur: Ideo dico vobis, ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro, quid induamini. Hæc enim specialiter dicuntur Apostolis, eorumque successoribus; cæterisque omnibus, qui ad summum perfectionis culmen attingere cupiunt. Talibus enim nulla terrenorum bonorum est sollicitudo, qui habentes victum, & vestimentum, his contenti sunt: Facile quidem & sine omni sollicitudine his abundant, qui totam spem suam in Deum ponunt. Vnde Psalmista, iacta, inquit, cogitatem tuam in domino, & ipse te enutriet. Itemque, Non vidi iustum derelictum, nec semen eius egens pane. Nōne anima plus est quàm est corpus plus quàm vestimentum? Noli inquit quicumque es qui mudi gloriam spreuisti, & Deo seruire, & contemplationi vacare decreuisti, noli sollicitus esse animæ tuæ, id est vitæ tuæ, quia qui dedit vitam, dabit etiam vnde regatur vitæ. Plus est enim anima, quàm esca: plus est vitæ, quàm regimen vitæ. Qui igitur dedit, quod maius est, & illud vti que dabit, quod minus est. Valde enim hæc verba Apostolis erant necessaria, qui sine sæculo, & pera vbi que terrarum erant ituri. Quibus & dominus ait, Ecce ego mitto vos sicut oves inter lupos. His autem (ut Apostolus ait) constituit dominus, ut de euangelio vincerent. Dignus est enim operarius mercede sua. Respicite volatilia cæli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & pater vester cælestis pascat illa: Nōne vos pluris estis illis? Nulli enim animal in hoc mundo Deus creauit, quod pluris amoris & dilectionis, & pluris pretij, & honoris sit apud Deum, quàm homo. Si igitur ea, quæ propter hominem facta sunt, & quæ ad ipsius comparisonem aut parua, aut nulla sunt, sine labore, & sollicitudine omnipotens Deus pascit, quanto magis eos non derelinquet qui ad eius imaginem facti, eius gratiæ sunt reconciliati: Quis autem vestrum cogitans potest adiacere ad statum suam cubitum vnum? Hoc autem tale est, ac si diceret, Quod vos quidem nec sollicitudine, nec cogitatione, nec arte, nec ingenio, nec labore facere potestis, ut videlicet ad statum vestram vnum cubitum adiaciat, hoc sine vestra cogitatione & sollicitudine Deus in vobis operatur, quos de matris vtero tam paruos egredientes ad integram mensuram perfecti hominis prouexit. Ergone pascere non poterit, qui creare, viuificare, & hæc incrementa dare potuit? Et de vestimento quid solliciti estis? Considerate lilia agri quomodo crescunt: non laborant, neque nent. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua cooperatus est sicut vnum ex istis. Putatis inquit quod vos sine labore, & sollicitudine vestire non possit, qui agros vestit floribus, & lilia distinguit coloribus? Quomodo enim crescunt lilia? quomodo tam pulchris operimentis induuntur? Nam neque laborare neque filare nouerunt: insensibilia enim sunt: verum tamen satis excellentius ipso quoque Salomone induta sunt, qui & diuitiis, & sapientia cæteris illius gentis regibus excellentior fuit. Nemo enim vel arte vel sapientia, Dei operationis pulchritudinem imitari potest. Si autem seruum agri, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quanto magis vos minima fidei? Si de his, quæ infra

vos sunt, hanc curam habet, quam curam de vobis eum habere putatis? Nolite solliciti esse, dicentes, Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Quoniam ille nihil indiget, qui vobis, si fidem habeatis, sufficere omnia ministrabit. Hæc enim omnia gentes inquirunt. Vos autem hæc querere non est necesse. Querere (inquam) cum labore, & sollicitudine. Ideoque dominus non ait, nolite querere: sed, nolite solliciti esse. Scit enim pater vester, quia his omnibus indigetis. Vnde Apostolus Petrus in epistolis suis loquitur, dicens, Omnem sollicitudinem vestram proiecientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis. Querite ergo primum regnum Dei, & iustitiam eius & hæc omnia adiciuntur vobis. Querite inquit primum regnum Dei, querite vitam æternam, querite ut ecclesia crescat, orate, ut regnum Dei eueniat, suamque nobis iustitiam tribuat, ut qui omnium iudices facti estis, omnes in iustitia, & æquitate iudicare possitis: & hæc omnia adiciuntur vobis. Hoc est enim quod alibi dicit, Centuplum accipietis, & vitam æternam possidebitis. Nolite solliciti esse in crastinum. Crastinum enim pro futuro posuit. Non enim vult dominus de futuro nos esse sollicitos, qui neque de præfenti certi & securi sumus. Et in eo quidem quod nos in crastinum sollicitos esse prohibet, præfentium quodammodo sollicitudinem concedere videtur. Vnde & beatus Paulus, quasi de præfenti sollicitus, manibus suis laborabat, quod ei ad victum quotidianum sufficere posset. Hæc enim sollicitudine otiositas tollitur, nec tamen diuitiis seruitur. Cur autem de crastino solliciti esse non debeamus, adiunxit: Crastinus enim dies sollicitus erit sibi ipsi. Ac si dicat, Sicut hodiernam sollicitudinem non interdicto, ita neque crastinam, postquam crastinus dies aduenierit. Sit igitur hodiernus dies de se sollicitus, & non de alio: similiter & crastinus, & cæteri per ordinem. Sufficit enim diei malitia sua. Sufficit tibi si huius præfentis diei malitiam transire valeas. Cur ergo malitiam malitiæ, laborem labori, angustiam angustis, fatigationem fatigationi superaddere velis? Non enim pro malo, hoc in loco malitia ponitur, sed pro fatigatione & labore. Sic enim dicere solemus, Multa mala hodie passi sumus, quando aliquo magno labore fatigamur. Hoc autem alicui inconueniens esse videtur, nisi forte de solis Apostolis & similibus intelligamus. Ad quid enim oves, & boues, & cætera animalia, quæ hodie necessaria habuimus, cōpleto die teneamus, & custodiamus, si omnino de crastino sollicitudinem non habeamus? Ad quid præterea agros, & vineas colimus, eorumque fructus in cellaria recondimus? Patent, & alia multa, quæ simili modo contra hæc dicere possumus. De illis igitur hæc intelligantur, quibus præter corporis necessaria, nihil in hoc mundo possidere placet. Tales enim Prophætæ & Apostoli fuerunt, tales & multos alios fuisse legimus. Si enim omnes homines tales esse vellent, nō deesset Deo, vnde eos pasceret.

## THEOPHYL. EPISCOPI

Bulgar. superioris Evangelij  
expositio.

Nos potest duobus dominis seruire. Duos dominos dicit contraria præcipientes: exempli gratia,



EVTHYMII ZIGABONI.

516

Christus non prohibet nos operari in futurum tempus vult nostrum.

gratia, vt Deus, & mammon. Nos autem facimus dominum nostrum diabolum, sicut & ventrem Deum, Natura enim est verus dominus Deus: Mammona autem est iniustitia. Non potestis Deo seruire & mammona. Vides quod non potest diues, & iniustus Deo seruire. Abijcit enim diuitiarum amor a Deo. Propterea dico vobis, &c. Quod est hoc propterea? A Deo eijsi propter opes. Non comedit autem anima, incorporea enim est: sed iuxta communem consuetudinem locutus est. Videtur autem anima non posse esse in corpore, nisi pascatur caro. Non explodit autem operari, sed seipsum totos curis tradere, & negligere Deum, hoc est, quod prohibet, quoniam & agros colere oportet, & vitæ curam habere. Nonne anima pluris est quam cibus, & corpus quam indumentum? Hoc est, qui maius dedit animæ, formans scilicet corpus, non dabit & alimentum, & indumentum. Aspicite ad volatilia cali, &c. Pernissit afferre in exemplum Heliam, & Ioannem, & meminit auium: vt admoneat nos etiam illis brutiores esse. Pascit autem eas Deus, qui indidit eis naturalem scientiam ad colligendas escas. Quis autem ex vobis sollicitus potest apponere ad staturam suam cubitum unum? Hoc inquit, quod licet sollicitus sit nihil poteris, non volente Deo: cur igitur in vanum crucias teipsum? Considerate lilia agri, &c. Non solum per aues ratione carentes nos admonet, sed & per lilia, quæ maturescunt. Nam, si Deus illa ornauit, quamuis nulla necessitas exigat, quanto magis penuriam nostram in vestibus supplebit: Ostendit autem, quod, licet multum sollicitus sis, non poteris tamen ornari sicut lilia: quandoquidem neque Salomon prudentissimus, & delicatissimus in omni regno suo potuit ornari vt vnus ex illis. Quod si gramen agri, &c. Discimus hoc loco, quod nullus curare debet ornatum, Hoc enim caducorum florum est, & quod ornatur, scænum est. Vos autem dixit, rationales, quibus Deus animam, & corpus formauit. Parum fidunt autem omnes solliciti. Nam, si perfectam in Deum haberent fidem, non tam vacillanter solliciti essent. Quid edemus, aut quid bibemus, aut quibus operiemur? &c. Comedere, & bibere non prohibet, dicere autem, quid comedemus? prohibet: sicut dicunt diuites vesperi, Quid comedemus mane? Vides quod delicias, & luxum prohibet. Querite autem primum regnum Dei, &c. Regnum Dei, bonorum fructio est: illa autem per iustitiam contingit. Omni igitur quærenti spiritualia, adduntur etiam corporalia, liberalitate Dei.

EVTHYMII ZIGABONI superioris Euang. expositio.

Aliam præterea considerationem adducit formidabiliorem, vt fortius ab amore temporalium rerum auertamur: ostendens hinc Dei expellere seruitutem, & in diuitiarum reducere seruitutem. Simpliciter autem, & absque nomine duos dicit dominos, vt auditores dicti cogat veritatem confiteri. Deinde nominatim illos ponit, de quibus erat sermo. Duos vero dominos dicit contraria iubentes. Adhærebit autem, hoc est, parebit. Non potestis Deo seruire & mammona. Ecce eos nominatim duos quoque prædictos dominos manifestat. Mammona autem ab Hebræis diuitiæ dicuntur, quas etiam dominum appellauit, pro-

pter imbecillitatem illorum, qui earum sustinent dominium. Quid igitur nonne Abraham diues erat? nonne Iob, alique similes? Vtique diuites quidem erant: at non seruebant, sed dominabantur diuitiis: & ipsas in egenos insumebant. Non potestis Deo seruire, & mammona: quia Deus non modo iubet ab alienis abstinere, sed & propria elargiri: Mammona vero contrarium, non modo videlicet propria non elargiri, sed nec ab alienis abstinere: & ille dominus ventrem iubet astringere, iste vero ventri indulgere: ille continentem esse, hic autem scortari, aliaque similia. Mammona Chaldaicum potius est, & diuitias significat.

Propterea dico vobis, ne solliciti sitis, &c. Postquam locum absoluit de non recondendo super terram thesauro, & ea, quæ contigerunt, pauperibus distribuere suauiter docet deinceps de necessario vni non esse sollicitum. Ait enim; Ne sitis solliciti animæ vestræ, id est, propter animam vestram, quid edatis, aut quid bibatis. Quanquam enim anima neque edat, neque bibat, propter animam tamen edunt, ac bibunt homines, quæ corpus inhabitare non potest, quod non comedit, & bibit, donec ipsum quoque corpus incorruptibile reddatur. Alio quoque modo id aptari potest: quod quum homines interdum in anima anxij sint, quandoque autem sola mente solliciti: quandoque vero in corpore aliquando & ad possessiones, quas in animo habent, hoc extendunt: & ab hac, & ab illa cura, dominus illos abstrahens, dixit; Ne anxij sitis, neque in anima vestra, neque in corpore, de cibo, & potu, ac vestimento. Nonne anima plus est quam alimentum, & corpus plusquam vestimentum? Hoc dixit manifestas, quod is, qui, quod amplius est, præstat nobis, vti que & quod minus est, præstabit. Plus, autem dixit, hoc est, pretiosius. Aspicite volatilia cali, &c. Ne quis dicat; Quomodo autem viuemus, de rebus necessariis non curantes? Soluit huiusmodi obiectionem ab exemplo auium: quas, quum nihil sollicitæ sint, pascit Deus. Possit autem & ab hominibus exemplum sumere, & dicere, quod Elias, & Ioannes, alique similes, nihil tale curabant. Verum id non fecit, sed ab auibus potius dictam repressit obiectionem, omnem prætextum maiori confusione arguens, ac tollens, Nam & verus scriptura, volens homines amplius sese deijcere, ad apem, ac formicam, cæteraque animantia mittit. Aues ergo eodem statu, quo à principio fuerunt, permanentes, cibo, qui eis iuxta naturam cõuenit, etiam abundant: homo vero à Deo auersus, eo priuatur. Verum tamen, quæ abstulit alienatio à Deo, hæc rursum reddit reuersio. Iubet itaque, ne horum curam habeamus, sed ad Deum peculiari modo reuertamur. Nonne vos longe præcellitis illa? Nonne vos longe meliores estis auibus? Quod si viliora alit Deus, multo magis eos, qui meliores sunt. Qui enim corpus cibo indigens vobis aptauit, ipsius quoque alimentum omnino præbebit. Quid ergo, neque seminare licitum erit? Non dixit; Ne seminetis; sed, Ne solliciti sitis. Perfectorum siquidem est, non seminare, sed operari cibum, qui non perit: dico sane virtutes, sicut Apostoli, horumque vitam imitantes, ac petere à Deo alimentum. Panem, inquit, nostrum supersubstantialiam da nobis hodie. Mediocrium vero est, seminare quidem, at non anxios esse, & seipsum totos in huiusmodi curas deijcere, vt ob-


4. Reg. 1. Supr. 1. Eccl. 1. Prov. 6.

has animæ curam negligant. Ideoque seminare neque prohibuit, neque concessit, sed in vniscuiusque voluntate illud reliquit. Neque enim id de auibus dixit, vt seminare prohiberet, sed id tantum demonstrare voluit, quod illas Deus alit. Nam quid tibi proderit, si te ita curis conficias? quanquam enim tu milles studium a dhibeas, nõ dabis tamen pluuiam, aut solem, flatuque ventorum, quibus semen fructum proferat. Nam hæc solus Deus tribuit. Ita ergo & de potu, & de indumento, alisque similibus. Quomodo autem potest quisquam viuere, qui talia non curat? Quomodo? Sicut prædicti viuabant sancti. Neque enim propriam imbecillitatem faciamus præcepti impossibilitatem. Nihil siquidem impossibile præcepit Deus: nouit enim possibilitatis humanæ mensuram: non solum vt creator ipsius, sed tanquam is quoque, qui eam in se suscepit. Verum illis quidem facile erat præceptum, quasi separatis à mundo, omnique habitu corporeo: nobis autem impossibile videtur, eo quod ab ipso non sumus auulsi. Aues vero nutrit Deus, immitres illis naturalem instinctum, vnde cibum colligant. Quis autem vestrum sollicitè cogitando, &c. Nullus Sicut ergo hoc, studio vestro assequi non potestis ita nec cibum congregare, nisi Deo annuente. Quanquam enim milles studium adhibeamus, nihil tamen absque eius prouidètia proficiemus. Et certè neque palmum, neque digitum addere potest. Dixit tamen cubitum, quia propria mensura statuta est cubitus. Considerate lilia agri, &c. Lilia hoc loco flores omnes nominauit, quod ex eo manifestum est, quia dixit, Sicut vnus horum. Quum autem esset sermo de indumento, quomodo facit mentionem de cremeto? Quia dictionem illam, Crescant, propter folia dixit eorum, quæ horum vniciue sunt indumentum. Considerate, inquit, lilia agri quomodo crescunt in folijs, quæ, quantum crescunt, tantum decorem ostendunt. Dico tamen vobis, quod neque Salomon, &c. Quare non rursum à volucris duxit exemplum, aut ab alijs animalibus? Poterat enim multa ponere adornata, ac pulcherrima? Quia vult hic & vilitatem herbæ ostendere, quæ sic à Deo adornatur, & decorem pulchritudinis aded vili herbæ datæ. Et nota, quod liliorum adaugens vilitatem, herbam in progressu ea vocauit: magisque, quum addidit; Quæ hodie est, & cras in clibanum mittitur: quæ ambo ad augendam vilitatem dicta sunt. Decorem quoque pulchritudinis ipsorum similiter amplificans, non dixit simpliciter, quod ea Deus vestiat, sed quod sic vestiat. Nam dictio, Sic, hoc loco cremetum denotat pulchritudinis. Solomoniem autem posuit, tanquam pulchritudinis amatorem, & ad illam cognoscendam sapientem. Clibanus vero locus est ad coquendum panem. Pronomen, vos, vt honoris demonstratiuum sit, accipito. Nam amantis amore loquitur, ac si dicat: Nonne longe magis vos, qui estis preciosa eius possessio, quibus corpus, animam, ac mentem gratis contulit, propter quos mundum formauit, propter quos prophetas misit, propter quos vni-genitum quoque filium suum tradidit. O homines modice fidei. Increpatiuum est hoc. Postquam enim ostendit, quod volebat, deinceps ipsos obiurgat, Parum fidentem appellans: vt pote qui nõ absque ambiguitate crederent, quod Deus ipsorum curam haberet, & idcirco solliciti essent. Ita obiur-

gans, eos confundit, ac fidentiores reddit. Docuit quoque dicto exemplo non insolescere de preciosis vestibus, quibus longe preciosiores sunt, magisque decori herbarum flores. Quemadmodum autem, quum superius de auibus diceret, quod non seminare, non prohibuit seminare, sicut ibidem diximus: ita neque hic laborare, aut nere: sed ita loquutus est, volens tantum ostendere, quod Deus illa vestiat. Quare autem tanto decore flores amicitur? Quia vult, vt ex hoc discas sapientiam, ac potentiam suæ magnitudinem. Si ergo lilia, quæ propter te facta sunt, preciose induit: quo modo non multo magis te vestiet: propter quem illa formauit? Et licet filius ipse omnium sit creator, ac prouisor: ad patrem tamen, creationem, ac prouidentiam refert: ostendens hinc eandem cum illo sibi esse scientiam, ac prouidentiam. Nondum enim tempus erat, suam manifeste de tegere diuinitatem, quemadmodum declarauimus, exponentes partem illam; Audistis quod dictum sit antiquis, Non occides. Ne sitis igitur solliciti, dicentes, &c. Rursum iterauit de sollicitudine sermone, propter curæ violentiam quæ vix abiici potest. Tu vero considera, quod, si nobis iustum est, ne de rebus etiam necessariis sumus solliciti: quam sperabilia veniam, quum de his etiam, quæ necessaria non sunt, anxij sumus? Omnia enim hæc Gentes inquirunt. Inquirunt, hoc est solliciti sunt de his. Considera: Gentes irrationalium more, solo mouentur voluptatum amore. Quando ergo neque gentibus præstantiores sumus, quibus iustum est, vt & scribis, & Phariseis virtute sumus eminentiores, quo supplicio digni nõ erimus? Scit enim pater vester celestis, quod his omnibus indigeatis. Postquam satis ipsos corripuit, rursum aliunde eos adhortatur. Est enim præceptoris officium, & obiurgare, dum expedit, & consolari, ac vtrique excitare. Non dixit autem, Scit Deus: sed, Scit pater vester: quo maximam habeant fiduciam. Ex quo enim pater est, & talis pater, filios despiceret nõ poterit, & pati, vt rerum necessarium indigentia deficiat, quum neque terreni patres id sustineant. Et, quia omnibus his scit vos indigere, dabit vti que. Non sunt enim superflua edere, bibere, aut vestiri, vt possit negligere, sed corpori vtilia, atque naturæ ipsius necessaria. Itaque quam tibi existimas esse causam sollicitudinis, magis causa est securitatis. Quia enim hæc necessaria sunt, ided magis cõsidere oportet. Quis enim pater, etiam necessaria filiis denegabit? Querite autem primum regnum Dei, &c. Primum, hoc est, ante ea, quæ corpori sunt necessaria, vel precipue, siue maxime. Regnum vero Dei vocat hic bonorum æternorum fructio. Iustitiam autem eius, hoc est, iustificationem, quæ à Deo est, vt vos ipse iustificet. Si enim hæc petieritis, quæ sunt animæ necessaria, etiam ea dabit, & adjiciet, quæ corpori necessaria sunt. Nam superius quoque, vbi docuit, quomodo orare oporteat, primum quidem dicere præcepit; Pater noster, qui es in cælis, sanctificetur nomẽ tuum: adueniat regnum tuum: fiat voluntas tua sicut in cælo, sic & in terra. Deinde vero; Panem nostrum supersubstantialiam da nobis hodie. Neque enim ad hoc facti sumus, vt edamus, & bibamus, ac vestiamur: sed vt illi complacentes, æternis fruamur bonis: & ad hoc maxime cõuenit viuere, idque magis postulare. Nisi enim hoc petierimus, nequaquam dabit: Bibl. Hom. tom. 3. Xx ca

ea vero, quæ corpori necessaria sunt, & petentes, & non petentes accipiemus, propter corporis sustentationem, quemadmodum & gætes incredulæ. Nam idcirco dixit, *Adjacentur*. Nô ergo de hoc sollicitum esse oportet, quod etiam absque solitudine sumus accepturi, sed de altero priori ac potiori. Verum, si ea quæ corpori sunt necessaria,

nobis etiam non petentibus præbet, quate ergo iussit, ut panem petamus supersubstantialem? Nô aliam ob causam, quam ut tali petitione fateamur ipsum esse, qui nos alar: ut quæ hoc confitentur, tali animi gratitudine familiares efficiamur. *† Vel operationem iustitiæ, sive virtutis uniuersalis, † per quam iustificamur.*



# DOMINICA XV. POST PENTECOSTEN.

*Euang. Vide feria V. post Domin. IIII. Quadr.*

# DOMINICA XVI. POST PENTECOSTEN.

L V C. 14.



**N**illo tempore: cum introisset Iesus in domum cuiusdam principis Phariseorum sabbato manducare panem, & <sup>a</sup> ipsi <sup>b</sup> obseruabant eum. Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum. <sup>c</sup> Et respondens Iesus dixit ad <sup>d</sup> legisperitos & Phariseos, dicens: <sup>e</sup> Si licet sabbato curare?

<sup>f</sup> At illi tacuerunt. Ipse vero apprehensum sanauit eum, ac <sup>g</sup> dimisit. Et respondens ad illos, dixit: <sup>h</sup> Cuius vestrum asinus, aut bos in puteum cadet, & non <sup>i</sup> continuo <sup>j</sup> extrahet illum die sabbati? <sup>k</sup> Et non poterant ad hæc respondere illi.

<sup>l</sup> Dicebat autem & ad <sup>m</sup> inuitatos <sup>n</sup> parabolam, <sup>o</sup> intendens quomodo primos accubitus eligerent, dicens ad illos: <sup>p</sup> Cum inuitatus fueris ad <sup>q</sup> nuptias, non discumbas in primo loco, <sup>r</sup> ne forte <sup>s</sup> honoratior te sit inuitatus ab eo, & <sup>t</sup> ueniens is qui te & illum <sup>u</sup> vocauit, dicat tibi: <sup>v</sup> Da huic locum, & tunc incipias cum rubore nouissimum locum tenere. Sed cum vocatus fueris, vade, <sup>w</sup> recumbe in nouissimo loco: ut cum <sup>x</sup> uenerit qui te inuitauit, dicat tibi: <sup>y</sup> Amice, <sup>z</sup> ascende superius. Tunc erit tibi gloria coram simul <sup>a</sup> discumbentibus: quia omnis qui se <sup>b</sup> exaltat, <sup>c</sup> humiliabitur: & qui se <sup>d</sup> humiliat, <sup>e</sup> exaltabitur.

<sup>a</sup> Pharisei. <sup>b</sup> Si sabbatum soluere. <sup>c</sup> Inuidiosus obseruatoribus. <sup>d</sup> A legisperitis, legis iudicium querit. <sup>e</sup> Opera charitatis facere: ut non soluatur sabbatum. <sup>f</sup> Abire corporaliter sanatum, ut se transferret ad salutem animarum. <sup>g</sup> Omnes in hac auaritia similes estis. <sup>h</sup> Non animal, sed suæ auaritiæ consulens. <sup>i</sup> Non intelligens in hoc Violationem sabbati. <sup>j</sup> Ab ipso principe. <sup>k</sup> Aliud mystice significantem. <sup>l</sup> Intelligens quomodo illi de primis accubitus laborarent, unde reprimuntur. <sup>m</sup> Nuptiæ Christi & ecclesiæ coniunctio. <sup>n</sup> Quia potest contingere. <sup>o</sup> Gratiator inuitatori, & si alius occulatus. <sup>p</sup> Per gratiam suam, te & illum ostendens. <sup>q</sup> Deus qui corda singulorum nouit. <sup>r</sup> Intellige te minorem. <sup>s</sup> Quanto maior es, humilia te in omnibus. <sup>t</sup> Ad iudicium: vel, quotidie augendo humilibus gratiam, quam auferit à superbis. <sup>u</sup> Ex humilitate te amicum recognoscat, qui ex presumptione postponebatur. <sup>v</sup> Ad maius præmium æternæ gloriæ: vel hic, ad maiora dona sancti spiritus recipiendum. <sup>w</sup> In eadem beatitudine, vel in eadem fide quiescentibus. <sup>x</sup> Incaute de meritis alleuat. <sup>y</sup> A Deo, & non coram hominibus. <sup>z</sup> Proinde de beneficiis. <sup>a</sup> A Deo.

## GLOSSA

## GLOSSA ORDINARIA in superius Euangelium.

**N** factum est. *Hydropicus erat.* Hydor aqua: inde hydrops, morbus aquosus subcutaneus, de vicio vesicæ natus cum inflatione turgente & anhelitu factus: Et est proprium hydropici, quâto plus bibit, tanto plus sinit: & ideo comparatur ei, quem fluxus carnalium voluptatum exuberans aggrauat, comparaturque diuiti auaro. *Si licet sabb.* Sabbatis præcipue docet & operatur Iesus, non solum propter spirituale sabbatum, sed & propter populi celebriorem conuentum, quærens salutem omnium. *At illa ta.* Merito tacent, qui contra se dicturum quidquid dixerat vident. Si enim licet, cur obseruant? Si non licet, cur pecora curant? *Ipse vero.* Ideo ante Phariseos hydropicum sanat, & mox contra auariciam disputat, ut ipsos auaritiæ arguat, per quam sabbatum violat, & legem male interpretantur. In sabbato enim non à bonis, sed à malis operibus feriandum est. vnde dicitur: *Omne opus seruile non facietis in eo, id est, peccatû.* Sic in æterna requie à malis tantum feriabitur, non à bonis. *Vicum, quod iste in corpore, Pharisæi gestabant in mente & ideo coram ipsis curatur corporaliter, ut hoc exemplo discant spiritualibus curari. Cuius ve.* Competenti exemplo soluit questionem, ut ostendat eos sabbatum violare in opere cupiditatis, qui eum violare arguunt in opere charitatis. *Bos in pu.* Congruè animali quod decidit in puteum hydropicum comparat, quia noxio humore peribat. Et bene bouem & asinum nominat, ut vel sapientes vel hebetes, vel vtrumque populum signat, scilicet Iudæum presum iugo legis, & gentilem: nulla ratione dominum: sed stolidum & brutum: quos omnes: à puteo concupiscentiæ demersos extrahit: Omnes enim peccauerunt, & egent gratia Dei. *Dicebat aut.* Postquam conuincerat illos de auaritia & violatione sabbati, incipit docere de euangelica gratia illos qui aderant idonei, inuitans illos ad humilitatem contra tumorem quem habebant in lege pharisæi: vel intendens in doctrina sua quomodo debeant accubitus in ecclesia eligere. *Cum inuitatus fue.* Cum per gratiam fidei vocatus à prædicatore, membris ecclesiæ te iunxeris, non te de meritis gloriando, quasi ceteris sublimior extollas. *Ne forte ho.* Honoratiori post inuitato locum dat, qui de suæ conuersationis confidentia securior factus, cito illorum qui se in Christo secuti sunt agilitate prætur: Et cum rubore nouissimum locum tenet, &c. cum de aliis meliora cognoscens, quidquid de sua operatione altum sentierant humiliat, dicens cum propheta: *Exaltatus autem humiliatus sum & confusus. Et tunc, &c.* Et tunc erubescens quod de te aliquando maiora præsumpsisti, incipies ad poenitentiam humiliari, & te minoris cognoscere meriti. Ne nunc incipias querere quod tibi seruatur in fine: quia hereditas ad quam festinatur in principio, in nouissima benedictione deficiet. *Tunc erit tibi gloria coram, &c.* Quotidie dominus dum conuiuas suos visitat, & diiudicat, tanta spiritus sui humilibus dona præstat, ut eos coetus fidelium cum admiratione glorificet, stupensque in autoris sui laudem profusius dicens: *Mihi autem nimis honorificati*

sunt amici tui, Deus. *Dicebat autem.* Secundum ordinem literæ. Postquam monuit inuitatos qualiter debeant accubere, monet & inuitatoris quos debeat inuitare, ne temporalis expensio bonorum quam facit, cedat in vacuum, vel forsitan augmetur peccatum: sed ita expendat temporalia, ut per hæc pateat via ad æterna.

## CATENA AVREA in idem Euangelium.

**E**t factum est cum introisset Iesus in domum cuiusdam principis Phariseorum sabbato manducare panem, &c. *Cyrl.* Quamuis dominus malitiam pharisæorum cognosceret, tamen eorum siebar conuiuia, vel prodesse præsentibus per verba & miracula, vnde subditur: *Et factum est cum intro. in do. &c.* Si scilicet, reuerentiam legis contemneret: & aliquicquam prohibitorum faceret in die sabbati. Itaque hydropico veniente in medium, interrogatione reprehendit insolentiam pharisæorum, eum arguere volentium, vnde dicitur: *Et ecce ha. quidam hydrop. &c. Et respon. Iesus, &c.* *Bed.* Quod dicitur respondisse Iesus ad hoc respicit quod præmissum est, *Et ipsi obser. eum.* Dominus enim nouit cogitationes hominum. Theo. In sua autem interrogatione deridet eos sicut amêtes, Deo enim benedicente sabbatum, ipsi prohibent operari bona in eo: dies autem quæ honorum opera non admittit, maledicta est. *Bed.* Sed merito interrogati tacent, quia contra se dictam quicquid dixerit vident, Nam si licet sabbato curare, quare saluatorem an curet obseruant non licet, quare ipso sabbato pecora curant? vnde sequitur: *At illi tacuerunt.* *Cyrl.* Neglectis igitur Iudæorum inuidus liberat à morbo hydropicum, qui metu pharisæorum remedia non postulabat propter sabbatum, sed solum astabat ut ex aspectu miseris eius saluaret eum. Quod dominus cognoscens, non postulat ab eo si vellet saluus fieri, sed protinus eum sanauit, vnde sequitur: *Ipse ve. appre. sana. eum ac dimisit.* Theo. In quo non hoc prospexit dominus, ne scandalizaret pharisæos, sed ut benefactor egenti remediis. Decet enim nos cum magna resular utilitas non curare si stulti scandalizentur. *Cyrl.* Sed quia pharisæi ineptè tacuerunt, soluit Christus inflexibilem eorum imprudentiam considerationibus seriis ad hoc vtens. vnde sequitur: *Et respon. ad ill. dixit. Cu. &c. The.* Quasi dicat, Si prohibuit lex misereri in sabbato, ne curam habeas filij tui periclitantis in sabbato, sen quid dico filij, quando nec bouem præteris si periclitantem videris: *Bed.* In quo sic obseruatores suos pharisæos conuincit, ut eisdem etiam auaritiæ condemnent, qui in liberatione animalis suæ auaritiæ consulebant. *Quanto ergo magis Christus hominem, qui multo melior est pecore, debuit liberare?* *Aug.* de con. euang. Congruenter autem hydropicum animali quod cecidit in puteum, comparauit: humore enim laborabat: sicut illam mulierem quam alligatam dixerat & ipse soluebat, comparauit iumento, quod soluitur, ut ad aquam ducatur. *Bed.* Competenti ergo exemplo soluit questionem, ut ostendat eos violare sabbatum in opere cupiditatis qui eum violare arguerunt in opere charitatis. vnde sequitur: *Et non po. ad hoc respon. illi.* Mystice autem hydropicus comparatur ei quem fluxus

carnalium voluptatum exuberans aggrauat, hydropicus enim morbus ab aquoso humore vocabulum trahit. Aug. de qua. euan. Vel hydropicum rectè comparamus diuiti avaro: sicut enim ille quanto magis abundat humore inordinato, tanto amplius litit: sic & iste quanto est copiosior diuitiis quibus non bene vitur, tanto ardentius talia concupiscit. Gre. 14. moral. Rectè ergo hydropicus ante pharisæum curatur, quia per alterius ægritudinem corporis in altero exprimitur languor seu ægritudo cordis & mentis. Bed. Bene autem in exemplo bouem & asinum nominat, vt vel sapientes & hebetes, vel vtrunque populum significet scilicet Iudæum iugo legis pressum, & gentilem nulla ratione domitum: omnes enim à puteo concupiscentiæ demersos dominus extrahit. Dicebat autem & ad inuitatos parabolam, intendens quomodo primos accubitus eligerent, &c. Ambros. Prius curatus est hydropicus in quo fluxus carnis exuberans animæ grauabat officia, spiritus extinguebat ardorem. Deinde docetur humilitas dum in conuiuio nuptiali appetentia loci superioris arceatur. vnde dicitur: Dicebat au. & ad in. par. &c. Cyril. Profilire enim promptè ad honores qui nobis non conueniunt, indicat nos temerarios esse, & nostra facta vituperio replet. vnde sequitur: Ne forte honorator te, &c. Chylosto. Et sic quod concupuit, nequaquam obtinuit ambitiosis honoris, sed passus est repulsum: & fatagens qualiter abundat honoribus non honoratur, & quia nihil est æquipollens modestiæ, auditorem ad oppositum ducit. Non solum prohibet ambitum, sed & venari vltima. vnde sequitur: Sed cum vo. su. &c. Greg. Si enim aliquis non vult alius prælocari, nanciscitur hoc ex diuina sententia. vnde sequitur: Et cum venerit, &c. Hæc dicens non grauitur obiurgat, sed leniter iniungit: sufficit enim monitio apud discretos, & si pro humilitate aliquis coronatur honore. vnde sequitur: Tunc erit tibi gloria, &c. Basil. Occupare igitur locum vltimum in conuiuio iuxta mandatum dominicum conueniens est: sed rursus in hunc contentiosè irruere reprobatur, tanquã interemptorium ordinis & causatiuum tumultus, & de eo mota contentio æquiparabit vos litigantibus de primatu. Quapropter sicut hic dominus dicit, expedit conuiuium facienti committere accubitus ordinem, sic & in patientia nos mutuo sustinebimus honestè & secundum ordinem omnia profequentes, non ad apparentiam plurium: nec videbimur humilitatem pertractare per vehementem contradictionem, magis autem per humilitatem patientiam obtinebimus. Maius est enim ex repugnantia superbiæ iudicium, quam ex primo accubitu quando eum cum imperio obtinebimus. Theo. Nemo autè putet præmissam Christi doctrinam modicam esse & indignam eulminis Dei verbi, non enim pium dices esse medicum pollicium sanare podagram, ictum verò digiti vel dentis dolorem nolentem curare. Porro quomodo praua passio vanæ gloriæ quæ versabat primos perquirentes accubitus? Decebat igitur humilitatis magistrum omnem ramum prauæ radicis amputare: sed & illud considera, quia prælo cœna & passione primatus coram saluatore veritate miseros opportunitatem habebat monitio. Cyril. Ostenso igitur tam modico exemplo ambiciosorum contemptum, & non ambiciosorum

exaltationem, adiicit magnum paruo, generalem sententiam proferens cum subditur: Quia om. qui se, &c. Quod dicitur secundum diuinum iudicium, non secundum humanam consuetudinem, secundum quam plures concupiscentias honorem consequuntur, alij verò se humiliantes inglorij remanent. The. Porro non finaliter nec omnibus hominibus est reuerendus qui se honoribus ingerit, sed dum à quibusdam honoratur, alij detrahunt ei, & quandoque etiam ipsi honorantes. Bed. Sed quoniam hanc admonitionem euangelista parabolam vocat, breuiter intueñdum quid mysticè significet. Quisquis nuptias Christi & ecclesiæ inuitatus adierit, membris ecclesiæ per fidem cõiunctus non se extollat, quasi sublimior cæteris demeritis gloriando. Dabit enim locum honoratori post inuitato, cum illorum qui se in Christo secuti sunt agilitate prætur: & cum robore nouissimum locum tenet, quando de aliis meliora cognoscens quicquid de sua operatione celsum sentiebat, humiliat. Sed recumbit aliquis in nouissimo loco secundum illud: Quanto maguus es, humiliat te in omnibus, veniens autem dominus quem humilem inuenerit, amici nomine beatificans ascendere superius præcipiet. Quicunque enim humiliauerit se sicut paruulus, hic est maior in regno cælorum, pulchrè autem dicitur: Tunc erit tibi gloria, ne nunc querere incipias quod tibi seruetur in fine. Potest etiam & hoc in hac vita intelligi, quia quotidie dominus suas nuptias inquit superbos despiciens, & humilibus sæpe tanta sui spiritus onera præstans, vt discumbentium, id est, fidelium cœtus eos admirando glorificet. Ex conclusione verò generali quæ subditur manifestè claret præcedentem domini sermonem typicè intelligendum. Neque enim omnis qui se coram hominibus exaltat, humiliabitur, aut qui se in conspectu hominum humiliat exaltatur ab eis: sed qui se in meritis eleuat, humiliabitur à domino: & qui se de beneficiis humiliat, exaltabitur ab eo.

#### S. AMBROSII MEDIO- lamensis Episcopi superioris Euang. expositio.

**E**T factum est cum intraret, &c. Ideo primo ab hinc loco curatur hydropicus, in quo fluxus carnis exuberans animæ grauabantur officia, spiritus extinguebat ardorem. Deinde docetur humilitas, dum in illo conuiuio nuptiali, appetentia loci superioris arceatur. Clementer tamen, vt persuasionis humanitas asperitatem coercionis excluderet, ratio proficeret ad persuasionis effectum & correctio emendaret affectum.

#### S. TITI BOSTRORVM Episcopi superioris Euangel. expositio.

**E**T factum est cum intrasset Iesus in domum cuiusdam principis. Dominus noster Iesus Christus à Pharisæo, qui inter sui ordinis homines principem locum obtinebat, Sabbato denuo inuitatus, peruersitatem illorum nihil moratus, accedere non detrectat. Imo verò quod aliquam utilitatem

illis adferat, familiarem & quasi domesticum se illis exhibet, nempe vt virtutis simul & gloriæ illius omni humana maioris spectatores effecti, eum, qui ad nostram similitudinem sese demiserat, ab eo interim, quod erat, non discedens, verum Dei filium esse credant. Et ipsi obseruabant eum. Obseruabant, ne legis reuerentia contempnati aliquid die Sabbati patraret, quod per legem fas non erat. Christus autem dominus magis intensus, vt nonnullis benignè faciat, quam vt stultam illorum reprehensionem depellat, aut declinet; consilium illorum, qui parati aderant illum in ius vocare, si quod forte beneficium die Sabbati in aliquem cõtulisset, vassantum esse palam ostentus, percunctatur ex illis; Sabbato curare liceret. (Nam, vt euangelista scribit, homo quidam hydropicus tacebat ante illum) cum illi verò callide, malignèque tacerent, dominus præfractam illorum impudentiam euidentibus, planèque necessariis rationibus impedit. Eius autem ratio huc tendit: Si lex inhihet misericordiam præstare Sabbato; cur tu Pharisæe eius misereris, qui in puteo decidit; neque, siue puer sit, quod in id periculi deuenit; siue aliud quodcunque istiusmodi, Sabbato inde extrahere vereris? Nuncio proinde Pharisæicæ inuidiæ misto, eum, qui aqua intercute laborabat, ad vestigio à morbo liberat. Cum inuitatus fueris ad nuptias, &c. Quod Dominus de inuitatis hoc loco dicit, obseruans, quomodo primos accubitus ambiebant, leue fortè, paruique momenti quibusdam videri queat. Verum qui mentis oculum accuratè in illud desigit, is demum quanto probò dedecorèque hominem liberet, quantumque decus & ornatum eidem conciliet, animaduertit. Constat namque, manifestè amentis iudicium esse, honores nullo iusto titulo debitos temerè ambire. Pertracta tecum; quanta cum turpitudine coniuncta res sit; quando honoratiore quopiã adueniente, is, qui vtrumque inuitat, illi, qui in primam sedem inuaserat, dicit: faceffe hinc, da huic locum. Ille porro cordatus, summamque admiratione dignus censendus est, qui cum primæ sedis honorem iure promereatur; at tamen ne ambitionis morbo teneri videatur, ad eum illum non affectat, vt vltro quoque aliis deferat. Talis enim delatum honorem quasi debitum recipit, omnique iure; Amice ascende, audit. Quapropter magnum præclarumque bonum est, animus modestus, suaque forte contentus. Omnis, qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur. Hæc ad diuinum iudicium referenda sunt; siquidem in humanis, non semper id locum habet. Competiuntur enim non raro, qui ambitum mundi honorem adipiscantur. Verum hic honos, res est nullius ferè ponderis.

#### BEDAE VENERABILIS presbyteri in idem Euang. expositio.

**E**T factum est cum intraret in domum cuiusdam principis Pharisæorum, &c. Hydropis morbus, ab aquoso humore vocabulum trahit. Græce enim ὑδωρ aqua vocatur. Est autè humor subcutaneus de vitio vesicæ natus, cum inflatione surgente, & anhelitu fœrido. Propriūque est hydropici, quanto magis abundat humore inordinato, tanto

amplius sitire. Et ideo rectè comparatur ei, quem fluxus carnalium voluptatum exuberans adgrauat. Comparatur diuiti avaro, qui quanto est copiosior diuitiis, quibus non bene vitur, tanto ardentius talia concupiscit. Et respondens Iesus, dixit ad legisperitos, &c. Quod dicitur respondisse Iesus, ad hoc respicit quod præmissum est. Et ipsi obseruabant eum. Dominus enim nouit cogitationes hominum. Sed merito interrogati tacet, qui contra se dicitur, quicquid dixerint vident. Nam, si licet sabbato curare; quare saluatorem an curet obseruantis non licet, quare ipsi sabbato pecora curant? Ipsa vero adprehensum sanauit, ac dimisit. Pro uita dispensatione dominus ante legisperitos, & Pharisæos hydropicum curat, & mox cõtra auaritiã disputat, vt videlicet per huius ægritudinem corporis, in illis exprimeretur ægritudo cordis. Denique post multa disputationis eius hortamenta, subiunctum est; Audiebant autem omnia hæc Pharisæi qui erant auari, & deridebant illum. Hydropicus quippe, quo amplius biberit, amplius litit. Et omnis auarus, sitim multiplicat: qui cum ea, quæ appetit, adeptus fuerit, ad appetenda alia, amplius anhelat. Et respondens ad illos, dixit; Cuius vestrum asinus, &c. Sic obseruatores sui Pharisæos conuincit, vt eosdem etiam auaritiæ condemnet. Si vos, inquit, in sabbato asinum, aut bouem, aut aliquid quodlibet, animal in puteum decidens eripere festinatis, non animal, sed vestræ auaritiæ consulentes, quanto magis ego hominem, qui multo melior est pecore, debeo liberare? Congruenterque hydropicum animali, quod cecidit in puteum, comparauit: humore enim laborabat. Sicut illam mulierem, quam decem, & octo annis alligatam dixerat, & ab eadem alligatione soluebat, comparauit iumento, quod soluitur vt ad aquam ducatur. Et bene vtroque loco bouem posuit, & asinum, quia siue sapientes quosque, & hebetes, siue, vt supra dictum est, vtrumque populum eos significare sentiamus, eum videlicet, cuius cernicè iugum legis attriuit, atque eum, quem quilibet seductor reperit quasi brutum animal, & nulla ratione renitens, quo voluit errore subtraxit, omnes Saluator adueniens, Satanæ vinculis adstrictos, omnes in imo concupiscentiæ puteo demersos inuenit. Non est enim distinctio. Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei, iustificati gratis per gratiam ipsius per redemptionem quæ est in Christo Iesu. Dicebat autem & ad inuitatos parabolam, &c. A perta quidem ad litteram est hæc admonitio saluatoris, docens humilitatem, non solum apud Deum, sed etiam apud homines esse laudabilem, sed quoniam hæc euangelista non frustra parabolam vocat, breuiter intueñdum quid etiam mysticè signet. Nuptias appellari, Christi & ecclesiæ coniunctionem; multis locis apparet: E quibus vnum est; Nunquid possunt filij nuptiarum quandiu sponsus cum illis est, ieiunare? Aliud. Simile factum est regnum cælorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo, & misit seruos suos vocare inuitatos ad nuptias. Has ergo nuptias quisquis inuitatus adierit, id est, ecclesiæ se membris fidei gratia coniunxit, non discumbat in primo loco, hoc est, non se de meritis gloriando, quasi cæteris sublimior extollat. Et quidem studeat iuxta alterius loci parabolam, veste nuptiali vestitus, hoc est, virtutum fulgore cornuscus apparere, sed ipsarum



habitu virtutum loco deuote humilitatis adoret. *Ne forte honorator te sit inuitatus ab eo, &c.* Honoratori post inuitato locum dat ille, qui de longe suae conuersationis confidentia securior factus, cita illorum, qui se in Christo securi sunt, agilitate praerit. Et cum rubore nouissimum locum tenet, quando de aliis meliora cognoscens, quicquid de sua operatione celsum sentiebat, humilitat dicens cum propheta; Egens sum ego, & in laboribus à iuuentute mea, exaltatus autem humiliatus sum, & confusus. *Sed cum vocatus fueris, vade recumbe in nouissimo loco.* Quanto magnus es, inquit, humiliatus in omnibus. Et Psalmista gloriatur; Humiliatus sum vsquequaque domine, viuifica me secundum verbum tuum; Manifeste significans ita se à domino posse viuificari, si de suis ipse virtutibus humilia sentiret. *Et cum venerit qui te inuitauit, dicat tibi, amice ascende superius.* Veniens dominus, quem humilem inuenerit, amici nomine beatificans, superius ascendere praecipiet. Quicumque enim humiliauerit se sicut paruulus, hic est maior in regno caelorum. *Tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus.* Pulchre dicitur; *Tunc erit tibi gloria,* ne nunc quaerere incipias, quod tibi seruetur in fine: quia, sicut Salomon ait, haereditas, ad quam festinatur in principio, in nouissimo benedictione carebit. Potest autem & in hac vita intelligi, qui in nouissimo loco recumbens inuenitur, domino veniente sublimatus, quia quotidie dominus suas nuptias intrat, quotidie mores, sedes, habitus conuiuantium diiudicat, & superbos despiciens humilibus saepe tanta sui spiritus munera praestat, ut eos merito simul discumbentium, hoc est, in fide quiescentium ceteris vnanima admiratione glorificet, stupensque, in auctoris sui laudationem profiliat dicens; Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui, Deus, nimis confortatus est principatus eorum. *Quia omnis qui se exultat, humiliabitur, &c.* Et ex hac conclusione manifeste claret, praecedentem domini sermonem typice intelligendum. Neque enim mox omnis, qui se coram hominibus exultat, humiliabitur, aut qui se in conspectu hominum humiliat, exaltabitur ab eis, sed è contrario nonnunquam qui se vel in apice dignitatis, vel in alia qualibet adquirenda gloria subleuat, vsque in finem exaltari non cessat. Similiter & humilis quilibet, ac verecundus in sua qua contentus est, vsque ad vitae terminum mediocritate perseuerat. Et ideo, quia iuxta veritatis sententiam, omnis qui se incaute de meritis adleuat, humiliabitur à domino, & qui prouide se de benefactis humiliat, exaltabitur ab eo, in eundem proculdubio sensum praemissus sermo redemptoris, quo primos in nuptiis accubitus quaeri vetat, congruit.

### ERICI IN SVPERIIS Euang. Homil.

**A**ternus atque inuisibilis rerum conditor, humanum genus, quod per longa seculi transeuntis spatia mortis perpetuae legibus astrictum erat, saluare disponens, nouissimis temporibus homo fieri dignatus est mirabili ordine, mirabili profus & natiuitate, ut homines quos iustitia censente damnauerat, clementia dictante redimeret. Et ut maiore circa nos suae pietatis al-

legaret instantiam, non solum homo, verum etiam pauper, & humilis homo factus est; ut nostrae descendendo paupertati, suarum nos diuitiarum particeps esse donaret. Denique intantum pauper pauper pro nobis factus est, ut ne rugurium quidem ad subeundum haberet, iuxta quod ipse alibi ait; Vulpes foveas habent, & volucres caeli nidus, filius autem hominis non habet, vbi caput suum reclinet. Hac de causa dignabatur hominum adire conuiuia, non quod affectaret epulas mortali manu apparatus, sed quo salutem doceret, fidemque requireret. Ad hoc sese festis hominum facile vocatus imperiebat, ut & coniuuas miraculis illustraret, & familiae quae intra dominorum aedes seruitio occupatae erant, nec liberam accedendi ad eum copiam habebant, per hanc occasionem verbum salutis audirent, & auctoritate suae saluationis agnoscerent. Nullam enim conditionem spernit, aut sua misericordia indignam ducit: quia miseretur omnium, & nihil odit eorum, quae fecit, similitere de omnibus illa cura est. Itè aliud exordium; Adibat Dominus carnalia hominum conuiuia; non tam ut exterioribus ministrantium epulis vesceretur, quam ut ipse, qui est panis de caelo descendens, auditoribus suis dapes superni conuiuij erogaret. Quod inde verum esse probatur, quia vbicumque praesens resedit, aut docuit aliquid, aut signa patrauit. Quod factum in hoc constat conuiuio, de quo praesens lectio textitur, in quo & miraculum patrauit, & praedicationem exhibuit. Agebat etiam hoc clementissimo pietatis affectu, ut familia, quae seruitute dominorum semper occupata, liberè ad illum vbicumque esset, conflueret nequibat, ipso ad habitacula dominorum dignitate veniente, praesentia illius communiter frui, & doctrinis resciri, & miraculis posset laetificari. Simul etiam noui testamenti futuris praedicatoribus auctoritatem praeferebat, quatenus verbum salutis dominis & subiectis, liberis & seruis, superioribus & inferioribus, omnibus absque differentia personarum impartirent, & ab his quibus verbum vitae nunciabant, humanitatis obsequia non refugerent exhiberi sibi digno commercio, ut quibus spiritualia seminant, eorum carnalia metant. Ut ergo dominus suae dispensationis impleret officium, intravit in domum principis pharisaeorum sabbato manducare panem. Dies sabbati facerimus, & ritu veteri celeberrimus habebatur, in quo ab omni opere cessantes, meditatio nibus, & conuiujs indulgebant. Cuius obseruationem mos Christianus ad diem dominicam competentius transtulit, ob reuerentiam dominicae resurrectionis. Quod autem vocato ad principis conuiuium Domino dicitur; *Et ipsi obseruabant eum,* de scribis, & pharisaeis subintelligendum est, qui ad hoc aderant, ut eum potius potuissent reprehendere, duplici videlicet malignitate: Vt siue curaret hydropticum, damnarent illum quasi legis contemptorem, & sabbati violatorem: siue non curaret, arguerent eum impietatis, vel impossibilitatis. Sicut enim boni Dominum sequebantur, ut eius praedicationem audirent, & miracula viderent: sic e contra scribae, & pharisaei aderant, ut eum in suis actibus potuissent calumniari. Obseruare dicimus, honestè, & vigilanter custodire. Obseruabant ergo eum, hoc est, quod callide reprehensionem eius intendebant. Quare verò eum obseruarent, ex eo, quod sequitur, animaduerti potest. *Et*

*ecce,*

*ecce,* inquit, homo hydropticus erat ante illum. Quia enim sabbatum erat, conuenerant virum languidum eo die curaret, necne. Et si quidem curaret, dictum erant; Non est hic homo à Deo, qui sabbatum non custodit. Si verò cum curare nollet, infamarè eum de impossibilitate. *Ecce* (inquit euangelista) homo hydropticus erat ante illum. Hydrops morbus, quem Latine veterum nuncupamus, ab aqua trahit originem nominis quia Graecè aqua dicitur. Est verò intercutaneus morbus, ex interruptione vesicae natas, tumorem ventris, & anhelitus foetorem faciens: Habèturque hoc proprium, ut quo amplius biberit, eo magis noxiam in se sitim excitet. *Et respondens dixit ad illos; Si licet sabbato curare? At illi tacuerunt. Ipse verò apprehensum sanauit eum ac dimisit.* Quod respondisse dicitur ad eos, qui nihil dixerant, ad illud respicit, quod praemissum est, *Et ipsi obseruabant eum.* Qui enim non minus cogitatus quam opera introetur, non immerito sic ad cogitata quasi ad dicta vel facta respondit. Interrogatur, non quo eorum Dominus spectaret sententiam, sed ut ex sua melius responsione vel taciturnitate consuetur. Vnde & illi vndique conclusos se aspicientes, merito interrogati tacuerunt. Quicquid enim dixissent, contra se dictum videbant. Si dicerent, Licet, audirent erant; Quare ergo me obseruatis? Si autem dicerent; Nō licet, nec sic euadere poterant. Nam diceret illis Dominus, quod & subinde eis obiecit; Quare vos vestra pecora curatis sabbato? Sna ergo eos conscientia repercutissos, & tacentes inspiciens, apprehensum aegrum sanauit, ac dimisit. Ideò sanauit Dominus hydropticum, ut ostenderet eis, quia sicut ille sanatus est corpore, ita illi si in eum crederet vellet, in anima sanari potuissent. Prudèti sanè dispensatione Dominus ante legisperitos & pharisaeos hydropticum curat, & mox e contra auaritia disputat, ut per illa egritudine, quae iste patiebatur in corpore, designaret illorum infirmitatem, qua tabescebant in mente. Mysticè verò hydropticus iste, ipsum Iudaeorum significat populum, qui pessimo quodam vetero auaritia, & libidinis praegratuus erat. Nihil enim auaritus gente Iudaeorum fuit, nihil ad libidinem pronius. Hoc morbo assuetos eos Balach huiusmodi consilium dederat, ut eos per mulierum pulchritudinem idololatriae prostitueret. Quid verò de spirituali dicimus fornicatione, cui adeo eadem plebs inseruiuit, ut meretricis prociacis, & adulterae mulieris nomine per prophetam appelleretur; Hydropticus verò, qui sanatur, synagogam praefigurat, in qua pars illius populi siue de noxia auaritia, & libidinis humore liberata est, adeo ut post Christi ascensionem, quotquot ex eis domorum, vel agrorum possessores erant, vendentes, quae habere poterant, precium ante pedes apostolorum deferrent, & causa amoris Christi vxoribus, & omnibus seculi affectibus renuntiant. Sed & moraliter hydropticus iste quemlibet designat auarum, vel luxuriosum. Sicut enim hydropticus sitis est inexplebilis, ita omnis auarus quandam sitim multiplicat: qui quo amplius acquisierit, eo plura per fas & nefas acquirere laborat. Vnde Salomon ait; Auarus non impletur pecunia. Quia sius eius nec inopia minuitur, nec copia expleatur, illa super hoc concordante sententia, qua dicitur; Semper auarus eget.

Pari modo luxuriosus quisque quo magis voluptatem carnis expleuerit, eo quoque ad peiora accenditur perpetranda: sicque sit ut vnde ad horam libidinis incendium extinguitur, inde mox deterius inflammetur, Diximus enim morbo hydropticus auaritia significari, quod sicut ille aequam, ita iste sitit pecuniam. Quo vitio Pharisaeus laborasse euangelista manifestat, cum post nonnullas parabolas subiungit, dicens; Audiebant enim haec Pharisaei, qui erant auari, & deridebant illum. *Et respondens dixit ad illos.* Cum nullius interrogatio praecesserit, quid vult, quod tam saepe respondisse dicitur ad legisperitos, & Pharisaeos? Sed haec locutio in sacris voluminibus habetur vitata. Solet enim scriptura nullo interrogante, hoc modo respondentis voce proferre sententia. Vnde est illud, quod alibi in euangelio legimus; In illo tempore respondens Iesus, dixit; Confiteor tibi, pater domine caeli, & terrae. Et certè illo in loco nulla vel patris, vel alicuius interrogatio praecesserat, ut eum respondisse sancta illa auctoritas testaretur. Hinc est etià, quod sanctis mulieribus ad sepulchrum domini stentibus, nihilque interrogantibus, de angelo, qui perennem Christi resurrectionem nuntiare venerat, dicitur; Respondens autem angelus, dixit mulieribus; Nolite timere vos. Sanato verò, ac dimisso hydroptico, inuehitur vox in auaritia calumniatorum suorum: Nam sequitur, *Et ait illis: cuius vestrum asinus aut bos in puteum ceciderit, & non continuo extrahet illum die sabbati?* His verbis sic dominus sibi calumniantes coarguit, ut eos auaritia studere conuincat. Ac si aliis verbis loqueretur; Si vos, inquiens, vestra animalia in die sanctificato, si forte in puteum casu ceciderint, eripere etiam cum labore festinatis, non ipsis animalibus consulentes, sed auaritia vestrae operam dantes: quare me reprehenditis, cur hominem ad imaginem Dei conditum, multoque animali praestantiorum, in die sabbati curem? Et pulchra ratione hydropticum animali in puteum decidit comparat, quia animal in puteum labens, aquae humore laborat, quemadmodum humore grauaturs hydropticus. Sicut & in alio loco mulierem curuam, quam decem & octo annis alligauerat satanas, iumento comparauit, quod soluitur ut aquarum ducatur: Verum in apertissimis historiae verbis intima redolet suauitas allegoriae. Nam per bouem, & asinum uterque populus, Iudaeorum videlicet & gentium, intelligitur. Per bouem quidem, cuius ceruix iugo teritur, cuiusque labore proficissa terra versatur, Iudaicus conuenientissimè accipitur populus, qui legis iugum durissimum traxerat: cuius superbia legis podus premebat, qui que terrenam felicitate, & rerum labentium copiam, Deo seruiebat. Graue enim iugum Iudaeis fuit circuncisionem sufferre, festiuitates tabernaculorum sub diuo, hoc est, sub asperitate imbrum, atque calore solis celebrare, ocium sabbatorum seu festiuitatum custodire, & caetera legis onera grauiissima, in quibus retrò cunctis temporibus iam seruierunt, obseruare. Per asinum verò, animal nimis irrationale, & praeter caeteris animantibus magis oneriferum, gentilis populum figuratur, qui peccatorum pondere, & male iustitiae sibi consuetudinis mole praepediti, nequaquam respirare, aut imponentibus resistere valebant, ad simulacra muta prout ducebantur, incedentes. Possunt quoque

X x 4

quoque hæc animalia, duo hominum genera designare. Bos enim, qui prouentui frugum insudat, sapientes exprimit. Asinus uero ignobile animal, & insipidum, stultos quosque, & uerbi ratione carentes, per typum ostendit. Rectè igitur Dominus in utroque loco bonem, & asinum in puteum labentes, uel à præsepio solutos, sub significatione Iudaici populi atque gentilis posuit: quia adueniens ipse mediator Dei & hominum in hunc mundum, omnes siue Iudæos siue gentiles, seu sapientes siue hebetes, durissimis peccatorum uinculis irretitos inuenit, atque in imo voluptatis, & concupiscentiæ carnalis, tanquam in profunditate putei demersos reperit. Scriptum nanque est; Vinculis peccatorum suorum unusquisque constringitur. Et Apostolus; Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei: Aptè uero de insultatoribus domini sequitur; Quia non poterant ad hæc respondere illi. Splendidissima namque luce ueritatis euanescere uidebant omnes tenebras falsitatis. Verum dominus cum uideret eos respondere non posse, & tamen à malitia, & inuidia nolle cessare, ad eorum quidem, qui inuitari fuerat, exhortationem, qui fortassis ex eius prædicatione proficere poterant, sermonem conuertit. Intendebat enim non probo eos studio primos accubitus affectare. Dicebat autem & ad inuitatos parabolam, &c. Hæc admonitio saluatoris ad literam uiliter intellecta, salutiferum cunctis documentum exhibet, humilitatem præcipue commendans, & non solum apud Deum, uerum etiam apud homines laudabilem esse declarat. Sed non ab re est, quod sanctus euangelista hanc euangelicam lectionem parabolam uoluit nuncupare. Parabola enim Græcè, Latine similitudo dicitur. In similitudine uero aliud est quod prædicitur per figuram, aliud quod innuitur per ueritatem. Quod per nuptias coniunctio Christi Ecclesiæque signetur, pluribus ex locis sancti euangelij conijci datur. Ait enim; Nunquid possunt filij nuptiarum ieiunare, quando cum illis est sponsus? Alibi quoque parabolicè loquens: Simile est, inquit, regnum celorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo. Deus enim pater filio suo nuptias fecit, quando per incarnationis mysterium sanctam ei Ecclesiam fidei & dilectionis dote coniunxit. In nuptiis nanque sponsus sponsæ coniungitur, ut filij procreari possint. Ita unigenitus Dei filius sponsam sibi de gentibus sanctam Ecclesiam coniunxit, & multos filios sibi spirituales per adoptionem effecit. Cuius sponsi thalamus, uetus uirginis Mariæ fuit, in quo diuinitatem suam humanitati nostræ per suam incarnationem dignanter sociauit. Ad has nuptias omnes inuitati sumus, quicunque Christianitatis titulo insignimur, quicunque crucis stigmatate præmunimur. Quisquis ergo has nuptias uocatus adierit, hoc est, quicunque per gratiam fidei Ecclesiæ mæbris se coniunxerit, non discumbat in primo loco, hoc est, non de suis meritis gloriando, quasi de singulari priuilegio meritorum cæteris præferatur, sed semper humilia de se sentire studeat. Nescit enim, si forte alius honoratior ab illo inuitatus sit. Honoratiori post se inuitato locum dat ille, qui securus de confidentia pristina suæ conuersationis, uidet se præiri in bono opere cita agilitate ab illis, qui post se uocati sunt. Verbi gratia, Qui ab ipsis ætatis teneræ incrementis ad diuinum seruitium conuertitur, ple-

runque eum in bonis operibus illi præcedunt, qui nouiter de seculi actibus reuertentes, in sanctis actionibus fortes inueniuntur. Hi ergo & potest inuitantur, & primi accumbunt, quia et si ad religionis exercitium serò ueniunt, fortius tamè se iustitiæ, & sanctitatis læce edocet, & quod minus habent ex tēpore, ex studij uiuacitate compensant. Et cum rubore nouissimum locum tenere incipit, eum de aliis quam de se meliora cognoscens, quicquid prius in sua actione magnum putabat, ex comparatione alieni meriti infimum, humillimumque diiudicat, cum Propheta dicens; Pauper sum ego, & in laboribus à iuuetute mea: exaltatus autem, humiliatus sum, & confusus. Quid uero nobis agendum, seu qualiter in Ecclesia conuersandum sit, præceptor disciplinae cælestis mox aperite curauit. Cum, inquit, uocatus fueris ad nuptias, id est, cum ueneris in societatem sanctæ Ecclesiæ, recumbe in nouissimo loco, id est, humilia de te sentire cura, iuxta quod scriptum est: Quanto magis tu es, humilia te in omnibus: Et noli de tuis gloriari uirtutibus, sed omnes tibi æstima superiores, minimum te omnium iudica, inferiorem cunctis deputa. Tanto enim eris in Dei oculis preciosior, quanto fueris in tuis oculis despectior: quanto que amplius tibi uilueris, tanto magis Deo placebis. Ut cum ueneris, qui te inuitauit, dicat tibi, Amice, ascende superius. Quam sententiam etiam in præsentia constat impleri. Quotidie enim Dominus nuptiarum, nuptias Ecclesiæ ingreditur: habitus, confessus, morèque diiudicat conuiuantium: & eum quem in humilitate inuenit fundatum, amici nomine sublimat beatificat, dicens illi, Amice, ascende superius: & qui locum uidebatur habere inferiorem, ad summam ecclesiastici culminis promouet dignitatem: ut simul discumbentes, hoc est, in fide quiescentes, magna admiratione glorificent, & stupentes cum Psalmista dicant; Mihi autem nimis honorati sunt amici tui, Deus. Veniens ergo Dominus Iesus Christus ad iudicium, quemcumque humilem inuenit, glorificabit, & exaltabit, atque ad superiora ascendere præcipiet: quia scilicet illos sublimabit in æterna beatitudine, quos in hac uita de suis uirtutibus humilia sentire perpexit, iuxta quod Petrus Apostolus suos auditores exhortatur, dicens; Humiliamini sub potenti manu Dei, ut uos exaltet in die uisitacionis. Vnde & benè subditur; Tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus. Tunc, id est, in fine mundi erit tibi gloria. Verum, quia non de præsentia, sed de futuro dicitur; Tunc erit, ad illam, quæ in fine mundi omnibus dabitur electis, beatitudinem referendum est, quando Deum quisque uidebit sicuti est. Benè autem dicitur; Tunc, ne uideat si quid boni agimus, laudem ab hominibus in præsentia requiramus: sed tunc, id est, in futura uita à Deo remunerationem expectemus. Scriptum namque est, Hereditas, ad quam festinatur in principio, in nouissimo benedictione carebit. Quisquis enim gloria uitæ præsentis fuerit delectatus, & summam gloriæ, quæ in futurum debetur, in præsentia possidere desiderauerit, illa absque dubio æterna beatitudine carebit, quæ electis ad superiorem patriam tendentibus reseruat. Quæ sententia euangelica potest & in hac uita iuxta literam ueraciter intelligi. Qui enim in nouissimo loco recumbens inuenitur, ueniente patrefamilias altius sublimatur: quia quotidie dominus

minus in consortium electorum spiritualiter atque inuisibiliter ueniens, suas nuptias intrat, quia quotidie, ut diximus, habitus morèque fidelium considerat, & superbis resistens, eos quos humiles inuenit, læpè aliis præferit, ac tantis muneribus specialium donorum glorificat, ut tales illi qui simul discumbunt, hoc est, qui in eadem fide quiescunt, concordiam admirationis efferrant, proelamantes cum Psalmista; Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus, &c. Quia omnis qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur. Hæc subiecta conclusio euangelicæ lectionis, docet præcedentem quoque parabolam debere mysticè intelligi. Patet enim, quod non omnis, qui se coram hominibus exaltat, mox in hac uita humiliatur: aut qui se in conspectu hominum humiliat, exaltatur: cum è contrario nonnunquam contingere soleat, ut is, qui in aliquo dignitatis apice sublimari incipit, uisusque ad finem uitæ exaltari uel desinat: Et rursum is, qui humilis, ac uerecundus esse inchoat, in ipsa sua mediocritate usque in terminum uitæ perduret. Ergo quia Deus falli non potest, cuius uerba sunt ista, & si hoc in præsentia uita non impletur, restat ut in futuro sine dubio impleatur, tunc scilicet, quando impij, & superbi humiliabuntur cum diabolo in inferno, audientes à Domino; Ite in ignem æternum: iusti autem, & humiles exaltabuntur à Domino, percipientes ab eo uocem exoptabilem; Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod uobis paratum est ab origine mundi. Quam ut audire mereamur, ipse nobis largiri dignetur, qui cum patre & spiritu sancto uiuit & regnat Deus, per omnia secula seculorum, Amen.

## HAYMONIS EPISCOPI

Halberst. superioris Euang.

expositio.

Cum intraret Iesus in domum cuiusdam, &c. Pergebat dominus ad conuiuia hominum, non quod cibis corporalibus indigeret qui dominus erat creatura, sed ut daret exemplum suis prædicatoribus, ut quibus ministrarent dona spiritualia, id est; prædicationem regni cælestis, ab ipsis recipere terrena alimenta, id est, cibum & potum, iuxta quod ipse alibi dicit; Dignus est operarius mercede sua. Et de quo Paulus Apostolus; Dominus ordinauit his qui Euangelium annunciant, de euangelio uiuere. Vel aliter. Ideo ueniebat dominus ad conuiuia hominum, ut serui & ancillæ & ministri principum, qui non habebant liberam facultatem sequendi dominum per ciuitates & castella & solitudines, audiret doctrinam illius, & uidentes eius miracula crederent in eum, & saluarentur. More piscatorum & more aucupum & uenatorum faciebat dominus. Sicut enim piscatores, uenatores, & aucupes ibi tendunt retia sua, ubi sciunt multitudinem auium esse & multitudinem ferarum & piscium: Ita & dominus faciebat. Per dies quoque sabbatorum quando populus Israëliticus uacabat à rurali opere, id est, à terreno; quia rus dicitur terra, iuxta quod illis erat præceptum. Sex diebus operaberis, septimo die requiesces ab omnibus operibus tuis. Et ideo dominus maximè diebus sabbatorum ueniebat in templum quod erat Hierosolymis, & in syna-

gogis quæ erant per singulas ciuitates constitutæ, necnon etiam ad domos principum, & faciebat ibi miracula, ac uerbum prædicationis populis impendebat, ut liberius & tranquillo corde perciperent uerbum ex ore eius. Manducare panem. Per panem intellige totum cibum, sicut per aquam potum. Et ipsi obseruabant eum. Obseruare tres sensus habet. Obseruare est imitari, cauere uel insidiari. Quomodo obseruare sit imitari, Paulus apostolus demonstrat dicens; Obseruate eos, id est, imitamini qui ita ambulat, sicut habetis formam nostram. Obseruare etiam est cauere, sicut idem Paulus; Obseruate eos, id est, cauete, qui dissensiones & offendicula, id est, scandala seminant. Vel obseruare, id est, insidiari, sicut hic. Et ipsi obseruabant eum, id est, insidias tendebant ei mente, si uiderent eum die sabbati aliquod miraculum facere. Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illi. Hydropicus morbus est, qui morbus ab aquoso humore uocabatur trahit. Aqua enim Græcè hydor dicitur, hydropicus dicitur aquaticus, id est, aquæ plenus. Hæc infirmitas nascitur à uitio uesicæ, uitiatur enim uesica in uentre hominis, & dum non ualet suscipere humorem cibi, ac potus, extenditur ipse humor per omnia membra hominis, maximè inter carnem, & cutem, & efficit corpus hominis miserum, tumidum, & infirmum. Proprium est enim hydropici, ut, quod amplius bibet, eo amplius siciat. Et ideo rectè comparatur diuiti auaro, & luxurioso. Auarus enim, quo magis diuitiis abundat, quibus non benè uitur, eo magis in appetendis alijs exardescit. Et sicut hydropicus quo amplius bibit, eo amplius sitim patitur, ita luxuriosus quo amplius libidinem suam explet, polluendo se: tanto amplius libidine delectatur. Vnde quidam Sartyricus dicit; Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit. Et respondens Iesus dixit ad legisperitos, & Phariseos. Responso ad præmissam interrogationem pertinet. Quare ergo dicit Euangelista dominum respondisse, cum superius non legatur interrogatus? Sed hæc responsio ad superiora pertinet, scilicet & ipsi obseruabant eum, id est, insidias tendebant erga Deum in corde, ut potuissent eum reprehendere, si die sabbati sanaret hominem à languore suo. Ut ergo dominus uidit (qui cogitationes hominum solus nouit) quod insidias tendebant ei mente, ad cogitationes eorum dicit; Si licet sabbato curare? Licet petueris essent, tamen rationales erant, & intelligibiles. Dicite mihi, si est licitum ut curem hominem à languore suo die sabbati? At illi tacuerunt. Quare tacuerunt? quia quicquid dicturi erant, contrarium sibi uidebant. Cum enim dominus dixit; Si licet sabbato curare? Si illi dixissent licet, respondisset dominus, quare ergo me obseruatis, id est, insidias reprehensionis in me tenditis? Et, si dixissent, non licet, respondisset dominus; Quare uos peccata uestra curatis die sabbati? Ipse uero apprehensum sanauit eum, ac dimisit. Vbi dominus tetigit hydropicum, statim sanus factus est. Quamobrem uoluit dominus hydropicum curare ante Scribas, & Phariseos, & Legisperitos? Ut per ægritudinem illius corporis exprimeretur in illis ægritudo mentis. Quoniam sicut ille hydropicus erat corpore, ita & illi hydropici erant mente, quia auari erant, & insatiabiles. Vnde & post multa domini dicta Euangelista subiungit dicens; Audientes hæc omnia, Pharisei, qui erant

erant avari, deridebant eum. Ac si diceret dominus Scribis & Phariseis non verbis sed factis. Si enim isti hydropico virtute diuinitatis meae pristinam sanitatem restituo, ita & vobis peccata vestra dimittere poterō, si meis obediētiis mandatis, & de mammona vobis feceritis amicos pauperes, à quibus excipi mereamini in aeterna tabernacula. Sed illi non sunt sanati ab eo. Quare? Quia noluerunt credere in eum, idēque aeternaliter perierunt, sicut dominus in sequentibus dicit: Ego vado, & quaerētis me, & in peccato vestro moriemini. In peccato suo moritur, qui non est renatus ex aqua, & spiritu sancto. *Et respondens Iesus ad illos dixit; Cuius vestrum asinus, aut bos in puteum cadit, & non continuo extrahet illum die sabbati? Sic alloquitur dominus Scribas & Phariseos, vt ostendat eos auaros, & cupidos. Quasi diceret illis: Si vos cupiditate ducti asinum, aut bouem in puteum cadentem eripere festinatis die sabbati, quanto magis ego, qui dominus, & creator hominum sum, debeo hominem sanare die sabbati, qui multo melior est pecore? Multo magis. Et bene hic duo animalia ponuntur, bos scilicet & asinus. Bos iugum trahit. Et per bouem designatur populus Iudaicus, cuius cervicem iugum legis attraxit. Asinus lasciuum & immundum est animal, & onus portat: & signat populum gentilem qui immundus fuit, id est, originali peccato, & actuali pollutus, qui poterat dicere cum Psal. Quoniam iniquitates meae supergressae sunt caput meum, & sicut onus graue grauatae sunt super me. Vel aliter. Per bouem, qui terram exarat, designantur sapientes, per asinum insipientes, & simplices. Sed quid factum est? Veniens dominus Iesus in mundum per incarnationis mysterium, omnes & Iudaeos, & gentiles vinculis satanae inuenit attritos, & in puteo concupiscentiae, id est, carnalibus desideriis inuenit merfos. Nulla distantia erat inter Iudaeos & gentiles: omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei, id est, misericordia Dei. Omnes peccauerunt, quia nec Iudaei legem datam sibi à domino custodierunt neque naturalem legem seruariuerunt. Gentiles similiter naturalem legem contempserunt. Quae est naturalis lex? Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Sed omnes homines, qui in eum credere voluerunt, tam ex Iudaeis quam ex gentibus, per gratiam baptismi mundauit, & pristinam sanitatem restituit, quam habuit primus homo Adam in paradiso, antequam peccasset. *Et non poterant ad haec respondere illi. Quare? Quia quicquid dicere volebant, quasi iam contra se dictum esse videbant. Dicebat autem & ad inuitatos parabolam, intendens quomodo primos accubitus eligerent, &c.* In his verbis Domini discimus, quia humilitas non solum apud Deum, sed etiam apud homines est laudabilis. Sed considerare debemus quid haec parabola Domini mystice signet. Parabola namque Graecè, Latine dicitur similitudo, eo quod aliud sonat exterius, & aliud contineat interius. *Cum inuitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco, &c.* Nuptias coniunctionem Christi, & ecclesiae esse in multis locis inuenimus. E quibus illud. Simile factum est regum caelorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo, & misit seruos suos vocare inuitatos ad nuptias. Et alibi, Non possunt filij sponsi ieiunare, quando cum illis est sponsus, veniet autem tempus, quando auferetur ab eis sponsus, & tunc ieiunabunt. Sponsus Christus est, Sponsa sancta Ecclesia, de quo beatus Ioannes; Qui habet sponsam, sponsus est. Quisquis ergo iunctus fuerit membris Ecclesiae sanctae per fidem rectam, per operationem bonam, per dilectionem veram, per gratiam baptismi, & per acceptionem corporis, & sanguinis Christi, per infusionem sancti spiritus, non debet discumbere in primo loco, id est, non debet se praeferre aliis hominibus, qui praecesserunt eum in fide Christi, vel qui sequenturi sunt. Ille ergo discumbit in primo loco, qui meliore se aestimat praeter ceteros hominibus. Aperta est haec sententia redemptionis nostri, humilitatem quidem esse non solum apud Deum, sed etiam apud homines laudabilem, quia qui humiliat se in praesenti saeculo corde, & opere apud Deum, & apud homines laudabilis existit. Qui autem erigit se in superbiam, & in praesenti saeculo solet contumeliam pati, & in futuro meretur damnationem à Deo. *Sed cum vocatus fueris ad nuptias, id est, ad fidem Christi, vade, & recumbe in nouissimo loco, id est, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam, iuxta quod quidam sapiens dicit: Quanto maior es, humilia te in omnibus. Non ergo debes te extollere de tuis operibus. Quotidie inuitat nos Deus ad gloriam suam, siue ad prandium suum, dicens: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos, & inuenietis requiem animabus vestris, iugum enim meum suauis est, & onus meum leue. Ne forte honoratiore te, id est, melior sit inuitatus ab illo, id est, à Christo, qui fide, & opere te praecedat, licet enim posterior te sit tempore, tamen est melior fide, & dignitate. *Et veniens is, qui te, & illum inuitauit, dicat tibi. Da huic locum, id est, meliora intellige illius opera, quam tua sunt. Et tunc incipias, id est, cum meliora senseris de alio quam de te. *Cum rubore, id est, cum verecundia, nouissimum locum tenere, id est, inferioriorem te esse aestimabis erubescens inde, quia meliorem vides illum, qui te subsequutus est in fide Christi, quam tu sis. Ille cum rubore nouissimum locum tenet, qui meliora de aliis sentit quam de se. Apostoli in nouissimo loco recubuerunt, quia humilitate semper seruare studuerunt, & ideo principes constituti sunt super omnem terram, Dicente Psal. 44. Constitues eos principes super omnem terram. *Vt cum venerit Christus qui te inuitauit ad fidem suam, in hac praesenti vita faciat te episcopum, faciat etiam abbatem. Quomodo venit Christus, qui vbique praesens est? Sed venire dicitur, cum opus misericordiae suae impedit fidelibus suis. Quotidie dominus ad suas nuptias intrat, quotidie mores nostros, & actus considerat, & eos, quos inuenit humiles, in tantum glorificat, vt ceteri electi, qui viderint eos exaltatos, dicant: Nimis honorati sunt amici tui, Deus, nimis confortatus est principatus eorum. Taliter sunt exaltati apostoli, qui studuerunt humilitatem seruare, ideo principes totius mundi à domino constituti sunt. De quibus dicit Psal. Ecclesiae. Pro patribus tuis nati sunt tibi filij, id est, pro patriarchis, & prophetis, nati sunt tibi Apostoli: constitues eos principes super omnem terram: vel aliter. *Vt cum venerit Christus, qui te inuitauit ad fidem suam, vel in die mortis, vel in die iudicij. Dicat tibi: Amice, ascende superius, id est, de vilitate mundana, transi ad patriam caelestem accipere regnum, quod******

quod tibi paratum est ab origine mundi. *Tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus, vel in hoc loco coram sanctis hominibus, vel in futuro coram sanctis angelis. Bene dicit tunc, ne nunc quaerere incipias, quod tibi in fine vitae referatur. Quia omnis qui se exultat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur.*

## AVTHORIS INCERTI

sub nomine Eusebij episcopi Emissemi  
superioris Euang. expositio.

IN eo enim quod ad panem manducandum in domum principis Phariseorum dominum intrasse Euangelista scribit, eum solis necessariis contentum, & non delictiosis cibis inhiasse ostendit. Praesertim quum neque in ipsius principis domo aliud manducasse dicatur. In pane tamen, qui in omnibus principatum cibis tenet, omnia ciborum genera intelligere possumus. Vnde & de ecclesia dicitur, quia panem otiosa non comedit. *Et ipsi (inquit) obseruabant eum, id est in fidiabantur ei, vt vel in verbis eius aliquid audirent, vel in eius actionibus aliquid viderent. vnde eum reprehendere, & accusare potuissent. Quorum iniquam voluntatem dominus cognoscens, eisdem ipsis materiam dabat, in qua suae intentionis iniquitatem declararet. Hoc enim sequentia manifestant. *Et ecce quidam hydropicus erat ante illum. Haec est enim materia, qua & Christi virtus, & Phariseorum perfidia manifestetur. *Et respondens Iesus dixit ad legisperitos, & ad Phariseos, Si licet sabbato curare? At illi tacuerunt. Ipse vero apprehensum sanauit eum, ac dimisit. Respondit vtrique Iesus, sed cogitationibus respondit. Cogitabant enim Pharisei, & intra se dicebant, Ecce hydropicus adest, & sabbatum est, videamus quid iste agat. His enim cogitationibus respondens dominus, ait, Si licet sabbato curare? At illi vtrouique timentes tacuerunt. Si enim dixissent, iam non erat in quo eum reprehendere possent. Si vero dixissent, quia non licet, timebant sibi, quia & ipsi multa in sabbato operabantur. Tacuerunt igitur. Ipse vero sanauit eum, ac dimisit. Et quia iam insultare, & eum reprehendere cogitabant, vt pote qui contra legem fecisset & sabbatum violare non timuisset, praecoccupauit eos, & respondens dixit, Cuius vestrum asinus, aut bos in puteum cadet, &c. *Et non poterant ad haec respondere illi. Quid enim responderent; qui se tam euidenti syllogismo conclusos esse videbant? Sed videamus quid hydropicus iste significet: significat enim aliquid. Hydropicis enim ab aqua dicitur infirmitas. Hydropicus autem quamuis aqua plenus sit, semper sitiens bibendo satiari non potest. Vnde & non immerito auaros designat: quia quanto plus habent, tanto plus habere desiderant. Neque vero habendo satiari, quia insatiabilis amor habendi auaritia definitur. Hos tamen, si ad Christi conuiuium veniant, & ibi abstinentiam discant, & quid appetere & quid abiicere debeant intelligant, sanati Iesus. Dicebat autem & ad inuitatos parabolam, intendens, quomodo primos accubitus eligerent, dicens ad illos, Cum inuitatus fueris ad nuptias, &c. Haec autem subinfertens exponit, dicens, Quia omnis, qui se exultat, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur. Inuitatus enim dominus ad conuiuium, considerans & intendens quomodo digniores & primos accubitus omnes eligerent, & quomodo singuli se cate-****

ris anteferre, & exaltare desiderarent, hanc eis parabolam dixit, quae ad literam quoque intellecta, cunctis honestatem diligentibus valde utilis, & necessaria est. Dar enim & minoribus gratiam, & maioribus reuerentiam. Sed quia parabola dicitur, aliquid aliud praeter literam significatur. Videamus igitur, quae sunt istae nuptiae, qui sunt & illi, qui ad nuptias inuitantur. Ista enim nuptiae quotidie in ecclesia fiunt: quotidie dominus nuptias facit, quia quotidie dominus fideles animas sibi coniungit, aliis ad baptismum venientibus, aliis hinc ad caelestia regna migrantibus. Ad has enim nuptias omnes nos inuitati sumus, quicūq; Christi fidem, & signaculum suscepimus. Hic illa mensa nobis apponitur, de qua dicitur, Paraſiti in conspectu meo mensam aduersus eos, qui tribulant me. Hic panis propositionis, hic vitulus saginatus, hic agnus qui tollit peccata mundi, hic panis viuus qui de caelo descendit, hic calix novi testamenti apponitur nobis. Hic & euangelia & Apostolorum epistolae, hic Moysi & Prophetarum libri, quasi quaedam ferula delictis omnibus referta apponuntur nobis. Quid igitur amplius quaerimus? quid primos accubitus eligimus? Vbiunque enim sedemus, omnibus abundamus & nihilo indigemus. Veruntamen hic si accubitus quaeris, vade & recumbe in nouissimo loco, non te superbia eleuet, non scientia inflat, non nobilitas extollat: sed quanto maior es, in omnibus te humilia, & coram Deo inuenies gratiam: vt suo tempore tibi dicatur, Amice, ascende superius, & tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus. In nouissimo quidem loco, quantum ad se, recumbebat Moyses: quem quum dominus ad locum superiorum inuitasset, & ad filios Israel mittere voluisset, respondit, Obsecro, domine, mitte, quem misurus es. Non enim sum eloquens, neque tanti (ac si dicat) officij dignus. Saul quoque quum humilis esset in oculis suis, rex à domino constitutus est. Sic & Ieremias in primum locum ascendere timens, dicebat, A à domine Deus, ecce nescio loqui, quia puer ego sum. Similiter autem & Paulus Apostolus, qui dicebat, Ego sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Dei. Primus igitur accubitus, primus in Ecclesia locus, non ambitione, sed humilitate, non nummis, sed virtutibus quaerendus est. Ad hunc igitur & pueri, & loqui nescientes, ad hunc indocti, & in disciplinati ascendere timeant, ne forte dicatur eis, Da huic locum, & tunc cum rubore tenere incipiant nouissimum locum. Omnis enim, qui se exultat, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur.

THEOPHYLACTI EPISCOPI  
Bulg. superioris Euang. expositio.

ET factum est, cum introiret in domum cuiusdam principis Phariseorum, &c. Dominus satis sciens Phariseorum morositatem, ingreditur in eorum domos. Curae enim ei erat animarum utilitas, & propterea ingressus est. Potuissent enim vel ex doctrina, & sermone, vel ex ostensione miraculorum utilitatem percipisse, siquidem voluissent. Porro, quum in medium venisset hydropicus: non hoc considerauit dominus, quomodo non offenderet multos,



tos, sed quomodo sanaret eos, qui cura sua indigebant. Oportet enim nos, ubi magna prospectat utilitas, non curare insipientes, qui scandalizantur. Arguit autem insipientiam eorum, qui reprehensuri erant, ideoque interrogat; *Licetne sabbato sanare?* Nonne manifeste irridet eos ut insipientes? Si quidem, quum Deus sabbatum benedixerit ipsi benefacere prohibent in eo, & per hoc faciunt omnino maledictum. Non enim benedictus est dies, in quo nihil boni fieri soleat. At, quum hi scientes, quo tenderet interrogatio, silerent; Iesus, quod suum erat, facit, & contactu sanat hominem: deinde etiam Phariseos admonet, quasi talia diceret eis; Si prohibuisset lex misereri in sabbato, non curae tibi fuisset, si filius tuus periclitatus fuisset in sabbato: Et quid dico filius? neque bonem reliquisses absque adiutorio, si periclitantem vidisses. Quomodo igitur non stultum fuerit, quod observatis sanationem hydropici in sabbato? Hydropicus est omnis, qui per dissolutam vitam, & lubricam anima sua graviter aegrotat, qui & Christo indiget: & sanabitur plane, si ante Christum fuerit. Nam, qui ante Christum fuerit, cogitans semper, quomodo ab ipso videatur, minime peccabit. *Dicebat autem & ad inuitatos parabolam, &c.* Vides cenas Christi, quales sunt, nempe in utilitatem anime, & non in satietate ventris vertuntur. Ecce enim sanavit hydropicum, docuit Phariseos, quod bonum sit in sabbato benefacere. Et postea videt eos de primo accubitu tumultuari, sanat & hanc affectionem, quae non à parva, sed magna, & vix effugabili causa incipit, inani inquam gloria. Et, ne quis existimet, hoc dicere, minus, & indignum esse magnificentia verbi Dei, immo maxime: quia medicus, qui pollicetur sanare podagram, omnemque morbos memoratu dignos, neque digitorum attritiones, vel dentis dolorem sanare delectat. Deinde quomodo parvus inanis gloriae morbus, quo omnino turbantur, qui primos accubitus quaerunt? Oportebat igitur humilitatis doctorem, & principem, & consummatorem Christum omnes ramos inanis gloriae amputate. Et hoc quoque expendit, si non fuisset tempus mentis, & de hoc disseruisset dominus, relicto de aliis rebus sermone, esset forte reprehensionis locus: nunc autem, quia hora cenae, & ambitionis morbus ante oculos saluatoris versabatur, tempus erat admonitionis. Vide enim & aliter quomodo à culpa hominem liberet, & quomodo ipsum civilem faciat. Quanta enim confusione plenus, quum requisieris locum te indignum, & deinde quum superuenit dignior, is, qui te vocavit, dicat, Da huic locum, idque saepe descendes enim tu, illi autem primum locum occupabunt. Contra, quanta laude dignus, quando prima sella dignus, principio sedet in humili loco, & postea praeter alios sedere comperitur. Num igitur parva tibi videtur illa admonitio domini, quae maximam virtutum humilitatem docet, & in auditorum animabus collocat, & ad honestam vitae observationem ducit: id quod Christi dilectus discipulus Paulus postea dixit, Omnia honeste, & secundum ordinem, inquit, fiant. Quo pacto igitur hoc fiet? Nullus quaeratur, quod suum est, sed unusquisque, quod alterius. Vides discipulum eadem loqui, quae magister eius. *Omnis, qui seipsum exaltat, humiliabitur*, quo pacto intelligam? Etenim multi in vita hac se exaltantes, honore fruuntur. Igitur hoc

1. Cor. 13.

quidem humiliari est, quando quis fruatur magno honore in mundo, miserque, & humilis fit apud Deum. Insuper non usque ad finem, neque apud omnes in tali honore est, sed quantum à quibusdam observatur, tantum ab aliis irridetur, & nunquam ab iis, à quibus honoratur. Vera igitur est sententia. Et omnis indignus hanc sibi sublimitatem vendicans, humiliabitur, & apud Deum quidem, quando ultimum iudicium, in vita vero hac maxime. Natura enim omnis homo indignus sublimitate. Nullus igitur extollatur, ut ne extreme humilietur.

EVTHYMII ZIGABONI  
in superius Euang. Homil.

**E**T factum est quum introisset in domum, &c. Et hic phariseus tanquam prophetam vocavit eum ad conuiuium, opinionem venari cupiens, quod ipsi non inuideret. Erant enim quidam inter phariseos semimali, & qui ceteris erant praestantiores. Sequitur est autem & hic Christus occasione utilitatis pharisei, faciens in domo eius prandium. Ceteri vero observabant eum, an faceret quippiam in sabbato quod praeter legem esset. *Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum.* Erat scias, nec audens petere curationem propter sabbatum, & phariseos: solum autem apparet, ut, quum ille vidisset, miseratione moueretur erga ipsum, ac hydropicis liberaret. *Et respondens Iesus ait ad legisperitos, ac phariseos:* Quia etiam tibi simul erat inuitati. *At illi tacuerunt.* Etiam alibi simile quid interrogati obmutuerunt: neque enim dicere poterant quod prohibuisset lex benefacere in sabbato. *Ipsa vero apprehensum sanavit eum, ac dimisit.* Apprehendit, hoc est, tergit eum. *Et respondens illi dixit: Cuius vestrum asinus, &c.* Hoc enim lex permittebat. Quod si irrationale animal à periculo extrahi non prohibebatur in sabbato, multo magis rationale, cuius commodo vivebat irrationale. O profundam sapientiam quomodo variis temporibus sabbato tribuens sanitates, diuersis ad ipsius est responsionibus, omnibusque insolubilibus, docet quod à corporalibus operibus iubebat lex quiescere, non à spiritualibus. *Et non poterant ad haec respondere illi.* Quum manifesta esset veritas. *Dicebat autem & ad inuitatos parabolam, &c.* Intendens, id est, obiurgans, aut indignans, quia primos accubitus eligebant: tunc enim eos hoc facere videbat. *Dicens ad eos:* Ad unumquemque illorum. *Quum ab aliquo inuitatus fueris ad nuptias, &c.* Admonet, ne se honoratoribus praepoant, neque ante alios sese collocent. Per parabolam autem admonitionem contexens, absque inuidia eos redarguit: nam huiusmodi sunt parabolicae admonitiones: Per nuptias vero omne prandium, omnemque cenam significauit: inuitari enim ad nuptias honorificentius videbatur, quam ad prandium, aut cenam vocari. *Sed quando inuitatus fueris, vade ac cumbes, &c.* Dilat sermonem ostendens & confusionem ab impudentia nasci, & gloriam à verecundia: & utrinque ad modestiam adhortatur. Deinde infert etiam vniuersalem sententiarum collectionem ad confirmationem adhortationis, dicens: *Omnis enim, qui sese extollit, deijcietur, &c.* Ille quidem deijcietur. Hic autem extolleretur, non tantum apud homines recte iudicantes, verum etiam multo magis apud Deum.

DOMINI

DOMINICA XVII. POST  
PENTECOSTEN.

MATTH. 22.



**I**n illo tempore Accesserunt ad Iesum Pharisei, & interrogauit eum vnus ex eis legisdoctor tentans eum. Magister, quod est mandatum magnum in lege? Ait illi Iesus: Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo: & in tota anima tua: & in tota mente tua. Hoc est maximum & primum mandatum. Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum, sicut teipsum. In his duobus mandatis vniuersa lex pendet & propheta. Congregatis autem Phariseis, interrogauit eos Iesus, dicens: Quid vobis videtur de Christo, Cuius filius est? Dicunt ei: Dauid. Ait illis: Quomodo ergo Dauid in spiritu vocat eum dominum, dicens: Dixit dominus domino meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum? Si ergo Dauid vocat eum dominum, quomodo filius eius est? Et nemo poterat ei respondere verbum, neque ausus fuit quisquam ex illa die eum amplius interrogare.

GLOSSA ORDINARIA  
in superius Euang.

**S**ILENTIUM. Nota venena inuidiae superari posse, sed difficile conquiscere. *Conuenerunt*, ut multitudine vincerent quem non poterant ratione. In tentando conueniunt, qui in doctrina contrarij sunt. Iam confutati erant in ostensione denarij, iam viderant etiam Sadduceos obmutescere, sed tamen malevolentia & liuor nutrit impudentiam. *Tentans eum.* Marcus ait, quod ei sapienter respondenti dominus dixerit: Non longes à regno Dei. Porci enim fieri, ut qui tentans venit responsio dominico conuersus sit. Vel tentatio non est mala quasi volentis decipere, sed cauta volentis amplius experiri ignotum. *Diliges dominum Deum tuum.* Fictam conscientiam interrogantis dominus primo responsio percutit. Deus tuus vnus est. Non assumes nomen Dei tui in vanum. Obserua diem sabbati. Haec tria ad dilectionem Dei pertinent. Cuius cogites vnitatem, veritatem, voluntatem. *Ex toto corde.* Integritas fidei exprimitur.

In tota anima, perfecta obedientia exigitur: In tota mente, perseverantia ostenditur. *In his duo.* Nam ideo duae tabulae legis datae sunt, in quibus erant decem praecipua legis, quae sunt: decalogum psalterium. Tria in vna quae sunt ad Deum, septem in altera, quae sunt ad proximum. In prima a primum est: Ego sum dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti. Non habebis Deos alienos: quia Christus cum patre & filio & spiritu sancto vnus est Deus. Secundum: Non assumes nomen Dei tui in vanum, id est, nomen Christi non debet in vanum accipi, ut putemus eum factum, per quem omnia facta sunt. Quia vero vnus Deus est pater & filius & spiritus sanctus. In spiritu sancto: id est, in dono Dei requies nobis promittitur. Vnde tertium sequitur: Memento, ut diem sabbati sanctifices: in eo non facies omne opus. In altera tabula. Honora patrem & matrem: Et Non occides: Non mcechaberis: Non furaberis: Non falsum testimonium dices: Non concupisces vxorem proximi tui: Non concupisces rem proximi tui. *De Christo.* siue venit, siue futurum creditis, quem purum hominem asseritis. *Dixit.* Istud dicere est aequalem sibi filium generare. *Bibl. Hom. tom. 3. Y y Domino.*

Mar. 12.

Exod. 20.

Ibidem.

Deut. 5.

Exod. 20.

Ibidem.

Ibidem.

*Domino.* Non secundum quod de eo natus, sed quod de patre semper fuit. *Quomodo.* Repugnantia sunt hæc secundum vestrum intellectum. *Et nemo poterat, &c.* Nota venena invidia superari posse sed difficile conquiescere.

### CATENA AVREA in idem Euang.

**P**harisei autem audientes quod silentium imposuisset Sadducaei, conuenerunt in vnum, &c. Hiero. Quod supra pharisei in ostensionem denarii fuerant confutati, & aduersæ partis viderant factionem subrutam: debuerat ex hoc moueri, ne ultra molirentur insidias, sed malevolentia & lior natrit impudentiam, vnde dicitur: *Pharisei autem au. quod, &c.* Orige. Silentium autem Sadducaei imposuit Iesus, volens ostendere, quoniam mendacij vocem obmutescere facit claritas veritatis. Sicut enim proprium iusti est tacere, cum sit tempus tacendi: & loqui, cum sit tempus loquendi, non tamen obmutescere: sic proprium est omnium qui mendacij sunt doctores, obmutescere quidem quantum ad rem, non autem tacere. Hiero. Pharisei ergo & Sadducei qui inter se contrarij sunt, ad tentandum Iesum pari mente consentiunt. Chry. super Matth. Vel conuenerunt in vnum pharisei vt multitudine vinceret, quem rationibus superare non poterant: à veritate se nudos professi sunt, qui multitudinem se armauerunt. Dicebant enim apud se: Vnus loquatur pro omnibus, & omnes loquamur per vnum, vt si quidem vicerit, omnes videamur vicisse: si autem conuictus fuerit, vel solus videatur confusus, & ideo sequitur: *Et interrogauit eum vnus, &c.* Orige. Omnem ergo qui non discendi, sed tentandi causa interrogat aliquem doctorem, æstimare debemus illum pharisei fratrem, secundum illud: *Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* August. de con. euang. Non moueat autem quod Mattheus hic dicit tentatum fuisse, à quo dominus Iesus interrogatus est: Marcus autem hoc tacet, & in fine ita concludit, quod ei dominus sapienter respondenti dixerit: Non longe es à regno Dei. Fieri enim potest, vt quauis tentans accesserit, domini tamen responsione correctus sit. Aut certe ipsam tentationem, de qua loquitur Iacob, nõ accipiamus malam, tanquam decipere volentis inimicum: sed causa potius tanquam experiri amplius volentis ignotum, neque frustra scriptum est, *Qui facile credit, leuis est corde, quid autem interroget, subditur: Magister, quod est mandatum in le. &c.* Origen. Tentans dicebat: *Magister,* quoniam non in quantum discipulus Christi proferebat hanc vocem. Si quis ergo non discit aliquid à verbo, nec tradit se ex toto animo suo: dicit autem ei magister, frater pharisei est Christum tentantis. Cum ergo ante saluatoris aduentum legeretur lex, forsitan quærebatur quod est mandatum magnum in ea. Neque enim interrogasset hoc phariseus, nisi diu apud illos de hoc quæsitum fuisset, & non inuentum, donec veniens Iesus hoc doceret. Chry. super Matth. De magno tamen mandato interrogat, qui nec minimum obseruabat, ille debet interrogare de maiore iustitia qui iam minorem compleuit. Hiero. Vel non de mandatis interrogat, sed quod sit primum man-

datum magnūque: vt cum omnia quæ Deus mandauerit magna sint, quicquid ille respondeat occasionem habeat calumniandi. Chryl. super Matth. Dominus autem sic ei respondit, vt interrogationis eius fictam conscientiam statim primo responso percuteret. vnde sequitur: *Ait illi Iesus, Diliges Dominum Deum tuum, &c.* Diliges, inquit, nõ timore: quia diligere magis est quam timere, timere enim seruatorum est: diligere, filiorum. Timor, sub necessitate est: dilectio, in libertate. Qui in timore seruit Deo, pœnam quidẽ euadit, mercedem verò iustitiæ non habet: Quia inuitus fecit bonum, propter timorem. Non vult ergo Deus vt timeatur seruiliter ab hominibus, quasi dominus: sed vt diligatur, quasi pater: quia adoptionis spiritum donauit hominibus. Diligere autem Deum ex toto corde, est vt cor tuum nõ sit inclinatū ad alicuius rei dilectionem magis quam Dei. Diligere autem Deum in tota anima, est certissimum animum habere in veritate, & firmū esse in fide. Alius est enim amor cordis, & alius est amor animæ. Amor cordis quodammodo carnalis est, vt etiam carnaliter diligamus Deum: quod facere non possumus, nisi recedamus ab amore carnalium rerum. Cordis ergo amor sentitur in corde, amor verò animæ non sentitur, sed intelligitur: quia in iudicio animæ consistit. Qui enim credit apud Deum esse omne bonū, & nihil boni esse extra ipsum: hic diligit Deum in tota anima. Tota verò mēte diligere Deum, est vt omnes sensus Deo vacent. Cuius enim intellectus Deo ministrat, cuius sapientia circa Deum est, cuius cogitatio ea quæ Dei sunt tractat, cuius memoria quæ bona sunt recordatur: tota mente diligit Deum. Aug. de doct. Christ. Vel aliter: Dum ex toto corde diligere præcipitur, vt omnes cogitationes tuas: Ex tota anima, vt omnem vitam tuam: Ex tota mente tua, vt omnem intellectum tuum, in illum conferas, à quo habes ea quæ confers. Nullam ergo vitam nostram partem reliquit, quæ vacare debeat, & quasi locum dare, vt alia re velit frui. Sed quicquid aliud diligendum venerit in animum, illuc rapiatur quò totus dilectionis, impetus currit. Tunc enim est optimus homo, cum tota vita sua pergit in incommutabile bonū. Glo. Vel ex toto corde, id est, intellectu: *Anima,* id est, voluntate: *Mente,* id est, memoria: vt nihil ei contrarium velis, sentias, aut recorderis. Orige. Vel aliter: *Ex toto corde,* id est, secundum totam recordationem, & operationem, & cogitationem: *Ex tota anima,* id est, vt parati sint eum ponere pro pietate Dei: *In tota mente,* nihil aliud scilicet proferentes, nisi quæ Dei sunt. Et vide, si potes, cor quidem accipere pro intellectu, quo intelligibilia speculantur: mentem autem ad proferendas res. Mente enim proferimus singulas res, & per vnum quodque quod significatur, quasi mente nostra inambulamus atque proferimus. Si autem tentanti phariseo dominus non respondisset: æstimare possemus non esse vnum mandatum maius altero. Sed Dominus respondens, subdit: *Hoc est maximum & primum mandatum,* vbi discimus sententiam de mandatis, quod est magnum, & sunt inferiora vsque ad minima. Respondet autem dominus non solum quod est magnum mandatum, sed etiam primum: non pro ordine scripturæ, sed pro dignitate virtutis. Hi autem soli huius mandati in se suscipiunt magnitudinem & primatum, qui

qui non solum diligunt Dominum Deum suum, sed etiam illa tria susceperint, scilicet *ex toto corde, &c.* Docuit autem quod non solum est magnum & primum, sed etiam quod esset secundum simile priori. vnde sequitur: *Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Si autem qui diligit iniquitatem, odit animam suam: manifestum quod non diligit proximum sicut seipsum, cum nec seipsum diligit. Aug. 1. de doct. Christ. Manifestum est autem omnem hominem proximum esse putandum: quia erga neminem operandum est malum. Iam verò si vel cui præbendum, vel à quo præbendum est nobis officium misericordię recte proximus dicitur: manifestum est hoc præcepto, quo tenemur diligere proximum: etiam sanctos angelos contineri, à quibus nobis tanta misericordię impediunt officia, quanta nobis in scripturis animaduertere facile est, ex quo ipse dominus noster, proximum se nobis dici voluit: quoniam seipsum Dominus Iesus Christus significat opitulatū esse semiuivo iacenti in via. Aug. 8. de trin. Qui autem amat homines, aut qui iusti sunt, aut vt iusti sint amare debet. Sic enim & seipsum amare debet, aut quia iustus est, aut iustus sit: sic enim diligit proximum sicut seipsum sine vllō periculo. Aug. 1. de doct. Christ. Si autem teipsum non propter te debes diligere, sed propter illum vbi dilectionis tuæ rectissimus finis est: non succenseat aliquis homo, si & ipsum propter Deum diligit. Quisquis ergo recte proximum diligit, hoc cum eo debet agere, vt etiam ipse toto corde diligit Deum. Chry. super Matth. Qui autem hominem amat, simile est sicut qui Deum amat: quia imago Dei est homo, in quo Deus diligitur, sicut rex in sua imagine honoratur. Et propter hoc, dicitur hoc mandatum simile esse primo. Orige. Vel aliter: Quod mandatum sequens, primo est simile: significat idem esse officij & meriti in vtrōque. Neque enim aut Dei sine Christo, aut Christi sine Deo potest utilis esse dilectio ad salutem. Sequitur: *In his duobus mandatis tota lex pendet & propheta.* Aug. de quæst. euang. *Pendet dicit, id est illuc refertur vbi habet finem.* Raba. Ad duo enim hæc præcepta pertinet totus decalogus. Præcepta quidem primæ tabulæ ad dilectionem Dei: præcepta secundæ, ad dilectionem proximi. Orige. Vel quia omnia qui impleuit suæ scripta sunt de Dei dilectione & proximi, dignus est magnas gratias à Deo percipere, vt intelligat omnem legem & prophetas. Aug. 7. de tri. Cum autem sint duo præcepta in quibus pendet lex & propheta, dilectione Dei & proximi, non immerito scriptura plerumque pro vtroque vnum ponit: siue dilectionem Dei, sicut est illud: *Scimus enim quoniam diligentiibus Deum omnia cooperantur in bonum: siue dilectionem proximi, sicut est illud: Omnis lex in vno sermone impletur: Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Sed hoc ideo, quia qui proximum diligit, consequens est vt Deum diligit. Ex vna eademque charitate Deum proximumque diligimus: sed Deum propter Deum, nos autem & proximum propter Deum. Aug. de doct. Christ. Sed tamen quoniam excellentior & supra nostram naturam est diuina substantia, præceptum quo diligimus Deum, à proximi dilectione distinctum est: quod si te totum diligas, id est animam & corpus, & proximum tuum, id est animam & corpus, nullum diligendarum rerum genus in his

duobus præceptis prætermisum est. Cum enim præcurrit dilectio Dei, sequitur dilectio proximi, cuiusque dilectionis modus præscriptus sit, vt eum sicut teipsum diligas simul, & tui abs te dilectio prætermisum non est. *Congregatis autem Phariseis interrogauit eos Iesus, dicens: Quid vobis, &c.* Chry. in ho. Iudæi æstimantes Christum esse hominem purum, eum tentabant: nec eum tentassent, si filium Dei credidissent. Volens ergo Christus ostendere quod agnoscebant fallaciam cordis eorum: & quia Deus erat, nec manifeste voluit vincere veritatem, ne occasionem blasphemie inuenientes Iudæi amplius insanirent: nec omnino tacere, quia ad vos venerat vt veritatem annunciarer, ideo talem interrogationem eis proposuit, vt ipsa interrogatio eis ostenderet quis esset. vnde dicitur: *Congregatis autem Phariseis, interrogauit eos Iesus, &c.* Chry. in hom. Discipulos quidem primum interrogauit quid alij diceret de Christo, & tunc quid ipsi dicerent: hoc autem non ita. Profecto enim seductorem eum dixissent, & malum: existimabat autem, quoniam Christus purus homo erat, & ideo dixerunt eum esse filium Dauid. Et hoc est quod subditur: *Dicunt ei, Dauid.* Ipse autem reprehendens, inducit prophetam dominationem eius & proprietatem filiationis, & cohonorationem, quæ est ad patrem restantem. vnde subditur: *Ait illis, Quomodo ergo Dauid, &c.* Hiero. Testimonium de 109. Psal. sumptum est. Dominus ergo filius Dauid vocatur, non secundum id quod de eo natus est, sed iuxta id quod natus ex patre semper fuit, præueniens ipsum carnis suæ patrem: vocat autem eum dominum suum, non errore incerto, nec propria voluntate, sed spiritu sancto. Remi. Quod autem dicit: *Sede à dextris meis,* non intelligendum est, quod Deus corporeus sit, vt dexteram vel sinistram habeat, sed à dextris Dei sedere, est in honore & æqualitate paternæ dignitatis manere. Chry. super Matth. Puto autem hanc interrogationem non solum contra Phariseos, sed etiam contra hæreticos posuit: nam secundum carnem verè filius erat Dauid: Dominus autem secundum diuinitatem. Chry. in ho. Non autem in hoc stat, sed vt timeant, subdit, *Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum,* vt saltem ita eos inducat. Orige. Deus etiam non ad perditionem solum ponit scabellum pedum Christi inimicos ipsius, sed & ad eorum salutem. Rem. *Donec* autem pro infinito ponitur, vt sit sensus, *Sed semper, & inimici tui in sempiternum subijcientur pedibus tuis.* Glo. Quod autem à patre inimici subijciuntur filio, non infirmitatem filij, sed vnitatem naturæ significat: nam & filius subijcit inimicos patri, quia patrem clarificat super terram. Et ex hac autoritate concludit, Si ergo Dauid vocat eum dominum, quomodo filius eius est? Hiero. Interrogatio hæc nobis proficit, vsque hodie contra Iudæos. Et hi qui consentiunt Christum esse venturum, hominem simplicem & sanctum virum asserunt de genere Dauid. Interrogemus ergo eos docti à domino, si simplex homo est, & tantum filius Dauid, quomodo Dauid vocat eum dominum suum? Iudæi autem ad diluendam interrogationis veritatem, stiuola multa confingunt, vernaclum Abraham asserentes, cuius filius fuerit Damascus Eliæzer: & ex ipso persona scriptum psalmum, quod post sedem quinque regum dominus Deus, domino suo Abra-

ham dixerit, *Sede ad dexteram meam, donec ponam, &c.* Quos interrogemus quomodo dixerit Abraham ea quae sequuntur, & respondere cogamus quomodo Abraham ante Luciferum genitus sit, & quomodo sacerdos fuerit secundum ordinem Melchisedech, pro quo Melchisedech obtulerit panem & vinum, & a quo decimas praedae acceperit. Chryl. in ho. Hoc tantum imposuit finem ipsorum disputationibus quasi magnum & sufficiens pracludere eorum ora. unde sequitur, *Et nemo potest respondere ei verbum, neque ausus est, &c.* Siluerunt enim extunc non volentes, sed non habendo aliquid dicere. Ori. Si autem interrogatio eorum fuisset ex voluntate discendi, nunquam eis talia proposita fuisset, ut amplius non essent ausi eum interrogare. Raban. Ex hoc intelligimus venena inuidiae superari posse, sed difficile quietescere.

### ORIGENIS PRESBYTERI in idem Euang. Homilia.

Est Hom. 23.  
in Matth.

**C**um Dominus ad interrogationem Sadducæorum esse resurrectionem audire nolentibus demonstrasset legis exemplo (sicut dixit Matthæus) silentium Sadducæis imposuit Iesus: volens ostendere, quod amaram, & noxiam mendacij vocem obmutescere fecit claritas veritatis. Sicut ergo Saluator verbo doctrine suae silentium imposuit Sadducæis, & falsum dogma quod apud illos veritas putabatur cōiicit: fiducialiter sic faciet & Christi imitatores exemplis scripturarum, quibus oportet secundum sanam doctrinam omnem vocem obmutescere Pharaonis, in qua glorians dicit, Mea sunt flumina, & ego feci ea: sicut scriptum est apud Ezechielem. Sadducæi ergo, qui dicunt resurrectionem non esse, interrogauerunt Saluatorem ea, quae scripta sunt existimantes silentium imponere ei. Sed nec Iesus, nec dilecti discipuli eius aliquando obstruuntur ab impiis. Proprium est enim ut Sadducæis silentium imponatur à Christo. Iustus enim tacet quidem sciens tempus tacendi, & tempus loquendi: non autem obmutescit. Et sicut proprium est iusti tacere, non autem obmutescere: sic proprium est Sadducæorum vel omnium, qui mendacij sunt doctores, obmutescere quidem, non autem tacere. Nam et si obmutescunt quantum ad rem, non tamen tacet. Ideo & dominus non homini dixit, sed mari: tace, & obmutescet: increpans illud cum turbaretur. Tamen Pharisei, qui resurrectionem consentiunt audientes, quod silentium imposuit Sadducæis: conuenerunt in unum, videlicet resurrectionis dogmate praualente, & congregati sunt qui non congregabantur quando Sadducæis silentium non imponeretur. Nihilominus tamen & si congregati fuerint, propterea quod tenuit resurrectionis probatio, tamen unus ex eis interrogauit, non quasi volens ab eo discere quae interrogabat, sed tentans dominum Deum. Omnem ergo hominem, qui non discendi gratia, sed tentandi causa, neque ex affectu simplici interrogat aliquem doctorum de qualicūque capitulo, existimare debemus fratrem Pharisei illius, qui Saluatorem interrogatione sua tentabat. Omnia enim, quae sunt in sanctos Christi sine ab insidiatoribus, sine à diligentibus, in se suscipit vniuersa. Secundam ea enim, quae scripta sunt, tractare debemus & ea, quae scri-

pta non sunt. Scriptum est enim propter esurientes, & sitientes eum dixisse, Esurij & sitiui: & propter nudos, & peregrinos, & egrotantes, & in carcere positos: Nudus fui, & hospes fui, & in carcere fui, & infirmus fui. Secundum consequentiam similitudinis addamus & nos: iniurias passus sum, caesus sum, & tentatus sum, & omnia. Et sicut in illis, quae scripta sunt, verus est sermo domini dicentis, *Quando vni ex minimis istis fecistis, mihi fecistis*: sic cum iniuriam passus fuerit iustus, vel blasphematus, vel aliquid tale passus, pone Christum in eos, qui fecerunt dicentem eis, *Quando vni ex minimis istis fecistis iniuriam, me tentastis, me blasphemastis.* Videamus nunc propositionem tentantis. *Magister* (inquit) *quod est mandatum maius in lege?* Tentans dicebat, *magister*, quoniam non quasi discipulus Christi proferebat hanc vocem. Hoc autem manifestus erit ab exemplo quod dicimus. Pater filij sui pater est, & nemo eum proprie potest dicere patrem nisi filius eius: & mater filiae suae mater est, & nulla eam potest dicere matrem, nisi sola filia eius. Sic & magister discipuli sui magister est, & discipulus magistri sui discipulus est. Propterea nemo potest dicere bene magister, nisi discipulus. Et vide nisi propter hoc, quia non omnes, qui dicunt eum magistrum, bene dicunt, sed hi soli, qui habent discendi voluntatem ab eo, dicebat ad discipulos suos. Vos vocatis me magistrum, & dominum, & bene dicitis: sum etenim. Bene ergo discipuli Christi vocant eum magistrum, & seruientes verbo ipsius bene illum dominum vocant. Unde bene dicebat Apostolus, *Nobis autem unus dominus Iesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum.* Et illud considera quod ait, *Satis est discipulo, ut fiat non simpliciter, sicut magister, sed sicut magister eius.* Si quis ergo aliquid non dicit à verbo, nec tradit se ex toto animo suo, ut fiat dilecta platiatio eius, dicit autem ei, *Magister*: frater est Pharisei tentantis Christum, & dicentis ei, *Magister*. Sic & omnis qui dicit, *Pater noster*, qui es in caelis: non debet habere spiritum seruitutis in timore, sed spiritum adoptionis filiorum. Qui autem non spiritum adoptionis filiorum habet, & dicit, *Pater noster*, qui es in caelis, inuenitur, cum non sit filius Dei, Deum patrem suum appellans. Interrogatio autem ipsa est talis. *Quod est magnum mandatum in lege?* In quo dignum est ut de mandatorum differentia aliquid exponamus. Quaedam enim mandata sunt magna: quaedam autem subsequencia: & sic per ordinem vsque ad minima: mandata est requirendum. Si enim tentant phariseo, & dicenti, *Quod est maius mandatum in lege*, non respondisset: consequenter existimabamus non esse mandatum maius altero mandato. Nunc autem cum respondens dicit, *Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, hoc est magnum mandatum & primum*: necessariam discimus sententiam de mandatis, quod & sunt magna, & sunt inferiora, vsque ad minima. Adhuc autem & illud attende, quod Phariseus interrogauit: quod est magnum mandatum in lege: dominus autem respondens ei docet nos, quod non solum magnum est mandatum diligere dominum, sed etiam primum. Primum autem non ordine scripturae, sed dignitate virtutis. Et hoc quasi conueniens huic loco est attendendum, quod quasi multis mandatis constitutis: ita nunc magnum hoc & primum dixit

dixit mandatum: *Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua.* Secundum & simile est priori, & propter similitudinem magnum. *Diliges proximum tuum sicut teipsum*: ut secundum hoc intelligamus & aliud esse quod sit magnitudine & ordine tertium, aliud vero quartum: & sic per ordinem dinumerans legibus mandata: & sic per ordinem dinumerans legibus mandata: accipiens à Deo sapientiam ordinet ea quis vsque ad minimum. Quod opus nullius alterius est nisi Christi solius qui est Dei virtus & Dei sapiencia. A temporibus igitur Moyli vsque ad Saluatoris aduentum cum legeretur lex, forsitan quaerebatur quod esset magnum mandatum in ea. Nec enim interrogasset hoc Phariseus, nisi diu apud illos de hoc quaesitum fuisset, & non inuentum, donec veniens Iesus docuit, non solum quod esset magnum, sed etiam primum & quod esset secundum simile priori. Ipsius ergo est opus inuenire & tertium, & quartum, & reliqua. Quares autem, si est aliquid mandatum non habens vtrumque, id est ut & primum sit & magnum sed vnum ex eis. Et puto tale aliquid dicit Apostolus ad Ephesios, *Honora patrem tuum, & matrem*, quod est mandatum primum in promissione, ut bene sit tibi, & eris longaeuus super terram. Ergo primum quidem, non autem & magnum, honora patrem tuum & matrem: & si est aliquid mandatum quidem, non autem & primum queres differentiam magnitudinis mandatorum. Et quia ad comparationem quidem mandatorum sunt alia minima: vtile est ad exemplum proferre quod ipse dominus ait, *Si quis soluerit vnum de mandatis his pusillis, & docuerit sic homines: minimus vocabitur in regno Dei.* Et Saluator quidem tradens quod esset magnum mandatum, & primum, ad interrogationem Pharisei tentantis: adiciens autem & secundum simile priori, quod erat, *Diliges proximum tuum sicut teipsum*, addit dicens, *In his duobus mandatis, omnis lex & prophetæ pendet*: Apostolus autem ad Romanos dicit, *Non mœchaberis, non occides, non furtum facies, & si quod est aliud mandatum in hoc verbo recapitulatur, Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Videamus ergo vtrum aliud est pendere omnem legem, & prophetas in his duobus mandatis de dilectione Dei & proximi: aliud autem, recapitulari omne mandatum in hoc mandato, *Diliges proximum tuum sicut teipsum*: aut omnia mandata & pendet, & recapitulatur in vtroque mandato. Dicit ergo aliquis pendere à mandatis mandata: & à primo quidem, & magno pendere secundum & simile primo, à secundo autem tertium, & sic deinceps omnia quae sunt post secundum, pendere à precedentibus. Et Apostolus quidem secundum considerationem rei dixisse pendere omne mandatum à mandato: *Diliges proximum tuum sicut teipsum*: Saluatorem autem docuisse, quod dominationem habent omnium mandatorum hæc duo mandata. Alter autem discutiens quaeret, quomodo dictum est illud, *Non mœchaberis, non occides, non furtum facies, & si quod aliud est mandatum in lege, in hoc verbo recapitulatur. Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Dicit ergo, & illud mandatum: *Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, recapitulatur in eo mandato, Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Quomodo autem verum sit quod ait, Et si quod aliud est mandatum, in hoc verbo recapitulatur: nisi & mandatum

quod positum est de dilectione Dei, recapitulatur in secundo, & simili priori? Et si primum mandatum recapitulatur in secundo: necesse est maius esse secundum priore. Recapitulatur ergo omne mandatum: sed & primum illud & magnum in hoc secundo, *Diliges proximum tuum sicut teipsum*: quoniam diligentes nolent ipsos si quid fecerimus: & ipsum diligimus Deum qui factus est autor dilectionis nostrae, ut alterutrum diligamus, & diligamur ab inuicem. Gratias enim agentes in eo quod rationabiles sumus, & vocati sumus ad Dei agnitionem, & consequimur beneficia eius, & gratiam: recapitulamus Dei dilectionem in secundo, & simili priori. Magnum ergo & primum mandatum in lege est hoc, *Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente.* Et forsitan omnes qui diligunt Deum, & dominum suum, nisi & sequentes partes impleuerint, & ex toto corde dilexerint, & ex tota anima, & ex tota mente: ex parte seruant mandatum. Hi autem soli magnitudinem eius in se suscipiunt, & primum, qui non solum diligunt dominum Deum suum: sed etiam tria illa susceperint: id est ut ex toto corde suo apud se illam totam recordant, & operationes eius, & cogitationes eius, & ex tota anima sua, id est, ut parati sint ponere eam pro pietate Dei qui vniuersa creauit, quando utilitas exegerit verbi: ex eo quod ex tota anima diligit Deum: ita ut nulla pars animae euellatur ad aliquam rem, quae à fide est aliena: & in tota mente nostra nihil aliud cogitantes vel proferentes nisi ea, quae Dei sunt. Et vide, si potes cor quidem accipere pro intellectu, qui est in intelligibilibus speculans, & ostendens fontem, & principium eorum, quod est Deus: mentem autem ad proferendas res. Mente enim proferimus singulas res, & per vnum quodque significatum quasi mēte nostra inambulamus, atque proferimus. Et si quis ingeniose intelligat mandatum, quod de dilectione positum est in omnibus illis tribus, quae sunt nominata, & considerauerit in singulis quibusque fidelibus Dei dilectionem: inueniet forsitan totum mandatum aut apud vnum forsitan, vel secundum, vel tertium: & hoc si fuerit datum in omnibus, aut Dei dilectionem minus habentem, vel modicum, vel amplius, aut ex eo quod dicit ex toto corde: aut ex eo quod ait, ex tota anima aut ex tota mente. Simile est & secundum mandatum priori, quoniam est dilectio hominis qui factus est secundum imaginem Dei, forsitan & secundum similitudinem. In expositione autem mandati, quod est de dilectione proximi positum, etiam hæc sunt discenda. Quoniam secundum quod dictum est in decimo psalmo, *Qui diligit iniquitatem, odit animam suam*: & secundum quod in Proverbis dicitur, *Qui repellit disciplinam, odit seipsum: manifestum est, quod nemo diligens iniquitatem diligit proximum suum sicut seipsum, cum nec seipsum diligit: & nemo repellens disciplinam, diligit proximum suum sicut seipsum: quippe qui nec ipsam se diligit: Et ita fit, ut, qui diligit iniquitatem, & odit animam suam: nec possit seruare secundum mandatum. Similiter & qui repellit disciplinam, peccatum diligit: ideo & qui repellit aliquod verbum disciplinae Dei odit animam suam. Post hæc quaeres quomodo omnis lex, & prophetæ pendet in duobus istis mandatis. Videtur enim rextus ostendere quod omnia quaecumque sunt scripta,*



vel in Exodo, vel in Leuitico, vel in numeris, vel in Deuteronomio, pendeant in his duobus mandatis. Quomodo autem lex, quæ posita est de leprosis, vel de fluxu sanguinis patientibus, vel de menstruatis mulieribus, pendeat in istis mandatis? adhuc autem quomodo & prophætia quæ de Hierusalem captanda posita est, vel visio Ægypti apud Esaiam cæterisque prophetas, quomodo & visio Tyri, vel quæcunque prophetantur de Tyro, vel de principe Tyri, quomodo etiam visio quadrupedum in deserto apud Esaiam pendeant in duobus istis mandatis? Quod autem videtur mihi in hoc loco, huiusmodi est. Qui omnia adimplet, quæ scripta sunt de Dei dilectione, & proximi, dignus est maximas gratias à Deo percipere: quibus præpositus est sapientiæ sermo per spiritum sanctum, per quem sermo scientiæ qui secundum spiritum est. Dignus autem constitutus his omnibus donis exultat in sapientia Dei, plenum habens cor de Dei dilectione, & totam animam lumine scientiæ illustratam & totam mentem verbo Dei. Consecutus autem huiusmodi dona ex Deo, profecto intelligit omnem legem, & prophetas, partem aliquam esse ex omni sapientia, & scientia Dei: & intelligit omnem legem, & prophetas pendere, & adherere à principio dilectionis domini Dei & proximi. Et quoniam profecto pietatis in dilectione consistit sufficientia quidem sunt & ista quæ diximus: tamen ad demonstrationem magnitudinis eius nihilominus conuenit & ista subiungere. Caritas patiens est, benigna est. Caritas non inflatur, non agit perperam, non est ambitiosa, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate: congaudet autem veritati, omnia sustinet, omnia credit, omnia sperat, caritas nunquam excidit. Nemo enim pyssillanims constitutus caritatem habet, nec contrarium aliquid faciens benignitati, neque zelans zelum, quem habuerunt patriarchæ aduersus Iosaph, vel Aaron ex Maria contra Moysen. Et nemo inflatus habet dilectionem, neque perperam aliquid agens, nec qui in iracundiam excitatur. Item nemo cogitans malum, charitatem habet in corde coinquinatus: Qui charitatem habet, nunquam de aliquare iniuria gaudet, sed semper veritati congaudet. Qui charitatem habet, omnia accidentia sustinet mala, & non pro parte credit, sed omnia credit: & non ex parte sperat, sed omnia sperat, nec est quod non sustinet dilectio, sed omnia sustinet. Et quoniam caritas nunquam excidit, confidens apostolus totam eam se suscepisse, dicebat. Quis nos separabit à charitate Dei? Tribulatio, an angustia, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? Sicut scriptum est, Quoniam propter te mortificamur tota die, existimati sumus ut oues occisionis. Propter dilectionem enim dicebat, Sed in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos. Ex charitate enim nunquam excidente erant illæ voces dicentis, Confido enim quod neque mors neque vita, neque angeli, neque principatus, neque presentia, neque futura, neque virtutes, neque altitudo, neque profundum, neque alia aliqua creatura poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu domino nostro. Et quoniam habebat duo apostolus dilectionis mandata, Dei, & proximi: ideo habebat in se totius legis & prophetarum manifestata mysteria, ut intelligens ea

diceret, quod omnis lex & prophetæ in his duobus mandatis pendent. *Congregatis autem Phariseis interrogauit eos Iesus dicens, Quid vobis videtur de Christo, cuius est filius? Dicunt ei, David, &c.* Verba quidem ipsa posita sunt in psalmo centesimo nono, Dixit dominus domino meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Quasi confitentibus autem Phariseis, quod qui dixit quidem est dominus Deus, ad quem autem dixit secundus dominus Christus: interrogat eos saluator dicens, *Quid vobis videtur de Christo, cuius est filius? & ad responsum eorum, qui dixerunt David: addit dicens, Si David dominum eum vocat, quomodo filius eius est?* Digna est ergo res, ut videamus quid volens proponat saluator Phariseis quaestionem de Christo; ut responderet quid eis videretur, & quæ fuit causa ut non possint ei dare responsum. Et simplicior aliquis ex dicentibus ista dicit, quod voluntas saluatoris fuit hæc, ut compesceret Phariseorum audaciam, multas propositiones proponerentur ei: similiter & Sadduceorum, qui proposuerat ei de septem fratribus, & vna vxore eorum. Quoniam ergo multa proponentes Pharisei & Sadducei aliquid dicere videbantur, & hoc facientes non quasi discipuli discere cupiebant, sed tentabant Christum, & videbantur legis esse doctores cum non essent: ideo fuit & dominum interrogationem proponere eis necessarium, profitentibus legis habere se scientiam, ut coram populo argueret eos, cum responsum ad interrogata non dederint, ipse ad omnia respondens: quoniam ipse quidem idoneus erat secundum professionem doctoribus condocentem manifestare & traiecit doctrinam diuinam: illi autem, nec ipsum prophetam qui erat fastidium prophetarum sciebant. Adhuc autem cui hæc expositio placet adiciens dicit, Propterea & sic adiicit scriptura enangel. j. dicens, *Et nemo poterat respondere ei verbum, nec ausus est quisquam ex illa hora interrogare eum verbum.* Causa autem ut non essent ausi interrogare eum postmodum verbū, hæc fuit, quia interrogati respondere ei non potuerunt. Si enim interrogatio eorum fuisset ex voluntate discendi, nunquam talia eis proposuisset, ut postmodum non essent ausi interrogare. Sed tentantes interrogabant, ideo obstruere eos voluit interrogatione sua, ut erubescerent quiescant ab audacia sua, & postmodum nihil interrogaret eum. Hæc secundum intellectum simplicis interpretatoris sumus locuti. Nos autem dicimus, quod cognoscebat seipsum saluator & dominus noster, factum quidem ex semine Dauid secundum carnem, prædestinatam autem filium Dei in virtute, Et quoniam hæc omnia erat, quæ ipse de se docens dicebat, Ego sum via, veritas, & vita: ego sum ianna, ego sum resurrectio, ego sum panis viuus, qui de celo descendit: & scias esse se ante natiuitatem etiam ipsius Abraham, propter quod & dicebat, Ante Abraham ego sum: & scias quod sapientia erat, & verbum viuum: sapientia quidem quæ Deus creauit principium viarum suarum in opera sua: verbum autem quod erat in principio apud Deum, Deus verbum: hæc omnia de seipso cognoscebat, & videns, Phariseos quod illud quidem quod secundum dispensationem humanam & propter homines erat ut capere possint, sciebant ex diuinis scripturis, quod de semine erat Dauid secundum carnem

carnem, forsitan autem quoniam & omnino eum arbitrabantur filium esse Dauid: videns autem longe eos esse ab intellectu diuinitatis suæ secundum quod principium erat vniuersæ creaturæ, nullius filius constitutus nisi Dei, qui super omnia est: arguere titubantem existimationem eorum de se, & pronocare eos sermonibus suis, ut velint ascendere verbo & videre secundum quod Deus verbum erat, qui erat in principio apud Deum, in primis quidem dixit, *Quid vobis videtur de Christo, cuius est filius?* Ita respondentibus, & dicentibus, *David:* iterum eis respondit, manifestans sublimitatem diuinitatis suæ: quæ demonstrabat in ipso principio Psalmi dicens, *Dixit dominus domino meo, sede à dextris meis: donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum:* ut etsi tunc ei respondere non possent, tamen occasionem acciperent ex verbis ipsius, ut totum Psalmum considerantes, aliquid amplius sentirent de Christo: qui non solum excedens erat humanam naturam, sed etiam cæteras gentitas, secundum quod ait. In splendoribus sanctorum ex vtero ante luciferum genui te. Non enim specialiter designauit in splendoribus aliquorum sanctorum, sed generaliter de omnibus sanctis, id est, non solum hominum, sed etiam angelorum, dicens: In splendoribus sanctorum ex vtero ante luciferum genui te. Et si quidem sapienter considerasset, et illud, iurauit dominus, nec eum poenitebit, tu es factus: in eternum secundum ordinem Melchisedech: subiecissent utique se sicut discipuli tali saluatori nostro, qui à Deo erat transmissus magister, atque sacerdos. Sed causa fuit propter sermonibus Christi ista, quoniam nihil magnū de Christo in sanctis scripturis positum sentiebant, sed tantummodo de dispensatione eius humana, sed nec ipsam dignam diuinam dispensationem. Puto enim quod nec illud sciebant, quod dixit, *Ecce virgo in vtero concipiet, & vocabitur nomen eius Emmanuel:* nec illud, *Ecce oriatur stella ex iacob, de natiuitate videlicet Christi.* Hoc autem ipsum quod dicit in Psalmo, *Dixit dominus domino meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum:* opportunius quidem exponet quis, cum ipsum sibi exponere proposuerit Psalmum. Et num tam sensum eius leuiter degustemus. Nec tibi describas sensibiles sessiones, & duas cathedras, & sedentes super eas humano schemate patrem, & filium, sed intellige hæc moraliter dici de regno Dei, & de regno filij, quod à patre est stabilitū, & est semper ad dexteram patris. Si quis autem hæc moraliter intelligi non vult, exponat quomodo & hoc sit verum quod ait. *Dixit dominus domino meo, sede à dextris meis:* & illud quod alibi dicit, *Sedere autem ad dexteram meam, & ad sinistram.* Item ad dexteram meam, sed quibus paratum est à patre meo. Cogendus est ergo dicere, qui non vult hæc intelligere digne, secundum magnitudinem sensus Christi, quod aliquando quidem ad dexteram sedet patris, aliquando autem dignitatem huiusmodi derelinquens sedendi ad dexteram patris, priuatim sedet cum eis, quibus parauit pater ut sedeat ad dexteram eius, vel ad sinistram. Item adhuc cogendus est dicere, quod ad dexteram quidem sedes patris, adhuc inimicos habet. Tandem enim sedet iuxta eum, donec ponantur à patre scabellum pedum Christi. Cum vero defierit

sedere ad dexteram patris, tunc iam non habebit inimicos, cum sedere ad dexteram eius, vel sinistram cœperint secundum ordinationem patris, qui prius fuerant scabellum pedum ipsius. Et ita fit, ut sedentium aliqui in loco priori sedeat patris. His autem quid magis ridiculum potest esse? Deinde corporalem volens intelligere sessionem, inuenies in eodem Psalmo, quod & filius ad dexteram sedet patris, secundum quod ait, *Dixit dominus domino meo, sede à dextris meis:* & pater sedet ad dexteram filij, secundum quod in sequentibus declaratur, dicens, dominus à dextris est tuis, confinget in die iræ suæ reges. Nos autem dicimus non esse necesse corporalem considerationem introducere in his quæ spiritualiter sunt intelligenda. Nam moraliter & filius ad dexteram patris est, & pater ad dexteram filij semper. Quomodo & inimici saluatoris ponuntur à patre scabellum pedum eius, congruum est videre digne, secundum benignitatem Dei ponentis inimicos eius scabellum pedum ipsius. Nec enim est existimandum similiter ponere Deum inimicos Christi scabellum pedum eius, quem admodum ponitur inimici sub pedibus regum terrenorum exterminantium proprios inimicos. Nonne illi sine misericordia conculcant aduersarios proprios? Deus autem non ad perditionem ponit inimicos Christi scabellum pedum eius, sed ad salutem ipsorum, sicut proferemus scripturarum sanctorum exempla id ipsum significata. Scriptum est enim in lamentationibus Hieremij in secundo Aleph, Quomodo contenebravit dominus in ira sua filiam Sion, deiecit de celo in terram gloriam Israel, & non fuit memor scabelli pedum suorum. Et vide quod quando quidem erat Israel scabellum pedum Dei, in celo erat gloriosus: postquam autem est deiectus ut non sit scabellum pedum eius, deiecit esse in celo. Attende enim diligenter quod ait, *Deiecit de celo in terram gloriam Israel,* & non fuit memor scabelli pedum suorum. Item & illud, *Cælum mihi sedes, terra autem scabellum pedum meorum:* non ignominiam, sed gloriam significat terræ, quæ de Deo modicam aliquam & tenuissimam intelligit partem, quæ moraliter appellatur pedes eius: Sic & ecclesia super terram in initiis quidem culturæ Dei & notitiæ Dei scabellum pedum eius, sicut & poenitentiam agens mulier illa peccatrix ad pedes erat Iesus in principiis poenitentiae suæ: nec enim poterat vnguentum odoris actuum suorum honorum effundere super caput Christi. Optabile enim erat velut secus pedes domini stare, & vngere. Et vnusquisque nostrum se intelligens esse quod dicit apostolus. *Erasmus & nos aliquando sine intellectu, increduli, errantes & seruientes desiderijs, & voluptatibus variis: videbit quomodo quandoquidē talis erat, priusquam lauaretur ab illis: inimicus fuerat Christi, inimicus iustitiæ, veritatis, sapientiæ, pacis.* Postquā autē benignitas apparuit Saluatoris nostri Dei, primū factus est scabellum pedum Christi. Et ego cōstans quod iste est sensus scripturæ, non dubito affirmare quod sic dicit filio pater, *Sede à dextris meis donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Et Apostolus in prima ad Corinthios talem introducit sensum scripturæ, ut ad subiectionem intelligamus eorum, qui aliquando fuerant inimici, fieri eos scabellum pedum Christi: hoc modo dicens. Nunc autem Christus

resurrexit à mortuis: primitiæ dormiētium factus est: quoniam quidem per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Sicut enim in Adam omnes moriuntur, sic & in Christo omnes uiuificabuntur. Vnusquisque autem in suo ordine: in initio Christus, deinde hi qui sunt Christi, qui in aduentu eius crediderunt, deinde finis, cum tradiderit regnum Deo, & patri, cum euacuauerit omnem principatum, & potestatem, & uirtutem. Oportet enim illum regnare donec ponat inimicos eius sub pedibus eius. Nouissima autem inimica destruetur mors. Omnia enim subiecit sub pedibus eius. Cum autem dicat, quod omnia subiecta sunt ei, manifeste præter eum qui subiecit ei omnia. Cum autem subiecta illi fuerint omnia, tunc & ipse filius subiectus erit ei, qui sibi subdidit omnia, ut sit Deus omnia in omnibus. Horum quidem omnium manifestationem fecimus in proprio loco. Vide tamen quomodo in omnibus istis nomen subiectionis ad salutem ponitur subiectorum.

### S. HILARII PICTA- uentis Episcopi superioris Euang. expositio.

**P**harisæi autem audientes quod silentium imposuisset Sadducæis, congregati sunt aduersus eum, & interrogauit eum unus ex his legis doctor, & reliqua. Succedunt Sadducæis tentantibus Pharisei. Et illis quidem, congruenter fuerat de resurrectione responsum: ut in lege ipsa ex qua erant profecti, contineri sperandæ resurrectionis fidem conuincerentur. Pharisei uero habere se scientiam legis gloriabantur: quæ ad futurorum speciem prælata, imaginem consecuturæ ueritatis continebat. Quærent autem quod mandatum potissimum esset in lege: non contentes meditationem legis in Christo fuisse perfectam. Et quidem in solertium ignorantia legis ipsius uerbis responsum est, quæ responsio omnem in se ueritatis est complexa doctrinam. Propriū enim Domini nostri Iesu Christi officium est, cognitionem Dei afferre: & intelligentiam nominis eius potestatisque præstare. Missus enim uenerat: & ex æternitate deductus, his quæ erant Deo placita perfungebatur. Respondit itaque primum esse mandatum: Diliges Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Non enim aliud ille efficiebat, quam quod lex continebat: quia præcepta legis, eorum quæ gesturus ipse erat formam complectebatur. Admoner igitur cognitionis eius quam habere se gloriabantur in lege: Deum omnipotentem cum omni affectu mentis, cordis, animæ, diligendū: ut admonitionem suā præmissa legis mandata firmeret. Deinde adiecit: Hoc est magnum & primum mandatum. Secundum uero simile est huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Sed mandatum sequens & simile, significat idē esse & officij & meriti in utroque. Neque enim aut Dei sine Christo, aut Christi sine Deo potest uilis esse dilectio. Alterum igitur sine altero, nullum ad salutem nostram affert profectum. Et ideo in his duobus nostram affert profectam. Et ideo in his duobus mandatis tota lex pædet & prophetæ. Quia lex & prophetia omnis Christi deputabatur aduentui: & aduentus eius per supplementum eorum cognoscendi Dei intelligentiam præstabat. Nam de proximo, fre-

quenter admonimus, non alium intelligendum esse quam Christum. Cum enim patrem, matrem, filios, charitati Dei præponere inhibeamur: quomodo dilectio proximi, diligendi Dei simile mandatum est? Aut relinquitur aliquid quod amori Dei possit æquari: nisi quia similitudo præcepti patrem charitatem diligendi patrem & filium exigebat? Atque ut legis ipsius uerbis argui possent, & de proximo manifestior intelligentia panderetur: requirit, Quid illis uideretur, Christus cuiusnam filius futurus esset. Qui responderunt: Dauid. Quibusque ait: Quomodo in spiritu Dominus à Dauid nuncuparetur, qui eius filius futurus esset? Et quomodo ab eo dictum esset: Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Erat quidem uerum, Christum ex Dauid semine procreandum: sed similitudo nominis quia Dominus Domino dicebat, & qua à dextris collocabat, donec omnes inimicos subderet pedibus ipsius, significabat & de consortio nominis substantiæ unitatem, & de assidendi inuitatione iudicium, & de uniuersorum subiectione uirtutem: ut meminissent in eo qui ex Dauid oriebatur, æternæ uirtutis, & originis substantiam contineri, & Deum in homine mansurum.

### S. HIERONYMI PRES- byteri in idem Euang. expositio.

**P**harisæi audito quod silentium imposuisset Sadducæis, conuenerunt in unum, &c. Quod de Herode & Pontio Pilato legimus in Domini nece eos fecisse concordiam: hoc etiam nunc de Phariseis cernimus & Sadducæis, qui inter se contrarij sunt: sed ad tentandum Iesum pari mente consentiunt. Qui ergo iam supra in ostensione denarij fuerant confutati, & aduersæ partis factionem uiderant subrutam, debuerant exemplo moneri ne ultra moliretur in sidias: sed maleuolentia & liuor nutrit impudentiam. Interrogat unus ex legis doctoribus non scire desiderans, sed tentans, an interrogatus nosset quod interrogabatur, quod sit maius mandatum: non de mandatis interrogans, sed quod sit primum magnūque mandatum: ut cū omnia quæ Deus mandauerit magna sint: quicquid ille responderit, occasionem habeat calumniandi: aliud asserens magnum esse de pluribus. Quicunque igitur nouit & interrogat non voto discendi, sed studio cognoscendi, an nouerit ille qui responsurus est: in similitudinem Phariseorum non quasi discipulus, sed quasi tentator accedit. Congregatis autem Phariseis, interrogauit eos Iesus dicens: Quid uobis uidetur de Christo, cuius filius est? &c. Qui ad tentandum Iesum fuerant congregati, & ueritatem fraudulenta interrogatione capere nitentur: occasionem præbuerunt confutationis suæ. Interroganturque de Christo cuius filius sit. Interrogatio Iesu nobis proficit usque hodie contra Iudæos. Et hi enim qui constitunt Christum esse uenturum, hominem simplicem & sanctum uirum asserunt de genere Dauid. Interrogemus ergo eos docti à domino: si simplex homo est, & filius tantum Dauid: quomodo Dauid uocet eum dominum suum: non erroris incerto, nec propria uoluntate, sed in spiritu sancto. Testimonium autem quod posuit, de centesimo nono Psalmo

Psalmo sumptum est. Dominus igitur Dauid uocatur, non secundum id quod de eo natus est: sed iuxta id quod natus ex patre semper fuit præueniens ipsum carnis suæ patrem. Iudæi ad deludendam interrogationis ueritatem, friuola multa confingunt: uernaculum Abraham asserentes, cuius fuerit filius Damascus Eliezer: & ex ipsius persona scriptum Psalmum: quod post eadem quinque regum, dominus Deus domino suo dixerit Abraham, sede ad dexteram meam, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Quos interrogemus: quomodo Deus dixerit Abraham ea quæ sequuntur: Tecum principium in die uirtutis tuæ in splendoribus sanctorum, ex uero ante luciferum genui te. Et: Iurauit dominus & non pœnitebit eum: tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec. Et respondere cogamus: quomodo Abraham ante luciferum genitus sit, & sacerdos fuerit secundum ordinem Melchisedec, pro quo Melchisedec obtulerit panem & uinum, & à quo decimas prædæ acceperit. Et nemo poterat ei respondere uerbum, neque ausus fuit quisquam ex illa die eum amplius interrogare. Pharisei & Sadducæi quærentes occasionem calumniæ, & uerbum aliquod inuenire quod pateret insidiis, quia in sermonibus confutati sunt, ultro non interrogant sed apertissime comprehensum, Romanæ tradunt potestati. Ex quo intelligimus uenena inuidiæ posse quidem superari, sed difficile conuincere.

### S. IO. CHRYSOSTOMI Episcopi Constantiop. in idem Euang. Homilia.

**P**harisæi autem cum audissent, quia ora Sadducæorum obstruxerit, &c. Rursus causam Euangelista posuit, quam ob rem silere debuissent, atque illinc temeritatem eorum ostendat: quod pacto? Quia, illis confusus, isti rursus aggrediuntur, cum quæ quiescere oporteret, decertare uoluerunt, & legis peritiam profiterentem præmittunt, non discere, sed tentare cupientes: ac ita interrogant: quodnam primum mādatum in lege sit. Nam, cū primum illud sit, Diliges dominum Deum tuum, putantes causas sibi allaturum ad mandatum hoc corrigendum, aliquid addendo, quoniam Deum se faciebat, hoc modo interrogant. Quid igitur Christus? Ut ostendat idcirco ad hæc eos deuenisse, quia nulla in eis esset charitas, sed inuidiæ liuore tabescerent. Diliges, inquit, dominum Deum tuum: hoc primum, &c. Quam autem ob rem simile est huic? Quoniam hoc illud inducit, & ab illo rursus mutatur: Quicunque enim male agit, odio habet lucem, & non uenit ad lucem: & rursus; Dixit insipiens in corde suo, non est Deus: deinde sequitur; Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt, & iterum; Radix omnium malorum auaritia est: quam quidem appetentes, errauerunt à fide: &; Qui diligit me, mandata mea seruabit, quorum caput & radix est; Diliges proximum tuum sicut teipsum. Si ergo diligere Deum, diligere proximum est. Nā, si diligis me, o Petre, inquit, pascce oues meas: Si etiam dilectio proximi facit, ut mandata custodias, merito ait in hoc totā legem, & prophetas pendere. Et, quemadmodum in superioribus, cū de resurrectione interrogaretur, plus docuit

quàm tentantes petebant: sic in hoc loco de primo interrogatus mandato, secundum etiam non multo quàm primum inferius, sponte attulit. Secundum enim est primo simile. Ita occultius insinuauit, odio illos ad quærendum incitari. Charitas enim, inquit, non zelatur. Sed cuius rei gratia, Matthæus quidem aperte ait, tentando illum quæsiisse: Marcus autem econtra: Sciens, inquit, Iesus, quia sapienter respondit, dixit ei; Non longe es à regno Dei. Nulla certè inter euangelistas discrepantia est, sed magna etiam consonantia: tentando enim incepit, sed, cum à responsione Christi non nihil utilitatis perceperit, iure laudatur. Non enim ineptiens statim laudes audiuit: sed quando dixit, maius esse diligere proximum, quàm holocausta offerre, tunc ei dicitur; Non es procul à regno Dei. Humilia enim, & abiecta despiciens, initium uirtutis percipit, cuius causa & sabbata, & reliqua huiusmodi omnia inueta sunt, nec tamen consummata ipsum laude honorauit, sed non nihil ei deesse ostendit. Nā, si procul abest, abest tamen: quate defectus ille ipsi erat suppletus? Noli autē mirari, si cū unum esse Deum dixit, & præter eum alium nō esse, laudatus est: sed hinc etiam perdisce, ad mentem accedentium solere ipsum plerumque respondere: nam, & si mille indigna gloriæ Christi asserant, illud tamen dicere non audent, quia omnino Deus non sit. Quam ob rem autem illum laudauit, qui præter patrem non esse alium Deum dixerit? Non certè, quia nō esse se Deum uoluit significare, absit hoc enim: sed, quia nondum tempus aderat suæ deitatis reuelandæ, idcirco in priore dogmate illum permanere dimittit, cuiusque probè uetera tenentem laudauit, ut idoneum ad noui testamenti doctrinam faceret, quam opportuno tempore manifestius erat introducturus: quanuis etiam quādo in scriptura siue ueteri, siue noua dicitur unū esse Deū, & præter eum alium non esse, non ad distinctionem filij, sed exclusionem dictum sit idolorum. Quare hac sententia uoluntatem istius laudatam existimato. Cū igitur responsum dederint, ipse quoque interrogat; Quid uobis uidetur de Christo, cuius filius est? Dicunt ei, Dauid. Considera diligenter, atque perpende, quia post multa miracula, & signa, post multa responsa ultro, citroque data, post argumenta equalitatis cum patre complura, post doctrinam uerbo, & opere rutilantem, post laudem istius, qui unum esse Deum asseruit, tandem interrogat. Nam, ne dicere possent, miracula quidem ab eo facta fuisse, legi autem contrarium extitisse, idcirco post tot, tantaque interrogat: occultius eos inducens, ut se Deum profiterentur. Et discipulos quidem primum, quid alij de se, deinde, quid ipsi dicerent, interrogauit: istos uero non eo pacto, seductorem enim profectō, & perditum uirum dicere non dubitasset. Quare sententiam eorum de Christo inquit. Nam, quoniā ad passionem iam iturus erat, eam prophetiam in medium producere uoluit, quæ apertissimè dominum esse ipsum prædicat: non tamen tam principaliter, neque temerè, sed ex causa rationabili ad istud peruenit. Nam, quoniam interrogati primo, non uera de ipso dicebant, hominem esse nudum asserentes, ad refutationem erroris ipsorum Dauid illum deitatis suæ prædicatorem citauit. Nam, quoniam nudum hominem opinabantur, ideo Dauid esse filium respondebant, quod emendans ipse

ipse Prophetam hunc inducit, & quia dominus sit, & quia proprie patris filius, quia patri æqualis confirmantem: nec id ei sufficit, verum, ut etiam tererentur, quæ sequuntur, subiunxit; *Quomodo ergo David in spiritu vocat eum dominum?* Ita omnibus modis ad fidem eos inuitabat: ne autem dicere possent, adulationis causa, & humano consilio sic à Propheta scriptum fuisse; *Dixit dominus domino meo, sede à dextris meis: donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum.* Respice quemadmodum submisit opinionem Prophetæ, atque sententiam de se recitavit. Primum, cuius esse filium arbitrantur. Deinde, postquam illi, David respondere, non dixit; Atqui David sic de Christo prophetauit: sed rursus interrogandi ordine; *quomodo igitur David in spiritu dixit?* quod facit, ne his verbis conturbentur. Ideo, nō, quid vobis de me videtur; sed, *quid de Christo videtur,* interrogavit. Sic & Apostoli remisse discebant, dicentes; Licet liberè dicere de patriarcha David, quia mortuus, & sepultus est. Similiter igitur & ipse interrogando, atque ratiocinando dogma hoc de se introducit, dicens; *Dixit dominus domino meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Si ergo David dominum ipsum vocat, quomodo filius eius est? hoc ratiocinatur, non quia velit ostendere David filium Christum non esse (non enim Petrum hac de causa increpasset) sed ut falsam opinionem eorum in melius reducat. Quare, quando infert, *quomodo igitur filius eius est?* non sic esse filiū, ut illi putabāt, affirmat: illi enim filiū solummodo, non autem etiam dominum arbitrabantur. Ita post recitatum testimonium, quiete, atque remisse infert; *Si ergo David dominum ipsum vocat, quomodo filius eius est?* Hæc illi audientes nihil respondebant: non enim discendi, sed tentandi causa interrogabant. Ideo ipse intulit: sed, quoniam parvam ei fidem habebant, prophetam quoque secum accepit, quod maximè considerantes, quando remissum quid, atque humile de ipso dicitur, non scandalizabimur: ad multas enim alias causas præcipua hæc accedit, quod illos condescendens alloquitur. Qua de causa interrogando dogmata modo sanxit, ac dignitatem suam occultius ostendit. Non enim æquale videbatur, David, & Iudæorum dominum dicere. Tu autem opportunitatem etiam expède. Cum enim vnum esse dominum dictum sit, tunc de se quoque dixit, quia dominus est: quod non operibus solum, sed Prophetæ autoritate confirmavit, qua demonstravit, quia pater ipse sibi propugnat, *Donec enim ponam inimicos tuos,* inquit, *scabellum pedum tuorum.* Ita & magnum honorem sibi à patre, & se patri concordem esse ostendit. Hic fuit finis disputationum, atque interrogationū omnium, præclarus quidem, atque sublimis adeo, ut ora eorū facile conseruit. Conticuerunt enim ex illo tempore non spontè, sed, quia ita lethali fuerant perfossi vulnere, ut nō ausi fuerint eum amplius aggredi. Nullus enim, ait, *ausus fuit ab illo die interrogare eum.* Hæc res non parum vulgò conducebat: ac ideo, repulsi iam lupis, insidiisque illorum detectis, ad multitudinem orationem conuertit. Nihil enim amplius illi inanis gloriæ cupidi, & graui hac passione superati acquirere poterant. Grauis enim, atque multiceps certè ista passio est: alij enim principatu, alij diuitiis, alij robore corporis gloriabantur, & progredientes quasi ordine quo-

Alia.

dam ad eleemosynam, ieiunium, orationes, doctrinamque veniunt: ita multa sunt huius bellæ capita. Verum non est mirabile inani gloria propter alias res commoveri, ieiunio autem, atque oratione iactare, mirabile simul, & lachrymis dignum est. Sed, ne solum criminemur, agè modum etiam quendam exponamus, quo tam truculentam poterimus effugere bestiam. Quos igitur primò aggrediamur? eosne, qui diuitiis, an eos, qui vestibus gloriantur? eos, qui principatu, an eos, qui doctrina, aut arte quadam, aut robore corporis, aut forma, aut ornatu iactant? eosne, qui atrocitate, an eos, qui humanitate, & eleemosyna, aut versutia, aut morte, aut iis, quæ post mortem consequuntur, tumescunt? Multos enim hæc passio riuos possidet, & ultra vitam nostram progreditur. Mortuus enim est ille, ac ille, inquit: & ut mirabilis quidem fuisse videatur, talia, & talia testamento iussit fieri: hæc ratione ille inops est, ait, ille autem diues. Nam, quod acerbum est, à contrariis etiam hæc fera constat: quos igitur primos acie petemus? non enim aduersus omnes vna ratio congruit: vultis ne illos inuadamus, qui eleemosyna gloriantur? Mihi certè ita videtur: doleo enim, cum inanem considero gloriam rei, quam vehementer quasi pestem insidere, & quasi nutricem regiæ puellæ insidiantem. Alit enim eam, sed ad impudicitiam, & infamiā. Nam patrem contemnere iubet, & ut scelestis, ac perditis iuuenibus placeat, impudico expolit ornatu, ac tali quadam corrupto lasciuia scilicet, ac petulantia pleno, nō qualem pater desiderat. Age igitur aduersus hos enses stringamus. Fiat ergo à quodam eleemosyna cumulare ad ostentationem: sic igitur à thalamo paterno primum eam educit, cumque pater iubeat, ne sinistra quidem eam apparere, ipsa seruis notis, atque ignotis, & quibuscunque obnoxii ipsam ostentat. Vides à qua lena hoc scortum ad amores turpes hominū impellitur, & quemadmodum ipsi iubeat, ita ornetur. Vis videre quomodo non meretrix simpliciter, sed furiosa meretrix huiusmodi anima efficitur? quali mente prædita sit, discere studeas. Quid enim furiosius est, quam omisso celo, post seruos fugitiuos, & perditos homines per vicos, & angiportus currere ad inquirendos inimicos, atque amplectendos? Nemo quippe maiore odio multitudini est, quam qui falsam gloriam ab ea quouis modo aucupatur: mille namque criminationes in huiusmodi hominem confingunt, nec aliter sit, quam si quis puellam regiam à solio regali depulsam, adulteris viris, & despuetibus eam tradat. Isti ergo, quanto magis eos amplecteris, tanto te magis auertuntur: Deus autem, si ab eo gloriam queras, amplectitur te, atque laudat, & magna retribuere paratus est. Ad hæc, si detrimentum huius iactantiam melius perdiscere velis, si quando ad ostentationem te, & laudem dederis, considera quomodo mæror confestim surripat, & continuus permanceat, præceptumque Christi clamantis in mentem veniat, omnem te mercedem perdidisse. Vbiq; ac semper inanis gloria vituperatur: illa verò turpissima est, quæ nimium inflatur. Quippe cum extremæ crudelitatis esse videatur, alienas clades quasi præconio efferre, quasi paupertatem exprobrare. Nam, si beneficij commemoratio, quasi exprobratio est: quid dicemus eum facere, qui beneficia libenter mul-

Non Lytton-  
gi fura a-  
pud antiquos.  
Orationes au-  
tem hæc apud  
Clementem Ro-  
manum lib. 8.  
occurrit.

tis ostentat? Quomodo igitur hoc venenum effugiemus? Certè si diligenter considerabimus, à quibus querimus gloriam. Dic enim, quæso, quemnam eleemosynæ opificem esse putas? eum videlicet, qui rem ipsam adinuenit, qui optime omnium id facere nouit, & sine termino facit. Age igitur responde, si luctas exercitatorias disceres, ad quosnam spectares, aut quibus te in palæstra ostenderes? olerane ac pisces vendentibus, an huius luctationis principi, atque magistro? Et certè illi quidem multi sunt, hic verò vnicus. Nōne igitur, si hic te admiratur, illis identidentibus, tu quoque vna cum magistro illos irridebis? Quid porro, si castibus certare disceres, nōne similiter professorem eius ostentabis, atque magistrum spectares? sin autem eloquentiæ artibus præstare velles, nōne, si à præcipuis oratoribus laudaris, multitudinis verba contemneres? Quomodo igitur turpe non est, in cæteris quidem artificijs, ac certaminibus ad magistrum te duntaxat respicere, hæc verò in re contrarium penitus facere, præsertim cum æquale detrimentum non sit? Nam, si ad voluntatem multorum, non ad iudicium magistri lucteris, in ea re solummodo damnatum est: sin verò te ostentatione iactas, vitam æternam perdidisti. Si ergo misericorditer dando, similis Deo factus es, diligenter stude, ut in contemenda etiam ostentatione similis ei efficiaris, qui morbos hominum curans præcipiebat, ne alicui dicerent. Sed misericors forsitan, ac liberalis ab hominibus vocari desideras: quam ob rem? Nōne nullum est huius rei lucrum, damnatum autem inæstimabile? Ipsi enim, quos ad testimoniū tuæ benignitatis citas, latrones abs te constituuntur, qui te regno cælorum spoliant: imò verò non ab ipsis hoc patimur, sed à nobis, non ab aliis superiore gloria pellimus. O nouæ calamitatis genus! è furiosam hanc turbationem! quæ tinea corrodere non potest, nec fur violare, ea inanis gloria omnino dispergit. Hæc est tinea cælestis thesauri, hic est fur, qui æterna regna furatur, qui immarcessibiles à nobis diuitias auferit, qui tanquam contagiosus morbus omnia corrumpit. Ita, quoniam prospexit diabolus tam latronibus, & verbibus, quam aliis machinis inexpugnabile illud esse præsidium, per inanem illud gloriam expugnat. Sed gloriæ, inquit, cupidus sum. Nōne factus habes à conscientia eius, cui beneficium collatum est, & ab ipso Deo laudari? Sed apud reliquos etiam homines te ostentare cupis. Caue ne contrarium eueniat, & aliquis non liberalitate, ac benefico animo, sed ambitiosè te id facere credat, intolerabilique superbia, quod alienas libenter efferas clades. Nam eleemosyna mysterium est: concludendæ igitur ianux sunt, ne quis aspiciat, quæ videre nephas est. Et certè mysteria nostra, eleemosyna, maximè, ac charitas sunt. Ineffabili enim sua misericordia nostri miserus est. Et prima, quæ in Eucharistia dicitur oratio, qua pro deumoniis precamur, misericordiæ suæ commemoratione plena est. Secūda, qua pro iis oramus, qui penitentiam agunt, misericordiam humiliter querit. Tertia etiam, quam pro nobis ipsis fundimus, vel infantes adducit, Deum ad misericordiam lachrymis inflectentes. Nam, quoniam ipsi peccata nostra cognouimus, pro aliis, qui peccarūt, quique peccare possunt, ipsi clamamus; pro nobis autem ipsis infantes, quorum imitato-

res cælorum regnum expectant. Hac enim oratione significatur, quod, qui simplicitatè paruulorum sequuntur, hi maxime pro reis Deum deprecari possunt. Ipsum autem Eucharistiæ mysterium quanta misericordia plenum sit, initiati solummodo nouerunt. Quare tu quoque cum eleemosyna vteris, ianuas claudes: ipse qui recipit, solus conscientis sit: imò, si possibile est, nec ipse quidem percipiat, unde erogatum sibi beneficiū est. Quas quidem ianuas si aperueris, & hoc mysterium tuum edideris, in mentem tibi veniat, quia etiam ille ipse, à quo gloriam aucuparis, tãquam vanum omnino condemnabit. Ita contraria tibi eueniunt, quàm desideras. Tu quidem maxime cupis, ut te admiras, ille misericors, ille humanus, ille benignus, dicat; Ipse autem, ille inanis gloriæ cupidus, prædicabit, ille, qui omnibus quouis modo placere hominibus studet, cæteræque his deteriora. Sin vero tu celabis, tunc exclamabit, o misericordem illū, atque humanum! Non enim grande aliquid, atque præcipuum occultati diuitius Deus patitur: sed, si tu celabis, ille manifestabit: ita & mirabilior eris, & maiora lucraberis. Quare ad acquirendam gloriam cōtraria est omnino ostentatio. Nam ad quod festinanter pergitur, ad illud impedimento solet maximo esse. Non enim beneficentiæ gloriā solum amittimus, sed contrarium quoque acquirimus, & ad hæc non paruis nos incommodis subijciemus. Horum igitur omnium gratia inanem gloriam contemnamus, & à Deo solummodo lucrari cupiamus. Hoc enim modo & præsenri, & futura gloria potiemur, gratia & misericordia Domini nostri Iesu Christi, &c. Amen.

Vides quanta  
reuerentia  
profuerit  
Eucharistiæ  
sacramentum,  
cū de illo ne-  
fiss esse dice-  
ret verba sa-  
cere corā non-  
dum baptiza-  
tis.

AVTHORIS DICTI IMPERF. IN MATTH. EIUSDEM EVANG. EXPOSITIO.

Conuenerunt in vnum, & interrogauit eum vnus ex eis legis doctor tentans eum. Conuenerunt in vnum, ut multitudine vincerent, quem ratione vincere non poterāt: à veritate nudos se esse professi sunt, qui multitudine se armauerunt. Dicebant enim apud se vnus loquatur pro omnibus, & omnes loquamur per vnum: ut si quidem vice-rit, omnes videamur victores: si autem victus fuerit, vel solus videatur confusus. O Pharisei, qui omnia propter homines cogitatis & facitis. Primum quidem venientes cum vno, vincendi estis per vnum: tamen pone quia vno victo homines non intelligunt omnes vos esse victos; nunquid conscientia vestra consentiunt se esse confusas? Lenis enim est consolatio, ut qui in seipso confusus est, quod ab aliis ignoratur. Magister, quod est mandatum magnum in lege? Magistrum vocat, cuius non vult esse discipulus. Simplicissimus interrogator, & malignantissimus insidiator. De magno mandato interrogat, qui nec minimum obfertur. Ille enim debet interrogare de maiori iustitia, qui iam minorem compleuit. Dominus autem sic ei respondit, ut interrogationis eius fictam conscientiam primo responso percuteret, dicens; *Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Id est, non sicut tu, qui deuotionem ostendis in ore, & fraudem meditaris in corde. Magnum autem & minimum mandatum dicimus, quantum ad dignitatem



rem mandatorum, non quantum ad utilitatem. Alioquin utilitas omnium mandatorum vna est, & omnia mandata quasi vnum videtur esse mandatum: quia ita sibi coherent, vt alterum sine altero esse non possit. Vt puta, si interroget te aliquis in ædificatione domus, quæ pars est melior? dicis, fundamentum. Sed quemadmodum ædificatio non potest esse, nisi fuerit fundamentum: ita nec fundamentum esse potest nisi ædificatio fuerit subsecuta, nec dicitur fundamentum nisi sit ædificatio, cuius fundamentum dicatur. Ergo fundamentum in ædificatione dignius est, nõ vilius, Sic & caput dignius est quàm mēbra, quum nec membra sine capite, nec caput sine membris esse potest. Sic digniores sunt sacerdotes quàm populus, non tamen vtiliores: quia nec populus sine sacerdotibus, nec sacerdotes sine populis esse possunt. Ita & dignius est hoc mandatum: Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, quàm illud. Non occides: Non concupisces: tamen utilitas vna est: nam qui diligit Deum, ille non occidit, nec concupiscit: qui autem occidit, aut concupiscit, ille non diligit dominum Deum suum. Est autem minora mandata dominus manifestat, dicens; Si quis vnum ex minimis mandatis istis soluerit, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cælorum. Diliges, inquit, non dicit, Timebis, quia diligere maius est quàm timere. Inchoatio enim culturæ Dei habet timorē, perfectio autem dilectionem, dicente Ioanne: Perfecta dilectio foras mittit timorem. Donec enim homo timet Deum, non eum diligit, quum autem diligere cœperit, iam non eum tantummodo timet, sed etiam amplius diligit. Timere enim seruum est, diligere autem filiorum: timor sub necessitate est, dilectio in libertate. Qui in timore seruit Deo, pœnam quidem euadit, mercedem autem iustitiæ non habet, quia inuitus facit bonum propter timorem. Non vult ergo Deus, vt timeatur ab hominibus quasi dominus, sed vt diligatur quasi pater, qui adoptionis spiritum donauit hominibus. Nam, si consideramus ab initio creati hominis causam, intelligimus, quia Deus, magis se patrem voluit esse hominū quàm dominum. Non enim dixit tantummodo: Faciam hominem, sed faciamus hominem secundum imaginem, & similitudinem nostram. Similare autem filiis conuenit ad partes, non enim seruis ad dominos suos. Quid est diligere Deum ex toto corde? Id est, vt cor tuum non sit inclinatum ad vilius rei dilectionem amplius quàm ad Dei, nec delecteris in aliqua specie mundi amplius quàm in Deo, non in honoribus, non in auro, vel in argento, non in possessionibus, aut vineis, non in animalibus aut mancipiis, non in ornamentis aut vestibus, non in filiis aut parentibus, aut amicis, sed hæc omnia existimes tibi esse in Deo, vt præ his omnibus Deum ames. Si autem in aliquo horum amor cordis tui fuerit occupatus, iam ex toto corde non amas Deum: pro quanta enim parte cor tuum fuerit ad aliquam rem amandam inclinatum, pro tanta parte minus est ad Deum. Ecce si vir habeat uxorem, quomodo cognoscitur vxoris plena dilectio? Vxor, neminem debet sapienterem reputare, quàm virum suum, & si alter sapientior, tamen illa sapienterem alterum intelligere non debet. Vxor neminem fortierem debet putare, quàm virum suū;

Matth. 5.

1. Ioan. 4.

Cautè nã pro  
ter gehennam  
& regni cæ-  
lorum, tertiu  
locum salua-  
tionis consi-  
gno videtur.

& si alter fortior sit, tamen illa intelligere non debet alterum fortierem. Vxor neminem formosior debet putare, quàm virum: si sit alter formosior, tamen coram oculis eius alter formosior non debet apparere. Perfectum enim odium, & perfectus amor iudicium rectum non cognoscit: vt puta, si perfecte odias aliquem, qualiacunque fuerint apud illum, omnia tibi displicent, siue quæ dicit, siue quæ agit: etsi verè bona sunt, tamen tibi mala videntur. Sic & si perfecte aliquem amas, quæconque sunt apud eum, placent tibi, siue quæ loquitur, siue quæ agit: & si mala sunt, tamen tibi bona videtur. Ergo & vxor si videns aliquem dixerit, quàm sapiens vir, vnam vir meus talis esset, iam amor eius minus habet de perfecto amore: & pro quanta parte amplius aliquid laudauerit in altero viro quam in suo, tanto dilectio eius minor est ad virum suū. Sic ergo & omnis anima Christiana, quæ sponsa est Christi, ita diligere debet Deum vt nihil sit in mundo: quod amplius amet quàm Deum, aut in tantum, Pro quanta autem parte plus amauerit, pro tanta parte minus amat Deum. Quid est in tota anima diligere Deum? id est, certissimum animam habere in veritate, & firmum esse in fide. Alius est enim amor cordis, & alius est amor animæ. Amor cordis quodam modo carnalis est, vt etiam carnaliter Deum amemus, quod facere non possumus, nisi recesserimus ab amore mundalium rerum. Sicut enim casta mulier, quæ virum suum amat, nullum amat alium: si autem alterum amauerit, iam non amat virum suum. Ita & homo, si Deum amat, mundum non amat: si autem mundum amauerit, iam Deum ex toto corde non amat. Ergo cordis amor non intelligitur sed sentitur in corde, quia quodammodo carnalis est. Amor autem animæ nõ sentitur in corde, sed intelligitur, quia amor animæ iudicium eius est. Puta si didicisti vnum Deum, ex quo omnia, & vnum Deum, per quem omnia: si iterum intellectus tuus per alicuius doctrinæ seductionem percussus, cœperit dubitare de substantia Dei, in tota anima non diligis Deum. Item qui putat incartationes aliquid posse, aut auguria aliquos intelligere, aut diuinationes aliquid nunciare, non ille in tota anima diligit Deum. Quis autem diligit Deum? qui omne bonū credit apud Deum, & omne bonum credit esse Deum, & extra Deum non credit esse bonum. Qui omnem virtutem, & sapientiam credit esse Deum, & extra Deum non credit esse aliquam sapiētiam, neque virtutem. Qui credit Deum omnia facere, & sine Deo nihil fieri posse, ille in tota anima diligit Deum. Quid est in tota mente diligere Deum? Id est, vt omnes sensus tui qui pertinent ad te, Deo vacent, cuius intellectus Deo ministrat, cuius sapientia circa Deum est, cuius cogitatio ea quæ sunt Dei tractat; cuius memoria quæ sunt bona recordatur, tota mente diligit Deū, sicut ait Apostolus, Psallam spiritu, psallam & mente. Cuius autem intellectus quæ sunt Dei nõ intelligit, aut non secundum Deum sapit, aut scientia illius vana est & secularis: singularis autē recordatio eius non est bona, aut cogitatio displicens Deo, ille non tota mente diligit Deum. Hoc est primum, & maximum mandatum; secundum autem simile est huic, Diliges proximum tuum sicut teipsum. Videtur Christus non ad interrogationem respondere. Ille enim interro-

1. Cor. 14.

interrogat quid est mandatum? puta dixit, diliges dominum? Si voluit & alterum mandatum inducere, debuit minimum dicere, non secundū. Nam contra magnum minimum est, non secundum. Secundum autem ad primum respicit. Sed vide quid voluit ostendere. Diliges dominum, & magnum est: diliges autem & proximum, magnum quidem est, primum autem non est: & ideo dixit, Simile est. Considera ergo mysterium. Quis est proximus noster? Christus, qui suscipiens carnem nostram, factus est proximus nobis, sicut in parabola illa Christus ostendit, quum interrogat pharisæus: Et quis est meus proximus? Introdicit hominem vulneratum à latronibus, & à sacerdotibus despectum: à Samaritanis autem receptum, qui est ipse Christus. Ergo primum mandatum est magnum, Deum patrem diligere, secundum autem & simile est, Dei filium diligere, id est, cognoscere: ergo filius Dei magnus est, sicut pater. Quicquid enim pater potest, & filius potest. Pater enim diligit filium, & omnia dedit in manu eius. Sed quia omnia filius, dante patre, potest sicut pater, ideo pater magnus Deus & primus. Filius autem magnus Deus quidem, non tamen primus sicut ait Apostolus: Expectantes aduentum magni Dei, & saluatoris nostri Iesu Christi. Vt autē simpliciter intelligamus proximum nostrū omnem hominem esse fidelem, qui hominem amat fidelem, simile est sicut qui amat Deū, quia imago Dei est homo. Sicut in imagine sua rex honoratur vel contemnitur, sic & Deus in homine vel diligitur vel oditur. Non potest hominem odire, qui Deum amat: non potest Deum amare, qui hominem odit, sicut ait Ioannes Apostolus: Qui dicit se Deum diligere, fratrem autem non diligit, mentitur. Si enim fratrem (quem vides) non diligit, Deum (quem non vides) quomodo potes diligere? Quis enim honorat regem, & contemnit imaginem eius? Aut quis honorat imaginem, & authorem contemnit imaginis? Aut ait: quoniam Pharisæi quidem sciebant, quod est magnū mandatum in lege, sed tentantes interrogabant, volens eis ostendere, quia non sufficebat ei solus Dei patris agnitio ad salutem, ideo non solum dixit: Diliges dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua: Sed ad d. ait, diliges proximum tuum sicut teipsum, qui erat ipse. Alioquin si ad solam interrogationem eorum respondisset, sufficeret dicere: Diliges dominum Deum, & non adde- re, & proximum tuum sicut teipsum, secundum quod & alibi dicitur: Hæc est vita æterna, vt cognoscāt te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum. Et vide quia non dixit, Cognosces dominum Deum tuum: sed, diliges, quoniam cognoscere vnum Deum, proprium est humanæ naturæ: diligere autem Deum, religiosi cordis, & recti. Et quicquid dilexerit Deum ex toto corde, non est possibile vt non perueniat ad filij eius agnitionem, id est, proximi. Ipsa enim dilectio Dei, quæ in eo habetur, illuminans eum, præstat ei ducatum, vt post patrem cognoscat & filium. In his duobus mandatis tota lex pendet & propheta. Qui proximum suum diligit, nec falsum testimonium dicit de eo, quem diligit, nec occidit, nec mentitur illi, quem diligit, nec concupiscit rem illius, quem diligit, nec mulierem eius inuadit, Sicut odium omne malum suggerit, sic dilectio omne bonum. Vnde ait Apostolus: Est fides, quæ per-

Luc. 10.

Cum legem  
de  
lego & par  
a dno.

Matth.

1. Ioan. 4.

1. Cor. 17.

Galat. 5.

charitatem operatur. Aut ita: Quoniam de patre, & filio omnis Prophetarum, & legis prædicatio exitebat, per quos prophetas agnosces quis proximum suum, hoc est filium Dei, ad primum vel maximum mandatum perueniebat, vt diligeret dominum Deum, melius cognoscens eum per ipsum. Congregatis autem pharisæis, interrogauit eos Iesus, dicens: Quid vobis videtur de Christo? cuius filius est? Responderunt, David. Et dixit eis: Quomodo ergo David in spiritu dominum eum vocat, si filius eius est? Iudæi æstimantes hominem Christum tentabant, nec enim tentassent eum, si filium Dei credidissent. Volēs ergo eis Christus ostendere, quia cognoscebat fallaciam cordis eorum, & quia non erat homo, qui tentabatur, sed Deus, quem nemo poterat tentare. Nec dicere poterat manifeste veritatem de se, nec tacere: Dicere enim non poterat, ne maiorem occasionem blasphemæ inuenientes Iudæi, insanirent amplius. Tacere autem non poterat veritatem, qui ad hoc venerat, vt veritatem annūciaret. Ideo talem interrogationem eis proposuit, vt eo tacente, ipsa eius interrogatio ostenderet eis, quia non erat homo, sed Deus, dicens: Et quomodo David eum in spiritu dominū vocat? Nunquid poterat dominus eius esse, qui ex eo fuerat nasciturus? Puto hanc interrogationem non solum contra Pharisæos, sed etiam contra hæreticos posuit. Nam secundum carnem filius erat David, dominus autem secundum diuinitatem. Si ergo secundum carnem dixerunt Christum, dominum David, aut secundum carnem iustus est sedere ad patris dextram, sicut hæretici putant æqualitatis mendacium componere festinantes: nunquid Christus David se filium denegasset, nisi quia post David futurus esset? Nam filius potest nobis esse, qui post nos futurus est. Dominus autem non potest esse, nisi qui aut nobiscum est, aut ante nos est. Christus ergo secundum carnem post David est, secundum diuinitatem autem ante David. Ergo illum significabat dominum suum, illum significabat iubēdum sedere, qui iam tunc erat vnigenitus Dei. Et nemo poterat respondere ei verbum, neque ausus est quisquam ex illa hora eum amplius interrogare. Confusio multorum, facta fuerat disciplina cunctorum. Nam, si credimus, quia omnia ibi secundum Dei prouidentiam agebantur, & dicebantur, intelligimus, quoniam non illis definitibus interrogare, Christus desit docere: sed Christus desiderat eos iam vterius velle docere, ideo & illi desierunt ausi esse interrogare. Nam qui mati terminum posuit, ipse audaciæ diaboli aduersus se agentis, quando voluit, tunc finem posuit.

Psalm. 109.

S. AVGVST. EPISCOPI  
Hipponenfis in superius Euang.  
Homilia 1.

Interrogati Iudæi, sicut nunc ex Euangelio, cum recitaretur, audiuimus quomodo esset dominus noster Iesus Christus filius David, quem dominum suum dixerit ipse David respondere non potuerunt. Hoc enim in domino nouerant, quod videbant. Apparebat enim eis filius hominis, occultus autem erat filius Dei. Hinc est, quod eum & superari posse ceciderunt, & ligno suspensum irriterunt, dicentes, Si filius Dei est, de-

Matth. 27.

Z z scndat

1. Cor. 2. scendat de cruce, & credimus in eum. Aliud videbant, aliud non cognoscebant. Si enim cognouissent, nunquam dominum gloriæ crucifixissent. Sciebant tamen Christum filium David. Nam etiam nunc ipsum sperant esse venturum. Latet eos quod venerit, sed volentes latet. Neque enim si pendentem non agnouerunt, & regnantem agnoscere non debuerunt. In cuius enim nomine vocantur, & benedicuntur omnes gentes, nisi in eius, quem putant Christum non fuisse? Ipse enim filius David, utiq; ex semine David secundum carnem filius est Abraham. Si autem dictum est ad Abraham, In semine tuo benedicentur omnes gentes, & vident iam in Christo nostro benedici omnes gentes, quid expectant quod iam non venit, & non timent quod venturum est? Lapidem enim se dixit ipse dominus noster Iesus Christus, prophético ad se afferendum utens eloquio. Lapidem autem talem, ut, si quis in eum offenderit, conuassetur, super quem autem lapis ille venerit, conterat eum. Quando enim in eum offenditur, humilis iacet, iacendo humilis quassat offendentem, veniendo excelsus conterit superbientem. Iam ergo Iudæi illa offensione quassati sunt, restat, ut eius præclaro aduentu etiam conterantur, nisi forte cum viuunt agnouerint ne moriantur. Patiens enim est Deus, & illos quotidie inuitat ad fidem. Sed cum Iudæi respondere non possent domino proponenti quæstionem & dicenti, Cuius filium dicerent Christum, atque illi responderent, filium David: addenti & proponenti, quomodo ergo David in spiritu vocat eum dominum, dicens, Dixit dominus domino meo sede ad dexteram meam, donec ponam inimicos tuos sub pedibus tuis? Si ergo David, inquit, in spiritu dicit eum dominum, quomodo est filius eius? Non dixit, non est filius eius, sed, quomodo est filius eius? Quomodo cum dicit, verbum quærentis est non negantis, tanquam si hoc eis diceret, Bene quidem dicitis Christum filium David, sed ipse David dominum eum dicit. Quem dicit ille dominum, quomodo est filius? Dicerent Iudæi, si instrueti essent fide Christiana, quam nos tenemus, si contra Euangelium corda non clauderent, si vitam spiritalem in se habere voluissent, responderent huic quæstioni & dicerent, Quoniam in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Ecce quomodo est dominus David. Sed quia verbum caro factum est, & habitauit in nobis: ecce quomodo est filius David. Sed nescientes obmutuerunt, nec ore saltem clauso aures aperuerunt, ut quod respondere non poterunt interrogati, nosset edoceri. Sed quia magnum est, nosse mysterium, quomodo sit dominus David & filius David, quomodo sit vna persona homo, & Deus, quomodo sit in forma hominis minor patre, in forma Dei æqualis patri, quomodo iterum dicit, Et pater maior me est, & Ego & pater vnum sumus: quia magnum est sacramentum, ut capi possit, mores informandi sunt. Indignis enim clausum est, promerentibus appetitur. Nec lapides, nec vectes, nec pugni, nec calces sunt quibus pulsamus ad dominum. Vita pulsata, vitæ aperitur. Corde petitur, corde queritur, corde pulsatur, cordi aperitur. Cor autem hoc quod recte petit, recteque pulsatur, & queritur, pius esse debet: Primo amare Deum gratis. Hæc est enim pietas: nec sibi extra illum ponere mercedem, quam expectet ex illo. Illo enim melius

Genes. 22.

Psal. 117.

Psal. 109.

Joan. 7.

Joan. 14. Joan. 10.

est nihil. Et quid charum petit à Deo, cui ipse Deus vilis est? Terram dat, & gaudes, amator terræ, & factus terra. Si gaudes quando dat terram, quanto amplius gaudere debes, cum seipsum dat tibi, qui fecit cælum & terram: Gratis ergo amandus est Deus. Nam diabolus hoc sancto Iob nesciens quod in illo intus ageretur, magni crimen obiecit dicens, Nunquid gratis colit Iob Deum? Ergo, si aduersarius hoc obiecit, timere debemus ne hoc nobis obiiciatur. Cum magno enim calunioso habemus negotium. Si querit fingere quod non est, quanto magis obicere quod est? Gaudeamus tamen, quia talis est iudex qui falli ab accusatore nostro non potest. Nam, si hominem haberemus iudicem, huic quicquid veller, fingeret inimicus. Nemo est enim diabolus astutior falsa crimina ad confingendum. Nam & nunc omnia falsa crimina de sanctis ipse confingit. Scit suas criminationes valere non posse apud Deum, inter homines illas spargit. Et hoc ei, quid prodest, cum dicat Apostolus, Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ. Putatis tamen quia ille falsa crimina nulla astutia confingit? Nouit quid inde mali agat, nisi ei resistat vigilantia fidei. Ideo enim & de bonis mala spargit, ut infirmi non putent aliquos esse bonos, & tradant se rapiendos libidinibus, & dissipandos, dicentes apud se ipsos, Quis est enim, qui seruat mædaturam Dei, aut quis est qui seruat castitatem? Dum putat quia nemo, ipse sit nemo. Hoc ergo agit diabolus. Sed talis erat vir Iob, de quo nihil posset confingere. Nota enim erat & nimis clara vita eius. Sed quia multas habebat diuitias, hoc obiecit. Quod & si esset, in corde esse posset, in moribus appare non posset. Colebat Deum, faciebat eleemosynas, & quod corde faciebat, nemo sciebat, nec ipse diabolus, sed Deus nouerat, Perhibet Deus testimonium seruo suo: diabolus calumniatur seruo Dei. Permittitur ille tentari, probatur Iob. cõfanditur diabolus. Inuenitur Iob gratis colere Deum, gratis diligere. Non quia aliquid, sed quia seipsum non abstulit. Ait enim, Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit ita factum est, sit nomen Domini benedictum. Ignis tentationis accessit, sed aurum, non stipulam inuenit. Abstulit & sordes, non conuertit in cinerem. Quia ergo ad sacramentum Dei intelligendum, quomodo Christus & homo, & Deus sit, cor mundandum est. Mundatur autem moribus, vita, castitate, sanctitate, dilectione, & fide quæ per dilectionem operatur. Hoc autem quod loquor, totum tanquam arbor est quæ radicem habet in corde. Neque enim facta procedunt nisi de cordis radice, ubi si plantaueris cupiditatem, spinæ procedunt. Statim Dominus post istam quæstionem propositam Iudæis, illis respondere non valentibus, subiecit de moribus loqui, ut ostenderet quare illi indigni fuerint intelligere quod interrogauit. Miseri enim, superbi, cum respondere non possent, utique debuerunt respondere: Nescimus nos, Magister dic nobis. Obmutuerunt in propositione, nec os aperuerunt ad inquisitionem. Et statim Dominus de superbia illorum, Caute, inquit, à scribis, qui amant præsidere in synagogis, & diligunt primum locum in conuiuio. Non quia accipiunt, sed quia diligunt. Hic enim cor eorum accusauit: Accusator cordis autem esse non posset, nisi cordis inspector. Oportet enim ut seruo Dei habenti aliquem honorem in ecclesia deferatur primum

Iob. 1.

1. Cor. 1.

Iob. 1.

Cor mundatur non moribus, sed fide, sed moribus, vita, castitate, dilectione, & fide.

Matth. 23. Luc. 20.

locus, quia si non deferatur, malum est illi, qui non defert, non tamen bonum est illi, cui defertur. Oportet ergo ut in congregatione Christianorum præpositi plebis eminentius sedent, ut in ipsa sede distinguantur, & eorum officium satis appareat, non tamen ut inflentur de sede, sed ut cogitent facinram unde redditori sunt rationem. Quis autem nouit, utrum hoc ament an non ament? Res ista cordis est, iudicem habere non potest, nisi Deum. Ipse autem Dominus admonebat suos, nec incidere in tale fermentum: quod alio loco dicit, Caute à fermento Phariseorum & Sadduceorum. Et cum putarent illi propterea hoc eum dicere, quia panes non intulerant: respondit eis, Excidit vobis quod milia saturati sunt ex quinque panibus? Tunc intellexerunt, inquit, quia fermentum doctrinam eorum dicebat. Amabant enim illi ista temporalia, æterna vero nec timebant mala, nec diligebant bona. Clauso corde intelligere non poterant quod Dominus interrogauit. Quid autem faciat Dei ecclesia ut possit intelligere quod prima meruit credere? Faciat capax animum ad recipiendum, quod dabitur. Quod ut fieret, id est, ut capax animum esset, Dominus Deus noster suspendit promissa, non abstulit. Ideo suspendit, ut nos extendamus. Ideo nos extendimus, ut creuicamus. Ideo creuicimus, ut attingamus. Vide Apostolum Paulum in suspensa extensum, Non quia iam acceperim, aut iam perfectus sum: Fratres, ego me non arbitror apprehendisse. Vnus autem, quæ retro oblitus, in ea quæ ante sunt extensus, secundum intentionem sequor ad palmam supernæ vocationis Dei in Christo Iesu. Ille in terra currebat, sed in spiritu ascendebat. Vide ergo extensum, vide ad suspensa pendentem. Sequor, inquit, ad palmam supernæ vocationis Dei in Christo Iesu. Ambulandum ergo est, nec pedes vngedi, nec iumenta querenda, nec nauis providenda. Affectu curre, amore ambula, charitate ascende. Quid queris? Viâ. Inhære Christo, qui descendendo & ascendendo seipsum fecit viam. Vis ascendere? Ascendit tene. Tu enim per te ipsum leuare te non potes. Quia nemo ascendit in cælum nisi qui de cælo descendit, filius hominis qui est in cælo. Si nemo ascendit, nisi qui descendit: ipse autem est filius hominis Dominus noster Iesus, vis & tu ascendere, membrum ipsum esto, qui solus ascendit. Etenim ille caput cum cæteris membris, vnus homo est. Et cum ascendere nemo potest, nisi qui in eius corpore membrum ipsius factus fuerit, impletur quia nemo ascendit nisi qui descendit. Non enim potes dicere, ecce quare ascendit, verbi gratia, Petrus, quare ascendit Paulus, quare ascenderunt Apostoli, si nemo ascendit, nisi qui descendit? Respondetur tibi, Petrus, Paulus, cæteri Apostoli, & omnes fideles, qui audiunt ab Apostolo: Vos autem estis corpus Christi, & membra ex parte. Si ergo corpus Christi, & membra sunt, noli facere duos. Reliquit enim ille patrem & matrem, & adhæsit uxori suæ ut essent duo in carne vna. Reliquit patrem, quia non hic se ostendit se æqualem patri, Semetipsum enim exinanuit, formam serui accipiens. Reliquit & matrem synagogam, de qua carnaliter natus est. Adhæsit uxori suæ, id est, ecclesiæ suæ. Quod testimonium & ipse cum commemoraret quod separari non liceret coniugium, demonstrauit, Non legistis, inquit, quia Deus qui fecit ab initio masculinum & femininum fecit eos?

Matth. 16.

Philipp. 3.

Luc. 3.

1. Cor. 12. Ephes. 5.

Philipp. 2.

Matth. 19.

Erunt duo, inquit, in carne vna. Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet. Et quidem duo in carne vna. Sequitur & dicit, Igitur iam non duo, sed vna caro. Nemo ascendit, nisi qui descendit. Nam ut noueritis quia vnus homo est sponsus & sponsa secundum carnem Christi, non secundum diuinitatem: nam secundum diuinitatem quod est ille, nos esse non possumus, quia ille creator, nos creatura, ille effector, nos facti, ille conditor, nos conditi: sed ut essemus cum illo vnus in illo, caput nostrum esse voluit accipiendo carnem ex nobis in qua moreretur pro nobis. Ut noneritis ergo quia hoc totum vnus est Christus, per Esaiam dixit, Sicut sponsus alligauit mihi mitram, & sicut sponsam induit me ornamento. Ipse sponsus, ipse sponsa, ipse planè sponsus in capite, sponsa in corpore. Erunt, inquit, duo in carne vna. Et non iam duo, sed vna caro est. Itaque ad membra ipsius pertinentes, ut hoc sacramentum intelligamus, ut dixi, fratres, pie viuamus, Deum gratis diligamus. Ipse autem qui ostendit peregrinatus formam serui, seruat peruenientibus formam Dei. De forma serui strauit viam, de forma Dei condidit patriam. Quia ergo multum est ad nos capere hoc, sed non est multum credere hoc. Nisi enim credideritis, ait Esaias, non intelligetis: ambulamus per fidem, quantum peregrinamur à domino, donec ad speciem perueniamus, ubi videbimus faciem ad faciem. Et ambulantes per fidem, bene operemur. In bonis operibus gratuita sit dilectio Dei, benefica sit dilectio proximi. Deo enim quod præstemus non habemus: sed quia proximo habemus quod præstemus, præstando indigenti promerebimur abundantem. Inde vnusquisque quod habet præster alteri. Quicquid plus habet plus largiatur inopi. Alius habet pecuniam, pascat pauperem, vestiatur nudus, ædificet ecclesiam, operetur de pecunia quicquid boni potest. Alius habet consilium, rogat proximum, pellat tenebras dubitationis luce pectoris. Alius habet doctrinam, erogat de cellario domini, ministret conternis cibaria, confortet fideles, reuocet errantes, quærat perditos, quantum potest faciat. Est quod sibi pauperes etiam erogent, alius claudo pedes accommodet, alius cæco suos oculos duces præbeat. Alius visitet infirmum, alius sepeliat mortuum. Sunt ista in omnibus, ut prorsus difficile inueniatur aliquis qui non habeat unde alteri aliquid præster. Et illud extremum & magnum quod ait Apostolus, Inuicem onera vestra portate, & sic adimplebitis legem Christi.

Joan. 3.

Esa. 61.

Ephes. 5.

Esa. 7. 2. Cor. 5. 1. Cor. 13.

Mortuum sepelire miseriam cordis opus.

Gal. 6.

Serm. 235. ult. temp.

EIVSDEM IN IDEM Homil. 2.

Quæstionem propositam Iudæis, debent solvere Christiani. Dominus enim Iesus Christus qui eam Iudæis proposuit, ipse non soluit Iudæis, nobis autem soluit. Et commemorabo charitatem vestram, & inuenietis quia soluit, primo nodum videte quæstionis. Quæsiuit à Iudæis quid eis videretur de Christo, cuius esset filius, quia & ipsi sperant Christum. In Prophetis legerunt, venturum expectauerunt, præsentem occiderunt: quia ubi legebant venturum Christum, ibi legebant quia occisuri erant Christum. Sed ille vnus futurum aduentum sperabant in Prophetis: Bibl. Hom. tom. 3. Z z 2 nam

nam futurum suum facinus non videbant. Sic ergo eos interrogavit de Christo, non quasi de incognito, aut cuius nomen nunquam audissent, aut cuius aduentum nunquam sperassent. Nam quoniam adhuc eum sperant ideo errant. Equidem & nos speramus eum, sed veterum iudicem, non venturum iudicandum. Prophetæ autem sancti vtrunque prophetaverunt. Venturum eum iniuste prius iudicandum, venturum postea iuste iudicandum. *Quid ergo, inquit, vobis videtur de Christo cuius filius est? Responderunt illi: David.* Proflus de scripturis. *Quomodo David in spiritu vocat eum dominum, dicens, Dixit dominus domino meo sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Si ergo David in spiritu vocat eum dominum, quomodo filius eius est? Hic cavendum est, ne putetur Christus se negasse filium esse David. Non se filium David negavit, sed modum quaesivit. Dixit filium esse David, non nego: sed si ille eum dominum vocat, dicite mihi quomodo sit filius, qui est dominus? Dicite quomodo? Illi non dixerunt, tacuerunt. Dicamus & nos, exponente ipso Christo, Vbi? Per Apostolum suum. Prius inde probemus, quia ipse Christus exposuit, Apostolus dicit, An vultis experimentum accipere eius qui in me loquitur Christus? Ergo per Apostolum istam dignatus est solvere quaestionem. Primum per Apostolum loquens Christus, qui dixit ad Timotheum: Memor esto Christum Iesum resurrexisse à mortuis ex semine David, secundum Evangelium meum. Ecce Christus filius est David: Quomodo est & dominus David? Dic Apostole, Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo. Agnosce dominum David. Si agnoscis dominum David, dominum nostrum, dominum cæli & terræ, dominum angelorum, æqualem Deo in forma Dei. Si agnoscis unde filius David, in qua sententia se sequitur. Apostolus dominum David tibi ostendet dicendo, Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo. Filius David unde? Semetipsum exinanivit formam serui accipiens, in similitudine hominum factus, & habitu inuentus ut homo. Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis: Propter quod & Deus illum exaltavit. Resurrexit Christus ex semine David, filius David, quia exinanivit se. Quomodo exinanivit? Sumendo quod non erat, non perdendo quod erat. Exinanivit se, humiliavit se. Cum esset Deus, homo apparuit. Contemptus est in terra ambulans qui cælum fecit. Contemptus est quasi homo, quasi nullius virtutis. Non solum contemptus, sed insuper & occisus. Lapis erat iacens offenderunt in eum Iudæi, & quassati sunt. Quid autem ait ipse? Qui offenderit in lapidem istum, conqussabitur. Super quem venerit lapis iste, conteret eum. Prius iacuit & offenderunt. Veniet desuper, & conteret quassatos. Accepistis & filium David, & dominum David, Dominum David semper filium David ex tempore. Dominum David natum de substantia patris: filium David natum ex Mariæ virgine, conceptum de spiritu sancto. Vtrunque teneamus. Vnum horum nobis erit habitatio æterna, alterum horum nobis est à peregrinatione liberatio. Dominus enim noster Iesus Christus nisi dignatus esset fieri homo, perisset homo. Factus est quod fecit, ne periret quod fecit. Homo verus,

Deus verus. Deus & homo totus Christus. Hæc est catholica fides. Qui negat dominum Christum? Fotinianus. Qui negat hominem Christum? Manichæus. Qui confitetur dominum æqualem patri Christum & hominem verum, passum vere, sanguinem fudisse verum, Non enim veritas nos liberaret, si falsum precium pro nobis daret. Vtrunque qui confitetur, catholicus est. Habet patriam, habet viam. Habet patriam, in principio erat verbum. Habet patriam cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo. Habet viam, Semetipsum exinanivit, formam serui accipiens. Ipse patria quod imus, ipse via qua imus. Per ipsum ad ipsum eamus, & non erramus.

### CHRISTIANI DRVTHMARI eiusdem Euang. expositio.

Pharisæi autem audientes quod silentium imposuisset Iesus Sadducæis, conuenerunt in vnum. Et iterum conuenerunt in vnum: & elegerunt sapientissimum de suis. Et interrogavit eum vnus ex eis legis doctor tentans eum, & dicens; Magister, quod est mandatum magnum in lege. Quia discere volebat, ob hoc magistrum vocabat: quia sic est consuetudo discipulorum. Quod est mandatum magnum in lege. Dicam vnde & iste hoc voluerit interrogare. Erat autem inter Iudæos quaestio: quia sacerdotes, qui volebant holocausta recipere, frequenter dicebant quod nulla actio tam grata esset Deo, quam sacrificium ei offerre. Illi vero, qui sapientes erant, considerabat quod sine oblationibus hostiarum multi patriarchæ placuerunt Deo: & à propheta edocti, malle Deum scientiam sui vnumquemque habere, quam holocausta. Nemo autem vnquam absque fide & dilectione per holocausta sola Deo placuisse inuenitur. In qua sententia se fuisse declaravit. Hac de re iste interrogat, quod sit maximum & præcipuum mandatum, quo Deus plus delectetur. *Sit illi Iesus; Diliges dominum Deum tuum ex toto corde, & in tota anima tua, & in tota mente tua.* Primum ergo omnium & maximum mandatum est cognitio, atque confessio diuinæ vnitatis, cum executione bonæ operationis. Nec nobis ponitur modus aut mensura in Dei dilectione, sed ex toto corde, quantum capere potest anima, & quantum cogitare cor, atque mens suggere, in cogitatione, in locutione, opere absque vilius comparatione Deum diligamus. *Hoc est maximum & primum mandatum.* Nunc apertius ostendit, quid ille interrogauerit: hoc est ante omnia & super omnia mandata, istud collocandum fundamentum pietatis. *Secundum autem simile est huic. Diliges proximum tuum sicut teipsum. In his duobus mandatis tota lex pendet & propheta.* Adiungit dominus ad hoc quod interrogatus fuerat: quia illud primum non potest fieri sine isto, quia ipse Deus præcepit diligere proximum sicut seipsum. Illud maximum & præcipuum est, istud tamen prius, quia qui non diligit proximum, quem videt, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere? Per dilectionem proximi peruenitur ad dilectionem Dei. Et qui ista duo præcepta adimplet, omnia, quæ lex, & prophetæ mandauerunt adimplet. Qui enim diligit Deum, non adoratur deos, non assumit nomen Domini in vanum, & reliqua, quæ ad cultum Dei pertinent. Qui diligit proximum, non occidit, nec

mœchatur, non furatur, non dicit falsum testimonium, non concupiscit rem proximi sui, quia omnia ista in proximis committuntur, & tali modo seruatur charitas. Et de hoc dictum est per Prophetam. Verbum breuiarum faciet Dominus super terram. *Congregatis autem Pharisæis interrogavit eos Iesus, dicens; Quid vobis videtur de Christo, cuius filius est? Quia Pharisæi semper parati erant ad commouendas quaestiones, cognouerunt aliquando, quod & solvere omnia poterat: & etiam proponere, quæ ipsi solvere nequirit. Interrogat ipsos dominus de illo, quem dicebant venturum (quia præsentem nolabant scire) cuius filius esse debebat. Si potuissent scire sequentia, dixissent sicut dixerunt de Ioanne, quod nescirent. *Dixit ei, David.* Quia habent scriptum dictum domini ad eum, De fructu ventris tui, ponam super sedem meam: idcirco nouerant. *Quomodo ergo David in spiritu vocat eum dominum.* In spiritu sancto, non erroris incerto, nec propria voluntate: sed in spiritu sancto prophetado vocat eum dominum suum, dicens; *Dixit dominus domino meo, sede à dextris meis.* Prophetavit David de ascensione Domini Christi quod is, qui de sancta Maria natus est, supra angelos, & omnem creaturam eleuatus ad dexteram patris collocatus est, & deitatis honorem, quem ante habuit per diuinitatem, habere cepit per humanitatem. Et quia Iudæi dedignabantur credere Christum Deum, & hominem, propterea intelligere nequibant. Quod autem à patre inimici subijciuntur, non infirmitas filij ostenditur, sed vnitatis naturæ demonstratur. Nam & filius subijcit patri inimicos, qui patrem clarificat super terram. *Sede à dextris meis.* Gloriam & stabilitatem debemus accipere in ista sessione. Quia enim filius assumptus de sancta Maria, patris fecit voluntatem, rectè ei in ascensione à patre dicitur. *Sede à dextris meis.* Victor in gloria. *A dextris,* non locum significat, sed æqualitatem. *Donec,* hic pro semper ponitur: ut illud donec senescatis, ego sum Deus. Quasi diceret. *Sede,* quia subijciuntur inimici sub pedibus tuis. Pedes enim Domini vel incarnatio, vel apostoli intelliguntur. *Et nemo poterat respondere ei verbum.* Tunc nequirit confusi sunt: quia nec Psalmi verbum dissoluerunt quieuerunt, post Domini vero ascensum, cum similiter alij de ipso verbo confutarentur, inuenerunt quod Melchisedech dixisset hoc ad Abraham reuerso de bello. Quod non potest ita intelligi: quia sequens versiculus contradicit. Tecum principium in die virtutis tuæ, & reliqua. *Neque ausus fuit quisquam ex illa die amplius eum interrogare.* Nunc pro certo agnouerunt Iudæi, quod verbis nullus posset eum capere: quia sicut fons sapientiæ loquebatur: & comprehendebat sapientes in astutia eorum. Iam in reliquo corruerunt discipulum illius pecunia: ut proderet eum sine turbis. Et comprehendentes eum, cum vi traderent Romanæ potestati: ex quo intelligitur venena inuidia posse superari, sed difficile conquiescere.*

### HAYMONIS EPISCOPI Halberst. superioris Euang. expositio.

Pharisæi autem audientes quod silentium imposuisset Sadducæis, conuenerunt in vnum. Pharisæi dicuntur diuisi, quia vindicabant sibi scientiam legis, & scientiam scripturarum, & æstimantes se meliores, & sanctiores omnibus. Ideo diuidebant se à generalitate populi, & dicebantur diuisi à Pharisæis, qui dicitur diuisio. Quomodo imposuit illis silentium? Illi non credebant resurrectionem neque æternitatem animarum, dominus autem vtrunque ostendit. Conuenerunt in vnum, id est, in consensum, in vnam voluntatem, ut pari mente dominum tentarent. Tale quid legimus in passione domini de Herode, & Pilato. Nā ante passionem domini inimici erant adinucem, tempore passionis imminente, facti sunt amici. Similiter Scribæ, & Pharisæi ante quam dominum tentarent, inimici erant adinucem. Quia quod Sadducæi denegabant Pharisæi confitebantur, in tentatione autem domini facti sunt amici. *Et interrogabat eum vnus ex eis legis doctor, tentans eum.* Eo tempore, quo Dominus ista loquebatur, magna cōtentio erat inter illos, quod esset maximum, & primum mandatum. Quidam dicebant maximum, & primum mandatum esse: Decimas Deo dare, & sacrificia, & oblationes. Alij dicebant primum mandatum esse fidem, quæ per dilectionem Dei operatur. Sicut multi sancti patres fuerunt, qui per fidem bonā, & operationem, & dilectionem veram Deo placuerunt, ut Abel, Melchisedech, & multi alij. Dum autem hæc altercatio esset in eis, accessit vnus legis doctor tentans eum. *Magister, quod est magnum mandatum in lege?* Magnum posuit pro eo, quod est maximum, ait illi Iesus: *Diliges dominum Deum tuum.* Dilectio dicitur, eod quod duos liget: *Diliges,* dixit pro eo, quod est dilige, futurā indicatiui ponens pro imperatiuo præteriti. Ac si diceret dominus: *Diliges dominum Deum tuum,* id est, ama in toto corde, quia intellectus hominis in corde est, id est, in intellectu: & tota anima tua, id est, in tota voluntate tua: & in tota mente tua, id est, in omni memoria tua. *Hoc est maximum, & primum mandatum.* Secundum autem simile est huic, id est, sicut mandatum superius dictum obtinet principatum inter omnia mandata ad proximum pertinentia. *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* In hoc loco non debemus solummodo intelligere patrem, & matrem, sed vnumquemque hominem, qui de stirpe Adæ descenderunt nascendo. sicut & nos. *In his duobus mandatis,* id est, in dilectione Dei, & proximi, *vniversa lex pendet, & propheta,* id est, omnia quæ scripta sunt in lege, & Psalmis, in his duobus mandatis pendunt, quia ad hæc mandata referuntur. *Congregatis autem Pharisæis, interrogavit eos Iesus.* Pharisæi proposuerunt quaestionem quod esset maximum mandatum, soluit dominus eandem quaestionem, & insuper reddit illis vicem, proponendo de se quaestionem, dicens: *Quid vobis videtur,* id est, quid æstimatis de Christo, cuius filius est? *Dixit ei, David.* Non dixit de futuro, cuius filius erit, sed de præsentis, cuius filius est: quia iam venerat ex utero virginis Mariæ. Non reprehenduntur in hoc, quia filium David dixerunt, sed in hoc damnabantur, quia filium Dei ipsum non crediderunt. Tunc temporis non credebant eum esse, sicut nec posteri illorum faciunt, sed credebant esse venturum, & de semine David nasciturum, & sanctum, & virum iustum, & excellentiorem cunctis mortalibus futurum, & per eum iudicandam terram in æquitate, & tamen non credebant esse filium Dei. Et bene filium David

Bibl. Hom. tom. 3. Z z 3 appel



appellauerunt, quia multo tempore antè quàm nasceretur ex virgine Maria, prædixerat dominus per Nathan prophetam, dicens: Cùm dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum, quod egredietur de lumbis tuis, & firmabo regnum eius in sempiternum. Ipse ædificabit domum nomini meo, id est, ecclesiam, & ipse erit mihi in filium, & ego ero illi in patrem: ipse inuocabit me, pater meus es tu. *Quomodo ergo David in spiritu vocat eum dominum, dicens: Dixit dominus domino meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Si dominus Iesus Christus filius est David, ut dicitis, quomodo ergo David in spiritu, id est, per spiritum sanctum illuminatus, non errore seductus, sicut ipse dicit in Psalmo: Audiam quid loquatur in me dominus meus, quia per os David loquebatur dominus, sicut per ora prophetarum vocauit eum dominum: *Dixit dominus, id est, pater, domino meo, Iesu Christo filio suo, sede à dextris meis, id est, habita mecum in honore dignitatis.* Et post laborem passionis dicit: *Sede à dextris meis, id est, esto mihi æqualis in beatitudine perpetua, quia semper subijciuntur tibi inimici tui.* Inimici filij Dei sunt dæmones, Pagani, Iudæi heretici, falsi Christiani, qui eius voluntati, quantum prævalent, resistunt. Ideo inimici sunt isti. Isti inimici duobus modis subijciuntur potestati domini, aut sponte in præfenti seculo, aut coacti in die iudicij. Spõte, quando quis Iudæus, aut Paganus venit ad fidem. Coacti, dæmones, & reprobj, qui in præfenti vita sponte, id est, propria voluntate noluerunt se subdere Deo per fidem, & bonam operationem, in die iudicij inuiti subijciuntur domino filio Dei, quia secundum iudicium eius damnabuntur, cùm dixerit: *Ite maledicti in ignem æternum. Si ergo filius eius est, quare dominum vocat?* Consuetudo est humana, ut filij patres suos dominos vocent, nisi fortè hoc euenierit sicut B. August. dicit, ut ille, qui filius est per misericordiam Dei, sublimetur ad episcopalem dignitatem, & efficiatur episcopus, & tunc potest esse patri & filius, & dominus propter honorem dignitatis. Beatus nanque propheta David cognouit eum, quia de sua progenie erat nasciturus secundum carnem, ante omnia secula genitum ex patre cõqualem illi, ideo vocauit eum dominum. Illi Iudæi, qui in præfentia redemptoris nostri erant, purum hominem credebant, & simpliciter dominum Iesum credebant, ex semine David nasciturum, & sanctum etiam & iustum, & excellentiorem cunctis mortalibus & iudicem omnium futurum, non tamen credebant Dei filium. Nos autem quomodo credere debemus? Debemus credere quod & dominus David est, & filius David. Dominus David, quia creator ante omnia secula nascendo ex patre, & filius David in fine temporum nascendo ex matre virgine: Dominus David, quia creator David. *Et nemo poterat respondere ei verbis, neque ausus fuit quisquam ex illa die eum amplius interrogare.* Pharisei cõfutati, & conuicti sermonibus domini, non sunt ausi eum amplius interrogare, sed apertissimè comprehensum sine ratione potestati tradunt ad crucifigendum, *Quærendum est quare dicit euang. Nemo ausus fuit ex illa die eum amplius interrogare, cum legimus in passione interrogatū esse à principe sacerdotum Caiapha.* Sed notandū est vsque ad passionem. Tempore passionis imminente, in-

terrogauit eum princeps sacerdotum, dicens: Adiuuro te per Deum viuum, ut dicas nobis, si tu es Christus Dei. Dicit ei Iesus: Tu dicis.

### AUTHORIS INCERTI sub nomine Eusebij episcopi Emisseni superioris Euang. expositio.

Pharisei autem audientes, quod silentium impositum esset Sadducæis, conuenerunt in vnum. Recedentibus Sadducæis veniunt Pharisei. Nunc isti, tunc illi eum tentant: & quia rationibus eum capere, & tenere non possunt, frequenti cõgressu eum mouere, & fatigare conantur. Ipse tamen omnibus respondens, aliis satisfecit, alios sapientissimè concludit. *Et interrogauit eum vnus ex eis legis doctor, tentans eum, Magister, quod est mandatum magnum in lege?* Omnes eum tentant, omnes eum magistrum vocant: non tamen quasi à magistro veritatem ab eo volunt discere, sed potius (si fieri possit) eum quasi incautum in aliquo sermone capere desiderant. Sed quid eis prode? nihil enim sapientia ignorat. Quid autem responderit dominus audiamus. *Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua. Hoc est maximum & primum mandatum. Secundum autem simile est huic. Diliges proximum tuum sicut teipsum. In his duobus mandatis vniversa lex pendet, & propheta.* Hæc est igitur causa, quare hæc duo mandata prima dicantur, & maxima, quia tantum possunt hæc duo, quantum & cætera omnia. Aliter enim hæc mandata neque prima, neque secunda sunt, quoniam in tabulis lapideis scripta non sunt. Decem enim sunt verba legis, quorum primum est, Non habebis deos alienos coram me. Primum igitur dicitur hoc mandatum, non quod in ordine scripturæ primum sit, sed quod in virtute significationis principale, & maximum sit. Huic autem secundum, & simile est, Diliges proximum tuum sicut teipsum: quoniam secundas & similes vires habet post ipsum. Vnde Ioannes Apostolus ait, *Qui enim non diligit fratrem suum, quem videt, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere?* Et hoc mandatum habemus à Deo, ut qui diligit Deum, diligit & fratrem suum. Qui enim Deum non diligit, neque seipsum neque fratrem diligit. Primum est igitur ut Deum diligit, deinde seipsum, postmodum verò fratrem suum tanquam seipsum. Qui enim seipsum odit, si fratrem suum diligit sicut seipsum, & fratrem suum odit. Omnis enim qui diligit iniquitatem, odit animam suam: odit igitur & animam fratris sui, si fratrem suum diligit sicut seipsum. Nulli igitur alij dicitur ut diligit fratrem suum sicut seipsum, nisi illi, qui diligit seipsum. Nemo autem seipsum diligit, nisi ille, qui Deum diligit. Sic igitur primum mandatum est diligere Deum, deinde verò proximum propter Deum. Modus autem dilectionis hic est, ut ex toto corde, tota anima, tota mente, & cunctis viribus Deum diligamus: proximum autem tanquam nos ipsos. Plus est enim si ex toto corde aliquem diligas, quàm ut sicut teipsum eum diligas, quia potest fieri ut teipsum nõ diligas: quem ex toto corde & tota anima diligis. Si vis igitur teipsum diligere, prius dilige Deum ex toto corde. Deinde verò quia iam diligis teipsum

ipsum, dilige proximum tuum sicut teipsum. Toto enim corde, tota mente, & cunctis viribus sancti Apostoli, & Martyres Deum dilexerunt, qui occidi quidem potuerunt, ab eius tamen amore, & dilectione separari nullo modo potuerunt. Et isti quidem bene dilexerunt seipsos, quia vitam æternam, gloriam, & honorem, omnemque felicitatem adepti sunt sibiipsis. Dilixerunt autem & proximos suos sicut seipsos, quoniam hanc eandem gloriam, & beatitudinem desiderauerunt illis, tanquam sibiipsis. *In his enim duobus mandatis vniversa lex pendet, & propheta.* Omnis enim, qui peccat, aut in Deum, aut in seipsum, aut in proximum peccat. Qui verò prædicto dilectionis modo Deum, & proximum diligit, quomodo eos offendet quos tantopere diligit? Nam & in seipso peccare timet, ne in hoc quoque Deum offendat. Si igitur in his duobus mandatis charitas adimpletur, & omnia peccata tolluntur, manifestum est, quod in eis vniversa lex pendet, & propheta. Quid enim aliud lex, & propheta præcipiunt, nisi ut Deum, & proximum diligamus, & à vitijs, & peccatis, cunctisque offensionibus nos abstinemus? Congregatis autem Phariseis interrogauit eos Iesus, dicens, *Quid vobis videtur de Christo? cuius filius est? Dicunt ei, David, &c.* Idem enim ipse & filius est, & dominus David: filius quidem secundum humanitatem, dominus autem David secundum carnem natus est Christus. Hoc autem Pharisei non intelligebant, sed sicut cæteros hominem tantum, & non Deum, Christum, quem ipsi Messiam vocant, fore credebant. Hac igitur interrogatio ne seipsum & Deum, & hominem, omniumque creaturarum regem, & principem esse ostendit. Quia enim filius est David, homo est: Deus verò, quia eius dominus est, & ad patris dexteram sedet. In eo autem quod omnes inimici illius pedibus sunt subiecti, omnium dominus esse ostenditur. David enim in spiritu sancto videns Christum dominum nostrum post resurrectionem suam ad patrem reuerentem, illa quæ ibi agebantur secreta intelligens ait, *Dixit dominus pater domino meo filio suo, sede à dextris meis, ut sicut in vna sede sedemus, ita æquales ab omnibus esse credamur.* Sede, inquam, donec ad iudicium reuertaris, omnesque tui inimici tuis pedibus subijciantur. Et hoc quidem quia Pharisei non intellexerunt, nemo illorum ei poterat respondere verbum, neque ausus fuit quisquam ex illa die eum amplius interrogare.

### THEOPHYL. EPISCOPI Bulgar. superioris Euangeliij expositio.

Interrogauit eum vnus ex eis legislator quispiam, tentans eum, &c. Ex immodica inuidia accedit tentans. Quia enim viderant Sadducæos confusos, & laudatum dominum, accedunt tentantes, si apponat aliquid mandato primo, quasi legem corrigens, ut inueniant contra ipsum anam. Dominus autem inuulgans illius malitiam, quod non ad discendum venisset, sed vacuus charitate inuideat, & emuletur, ostendit charitatem inter mandata præcellere, quod non ex parte oportet diligere Deum, sed nos totos dare Deo. Tres enim

tales in anima discimus esse vires, plantatiuam, animaleam, & rationalem. Secundum quod cre-scit, & nutritur, & simile generat, plantis assimilatur, secundum quod irascitur, & concupiscit, brutis comparatur: secundum quod intelligit, rationalis dicitur. Vide igitur hoc loco quid illa tria significant: *Diliges Deum tuum in toto corde tuo, hæc est brutalis animæ pars, & in tota anima tua, hæc est plantatiua virtus, animatæ enim sunt plantæ, & in tota mente tua, hæc est vis rationalis.* Et sic oportet Deum diligere tota anima, hoc est, omnibus partibus, & virtutibus animæ ei adherere. Hoc est primum, & magnum mandatum, ad pietatem nos exercens. Secundum autem simile est illi, quod nos excitat ad faciendum, quæ sunt iusta homini. Duo enim nos in interitum ducunt, mala doctrina, & corrupta vita. Ut igitur non incidamus in impia dogmata, diligendus est Deus. Ne autem sit vita peruersa, diligendus est proximus. Qui enim diligit proximum, omnia mandata implet: & qui implet mandata, diligit Deum, atque ita duo illa mandata inter se cohererent, & copulantur, & continent omnia alia mandata. Quis enim diligens Deum & proximum, vel furatur, vel vindictæ audax est, vel adulterium committit, vel scortatur, vel occidit? Hic autem legislatoris principio quidem venit tentans, deinde responso Dei emendatior factus, laudatus est, sicut Marcus inquit, quod spectans eum, amplexatus sit illum, & dixit ei: *Nõ longe es à regno Dei.* Interrogauit eos Iesus dicens, *Quid vobis videtur de Christo? cuius filius est? &c.* Quoniam purum hominem Christum esse putabant, subuertit eorum opinionem, & docet veritatem per David prophetam, diuinitatem suam prædicans. Dicentibus enim Phariseis, filius est David Christus, hoc est, homo purus, dicit, *Quomodo igitur David dominum eum nominat? & non simpliciter eum nominat dominum, sed in spiritu, hoc est, per spiritus gratiam ipsum reuelauit? Non negans autem filium David esse hoc dicendo, monstrat quod non sit purus homo ex solo Davidico semine descendens. Hæc autem interrogat dominus, ut, si dicant se nescire, interrogent, ac discant: vel si dicant veritatem, credant: vel si nihil possint dicere, confundantur, & secedant, non audentes ultra interrogare illum.*

### EVTHYMII ZIGABONI superioris Euang. expositio.

Pharisei autem, quum audissent, quod silentium impositum esset Sadducæis, conuenerunt in vnum, & interrogauit vnus ex eis legis doctor tentans eum, &c. Silentio illis imposito, rursus irruunt hi, ac legis doctorem proferunt: non discere volentes, sed dolose agentes. Quia enim id erat primum præceptum; Diliges Dominum Deum tuum, &c. opinari sunt, quod aliquid etiam de seipso additurus esset, eo quod se quoque Deum diceret, & ita tãquam blasphemus, occasionem ipsis calumniandi præberet. *Iesus autem ait illi, Diliges dominum Deum tuum, &c.* Secundum autem simile est huic, &c. Cognita eorum malitia, respondit quidem irreprehensibiliter, quod interrogabatur, sed addidit & secundum præceptum, per hoc illos obiurgans, utpote qui se non amabant, se inuidia, ac insidijs prosequerentur.

bantur: eoque sine etiam nunc rogabant : nam, si diligenter, non tentarent. Simile autem primo dixit secundum quo ad magnitudinem: magnum est enim & hoc. Nam sibi mutuo hærent, ac se invicem ferunt hæc duo præcepta. Siquidem, qui Deum diligit, etiam proximum diligit, servans illius præceptum, qui autem proximum non diligit, nec Deum diligit, transgrediens eius præceptum.

† Secundum non ordine legislationis, sed virtute. In alia enim parte ponitur hoc præceptum.

In his duobus præceptis universa lex, & propheta pendet. Sed apud Matthæum tentator dicitur hic legis doctor: apud Marcum vero potius laude dignus habetur. Quare? Quia primum certe tentavit, ut dictum est, à Pharisæis directus: animadversa autem responsione, suscepit eam, & conuersus, rem ita se habere confessus est: & deinde Iesus intuitus eum, quod, adhibita mentis ratione, responderet, ait illi; Non longe es à regno Dei, hoc est, approximas fidei, qui veritatem confessus es: hoc autem dixit adhortans illum ad perfectam fidem. Et hæc apud Marcum inuenies. *Congregatis autem pharisæis, &c.* De Christo inquit, qui annunciatum est à prophetis, Nondum autem aduenit, ut vos dicitis, sed expectatur à vobis. Et vide sapientiam. Putabant illi, ut dictum est, Christum additurum quippiam & de seipso in primo præcepto, ut se quoque Deum esse demonstraret. Hoc autem ipse non fecit, ut enitaret illorum vafritiem, sed seorsim de sua disputat diuinitate, nec id ex manifesto, sed oblique, ut omni careret suspitione: & quantum ad id, quod apparet, de Christo, qui expectabatur, & interrogat, & enunciat: in rei veritate autem hæc de seipso dicit. *Dicunt ei,*

*David.* A prophetis sermonibus hoc cognoscere. Simpliciter autem filium David, siue nudum hominem Christum suspicabantur: quum tamen prophetæ hunc non simpliciter filium David, sed & Deum prædicarent. *Ait illis; Quomodo ergo David in spiritu, &c. In spiritu videlicet sancto, sicut dixit Marcus, & non à seipso. Si ergo David vocat eum dominum, quomodo filius eius est?* Hoc dixit non tollens Christum filium esse David, sed erroneam illorum arguens opinionem, quia non est eius filius talis, qualem ipsi suspicabantur: hoc est, nudus homo: sed & Dominus eius. Dicitur enim filius eius, ut pote ex radice eius, iuxta humanitatem generatus: Dominus autem eius tanquam Deus illius. Ob id itaque vsus est Davidico verbo ad Pharisæorum confutationem, ostendens quod non solum filius esset David, sed & Dominus eius. Nos vero etiã hoc interpretari oportet. Ait enim David, Dixit Dominus pater Domino meo filio suo Christo, post assumptionem in cælum: sede à dextris meis, siue fuere meo regno, pari in throno, pari in honore mecum permanens. Inimici autem Christi inter sensibiles quidem primi sunt Iudæi, deinde Gentes, ac hæretici. Intelligibiles vero sunt dæmones. Marcus autem ait, quod hoc dixerit docens in templo, & quod multa turba libenter eum audiebat. Verisimile est enim de hoc primum interrogasse Pharisæos: deinde etiam de hoc in templo docuisse turbam. *Et nemo poterat ei respondere quicquam, &c.* Ad mortem enim appropinquans de perfectis disseruit cum illis, nec solum os eis obturavit, sed & timorem in futurum ipsis incussit.

FERIA IIII QVATVOR TEMPORVM SEPTEMBRIS.

M A R C . 9 .

**I**n illo tempore: Respondens vnus de turba dixit ad Iesum: <sup>a</sup> Magister attuli filium meum ad te habentem spiritum mutum, qui <sup>b</sup> vbicunque eum apprehenderit, allidit illum, & <sup>c</sup> spumat, & <sup>d</sup> stridet, & <sup>e</sup> arescit. Et dixi discipulis tuis vt eijcerent illum, & non potuerunt. Qui respondens dixit: <sup>f</sup> O generatio <sup>e</sup> incredula, quamdiu apud vos ero? <sup>f</sup> Quamdiu vos patiar? <sup>f</sup> Afferte illum ad me. Et attulerunt eum. Et cum vidisset eum, statim <sup>g</sup> Spiritus conturbauit eum & elisus in terra volutabatur spumans. Et <sup>h</sup> interrogauit patrem eius: <sup>h</sup> Quantum temporis est, ex quo hoc ei accidit? <sup>i</sup> At ille ab infantia. Et frequenter eum in <sup>h</sup> ignem, & in <sup>i</sup> aquam misit, vt eum perderet. Sed <sup>h</sup> si quid

<sup>a</sup> Deprecando per conuersionem, exponit in commoda filij.  
<sup>b</sup> Hieronymus. Allego. Peccatorum spumat stultitia. <sup>c</sup> Iracundia.  
<sup>d</sup> Ignauia.  
<sup>e</sup> Incredulitas vestra impedit salutem.  
<sup>f</sup> Puerum non dæmonem vt ostendat illum dæmonio traditum propter peccatum suum, vel parentum suorum.  
<sup>g</sup> Non quasi ignorans interrogauit, sed vt diuinitatis infirmitatis ostensa, curationem gratorem faciat.  
<sup>h</sup> Moraliter. Ita vel libidinis. <sup>i</sup> Cupiditatis.

si quid potes adiuua nos miserus nostri. Iesus autem ait illi: <sup>k</sup> Si potes credere <sup>l</sup> omnia possibilia sunt credenti. Et continuo exclamans pater pueri, cum lachrymis aiebat: Credo domine, adiuua incredulitatem meam. Et cum vidisset Iesus <sup>m</sup> concurrentem turbam, <sup>n</sup> comminatus est spiritui immundo, dicens illi: Surde & mute spiritus ego <sup>o</sup> præcipio tibi exi ab eo, & amplius ne introeas in eum. Et clamans, & multum discerpens eum, exiit ab eo, & factus est, sicut mortuus, ita vt multi dicerent, quia <sup>p</sup> mortuus est. Iesus autem tenens manum eius, eleuauit eum, & surrexit. Et cum introisset in domum, discipuli eius secretò interrogabant eum: Quare non potuimus eijcere eum? Et dixit illis. Hoc genus in nullo potest exire, nisi in oratione & ieiunio.

GLOSSA ORDINARIA CATENA AVREA in superius Euangelium. in idem Euangelium.

**I**nterrogauit, &c. Hieronymus. Scit & interrogat, vt cõfessio pariat salutem, & murmur cordis nostri sermonibus soluat prius, vt est: Dic iniquitates tuas prius, vt iustificeris. *Et dixi discipulis tuis, &c.* latenter culpam obliquat in discipulos, cum sæpè curatio non curantur, sed curandorum impediatur vitio. *O generatio.* Non homini irascitur sed vitio. Non cædido affectus hoc dicit, sed vt medicus ægro contra præcepta agentis. Et arguit per hoc vnum Iudæos incredulitatis. *Statim spiritus.* Quia dum post peccatum ad dominum conuerti volumus, magis à diabolo impugnamur, vel vt excutiat virtutem, vel vindicet suam expulsiõnem. *Ab infantia.* Hieronymus. Significat gentilem populum, cui à natiuitate <sup>\*</sup> increuit cultus idolorum vt stultè immolaret filios suos dæmoniis. Vnde sequitur. *Et frequenter eum in ignem & in aquam, &c.* Alij enim ignem, alij aquam venerabantur. *Adiuua nos miserus nostri.* Hieronymus: Credulitas nostra, vt rastrata lingua infirma est, nisi innixa adiutorio Dei. Fides cum lachrymis optata vota capit, vt est: fiat tibi secundum fidem tuam. *Surde & mute.* Spiritui imputat, quod homini præstat, dum ille audiret, neque loqueretur, quod peccator penitens audit & loquitur. *Exi ab eo & amplius ne introeas, &c.* Exiens ab homine nunquam reuertitur, si cor suum seruauerit clauis humilitatis, & ostium obtinuerit homo munitatis, vnde: Esto mihi in Deum protectorem, & in locum munitum, vt saluum me facias. *Discerpens eum.* Hieronymus. Discerpit diabolus appropinquantes ad salutem, quod est ei esca dilectos quos in ventrem suum trahere desiderat per terrores & damna vt B. Iob. *Factus est sicut mortuus.* Isidorus & Rabanus. Sanatis enim dicitur: Mortui enim estis & vita vestra abscondita est cum Christo Iesu. Vnde infirmitas Christianorum non est mors sed mortis similitudo. *Hoc genus.* Hieronymus. Stultitia ad luxuriam carnis pertinet, & ieiunio sanatur. Ita & ignauia oratione depellitur. Medicina cuiusque vulneris adhibenda est ei. Non sanat oculum quod calcaneum, ieiunio passiones corporis, oratione sanantur pestes mentis.

**R**espondens vnus de turba, dixit ad Iesum; Magister, &c. Hunc hominem scriptura infirmum in fide ostendit, ex hoc quod Christus dixit, O generatio incredula, & per hoc quod subdit; Si potes credere. Sed est infidelitas eius occasio extiterit dæmonem non pellendi, incusat tamen discipulos: vnde subditur, *Et di. distis, &c.* Vide autem istius insipientiam. Iesum in medio turbarum precatur discipulos incusans: vnde dominus coram plebe multo magis hoc ei imputat, non solum in personam eius accusationem intendens, sed in personam omnium Iudæorum: probabile enim est multos præsentium scandalizatos, ea quæ non conueniebant de discipulis cogitare: vnde sequitur; *Qui eis res. dixit, O gene. incre. quandiu apud vos ero?* In quo ostendit, & mortem se desiderare, & graue ei esse cum illis conuersari. Bed. In tantum autem non est homini iratus sed vitio, vt statim intulerit; *Afferte illum ad me, &c.* Chryso. Hoc autem Dominus permisit propter patrem pueri, vt cum vexantem dæmonem videret, ad fidem futuro miraculo traheretur. Theoph. Permittit etiam vexari puerum, vt ex hoc sciremus dæmonis impietate, qui occidit eum nisi fuisset à Domino adiutus. Sequitur, *Et in pa. eius. Quantum temporis, &c.* Bed. Erubescat Iulianus qui dicere audet omnes homines absque peccati contagione nasci in carne, tanquam innocentes per omnia, vt fuit Adam quando creatus est. Quid enim habuit iste puer, vt ab infantia dæmonio vexaretur acerbissimo, si nullo originalis peccati vinculo tenebatur? quia constat illū adhuc proprium non habere potuisse peccatum. Glos. Exprimit autem in verbis suæ petitionis fidei defectum: vnde subdit, *Sed si quid potes, &c.* Cum enim dicit; Si quid potes, manifestat se de eius potentia dubitare, quia viderat filium suum à discipulis Christi curatum non esse. Dicit autem; *Miserus nostri,* vt designaret miseriam filij qui patiebatur, & patris qui compatiebatur. Sequitur, *Iesus au. ait il. Si po. cre. &c.* Hierony. Libertatem arbitrij hoc loco indicat quod dicit, Si potes. Quæ autem sunt omnia quæ possibilia sunt credenti, nisi quæ in nomine Iesu, id est, saluatoris salutis postulantur cum lachrymis? Bed. Aptum autem responsum

sum Dominus dedit petenti. Ipse enim ait, Si quid potes, adiua nos. Et Dominus; Si potes inquit credere. At contra leprosus qui fideliter clamabat; Domine, si vis potes me mundare, congruam suae fidei accepit responsum. Volo mundare. Chr. Quod autem dicit, tale est, Tanta est virtutis apud me superabundantia, vt non solum hoc possim, sed & alios hoc faciam operari, quare si credideris vt oportet, & hunc ipse curare poteris, & alios multos. Sic ergo eum ad fidem reducebat, qui adhuc de infidelitate loquitur: vnde sequitur, *Et con. ex. pater. &c.* Sed si crediderat, dicens; Credo, quomodo subdit, Ad iuua incredulitatem meam? Dicamus igitur quoniam multiplex est fides: introducit gloria scilicet, & perfecta: hic autem incipiens credere saluatorem deprecabatur, vt apponeret reliquum ad virtutem suam. Bed. Nemo enim repente fit summus, sed in bona conuersatione à minimis quisque inchoat, vt ad magna perueniat. Alia namque sunt virtutis exordia, aliud profectus, aliud perfectio. Quia igitur per occultam inspirationem gratiae meritorum suorum gradibus fides crescit, vno eodemque tempore is qui necdum perfecte crediderat, simul & credebatur, & incredulus erat. Hieron. Per hoc etiam monstratur quod credulitas nostra infirma est, nisi innixa subsistat adiutorio subsidij Dei. Fides autem cum lachrymis, optata vota. capit: vnde sequitur, *Et cum vi. te. concur. tur. com. &c.* Theoph. Ideo autem cum videret turbam concurrere, comminatus est spiritui immundo: nolebat enim coram turba curare, vt ostentationem fugere doceret. Chr. Quod autem comminatur, & dixit; Ego tibi praecipio, diuinæ attribuit potestati. Quod verò dicit non solum, *Exi. ab eo.*: sed etiam amplius, noli introire in eum: ostendit quia ad reintrandum promptus erat, quia ille nondum erat in fide perfectus, sed hoc Domini iussu inhibebat. Sequitur, *Et ex. & mul. &c.* Non enim voluit mortem diaboli imponere propter veteris vitae aduentum. Bed. Quem autem hostis impius morti similem reddidit, hunc pius saluator pie dexterae tactu saluauit: vnde sequitur, *Iesus ante manum. &c.* Ex quo sicut verum se esse Deum potentia saluandi docuit, ita & in veram se habuisse carnis naturam more tactus humani declarauit. Negat namque Manichæus insanus, veraciter eum carne indutum fuisse, sed ipse cum tot languentes suo tactu erexit, mundauit, illuminauit, hæresim illius, antequam nata esset damnauit. Sequitur, *Et cum in do. &c.* Chry. Timebant enim ne forte collatam sibi gratiam amississent: receperant enim potestatem iam spirituum immundorum. Sequitur, *Et di. il. Hoc genus, &c.* Theoph. Scilicet lunaticorum, vel simpliciter omnium dæmoniorum genus. Oportet namque ieiunare eum qui curari debet, & illum qui curat. Sic enim vera oratio perficitur, cum coniungitur orationi ieiunium, quando non grauatur qui orat ex sumptione ciborum, sed sobrius est. Bed. Mystice autem dominus sursum discipulis mysteria regni referat, deorsum turbis peccata infidelitatis exprobrat, & spiritus malos ab his qui vexantur, expellit. Nam carnales adhuc & insipientes confortat, docet, castigat, & perfectionem liberius de æternis instruit. Theop. Dæmon autem iste surdus & mutus est: surdus, in quantum non vult Dei sermones audire: mutus verò, in quantum non vult alios, quod concedens est, docere. Chry.

Peccator autem spumat stultitia, stridet iracundia, arefcit ignauia. Discerpi autem spiritus appropinquantem ad salutem, & similiter quos in ventrem suum trahere desiderat, discerpi per terrores & damna vt fecit Iob. Bed. Sæpe enim dum conuerti ad Deum post peccata conamur, maioribus nouisque antiqui hostis pulsamur insidiis, quod facit, vt vel odium virtutis incutiat, vel expulsiōnis suae vindicet iniuriam. Greg. 10. mor. Velut mortuus autem ostenditur, qui à maligni spiritus potestate liberatur, quia quisquis iam terrena desideria subegit, vitam in se carnalis conuersationis extinguit: & modò mortuus apparet, quem multi mortuum dicunt: quia qui spirituali- ter viuere nesciunt, eum qui carnalia bona non sequitur, extinctum funditus arbitrantur. Hiero. Post hoc autem quòd ab infantia vexatus est, significatur gētilis populus, cuius à natiuitate creuit cultus inutilis idolorum, vt stultè immolaret filios suos dæmonii: vnde dicitur, *Quod in ignem & aquam eum misit.* Alij enim de gentibus ignem venerabantur, alij aquam. Bed. Vel in hoc dæmoniacō significantur, qui originalis culpæ reatu astricti veniunt in mundum rei, secundum gratiā saluandi. Ignis autem ad feruorem iracundiæ referendus est, aqua ad voluptates carnis quæ dissoluere mentem per delicias solent. Non autem puero qui vim patiebatur, sed dæmoni qui inferebat comminatus est: quia qui peccatē emendare desiderat, vitium vique increpando & exorando debet exterminare, sed hominem amādo refouere. Hieron. Imputat autem dominus spiritui quod homini præstat, dicens; Surde & mute spiritus, quia ille nunquam audiet nec loquetur, quæ peccator penitens audit & loquitur. Exiens autem dæmon ab homine, nunquam reuertitur, si homo cor suum seruauerit clauibus humilitatis & charitatis, & ostium obtinuerit immunitatis. Factus est homo sanatus velut mortuus. Sanatis etenim dicitur, Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Theoph. Sed si Iesus, id est, euangelicus sermo, teneat manum, id est, virtutem actiuam, tunc è dæmone liberabimur. Vide etiam quòd primò Deus non iuuat, deinde requiritur à nobis quòd bonum operemur. Vnde dicitur quòd Iesus eleuauit illum, in quo ostenditur Dei auxilium, & surrexit, in quo monstratur hominis studium. Bed. Dum autem docet dominus apostolos quomodo dæmon nequissimus debeat expelli, omnes instituit ad vitam, vt scilicet nouerimus grauiora quæque vel immundorum spirituum, vel hominum tentamenta, ieiuniis & orationibus esse superanda. Iram quoque domini cum in vltionem scelerum nostrorum fuerit accensa, hoc remedio singulari posse placari. Ieiunium autem generale est non solum ab eis, sed & à cunctis illecebris abstinere carnalibus, imò ab omnibus vitiorum passionibus. Sic & oratio generalis non solum in verbis est quibus diuinam clementiam inuocamus, verum etiam in omnibus quæ in obsequium nostri conditoris fidei deuotione gerimus, teste Apostolo qui ait, Sine intermissione orate. Hiero. Vel stultitia quæ ad luxuriam carnis pertinet, sanatur. Ira & ignauia oratione depellitur. Medicina cuiusque vulneris adhibenda est ei. Non sanat oculum, quod calcaneo adhibetur. Ieiunio passiones corporis, & oratione pestes sanandæ sunt mentis.

S. AVGVST. EPISCOPI  
*Hippon. in Feria quarta Quatuor temp. Septemb. Sermo.*

Dominus ac redemptor noster in euangelio suo loquitur dicens. Cum dormirent homines venit inimicus & superseminauit zizania. Inimicus, in figura homo dictus est, Audi Apostolum dicentem, Fuisit aliquando tenebræ, nunc autem lux in domino. Audi homo, Non enim ille dedit tibi tenebras, qui dedit tibi lucem. Quòd vadis homo, quo traheris? Quid concupiscentias carnales sectaris, quando audis. Spiritu ambulare & concupiscentias carnis nolite perficere? Audi potius dominum dicentem, Conuertimini ad me & conuertar ad vos. Accedite ad eum & illuminamini, & facies vestrae non erubescunt. Audi homo. Si recesseris à Deo non effugies manum eius. Si autem ad eum accesseris, illico habebis eum, quia nusquam recedit. Audi Prophetam dicentem, Si ascendero in caelum tu illic es, si descendero ad infernum ades. Vbi ergo non est Deus quem tu fugis? Malus es tu, qui bonum fugis. Mors es tu, qui vitam fugis. Inuoluere te vis tenebris, vbi te abscondas, sed illum latere non potes, cuius oculi omnia vident. Ait autem Apostolus, Quem fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis? Sequitur vox iudicis dicens, Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Ergo qui fugit dominum & recedit à Deo, ille confunditur & perit in sua impietate. Vt ergo non pereat tunc, nunc renatur ad dominum & illuminabitur, & vultus eius non erubescet. Dicam tamen fratres mei quod sentio, & quod dixero intelligite. Inter vos segetes Dei sunt mista zizania, id est, amatores mundi, amatores pecuniae, amatores deliciarum, consultores nugarum, omnes quærentes quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi. In ecclesia Christi fidei intrantes, promittentes & non facientes, vouentes & non reddentes, renuntiantes malo & iterum idem facientes, hæc amantes, zizania sunt. Non amant illi Christum, qui aliquid plus amant, quam Christum. Audi homo vocem domini Dei tui, Qui diligit, inquit, patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut filias, aut fratres, aut agros super me, non est me dignus. Si vis tenere quod non habes, dimitte quod habes, vt amor Christi fit in corde tuo. Ecce petis à Deo, & dicis, domine, da mihi, Quid tibi dabit, qui aliunde manus tuas videt occupatas? Ecce dominus vult dare quæ sua sunt, & non habet vbi ponat. Vide ergo, Dimitte quod tenes, & accipies quod quæris. Dimitte temporalia & caduca, & accipies æternam & perpetuam vitam. Dimitte terrena, & accipies cælestia. Ait autem quidam ad Iesum, Magister bone quid boni faciam, vt habeam vitam æternam? Vtique qui dicebat, quid boni faciam, vitam æternam desiderabat, sed plus amabat quod tenebat. Vidit dominus occupatas manus, dare vult, & non habet vbi ponat. Occupatæ sunt manus accipientium. Dicit enim tibi dominus, Vade, vende omnia, & da pauperibus, & pone illa in caelo, quia in terra impediunt. Quid, times ò homo dare pauperibus? Non perdes ea, sed seruantur tibi in caelo. Non vt perdas iussi, dicit dominus, sed vbi ponas suggesti. Post hæc habebis

mo thesaurum non in terra perituum, sed in caelo permanens. Aliquando venit homini tribulatio, venit timor damni. Times ò homo, vt non pecuniam tuam perdas, times ne argentum tuum perdas, times ne possessionem tuam perdas, & nõ times ne tuispe totus pereas? Pro hoc dicis falsum testimonium, pro hoc mentiris & rapis aliena, pro hoc iuras & periuras, quod omnino lex vetat. Nõne cum hæc omnia facis, totus scenum es, totus stipula, totus palea, & non times ne totus ardeas? Semper turbata est anima tua amoribus seculi. Dic, Quare tristis es anima mea, & quare turbas me? Auarus pro auro suo habet tristitiam, patitur tribulationem, habet pericula seruorum, pericula latronum. Auarus amat aurum plus quàm animam suam, Tu Christiane ama Christum plus quàm omnia tua. Ille ferret in amore auri, tu Christiane ferue in amore Christi, & eris beatus in regno Christi. Audi ò homo: Aurum: Aurum in terra est, & ex terra est, & terra, & pars terræ est. Impius dum diligit creaturam, offendit creatorem, & amittit eum qui creauit ex nihilo omnia. Audi ò homo non tu perdis Deum, sed ipse peris à Deo. Ille est redemptor animæ, quem vis amittere. Quid enim proderit tibi, si totum mundum lucreis, animæ verò tuæ detrimentum patiaris? Expergiscere aliquando ò homo, & ama Christum. Hæc est enim sapientia vera, id est, amare Christum. Multi enim dicunt, & scire volunt, quare illum vocat ad se dominus, & illum non vocat: vni subuenit, & vni non: hunc dignum habet, & illum indignum: istum honorat, & illum cruciat & affligit. Audi ò homo. Hunc dignum habet pro bonis operibus suis, illum habet indignum pro operibus suis malis: quia debitor est dominus, & reddet bonis bona, & malis mala. Dicturus es forsitan, Quare ille sic? Responder tibi dominus Deus tuus, quia bonum non denegauit, sed dixi prius, Lauamini, mundi estote. Quid volebas? Quid quærebis? Quid cupiebas? Gratiam Dei. Ergo si gratiam Dei quæris, aufer primum nequitiam ab anima tua, & à conspectu oculorum meorum. Iam cessa à malo, & fac bonum, inquit patrem, & sequere eam totis viribus tuis. Et cum hæc feceris, & gratiam meam percipies: & oculi mei super te erunt, & aures meæ ad preces tuas, & priusquam me inquisieris, dicam, Assum. Faciamus bona, fratres charissimi, vt mereamur in futuro seculo inuenire requiem, quam nobis dominus noster promisit dicens. Beati misericordes, quia ipsi misericordiam consequentur. Et cum Propheta à domino exultantes dicamus, Misericordiam & iudicium cantabo tibi domine, Misericordiam inueniunt, qui sunt misericordes. Iudicium timeant contemptores, qui nec sibi parcunt nec miserentur aliis, qui dicunt, Peccemus, & parceret nobis Deus, quia misericors est & bonus. Omnino misericors & bonus est Deus: sed qui modò parcat, in futuro non parceret. Iudicium paratum habent sine misericordia impij, intelligamus fratres, & videamus vbi spem nostram ponere debeamus. Misericordia illi, qui fecit misericordiam, Beati misericordes, quia ipsis miserebitur Deus. Spes est in Dei misericordia, si ab opere misericordiæ nos non fuerimus aridi. O homo \* quid quæris à Deo misericordiam si ipse non es misericors? Quid quæris à Deo indulgentiā peccatorum tuorum, cum ipse tibi simili non indulges?

23. serm. 233.  
 24. tempore  
 non tamē ser-  
 uo ad Exum-  
 25. explica-  
 num.  
 Math. 33.  
 Eph. 5.  
 Gal. 5.  
 Zach. 7.  
 Phil. 33.  
 Phil. 38.  
 Rom. 6.  
 Math. 25.  
 Phil. 2.  
 Math. 10.  
 Math. 19.

Psal. 47.  
 Math. 36.  
 Eps. 7.  
 Psal. 33.  
 Math. 5.  
 Psal. 100.  
 Iacob. 2.  
 Math. 5.





quirat Christiano deuotio. Diuinarum namque reuerentia sanctionum, inter quælibet spontaneæ obseruatiæ studia, habet semper priuilegiũ suum: vt sacratius sit quod publica lege celebratur, quàm quod priuata institutione depeditur. Exer- citatio enim continentia, quam sibi quisque pro- prio arbitrio indicit, ad utilitatem cuiusdam per- tineat portionis: Ieiunium vero quod vniuersa Ec- clesia suscipit, neminem à generali purificatione se iungit: & tunc fit potentissimus Dei populus, quando in vnitatem sanctæ obedientiæ, omnium fidelium corda conueniunt, & in castris militiæ Christianæ, similis ex omni parte præparatio, & eadem est vbique munitio. Fremat licet cruenti hostis peruigil furor, & latebrosas vndique præ- tendat insidias: neminem tamè capere, neminem poterit vulnerare: si nullum inermem, nullum de- sidem, nullum inuenerit ab opere pietatis exor- tem. Ad huius ergo inuictæ pietatis potetiam, di- lectissimi, etiam hoc nos solenne Ieiunium septi- mi mensis inuitat: vt à curis secularibus actibus- que terrenis liberos ad Dominum animos eriga- mus. Et quia hæc intentionem semper necessariam non omnes possumus habere perpetuam, sapius- que per humanam fragilitatem à supernis in ter- rena recidimus: istis saltem diebus, qui nobis ad saluberrima sunt remedia præstituti, mundanis nos occupationibus subtrahamus, & aliquid tempori- ris, quod proficit ad bona æterna, furemur. In mul- tis enim licet scriptum est, offendimus omnes. Et licet quotidiano Dei munere, à diuersis cõtami- nationibus emundemur: inhærent tamen incautis animis plerunque maculæ crassiores, quas oportet diligentiori cura abluere, & impediō maiore de- leri. Plenissima autem peccatorũ obtinetur aboli- tio, quando totius ecclesiæ vna est oratio, & vna confessio. Si enim duorum vel triũ sanctorũ pio cõsensui omnia quæ poposcerint, Dominus præ- stando promittit: quid negabitur multorum mil- lium plebi, vnam obseruantiam pariter exequen- ti, & per vnum spiritum concorditer supplicanti? Magnum est in conspectu Domini, dilectissimi, valdeque preciosum, cum totus Christi populus, eisdem simul instat officiis, & in vtroque sexu, omnes gradus, omnesque ordines eodem coope- rantur affectu: cum in declinãdo malo ac facien- do bono, per cõsuetudinem & vna sententia est, cum in operibus seruorum suorum glorificatur Deus, & totius pietatis authori in multarum gratiarum actione benedicatur. Alit̃ur esurientes, vestiuntur nudi, visitantur infirmi, & nemo quod suum est, quærunt, sed quod alterius, dum ad releuãdam alienam miseriam, vnicuique mensura sua sufficit, & facillè est inuenire hilarem datorem, vbi modum operis ratio temperat facultatis. Per hanc autem Dei gratiam, quæ operatur omnia in omnibus, communis fidelium fructus & commune fit me- ritum: Quoniam quidem potest & eorum par esse animus, quorum impar est census, & cum alter de alterius lætatur largitate, cui æquari non potuit impendio, æquatur affectu. Nihil in tali populo inordinatum, nihilque diuersum est, vbi ad vnum pietatis vigorè, omnia sibi totius corporis mem- bra consentiunt, nec de sua tenuitate confundun- tur, qui de aliorum opulentia gloriatur. Decus enim vniuersitatis, est excellentia portionis, & cum Dei spiritu omnes agimur: non solum illa nostra sunt, quæ ipsi gerimus, sed etiam illa, de

1. Cor. 13.

Matth. 18.

1. Cor. 12.

Rom. 8.

quibus in aliorum actione gaudemus. Amplectamur igitur, dilectissimi, beatam istam sacratissimè vnitatis soliditatem, & solenne ieiunium concor- dante proposito bonæ voluntatis ineamus. Nihil à quoquam arduum, nihil asperum quæratur, nec aliquid nobis, quod vires nostras excedat, indici- tur: siue in abstinentiæ castigatione, siue in elec- mosynæ largitate. Sciunt singuli, quid possint, quidve non possint. Ipsi modulum suum pendat, ipsi iusta & rationabili taxatione se censent: vt sacrificium misericordiæ, nõ cum tristitia offeratur nec inter damna numeretur. Hoc pio impen- datur operi, quod cor iustificet, quod cõscientiam lauet, quod denique & accipienti proficit, & danti. Felix quidem ille est animus, multumque mira- bilis, qui facultatum defectionem, beneficiendi amore non metuit, & daturum sibi eroganda non diffidit, à quo quod erogaret, accepit. Sed quia cum magnanimitas ista paucorum est, plenum etiam pietatis est, vt suorum curam quisque non deserat: nos perfectioribus non præiudicantes, ea vos regula generaliter cohortamur, vt mādatum Dei secūdum possibilitatis vestra mensuram ope- remini. Hilarem enim benevolentiam esse decet, quæ sic suam temperet largitatem: vt de illa & pauperum refectio gaudeat, & domestica suffi- cientia nõ laboret. Qui autem ministrat semen seminanti, & panem ad manducandum præstabit & multiplicabit semen vestrum, & augetur in- crementa frugum iustitiæ vestra. Quarta igitur & sexta feria ieiunemus: Sabbato autem apud beatissimum Petrum Apostolum pariter vigilias celebremus, cuius meritis & orationibus confi- dimus nobis per omnia misericordiam Dei nostri esse præstandam: Per Dominum nostrum Ie- sum Christum, qui viuunt & regnat in secula seculorum, Amen.

1. Cor. 9.

Sanctus mi-  
stra & unum  
vni.

**EIVSDEM DE IEIUNIO**  
*Septimi mensis, Sermo 4.*

**P**redicationem nostram, dilectissimi, familiaris vobis adiunat consuetudo, & ratio temporis commēdat officium sacerdotis: ne aut onerosum videatur aut arduum, quod & præceptum exigit legis, & deuotio temperat voluntatis. Quæ cum in vnum gratia Dei auxiliante conueniunt, non litera occidit, sed spiritus viuificat. Vbi autem spiritus Dei, ibi libertas, quæ legem non timore exequitur, sed amore. Obedientia enim mollit imperium, nec dura ibi necessitate seruitur, vbi diligitur, quod iubetur. Cum ergo vos, dilectissimi, ad quædam quæ etiam in veteri testamento instituta sunt, cohortamur: non Iudaicæ vos obseruantia iugo subdimus, nec consuetudinem vobis populi carnalis indicimus. Excellet super illorum ieiunia continentia Christiana: & si quid nobis atque illis commune est in temporibus, non concordat in moribus. Habeant illi nudi pedalia sua, & in tristitia vultuum ostendant ociosa ieiunia: nos in nullo ad habitus nostri honestatem dissimiles, nec à iustis & necessariis operibus abstinentes, edendi licentiam simplici parcitate cohibemus: vt in vsu ciborum modus eligatur, non creatura damnetur. Quamuis autem vnicui- que nostrum liberum sit voluntariis castigationi- bus proprium corpus afficere, & nunc modera-  
tibus,

1. Cor. 9.

Matth. 6.

tibus, nunc verò districtius, repugnantes spiritui carnales. concupiscentias edomare: quibusdam tamen diebus ab omnibus oportet pariter cele- brare generale ieiunium, & tunc est efficacior san- ctiorque deuotio, quando in operibus pietatis, totius Ecclesiæ vnus animus & vnus est sensus. Publica enim præferenda sunt propriis: & ibi in- telligenda est præcipua ratio utilitatis, vbi vigilat cura communis. Teneat igitur diligentiam suam obseruantia singulorum, & contra nequitia spi- ritualis insidias, implorato diuinæ protectionis au- xilio, cælestia quisque arma arripiat. Sed Eccle- siasticus miles, etiam si specialibus præliis possit fortiter facere, tutius tamen & felicitius dimica- bit, si contra hostem palam in acie steterit: vbi non suis tantum viribus certamen ineat, sed sub inuicti regis imperio, fraternalis consociatus agmi- nibus, bellum vniuersale conficiat. Minore enim discrimine plures configunt cum hoste, quàm singuli: nec facillè patet vulnere, quem opposito scuto fidei, non sua tantum, sed etiam aliorum fortitudo defendit: vt vbi est vna omnium causa, sit vna victoria. Quia igitur aduersarius noster in- sidiari nobis diuersa tentationum arte non desi- nit, & hæc est vna versutiarum eius intentio, vt redemptos Christi sanguine, à mandatis Dei pos- sit abducere: omni diligentia præcauendum est, vt nullis inimici iaculis vulneremur. Tela enim ipsius non sunt aspera corporis sensibus, sed ni- mium carni, vt animæ noceant, blandiuntur. Tra- hunt oculos ad varias cupiditates, vt de mundi pulchritudine, aut concupiscentiæ accendantur faces, aut superstitionum gignantur errores. Insi- diose etiam sono mollioris iectibus pulsatur au- ditus, vt animi soliditas illecebrosa modulatione soluatur, & lethali consuetudine suauitatum, incauta & parum sobria corda capiuntur. Sed hos diaboli dolos inefficaces & irritos faciunt diuinæ præsidia gratiæ, & Euangelicæ præcepta doctrine. Quoniam qui acceperunt spiritum sanctum, & à quibus timor domini nõ de pœnæ formidine, sed de Dei charitate conceptus est: illæso fidei pede laqueos talium conterunt captioinum, vt creatu- rarum omnium pulchritudine, ad gloriam & lau- dem sui vrantur autoris eumque diligant super omnia, per quem facta sunt omnia. In huius ad- mirationem, dilectissimi, omnium fidelium tendat affectio, de hoc sibi delectationes non corrup- tibilis, sed æternas, sapiens continentia petat, & in amorem boni, sine quo nullus est bonus, in- contaminata castitas inardescat. Ad hoc enim nobis tradita sunt exercitia Christiana: vt refeca- ta omni illicita voluptate, in sanctas & spirituales delicias æstuemus. Et cum nos oporteat semper studere virtutibus, quidam tamen dies ideo sunt ad castigationem communis obseruantia conse- crati: vt anima, quæ terrenis adhuc desiderijs im- plicatur, & curis secularibus impeditur, ex inter- uallo saltem, ad diuinam respiret. Et quia portio di- uini agri est, dignos cælestibus horreis adferat fructus. Ibi enim spes est metendi, vbi fuerit dili- gentia seminandi. His, dilectissimi, ad profectum vestrum pro temporis occasione perstrictis, ieiunium vobis septimi mensis indicimus, in quo vos non solum de ciborum abstinentia, sed etiam de pietatis operibus commonemus: vt quod vestris vñbus religiosa parcitate subtrahitis, in alimo- nam pauperum & in cibos debiliam transfera-

tis: omnibus quidem indigentibus generali be- nevolentia consulentes, sed maxime eorum me- mores, qui sunt de membris corporis Christi, & nobis vnitare Catholicæ fidei copulantur. Plus enim debemus nostris pro cõsortio gratiæ, quàm alienis pro communionem naturæ. Abundet ergo in vobis, dilectissimi, benignitas Christiana: & li- cet recurrentia anni tempora desideratis vt plena sint fructibus, ita & corda vestra pascendis sint fecunda pauperibus. Quibus vtique potuit Deus, cuius sunt omnia necessaria conferre substan- tiam, & tales eis tribuere facultates, vt in nullo vestris largitionibus indigerent: sed & illis & vo- bis multa virtutum materia defuisset, si nec illos ad patientiæ coronam inopia exerceret, nec vos ad misericordiæ gloriam copia prouocaret. Mira- biliter autem providentiã diuinã disposuit, vt es- sent in ecclesia & sancti pauperes & diuites boni, qui inuicem sibi ex ipsa diuersitate prodesse-  
rent, cum ad æterna & incorrupta præmia promeren- da Deo gratias agerent accipientes, & Deo gra- tias agerent largientes: quoniam sicut scriptum est, & Patientia pauperum non peribit in æter- num, & Hilarem datorem diligit Deus. Quarta  
igitur & sexta feria ieiunemus: Sabbato verò apud beatissimum Petrum Apostolum vigilias ce- lebremus, sperantes nos ita ipsius orationibus adiuuandos, vt Deus misericordiarum ieiunij nostri sacrificio placatus exaudiat, Per Christum dominum nostrum, Amen.

Psal. 9.

1. Cor. 9.

**EIVSDEM DE IEIUNIO**  
*Septimi mensis, Sermo 5.*

**S**acratum, dilectissimi, in septimo mense ieiunium, ad communis deuotionis exercitia præ- dicamus, fidenter vos paternis cohortationibus incitantes, vt quod fuit ante Iudaicum, vestra fiat obseruantia Christianum. Est enim omni tempo- re aptum & testamento vtrique conueniens, vt per castigationem mentis & corporis, misericor- dia diuina quæratur: quia nihil est efficacius ad exorandum Deum, quàm vt homo ipse se iudicet, & nunquam desinat à venia postulanda, qui se- scit nunquam esse sine culpa. Habet enim hoc in se generaliter humana natura, non à creatore in- situm, sed à præuicatore contractum, & in po- steros generali lege transfusum: vt de corruptibili corpore, etiam quod animam corrumpere pos- sit oriatur. Hinc interior homo, si tamen iam in Christo regeneratus, & à vinculis captiuitatis est erutus, assiduos habet cum carne conflictus: & dum cohibet concupiscentem, patitur repugnanti- tem. In qua discordia non facillè obtinetur tam perfecta victoria, vt etiam quæ sunt abruptenda, non illigent, & quæ sunt interficienda, non vul- nerent: quantumlibet sapienter & prouidè iudex animus suis exterioribus præsit, inter ipsas tamen curas atque mensuras regendæ carnis & alendæ, nimis ei semper vicina tentatio est. Quia enim ita se aut à voluptate corporis aut à dolore se iun- git, vt ad ipsam mentem non pertineat, quod ex- trinsecus aut blanditur, aut cruciatur. Induisum est gaudium, indiscreta tristitia: nihil in hominem iracundia non accendit, nihil lætitia non resoluit, nihil ægritudo non afficit. Et quæ illic declinatio potest esse peccati, vbi vna passio est regentis & Bibli. Hom. tom. 3. A a a 2 subditi

**Math. 26.** subditi, Merito Dominus protestatur, quod spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. Et ne vique ad inertem desidiam desperatione ducamur, quæ impossibilia sunt homini ex imbecillitate propria, possibilia spõdet ex virtute diuina.

**Math. 7.** Angusta enim & arcta est via, quæ ducit ad vitam, & nemo in eam gressum inferret, nemo vestigium promoueret, nisi difficiles aditus ipse se Christus viam faciendo referret: vt author itineris fiat possibilitas ambulantis, quia idem & intrõducit ad laborem & perducit ad requiem. In quo ergo nobis spes est æternæ vitæ in eodem est & forma patientiæ. Si enim compatimur, & contregnabimus, quoniam vt Apostolus ait. Qui se dicit in Christo manere, debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare. Alioqui falsæ professionis imagine vitmur, si cuius nomine gloriamur, eius instituta nõ sequimur. Quæ vtiq; nobis onerosa non essent, & ab omnibus nos periculis liberarent, si nihil aliud quàm quod amandum iubetur, amaremus. Duo nanque amores sunt, ex quibus omnes prodeunt volũtates, ita diuersæ qualitatibus, sicut diuiduntur authoribus. Rationabilis enim animus, qui sine dilectione esse non potest, aut Dei amator est, aut mundi. In dilectione Dei, nulla nimia: in dilectione autem mundi, cuncta sunt noxia. Et ideo æternis bonis inseparabiliter inhærendum, temporalibus verò transeũter vtendum est: vt peregrinantibus nobis, & ad patriam redire properantibus, quicquid de prosperitatibus mundi huius occurrerit, viaticum sit itineris, non illecebra mansionis. Ideo beatus Apostolus prædicat dicens: Tempus breue est, reliquum est, vt qui habent vxores, tanquam non habentes sint, & qui sicut, tanquam nõ sicut, & qui gaudent, tanquam non gaudentes, & qui emunt, tanquam non possidentes, & qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtantur. Præterit enim figura huius mundi. Sed quod de specie, de copia, de varietate blanditur, non facile declinat, nisi in illa visibili pulchritudine Creator potius quàm creatura diligatur. Qui cum dicit, Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota mente tua, & ex tota virtute tua, in nullo nos vult ab amoris sui vinculis relaxari. Et cum huic præcepto, proximi quoque copulat charitatem, imitationem nobis suæ bonitatis indicit: vt quod diligit, diligamus, & quod operatur, operemur. Quæuis enim Dei agricultura simus, & Dei ædificatio, & neque qui plantat sit aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus: in omnibus tamen exigit nostri ministerij seruitutem, & nos dispensatores suorum vult esse donorum, vt qui fert Dei imaginem, Dei faciat voluntatem. Propter quod in Oratione Dominica sacratissimè dicimus: Adueniat regnum tuum, Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra. Quibus verbis quid aliud postulamus, quam vt Deus, quem necdum sibi subdidit, subdat, & sicut in cælo angelos, ita & in terra homines ministros suæ faciat voluntatis? Hoc autem petentes amamus Deum, amamus & proximum, & non diuersa in nobis, sed vna dilectio est: quando & seruam seruire, & dominum cupimus imperare. Hic igitur affectus, dilectissimi, quo amor terrenus excluditur, bonorum operum consuetudine roboratur, quia necesse est, vt bonis actibus conscientia delectetur, & libenter faciat, quod fecisse se gaudeat. Assumitur igitur

Rom. 8. 1. Ioan. 2.

1. Cor. 7.

Math. 22.

1. Cor. 3.

Math. 6.

ieiunium, multiplicatur largitio, iustitia custoditur, frequentatur oratio, sitque vt singulorum desiderium, sit vnum omnium votum. Nutrit patientiam labor, mansuetudo extinguit iram, benevolentia calcit inuidiam, immunda cupiditates sanctis desideriis enecantur, auaritia liberalitate depellitur, & onera diuitiarum sunt instrumenta virtutum. Sed quia insidie diaboli etiam inter talia studia nõ quiescant, rectissimè in quibusdam articulis temporum, vigoris est nostri reparatio instituta: vt ibi de clementia cæli & vberitate agri potest mens præsentium bonorum auda gloriari, & in ampla horrea fructibus congregatis, animæ suæ dicere, Habes multa bona, epulare, ibi quondam increpationem diuinæ vocis accipiat, audiaturque dicentem, Stulte hac nocte reposcunt animam tuam a te, quæ autem præparasti, cuius erunt? Hæc sollicitissima meditatio debet esse sapientis, vt quoniam breues dies istius vitæ & incerta sunt spacia, nunquam sit mors improuisa morituro, nec inordinatũ incidat finem, qui se nouit esse mortalem. Quod itaque vt & sanctificationi corporũ & reparationi profir animarum, quarta & sexta Feria ieiunemus: Sabbato autem apud beatissimum Petrum Apostolum vigiliis celebremus, eius orationibus adiuuandi, vt sanctorum desideriorum consequamur effectum, Per Christum dominum nostrum, Amen.

Luc. 11.

**EIVSDEM DE IEIUNIO**  
*Septimi mensis, Sermo 6.*

**D**euotionem fidelium, dilectissimi, nihil est in quo providentia diuina non adiuuet. Si quidem exercendis ad sanctimoniam mentibus atque corporibus, ipsa quoque mundi elementa famulantur, dum dierum ac mensium distinctè variata reuolutio, quasdam nobis paginas aperit præceptorum, vt quod sacra admonent instituta, hoc quodammodo loquantur & tempora. Vnde cum septimum mensem nobis anni reuertus attulerit, non ignoro obseruantiam vestram ad celebrandum solenne ieiunium spiritualiter incitatis: quoniam experiendo didicistis, quantum hæc præparatio, & exteriora & interiora hominum purificet, vt cum à licitis abstinetur, facilius illicitis resistatur. Continentiæ autem ratio, dilectissimi, non in sola castigatione corporum, nec in diminutione tantum habetur cæcarum. Maiora enim virtutis istius bona ad illam animæ pertinent castitatem, quæ non solum carnis concupiscentias conterit: sed etiam mundanæ sapientiæ vana contemnit, dicente Apostolo: Videte ne quis vos decipiat per Philosophiam, & inanem fallaciam secundum traditionem hominum. Continendum ergo est à cibis, sed multò magis ab erroribus ieiunandum: vt mens nulli carnali dedita voluptati, nullius sit captiua mendacij, quia sicut in præteritis, ita etiam in nostris diebus non desunt vitæ inimici: qui inter Catholicam Ecclesiam mouere audeant bella ciuilia, vt in cõsensum impiorum dogmatum imperitos quosque ducentes sibi glorientur accrescere, quos à Christi corpore potuerint separare. Quid enim tam aduersatur prophetis, tam repugnat Euangelij, tam denique est Apostolicis rebelle doctrinis, quàm in domino Iesu Christo ex Maria virgine genito, & sempiterno

Colos. 2.

piterno patri intemporaliter coeterno, vnam & singularem prædicare naturam? Quia si hominis tantum intelligenda est, vbi est, quæ saluatur deitas? tantummodo Dei, vbi est, quæ saluatur humanitas? Fides autem Catholica, quæ omnibus resistit erroribus, etiam simul istas impietates refutat, damnans Nestorium, diuinæ ab homine diuinitem: detestans Eutychem, in diuinis humana vacuam, quoniam veri Dei Filius Deus verus, vnitatem & æqualitatem habens, cum Patre & Spiritu sancto, idem verus homo esse dignatus est, nec conceptu virginis matris est seiuinctus à carne, nec partu: sic humanitatem sibi vnens, vt Deus incommutabiliter permaneret, sic deitatem homini impartiens, vt eum glorificatione non consumeret, sed auget. Qui enim est factus formæ serui, formæ Dei esse nõ destitit, nec alter cum caro, sed vnus in vtroque est: vt ex quo Verbum caro factum est, nullis dispensationum varietatibus fides nostra turbetur, sed sive in miraculis virtutum, sive in cõtumeliosis passionibus, & Deum qui homo est, & hominem credamus esse, qui Deus est. Hanc confessionem, dilectissimi, toto corde promentes, impia hæreticorum commenta respuite: vt Ieiunia & Eleemosynæ vestrae nullius erroris contagione polluantur. Tunc enim & sacrificij munda est oblatio, & misericordiæ sancta largitio, quando ij, qui ista dependunt, quid operentur, intelligunt. Nam dicente domino, Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis: sic sacra mensæ communicare debetis, vt nihil profus de veritate Corporis Christi & Sanguinis ambigatis. Hoc enim ore sumitur, quod fide creditur: & frustra ab illis Amen respondetur, à quibus contra id quod accipitur, disputatur. Dicente autem Propheta, Beatus qui intelligit super egenum & pauperem, ille circa pauperes vestimentorum & ciborum laudabilis distributor est, qui, se Christum in indigentibus, & vestire nouit & pascere: quoniam vt ipse ait, Quando fecistis vni de fratribus his meis, mihi fecistis. Verus itaque Deus: & verus homo vnus est Christus, diues in suis, pauper in nostris, dona accipiens & dona diffundens, particeps mortalium & viuificatio mortuorum: vt in nomine Iesu Christi omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia dominus Iesus Christus in gloria est Dei patris, viuens & regnans cum sancto Spiritu in secula seculorum, Amen.

1. Ioan. 1.

1. Ioan. 1.

1. Ioan. 1.

1. Ioan. 1.

1. Ioan. 1.

1. Ioan. 1.

1. Ioan. 1.

1. Ioan. 1.

1. Ioan. 1.

1. Ioan. 1.

1. Ioan. 1.

1. Ioan. 1.

1. Ioan. 1.

1. Ioan. 1.

1. Ioan. 1.

1. Ioan. 1.

1. Ioan. 1.

**EIVSDEM DE IEIUNIO**  
*Septimi mensis, Sermo 7.*

**A**postolica institutio, dilectissimi, quæ dominum Iesum Christum ad hoc venisse in hunc mundum nouerat, vt legem non solueret, sed impleret, ita veteris testamenti decreta distinguit: vt quædam ex eis, sicut erant condita Euangelicæ eruditioni profutura decerneret, & quæ dudum fugrant consuetudinibus Iudaicis, fierent obseruantia Christianæ. Quamuis enim varietates hostiarum, differentiæ baptismatum, & ocia sabbatorum, cum ipsa carnis circuncisione cessauerint: manent tamen ex ipsis voluminibus etiam apud nos plurima præcepta moralia. Et cum inde dica-

Math. 5.

tur, Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & diliges proximum tuum sicut teipsum, Christo domino dicente cognouimus, quod in his duobus mandatis tota lex pendet & propheta. Tanquam est sub huius geminæ charitatis edicto vtriusque copula testamenti, vt sine istarum connectione virtutum, nec lex quenquam inueniatur iustificasse nec gratia. Illæ quoque partes legalium mandatorum, ex quibus quædam præcipiuntur, vt fiant, quædam interdiciuntur, vt non fiant, antiquæ auctoritatis retinent firmitatem. Nec ideo eis Euangelica putanda est aduersa perfectio, quia & virtutum studia ad voluntaria incitantur augmenta, & vltiones criminum, penitentia remediis relaxantur. Dicit enim dominus: Nisi abundauerit iustitia vestra plus quàm Scribarum & Phariseorum, non intrabitis in regnum celorum. Quomodo ergo abundauit iustitia, nisi superexalter misericordia? Et quid tam æquum, quidque tam dignum est, quàm vt creatura ad imaginem & similitudinem Dei condita suum imitetur auctorem, qui reparationem sanctificationemque credentium, in peccatorum remissione constituit, vt remota seueritate vindictæ, omniq; cessante supplicio, reus innocentia redderetur, & criminum finis fieret origo villutum? Quod igitur, dilectissimi, ex veteris prædicatione doctrinæ ad purificationem animarum corporumque nostrorum ieiunium septimi mēsis adsumimus: non legalibus nos oneribus subiicimus, sed vtilitatem continentia, quæ Christi Euangelio seruit, amplectimur. Quia in hoc potest super Scribas & Phariseos Christiana abundare iustitia non euacuando legem, sed intelligentiam resutando carnalem. Nec enim nostra talia debent esse ieiunia, qualia erant illorum, quibus Esaias Propheta spiritali sancto in se loquente, dicebar: Ne omnia vestras, & sabbata, & diem magnum non sustineo, ieiunium, & ferias, & dies festos vestros odit anima mea. Vnde dominus ieiunandi formam discipulis tradens, Cum ieiunatis, inquit, nolite fieri sicut hypocritæ tristes. Exterminant enim facies suas, vt appareant hominibus ieiunantes. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Quam mercedem, nisi laudis humana? propter cuius cupiditatem, iustitiæ species plerumq; præteritur, & vbi nulla est cura conscientia, amatur falsitas famæ, vt iniquitas, quæ occultatione arguitur, mendacij opinione latetur. Rationabile itaque sanctumque ieiunium nulla laudis ostentationisque iactantia polluat, nec bonum suum quicquam fidelium de humanis vult pendere iudiciis. Diligenti Deum, sufficit ei placere, quem ratio, quàm ipsa dilectio. Sic enim charitas ex Deo est, vt Deus ipse sit charitas. Quod vtiq; pius & castus ita gaudet animus implere, vt in nulla extra illum cupiat delectari. Verrissimum nanque est quod dicit dominus: Vbi est thesaurus tuus, ibi erit & cor tuum. Quis autem est thesaurus hominis, nisi quædam fructuum eius congregatio laborumque collectio? Quod enim seminauerit quis, hoc & metet, & quale cuiusque opus, talis est & quæstus: & vbi oblectatio fruendi constituitur, ibi cura cordis obstringitur. Sed cum multa sint genera diuitiarum, dissimileque materiarum gaudiorum, thesaurus cuique est suæ cupiditatis affectus, qui si de appetitu est terrenorum, Bibl. Hom. tom. 3. A a a 3 non

Math. 22.

Math. 5.

Ecclesia cur stala ieiuniaz obseruet.

Esai.

Math. 6.

Vana gloria in rell. factis ca uenda.

Galat. 6.



non beatōs facit sui participatione, sed miserōs. *Coloss.* Hi verō, qui ea quæ sursum sunt, sapiunt, nō quæ super terram, nec peritatis intenti sunt, sed æternis, in illo habent incorruptibiles reconditas facultates, de quo dicit Propheta: *Theaurus & salus nostra aduent, sapientia & disciplina & pietas à domino.* Hi sunt thesauri iustitiæ, per quos auxiliante Dei gratia, etiam terrena bona in cælestia transferuntur: dum multi diuitiis aut iuste sibi relictis, aut aliter acquisitis, ad instrumentum pietatis vtruntur. Cùmq; ad sustentationem pauperum, quæ possunt exuberare distribuunt, congregant sibi inamissibiles facultates; vt quod abiderunt elemosynis, nullis possit subiacere dispendiis, & dignè ibi habeant, maximè autem ad thesaurum suum, quia tales diuitias suas dignum & beatissimum est exercere vt crescant, & non timere ne pereant. Operantes igitur, dilectissimi, quod bonum est ad omnes non vsque ad domesticos fidei, septimum mensē ab initio mysticum, propter septiformem spiritum, & ipso sui ordinis numero consecratum, continentia fructibus deputantes, quarta & sexta feria ieiunemus: Sabbato autem apud B. Petrum vigiliis celebremus, cuius nobis orationes suffragabuntur & interita, vt quantumcunque fidelibus tribuitur bonum velle, tantum donetur & posse. Per dominum nostrum Iesum Christum, qui cum Patre & Spiritu sancto viuunt & regnant in secula seculorum, Amen.

EIVSDEM DE IEIUNIO

Septimi mensis, Sermo 8.

**O**Mnis dilectissimi, diuini eruditio præceptorum hoc maximè agit apud corda credentium: vt amor prauus recto amore superetur, & delectatione iustitiæ, peccandi cupiditas destruat, dicente scriptura: Post concupiscentias tuas non eas, & à voluntate tua auertere. Cùm autem sint in animis hominū multæ bonæ concupiscentiæ, & laudabiles voluntates, quid est quod iubetur, vt nostris non consentiamus affectibus: nisi quod ab illa concupiscentia prohibemur, & ab illa voluntate reuocamur, cuius ortus ex nobis est, & ideo mala pronunciat, quia nostra esse conuincitur: Ad distinctiones igitur concupiscentiarum quæ sunt ex Deo, bene homini dictum est: Post concupiscentias tuas non eas, vt quas cognouerit proprias, sciat esse vitandas. Merito ergo Dominus noluit in oratione, quam tradidit, nos ad Deum dicere, Fiat voluntas nostra, sed fiat voluntas tua: hoc est non illa quam caro incitat, sed quam spiritus sanctus inspirat. Vnde autem hoc desiderium conceptum sit, cui semper debeat repugnari, non difficulter intelligunt, qui se filios Adæ esse nouerunt, & peccante humani generis patre, nō dubitant in propagine vitiatum esse, quod est in radice corruptum. Quamuis autem per gratiam Domini nostri Iesu Christi, in nouam creaturam transferimus ex veteri, & imaginem nos terreni hominis homo cælestis exuerit: donec tamen corpus mortale gestamus, necesse est, vt contra carnis desideria dimicemus. Bonum est enim animæ Deo subditæ, timere ne cadat, & habere quod vincat: quoniam virtus in infirmitate perficitur, & quod nos exercet conti-

nentia, hoc perducit ad gloriam. Abstinentium est itaque, dilectissimi, ab his quæ nobis noxiè blandiuntur, & lex peccati, quæ est in membris nostris, Dei lege superanda est: vt licet per omnes sensus corporis multæ insidiantur illecebræ, animus tamen, cui summum bonum & verum gaudium Deus est, inter castas spiritalisque delicias in sapientiæ latitudine, & in veritate luce versetur. Si enim seipsum sibi rationalis homo compareret, omnēsque suorum actuum qualitates vera inspectione diiudicaret, nunquid in intimis conscientia suæ hoc delectationis inuenierit de iniquitate commissa, quod de aequitate seruata? aut tantum ei iucunditatis carnalis voluptas, quantum spiritalis pariter appetitus? Nihil prorsus de virtutum splendore attingit, nihil de pietatis suavitate gustat, qui magis vult sordescere in iis quæ immunda sunt, quàm in iis splendore, quæ sancta sunt. Non finit ratio, vt cordibus non vsque quæque captiuus, ita placeat fatiata ira, vt remissa vindicta, aut tantum generent gaudium mala quaerita de alieno, quantum bona expensa de proprio. Felicitior semper est parca temperantia, quàm profusa luxuria, maiorque est lux humilibus, quàm superbis, & sublimior mens quæ inter prohibita atq; permilla certius habet sperare cælestia, quàm amare terrena. Vt autem in hoc propectu animus religiosus excellat, & ius suæ dominationis obri neat, subigendo corpori castigatio est adhibenda ieiunij. Quod licet generali nomine ad omnem continentiam pertinere videatur, propriè tamen ad edendi diminutionem refertur: vt proficit nunc voluntate non sumere, quod ab initio contra veritatem nocuit vsurpasse, vt sicut illic concupiscentia vulneri, ita hic abstinentia sit saluti. Cui medicina, dilectissimi, quum temptus omne sit congruum, hoc tamen habemus apertissimum, quod & Apostolicis & legalibus institutis videmus electum: vt sicut in aliis anni diebus, ita in mense septimo, spiritalibus nos purificationibus emendemus. Conuenientibus enim in vnum propositum tribus studiis, Oratione scilicet & elemosyna atque ieiunio, præstabitur nobis à misericorde Deo & cohibito cupiditatum, & exauditio precum, & remissio peccatorum, Per Dominum nostrum Iesum Christum, qui viuunt & regnant in secula seculorum, Amen.

EIVSDEM DE IEIUNIO

Septimi mensis, Sermo 9.

**S**CIO quidem, dilectissimi, plurimos vestrum sita in iis, quæ ad obseruantiam Christianæ fidei pertinent, esse deuotos: vt nostris cohortationibus non indigeant admoneri. Quod enim dudum & traditio decreuit & consuetudo firmavit: nec eruditio ignorat, nec pietas prætermittit. Sed quia sacerdotalis officij est, erga omnes Ecclesiæ filios curam habere communem, in id quod & rudibus prostr & doctis, quos simul diligimus, patiter incitamus: vt ieiunium quod nobis septimi mensis recursus indicit, fide alacri per castigationem animi & corporis celebremus. Quamuis enim diminutio cibi carnem propriè videatur aspicere: nihil tamen corporeis sensibus, vel conceditur, vel negatur, quod non sicut id seruientem, ita pertineat ad iubentem. Cùm itaque vnusquis-

que homo duplicem in se legem habeat continentia, nihilque actionum nostrarum ad solum corpus, multa autem ad solum referenda sunt animi: prudenter debemus aduertere, quàm indecens quàmque iniustum sit, si quod à superiore indicitur, ab inferiore negligatur. Vt autem mens rationalis salubriter exteriora castiget, debet etiã propria exercere ieiunia: quia non solum carnis desideria, sed etiam animi cupiditatibus conuenit repugnare, dicente scriptura, Post concupiscentias tuas non eas, & à voluntate tua auertere. Ieiunans ergo ab iis, quæ caro appetit, ieiunet & ab iis quæ male interior substantia concupiscit. Pessimus enim animæ cibus est, velle quod non licet: & noxia cordis delectatio est, quæ aut turpi lacro pascitur, aut superbia extollitur, aut adulatione latatur. Quamuis enim his affectibus morus quoque corporis seruiant, ad originem tamen suam cuncta respiciunt, & ibi censetur qualitas actionis, vbi inuenitur initium voluntatis, quàm reuocare à prauis desiderijs, optimè maximumque ieiunium est: quia tunc est edendi abstinentia fructuosa, quando exterior parcitas à temperantia interiore procedit. Celebratur igitur, dilectissimi, verum & spirituale ieiunium, quod & corpus & animus sui puritate sanctificet, cordis nostri secreta rimemur, & quibus rebus aut contristentur aut gaudeant, iusto discrimine examinet. Ac si quis amor vanæ gloriæ, si qua radix auaritiæ, si quod inest virus inuidiæ, nihil talium anima sumat elcarum: sed virtutum intenta delictis, cælestes epulas terrenæ præferat voluptati. Agnoscat homo sui generis dignitatem, factumque se ad imaginem & similitudinem sui creatoris intelligat: nec ita de miseris, quas per peccatum illud maximum & commune incidit, expauescat, vt non se ad misericordiam sui reparatoris attollat. Ipse enim dicit: Sancti estote, quoniam ego sanctus sum: hoc est, me diligite, & ab iis, quæ mihi displicent, abstinete. Facite, quod amo: amate, quod facio. Et cum videtur esse difficile, quod iubeo, ad iubentem recurre: vt vnde datur præceptum, præstetur auxiliū. Non negabo opem, qui tribui voluntatem: ieiunare ab aduersis, abstinere à contrariis. Ego sum cibus vester & potus: nemo quæ mea sunt inefficaciter concupiscit. Qui enim ad me tendit, ex mei participatione me querit. His, dilectissimi, cohortationibus, quibus nos ad bona incommutabilia & ad gaudia innitit æterna, plenæ sunt omnes diuinarum paginæ literarum, & hoc nobiscum agit testamenti vtriusque doctrina, vt inhaereamus veris, & contineamus à vanis. Non enim apprehendi potest quod promittitur, nisi custoditum fuerit, quod iubetur. Quid iustus, quàm vt homo, cuius fert imaginem, faciat voluntatem, & per abstinentiam cibi ieiunet à lege peccati? Ideo enim ipsa continentia obseruantia, quatuor est assignata temporibus: vt in idipsum totius anni redeunte decursu, cognosceremus nos indefinenter purificationibus indigere, semperque esse nitendum, dum huius vitæ varietate iactamur, vt peccatum, quod fragilitate carnis & cupiditatum pollutione contrahitur, ieiuniis atq; elemosynis deleatur. Esuriamus paululum, dilectissimi, & aliquantulum quod iuandis possit prodesse pauperibus, nostræ consuetudini subtrahamus. Delectetur conscientia benignorum fructibus largitatis, & gaudia tribuens,

quo es lætificandus, accipies. Dilectio proximi, dilectio Dei est, qui plenitudinem legis & prophetarum, in hac geminæ charitatis vnitate constituit: vt nemo ambigeret, Deo se offerre, quod homini contulisset, dicente Domino saluatore, cum de alendis iuuanis que pauperibus loqueretur, Quod vni eorū fecistis, mihi fecistis. Quarta igitur & sexta feria ieiunemus: Sabbato vero apud beatorum Petrum Apostolum vigiliis celebremus, cuius nos meritis & orationibus credimus adiuuandos, vt misericordī Deo ieiunio nostro & deuotione placeamus, Per Dominum nostrum Iesum Christum, qui cum patre & spiritu sancto viuunt & regnant Deo in secula seculorum, Amen.

S. GREGORII PAPA

in idem Euangelium.

**C**LAMANS & multum discerpens, &c. Sciendum quoque est, quod plerunque eis, quos ceperit, tunc grauiore culpas ingerit, cum præsentis vitæ termino illos propinquare cognoscit, & quo se consummaturam tentationem cōsiderat, eo eis iniquitatum pondera grauiora coaceruat. Dæmon igitur caudam suam quasi cedrum stringit, quia quos per praua initia ceperit, ad finem deteriores reddit: vt tentamenta eius quo citius cessatura sunt, eo valentius compleantur. Quia enim suis poenis eorum satagit æquare supplicium, in eis ardentius ante mortem nititur omne exaggerare peccatum. Plerunque verò dæmon iste iam cor malè subditum possidet, sed tamen diuina illi gratia repellit: & manus misericordiae eijcit, quem ad se captiuam voluntas introduxit. Cùmque à corde expellitur, actiones infigere iniquitatum stimulos conatur, vt eos tentationum fluctus mens ab illo impugnata sentiat, quos etiã possessa nesciebat. Quod bene in Euangelio exprimitur, cum exire ab homine immundus spiritus domino iubente narratur. Nam cum dæmoniacus puer fuisset oblatu, scriptum est: Commi-natus est Iesus spiritui immundo, dicens: Surde & mute spiritus, ego tibi præcipio, exi ab eo, & amplius ne introcas in eum: & clamans, & multum discerpens eum, exiit ab eo. Ecce eum non discerpserat cùm tenebat, exiens discerpit: quia nimirum tunc peius cogitationes mētis dilaniat, cùm ita termino egressus sui diuina virtute compulsus appropinquat. Et quem mutus possederat, cum clamoribus deserebat: quia plerunque cùm possidet, minora tentamenta irrogat: cùm verò de corde pellitur, actori infestatione perturbat. Bene itaque dicitur: Stringit caudam suam quasi cedrum: quia & cor possidens semper in malitia ex posterioribus crescit, & cor deserens vehementioribus cogitationum stimulis percutit.

PETRI CHRYSOLOGI

Episcopi Rauennens. in superius

Euangelium, Sermo 1.

**Q**uia solito plus sese terris æstus infuderat, diu tacui, ne compresso quæ ex desiderio nascitur audiendi, ipsa nobis cynocamatum generaret incendium: nunc vbi ætatem temperies

Marc. 9.

mitigavit autumni, dominicum, iuuantē domino, reuocatur ad verbum. Cum filium suum quidam surdi & muti spiritus furore possessum ingereret domino curādum, dominum præter morem patientiæ suæ Euangelista sic retulit fuisse commotum, vt antè in patris vulnus ipse inueheretur, quàm ad filij moueretur curam. *Respondens inquit, vnus de turba, dixit, Magister, attuli filium meum ad te, habentem spiritum mutum, &c.* Respondens vnus de turba, quid est quod vno interrogante feriuntur multi? quid est quod conquerente vno, incredulitatis notantur omnes? quid est quod ad vnus vocè tota generatio superba perfidia nuncupatur? quid est quia iste non ad Deum venerat, sed ad magistrum venerat: curam non à virtute exigens, sed ab arte; tarditatem curæ non causæ deputans, sed curanti impossibilitatem discipulorum magistri imperitiæ assignans: Iudaico liuori, inuidiæ scribarum talei satisfaciens per clamorem. *Et dixi discipulis tuis, vt eijcerent eum, & non potuerunt.* Hoc est dicere, esse diabolum, qui Christo non cederet: esse dæmonem, qui parui possit Christi nominis habere virtutem. Discipuli non suo, sed Christi nomine dæmones de obsessis corporibus effugabant. Quod ergo dæmon discipulis imperantibus non cederet: iste ad infirmitatem Christi nominis, non discipulorum trahebat ad culpam. Vidēs ergo dominus iudæorum sic circumstantes sapere ceteruas: in filiis patrum perfidiam, sic inuit; & in genitoribus germina sic venenosa, percillit: *O generatio incredula, & inuis, inquit, dominus ad discipulos suos, vidit viream illos turbam magnam, & scribas conquirentes cum illis, & confestim omnis populus videns Iesum superflatus est, & expauerunt.* Timentes vtique ne quod insultauerant discipulis, veniente magistro hoc perderent; & tãto dæmone fugato ipsa heret discipulis causa gloriæ, quæ fuerat confusionis occasio: Hinc est quod dominus vno omnibus interrogante respondit, *O generatio incredula, quandiu apud vos erit Quorū incredulitate neque vnus dæmon capitiū fugatur ex corpore. Quandiu apud vos erit? Et non ad gentes mittam? vbi ad vnus discipuli mei vocem templa corruunt, simulacra fugiunt, cõsumuntur aræ, cadunt idola, cõduntur luci, tota dæmonum potestas antiquis & veterosis sedibus suis gemens & tremens, & einlās effugatur: commutantur in ecclesias delubra, in altaria vertuntur aræ, pecorum victimæ mortuorum in viam cordis hostiam transferuntur, auguria, diuinationes, somnia, in solo Dei nutu, in Dei tantum cõstituantur arbitrium. Quandiu apud vos erit? quandiu patiar vos? Patitur patientia, non timore: non necessitate, sed misericordia: expectatione, non metu hos patitur, portat, expectat, qui redire vult impium, non petire. *Afferite illum ad me, quasi longè positum curare non possit, sed afferte vos incredulitatis vestræ causam, infidelitatis titulum, perfidiæ documentum. Afferite illum.* Vt qui saltem docenti Deo noluit credere, vel dæmone confitente credatis, & sentiat vos ipso diabolo nequiores, cum videritis illum confiteri, tremere sui mox præsentia cognitoris. *Et attulerunt eum, & cum vidisset eum, statim spiritu conturbauit illum.* Voluebat homo, sed diabolus torquebatur: inquam vexabat cura, sed inraforem maiestatis iudicis arguebatur: sistebatur captus, sed puniebarur hostis; diaboli pœnâ cruciatu humani corporis*

apparebat. Opus est fratres, opus est Dei lumine, ne in opere Dei oculi sic fallantur humani. *Et interrogauit patrem eius, quantum temporis est, ex quo hoc accidit ei? ait ille, ab infantia.* Requirit passionis tempus auctor temporis, medicus passionis tempus requirit: non vt nescius, sed vt sciens nescientibus prodar: denique interrogatione tali tempus aperit, gratem pandit, reuoluit infantiam; vt tanti mali causa non tangat sobolem; sed parentem: quia à Deo sibi datum pignus ad diaboli gratiam dæmonum retulit ad honorem: dicente scriptura. *Et obtulerunt filios suos & filias suas dæmonis.* Infantia vt in se diabolo locū faceret; quid criminis admiserat? quid reatus? sed replentur dæmone paruuli, quando à parentibus suis offeruntur diabolo, dæmonum ducuntur ad curam. Denique patris fide soluitur, quem patris infidelitas alligat. Patris vox est, *Si quid potes, adiuua nos miseris nostris.* Hoc est, nos adiuua, miserere nobis, quorum reatus aggrauat innocentem, ad quorum pœnâ infantis periculum sic redundat. *Et bene dominus à parente fidem repetit, dicens, Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti.* Et pater, *Credo domine, adiuua incredulitatem meam.* Pater credit, & sicut diximus, patris liberatur fides, qui patris fuerit infidelitate dampnatus: Nam cui genitoris fides profuit, quomodo ei genitoris perfidia potuit non obesse? Quomodo autem sanatus sit, vel quare discipuli, qui multos eiecerant dæmones, hunc nequiter effugare, iuuante domino secuturo sermone pandemus.

**DE IVSDEM IN IDEM**

*Euangelium. Sermo 2.*

**D**OCTORIS officium est lecta disserere, & mysticis obscurata sensibus lucido astruere, & dæmonstrate sermone, ne minor intelligentia inde pernitiem generet auditori: vnde scientiam conferre debuit, & potuit salutare. Hæc est igitur hodiernæ consonantia lectionis. *Et respondens vnus de turba, dixit, Magister, attuli filium meum habentem spiritum surdum & mutum.* Non dixit, attuli filium meum surdum & mutum, sed attuli filium meum habentem spiritum surdum & mutum. Nanquid nequitia spiritalis humanis distinguitur mēbris, & sensibus angustatur humanis, vt debilitates nostras, nostras perferat passiones: nec videre possit, nisi fenestris oculorum, & foraminibus aurium capere auditum, sermonem linguæ, aut oris officio proferre: & per hoc surdi, mutique statum miserabilem sustinere, cum tenuis & aërea natura carnem nesciat, refuret ossa, velut aura spirans orbem totum temporis transeat in momento: diuersas species assumat, varias mutetur in formas, eorda penetret, illudat animas, inspiret impias & turpissimas cogitationes: nec vnde veniat, aut quo redeat, sentiantur: ac si innocuas mentes, velut iaculum volans, lethali vulnere; & tota facilitate transtuleret? Parum esset si hoc pater solus sua supplicatione dixisset: cum dicit, *Attuli filium meum habentem spiritum surdum & mutum.* Nisi dominus ipse immundum spiritum tali increpatione depulisset. *Surde & mute spiritus ego præcipio tibi, exi ab eo.* Sed iam quæ ad solutionem questionis pertinent, prosequamur. Deus qui dæmones est perpetuo crematurus incendio, qui iam eos, & in præsen-

Philos.

Math. 27.

Philos.

Et comment.

præsentia astringit vinculis, angit cruciatibus, vrger pœnis: potest & cum iusserit tota debilitate truncare, atque eo modo quo vident, quo audiūt, quo loquuntur cæcos reddere, surdos & mutos facere ne loquantur. Sed in hoc loco quid diabolus homini fecerit declarat. Antiquus refuga, vbi Deum terris reperit aduenisse, obstruxit aures hominum, vinxit linguam, & obseratis humani sensus foribus speluncæ suæ latebram pectus fecit & parauit humanum: æstimans quod illuc auditus verbi, virtus diuini nominis non veniret: simul vt est dolosus, & callidus patrem capere, parentemque tali se credidit decipere figmento: vt desperaret curari posse eum, qui audire nec poterat, nec fari & vt quod erat diabolici operis, esse crederent debilitatis humanæ, deputaret pignori, ascriberent naturæ quod intulerat hostis inclusus. Denique sicut Mattheus de eodem refert, & alia simulatione istius miseri fessellerat patrem, nam ibi sic supplicat, Domine, miserere filij mei, quia lunaticus est, & male torquetur. Aut humanæ naturæ, aut cælestis elementi demon, quod suæ artis fuerat, voluit tunc videri aptans lunæ cursibus hominis passiones, vexabat corpus lunaribus incrementis: vt esse lunæ crederent, quod erat diabolici criminis & furoris. Sic homines illulit, circunuenit gnaros, infamauit apud desides creaturam, quæ lumini tantum condita lædere nescit, homines quos continua magis iuuare cogitur seruitute. Verum posteaquam venit occultorum cognitor, inspector validissimus secretorum, cui latentia diaboli non poterunt obuiare figmenta, adducitur puer sanandus præceptione diuina: vt quicquid diabolus vinxerat, solueretur à Christo. Egit, egit inimicus vt hoc quod videbatur, efferet naturæ. Sed quare discipuli non poterunt eicere eum? Quia hic homo gentilis populi producit in figuram: siquidem gentilis populi iuxta Apostolum, habebat spiritum aëris huius. Aëris, inquit, spiritus qui nunc operatur in filiis dissidentie. Hic ergo erat surdus & mutus, qui nec audire legem poterat: nec Deum poterat confiteri, sed in igne gehennæ, & per aquas amari semper gurgitis iactabatur: nec poterat à discipulis, vel vilo homine sanari, quia Christus olim auditus fidei, confessio salutis, gentium redemptio dicebatur: & vita. Denique vbi imperio Christi fugatus est diabolus, patefecit clausa, vincula soluantur, sermo redditur, auditus redit, homo reparatur & solus diabolus defert diuturna se possessione detrusum. Hinc est quod dæmones ex gentibus impositione manus, & exorcismis antè à dæmone purgatur, & aperitionem aurium percipit, vt fidei capere possit auditum, vt possit ad salutem prosequente domino peruenire.

**BEDÆ VENERABILIS**  
*presbyteri in idem Euang. expositio.*

**E**T respondens vnus de turba dixit. Magister attuli filium meum ad te, habentem spiritum mutum: qui vbiunque eum apprehenderit, allidit eum, & spumat, & stridet dentibus, & ardet. *Et dixi discipulis tuis vt eijcerent illum, & non potuerunt.* Notandum autem quod semper loca rebus congruunt. In monte dominus orat, transforma-

tur, discipulis arcana suæ maiestatis aperit. In inferiora descendens turbæ occursum excipitur, miserorum fletu pulsatur. Surfum discipulis mysteria regni referat, deorsum turbis peccata infidelitatis exprobrat. Surfum patris vocem iis qui sequi se poterant, pandit deorsum spiritus malos ab his qui vexabantur expellit. Qui etiam nunc pro qualitate meritorum aliis ascendere, aliis vero non desistit descendere. Nam carnales adhuc & incipientes, quasi ima petens confortat, docet, castigat. Perfectos autem quorum conuersatio in cælis est, sublimius extollendo glorificat, liberius de æternis instruit, & sæpe quæ à turbis ne audiri quidem valeant, docet. Dæmoniacam autem hūc quem descendens de monte dominus sanauit, Marcus quidem surdum mutumque, Mattheus vero lunaticum fuisse commemorat. Significat autem eos de quibus scriptum est. Stultus vt luna mutatur. Qui nunquam in eodem statu permanentes, nunc ad hæc, nunc ad illa vitia mutati, crescunt atque decrescunt. Qui muti sunt non confitendo fidem, surdi nec ipsam aliquatenus veritatis audiendo sermonem. Spumant autem, cum stultitia tabescunt. Stultorum namque & languentium atque hebetum est spumas saluarum ex ore dimittere. Strident dentibus, cum iracundiæ furore flammescunt. Atrescunt cum otio torpente languescunt, & nulla virtutis industria confortati, enesuitur viuunt. Quod autem ait, *Et dixi discipulis tuis vt eijcerent illum, & non potuerunt: latenter apostolos accusat, cum impossibilitas curandi interdum non ad imbecillitatem curantium, sed ad eorum qui curandi sunt fidem referatur, dicente domino: Fiar tibi secundum fidem tuam. Qui respondens eis dixit. O generatio incredula, &c.* Non quod tædio superatus sit, mansuetus ac mitis, qui non aperuit sicut agnus coram tondente os suum, nec in verba futoris eripuit: sed quo in similitudinem medici si ægrorum videat contra sua præcepta se gerere, dicat. Vt quo accedam ad domum tuam? quousque atris meæ perdam industriam, me aliquid iubente & te aliud perpetrante? Intantum autem non est iratus homini sed vitio, & per vnum hominem Iudæos arguit infidelitatis, vt statim intulerit. *Afferite illum ad me. Et attulerunt* (inquit) eum, &c. Assatum domino puerum spiritus conturbat & elidit, quia sæpe dum conuerti ad dominum post peccata conamur, maioribus nouisque antiqui hostis pulsamur infidiis. Quod ob id vtique callidus facit aduersarius, vt vel odium virtutis incutiat, vel expulsionis suæ vindicet iniuriam. Hinc est enim (vt de specie transeamus ad genus) quod ecclesiæ sanctæ primordiis tot grauissima inferebat certamina persecutionum, quod suo regno dolebat subito animarum illata fuisse dispendia. *Et interrogauit patrem eius. Quantum temporis est, ex quo hoc ei accidit? &c.* Erubescat Iulianus, qui dicere audet omnes homines absque vlla peccati contagione nasci in carne, tamq; innocentes per omnia, quàm fuit Adam quando creatus est. Quid enim habuit iste puer vt ab infantia dæmonio vexaretur acerbissimo, si non vilo originalis peccati vinculo tenebatur, quem constat nullum adhuc proprium potuisse habere peccatum? Confiteatur catholicus, quia nemo immunis à noxa primæ præuaricationis nascitur, & innocet gratiam Dei, qua liberetur de corpore mortis per Iesum Christum dominum

dominum nostrum. Intelligat scriba doctus in regno celorum, in hoc demoniaco à domino curato, saluationem omnium fidelium esse designatam, qui originalis culpæ reatu astructi veniunt in mundum, nec nisi vnus redemptoris Iesu Christi fide sunt & gratia saluandi. Quod autem dictum est. Et frequenter eum & in ignem & in aquas misit, maxima humanæ recordiæ facinora designat. Ignis namque ardor ad feruorem iracundiæ referendus est. Aqua ad voluptates carnis, quæ dissoluere mentem per delicias solent. Vel certe in ignem fertur demoniacus, quo adulterantium corda succensa sunt, & in aquas quæ solent extinguere charitatem. Sed si quid potes adiuua nos, miserus nostri, &c. Apru dominus responsum reddit petenti. Ipse enim ait. Si quid potes adiuua nos. Et dominus. Si potes (inquit) credere, possum vos miserus adiuuare, quia fides non ficta omnia quæ salubriter petit, impetrare meretur. & contra leprosum qui fideliter clamabat, Domine si vis, potes me mundare, congruum suæ fidei accepit responsum. Volo, mundare. Et continuo exclamans pater pueri cum lacrymis aiebat. Credo domine, &c. Nemo repente fit summus: sed in bona conuersatione à minimis quisque inchoat vt ad magna perueniat. Alia namque sunt virtutis exordia, aliud profectus, aliud perfectio. Si enim & ipsa fides ad perfectionem suam non quibusdam gradibus duceretur: iste interrogatus an crederet, non responderet. Credo domine, adiuua incredulitatem meam. Si enim credebat, cur incredulitatem dicebat? Si vero incredulitatem habere se nouerat, quomodo credebat? Sed quia per occultam inspirationem gratiæ meritorum suorum gradibus fides crescit: vno eodémque tempore is qui necdum perfecte crederat, simul & credebat, & incredulus erat. Et cum videret Iesus concurrentem turbam, &c. Comminatio domini, diuini est virtus imperij. Non autem puero qui vim patiebatur, sed demoni qui inferebat comminatus est. Quia qui peccantem emendare desiderat, vitium vti que increpando & execrando debet exterminare, sed hominem amando refouere. Bene autem dominus qui spiritum immundum pellit ab homine, simul ne amplius in eum ingrediatur imperat. Quia ille veraciter à demoniaca dominatione liberatur, qui ad peccata à quibus semel poenitendo mundatus est, vitat male viuendo reuertit. Et exclamans & multum discerpens eum, exijt ab eo. Exiturus ab homine spiritus immundus discerpit eum, ac furenti clamore terruit intuentes. Quia plerumque diabolus dū de corde expellitur, aciores in eo tentationes generat quam prius excitauerat, quando hoc quietus possidebat. Et factus est sicut mortuus: ita vt multi dicerent, quia mortuus est, &c. Quem hostis impius iam fugere compulsi strauit, ac mortuo similem reddidit, hūc pius Saluator miti suæ dexteræ tactu leuauit. Qui sicut verum se esse Deum potētia saluandi docuit, ita etiam veram se habuisse carnis naturam more tactus humani declarauit. Negat namque Manichæus insanus veraciter eum carne indutū fuisse: sed ipse cum tot languētes suo tactu exiit, mundauit, illuminauit, hæresim illius & antequam nata esset damnauit. Et cum introisset in domum, discipuli eius secreto interrogabant eum: Quare nos non potuimus eicere eum? Dum docet Apostolos quomodo dæmon nequissimus debeat expelli,

omnes instituit ad vitam, vt scilicet nouerimus grauissima quæque vel immundorum spirituum vel hominum tentamenta, ieiunij & orationibus esse superanda. Iram quoque domini cum in vltionem nostrorum scelerum fuerit accensa, hoc remedio singulari posse placari. Ieiunium autem generale est non solum ab escis, sed & à cunctis illecebris abstinere carnalibus, immo ab omnibus vitiis continere passionibus. Sic & oratio generalis non in verbis solum est, quibus diuinam clementiam inuocamus, verum etiam in omnibus quæ in obsequium nostri conditoris fidei deuotione gerimus, teste Apostolo qui ait. Semper gaudentes, sine intermissione orate. Quomodo enim quis omnibus horis atque momentis sine intermissione Deum potest inuocare sermonibus? Sed tunc sine intermissione oramus: cum ea solum opera gerimus quæ nos pietati nostri commendent auctoris. Quo nimirum ieiunio, & qua oratione, iuuante domino cunctas antiqui hostis debellabimus ac propulsabimus insidias.

### EIVSDEM IN IDEM Homilia.

**R**espondens vnus de turba, &c. Narratur in præcedenti sancti huius euangelij capitulo, quia veniens ad discipulos suos Dominus, vidit turbam multam circa eos, & scribas conquirentes eum illis. Et cōfestim omnis populus videns eum stupefactus est, & expauerit, & occurrentes salutabant eum. Noranda est in omnibus locis distātia mētis scribarum & turbæ. Erat autem cum discipulis turba, erat & scribæ, sed aduentū domini mox omnis turba stupefacta expanit, eumque salutās occurrit, scribæ nihil deuotionis, fidei, humilitatis & reuerentiæ ei exhibuisse narratur. Quid autem cum discipulis Domini turbæ siue scribæ cōquirerent, euangelista non dicit. Potest vero, ni fallor, apte intelligi de hoc quæstionem fuisse motam, quare ipsi cum essent discipuli saluatoris, saluare demoniacum qui in medio erat positus, non possent, quod ex sequentibus euangelij verbis potest conjici dum dicitur. Et interrogauit eos: Quid inter vos conquiritis? Et respondens vnus de turba dixit: Magister, atruli filium meum ad te, habentem spiritum mutum. Notandum autem quod semper loca rebus congruunt. In monte dominus orat, transformatur, discipulis arcana suæ maiestatis aperit: in inferiora descendens turbæ occursum excipitur, miserorum fletu pulsatur: sursum discipulis mysteria regni reflat, deorsum turbis peccata infidelitatis exprobat, sursum patris vocem iis qui sequi se poterant pādīt, deorsum spiritus malos ab his qui vexabantur expellit. Qui etiam nunc pro qualitate meritorum aliis ascendere, aliis vero non desistit descendere. Nam carnales adhuc & incipientes, quasi ima petens cōfortat, docet, castigat. Perfectos autem quorum conuersatio in cælis est, sublimius extollendo glorificat, liberius de æternis instruit, & sæpe quæ à turbis ne audiri quidem valeāt, docet. Demoniacum autem hunc quem descendens de mote Dominus sanauit, Marcus quidem surdum mutumque, Matthæus vero lunaticū fuisse commemorat. Significat autem eos de quibus scriptum est: Stultus vt luna mutatur. Qui

Qui nūquam in eodem statu permanentes nunc ad hæc, nūc ad illa vitia mutati, crescūt atque decrescūt. Qui muti sunt non confitendo fidem, surdi nec ipsam aliquatenus veritatis audiendo sermonem. Spumant autem, cum stultitia tabescūt. Stultorum namque & lāguentium atque hebetum est spumas saluarum ex ore dimittere. Strident dentibus, cum iracundiæ furore flammescūt. Arescūt cum otio torpente lāguescunt, & nulla virtutis industria cōfortati, eneruiter viuūt. Quod autem ait, Et dixi discipulis tuis, vt ejicerent illum, & non poterunt, latenter apostolos accusat, cum impossibilitas curandi, interdum non ad imbecillitatem curantium, sed ad eorum qui curandi sunt fidem referatur, dicente domino: Fiat tibi secundum fidem tuam. Qui respondens eis, dixit: O generatio incredula, quādiu apud vos ero? Non quo tædio superatus sit mansuetus ac mitis qui non aperuit sicut agnus coram tondeute os suum, nec in verba furoris erupit, sed quo in similitudinem medici si ægrotum videat, contra sua præcepta se gerere, dicat: Vtque accedam ad domum tuam? quousque artis meæ perdam industriad, me aliud iubente, & te aliud perpetrante? In tantum autem non est iratus homini sed vitio, & per vnum hominem Iudæos arguit infidelitatis, vt statim intulerit. Afferre illi ad me, &c. Allatum Domino puero spiritus conturbat & elidit, quia sæpe dum conuerti ad dominum post peccata conamur, maioribus nouisque antiqui hostis pulsamur insidiis. Quod ob id vti que callidus facit aduersarius, vt vel odium virtutis incutiat, vel expulsiōnis suæ vindicet iniuriam. Hinc est enim (vt de specie transeamus ad genus) quod ecclesiæ sanctæ primordiis tot grauissima inferebat certamina persecutionum, quot suo regno dolebat subito animarum illata fuisse dispēdia. Et interrogauit patrem eius: Quātum temporis est, ex quo hoc ei accidit? Erubescat Iulianus, qui dicere audeat omnes homines absque vlla peccati cōtatione nasci in carne tanquam innocentes per omnia quāam fuit Adam quando creatus est. Quid enim habuit iste puer, vt ab infantia demonio vexaretur acerbissimo, si non vilo originalis peccati vinculo tenebatur, quem constat nullum adhuc proprium potuisse habere peccatum? Confitetur catholicus, quia nemo immunis à noxa primæ præuacationis nascitur, & inuocet gratiam Dei qua liberetur de corpore mortis per Iesum Christum dominum nostrum. Intelligat scriba doctus in regno celorum, in hoc demoniaco à domino curato saluationem omnium fidelium esse designatam, qui originalis culpæ reatu astructi veniunt in mundum, nec nisi vnus redemptoris Iesu Christi fide sunt & gratia saluandi. Quod autem dictum est, & frequenter eum & in ignem & in aquas misit, maxima humanæ recordiæ facinora designat. Ignis namque ardor ad feruorem iracundiæ referendus est: aqua ad voluptates carnis, quæ dissoluere mentē per delicias solent. Vel certe in ignem fertur demoniacus quo adulterantium corda succensa sunt, & in aquas quæ solent extinguere charitatem. Sed si quid potes, adiuua nos, miserus nostri: Iesus autem ait illi, &c. Apru dominus responsum reddit petenti. Ipse enim ait: Si quid potes, adiuua nos. Et dominus: Si potes, inquit, credere, possum vos miserus adiuuare: quia fides non ficta omnia quæ salubriter petit impetrare meretur. Cui con-

tra leprosus qui fideliter clamabat, Domine si vis, potes me mundare, congruum suæ fidei accepit responsum. Volo, mundare. Et continuo exclamans pater pueri, cum lacrymis aiebat: Credo domine, adiuua incredulitatem meam. Nemo repente summus, sed in bona conuersatione à minimis quisque inchoat, vt ad magna perueniat. Alia namque sunt virtutis exordia, aliud profectus, aliud perfectio. Si enim & ipsa fides ad perfectionem suam non quibusdam gradibus duceretur, iste interrogatus an crederet non responderet, Credo domine, adiuua incredulitatem meam. Si enim credebat, cur incredulitatem dicebat? Si vero incredulitatem habere se nouerat, quomodo credebat? Sed quia per occultam inspirationem gratiæ meritorum suorum gradibus fides crescit, vno eodémque tempore is qui necdum perfecte crederat, simul & credebat & incredulus erat. Et cum videret Iesus concurrentem turbam, comminatus est spiritui immundo, dicens illi: Surde & mute spiritus, ego tibi præcipio, exi ab eo, & amplius ne introeas in eum. Comminatio domini diuini est virtus imperij. Non autem puero qui vim patiebatur, sed demoni qui inferebat cōminatus est. Quia qui peccatē emendare desiderat, vitium vti que increpando & execrando debet exterminare, sed hominē amando refouere. Bene autē Dominus qui spiritum immundum pellit ab homine, simul ne amplius in eum ingrediatur imperat. Quia ille veraciter à demoniaca dominatione liberatur, qui ad peccata à quibus semel poenitendo mundatus est, vitat male viuendo reuertit. Et exclamans, & multum discerpens eum, exijt ab eo. Exiturus ab homine spiritus immundus discerpit eum, ac furenti clamore terruit intuentes. Quia plerumque diabolus dum de corde expellitur, aciores in eo tentationes generat, quāam prius excitauerat quando hoc quietus possidebat. Et factus est sicut mortuus, &c. Quem hostis impius iam fugere compulsi strauit, ac mortuo similem reddidit, hunc pius saluator miti suæ dexteræ tactu leuauit. Qui sicut verum se esse Deum potentia saluandi docuit, ita etiam veram se habuisse carnis naturam more tactus humani declarauit. Negat namque Manichæus insanus veraciter eum carne indutū fuisse, sed ipse cum tot languētes suo tactu erexit, mundauit, illuminauit, hæresim illius & antequam nata esset damnauit. Et cum introisset in domum, discipuli eius secreto interrogabant eum: Quare nos non potuimus eicere eum? Dum docet Apostolos quomodo dæmon nequissimus debeat expelli, omnes instituit ad vitam: vt scilicet nouerimus grauissima quæque vel immundorum spirituum vel hominum tentamēta ieiunij & orationibus esse superanda. Iram quoque domini cum in vltionem nostrorum scelerum fuerit accensa, hoc remedio singulari posse placari. Ieiunium autem generale est non solum ab escis, sed à cunctis illecebris abstinere carnalibus: imò ab omnibus vitiis continere passionibus. Sic & oratio generalis non in verbis solum est quibus diuinam clementiam inuocamus, verum etiam in omnibus quæ in obsequium nostri conditoris fidei deuotione gerimus, teste Apostolo qui ait: Sæpe gaudentes sine intermissione orate. Quomodo enim quis omnibus horis atque momentis sine intermissione Deum potest inuocare sermonibus? Sed tūc sine intermissione oramus, cum ea solum opera gerimus, quæ nos pietati nostri commendent auctoris.



autoris. Quo nimirum ieiunio, & qua oratione iuante domino eunctas antiqui hostis debellabimus ac propulsabimus insidias.

**THEOPHYL. EPISCOPI**  
*Bulgar. superioris Euangelij*  
*expositio.*

**E**T respondens vnus è turba, dixit. Præceptor adduxi filium meum, &c. Quum venisset ad discipulos, nouem videlicet, qui non ascenderant secum, vidit disceptantes eos cum pharisæis. Pharisæi autem freti absentia Iesu, molesti erant discipulis. At turbæ repente viso illo, desiderabant enim illum videre, quasi à longinqua peregrinatione aduentantem salutant. Quidam autem dicit, quod facies eius facta à luce transfigurationis formosior, ad salutationem populum inuitarit. Porro respondens vnus è turba dicit. Infirmæ fidei homo ille erat, sicut & dominum testatur, dicens. O generatio incredula: & iterum. Credenti omnia sunt possibilia. Et ille ipse, succurre incredulitati meæ. Taxat autem discipulos tanquam incredulos. Etenim oportebat ipsum non coram omnibus illos accusasse, sed seorsim. At ille respondens ei, dicit. O natio incredula, quousque apud vos ero? &c. Ille quidem qui accesserat ad dominum arguit discipulos, quod non possent sanare: Christus autem in ipsam crimen regerit quasi ita dicens. Tu quia incredulus es in causa fuisti quod non sanatus sit filius tuus. Verum hoc non illi soli dicit, sed generalem ad omnes sermonem vertit, & Iudæos omnes simul ob incredulitatem obiurgat. Verisimile enim erat multos ex astantibus fuisse scandalizatos. Ostendit autem desiderabilem sibi esse mortem: eo quod dicit. Vsq̄ue quo ero vobiscum cum? hoc est affligor, versans cum vobis incredulis. Non tamen subsistit in hoc, quod eos reprehendit, sed etiam medicinam addit, non vt se ostentaret, sed magis vt cum summa modestia sanaret puerum. Vide autem quomodo non suæ virtuti, sed illius fidei sanitatem tribuas, dicens. Omnia possibilia credenti. Sed & iterum, quum vidisset congregari turbam, increpauit spiritum: nolebat enim coram turba sanare, & ostentare se vt arrogantem. Quum increpasset autem & dixisset. Egredere, & ne ultra ingrediaris. Insinuat quod propter hominis incredulitatem ingressurus iterum, in eum esset dæmonium, nisi suo prohibitum fuisset præcepto. Permittit autem discerpi filium, vt omnes sciant dæmonis insidias, & quod accidisset hominem, nisi diuina manu refrenatus & retractus fuisset. Sæpe enim in ignem quis à dæmone proicitur concupiscentiæ & iræ, & in aquam secularium negociorum procellis vndantem. Porro dæmon hic mutus erat & surdus, surdus quidem vt auditu nolens diuina eloquia, mutus vero, vt qui neque alios docere valens quod oportebat. At vbi Iesus, hoc est, sermo Euangelicus manum apprehendit, operatiuam dico virtutem, tunc liberatur ad hoc dæmone. Vide autē, quod Deus quidem adiuuat nos, deinde à nobis bona opera exiguntur. Dixit enim, erexit illum Iesus, hoc erat Dei adiutorium, & surrexit, hoc est, illius in bonis studium. Et quum ingressus esset domum, discipulis illius interrogabant eum seorsim. Cur nos non po-

tuimus eicere illum? Timebant discipuli, ne forte amississent gratiam, quam eis dederat dominus, & propterea nõ potuissent eicere dæmonium. Vide autem & reuerentiam eorum, quomodo seorsim ad illum accedunt. Hoc enim genus. Quales Vel lunaticorum, vel omne dæmoniorum genus non egreditur alio quodammodo, nisi precatione & ieiunio. Oportet enim ieiunare eum, qui dæmonem patitur, & qui sanaturus est: & vtriusque necessarium est ieiunium, magis autem illius qui dæmonem patitur, ieiunium exigit sermo. Oportet autem non ieiunare solum, sed & orare, neque solum orare, sed & ieiunare. Sic enim veræ preces fiunt, si non solum oretur, sed & ieiunetur, vt ne grauetur qui orat ciborum vaporibus, sed expeditus sit & leuis.

**E V T H Y M I I Z I G A B O N I**  
*superioris Euang. expositio.*

**E**T respondens vnus de turba dixit, Magister, &c. Mutum dixit spiritum, vt potere impediendum filij sui loquelam: nec id tantum, sed & auditum eius, sicuti postea declarabitur. Laecerat autem, hoc est deiecit in terram. Arescit, id est, sine sensu est. Marthæus vero ait ipsum dixisse, domine miserere filij mei, quia lunaticus est & miserè affligitur. Verisimile ergo est, & hoc & illud ipsum dixisse. Et atulerunt ipsum ad eum. Permisit hæc ipsum pati, vt viderent qui præsentibus erant, à quibus calamitatibus liberandus esset, vtque postquam vidisset pater eius dæmonium viso Christo turbari, ad fiduciam de eius virtute induceretur. Et interrogauit patrem eius: Quantum temporis est ex quo hoc ei accidit? Interrogauit vt illo respondente cognoscerent audientes, quod iam olim perdidisset eum, nisi diuinitus fuisset cohibitus. Sed si quis potes adiuua nos miseris nostris. Vides quod fidem non habeat indubitatam. Iesus autem dixit ei, Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti. Potentiam in fide illius reposuit: hinc quidem dirigens eum ad fidem: illinc vero de seipso modeste sapiens ac loquens. Statimque exclamans pater pueri cum lacrymis dixit: Credo domine, auxiliare incredulitati meæ. Quod hæcenus fuit. Quum vidisset autem Iesus accurrentem simul turbam. Statim expulit dæmonem, ne diutius ille vexaretur. Dicens ei, Mute & surde spiritus ego tibi præcipio, exi ab eo. Ego quem nosti, tibi præcipio. Et amplius in eum ne ingrediaris. Hoc dixit præuidens quod futurum erat vt dignus esset propter suam incredulitatem, vt rursus ad eum reuenteretur. Prohibet ergo eum, ne cuiquam videatur quod prius non fuerit eiectus. Et quum clamasset spiritus, multumque eum discerpisset. Clamauit, significans quod violenter expelleretur. Quumque ingressus esset domum, interrogabant eum discipuli eius seorsim. Quare nos non posuimus eicere illum? &c. nunc significat. Quare ita enim dixit Marthæus. Aut ἐπιπέτασθαι ἀπὸ τοῦ, capi potest, ac si dicas, Dicebant ei. Multæ siquidem huiusmodi improprietates apud Marcum reperiuntur, & ὄτι significat quod, vel abundat quod frequens est apud Græcos.

**SABBATHO QVATVOR**  
**TEMPORVM SEPTEMBRIS.**

L V C . 13 .

**I**N illo tempore: Dicebat Iesus turbis similitudinem hanc. Arborum fici habebat quidam plantatam in vinea sua: & venit quærens fructum in illa & non inuenit. Dixit autem ad cultores vineæ: Ecce anni tres sunt, ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac & non inuenio. Succide ergo illam, vt quid terram occupat? At ille respondens dixit ei: Domine dimitte illam & hoc anno vsque dum fodiam circa illam, & mittam stercorea. Et si quidem fecerit fructum, sin autem in futurum succides eam. Erat autem docens in synagoga eorum sabbathis. Et ecce mulier quæ habebat infirmitatis annis decem & octo. Et erat inclinata nec omnino poterat sursum respicere. Quam cum vidisset Iesus, vocauit ad se & ait illi: Mulier dimissa es ab infirmitate tua. Et imposuit illi manus & confestim erecta est, & glorificabat Deum. Respondens autem Archisynagogus indignans, quia sabbatho curasset Iesus: dicebat turbæ: Sex dies sunt in quibus oportet operari. In his ergo venite, & curamini, & non in die sabbathi. Respondens autem dominus ad illum dixit: Hypocritæ vnusquisque vestrum sabbatho non soluit bouem suum, aut asinum, à præsepio, & ducit ad aquam? Hanc autem filiam Abraham, quam alligauit satanas, ecce decem & octo annis, non oportuit solui à vinculo isto die sabbathi? Et cum hæc diceret, erubescerant omnes aduersarij eius, & omnis populus gaudebat in vniuersis quæ gloriosè fiebant ab eo.

**GLOSSA ORDINARIA**  
*in superioris Euang.*

**D**ICEBAT Iesus, &c. Similitudo instructuosa arboris, cui isti similes, nisi poeniteant, cito sunt perituri & eradicandi. Cum ergo ficulnea alibi generaliter omnium, hic specialiter synagoga gestat typum. Sicut sterilis ficus folijs exuberans spe fructus, possessorem deserit: sic doctores synagoga operibus infecundis, iam in vmbra legis gloriantes, subiectis nullum operis boni exemplum ministrant. In sicu loco floris, quidam fructus crescant, qui alijs succrescentibus decidunt: remanent tamen quidam de illis qui clementiori auro, siluestrem animum, prioris supci exeuntes, cæteris specie & maturitate præferuntur: sit antiquus synagoga corruit populus, cuius loco de

antiquæ religionis pinguedine, nouus Ecclesiæ emergit populus: remanserunt tamen ex populo Israel Apostoli qui cæteris præstiterunt. Arborena fici. In origine generis humani Adam & Eua cum peccassent de folijs ficulneæ succinctoria sibi fecerunt. Per folia ergo ficulneæ, intelliguntur peccata. Erant autem sub arbore fici, tanquam sub vmbra mortis, de quibus dictum est: Qui sedebat in vmbra mortis, lux orta est eis. Quod Adam & Eua fici folijs se regentes, presentiam domini declinabant, transgressionis conscij, significat quod populus Iudeorum in aduentu saluatoris, qui eos vocaturus venerat, exutum se virtutibus cognoscens, probra conscientie formidans à domino recessurus erat, confusus verborum fluentium velut foliorum velaminibus adopertus. Quærens fructum. Vineam domini sabbatho, domus Israel est, in qua domo synagoga condita est, sicut ficus in vinea. Sed qui in vinea peccantem à viatoribus Bibl. Hom. tom. 3. Bbb permittit

permisit diripi, hanc etiam sicum iussit excidi, in qua quærit fructum, non quia deesse nesciret, sed ostendit in figura, quia in synagoga fructum habere deberet. Nec ante tempus quærit, qui per triennium venit. Qui per Moysen synagogam instituit, ipse in carne appatens in synagoga \* crebris docet, fructum fidei quærit sed in Phariseis non reperit. *Dixit autem ad cultorem vineæ.* Cultores vineæ doctores sunt & apostoli, quorum precibus & monitis, assidua Dei cura suggeritur: quibus dominus sæpe de instructuosa gente conqueritur, quod per tres annos suæ visitationis, id est, in legalibus edictis, prophetis contestationibus, euangelij gratia, negligens extiterit. *Ecce anni tres.* Nullus in synagoga per tres annos esse potuit, quia neque tempore circumcisionis purificari poterant, qui circumcisionem animi non quærebant. Nec per legem sanctificabantur qui carnalia in lege tantum sequebantur. Neque in gratia iustificabantur, qui de peccatis poenitere nolabant. Cum ergo merito essent excidendi, quod factum est per Romanos, iubetur illis qui in circumcisione laborabant, vt succisionis cladem annunciando poenitentiam suggerant. Sed Apostoli intelligentes etiam aliquos de populo Iudæorum, sua vocatione posse vocari, orant vt differat vltio dominicæ crucis. *Vt quid etiam, &c.* Potest per terram sterili sicu occupatam, Iudaica plebs significari, quæ noxia præpositorum vmbra premitur, ne lumen veritatis videat, & exemplis eorum impeditur, ne sole dilectionis calefcat, vnde: *Væ vobis Scribæ & Pharisei qui clauem regni cælorum, &c.* ante homines. Terram occupat, qui locum quem tenet, bonis operibus non exercet, qui exemplo prauitatis impedimentum præstat cæteris. *Vsq̄ dum fodiam.* Donec radicem instructuosæ mentis humilem, & præsentium pressurarum, & æternæ damnationis incutiendo metum. Fossa quippe in imo est, & increpatio, dum mentem sibi demonstrat humiliat. Nouit cultor terram excolere, qui nouit vitia deprehendere. Intellexit duritiam & superbiam Iudæorū causam esse sterilitatis. Pollicetur dura corda apostolicis ligonibus esse fodienda, & superbia ad humilitatem reuocanda. *Mittam stercora.* Id est, malorum quæ fecit abominationem ad animum reducam, & compunctionis gratiam, cum fructibus boni operis, quasi de pinguedine stercoris exultabo. Peccata enim carnis stercora dicuntur, quæ immittuntur ad radicem arboris, quādo prauitatis conscientia tangitur cogitationis memoria, & dum inde poenitet, quasi per tactum stercoris redit ad fecunditatem operis. *Et si quidem se fructum.* Et cum poenitentia ordo exigeret, vt apponeret, reseruabitur vel aliquid tale: nihil tamē subiunxit, sed suspendit sententiam: cum vero adiungit: *Sin autem in futurum succides eam.* Id est, si autem fecerit fructum, continuo iudicium venturæ damnationis annexit: quia procliuiores ad negandum quam ad credendum videbat. *Erat autem do.* Hanc similitudinem de ficulnea, dicitur dominus docuisse in synagoga, vt intimeret ad ipsam synagogam pertinuisse parabolam. Quod enim fructum quærit in ficulnea, nec inuenit, significat quod verbum conuenit synagoga, nec illa recipit, quam tamen non ex toto exirpandam, sed reliquias per fidem saluandas intelligens, mox ibidem primitiua ecclesie sanatio, sub specie incuruæ mulieris subs-

quitur. Idem enim significat ficulnea reseruat, quod mulier erecta. *Sabbathis, &c.* Sabbathis docet, & curam erigi, quia per verbum prædicationis, à temporalibus ad æterna erectos, ad quietem resurrectionis perducit. *Ecce mulier.* Hæc mulier non nisi per decem & octo annos erigi potuit, quia humana natura, hanc corruptionem deponere, & ad induendam incorruptionem æternæ beatitudinis, erigi non poterit, nisi prius impleuerit legem, quæ in decem præceptis continetur, & gratiam in qua Christi resurrectio facta est & nostra expectatur. *Annis decem & octo.* Senarius in quo mundi creatura perfecta est, & operum perfectionem significat, qui per tres multiplicatus decem & octo reddit: & signat eos, qui in tribus temporibus dominicæ visitationis, scilicet ante legem, sub lege, & sub gratia perfectionem operum habent. Hoc ergo tempore Iudæa à rectitudine suæ mentis curuata fuit, quæ magis terrena, quam cælestia nouerat, operatur. *Vocauit.* Quos prædestinavit, hos & vocauit, & quos vocauit hos & iustificauit. Quos iustificauit, illos & magnificauit. *Quia sabbatho, &c.* Deus sabbatho ab operibus mundi requieuit. Vnde & Moses sabbatho à seruilis & noxia actione feriandum præcepit: præfigurans tempus, quo nostra secularia opera, non verò religiosa, id est, laudandi Deum cessabunt. In signum huius rei, etiam sabbatho dominus curat. Hoc autem non intelligens Archisynagogus, fallitur & falli: quia lex in sabbatho, non hominem curare, sed seruilis opera facere, id est, peccatis grauari prohibuit. *Hypocritæ.* Merito hypocritas, id est, simulatores vocat, qui cum magistris plebis videri appetunt, sanationem hominis non reuerentur postponere curæ pecoris. *Non soluit bouem suum.* Mystice. Bos qui cognouit pesselorem suum, & asinus qui nouit præsepe domini sui, Iudaicum & Gentilem populum significant, qui vterque peccati vinculis absolutus, sitim estumque huius mundi, per haustum dominici fontis deposuit. In his ergo duobus animalibus, vocationem duorum populorum, aduersantibus Iudæis prænuntiat dominus. *Hanc autem filiam Abraham.* Filia Abraham quæque fidelis anima: Filia Abraham Ecclesia de vtroque populo collecta, quæ tempore legis & dominicæ resurrectionis impleto, per septiformem gratiam spiritus sancti, vincula longæ captiuitatis erupit: & sic idem est bouem vel asinum, à præsepio solutos, ad potum agi, quod est filiam Abraham à vinculo noxiæ inclinationis erigi. *Erubescerant omnes aduersarij eius.* Qui de dictis saluatoris erubescunt, ficulnea sterili se similes ostendunt. Qui ergo gaudent de miraculis, pertinent ad filiam Abraham, id est, Ecclesiam, Deum de erectione glorificantes.

## CATENA AVREA

in idem Euangelium.

**D**icebat autem & hanc similitudinem. Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua, &c. Titus, lactabant se Iudæi ex eo quod d. 10. & 8. petierant, ipsi verò omnes remanserunt illæsi, vnde proponit eis fici parabolam. Dicit enim: Dicebat autem hanc similitudinem, arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua. Ambr. Vineam domini

mini fabaoth erat: quam dedit in rapinam gentium. Apta autem Synagoga arboris istius comparatio est; quia sicut iste arbor redundat foliis fluentibus, spem possessoribus suis casta speratorum prouectuum expectatione destituit: ita etiam in synagoga dum doctores eius operibus infecundant, verbis tamen velut foliis redundantibus gloriantur, inanis vmbra legis exuberat. Hæc etiā sola arbor ab initio germinat poma pro floribus, & poma decidunt vt poma succedant, manent tamen aliqua priora parata nec decidunt. Etenim primum Synagoge populus velut inutilis decidit fructus, vt de pinguedine religionis antiquæ nouus ecclesie populus emergeret, primi tamen ex Israel grossi maturefcentis exemplo pulcherrimorum gratia fructuum cæteris præstiterunt, quibus dicitur: *Sedebitis super 12. thronos.* nonnulli tamen sicum istam non Synagoga, sed malitiæ & improbitatis figuram putant. Hi tamen in nullo distat, nisi quod pro specie genus eligunt. Beda, Ipse autem dominus Synagoga per Moysen instituit, in carne natus apparuit, & crebrius in synagoga docens fructum fidei quæsiuit, sed in Phariseorum mente non inuenit. vnde sequitur, *Et venit fructus, quærens in illa, & non inuenit.* Ambr. Quærebat autem dominus, non quia fructum ficulneæ deesse nesciret: sed vt ostenderet in figura, quia fructum Synagoga iam habere deberet. Denique ex sequentibus docet non se ante tempus venisse, qui per triennium venit. Sic enim habes: *Dixit autem ad cultorem vineæ,* Ecce anni tres sunt ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non inuenio. Venit ad Abraham, venit ad Moysen, venit ad Mariam, hoc est venit in signaculo, venit in lege, venit in corpore: aduentum eius ex beneficiis recognoscimus. Alibi purificationis, alibi sanctificationis, alibi iustificationis est. Circuncisio purificationis, lex sanctificationis, gratia iustificationis: ergo populus Iudæorum neque purificari potuit, quia circumcisionem corporis non animi habuit: neque sanctificari, quia virtutem legis ignorans carnalia magis quam spiritualia sequebatur: neque iustificari, quia delictorum suorum poenitentiam non gerens, gratiam nesciebat. Merito ergo nullus fructus in Synagoga inuentus est, & ideo iubetur excidi. Sequitur enim: *Succi, ergo illam, vt quid etiam terram occupat?* Bonus autem cultor, & fortassis ille in quo Ecclesie fundamentum est, prælagens alterum ad gentes, se autem ad eos qui ex circumcisione sunt esse mittendum, religiosè ne excidatur, interuenit, fretus vocatione sua, etiam populum Iudæorum per ecclesiam posse saluari. vnde sequitur: *At ille respondens dixit illi, domine, dimitte illam & hoc anno.* Cito duritiam superbiamque Iudæorum causas esse sterilitatis agnouit. Itaque venit excolere, qui nouit vitia deprehendere. vnde subdit: *Vsq̄ dum fodiam circa illam.* Pollicetur dura cordis eorum apostolicis ligonibus esse fodienda, ne radicem sapientiæ terrarum acernus obruat & abscondat. Subdit autem, *& mittam stercora,* id est humilitatis affectum per quem in Euangelium Christi etiam Iudæus forte existimatur fructuosus. Vnde subdit: *Et si quidem fecerit fructum,* bene, scilicet erit: *Sin autem, in futurum succides illam.* Beda. Quod quidem per Romanos factum est, à quibus gens Iudæa succisa, & à terra promissionis expulsa est. Aug. de verb. dom. Vel aliter, Torum

arbor ficulnea genus humanum est. Primus enim homo qui peccauit, foliis ficulneæ pudenda velaui, hoc est membra, vnde nati sumus. Theop. Sed & quisque nostrum ficus est in vinea Dei, hoc est in ecclesia vel in hoc mundo plantata. Gregor. in homil. Tertio autem Dominus ad ficulneam venit, quia naturam generis humani ante legem, sub lege, sub gratia, expectando, admonendo, visitando, requisit. Sed tamen in tribus annis fructum se non inuenisse conqueritur, quia quorundam prauorum mentes nec inspirata lex naturalis corrigit, nec præcepta erudiunt, nec incarnationis eius miracula conuertunt. Theop. Tertio autem natura nostra fructum petita non tribuit: semel quidem cum in paradiso præuicari sumus præceptum: secundo cum in lege vitulum confluauerunt: tertio cum saluatorem rennerunt. Sed id triennium intelligendum est pro tribus ætatibus, puerili, virili, & senili. Greg. in hom. Sed cum magno timore audiendum est quod dicitur, *Succi, ergo illam, vt quid etiam terram occupat?* Vnusquisque enim iuxta modum suum, in quantum locum vite præsentis tenet, si fructum bonæ operationis non exhibet, velut instructuosa arbor terram occupat: quia in eo loco in quo ipse est, & aliis operadi occasio negat. Basil. Propriū enim est diuinæ propitiationi non silenter poenas infligere, sed præmittere minas reuocando ad poenitentiam: sicut Ninuitis fecit, & nunc cultori, dicens: *Succide eam,* prouocans quidem ipsum ad curam eius, suscitans verò sterilem animam ad producendos debitos fructus. Gregor. Nazian. Igitur nec nos feriamus subito, sed præualeamus misericordia, ne fecemus sicum potentem adhuc fructum facere, quam forsitan curabit periti custodis studium. Vnde & hic subditur: *At ille respondens dixit illi, dimitte, &c.* Gregor. in homil. Per cultorem vineæ, præpositorum ordo exprimitur: qui præsentem Ecclesie, dominicæ vineæ curam gerunt. Theoph. Vel paterfamilias Deus pater est, cultor verò Christus, qui sicum amputari vt sterilem non pernitit, quasi ad patrem diceret: Si per legem & prophetas fructum poenitentiae non dederunt, meis eos irrigabo passionibus & doctrinis, & forsitan dabunt obedientiam fructum. Aug. de verb. dom. Vel colonus qui intercedit est omnis sanctus qui intra ecclesiam orat pro eis qui sunt extra Ecclesiam, dicens, *Domine, dimitte illam hoc anno,* id est, tempore isto sub gratia vsque dum fodiam circa illam. Circumfodere est humilitatem & patientiam docere. Fossa enim est humilis terra, stercus autem in bono intellige, sordes sunt sed fructum dant: sordes cultoris, dolor est peccatoris. Qui autem agunt poenitentiam in sordibus agant, & veraciter agant. Greg. in homil. Vel peccata carnis stercora vocantur, ex stercore igitur ad fructum reuiuiscit arbor, quia de consideratione peccati ad bona se opera resuscitat animus. Sed sunt plerique qui inceptationes audiunt, & tamen ad poenitentiam redire contemnunt, propter quod subditur: *Et si quidem fecerit fructum.* Aug. de verb. dom. Bene, scilicet erit. Sin autem in futurum succides eam, quando, scilicet in iudicio venies iudicare viuos & mortuos, interim modò parcutit. Gre. in ho. Qui autem non vult ad fecunditatem pinguescere per increpationem, illic cadit vnde iam resurgere per poenitentiam non valet. *Erat autem docens in synagoga eorum sabbatis, &c.* Ambros. Cito: quod Bibl. Hom. tom. 3. Bbb 2 de

de Synagoga dixerat indicavit , ad ipsam vtique arborem venisse se monstrat, qui in eadem prædicabat. vnde dicitur, *Erant autem docens in Synagoga eorum sabbathis.* Cyril. Docet quidem non seorsim, sed in synagoga securè in nullo dubitans, nec aliquid contra legem Moyfi statuens: sabbatho autem quia tunc iudæi legi vacabant. Chry. Ad expugnationem autè corruptionis & mortis & inuidiæ diaboli contra nos, prodiit incarnatio verbi, & hoc apparet ex ipsis euentibus. Sequitur enim, *Et ecce mulier qua habebat, &c.* Dixit autem spiritum infirmitatis quia mulier hæc patiebatur atrocitate diaboli, derelicta Deo propter propria crimina vel propter transgressionem Adæ, ob quã humana corpora infirmitatem & mortem incurserunt. Dat autem super hoc Deus diabolo potestatem, vt homines mole aduersitatis depressi velint ad meliorem transire. Genus autem infirmitatis ostendit, dicens: *Et erat inclina. nec omnino poterat sursum respicere.* Basil. Brutorum siquidem caput humi deflexum est, terra cernit. Caput hominis erectum est in cælum, oculi superna conspiciunt; conuenit enim quærere superna, transcendere terrena intutu. Cyril. Ostendit autem dominus aduentum suum in huc mundum dissolutiorem esse humanarum passionum, mulierem sanauit, vnde sequitur: *Quam cum vidisset Iesus, vocauit eam ad se & ait illi: Mulier, dimissa es ab infirmitate tua.* Vox apertissima Deo, plena maiestate superna. Fugit enim morbum imperatorio motu, qui etiam manus illi imponit. Sequitur enim: *Imposuit illi manus, &c.* In quo oportet perpendere sacram carnem induisse virtutem diuinam, erat enim ipsius Dei caro, non autem alicuius alterius quasi separatum existente filio hominis à filio Dei, sicut falsò aliquibus visum est. Sed ingrata Synagoga præsul, postquam vidit feminam humi repositam solo tactu erectam, & diuina referentem magnalia ardens domini gloria irritatur inuidia, arguitque imitaculum quasi videretur sollicitari pro sabbatho. vnde sequitur: *Respondens autem archisynag. indi. quia sabbatho curat. Iesus, &c.* Hortatur cæteris diebus dispersos & propriis vacantes operibus non sabbatho videre & mirari prodigia domini, ne forte credant. Sed dic, lex prohibuit ab opere manuali die sabbathi abstinere, nunquid & ab eo quod verbo & ore fit? Cesset ergo comedere & potare ac loqui & psallere in sabbatho. Et si nec legem legis, cur tibi sabbathum? Catechum si manuale opus lex prohibuit, quomodo manuale opus est feminam verbo erigere? Ambr. Denique & Deus ab operibus mundi quieuit, non ab operibus quibus sempiterna & iugis operatio est, sicut filius ait; Pater meus vsque modò operatur, & ego operor: vt ad similitudinem Dei secularia nostra opera non religiosa cessarent. vnde dominus specialiter ei respondit. Sequitur enim; *Respondit autem ad illum dominus, & dixit; Hypocrita vnusquisque, &c.* Bed. Hypocrita est qui in theatro assumit alienam personam, sic & in vita præsentis quidam alia gerunt in corde, & alia superficialiter ostendunt hominibus. Chryl. Benè igitur dicit hypocritam principem Synagoga: quia faciem habebat legis cultoris, mens verò eius erat versuti & inuidi, non enim turbatur propter sabbathum, quia violatur, sed propter Christum quia glorificatur; Tu tamen attende quòd vbi quidem opus fieri iussit, sicut cum paralytico iussit quæbatum

tollere, transtulit sermonem ad maius, cõuincens eos per dignitatem Patris cum dicit: Pater meus vsque modò operatur & ego operor: hic autem vt totum facies verbo, nihil aliud adjicit, ex his quæ ipsi faciebant calumniam soluit. Cyril. Arguitur autem archisynagogus vt hypocrita, dum bruta quidem adquat in sabbatho, mulierem verò non magis genere quàm fide filiam Abraham non dignam putat solui ab ægitudinis vinculo. Vnde subdit: *Et tunc autem filiam Abraham quam alligauit satanas ecce 10. & 8. annis non oportuit solui à vinculo isto die sabbathi?* Malebat siquidem mulierem tãquam quadrupedia cernere terram, quàm hominũ staturam recipere, dum modò Christus non manifestaretur. Non autem erat eis quid responderent, sed ipsi sibi ipsi erant irrefragabilis reprehensio, vnde sequitur: *Et cum hæc dixerit, om. aduer. eius: sed populus quasi commoda ex miraculis consequens lætabatur de signis. vnde sequitur: Et omnis populus gaudebat, &c.* Nam claritas operum omnem quætionem solvebat apud eos, qui non quærebant mentibus peruersis. Greg. in Hom. Mystice autem hoc significat ficulnea instructuosa, quod mulier inclinata: humana enim natura ad peccatum ex voluntate corrumpens, quia fructum obedientiæ ferre noluit, statum rectitudinis amisit: & hoc significat ficulnea referuata, quod mulier erecta. Ambr. Vel ficus Synagogam figurat. Denique in muliere infirma quali Ecclesiæ figura succedit, quæ cum mensuram legis & resurrectionis impleuerit, in illa quiete perpetua in sublimi erecta fastigium, inclinationem nostræ infirmitatis sentire non potuit, nec aliter curari potuisset hæc mulier, nisi quia legem impleuit & gratiam: nam in decem verbis legis perfectio est, in octauo numero resurrectionis plenitudo. Greg. in Hom. Vel aliter: Sexto die homo factus est, atque eodem sexto die opera cuncta domini perfecta sunt. Senarius autem numerus in trigonum ductus, 10. & 8. facit, quia ergo homo qui sexto die factus est perfecta opera habere noluit, sed ante legem, sub lege atque in exordio inchoantis gratiæ infirmus extitit, 10. & 8. annis mulier curua fuit. Aug. de verb. do. Quod ergo significauit triennium in arbore, hoc 10. & 8. anni in illa muliere: quia ter seni, 10. & 8. faciunt. Curua autem erat, sursum aspicere non poterat, quia sursum corda sine causa audiebat. Grego. in hom. Omnis enim peccator terrena cogitans cælestia non requirens, sursum respicere non valet: quia dum desideria inferiora sequitur, à mètis suæ rectitudine curuatur, & hoc semper videt, & sine intermissione cogitat. Vocauit eam dominus, & erexit, quia illuminauit & audiuit. Vocat enim quandoque, sed non erigit, quia plerunque videmus quæ agenda sunt, sed opera non implemus. vñtata enim culpa obligat mentem, vt nequaquam surgere possit ad rectitudinem. Conatur & labitur, quia vbi diu spõre perstitit, ibi cum noluerit cadit. Ambr. Opus autem sabbathi signum futuri est, quòd vnusquisque perfectus lege & gratia per misericordiam Dei corporeæ fragilitatis molestiis exuatur. Cur autem aliud animal indicauit, nisi vt ostenderet futurum, vt iudaicus & gentilis populus suum corpus, æstusque mundi huius dominici fontis vbertate deponat: & sic per euocationem duorum populorum Ecclesiam saluam futuram. Beda: Filia autem Abraham est anima quæcunque fidelis, vel ecclesia

clesia de vtroque populo ad fidei vnitatem collecta. Idem ergo mystice est bouem vel asinum solutum à præsepio potum duci, quod est filiam Abraham à vinculo nostræ inclinationis erigi.

S. AMBROSII MEDIO-  
lanensis Episcopi superioris Euang.  
expositio.

**D**icebat autem illis & hanc similitudinem: *Arborem sicut habebat quidam plantatam in vinea sua, &c.* Quid sibi vult quòd in Euangelio suo dominus fici parabolam frequenter inducit? Habes enim alibi, quòd iussu domini, viriditas omnis huius ligni frondentis aruerit. Vnde intelligimus omnium creatorem, qui potest imperare naturis, vt vel arefcat subito, vel virefcat. Alibi ex teneritudine arboris huius & foliis commemorat concijci solere ætatis aduentum, vtroque significans, & iudaicæ plebis inanem quam prætedebat gloriam velut florè aduètu domini decidisse, quia ab operibus infructuosa durabat: & iudicij diem velut ætatis aduentum, quo adulti fructus terrarum omnium reconduntur, ex plenitudine Ecclesiæ in quam iudæi quoque credituri sunt, esse metiendũ. Hic ergo alioris sensus aliquod etiam quæramus arcanum. Ficus in vinea est. Erat autem vinea domini Sabaoth, quã dedit in rapinam gentibus. Itaq; qui vineam suam diripi fecit, hic etiam ficum iussit excidi. Aptã autem figuram arboris istius comparatio est, quia sicut ista arbor foliis redundans fluentibus spem possessoris sui cassa speratorum prouentuum expectatione destituit: ita etiam in synagoga dum doctores eius operibus infœcundi, verbis tantum velut foliis redundantibus gloriantur, inanis vmbra legis exuberat, spes autem falsi expectata prouentus, populi vota credentis illudit. Est etiam in natura arboris quòd magis credas synagoga specie comparatione huius expressam. Etenim si diligenter inquiras, discretam ab vsu arborum cæterarum consuetudinem naturæ huius inuenies. Namque alia florem ferunt antequàm fructum, pomique ventura prænuntio sui flore designant: hæc sola ab initio germinat poma pro floribus. In aliis flos decuitur, & poma nascuntur: in hac poma decidunt, vt poma succedant. Ergo priora illa cassa fructuum, vice floris emergunt. Ita præcoci quodam nascendi vsu, quæ ordinem naturæ nesciunt, beneficium naturæ seruare non possunt. Etenim qua se medio trudere de cortice gemma consuevit, ea munitissima quæque huius generis poma prorumpunt. De quibus legimus in Canticis canticorum: Ficus produxit grossos suos. Itaque cæteris albenibus primo vere virgultis, sola ficus proprio nescit flore canescere, eo fortasse quòd nullus istis maturior sit vsus in pomis. Namque succedentibus aliis hæc quasi degenerantia respuntur, & arenti infirma radice, renouatis quibus sit succus vitiorum exuruntur. Manent tamen aliqua perrara, nec decidunt, quibus hic prouentus arripit: vt de medio duarum virgarum clauicula breui erumpente promergant, quo geminis recta præsidis tanquam naturæ parentis gremio, succi fori plenioris inolefcat. Ea clementioris auræ prouocata temperie, & prolixioribus adulta temporibus, vbi siluestrem animum succi prio-

ris exuerint, specie cæteris & maturitatis gratia præferuntur. Specta nunc cultus & animos iudæorum, qui quasi primi fructus malè feracis synagoga, grossi labentis similitudine corruerunt, vt mansura supra æuum nostri generis poma succederent. Etenim primus synagoga populus quasi radice operum infirmus arenti, vbertatem sapientiæ naturalis haurire non potuit. Et ideo velut inutilis decidit fructus, vt quasi ex iisdem clauiculis arboris fructuosæ de pinguedine religionis antiquæ, nouus Ecclesiæ populus emergeret. Ergo ille qui erat, esse desinit, vt iste inciperet qui non erat. Primi tamen ex Israel, quos natura validioris ramus extulerat, sub vmbra legis & crucis, in vtriusque sinu, succo gemino colorati, grossi maturefcentis exemplo, pulcherrimorum gratia fructuum cæteris præstiterunt, quibus dicitur, *Sedebitis super duodecim thronos, iudicantes duodecim tribus Israel.* Nec illud alienum quòd Adam atque Eua primi illi nostri vt generis ira eroris parentes, qui huius arboris texere se foliis, paradisi exules esse meruerunt, cum domini deambulantis præsentiam transgressionis suæ conscij declinarent; quòd significarent futurum vt populus iudæorum sub domini saluatoris aduentu, qui eos vocaturus aduenit, exutum se virtutibus per diaboli tentamenta cognoscens, & intracta cõscientiæ probra formidans, à religione denius, præuacatione confusus esset à domino recessurus, verborum fluentium velut foliorum velaminibus adopertus pudenda gestorum. Ergo illi qui ficulnea non poma carpservunt, eliminari sunt à Dei regno. Erant enim in animam vinentem. Venit secundus Adam, & iam non folia sed poma quærebat. Erat enim in spiritum viuificantem. In spiritu autem fructus virtutis acquiritur, Dominus adoratur. Quærebat autem dominus, non quia fructu ficulneæ deesse nesciret, sed vt ostenderet in figura, quia fructum synagoga iam habere deberet. Denique ex sequentibus docet non se ante tempus venisse, qui post triennium venit. Sic enim habes, *Dixit autem ad cultorem vineæ, Ecce anni tres sunt ex quo veni quærens fructum in ficulnea hac, & non inuenio, &c.* Venit ad Abraham, venit ad Moysen, venit ad Mariam, hoc est, venit in signaculo, venit in lege, venit in corpore. Aduentum eius ex beneficiis recognoscimus. Alibi purificatio, alibi sanctificatio, alibi iustificatio est. Circuncisio purificauit, sanctificauit lex, iustificauit gratia. Vnus in omnibus, & in vno omnia. Nemo enim mundari potest, nisi qui metuit dominum. Nemo accedit ad gratiam, nisi nouerit legem. Ergo populus iudæorum neque purificari potuit, quia circuncisionem non animi sed corporis habuit; neque sanctificari, quia virtutem legis ignorauit, qui carnalia magis quàm spiritualia sequebatur, (lex autem spiritalis est,) neque iustificari, qui dilectorum suorum penitentiam non gerebat, & ideo gratiam nesciebat. Merito ergo nullus in synagoga fructus inuentus est, & ideo iuberet excidi. Sed bonus cultor, & fortasse ille in quo Ecclesiæ fundamentum est, præfagiens alterum ad gentes, se autem ad eos qui ex circumcissione sunt esse mittendum, religiosè ne excidatur interuenit, fretus vocatione sua etiam populum iudæorum in Ecclesia posse saluari. *At ille respondens dicit illi, Domine, dimitte illam & hoc* Bibl. Hom. tom. 3. Bbb 3 anno,

Matth. 21. 1. Cor. 15. Ioan. 4. Rom. 4. 1. Cor. 1. Exod. 19. Coloss. 1. Galat. 3. Rom. 7. Galat. 2.

Matth. 19. Genes. 3. 1. Cor. 15. Ioan. 4. Rom. 4. 1. Cor. 1. Exod. 19. Coloss. 1. Galat. 3. Rom. 7. Galat. 2.



amo, usque dum fodiam circa illam, &c. Quam cito duritiam Iudaeorum superbiamque; causas esse sterilitatis agnouit. Itaque nouit excolere, qui nouit vitia reprehendere. Pollicetur dura cordis eorum Apostolicis ligonibus esse fodienda, ut longo incultu situm mentis obductum sermo bis acutus innertat, & corde proficisso excitet sensum aëreo spiramine iam vigentem, ne radicem sapientiae terrarum acervus obruat & abscondat. Cophinum quoque stercoris dicit esse mittendum. Magna profecto vis stercoris, quae tanta est, ut de infecundis fecundas; de arentibus virentia; de sterilibus faciat fructuosa. In quo sedit Iob cum tentaretur, & vinci nequiuit. Et Paulus aëstimat stercora, ut Christum lucrifaciat. Denique cum ante Iob plurima perdidisset, posteaquam sedit in stercore, non habuit quod ei diabolus posset auferre. Bona ergo terra quae foditur, bonum stercus quod mittitur. Denique dominus de terra suscitauit inopem, & de stercore erigit pauperem. Itaque per intellectus exercitium spiritalis, & humilitatis affectum etiam Iudaeos in Euangelium Christi cultor ille bonus fore aëstimat fructuosos. Meminerat enim quia per Aggaeum dominus locutus est: Quarto & vicesimo noni mensis, à die quo fundatum est templum domini, vineam, & ficus, & malogranata, & ligna oliuae, quae non afferunt fructum, ex hac die benedicam, quo reuelatur sub ipsum anni verterentis occasum, hoc est saeculi iam senescentis, sanctum Dei templum (quod est Ecclesia) esse cõdendum, cuius gratia per sanctificationem lauari, Iudaeorum nationumque populi fructum suorum possint habere meritorum. Ergo per huius naturam arboris synagogae species indicatur, secundis prouentibus fructuosa. Nos enim ex partem semine. Meritoque Iudaei grossis labentibus comparantur, quod incrassato corde & praedura ceruice ad perennitatem sui peruenire non possunt. Qui si moriantur, & quasi decidant huic mundo, ut in interiorum hominem per lauari gratiam renascantur, erunt utique fructuosi. Perfidia autem hominum pertinaciam synagogam inutilem fecit, & ideo quasi sterilis iubetur excidi. Quod de Iudaeis dictum, omnibus cauendum arbitror, & nobis maxime, ne fecundum Ecclesiae locum vacui meritis occupemus, qui quasi malogranata benedicti, fructus ferre debemus internos, fructus pudoris, fructus coniunctionis, fructus mutuae charitatis & amoris, sub vno vtero Ecclesiae matris inclusi, ne aura nocent, ne grauidõ decutiat, ne aëstus cupiditatis exurat, ne humoris imber elidat. Nonnulli tamen sicum istam per allegoriam non synagogae sed malitiae & improbitatis figuram putant: hi tamen in nullo distant, nisi quod pro specie genus eligunt. Id cauere se dicunt, quia dominus dixit ad ficum, Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum: cum utique plurimos ex Iudaeis credidisse, & credituros esse nouerimus. Sed qui credit, non synagogae iam fructus est, sed Ecclesiae: nec ex synagoga nascitur qui renascitur in Ecclesia. Sicut enim sunt qui ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis, si enim ex nobis essent, nobiscum mansissent: sic de iis qui ex Iudaeis credunt, dicimus; quia si ex synagoga essent, in synagoga manerent: sed propterea exierunt de synagoga, ut ex synagoga non fuisset credantur. Denique pro malitia interueniret aliquis, & diceret excolendam ut fructum af-

Apo. 1. & 19.  
Iob 2.  
Philip. 3.  
Iob 2.  
Psal. 112.  
Agg. 2.  
Matth. 7.  
Iob 2.  
Agg. 2.  
Matth. 21.  
Iob 2.

ferret, cum ideo venerit dominus, ut femina improbitatis aboleret. Erat autem docens in synagoga corum sabbatis. Et ecce mulier quae habebat spiritum infirmitatis annis decem & octo, &c. Quam cito quod de synagoga diceret indicauit. Ad ipsam utique uenisse se monstrat, qui in eadem praedicabat. Deinde in muliere infirma quasi Ecclesiae figura succedit, quae cum mensuram legis & resurrectionis implerit, in illa quiete perpetua in sublimi erecta fastidium, inclinationem nostrae infirmitatis sentire non poterit. Nec aliter curari potuisset haec mulier, nisi quia legem impleuit & gratiam. Legem in praecipis, in lacro gratiam, per quam mortui saeculo resurgimus Christo. Nam in decem uerbis legis perfectio est: in octavo numero, resurrectionis est plenitudo. Opus ergo sabbati signum futuri est, quod unusquisque lege perfunctus & gratia, per misericordiam Christi corporeae fragilitatis molestiis exaetur. Et ideo in signo ante legi per Moysen praemissa est sanctificatio, ut esset exercitium futurae sanctificationis, & obseruantiae spiritalis, à saecularibus operibus abstinendo. Denique & Deus ab operibus mundi quieuit, sed non ab operibus sanctis, cuius semper eterna & iugis operatio est, sicut filius ait, Pater meus usque modo operatur, & ego operor: ut ad similitudinem Dei saecularia nostra opera, non religiosa cessarent. Respondens autem archisynagogus, indignans quod sabbato curasset Iesus, &c. Hoc autem non intelligens archisynagogus, prohibebat quaequam curari sabbato, cum sabbatum futurarum typus sit feriarum. Et ideo non operis boni sed mali feriae sunt, eo quod praescriptum sit ut nullam ferentes sarcinam delictorum, nec bonorum ieiunij operum sabbata post mortem futura celebremus. Vnde Dominus spiritaliter videtur respondere. Sic enim habes. Respondens autem ad illum Dominus, dixit, Hypocrite, unusquisque vestrum sabbato non soluit bouem suum aut asinum, &c. Cur non aliud animal indicauit, nisi ut ostenderet, aduersantibus licet synagogae principibus, futurum tamen ut Iudaicus & Gentilis populus situm corporis aëstumque mundi istius dominici fontis ueritate deponat. Agnouit enim bos possessorem suum, & asinus praesepe Domini sui. Itaque ille populus qui antea ferri uilis, quod priusquam caellatur arefcit, alimonia pascebatur, panem illum qui è caelo descendit, accepit. Et ideo per uocationem duorum populorum Ecclesiam dicit saluam futuram, quae tempore legis impleto, & dominicae resurrectionis aetate, tempus suae absolutionis acceperat. Quam clemens ergo Dominus, quam pius in uiroque, cum aut miseretur, aut vindicat! In synagogae typo arborem excidi iubet, in typo Ecclesiae feminam saluat. Quam dulcis parabola: facilis autem solutio. Vinculum vinculo comparat, ut infimulatio Iudaeorum actu ipsorum redarguatur. Nam cum ipsi animalibus sabbato soluant vincula, reprehendunt Dominum qui homines à peccatorum uinculis liberauit.

S. AVGVST. EPISCOPI  
Hippon. in superius Euang.  
Sermo.

DE arbore ficulnea, quae triennium habebat, & fructum non affererat, & de muliere quae decem

decem & octo annos habebat in infirmitate, quod dominus donauerit audite. Arbor ficulnea genus humanum est. Triennium autem tria sunt tempora, vnum ante legem, alterum sub lege, tertium sub gratia. Non est autem importunum, ut arbor ficulnea intelligatur genus humanum. Primum enim homo quado peccauit, foliis ficulneis pudenda velauit. Haec velauit, vnde nati sumus, membra. Quae enim ante peccatum fuerant gloriosa, post peccatum pudenda sunt facta. Denique antea nudi erant, & non confundebantur. Non enim erat vnde erubesceret, quado peccatum non praecesserat, nec poterant de sui creatoris operibus erubescere, qui operibus sui creatoris bonis nullum adhuc malum opus suum miserant, Nondum enim manducauerat de ligno scientiae boni & mali, vnde manducare prohibiti erant. Postea ergo quam manducauerunt & peccauerunt, natum est de illis genus humanum, id est, homo de homine, obnoxius de debitorum, mortalis de mortali, peccator de peccatore. Hos ergo appellat in hac arbore, qui per omne tempus fructum dare noluerunt, & propter hoc imminere securis radicibus arboris infructuosae. Interecedit colonus, differret supplicium, ut adhibeatur auxilium. Qui autem intercedit colonus, est omnis sanctus, qui intra ecclesiam orat pro eis qui sunt extra Ecclesiam. Et quid orat? Domine diuinite illam & hoc anno, id est, tempore isto sub gratia, parce peccatoribus, parce infidelibus, parce sterilibus, parce infructuosis. Circumfodio eam, & adhibeo cophinum stercoris. Si fecerit fructum, bene, si autem minus, venies & amputabis eam. Venies, quando? In iudicio venies, quando venturus es iudicare viuos & mortuos, interim modo parcitur. Quid est autem fossa, quid est circumfodere, nisi humilitate, penitentiam & patientiam doceret? Fossa enim humilis terra est. Cophinum stercoris, in bono intellige, Sordes sunt, sed fructum dant. Sordes cultoris, dolor est peccatoris. Qui agunt penitentiam, in sordibus agunt, si tamen intelligant, & veraciter agunt. Huic ergo arbori dicitur, Agite penitentiam, appropinquabit enim regnum caelorum, Quid illa mulier decem & octo annos habens in infirmitate? Sex diebus Deus perfecit opera sua. Ter seni, decem & octo faciunt. Quod ergo significauit triennium in arbore, hoc decem & octo anni in illa muliere. Curua erat, & sursum aspiceret non poterat, quia sursum cor, sine causa audiebat. Sed erexit eam dominus. Est ergo spes, sed filiis, Quousque veniat dies iudicij, multum sibi dat homo. Et quid est homo iustus homo, magnum aliquid est homo, sed tamen iustus homo. Gratia Dei iustus est homo. Nam quid est homo, nisi quod memor es eius? Vis videre quid est homo? Omnis homo mendax. Cantauimus, Exurge domine, non praeualeat homo. Quid est non praeualeat homo? Nonne Apostoli erant homines? Nonne martyres homines erant? Ipse dominus Iesus Deus esse non desistens, homo esse dignatus est. Quid est ergo? Exurge domine, non praeualeat homo? Si omnis homo mendax, exurge veritas, non praeualeat falsitas. Homo ergo, si vult esse aliquid boni, non sit de suo proprio. Si enim de suo esse uoluerit, mendax erit. Si verax esse uoluerit, de Dei, non de suo erit. Exurge ergo domine, non praeualeat homo. Tantum ualuit mendacium ante

diluuium, ut post diluuium octo remansissent homines. Per ipsos terra rursus impleta est hominibus mendacibus, & electus est populus Dei, facta sunt miracula multa, praerogata diuina beneficia. Ad terram promissionibus perductus est, ab Aegyptiorum seruitute liberatus, Propheta in illo excitati sunt, Templum accepit, sacerdotium accepit, vnctionem accepit, legem accepit. Sed de ipso postea dictum est, Filij alieni mentiri sunt mihi. Ad extremum missus est ille per prophetas ante promissus, Non praeualeat homo, vel quia Deus factus est homo, sed etiam ipse faciens diuina contemptus est, praestans tam multa beneficia preusus est, flagellatus est, suspensus est. Hucusque praeualuit homo Dei filium prendere, Dei filium flagellare, Dei filium spinis coronare, Dei filium ligno suspendere. Tantum praeualuit homo. Sed quousque, nisi quousque de ligno depositus, positus est in sepulchro? Si ibi remansisset, vere homo praeualuisset. Sed Propheta iste etiam ipsum dominum Iesum alloquitur, dicens, Exurge domine, non praeualeat homo. Domine in carne venire dignatus, uerbum caro factus, uerbum super nos; caro inter nos, uerbum caro inter Deum & hominem, uirginem unde nacereris secundum carnem elegisti, uirginem concipiendus inuenisti, natus uirginem reliquisti, sed non agnoscebaris. Apparebas & latebas. Apparebat infirmitas, latebat potestas. Hoc totum factum est, ut sanguinem funderes, quod est precium nostrum. Fecisti miracula tanta, ualitudinibus aërotorum sanitatem tribuisti, beneficia multa praestitisti, & receperisti mala pro nobis. Insultatum est tibi, pependisti in ligno, agitarum est ante te caput ab impiis, & dictum est, Si filius Dei es, descende de cruce. Ita ne tu perdideras potentiam, an potius demonstrabas patientiam? Et tamen illi insultauerunt, & tamen illi riserunt, tamen illi te occiso quasi victores discesserunt. Ecce in sepulchro iaces, Exurge domine, non praeualeat homo. Non praeualeat impius inimicus, non praeualeat cæcus Iudaeus, Cum enim crucifigeris, praeualuisse sibi uisus est Iudaeus cæcus. Exurge domine, non praeualeat homo. Factum est, omnino factum est, Et quid restat, nisi ut iudicetur gentes in conspectu tuo? Resurrexit enim, sicut noluit, ascendit in caelum, inde uerturus est iudicare viuos & mortuos. Eia arbor infructuosa non derideas quia parcitur tibi, dilata est securis, moli esse secura, ueniet, & amputaberis. Crede quia uenturus est. Ita omnia quae uides non erant, Christianus populus toto orbe terrarum aliquando non erat. In prophetia legebatur, in terra non uidebatur, modo autem & legitur & uidetur. Ipsa ecclesia sic est completa. Non ei dictum est, Vide filia & audi; sed, audi & uide. Audi praedicta, uide completa. Quomodo ergo, fratres charissimi, non erat Christus natus de uirgine, promissus est, & natus est, Non fecerat miracula, promissa sunt & fecit, Nondum erat passus, promissum est & factum est, Non resurrexerat, praedictum est & impletum est. Nomen eius per totum mundum non erat, praedictum est & impletum est, idola deleta & fracta non erant, praedictum est & impletum est. Haeretici impugnantes Ecclesiam non erant, praedictum est & impletum est: Sic & dies iudicij nondum est, sed quia praedictus est, implebitur. An fieri potest ut qui in tatis uerax apparuit de die iudicij men-

Gen. 3.  
Rom. 6.  
Dem. 4.  
Apo. 11.  
Exod. 19.  
Gen. 2.  
Iob 2.  
Matth. 3.  
Luc. 13.  
Matth. 23.  
Matth. 23.  
Psal. 44.  
Psal. 44.  
Psal. 44.

Psal. 17.  
Iob 2.  
Matth. 7.  
Psal. 44.



PETRI CHRYSOLOGI

Episcopi Ravennensis in superius

Evangelium, Sermo 1.

Est ordine 106.

**S**icut peritus magister ad audiendum rudes, ad intelligendum tardos discipulorum sensus vario genere doctrinæ pulsar, suscitatur, accendit ingenium: ita dominus similitudinibus variis diversis comparationibus populorum pigros, tardosque animos ad evangelicum conuocat & inuitat auditum: namque hodie sic cepit, *Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua, &c.* Rogo quid tam planum, quid tam lucidum, quid tam commune, quid rusticis sic vernaculū, quid proprium sic peritis, quā proposuit similitudinis forma? Quæ de generali vsu veniens omnes & verbo instruit & conuertit exemplo. Infructuosa arbor intricat cespitem, necat spatia, exhaurit terræ vires, cultorem conficit damno, afficit tædio possidentem: ac sic excidere istam lucrum est, est istam commodum non habere. Sic homo utique qui naturæ donum, munus animæ, rationis beneficium, excellentiam sensus, iudicium mentis, artis industriam, culturæ bonum, per steriles atque inopes actus euertit, occupat, mergit, auctori fructum, cultori gratiam negat, sicut arbor è terra, sic iste è vita meretur excidi. Et sicut infœcunda arbor si fuerit in vinea, dum fundit mortiferam subiectis vitibus vmbra, inimica non sibi soli, sed etiam palmitibus sit fœcundis: ita homo defes, ignauus, si præsit populis, non sibi soli sit noxius, sed multis: dum sequentes se suo vitiat & perdit exemplo. Sed hanc similitudinem quare dominus dixerit, audiamus. Arbor ficus, brumali tempore transacta dum grossos producit in florem, & simulat suum suis floribus fructum, decipit incautos, illudat ignaros. Namque mox projicit grossos, pigrum proficit & porumpit in germen: & sit posterior cæteris fructu, quæ videbatur cæteras, anteisse. Merito ergo à domino synagoga arbori fici comparatur, quæ calefacta tempore legalis tēporaliter ecclesiastici fructus floruit in figura. Patriarcharum namque radice solidata, sacerdotali exaltata culmine, prophetis dilatata ramis. Iudaicæ obseruationis repleta grossis florebat, tunc spe sola fructum datura per Christum, imò ipsum Christum datura post fructum: dicente *Psalmista*, De fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Vnde sancti scientes hæc, spem fructus ex flore capiebant, & solabantur presentia de futuris: videntes iam iamque succedere æterna mortalibus, perpetua caducis, legi gratiam, Synagoga ecclesiam, cælestia terrenis, humanis diuina, omnibus Christum: quem quia venturum longa patientia sustinebant, venisse fidei gaudio sunt gauisi. Ex istis erat Simeon ille, cui promissum erat ut non videret mortem, donec videret Christum domini, quem in vnas habens, talem prorupit in vocem, Nunc dimittis seruum tuum domine, secundum verbum tuum in pace. Quia viderunt oculi mei salutare tuum. Ignari verò dū fiduciam gerūt in lege tota, neque sunt de Christi expectatione solliciti, neque suscipere Christum, neque agnoscere meruerunt, & ita sunt legalibus decepti flosculis, sicut nescios grossis suis decipit ficus. Hinc est quod dominus aduentus sui tempora scire cupientes mittit ad ficum, dicens, Videte si-

Luc. 17.

Psalm. 131.

Luc. 21.

culneam, & omnes arbores cum producant iam fructum scitis quia propè est ætas, ita & vos cum videritis hæc fieri, scitote quia propè est regnum Dei. Videtis quia ficus non signat presentia, sed indicat sic futura. Sed iam per ordinem propositū prosequamur exemplum. *Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua.* Synagoga est arbor ficus, possessor arboris Christus, vinea in qua refertur plantata arbor ista, Israëliticus est populus. Elia propheta sic dicente, Vineam domini sabaoth domus Israël est. *Venit, inquit, quærens fructum in illa, & non inuenit.* Venit Christus, & in synagoga fructum fidei reperit nullū: quia tota doli erat umbrata perfidia. Ad ficulneam venit Christus, ad quam legitur Adam nudus fugisse post culpam: dicente Genesios libro, Et cognouerūt quia nudi sunt: & confuerunt folia fici, & fecerunt sibi fucincortia. Venit ergo ad ficum Christus, ut inueniret Adam, ut nudum tegeter pio suo corporis indumento: cuius ficus non velabat, sed stimula- bat pudorem: cuius ficus ista, id est synagoga circumfisionibus suis nudabat partem veterēdi corporis, non tegebat. *Venit, inquit, quærens fructum, & non inuenit.* Cultor vineæ qui infructuosam ficum iubetur excidere, est præful synagoga, angelus, qui sterilitatem, quia non potest excusare, inducas impetrat supplicando. Sed illud prætereundum nō est quod dixit, *Ecce anni tres sunt.* Tres anni tria sunt tempora per quæ Christus ad synagoga fructum quaesiturus aduenit: id est, per legem, per prophetas, per ipsam sui presentiam corporalem: ut infructuosa ficus, quæ iam diuinitati fructus velut non necessarios denegabat, vel homini, vel esurienti, vel manducaturō Christo cibos necessarios non negaret. Sed nunc, quid cultor vineæ responderit, audiamus. *Domine, dimitte illam & hoc anno.* Cultor vineæ cōcedi adhuc euangelici temporis precatur annum: de quo Elia dicit, Prædicare annum domini acceptum, & diem retributionis. Ut quid? *Vsq̄que dum fodiam circa illam.* Vult eam apostolico vomere perfodere, quia legalis culti non valuit sentire culturam. *Et mittam stercora.* Tātæ radici necessaria, quæ pro tanta pinguedine cespitis sancti tota cælesti imbre nō meruit esse fœcunda. Ficus sterilis, synagoga misera miseratione gentium stercoratur, ut vilissimis adiuta fomentis redeat ad fructum, quæ tanto & precioso vberè deceffit ad fructum: quæ si post hæc in eadem sterilitate permanferit, iam nō cultoris falce, sed ipsius dominantis securi desperata & inutilis succidetur. Et ideo non dixit in futuro succidam eam, sed succides eam: iuxta illud Ioannis, iam securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor non faciens fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Quia post euangelici cultum temporis infructuosas arbores securis iudicij succidet, & nouissimum suscipiet & cremabit incendium.

EIVSDEM IN IDEM

Evangelium Sermo 2.

**H**odie cura Christi, & diuinæ virtutis dedit mirabile documentum, & diabolicæ fraudis nudauit astutiam, & absoluit mulierem longo & obscuro vulnere sanciatam: sicut ait Euangelista. *Erat Iesus docens in synagoga sabbathis, & ecce mulier que*

Est ordine 105.

Luc. 13.

que

que habebat spiritum infirmitatis amīs decem & octo. Habebat spiritū infirmitatis, & erat inclinata: patebat vulnus, sed auctor vulneris nō patebat: languorē videbāt cuncti, sed languoris materiā non videbāt: erat in aperto pœna, sed in ipsa pœna carnis nifex latebat inclusus: corpus aspicietur incuruū, sed nō aspicietur incurui corporis pondus: in medio ciuiū portabat mulier hostē suū, sed hostē ciues vt propellerēt, non videbāt. Ars nequissimi spiritus, corporis necessitas credebatur: vt prædo callidus teneret captiuā dolo, quam tenere viribus non valebat. Diabolus nihil esset, si essent sollicitiores homines & cautiores. Aut quid in homine vnquam prævaluit ille virtute, nisi arte, mendacio, infidiis, fraude, dolo, nequitia, vitiorū ministerio, furore criminū: ille voluntates hominum semper explorat, & bonas quidem voluntates refugit: malis autem volūtātibus obsecundat, vt sit minister scelerum, criminum leno, parasitus ipse vitiorum. Et quia potestate non potest, dominatur turpissimis mentibus turpissima seruitute. Sic mendacio decepit Euam, sic cupiditate laqueauit Iudam: sic Iudæos cæcauit inuidia, sic gentes idolorum caligauit errore, sic cōfudit populos pompa rerum, sic paruulos vanitate ne sana saperent, occupauit. Denique quid circa presentem mulierem molitus sit, audiamus, *Et ecce, inquit, mulier, que habebat spiritum infirmitatis amīs decem & octo.* Videtis quia hæc mulier depressa nequissimi spiritus onere suspirabat, qui semper oneribus peccatorum deprimit homines, & inclinatur ad terrā: ne cælum videat, ne aspera sapiant, ne Deum aspiciant, ne ad libertatem suam per suum reuertantur authorem: sed inclinatur capite defixis oculis, prono vultu, captiuū sub iugo semper hostis teneantur antiqui. Sic premebatur publicanus ille, qui oculos suos ad cælū tollere non valebat, sed percutiebat peccati consciū pectus, & quia negandi locus non erat, locum misericordie perquirebat, dicendo, Deus propitius esto mihi peccatori. Hoc sustinens propheta beatissimus sic canebat, *Iniquitates meæ superposuerunt caput meum, & sicut onus graue grauatae sunt super me.* Et vt sui operis aperiret auctorem, alibi sic profatur, *Verticem capilli perambulantiū in delictis suis quia qui nō resistunt delictis, sed perambulant in eis, eorum diabolus equitat, & percurrit in verticem: vt qui ad mala suo vadunt studio, ad peiora diaboli ducantur impulsu: Apostolo dicente, Tanquam cunctes ducebamini. Sed quid in hac historia spiritualis intelligentiæ maneat, perscrutemur. *Et ecce mulier, &c.* Quæ est ista cuius infirmitatis etiam tempora describuntur? Quæ est ista, cui ferre de terra, sed inclinare, aut languor calidus sic studebat? Quæ est? Hæc quæ modo est sanctorum genitrix Ecclesia sancta filiorū: quam, sicut dicit Apostolus, spiritus aeris huius, spiritus diffidentie, spiritus erroris, spiritali vexabat incommodo: atque ita ponderibus diuersis pronam dabat & deponebat ad terram: vt ad cælum nunquā subleuaretur aspectu. Sed quid est quod hæc quæ Ecclesie typum portat, in synagoga sic reperitur incurua? Quid est? Quia dum fugit gentium sacrilegia, & declinat sarcinas idolorū grauiora incurrit, & portauit pōdera synagoga: probante domino: cum dicit, *Vt vobis Scribæ & Pharisei, qui alligatis onera grauiā, & imponitis super humeros hominum: ipsi autem nec vel mini-**

Genes. 3.

Genes. 3.

Genes. 3.

Genes. 3.

Genes. 3.

Genes. 3.

Genes. 3.

Genes. 3.

Genes. 3.

Genes. 3.

Genes. 3.

Genes. 3.

Genes. 3.

Genes. 3.

Genes. 3.

Genes. 3.

Genes. 3.

Genes. 3.

Genes. 3.

Genes. 3.

Genes. 3.

Genes. 3.

Genes. 3.

Genes. 3.

Genes. 3.

Genes. 3.

Genes. 3.

Genes. 3.

Genes. 3.

Genes. 3.

Genes. 3.

Genes. 3.

Genes. 3.

Genes. 3.

Genes. 3.

Genes. 3.

Genes. 3.

Genes. 3.

Genes. 3.

Genes. 3.

Genes. 3.

Genes. 3.

Genes. 3.

Genes. 3.

Genes. 3.

Genes. 3.

Genes. 3.

Genes. 3.

Genes. 3.

Genes. 3.

Genes. 3.

Genes. 3.

Genes. 3.

Genes. 3.

Genes. 3.

Genes. 3.

Genes. 3.

Genes. 3.

Genes. 3.

Genes. 3.

Genes. 3.

Genes. 3.

Genes. 3.

mo digito ea vultis mouere. Vnde & beatus Petrus, Nunc ergo quid tētatis Deū, inquit, imponere iugū super ceruices discipulorū, quod neque nos, neque patres nostri portare potuimus? Hinc est quod Christus ab his oneribus homines cupiens alleuiare, clamat, Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiā vos: tollite iugū meum super vos, quia suauis est. Cum dicit omnes, & Iudæos utique vocat, & gentes. Sed quare per decē & octo annos mulieris huius trahitur aggritudo? Quia nisi decalogus legis ogdoadis venisset ad gratiam, nunquam sancta Ecclesia, nunquam mulier hæc ad plenitudinem temporis, ad diem salutis, ad tempus acceptum, ad sui saluatoris presentiam peruenisset. Hanc autem mulierem gessisse ecclesie sic figuram, ipsius qualitas curationis assignat. *Vocauit, inquit, ad se illam, & imposuit illi manus.* Sic curare semper ecclesiam satis nouit, qui fieri Christianus meruit, & quotidie fieri cōspicit Christianos. Namque vt incuruus peccatis erigatur gentilis ad cælum, prius à gentili per impositionem manuum nequam spiritus effugatur. Nam qui solo verbo fugarat demones, & infirmitates omnes sola sanauerat iussione: quare sit per hanc mulierem suas imponit manus? Quare circa istam curandi ordinem nouat, nisi quia iam tunc in vna sanat omnes: imò quia non ante suscipit ecclesiam, nisi eam per impositionem manuum suarum purget à diabolo, & faciat Christianam: & amplius faciendorum Christianorum curam presentis curæ formet & instituat sacramento? Sed Archisynagogus indignatur, quare Christus sabbathis curet, hodieque Iudæus in Ecclesia cura zeli furore torquetur: dum cælestes sensus intelligentia terrena præuoluit, ac putat sabbatum iumentis, non hominibus consecratum, qui periclitanti boui, vel asino sabbatho festinus occurrit; hominūque morienti sabbatho pietatis quicquam, miserationis quicquam non indulget. Et hoc facit excors, vt in pectore violet sabbathū: & in homine ipsam violet sanctitatem, ac sic Deo Dei lege præscribit: & obseruatio sabbatum Deo sabbatū sic refundit, quod Deus Iudæo pro labore terreno & opere carnis clemeter indultit. Et cōuersi sunt in arcum peruersum, qui in dominū legis, legis præcepta rectissima sic retorquet. Iudæus, qui te ab humanis, vt vel nō die, vel sabbatho, salutis tuæ curatione cæsares. Deest quippiā. Et tū Christiane diem domino dominicum serua, si vis illam videre domini diem, si vis quicquid est dominicum per dominum possidere.

BEDAE VENERABILIS

presbyteri in superius Euang. expositio.

**D**icebat autem hanc similitudinem: Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua. Potest quidem hæc arbor fici generis humani designare naturam. Quæ benè plantata, hoc est, ad auctoris sui similitudinem creata est. Sed Deo quærente per triennium fructum dare negauit, quia ante legem, sub lege, sub gratia obedire despexit. Verum si ad superiora respexeris, animaduertes eam, & si generaliter omnium specialiter tamen synagoga typum portare. Nam cum præmissa illa terribili tremendaque sententia, Si non penitentiam egeritis, omnes similiter peribitis, mox

Matt. 13.

Act. 15.

Matt. 11.

Psalm. 77.



mox de infecunda atque eradicanda arbore parabolam subiungit, apertissime docet eos quibus loquebatur, instar infructuosae fici, si non poeniterint esse succidendos. Vineam ergo domini Sabaoth, domus Israel est, ut Esaiæ cantico docemur. Synagoga autem in eadem domo condita, fici est arbor in vinea. Sed qui vineam suam permisit à viatoribus deripi, hic etiam ficum iussit excidi. *Et venit querens fructum in illa, et non inuenit.* Ipse qui synagogam per Moysen instituit, dominus in carne natus apparuit, & crebrius in synagoga docens, fructum fidei quaesivit, sed in pharisæorum mente non inuenit. *Dixit autem ad cultorem vineae. Ecce anni tres sunt, &c.* Per cultorem vineae, Apostolorum doctorumque ordo exprimitur, quorum precibus ac monitis assidua plebi Dei cura suggeritur. His etenim dominus sepiissime de infructuosa Iudæorum gente querebatur, quod per tres annos suae visitationis, hoc est in legalibus edictis, in prophetis contestationibus, & in ipsa coruscantis Euangelij gratia negligens extiterit. *Succide ergo illam, ut quid etiam terram occupat?* Non ab Apostolis, sed à Romanis gens Iudæa succisa, & à terra repromissionis eiecta est. Sed succide (inquit) illam, succisionis ei venturæ cladem poenitentiam suadendo propone. Quæ iusto iudicio terram eum regno perdidit, pro cuius amore cæli ciues persequi, ipsumque cæli & terræ regem occidere non metuit, dicens per suos pontifices & pharisæos. Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, & venient Romani & tollent nostrum, & locum, & gentem. Potest etiam per terram sterili ficu occupatâ Iudaicæ plebis turba figurari, quæ noxia præpositorum umbra ne veritatis lumen recipere posset pressa, & ne supernæ dilectionis sole calefieret, exemplo est eorum prauitatis impedita, iuxta quod eisdem alibi saluator: *Vt, inquit, vobis scribæ & pharisæi hypocritæ, qui clauditis regnum cælorum ante homines. Vos enim non intratis, nec introeuntes finitis intrare. At ille respondens dixit illi, Domine dimitte illam & hoc anno, &c.* Vox Apostolorum est, qui post passionem domini pro Iudæis summo opere precabantur ne ab impoentibus dominicæ crucis ultio pereretur. Vsq; dum fodiam (inquit) circa illam, id est radicem infructuosæ mentis ligonibus acutæ inuentionis humilem, & præsentium videlicet pressurarum, & horrorem perpetuæ damnationis incutiens. Omnis quippe fossa in imo est. Et nimirum increpatio dum mentem sibi demonstrat, humiliat. *Et mittam stercora.* Id est, malorum quæ fecit abominationem ad animum reducam, & compunctionis gratiam quasi de putredine stercoris exsuscitem. *Et si quidem fecerit fructum. Sin autem, in futurum succides eam.* Cum diceret, Et si quidem fecerit fructum, non subiunxit aliquid, sed suspexit sententiam. Cum vero adderet, Sin autem, continuo iudicium venturæ damnationis adnexuit dicens, In futurum succides eam, quia videlicet multo procliuiorem ad negandum quam ad confitendum Deum synagogam videbat. Vnde & alibi rebus eandem figuram quam hic verbis agens, infecundam ficum æternæ sterilitatis maledictione damnauit, ostendens videlicet eam & si fodiunt Apostoli corripiendo, & si stercus aduehant peccata improperando, nulla tamen poenitentia fruge cumulanda, sed districtæ bipennis

Joan. 11.

Matth. 23.

seueritate tollendam. *Erat autem docens in synagoga, &c.* Dicta de ficu parabola, Dominus in synagoga docuisse narratur, ut videlicet intimer non aliò parabolam tendere, sed hoc esse fructum in ficulnea querere & non inuenire, verbum synagogæ commodare, nec recipi. Quam tamen ne totam funditus ob culpam sterilitatis extirpandam putares, sed reliquias per electionem gratiæ scires esse saluandas, mox ibidem Ecclesiæ primitiæ sanatio sub incuræ mulieris specie subsequitur. Quæ bene decem & octo annis fuit curuata, qui numerus ternario sexies ducto perficitur, quia videlicet eam quæ in testimonio legis, in vaticinio prophetiæ, & in reuelatione gratiæ per infirma opera langueret ostendit. Senarius enim numerus, in quo mundi est creatura perfecta, operum perfectionem significat. Tria vero sunt ut dixi tempora dominicæ visitationis, in quibus Iudæa quia terrena magis quam cælestia nouerat operari, quasi decem & octo annis à suæ mentis erat rectitudine curuata. *Et erat inclinata, nec, &c.* Quia terrena sapiens, infirma requirens, cælestia cogitare nondum faciebat; audiens per prophetam: Si volueritis & audieritis me, bona terræ manducabitis. Cui contra membris Ecclesiæ dicit Apostolus. *Quæ sursum sic sapite non quæ super terram. Quam cum vidisset Iesus, vocauit ad se, & ait illi. Mulier dimissa es ab infirmitate tua. Et imposuit illi manus, & confestim erepta est, & glorificabat Deum.* Vidit prædestinando per gratiam, vocauit illustrando per doctrinam, imposuit manus spiritibus donis adiuuando, erexit ad glorificandum Deum, in operibus bonis vsque in finem firmam prouehendo. Quos (inquit) Apostolus) prædestinauit, hos & vocauit, & quos vocauit, hos & iustificauit, quos autem iustificauit, illos & magnificauit. *Respondens autem archisynagogus indignans quia sabbato curasset Iesus, &c.* Sabbato curauit Iesus, ostendens iam esse tempus ut secundum prophetiam Cantici Canticorum aspiraret dies, & remoueretur umbra. Sed nesciebat archisynagogus vel hoc vel illud multo excellentius sacramentum, quod sabbato curando dominus intimabat, quia scilicet post sex sæculi huius ætates perpetua vitæ immortalis erat gaudia daturus. In cuius figuram Moses sabbato non à bona, sed à seruilis, hoc est noxia præcepit actione feriandû, illud vtique tempus præfigurans, quo sæcularia nostra opera non autem religiosa, hoc est, Deum laudandi acta cessarent. Fallitur ergo & fallit archisynagogus, quia lex in sabbato non hominem curare, sed onera ferre, hoc est, peccatis grauari prohibuit. *Respondens autem ad illum dominus dixit, Hypocritæ, &c.* Infidelitatis quidem arguit principes synagogæ, & meritò hypocritarum, id est, simulatorum nomine notat, quos cum magistri plebium videri appetere, hominis sanationem pecoris curæ postponere non puderet: Sed altiori sensu bouis & asini vocabulo, Iudæum Græcūque significat. De quorum vocatione scriptum est; Bos cognouit possessorem suum, & asinus præsepe domini sui. Qui vterque peccati vinculis absolutus, sitim æstūque mundi huius dominici fontis haustu depofuit. *Hanc autem filiam Abraham quam alligauit Satanæ, ecce decem & octo annis, &c.* Filia Abraham est anima quæque fidelis, filia Abraham Ecclesia de vtroque populo ad fidem unitatem collecta, quæ tempore legis & dominicæ

Col. 2.

Rom. 8.

Esai. 5.

cæ resurrectionis impleto per gratiam Spiritus sancti septiformem vincula longæ captiuitatis erupit. Nam & hoc modo fortasse mysteriū sabbati, decemque & octo annorum potest non inconuenienter intelligi. Idem est ergo mysticè bouem vel asinum solutos à præsepio potum agi, quod est filiam Abraham à vinculo noxiæ inclinationis erigi, ecclesiam videlicet ex Iudæis gentibusque congregatam laqueis peccatorum per aquam baptismatis absolui, atque ad cælestia speranda sublimari. Notanda sane quod infandissima hæresis ex eo quod dominus ait: Mulierem alligatam à Satana, conatur astruere corporum humanorum vitia non ad Deum auctorem, sed potius ad diabolum pertinere, quasi diabolus eū habeat semper cupiditatem nocendi nocere cuiquam possit nisi ab omnipotente accepit potestatem. Nam quid aliud non solum in libro beati Iob quem memorata hæresis cum cæteris veteris testamenti libris, & cum ipso Deo qui dedit quasi maligno mundo principem vclanus exultat, sed etiam in Euangelio declarat, vbi demonia nec in porcos irent, nisi hoc illis ipse concederet, sicut & supra docuimus. *Et cum hæc diceret, erubescerant omnes aduersarij eius, &c.* Qui de diæis Saluatoris ostendunt, siue nec de iure comparandos erubescunt. Qui gaudent de miraculis eius, ad filiam Abraham Deum de sua erectione glorificantem, hoc est ad ecclesiam fidei pietate se pertinere declarant.

Diabolus non potest nisi quæ volunt permittere

EIVSDEM IN IDEM Homilia.

**D**icebat Iesus turbis similitudinem hanc: Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua, &c. Potest quidem hæc arbor fici generis humani designare naturam, quæ bene plantata, hoc est, ad autoris sui similitudinē creata est. Sed Deo querente per triennium fructum dare negauit, quia ante legem, sub lege, sub gratia obedire descepit. Verum si ad superiora respexeris, animaduertes eam & si generaliter omnium, specialiter tamen synagogæ typum portare. Nam cum præmissa illa terribili tremendaque sententia, si non poenitentiam egeritis, omnes simul peribitis, mox de infecunda atque eradicanda arbore parabolam subiungit, apertissime docet eos quibus loquebatur instar infructuosæ fici, si nō poeniterint esse succidendos. Vineam ergo domini Sabaoth, domus Israel est, ut Esaiæ cantico docemur: synagoga autem in eadem domo condita, fici est arbor in vinea. Sed qui vineam suam permisit à viatoribus deripi, hic etiam ficum iussit excidi. *Et venit querens fructum in illa, et non inuenit.* Ipse qui synagogam per Moysen instituit, dominus in carne natus apparuit, & crebrius in synagoga docens, fructum fidei quaesivit, sed in Pharisæorum mente non inuenit. *Dixit autem ad cultorem vineae. Ecce anni tres sunt, &c.* Per cultorem vineae Apostolorum doctorumque ordo exprimitur, quorum precibus ac monitis assidua plebi Dei cura suggeritur. His etenim dominus sepiissime de infructuosa Iudæorum gente querebatur, quod per tres annos suæ visitationis, hoc est in legalibus edictis, in prophetis contestationibus, & in ipsa coruscantis euangelij gratia negligens extiterit. *Succide*

ergo illam, ut quid etiam terram occupat? Non ab Apostolis sed à Romanis gens Iudæa succisa, & à terra repromissionis eiecta est. Sed succide, inquit, illam, succisionis ei venturæ cladem poenitentiam suadendo propone. Quæ iusto iudicio terram eum regno perdidit, pro cuius amore cæli ciues persequi, ipsumque cæli & terræ regem occidere non metuit, dicens per suos pontifices & pharisæos: Si dimittimus eum, sic omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent nostrum & locum & gentem. Potest etiam per terram sterili ficu occupatam Iudaicæ plebis turba figurari, quæ noxia præpositorum umbra ne veritatis lumen recipere posset pressa, & ne supernæ dilectionis sole calefieret, exemplo est eorum prauitatis impedita, iuxta quod eisdem alibi saluator: *Vt, inquit, vobis scribæ & pharisæi hypocritæ, qui clauditis regnum cælorum ante homines. Vos enim non intratis, nec introeuntes finitis intrare. At ille respondens, dixit illi: Domine dimitte illam & hoc anno vsque dum fodiam circa illam.* Vox Apostolorum est qui post passionem domini pro Iudæis summo opere precabantur, ne ab impoentibus dominicæ crucis ultio pereretur. Vsq; dum fodiam, inquit, circa illam, id est radicem infructuosæ mentis ligone bis acutæ inuentionis humilem, & præsentium videlicet pressurarum, & horrorem perpetuæ damnationis incutiens. Omnis quippe fossa in imo est. Et nimirum increpatio dum mentem sibi demonstrat, humiliat. *Et mittam stercora.* Id est, malorum quæ fecit abominationem ad animum reducam, & compunctionis gratiam quasi de putredine stercoris exsuscitem. *Et si quidem fecerit fructum. Sin autem, in futurum succides eam.* Cum diceret, Et si quidem fecerit fructum, non subiunxit aliquid, sed suspexit sententiam. Cum vero adderet, Sin autem, continuo iudicium venturæ damnationis adnexuit dicens: In futurum succides eam, quia videlicet multo procliuiorem ad negandum quam ad confitendum Deum synagogam videbat. Vnde & alibi rebus eandem figuram quam hic verbis agens, infecundam ficum æternæ sterilitatis maledictione damnauit, ostendens videlicet eam & si fodiunt Apostoli corripiendo, & si stercus aduehant peccata improperando, nulla tamen poenitentia fruge cumulanda, sed districtæ bipennis seueritate tollendam. *Erat autem docens in synagoga eorum sabbatis. Et ecce mulier quæ habebat spiritum infirmitatis, &c.* Dicta de ficu parabola, dominus in synagoga docuisse narratur, ut videlicet intimer non aliò parabolam tendere, sed hoc esse fructum in ficulnea querere, & non inuenire, verbum synagogæ commodare, nec recipi. Quam tamen ne totam funditus ob culpam sterilitatis extirpandam putares, sed reliquias per electionem gratiæ scires esse saluandas, mox ibidem ecclesiæ primitiæ sanatio sub incuræ mulieris specie subsequitur. Quæ bene decem & octo annis fuit curuata, qui numerus ternario sexies ducto perficitur: quia videlicet eam quæ in testimonio legis, in vaticinio prophetiæ, & in reuelatione gratiæ per infirma opera langueret ostendit. Senarius enim numerus in quo mundi est creatura perfecta, operum perfectionem significat. Tria vero sunt, ut dixi, tempora dominicæ visitationis, in quibus Iudæa, quia terrena magis quam cælestia nouerat operari, quasi decem & octo annis à suæ mentis erat rectitudi-

Joan. 11.

Matth. 23.

Matth. 21.

Marc. 11.

ne curuata. Et erat inclinata, nec omnino poterat sursum respicere. Quia terrena sapiens, infirma requirens, celestia cogitare nondum sciebat, audiens per prophetam, Si volueritis & audieritis me, bona terra manducabitis. Cui contra membrum ecclesie dicit Apostolus: Quæ sursum sunt sapite, non que super terram. Quam cum vidisset Iesus, vocavit ad se, et ait illi: Mulier, dimissa es ab infirmitate tua. Et imposuit illi, etc. Vidit prædestinando per gratiam, vocavit illustrando per doctrinam, imposuit manus spiritalibus donis adiuvando, erexit ad glorificandum Deum, in operibus bonis usque in finem firmam provehendo. Quis, inquit, prætestinavit, hos & vocavit: & quos vocavit, hos & iustificavit: quos autem iustificavit, illos & magnificavit.

*Rem. 8.* Respondens autem archisynagogus, indignans quia sabbatho curasset Iesus, dicebat turbæ: Sex dies sunt, etc. Sabbatho curavit Iesus, ostendens iam esse tempus ut secundum prophetiam Cantici Canticorum aspiraret dies, & removerentur umbræ. Sed nesciebat archisynagogus vel hoc vel illud multo excellentius sacramentum, quod sabbatho curando dominus intimabat: quia scilicet post sex seculi huius ætates perpetua vitæ immortalis erat gaudia daturus. In cuius figuram Moses sabbatho non à bona, sed à servili, hoc est, noxia præcepit actione feriandum: illud utique tempus præfigurans, quo secularia nostra opera non autem religiosa, hoc est, Deum laudandi acta cessarent. Fallitur ergo & fallit archisynagogus, quia lex in sabbatho non hominem curare sed onera ferre, hoc est, peccatis gravari prohibuit. Respondens autem ad illum dominus, dixit: Hypocrite, unusquisque vestrum sabbatho non solvit bouem suum aut asinum à præsepio, et ducit adquare? In fidelitatis quidem arguit principes synagogæ, & merito hypocritarum, id est, simulatorum nomine notat, quos cum magistrum plebium videri appeterent, hominis sanationem pecoris curæ postponere non puderet. Sed altiori sensu significat. De quorum vocatione scriptum est: Bos cognovit possessorem suum, & asinus præsepe domini sui. Qui uterque peccati vinculis absolutus, sicut æstivumque mundi huius dominici fontis haustu deposuit. Hanc autem filiam Abraham, quam alligavit satanas ecce decem et octo annis, etc. Filia Abraham est anima quæque fidelis, filia Abraham ecclesia de viroque populo ad fidei unitatem collecta, quæ tempore legis & dominicæ resurrectionis impleto per gratiam spiritus sancti septiformem vincula longæ captivitatis erupit. Nam & hoc modo fortasse mysterium sabbathi, decemque & octo annorum potest non inconuenienter intelligi. Idem est ergo mystice bouem vel asinum solutos à præsepio potum agi, quod est filiam Abraham à vinculo noxiæ inclinationis erigi, ecclesiam videlicet ex Iudæis gentibusque congregatam laqueis peccatorum per aquam baptismatis absolui, atque ad celestia speranda sublimari. Notandum sane quod infandissima hæresis ex eo quod dominus ait, Mulierem alligatam à satana, conatur astruere corporum humanorum vitia non ad Deum autorem, sed potius ad diabolum pertinere: quasi diabolus cum habeat semper cupit ditare nocendi, nocere cuiquam possit, nisi ab omnipotente acceperit potestatem. Nam quid aliud non solum in libro beati Iob, quem memorata hæresis cum cæteris veteris in-

*Esai. 1.*  
*Colos. 3.*  
*Rem. 8.*  
*Exod. 23.*  
*Cant. 2.*  
*Esai. 1.*

strumenti libris, & cum ipso Deo qui dedit, quasi maligno mundo principe vastans exufflat, sed etiam in Evangelio declaratur, ubi dæmonia nec in porcos irent, nisi hoc illis ipse concederet, sicut & supra docuimus. Et cum hæc diceret, erubescerant omnes aduersarii eius, et omnis populus gaudebat in vniuersis quæ gloriose fiebant ab eo. Qui de dictis saluatoris erubescunt, scilicet sterili se iure comparandos ostendunt. Qui gaudent de miraculis eius, ad filiam Abraham Deum de sua erectione glorificantem, hoc est, ad ecclesiam fidei pietate se pertinere declarant.

AVTHORIS INCERTI  
sub nomine Eusebii episcopi Emisseni  
superioris Euang. expositio.

IN hac ergo similitudine quanta sit Dei sapientia, quanta sit & hominis negligentia manifestatur. Deici enim ager & vinea, mundus dicitur: cuius arbores & vites, homines sunt. Et alia quidem fructuosa, alia vero infructuosa. Huius autem vineæ cultores, episcopi sunt & sacerdotes. Tres autem anni, tria tempora sunt, ante legem, sub lege, & sub gratia. Toties enim ad vineam suam dominus venit, toties in eius arboribus fructum querit, quoties hominem respicere & visitare dignatur. Est igitur ficulnea infructuosa, humana natura secundum partem malorum, id est unusquisque iniquus & infidelis. Per tres igitur annos ad hanc ficulneam dominus venit, & fructum in ea non inuenit: quoniam tales arbores neque ante legem, neque sub lege, neque sub gratia in hac vinea defuerunt. Sæpe enim plus ficulneis infructuosis, quam arboribus fructiferis huius mundi vinea abundare videtur. Pauci enim sunt boni ad comparationem malorum. Multi enim sunt vocati, (ut dominus ait,) pauci vero electi. Sequitur: Succide ergo illam. Quia (inquit) infructuosa est, quia inutilis est, quia boni operis fructum non reddit, succide illam. Omnis enim arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur, ut quid etiam terram occupat? Tales enim arbores inutiliter terram occupant, cæterisque impedimentum faciunt, & horum umbra nociua cæteræ arboris circumpositæ corrumpunt. Vna enim (ut dicitur) ab umbra trahit liuorem, & vna ouis morbida totum gregem dissipat, & modicum fermentum totam massam corrumpit, & qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea. At ille respondens, dixit illi, domine dimitte illam hoc anno, etc. Sic autem & Samuel pro arbore infructuosa ne succideretur orabat, lugens Sanlem cunctis diebus. Fodit enim episcopus circa ficulneam, quando peccatoris facta omnemque eius vitam & prauitatem per illius confessionem diligentissimè inuestigat. Deinde vero & circa illam stercorea mittit, dum illius peccata quam turpia, quam inhonesta & foetida fuerint ostendit. Stercora enim circa ficulneam posuerat Apostolus, qui dicebat: Quem ergo fructum habuistis tunc in quibus nunc erubescitis? Unde & David horum stercoreum foetorem sentiens, ait: Putruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ. Neque enim aliter peccator sanari potest, nisi prius suorum vulnere foetorem sentiat & sentiendo abhorreat. Erat autem docens in syn-

*Matth. 23.*  
*Matth. 20.*  
*Rom. 6.*  
*Psal. 37.*  
*goga*

goga eorum sabbathis, et ecce mulier quæ habebat spiritum infirmitatis annis decem et octo, etc. Hoc enim quod in muliere curua, dominus egit, expositio eorum est quæ de ficulnea infructuosa dicta sunt. Vnum enim idemque significat & mulier curua & ficulnea infructuosa. Ille etenim homo curuus est, qui terrenis voluptatibus deditus, sola terrena & transitoria diligit, ad celestia contemplan- da mentis oculos non erigit, & æternæ felicitatis diuitias non requirit. Hunc autem si dominus tangat, & suæ misericordiæ manum super eum ponat, statim erigitur, & terrenorum oblitus celestia contempletur. Tales autem significabat Moyses, quum illa animalia immunda esse dicebat, quæcunque super manus suas gradiuntur, quorum morticina qui tetigisset, immundum eum usque ad vesperam esse præcepit. Illa enim animalia quæ gradiuntur super manus suas, non respiciendo ad superiora, faciem & oculos ad terram premunt. Omnes igitur illi immundi sunt, quicunque celestia spernentes, sola terrena & transitoria contemplantur & diligunt. Horum autem morticina illi tangunt, qui eorum opera iniqua mortua & foetida imitantur & agunt. Tales igitur immundi sunt usque ad vesperam, id est usque ad ipsius peccati occasum & defectionem. Vesperam enim hoc in loco non dici, sed peccati intellige. Habet enim peccatum quoque & ortum & vesperam, ortum quidem, prauæ cogitationis initium, vesperam autem, malæ actionis occasum & finem. Sequitur: Respondens autem archisynagogus, indignans quia sabbatho Iesus curasset, etc. Male ergo archisynagogus legem intelligebat, qui pietatis & misericordiæ operam in sabbatho fieri volebat. Lex enim non liberale, sed seruire opus in sabbatho fieri prohibet. Bonum enim opus omni die fieri licet, malum autem nullo. Respondens ad illum dominus dixit, Hypocrite, etc. Si (inquit) in sabbatho operari non licet, quare ergo vos in sabbatho bouem & asinum ad potum ducitis? Hoc enim opus seruire est, quod si ad literam intelligatur, omnimodo in sabbatho lege fieri prohibetur. Merito igitur hypocrita vocatur, qui non in his quibus debet, sed in his quibus non debet, sabbathum veneratur, mala consentiens, & bona reprehendens. Vobis (inquit) hypocrite, vobis bouem & asinum in sabbatho à præsepio soluere & adquare licet, mihi autem hanc filiam Abraham, quam alligavit Satanas ecce decem et octo annis, à vinculo isto soluere non licuit? Quod valet in minori, valet & in maiori, quod si etiam in minori non valuisse, in maiori tamè reprehendi non potuisset. Quis enim reprehendat quod dominus agit? Id ipsum autem per hos decem & octo annos, & per tres annos superius positos significatur. Ter enim sex, vel sexies tres decem & octo sunt. Ponam igitur sex annos ante legem, & sex sub lege, & sub gratia sex, & erunt decem & octo. In his enim omnibus nec ficulnea infructuosa defuit, nec mulier curua quam sanaret Iesus. Hanc autem mulierem quam Satanas alligasse dicitur, propter peccata sua hanc ægritudinem incurrisse intelligere possumus, sicut & ille cui dominus ait, Vade, & iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Et quæ hæc diceret, erubescerant omnes aduersarii eius. Et omnis populus gaudebat in vniuersis quæ gloriose fiebant ab eo. Et illi quidem erubescerant, quia se vitiosos esse videbant. Illi vero gaudebant, quia & in

verbis & in miraculis Christi virtutem & gloriam cognoscebant.

THEOPHYLACTI EPI-  
scopi Bulg. superioris Euang. expositio.

Dicebat et hanc similitudinem: Arborem scilicet habebat quidam plantatam in vinea sua, etc. Bona consequentia parabolam hanc iungit, postquam dixit, nisi respueritis, peribitis, merito & istam parabolam adjicit. Est igitur ficus, Iudæorum generatio, folia tantum amara faciens, & nullum fructum proferens. In vinea autem Dei, stetit Iudaica vita. Paterfamilias autem Christus, venit & quæsiuit fructum fidei, bonorumque operum in ea, ac non inuenit. Tribus autem annis venit, per Moysen, per prophetas, & per seipsum, & quia non pœnituerunt, à dilectione Dei eos absceuit: non ultra enim gens domini & populus sanctus vocetur. In locum autem eius introductæ sunt gentes quæ fructum facere valent. Intelligitur & per ficum torum humanum genus: per patremfamilias, pater & Deus: per cultorem vineæ filius Dei, qui nobiscum peregrinatus est, ut coleret, & purgaret vineam. Christus autem sicut illam, ut sterilem excecari non sinit, dicens. Sine illam & hoc anno. Licet enim per legem & prophetas non fuerint facti meliores, neque pœnitentiæ fructum fecerint: attamen me irrigante meis doctrinis & passionibus, fortassis facient fructum obedientiæ. Sin minus, in posterum excocabis illam, excetis illis à iustorum regione. Ex anno autem tertio, quæsitum in se fructum natura nostra non dedit. Primum enim in paradiso mandatum præuaricati sumus: deinde, quum daretur lex, vitulo facta, mutata est gloria Dei in similitudinem vituli comedentis fœnum: tertio, dominus & saluator abnegatus est à dicentibus. Non habemus regem nisi Cæsarem. Et unusquisque nostrum ficus est, in vinea domini, in ecclesia scilicet, vel simpliciter dicendo in mundo hoc plantata. Venit igitur Deus quærens fructum, & si inuenit te abique fructu, iubet ut vel ex hac vita exceceris: at cultor vineæ supplicat, ut tibi parcat, quis autem ille cultor vineæ? Vel suus cuiusque custos angelus vel etiam homo ipse, suæ enim vineæ quisque cultor est. Sæpe igitur quum in lethales morbos vel alia pericula incidimus. Sine, ô domine, dicimus, etiam hoc anno & pœnitentiam agemus. Hoc enim significat fodere & mittere circa illam stercorem. Foditur quippe anima, quando decutitur temporalium curarum puluis & alleuiatur ipsa. Stercus vero circumponi signat feruorem & feruorem in via viliori, pœnitentiæ scilicet, quæ ab omnibus contemnitur. Quando enim quis à gloria in vitam in gloriam se dimittit propter salutem animæ, stercorem circa animam mittere dicitur ad hoc ut fructum faciat. Siquidem fecerimus fructum: sin minus, non ultra relinquit nos in vinea illa, sed excecat à mundo, ut ne frustra occupemus locum. Peccatorem enim quis videns diu differentem, offenditur, & peior fit: & sic inuenitur peccator, neque ipse fructum faciens, & alium quoque impediens, ne fructum faciat. Quod si excecerit in hac vita, fortassis hi qui excetum videbunt hoc animo secum pendentes, mutabuntur & fructum facient. Tribus autem annis dicitur paterfamilias. Bibl. Hom. tom. 3. Ccc 2 terfa

*Gen. 3.*  
*Exod. 33.*  
*Psal. 105.*  
*Lesz triplex.*

terfamilias venire ad ficum, fortassis propter tres leges, quas nobis dedit dominus: quæ sunt naturalis, legalis, & spiritualis. Oportebat sane nos naturali legi communitos fructum facere: nam natura docet, quid facere oporteat: at quia in nobis naturalem inuenit vilem, dedit & Mosaicam legem naturæ adiutricem, quæ quum & ipsa inuenta est infrugifera propter nostram desidiam, addidit & spiritualem. Vbi igitur tres illæ non meliorem reddiderint cuiuspiam animam neque longanimitatem & misericordiam Dei sit emendatior, tunc postea mouere non ultra sinitur: non enim Deus sapè procrastinationibus illuditur. Quid autem si per tres statum status intelligas, Pueritiam, hoc est, adolescentiam octo & decem annorum, virilem, & tertiam eorum qui iam incipiunt fieri vetulit. Quando igitur in tertio anno, hoc est senecta non damus fructus, & adhuc permitimur viuere, vt adjiciamus stercus, vilem poenitentiam vitam propter Christum accipientes, & deinde si etiam tunc mentiemur, non ultra nobis parcet Dominus, vt ne frustra occupemus terram, & alios offendamus. Et hæc expositio proposito textui consona mihi videtur. *Docebat autem in vna synagoga sabbatis: & ecce mulier qua habebat spiritum infirmitatis amis decem & octo, &c.* Morbus ille mulieri diabolo affligente acciderat, sicut & Dominus dicit, quam alligauit satanas decem & octo annis. Nam fortassis propter peccata derelictam à Deo puniuit satanas. Omnia enim mala humanis corporibus satan infert, quando ei à domino permittitur. Quandoquidem nobis & ab initio author fuit: vt ab incorruptione, in qua conditi firmus, excideremus & infirmo passionumque capaci corpori alligati essemus. Hoc enim per pellicenas tunicas intelligimus. At dominus voce Deo dignissimus potestateque plena, mulieris istius morbum fugat. Imponit autem ei & manus, vt discamus quod Dei sermonem, virtutemque & operationem sancta caro habuerit. Sua enim propria erat, & non alterius cuiuspiam sibi assistentis, & proprietate personæ separati: sicut impio Nestorio videtur. Igitur tanta quidem domini benignitas, vt proprio figmento misericors esset. Satanas vero qui prius mulierem alligauerat, morbi solutionem dolens, & eam amplius affligere cupiens, alligat principem synagogæ inuidia, & per os eius miraculum calumniatur: more enim suo bonis vbique imponit. Indignatur ergo quod in sabbato sanatur, quem dominus pulcherrimis exemplis brutorum animalium arguit. Vnde non ipse tantum talibus sermonibus, sed & omnes alij qui aduersabantur Iesu, confundebantur. Magnæ enim stultitiæ erat prohibere hominem sanari in sabbato, propter otium quod aliqua ex parte in sabbato lex præceperat. Igitur qui aduersabantur Iesu, confundebantur. Turbæ autem gaudebant in operibus, sicut illi operibus non gaudebant, sed insaniebant Christo faciente miracula. At turbæ ex miraculis vilitatem percipientes gaudebant, maximè quod sanationibus fruerentur. Intelligas autem oro miraculum istud etiam de interno homine. Incuruatur anima quando ad terrenas tantum curas vergit, & nihil cæleste vel diuinum secum concipit. Ideo decem & octo annis ægrotare dicitur. Quando enim quis in obseruatione mandatorum diuinæ legis, quæ sunt decem, & in spe octauo seculi infirmus fuerit de-


cem & octo annis dicitur obstippus esse. Nonne qui terrenis addictus, & peccat semper, mandata reprobat, & futurum seculum non expectat? Sed dominus in sabbato & synagoga sanat talem animam. Quando enim quis in seipso colligit confessionis cogitationes. Iudas enim confessio dicitur, & sabbatum tenet, hoc est feriat malis, tunc enim sanat Iesus, non sermone tantum dicens ei, Liberatus esto ab infirmitate tua, sed & manus imponens. Opus enim est nobis, vt ad operandum opera virtutis suscipiamus & diuinarum manuum cooperationem, & non per solum verbum & instructiones erudire contentos putate nos sanitatem consequutos.

EVTHYMII ZIGABONI  
superioris Euang. expositio.

**D**icit autem parabolam hanc: Ficum habebat quidam in vinea sua plantatum, &c. Per ficum infrugiferam indicat synagoga Iudæorum, folijs quidem lasciuientem ac virentem, verbis videlicet legalibus ac prophetis, sed fructum non ferentem, puta virtutem. Vineam autem mundus est, vt pote plantatus vt fructum Deo proferret inueniendum: cultor vero vineæ Christus, curam scilicet gerens huiusmodi vineæ, ac plantator fidelium: habere autem ficum dicitur pater: hunc namque solum fateretur Iudæorum synagoga dominum suum. Tres vero anni, tres sunt Iudæorum gubernationes, ea videlicet qua sub iudicibus regebantur, ea qua sub regibus, & ea qua sub pontificibus. Ait ergo: Succide illam, vt quid etiam terra reddat otiosam? At ille respondens ait ei: Domine sine eam & hoc anno, donec fodiam circa illam, & mittam stercora. Precatur pro Iudæis, vt qui ex Iudæis humanitatem assumpsit: & pro cognatis iuxta carnem obsecrat, vt vel hoc anno relinquatur, videlicet tempore quo docebat: donec effoderet duritiam, quæ in anima eorum erat instrumento admonitionis, & mitteret stercora impinguantia, hoc est doctrinam quæ ad fructificationem pingnem reddidit. Et si fecerit fructum. Defectua oratio est: defecit enim, Bene se habet res, vel bene quidem. *Sin minus, in futurum succides illam.* In futurum tempus, significat autem tempus quo Iudæam obsederunt Romani: tunc enim generaliter synagoga Iudæorum excidit à terra illa: ac loco eius Christianorum Ecclesiam plantauit, quæ fructum semper affert. Quod si quis dicat: Non semper infrugifera erat synagoga Iudæorum in prædictis tribus gubernationibus: quidam enim inter eos fructum attulerunt etiam tempore quo docebat Christus. Dicemus quod multorum malitia, paucorum decultat virtutem: & ex eo quod in ipso abundat quiduis indicatur. *Docebat autem in vna synagoga sabbatis, &c.* Demoniū imbecillitatis non sinens illam viuere cum salute. *Erantque contracta, &c.* Misericordia motus vocauit illam. *Et ait illi: Mulier liberata es ab infirmitate tua, &c.* Creditura erat mulier & grata futura. Siquidem etiam propter ipsum venerat, & sanata gratias agit. Ideo velociter eam curauit: verbo quidem vt Deus, manuum vero in positione tanquam homo. Figurabat hæc mulier communem humanitatem, satanæ insulibus debilitatam, & ab affectibus in terram inclinatam, ac humi ad terrena contractam: nec


nec omnino potentem ad cælestia diuina ac intelligibilia caput sursum erigere: cuius ira misere habentis, misertus est qui eam formauerat: & per euangelium ad se vocauit ac erexit: vt viam quæ in cælum ducit recta transiret. *Respondens autem princeps synagoga, admodum agre ferens quod sabbato curauerat Iesus, &c.* Christo nihil dixit, veritas exitiam eius virtutem. *Respondit ergo illi dominus: Hypocrita vnusquisque vestrum sabbato non soluit bouem suum aut asinum a præsepe & ducit aquatum?* Hypocritas nominauit eos qui cum principe synagogæ erant: vt pote fingentes se legem sabbati honorare, sed hoc prætextu suam inuidiam defendentes,

ac sanitatem quæ sabbatis daretur prohibentes: quia sabbato potissimum curabat, ideo quod tunc concursus esset turbarum: & tunc vehementer admirationi habebatur. Aut hypocritas dixit quia fingebant se scire legem, eius autem intellectum ignorabant: si enim curam irrationalis iumentum permittebat, multo magis rationalis, quum longe pretiosior sit homo iumento. *Quoniam hæc diceret, erubescerent omnes aduersarij eius.* Propter reprehensionem cui contradicere non poterant. *Et omnis turba gaudebat super vniuersis rebus gloria plenius quæ fiebant ab eo.* Tanquam ab inuidia libera, & tanquam ab ipso affecta beneficio.



DOMINICA XVIII. POST  
PENTECOSTEN.

M A T T H. 9.



**N**illo tempore, Ascendens Iesus in nauiculam <sup>a</sup> transfretauit, & venit in <sup>b</sup> ciuitatem suam. Et ecce offerebant ei <sup>c</sup> paralyticum iacentem in <sup>d</sup> lecto. Videns autem Iesus <sup>e</sup> fidem illorum, dixit paralytico: <sup>f</sup> Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua. Et ecce quidam de scribis dixerunt intra se: <sup>g</sup> Hic blasphematur. Et cum <sup>h</sup> vidisset Iesus cogitationes eorum, dixit: <sup>i</sup> Vt quid cogitatis mala in cordibus vestris? Quid est facilius dicere: <sup>k</sup> dimittuntur tibi peccata tua: an dicere, <sup>l</sup> surge & ambula? <sup>m</sup> Vt autem sciatis, quoniam <sup>n</sup> filius hominis habet <sup>o</sup> potestatem dimittendi peccata in <sup>p</sup> terra, tunc ait paralytico: <sup>q</sup> Surge, tolle lectum tuum, & <sup>r</sup> vade in domum tuam. Et surrexit, & abiit in domum suam: <sup>s</sup> Videntes autem turbæ tuerunt, & glorificauerunt <sup>t</sup> Deum, qui dedit <sup>u</sup> potestatem talem hominibus.

GLOSSA ORDINARIA  
in idem Euangelium.

**N** ciuita. Ne putes hanc esse Nazareth: quia Marcus dicit hoc esse factum in Capharnaum. Sed cum Nazareth sit in Galilæa, in quocunque oppido Galilæe sit dicitur esse in sua ciuitate. Sicut regnum in tot ciuitatibus constitutum dicitur Romana ciuitas, ita Galilæa dicitur ciuitas Christi, in qua est Capharnaum quasi metropolis. *Offere.* Doctores sunt, qui subieuant & offerunt Christo moriendo & intercedendo. *Fidem.* Quantum valet apud Deum fides propria, apud quem sic valet

<sup>a</sup> De terra Gerafenorum.  
<sup>b</sup> Non ait in Nazareth, sed Galilæam intellige.  
<sup>c</sup> Animam illecebris carnis, resoluam.  
<sup>d</sup> In corpore vbi iacet anima. In volutate seculi.  
<sup>e</sup> Non vecordiam ægri.  
<sup>f</sup> In hoc innuit se Deum.  
<sup>g</sup> Quia in prophetis dicit dominus. Ego sum qui deleo iniquitates. Cum sit homo, quod Dei est arrogat tibi.  
<sup>h</sup> Se Deum esse, & oc, cultorum cognitione, & operum virtute indicat.  
<sup>i</sup> Quia potestate cogitationes vestras video, & peccata possum dimittere.  
<sup>k</sup> Quod ipse viderent.  
<sup>l</sup> Quia idem est filius hominis & Deus.  
<sup>m</sup> Non ad blasphemantes, sed ad discipulos: & sunt verba Matthei vel Christi.  
<sup>n</sup> Positus.  
<sup>o</sup> Vt maius miraculum sit.  
<sup>p</sup> Ne Christiana fide curatus moreris in ierusalimis Iudæorum.  
<sup>q</sup> Id est, hominem: am potenter operantem inter homines.  
<sup>r</sup> Iam quodammodo credentes.  
<sup>s</sup> Iob. 2. 2. Cor. 12.  
<sup>t</sup> Conf. Lucas 5.  
<sup>u</sup> 2. Cor. 12.

Gen. 3.

Mar. 2.

Luc. 5.

Iob. 2.

2. Cor. 12.



Num. 12.  
Ioan. 9.  
Ibidem. 11.  
Act. 12.  
Hier. 17.

da peccata, sicut Mariæ lepra, & huic paralytico: vel ad gloriam Dei vt de cæco nato & Lazaro: vel ad initium pœnæ, vt Hærod: quatenus hic videatur, quid in inferno sequatur, vnde: Duplici contritione conteret eos dominus. Bed. *Quid est facilius.* Sed quoniam hoc spiritu. le non creditis, probetur signo visibili quod non minoris constat esse potentia, vt in filio hominis latentem cognoscatis potentiam maiestatis, quæ potest dimittere peccata vt Deus. *Tunc ait para.* Ecce per remissionem pœnæ, dimissionem culpæ intellige. *Surge.* Surgere, est animam à carnalibus desideriis abstrahere. Lectum tollere, est carnem à terrenis desideriis ad voluntatem spiritus attollere. Domum ire, est ad paradysum redire, vel ad internam sui custodiam, ne iterum peccet. *Tolle.* Vt quod fuit testimonium infirmitatis, sit probatio sanitatis. *Et surrexit.* Magna virtus, vbi sine mora imperium salus comitatur. Vnde merito: Dixit, qui aderant relictis blasphemis stupentes, ad laudem conuertuntur tantæ maiestatis.

### CATENA AVREA in idem Euang.

**E**T ascendens Iesus in nauiculam, transfretauit, &c. Chryl. in ho. Monstrauit superius Christus suam virtutem per doctrinam, quando docuit eos vt potestatem habens: per leprosum, quando dixit: Volo, mundare: per Centurionem, qui dixit: dic verbo, & sanabitur puer meus: per mare, quod verbo refrænauit: per demones, qui eum confitebantur. Hic autem rursus alio maiori modo inimicos eius cogit confiteri æqualitatem honoris ad patrem: vnde ad hoc ostendendum subditur: *Et ascen. in na. transfre. & ve. in ciui. suam.* Nauigium autem intans pertransit, qui pede mare poterat pertransire: non enim semper mirabilia volebat facere, ne incarnationis noceat rationi. Ioan. episcopus. Creator autem rerum, orbis terræ dominus, posteaquam se propter nos nostra angustauit in carne, cœpit habere humanam patriam, cœpit ciuitatis Iudaicæ esse ciuis, parentes habere cœpit, parentum omnium ipse parens: vt attraheret charitas, quos disperferat metus. Chry. in ho. Ciuitatem autem suam hic Capharnaum dicit: alia enim eum susceperat nascentem, scilicet Bethlehem: alia eum nutritiuit, scilicet Nazareth: alia autem habuit continuè habitantem, scilicet Capharnaum. Aug. de con. euang. Vel aliter: Quod Matthæus hic scribit de ciuitate domini, Marcus autem de Capharnaum, difficilius solueretur, si Matthæus Nazareth nominaret: nunc verò cum potuerit ipsa Galilæa dici ciuitas Christi, quia in Galilæa erat Nazareth, sicut vniuersum regnum Romanum in tot ciuitatibus constitutum dicitur modò Romana ciuitas. Quis dubitauerit vt veniens in Galilæa dominus rectè diceretur venisse in ciuitatem suam, in quocunque esset oppido Galilææ: præsertim quia ipsa Capharnaum extollebatur in Galilæa vt tanquam metropolis haberetur? Hier. Vel ciuitatem eius non aliam intelligamus, quam Nazareth: vnde & Nazareus appellatus est. Aug. de con. euang. Et secundum hoc dicimus Matthæum prætermisisse, quæ gesta sunt posteaquam Iesus venit in ciuitatem suam, donec veniret Capharnaum, & hic adiu-

xisse de sanato paralytico, sicut in multis faciunt prætermittentes media, tanquam hoc continuè sequatur, quod sine vlla præremissioni significatione subiungunt, & hoc modo hic subditur: *Et ecce offe. ei paraly. in lecto.* Chry. in ho. Paralyticus autem hic alter est præter eum qui in Ioanne ponitur. Ille quidem in natoris iacebat, hic autem in Capharnaum: & ille famulis carebat, hic autem habebat eos qui sui curam habebant: qui & portantes eum attulerunt. Hier. Obtulerunt ei iacentem in lecto, quia ipse ingredi non valebat. Chryl. in ho. Non autem vbiq; ab ægris solum querit fidem, puta cum infaniunt, vel aliter ab ægritudine in excessu fuerit mentis. Vnde subditur: *Videns autem Iesus fidem illorum.* Hier. Non eius qui offerebatur, sed eorum qui offerebant. Chryl. in ho. Quia igitur tantam ostendit fidem, monstrat & ipse suam virtutem, cum omni potestate soluens peccata: vnde sequitur: *Dixit paraly. Conf. fili, remitt. tibi peccata.* Ioan. episcopus, Quantum valet apud Deum fides propria, apud quem sic valet aliena, vt intus & extra sanaret hominem. Audit veniam, & tacet paralyticus, nec vllam respondet gratiam: quia plus corporis quam animæ tendebat ad curam. Merito ergo Christus offerentium recepit fidem, non verecundiam iacentis. Chryl. Vel erat magna fides etiam huius infirmi: non enim permisisset se submitti (vt alius euangelista dicit) per lectum, non credens. Hier. O mira humilitas, despectum & debilem, totis membrorum compagibus dissolutum, filium vocat: quem sacerdotes non dignantur attingere, aut certè ideo filium, quia dimittuntur ei peccata sua: vbi datur nobis intelligentia, propter peccata pleraque euenite corporum debilitates. Et idcirco forsitan prius dimittuntur peccata, vt causis debilitatis ablaris, sanitas restituatur. Chryl. in ho. Scribæ autem disserere volentes, etiam nolentes fecerunt clarere quod factum est: eorum enim æmulatione ad signi ostensionem visus est Christus. Hoc enim est superabundantia eius sapientiæ, quod sua per inimicos manifestat, vnde sequitur: *Et ecce quidam de scri. dice. intra se: Hic blasphemat.* Hiero. Legimus in prophetia: Ego sum, qui deleo omnes iniquitates tuas. Consequenter ergo scribæ, quia hominem putabant, & verba Dei non intelligebant, arguunt eum vicio blasphemie. Videns autem cogitationes eorum ostendit se Deum qui potest cordis occulta cognoscere, & quodammodo tacens loquitur. Eadem potentia, qua cogitationes vestras intueor, possum & hominibus delicta dimittere. Et vos intelligite, quid paralyticus consequatur: vnde sequitur: *Et cum vi. te. cog. eo. dixit: Vt quid cogi. ma. in cor. vestris?* Chryl. in ho. Non quidem eorum destruxit suspicionem, qua, scilicet cogitabant eum prædicta dixisse vt Deum. Si enim nõ esset æqualis Deo patri, oportebat eum dicere, longè sum ab hac potestate, scilicet dimittendi peccata: nunc autem contrarium firmavit sua voce, & miraculi ostensione: vnde subdit: *Quid est faci. dice. dimitt. tibi pec. tua, an dice. surge & ambula?* Quantum quidè anima corpore potior est, tantò peccatum dimittere maius est quam corpus sanare. Sed quia illud quidem non manifestum, hoc autem manifestum: facit minus quod est manifestius, vt demonstrat maius & non manifestum. Hiero. Vtrum non sint paralytico peccata dimissa, solus nouerat qui di-

mitte

mittebat. *Surge autem & ambula*, tam ille qui surgebat, quam hi qui surgentem videbant, poterant approbare: quamquam eiusdem virtutis sit, & corporis & anime vitia dimittere. Inter dicere tamen & facere multa distantia est: sit ergo carnale signum, vt probetur spirituale: vnde sequitur: *Vt autem sciatis, quoniam filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata.* Chryl. in ho. Suprà quidem paralytico non dixit: dimitto tibi peccata, sed dimittuntur tibi peccata: quia verò scribæ resistebant, altiorum suam potentiam demonstrat, dicens: quia filius hominis habet potestatem dimittendi peccata. Et vt ostendat se patri æqualem, non dixit quod filius hominis indiget aliquo ad dimittendum peccata, sed quoniam habet. Glor. Hæc autem verba vt sciatis possunt esse Christi vel euangelistæ, quasi euangelista diceret: Ipsi dubitabant eum peccata dimittere, sed vt sciatis quoniam filius hominis habet potestatem, ait paralytico. Si autem Christus dicatur pronuntiasse hæc verba, sic intelligitur: Vos dubitatis me posse peccata dimittere, sed vt sciatis quoniam filius hominis, &c. quæ quidem oratio imperfecta est, sed subditur actus loco consequentis: vnde dicitur: *Ait paraly. Surge & tolle lectum tuum.* Ioan. episcopus: Vt quod fuit testimonium infirmitatis, sit probatio sanitatis. Et vade in domum tuam ne Christiana fide curatus moreris in perfidia Iudæorum. Chry. in ho. Hoc autem præcepit vt non æstimetur fantasia esse quod factum est: vnde ad veritatem facti ostendendam subditur: *Et surre. & abiit in domum.* Sed tamen astantes homines adhuc deorsum trahuntur: vnde sequitur: *Videntes autem turbæ, &c.* Si enim bene cogitassent apud se, cognouissent quia filius Dei erat. Interim enim non paruum erat æstimare omnibus hominibus maiorem, & à Deo venire. Hilar. Mysticè autem à Iudæa repudiatus in ciuitatem suam reuertitur. Dei ciuitas fidelium plebs est: in hanc ergo introiit per nauim, id est, ecclesiam veteris. Ioan. episcopus. Non autem Christus indiget nauis, sed nauis Christo, quia sine cælesti gubernatione nauis ecclesie per mundanum pelagus ad caelestem portum non valet peruenire. Hila. In paralytico autem Gentium vniuersitas offertur medenda: hic itaque angelis ministrandus offertur, hic filius nuncupatur, quia Dei opus est: huic remittuntur animæ peccata, quæ lex laxare non poterat: fides enim sola iustificat. Deinde virtutem resurrectionis ostendit, cum sublacione lectuli infirmitatem corporibus docuit desurruram: Hieronymus: Iuxta tropologiam autem interdum anima iacens in corpore suo virtutibus dissolutis à perfecto doctore domino offertur curanda: vnusquisque enim æger petendæ salutis monitores debet adhibere, per quos actuum nostrorum clauda vestigia, verbi cælestis remedio reformentur. Sūt igitur monitores mentis, qui animū auditoris ad superiora erigūt, quamvis exterioris corporis debilitate torpentem. Ioan. episcopus. Dominus autem in hoc seculo insipientium voluntates non querit, sed respicit ad alterius fidem, nec medicus languentium respicit voluntatem, cum cõtraria requirit infirmum. Raba. Surgere autem, est animam à carnalibus desideriis abstrahere. Lectum tollere, est carnem à terrenis desideriis ad voluntatem spiritus attollere. Domum ire, est paradysum redire, vel ad internam sui custodiam, ne

iterum peccet. Greg. 23. Mor. Vel per lectum voluptas corporis designatur: iubetur itaque vt hoc sanus porter, vbi infirmus iacuerat: quia omnis qui adhuc vitiis delectatur, infirmus iacet in voluptatibus carnis: sed sanatus hoc portat, quia eiusdem carnis contumelias postmodum tolerat, quod intrus prius desideriis requiescebat. Hila. *Videntes autem turbæ timentur.* Magni enim timoris res est, non dimissis à Christo peccatis in mortem resolui, quia nullus est in domum æternam reditus, si cui indulta non fuerit venia delictorum. Cessante autem timore, honor Deo redditur, quod potestas hominibus hac via data sit per verbum eius, & peccatorum remissionis, & corporum resurrectionis, & reuersionis in caelum.

### S. HILARII PICTA- uiensis Episcopi superioris Euang. expositio.

**E**T ascendens Iesus in nauiculam transfretauit, &c. In hanc igitur nauim, id est ecclesiam, inuectus introiit. Iamque in paralytico gentiū vniuersitas offertur medenda, & curationis ipsius verba sunt contuenda. Non dicitur paralytico: Sanus esto, non dicitur: surge & ambula, sed dicitur: *Constans esto, fili, remissa sunt tibi peccata tua, &c.* In Adamo vno peccata vniuersis gentibus remittuntur. Hic itaque angelis ministrandus offertur, hic filius nuncupatur, qui primum Dei opus est: huic remittuntur animæ peccata, & indulgentia primæ transgressionis ex venia est. Non enim paralyticum peccasse aliquid accepimus: cum præsertim alio in loco idem Dominus dixerit, caritatem à natiuitate non ex peccato aut proprio aut paterno fuisse contractam. Veritatis deinde ordo succedit in gestis, quamuis futuri species expleatur in dictis. Mouet scribas remissum ab homine peccatum. Hominem enim tantum in Iesu Christo contuebantur: & remissum ab eo, quod lex laxare non poterat. Fides enim sola iustificat. Deinde murmuracionem eorum Dominus intropicit, dicitque facile esse filio hominis in terra peccata dimittere. Verum enim nemo potest dimittere peccata, nisi solus Deus: ergo qui remittit Deus est, quia nemo remittit nisi Deus, Deus in homine manens curationem homini præstabat: & nulla ei agendi aut loquendi erat difficultas, cui subest totum posse quod loquitur. Porro autem vt ipse in corpore positus, intelligi posset esse, qui & animis peccata dimitteret, & resurrectione corporibus præstaret, ait: *Vt sciatis quoniam filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, ait paralytico: Surge, tolle lectum tuum.* Satis fuerat dixisse, *Surge*, sed quia omnis erat perficiendi operis ratio explicanda, adiecit: *Tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.* Primum remissionem tribuit peccati, dehinc virtutem resurrectionis ostendit: tum sublacione lectuli, infirmitatem ac dolorem corporibus docuit abfuturum: postremò reditum in domum propriam, ter in paradysum credentibus esse redhibendum, ex quo Adam parens vniuersorum peccati labe dissolutus excellerat. *Videntes autem turbæ timentur.* Opus istud admiratio potius consequi, nõ metus debuit: sed manet etiam nunc ordo mysterij, vt veritati præsentium futurorum species adiecta sit dictorum & factorum. Domini virtutem turbæ timent. Magni enim ti-

Ccc 4 mortis

moris res est, non dimissis à Christo peccatis in mortem resoluti: quia nullus sit in domum æternam reditus; si cui indulta non fuerit venia delictorum. Et honorificauerunt Deum, qui tantam dedit potestatem hominibus. Conclufa sunt omnia suo ordine, & cessante iam desperationis timore, honor Deo redditur, quod tantam dederit hominibus potestatem: sed soli hoc Christo erat debitum, soli de communione paternæ substantiæ hæc agere erat familiare. Non ergo hoc venit in admirationem quod possit ista (quid enim non posse Deus crederetur?) alioquin laus de vno homine, non de pluribus extitisset: sed delati Deo honoris hinc causa est, quod potestas hominibus hæc via data sit per verbum eius, & peccatorum remissionis, & corporum resurrectionis, & reuerfionis in cælum.

S. HIERONYMI PRESBYTERI in idem Euang. expositio.

Ascendens Iesus in nauiculam, transfretauit: & venit in ciuitatem suam, &c. Ciuitatem eius non aliam intelligimus quam Nazareth: vnde & Nazareus appellatus est. Obtulerunt autem ei, vt supra diximus, secundum paralyticum iacentem in lectulo: quia ipse ingredi non valebat. Videns autem Iesus: non eius fidem qui offerebatur, sed eorum qui offerebant, dixit paralytico: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. O mira humilitas, despectum & debilem, totisque membrorum compagibus dissolutum filium vocat: quem sacerdotes nõ dignabantur attingere. Aut certe ideo filium: quia dimittuntur ei peccata sua. Iuxta tropologiam interdum anima iacens in corpore suo, totis membrorum virtutibus dissoluta à perfecto doctore offertur curanda domino: quæ si misericordia eius sanata fuerit: tantum roboris accipit, vt portet statim lectulum suum. Et ecce quidam de scribis dixerunt intra se: Hic blasphematur, &c. Legimus in propheta dicentem Deum: Ego sum qui deleo iniquitates tuas. Consequenter ergo scribæ, quia hominem putabant, & verba Dei non intelligebant: arguunt eum blasphemiam. Sed dominus videns cogitationes eorum, ostendit se Deum qui possit cordis occulta cognoscere, & quodammodo tacens loquitur: Eadem maiestate & potentia qua cogitationes vestras intueor, possum & hominibus peccata dimittere. Ex vobis intelligite quid paralyticus consequatur. Quid est facilius dicere: dimittuntur tibi peccata tua, an dicere: surge & ambula, &c. Inter dicere & facere multa distantia est. Vtrum sint paralytico peccata dimissa, solus nouerat qui dimittebat. Surge autem & ambula: tam ille qui confurgebat, quam hi qui confurgentem videbant, approbare poterant. Fit igitur carnale signum, vt probetur spirituale: quæquam eiusdem virtutis sit, & corporis, & animæ vitia dimittere. Et datur nobis intelligentia, propter peccata plerisque euenire corporum debilitates. Et idcirco forsitan dimittuntur prius peccata: vt causis debilitatis ablati, sanitas restituatur. Surge, tolle lectulum tuum, & vade in domum tuam, &c. Et anima paralytica, si surrexerit: si pristinum robur recuperauerit, portat lectulum suum in quo iacebat antea dissoluta: & portat illum in domum virtutum suarum.

S. IO. CHRYSOSTOMI Episcopi Constantinop. in idem Euang. Homilia.

Ascendens in nauiculam transfretauit, & venit in ciuitatem suam, &c. Propriam hic ciuitatem eius Capernaum appellauit, Bethlehem enim ipsum tulit, Nazareth educavit, sed Capernaum perpetuum ipsius erat habitaculum. Paralyticus certe hic non est ille, de quo Ioannes fecit mentionem. Nam ille apud piscinam Hierosolymis iacebat, hic in Capernaum, & ille triginta & octo annis laborauit, de hoc verò nihil tale adscriptum est; præterea nullos ille habuit ministros, hunc affertur ad Iesum ministris videmus. Ad hæc, Confide, fili; dixit huic, remittuntur tibi peccata tua. Illum verò interrogauit, an vellet sanus fieri: accedit quod in sabbato illum curauit, hunc verò non in sabbato. Nihil enim tale hic accusare Iudæi videntur. Postremo post hoc signum tacuerunt Iudæi, post illud importuni persequebantur. Hæc non ociose dixi, sed ne quis vnum, eundemque putet esse, dissonantiæ miracula euangelio afferat. Tu verò quàm clemens, quamque humilis sit dominus cõsidera. Nam & antea turbas miti animo remouit, & à Gadarenis pulsus non restitit, sed recessit non procul tamen: rursumque, quum etiam possit pedes transire, nauigio se, ac discipulos traiecit. Non enim semper signa facere volebat, ne humanitatis suæ mysterio derogaret. Matthæus igitur, Attulerunt eum, inquit: alij autem per tectum demissum fuisse descripserunt, ac ita Christo propositum, vt nihil à ministris, qui fide adducti rem totam ei crediderunt, diceretur. Nam, & si in principio prædicationis nõ tantam ab aduentibus fidem postulabat, postea tamen non à laborantibus solum, verum etiam à ministris flagitari fidem nonnunquam videmus, ac maxime quando ægrotantes morbo impediti non rectè sapiunt, sed hic etiam, qui paralyticum demiserunt, crediderunt. Videns enim, inquit, fidem eorum, & paralyticus ipse nisi credidisset, demitti profecto non voluisset: quoniam ergo tanta illi fide aduenerunt, propterea dominus quoque virtutem suam magis ostendit, summa cum potestate à delictorum vinculis ipsum dissoluens, vt ex omnibus his patri se demonstraret æqualem: quæ quidem altius mihi repetenda esse videntur. Manifestam igitur fecit potestatem suam, cum ad leprosum dixit, Mundus esto: quum Centurionem, dic verbo solum, & sanabitur puer meus, dicentem magnis laudibus extulit. Quum mari frenu verbis impoauerit, cum demones, qui iudicij potestatem eum habere confitebantur, quasi dominus eiecerit: nunc rursus alio quodam, multoque maiori modo inimicos suos cogit, æqualem se patri verbis suis confiteri: nam ipse omnem ambitionem fugiens quoniam magna erat multitudo circumfusa, aded vt omni obstruso introitu à tecto paralyticum demiserint, noluit statim corpus curare, verum vt ab inimicis sibi occasio traderetur, latentem, atque abditam curam animæ contulit, eum peccata dimisit. Quod quidem & paralytico salutare erat, & ipsi nimium gloriosum non erat: hæc Iudæi prauitate animi vexati reprehenderunt, & maiora videri inuitti omnia perseuerunt. Sapientia enim eius factum est, vt ex inuidia

uidia eorum multo magis signa apparent. Videamus igitur posteaquam illi turbati dixerunt, Hic blasphematur, quis potest peccata dimittere nisi solus Deus? Videamus, inquam, quid ipse ait: vtrum opinione eorum improbauerit, an potius comprobauerit: nisi enim æqualis esset patri, dixisset: Certè rectè sapitis: procul ego absum à tanta potestate; nunc verò nihil horum dixit, sed contra tam verbo, at signo affirmavit, ita quoniã solet esse audientibus molestum, vt aliquis de se ipso apertius dicat, alioru verbis, & signo Deum se, patrique æqualem esse ostendit: & quod mirabilis est, non per amicos solum, verum etiam per inimicos hoc peragit, vt & virtutis, & sapientiæ suæ pelagus pateat. Per amicos quidem, quando dixit, Mundus esto: & quoniam neque in Israël tantam fidem inueni. Per inimicos verò nunc, cum enim illi dixissent, neminem posse peccata dimittere, nisi solummodo Deum intulit. Vt videatis quia potestatem habet filius hominis dimittere peccata in terra, &c. Non autem hic solum id facit, sed alibi etiã cum inimici sui dicerent; Non de bono opere, sed de blasphemia lapidamus te, & quoniam cum sis homo Deum reipsum facis. Non refutat illorum opinionem illorum, sed approbavit, dicens: Si non facio opera patris mei, nolite credere mihi: si autem facio, si mihi non creditis, saltem operibus credite. Verum hic aliud signum deitatis suæ, & quod patris æqualis esset, non paruum ostendit. Illi enim murmurantes secum dicebant; Peccatorum dimissionem esse solius Dei. Ipse verò non solum peccata dimisit, sed occulta etiam cordium quæ nosse solius Dei est, manifestauit. Non enim aperte, sed secum, hic blasphematur, dixerunt, Iesus autem moras animorum non ignorans: Cur, inquit, mala cogitatis in cordibus vestris? Quod verò Dei solius sit, secreta cordium nosse, audi propheta dicentem, Tu nosis corda solus: & rursus, Scrutans corda & renes Deus: & Hieremias, Graue cor est super omnia, & homo est, & quis nosset eum? & Homo videbit in faciem, Deus autem videbit in cor: multis quoque aliis percipere possumus solius esse Dei mentem, ac animas hominum cognoscere. Quare æqualem patri se ostendit, qui quæ inimici sui secum cogitabant, nec audebant multitudinem videntes proferte, hæc omnibus summa eis clementia reuelauit. Quod si turbationis aliquid ferre quempiam oportebat, ægrotam magis oportebat, qui quasi deceptus potuisset exclamare; Ego ad curandum corpus veni, hic verò ad curandum animam refugit, vnde namque manifestum est, dimissa mihi esse peccata mea? Nunc verò nihil ille huiuscemodi dicit, sed se ipsum curantis potestati syncerè, atque integrè tradit. Scribæ autem peruersitate, atque inuidia benesicis aliorum insidiantur, idcirco etiam clementissimè ipsos increpat, re potius quam verbis vt dicere videatur; Si non creditis posse me peccata dimittere, & tumoris quodam afflatu id me arripere putatis, quod non habeam, ecce ad illud hoc quoque adicio, quod secreta vestra mentis reuelabo, & ad hæc terram rursus addo, paralytici corpus, firmum illud, atque robustum constituens. Illud verò non prætermittendum, quod quando peccata paralytici dimisit, non aperte potestatem suam manifestauit. Non enim dixit, dimitto tibi peccata tua; sed, dimittuntur tibi peccata tua. Inimicis autem vrgentibus, manifestius

suam potestatem ostendit. Ait enim: vt sciatis quia potestatem habet filius hominis in terra peccata dimittere. Perpendis ne, quã longè abest, vt nolit equalis putari patri? Non enim dixit potestatem habere à Deo filium hominis, aut, quia dedit sibi Deus potestatem, sed potestatem habet filius hominis, nec ad gloriam dico, ait, sed vt vobis persuadèa; quia non blasphemò, cum meipsum patri æqualem faciam, sed & alibi certa, firmaque signorum vult argumenta præbere, veluti quando dixit, Vade, & ostende te ipsum sacerdoti; quando socrum Petri ad ministracionem vsque confirmavit; quando denique in præcipitia porcos abire permisit: sed in hoc loco quoddam peccata verè dimissa essent, subita curatione corporis, quasi certo quodam argumento euestigio confirmavit. Quod verò corpus curatum erat: quoniam grabbatum tulit, ac abiit, dubitari non poterat. Hæc itaque facta sunt, ne quis putaret ficta phantasmata videre, nec tamen prius eum curauit, quàm ipsos interrogauerit. Quid sit facilius dicere, dimittuntur tibi peccata, &c. Hæc verò huiusmodi est, vtrum vobis facilius videretur, dissolutum corpus confirmare, an animæ peccata dimittere? Nec est dubium, quin confirmatio imbecillis corporis facilius sit. Nam quanto anima corpore præstantior, tanto curatione eius curatione corporis maior, ac difficilior: verò, quoniam alterum latet, alteri si patet, minus quoque, ac manifestius adicio, vt illud maius, ac inuisibile confirmatus, certiusque adhuc manifestè reddatur: sic opere ipso iam illud subaperiebat, quod Ioannes dixit, ipse tollit peccata mundi. Mittit autem eum, cum sanasset, in domum suam, partim vt humilitatè ostenderet, quod eum non retinerent partim ne multi nõ signu verum, sed phantasmate factum dicere auderent, qui enim morbi testes erant, hos & sanitatis testes esse volebat: vt dicere videatur; Ego quidem optassem præsentem omnem, qui cum corpore sani sunt, animam tamen vehementius ægrotant, iis, quæ inter vos facta sunt, ad sanam mentem reduci potuisse: sed, quoniam nolunt, vade in domum tuam, vt saltem tuorum mentes ab ægrotatione reuocet. Videtne quem admodum tam corporum quàm animarum conditorem se esse ostendat? Nam vtriusque substantiæ morbum curauit, & occultum manifestè patefecit. Sed nihilominus etiam huius turbæ adhuc iacent: miratæ nanque fuerant, quum hoc vidissent, & glorificauerunt Deum, qui tantam dedit hominibus potestatem, sed mentes eorum assiduis operibus excitabat, & ad sublimius sapiendum adducebat. Non enim paruum videbatur, quod cæteris hominibus maiore, & à Deo ipsum venisse arbitarentur: quæ si primo animo tenuissent hæc via à minoribus ad maiora præcedentes, cognoscent profecto Dei filium fuisse: sed non seruauerunt hæc tenaciter, propterea ad excellentiora progredi non potuerunt, sed mutato animo rursus dicebant: Hic homo non est à Deo. Et quomodo ipse à Deo est? Quæ assidue vertebant secum, quando perturbationibus animi victi, huc & illuc inconstanter ferebantur, quod etiam nunc multi faciunt, cum æquo animo oporteat perfere, suis perturbationibus incitati. Deum ipsum vt credant, vlciscuntur, qui cum possent in blasphemantes fulmina iacere, Solem tamen suum oriri super omnes facit, imbres demittit, cæteraque omnia clementissimè præstat. Ipsum igitur imitemur, vt

Hom. 36. in Matth.

Ioan. 5.

Ioan. 10.

Mar. 6. & Luc. 9.

Mat. 23. & Luc. 11. & Hier. 17. & Luc. 16.

Ioan. 1.

Ioan. 9.

Matth. 5.

vr oportet, exhortemur ceteros ad virtutē, quieto animo admoneamus, nulla ira, nulla ferocitate moueamur. Nec enim Deo nocuisti, si blasphemasti iratus, sed gladium in te ipsum conuertisti: quare ingemisce, lachryma: lachrymis enim dignus est, qui peccat, præterea nullum lachrymis melius remedium est ad hæc peccatorum vulnera: humilitas enim atque contritio cordis omnem vim superat. Et cōsidera, quoniam ipse Deus nobis tam veteri, quam noua scriptura tunc loquitur, cum videatur contumeliis fuisse iratus. In veteri enim scribitur: Popule meus, quid feci tibi? In noua verò, Saule, Saule, quid me persequeris? Paulus enim cum omni mansuetudine iubet aduersarios alloqui, sed & ipse Christus cum accessissent discipuli, rogassentque, vt ignem de celo demitteret, vehementer ipsos increpauit dicens; Nescitis cuius spiritus estis vos. Hic quoque non dixit, quid cogitatis scelesti, inuidi, & salutis humanæ hostes? sed, *Cur mala in cordibus vestris cogitatis?* Oportet ergo clementer ægritudines animi remouere, nam qui humano timore melior factus est, ad prauitatem rursus citò redit, propterea zizania iussit mitti, vt pœnitentiæ tempus præberetur. Multi certè tanta penitentia compuncti sunt, vt, cū antea peruersi essent, electissimi postea inuenirentur: vt Paulus, & publicanus, vt Iarros, qui cum prius zizania essent, in optimum triticum mutati sunt, quæ quidem mutatio in seminibus impossibilis est, at in voluntate facilis, atque procliuia. Non enim naturæ terminis ad bonum, aut malum voluntas dissipatur, sed libero honoratur arbitrio. Quare cum inimicum veritatis aliquem videris, omni studio, atque cura conare ad virtutum reducere, primum viuendi exemplis, deinde orationis grauitate, ac postremum patrocinij & auxiliij copia. Non graueris omnia emendationis genera percurrere. Imitandi sunt enim boni medici, qui non vno curationis modo vtuntur; sed, quum viderint primis remediis non esse depressum morbum, alia, atque alia rursus excoGITANT, & aliquando quidem ligantes membra, doloribus dolores excutiunt, aliquando verò incidunt, ita multis variisque medendi generibus tandem corpus ad sanitatem reducunt. Quare pariter etiam tu animarum medicus factus, omni curationis modo secundum leges Christi vtaris, & vt operum tuorum, & aliorum salutis mercedem accipias, Nam qui hæc in gloriam Dei facit, ipse quoque gloriam consequetur. Glorificabo enim, inquit, eos, qui me glorificant. Quare omnia ad gloriam Dei agamus, vt æternam requiem adipiscamur. Ad quam omnes vram perueniamus; gratia, & misericordia, domini nostri Iesu Christi, cui cum patre, simul atque spiritu sancto gloria, imperium, honor nunc, & semper, in secula seculorum, Amen.

PETRI CHRYSOLOGI  
Episcopi Raven. in superius Euang.  
de paralytico, Sermo.

Christum in humanis actibus diuina gessisse mysteria, & in rebus visibilibus invisibilia exercuisse negotia, lectio hodierna monstrauit. Ascendit, inquit, in nauiculam, &c. Nonne ipse est, qui, fugatis fluctibus, maris profunda nudauit, vt

Israeliticus populus inter stupentes vndas sicco vestigio, velut montium concaua pertranfirer? Nonne hic est, qui Petri pedibus marinos vertices inclinauit, vt iter liquidum humanis gressibus solidum præberet obsequium? Et quid est, quod sibi maris sic denegat seruitutem, vt breuissimi lacus transitum sub mercede nauitica transfretaret? Ascendit, inquit, in nauiculam, & transfretauit. Et quid mirum, fratres? Christus venit suscipere infirmitates nostras, & suas nobis conferre virtutes; humana quærere; præstare diuina; accipere iniurias; reddere dignitates; ferre tædij; referre sanitates: quia medicus, qui non fert infirmitates, curare nescit; & qui non fuerit cum infirmo infirmatus, infirmo non potest conferre sanitatem. Christus ergo, si in suis mansisset virtutibus, commune cum hominibus nil haberet: & nisi impleisset carnem ordinem, carnis in illo esset otiosa susceptio. Sustinuit ergo has necessitates, vt homo verus humanis necessitatibus probaretur. Ascendit, inquit, in nauiculam. Christus ecclesiæ suæ nauem, laculi fluctus semper mitigaturus, ascendit, vt credentes in se ad cælestem patriam tranquilla navigatione perducatur, & municipes ciuitatis suæ faciat, quos humanitatis suæ fecit esse confortes. Non ergo Christus inuenit nauem: sed nauis indiget Christo: quia sine cælesti gubernatore nauis ecclesiæ per mundanum pelagus tali, & tanto discrimine ad cælestem portum non valet peruenire. Hæc diximus, fratres, quantum ad intelligentiam pertinet spiritualem: verum nunc ipsius historici ordinem prosequamur. Ascendit, inquit, in nauiculam, & transfretauit, & venit in ciuitatem suam. Creator rerum, orbis dominus, postquam se propter nos nostra angustauit in carne, cepit habere humanam patriam, cepit ciuitatis Iudaicæ esse ciuis, parentes habere cepit, parentum omnium ipse parens, vt inuideret amor, attraheret charitas, vinciret affectio, suaderet humanitas, quos fugaret dominatio, metus disperferat, fecerat ius potestatis extorres. Ecce offerbant ei paralyticum iacentem in lecto, &c. Audit veniam, & tacet paralyticus, nec vllam rependit gratiã, quia plus corporis quam animæ tendebat ad curam, & temporales ærumnas resoluti corporis sic descebat, vt æternas pœnas resolutionis animæ non desereret: gratior sibi præsentem vitam iudicã, quam futuram. Merito Christus operantium fidem respicit, & recordiam respicit sic iacentis, vt fidei alienæ suffragio paralytici anima antè curaretur, quam corpus. Respicens, inquit, fidem illorum. Cernitis in hoc loco, fratres, Deum non quærere insipientium voluntates, non expectare ignorantium fidem, non infirmorum stulta desideria perscrutari, sed ad alterius fidem subuenire, quod per solam gratiam conferebat, eum, quicquid diuinæ voluntatis est, non negaret. Et re vera, fratres, quando medicus languentium aut quærit, aut respicit voluntates, cum semper contraria desideret, & requirat infirmus: hinc est, quod nunc ferrum, nunc ignem, nunc amara pocula ingerit, & apponit inuitis, vt curam sani sentiant, quam non poterant sentire ægrotantes. Et si homo iniurias despicit, maledicta contemnit, vt sauciatis morbo sponte vitam conferat & salutem, quanto magis Christus medicus bonitate diuina morbis saucios peccatorum, & phrenesi criminum laborantes, ad salutem etiam inuitos attrahit, & no-

lentes? O si velimus, fratres, si velimus omnem mentis nostræ paralyfin peruidere, animam nostram virtutibus destitutã iacere in viciorem stratis cerneremus; luceret nobis quemadmodum Christus, & nostras quotidie noxias respicit voluntates, & ad salutaria nos remedia pertrahit, & perurget inuitos. Fili, inquit, remittuntur tibi peccata tua. Hęc dicens, Deum se volebant intelligi, qui per hominem oculis adhuc latebat humanis virtutibus enim, & signis comparabatur Prophetis, qui per ipsum fecerant & ipsi virtutes: peccatis autem dare veniam, quia penes hominem nõ est, & est singulare deitatis insigne, Deũ illum peccatoribus inserebat humanis. Probat hoc Phariseus liuor; nam cum dixisset; Remittuntur tibi peccata tua. Responderunt Pharisei: Hic blasphematur: quis enim potest peccata remittere nisi solus Deus? Pharisee, qui sciendo nescis, confitendo negas, cum testaris, impugnas; si Deus est, qui remittit peccata, cur tibi Christus Deus non est, qui vnus indulgentiæ suæ munere totius mundi probatur abstulisse peccata? Ecce, inquit, agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, Vt autem possis maiora, cape eius diuinitatis insignia: audi eum peccatoris tui penetrasse secretum: aspice eum ad cogitationum tuarum latebras peruensisse: intellige eum cordis tui tacita nudare consilia. Et cum vidisset, inquit, Iesus cogitationes eorum, &c. Scrutator animarum præuenit mentium maligna consilia, & deitatis suæ potentiam operis attestacione monstrauit, dum dissipati corporis membra cõponit, neruos stringit, iungit ossa, complet viscera, firmat artus, & gressus ad cursum suscitavit in viuo cadauere iam sepultos. Tolle lectum tuum. Hoc est, porta portan-tem omnes; muta vices: vt, quod est infirmitatis testimonium, sit probatio sanitatis: vt lectus doloris tui sit mæa curationis indicium, vt receptæ fortitudinis magnitudinem ponderis asserat magnitudo. Vade, inquit, in domum tuam. Ne, Christiana fide curatus, in viis Iudaicæ perfidiæ iam moreris.

CHRISTIANI DRVTH-  
mari eiusdem Euang. expositio.

ET ascendens in nauiculam transfretauit. De regione Gerasænorum iterum transit Itagnum, & reuertitur in Galilæam. Et venit in ciuitatem suam. Ciuitas sua dicitur Nazareth: non ob aliam causam nisi quia ibi nutritus fuerat. Dominus & saluator noster exemplum præbuit prædicatoribus, vt omni instantia verbum vitæ populis adnunciarent. Vnde nunc in Gerasa, nunc in Nazareth, nunc in Capharnaum: & tamen nunquam occisus. Et ecce offerbant ei paralyticum. Alius Euangelista dicit, hoc gestum in Capharnaum. Nil tamen obstat ita intelligi: quia cum Dominus ascendit de freto, transit per Nazareth: & venit in Capharnaum: & conuenit ad eum innumera multitudo populitica, vt per ostium iste paralyticus non potuisset inferri: sed nudato tecto à tegulis submiscerunt illum ante Iesum. Paralyticus vel paralytis Græcum nomen est, & dicitur Latine dissolutio membrorum, vel dissolutus membris. Dicunt autem medici, quia pro nimia abundantia sanguinis hoc eueniat. Sed non æstimo ego ita fore: quia ista passio, vix ante quadragenariũ annum hominem

debilitat, & scimus quia tunc iam incipit sanguis in vnoquoque homine immitti: & illa pars, quæ à paralyfi debilitatur, quasi mortua habetur: puto ergo quia sanguis ibi emoritur. Si enim pro abundantia sanguinis hoc eueniret, iuuenibus in quibus sanguis crescit, & feruet, eueniret. Nunc vero semper in senibus fit, & si sanguis abundaret, profecto viuerent membra. Sed cum sanguis deficit, quia est sedes animæ, deserit anima membra, & contrahit se vbi sanguis est. Patet virtus iuxta literam. Moraliter homo iste peccatorem quemlibet mole peccatorum prægranatum & desperatum designat, qui ob nimiam enormitatem scelerum nec veniam postulat peccatorum. Quem si boni viri susceperint, & ad Deum quasi reportauerint per exhortationem, & Deum supplicauerint, sanitati restituent. Vnde sequitur, Et videns Iesus fidem illorum, dixit paralytico. Videns fidem offerentium, non illi qui desperatus est miseretur dominus: quia si peccare quis desierit, & boni homines pro ipso orauerint, exaudientur. Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Filium vocat, quia dimittuntur sibi peccata. Tamen ostendit hic dominus quod multi pro peccatis suis infirmitates decidunt. Inuenimus enim in scriptura diuina quoddam tribus causis infirmitates eueniunt hominibus: quas quidam in quinque extenuant. Dicamus ipsas quinque, quæ eadem sunt. Aut enim pro augendis meritis infirmitas datur, vt Iob, & Tobia. Aut pro custodia virtutum, vt beato Paulo, cui datus fuerat stimulus carnis, angelus sathanæ: Aut pro gloria Dei manifestanda, vt Lazaro, & cæco nato. De quibusdam dicitur quod pro gloria Dei manifestanda eis eueniret: Quæ omnia vnum esse dico, quia omnibus aucta sunt merita pro ipsis infirmitatibus, licet alij tres computent: Aut pro peccatis grauantur homines, vt iste paralyticus: & illi qui audiunt ab Apostolo, quod multi indigne accipiunt corpus Domini: ideo multi infirmi, & dormiunt multi, & Herodes & Antiochus pro suis peccatis damnati sunt, & in præsentem, & in futuro, & innumeri multi. Aliquando autem remittuntur eis peccata in præsentem: & sanantur in corpore, vt isti, & Maria in eremo. Aliquando de præsentem pœna transcunt ad futuram, vt Herodes & Antiochus. Istud vnum in duo diuidunt, qui quinque dicunt. Tertium adicio intemperantiam, cum quis non custodit corpus suum iuxta naturam suam, & rationem: quam solam medici mederi possunt aliquando. Nam alias non potest mederi, nisi ille solus, qui permisit dominati. Et ecce quidam de scribis dixerunt intra se. Hic blasphematur. Quia scribæ purum hominem putabant, & legerant in propheta ex persona Dei dicente: ego sum qui deleo iniquitates tuas, idcirco blasphemiam arguebant. Et cum vidisset Iesus cogitationes eorum dixit eis. Ad cogitationes eorum respondit dominus, quasi dixisset, si legistis quia nullus potest dimittere peccata, nisi solus Deus: similiter legistis quod nullus potest cogitationes hominum scire, nisi solus Deus, dicente Salomone. Tu enim solus cognoscis corda hominum: intelligite ergo, quia qui agnosco cogitationes vestras, possum etiam peccata dimittere. Vt quid cogitatis mala in cordibus vestris? quod non possim scilicet peccata dimittere. Quid est facilius dicere, dimittuntur tibi peccata: aut dicere, surge & ambula? Quid vos leuius aut quid grauius æstimatis? Foris can surge



surge & ambula, quia istud corporalibus oculis debet apparere, grauius aestimatis. Vt autem sciat quia peccata dimitendi habeo potestatem, & peccata dimisi: propterea possum sanare eum. *Tunc ait paralytico. Surge tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.* Quia non crediderunt quod videre oculis corporalibus non potuerunt, surge, vt videant quod sicut corporali infirmitate sanus sic à spirituali. *Tolle lectum tuum,* vt sciant quod aliter te sano quam medici terreni nihil in te pristinae infirmitatis appareat in tantum, vt portes lectum, qui te non poterat conuerrere in illo. *Et vade in domum tuam,* qui aliorum pedibus hic portatus fuisti. *Et surrexit & tulit in quo iacebat. Et abiit in domum suam.* Absque mora tria fecit. Surrexit, & accepit lectum, & abiit in domum suam, quia ipse non fuerat deprecatus pro salute sua: sed alij intercesserunt pro eo, noluit habere eum secutorem: donec ipse ad domum suam reuerteretur, & cognosceret beneficia in se collata, & reuerteretur ad ipsum. Nam qui hac infirmitate grauantur, non solent habere perfectum sensum: ita vt cum alij pro eis doleant, ipsi quasi non intelligant, malum suum non dolentes: & apparet in hoc, quia cum emoritur pars corporis, cessat ministerium, quod per eadem membra anima solita erat exercere. *Videntes autem turbae timuerunt.* Turbae quae minus erant, timuerunt: quia scribae aui fuerant in cogitationibus suis & detrahere, & ipsi perfidi non timuerunt, quia mens quae dedita est ad malum, non timet ipsum malum, quod ipsa agit, sicuti alij faciunt qui perhorrescunt. *Et glorificauerunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus.* Sicut imperfecti fecerunt, non intellexerunt, quod in ipso homine esset, qui potestatem homini, quem ipsi videbant, dedisset. Et tamen aliquid boni fecerunt si retulerunt Deo gratias: qui corpus commune habentem cum hominibus, tanta permisisset agere in terris. Si enim perfecti fuissent, ipsi cum patre gratias retulissent, cui placuisset in terra per se talia agere: homo ergo iste significat hominem peccatorum mole grauatam: qui pro nimia peccatorum congerie non veniam petit, aestimans non posse ad indulgentiam de tantis malis peruenire. Qui si habuerat bonos doctores, qui cum Christo redirent, & referant per spem veniae, orentque pro ipso, impetrabant ei opem spei & veniae. Qui bene quatuor referuntur fuisse, quia per quatuor libros Euangelij, potest ad spem veniae reduci. Per quatuor fides submisit illi, quia cum ipsa doctrina Euangelij necessarium est virtutes quatuor praedicare: per quas perfectus quisque viam seculi inoffense graditur. Prudentiam videlicet, fortitudinem, temperantiam, & iustitiam. *Fili dimituntur tibi peccata tua.* Qui ante fuisti filius diaboli, faciendo eius voluntatem: efficiaris filius Dei, cum liber fueris à peccato. *Et resurrexit & abiit in domum suam,* surrexit qui ante iacebat in peccatis: & abiit in domum suam, id est, in ecclesiam Dei.

**ERICI IN SVPERIIS**  
*Euang. Homil.*

**C**reator rerum Dominus, postquam se propter nos nostra angustauit in carne, coepit habere humanam patriam, coepit esse ciuis Iudai-

ca: ciuitatis, vt eos, de quibus humanitatem susceperat, ad credendum sibi amore inuicaret, charitate suaderet, & affectuosa humanitate attraheret. Loquens ergo sanctus euangelista Matthaeus de Domino Iesu, dicit: *Quia ascendens in nauim, transfretauit,* hoc est, trans fretum abiit. Fretum dicitur angustum mare, à feruore scilicet & ebullitione, quoniam mare ibi amplius feruet, vbi angustius habetur. Fretum autem hoc loco mare Galilaeae debemus intelligere, quod Dominus frequenter transuauigabat, vt multitudinem incolarum circumquaque habitantium sua assidua praedicatione ad salutem inuicaret. Ciuitas autem Domini secundum carnem Nazareth fuisse dicitur, coeptione pariter, & nutrimento eius decorata. *Quaestio sanè inter Marcum, & Mattheum obortur:* Quia Marcus dicit hoc ipsum miraculum paralytici in Capharnaum factum, Matthaeus verò ita narrat, quasi veniente Domino in ciuitatem suam, quam Nazareth diximus, obtulerint ei paralyticum, quem & curauit. *Quaestio difficultus solueretur,* si Matthaeus in hoc loco etià Nazareth nominasset. Sed quia & Nazareth, & Capharnaum ciuitates vtraque in Galilaea prouincia habentur, veniens Dominus in Galilaeam, rectissime in ciuitatem suam venisse dicitur, in quocunque oppido Galilaeae fuisset. Nam & ipsa Galilaea, tota videlicet prouincia, potest dici ciuitas Christi. Si quidem & illud regnum Iudeorum numerosis ciuitatibus quòdam amplissimè, vna domus Israël dicitur, nedum etiam vna ciuitas dicitur. Et hoc quid necesse est longius protrahere: Ipsa etià Christi ecclesia, quae per totum orbem diffusa est, ciuitas appellatur. Dicit enim Psalmista: *Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei.* Cui ergo Dominus hoc signum (sicut Marcus dicit) in Capharnaum fecit, non est dubium quòd in sua ciuitate hoc fecerit, praesertim quia & ipsa Capharnaum in Galilaea, quae erat prouincia domini, ita excellabat, vt tanquam metropolis haberetur. Alio quoque modo hac quaestio à doctoribus soluitur, vt quòd dicit beatus Matthaeus euangelista, transfretasse dominum, & venisse in ciuitatem suam, praetermisit, quid ibi fecerit dominus, & transferit ad sequens miraculum, quod factum est de paralytico in Capharnaum. Marcus enim totum ex ordine quomodo gestum sit narrat. Vel certe idèd Capharnaum ciuitas domini dicitur, quia in ea vel in finibus eius assidue praedicauerit, & ibi maxima miracula operatus sit, sicut ipse dominus alibi per semetipsum illi impropere, loquitur: *Vt tibi Capharnaum, quae vsque ad caelum exaltata es; clarificatione scilicet miraculorum meorum, vsque ad infernū detraheris.* Quia si in Tyro, & Sidone facta fuissent, quae in te facta sunt, olim in cinere, & cilicio poenitentiam agerent. *Et ecce offerebant ei paralyticum iacentem in lecto.* Paralyticum Graeci dicunt dissolutionem membrorum, qui morbus partem corporis, quam occupauerit, officis vniuersis funditus destituit: plerumque verò & totum corpus inuadit. *Et videns Iesus fidem illorum, dixit paralytico; Confide fili, dimituntur tibi peccata tua.* Haec dicens, Deum se volebat intelligi, qui adhuc per humanitatem latebat homines, vt videlicet per hoc, quòd peccata dimittere poterat, quod solum modò Dei esse constaret, & non hominis, ad credulitatem fidei accedere non dubitarent. Intuendam autem, quantum impertare valeat

leat fides vniuersiusque propria, si tantum aliena valuit, vt suo interuentu alteri salutem mentis, & corporis subitò promereri potuerit. Non enim ait euangelista dominū vidisse fidem illius, qui portabatur, sed eorum potius, qui hunc offerebant. Quia in re magna quaedam & utilis nobis commendatur humilitas, vt veraciter credamus per eorum, qui Deo accepti sunt, intercessionem adiuvare eos, qui aut minus digni sunt per se exaudiri, aut etiam propriae infirmitatis conscij, bonorum hominum se intercessioni commendant, vt eorum ope & temporale, & spirituale à Deo auxilium consequantur. *Confide,* inquit dominus, fili. Miranda est humilitatis in redemptore nostro dignatio, qui hominem inualidum, & toto corpore tabefactum, filium vocare dignatur, quem scribae, & Pharisaei nec dignabantur attingere. Quod si ad opus diuinum, quod in homine gerebatur, attendimus, meritò filium vocat, quem à peccatis absoluit. In hoc etiam, quòd curaturus à sua infirmitate hominem, prius peccata illi dimittit, quibus eandem infirmitatem contraxit, & postea eum sanitati restituit, ostendit eum ob meritum culparum damnatum fuisse debilitate membrorum, nec aliter posse euadere aegritudinem corporis, nisi prius liberaretur ab infirmitate incommoda cordis. *Dimituntur,* inquit, tibi peccata. Audiens igitur paralyticus veniam delictorum sibi à domino repromitti, nec aliquid Christo respondet, nec gratias vel laudem illi repedit: quia scilicet plus corporis quam animae desiderabat salutem, & gratiorem sibi praesentem vitam indicabat, quam futuram. Sed Christus non recordiam iacentis respicit, sed fidem offerentium intendens, ingrato peccata dimittit. Et quia semper virtutibus inuidia comes est, audiamus quid sequitur. *Et ecce quidam de scribis dixerunt intra se; Hic blasphematur. Nō voce oris hoc dixerunt, sed in secreto cordis. Quod manifestat euangelista, cum dicit: Et cum vidisset Iesus cogitationes eorum, dixit: Vt quid cogitatis mala in cordibus vestris? Quid autem vocarent blasphemiam, Marcus manifestius exponit, dicens: Et cogitabant, inquit, quidam de scribis in cordibus suis, dicentes; Quis potest peccata dimittere, nisi solus Deus? Legebat siquidem scriptum in prophetis, dicente domino; Ego sum, qui deleo iniquitates tuas. Et idèd indignabantur, quòd Christus, quem purum hominem existimabāt, paralytico peccatorum veniam promississet tanquam Deus. Quamuis ergo nescientes, verum dicunt scribae, & Pharisaei, quia nemo potest peccata dimittere nisi solus Deus: qui per eos quoque dimittit, quibus potestatem dimittendi tribuit. Et idèd Christus verus Deus esse probatur, quia peccata quibus vnus, dimittere valet. *Et cum vidisset Iesus cogitationes eorum, &c.* Scrutator animorum Deus, praeniciens meritum mala consilia, ostendit scribis blasphemantibus se Deum esse, qui potest etiam occulta cordis eorum euidenter agnoscere, & quasi tacens loquitur; Vt cognoscatis me veraciter Deum esse, manifestum vobis sit, latebras etiam cogitationum vestrarum me aperitissime cognoscere. Ea ergo potestate deitatis, qua cogitationes vestras intuenti valeo, cognoscite etiam hominibus peccata me posse dimittere. *Quid facilius est, dicere, Dimituntur tibi peccata tua, an dicere; Surge, & ambula?* Vtrum paralytico peccata fuerint missa, solus Christus*

nouerat, qui dimittebat: Surgentem autem illum, & ambularem omnes, qui assistebant, visu approbare poterāt. Et idèd dominus carnale signum sanitatis extrinsecus operatus est, vt spirituale signum, hoc est, veniam peccatorum, intrinsecus probaretur fecisse. *Vt sciatis autem: quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, tunc ait paralytico, Surge, &c.* Patet quia & si Deus, qui quantum occasus distat ab oriente, longè fecit à nobis iniquitates nostras, & filius hominis habet potestatem dimittendi peccata, ergo idem ipse est Christus, & Deus, & filius hominis Deus, qui per diuinitatem peccata dimittit: filius hominis, qui per humanitatem pro peccatoribus mori potuit. Quòd autem dicit; *Tunc ait paralytico,* verba sunt euangelistae. *Tolle, ait, lectum tuum,* hoc est, porta portantem te, vt quod fuit testimonium infirmitatis, sit probatio sanitatis. *Et surrexit, & abiit in domum suam.* Inter dictum domini, & factum, nulla distantia est. Ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt. Et omnia quaecunque voluit, fecit. Inter dicere autem nostrum, & facere, plurima distantia est; quia facile quidem loqui possumus, sed cum labore operamur. Christi verò dictum mox opera comitantur: quoniam ipse dixit, & facta sunt. Ait ergo; *Quid est facilius, dicere; Dimituntur tibi peccata, an dicere; Surge, & ambula?* Ac si dicat; Sicut facile est mihi, dicere paralytico; Surge, & continuo surget: sic facile est, dicere; Dimituntur tibi peccata, & continuo dimittentur. *Videntes turbae,* id est populi, signum, quod fecerat, timuerunt Deum, & glorificauerunt eum, qui dedit potestatem talem hominibus: scilicet, vt homo inter homines positus, posset sanitatem cuiusque vellet tribuere. Confutatis igitur illis, qui dominum blasphemiae arguebant, meritò stupentes turbae, in laudem creatoris prosiliunt, ad cuius imperium nulla interueniente mora, festina salus totum hominem repente possedit. Ex curatione autem istius paralytici datur nobis intelligi, plerasque incommoditates hominibus propter peccata contingere. Quinque siquidem differentiae causarum traduntur, pro quibus corporibus humanis temporales molestiae diuinitus inferuntur. Aut enim ad agenda merita per patientiam, electi infirmitate corporis grauantur, vt B. Iob, & Tobiae contigit. Aut ad custodiam virtutum, ne superbia tentante deiciantur, sicut Apostolo Paulo datus est stimulus carnis, ne magnitudinis reuelationum extolleretur. Aut ad intelligenda, & corrigenda peccata, sicut Mariae soror Aaron, propter temeritatis verba lepra percussa est, sicut etiam paralyticus, de quo agimus, qui, vt potuisset curari, primum remissione peccatorum indiguit. Aut ad gloriam Dei, sicut infirmitas Lazari non ad mortem, sed pro gloria Dei fuit. Aut ad inchoationem aeternae damnationis, quod proprie reprobatorum est, sicut Antiochus, & Herodes, qui quod in gehenna passuri erant, praesenti miseria cunctis ostendebant, quibus illud conuenit propheticum; Et duplici contritione cōtere eos. Vnde quoniam qua causa flagellemur, scire nō possumus, necesse est, vt in omnibus aduersis, quae temporaliter patimur, humiliter domino gratias agamus, & quicquid nos peccasse deprehenderimus, humili satisfactione purgemus, vt quandoque de attributis diuiniae pietatis beneficiis perfecte gratulemur. Haec curatio paralytici à salua-

Mar. 2.

Psal. 36.

Luc. 19.

Mar. 2.

Psal. 43.

Psal. 102.

Psal. 32. 6.

148.

Psal. 33. 4.

2. Cor. 12.

Num. 12.

1. Ioh. 5.

1. Ier. 17.

Opusibus suis  
sancti  
peccata  
purgantur.

toro mirabiliter parata, iuxta literam manifesta est. Sed quia in humanis actibus Christi diuina semper latent mysteria, considerandum, quid transfretatio domini in suam ciuitatem allegoricè significet. Ait enim euangelista; *Ascendens Iesus in nauiculam transfretauit, & venit in ciuitatem suam.* *Manu. 8.* Superius sanctus Matthæus narrauit quia dominus, postquam in mari dormiuit, atque excitatus tempestates sedauit, venit in regionem Gerasenorum, ubi hominem curauit, quem legio demonum inuaserat: moxque, sicut præfens lectio narrat, adiungitur, quia ascensa naui transfretauit, & venit in ciuitatem suam. Allegoricè per nauiculam, quam dominus ascendit, significatur crux dominicæ passionis, in quam dominus ipse ascendit: vel ipsum corpus dominicum, quod in ea pendit: vel specialiter anima uniuersiusque fidelis, siue generaliter uniuersa sancta ecclesia. Per mare autem, quod dominus transfretauit, designatur præfens seculum, quod frequentissimis tribulationum angustiis quasi quibusdam procellis commouetur. Per Nazareth uero ciuitatem, in qua dominus conceptus, & nutritus fuit, & interpretatur flos, siue custodia, non immeritò designatur sancta ecclesia, hoc est multitudo electorum, quæ ne florem fidei, & boni operis fructum amittat, gratia Dei mundatur à sordibus uitiorum, & custoditur ab incurfu insidiantium demonum. Quod ergo dominus, postquam in mari dormiuit, regionem Gerasenorum adiit, atque inde reuertens in patriam suam remeauit, significat, quia resurgens à fomno mortis ad populum gentium, ab incurfu demonum curandum, per apostolos transiit. Sed cum intrauerit plenitudo gentium, mox ad ciues suos Iudæos per illius temporis prædicatores reuertetur. Ibi curabit paralyticum, populum scilicet Iudæorum à peccatis, tam originalibus quam actualibus, emundando omnes, qui præordinati sunt ad vitam æternam. Item alio modo; *Ascendens dominus in nauim, transfretauit, & venit in ciuitatem suam.* Quia ascendens in crucem, quæ designatur per nauim, post deuietos, & calcatos fluctus perturbationum istius seculi, *uenit in ciuitatem suam*, id est Ecclesiam, quæ testante Psalmista, ciuitas Dei appellatur. Gloriosa (inquit) dicta sunt de te ciuitas Dei. In quo loco nomine ciuitatis ecclesia, hoc est, multitudo electorum significatur. Tunc autem dominus in ciuitatem suam, id est, ecclesiam, venit, cum per prædicationem apostolorum in cordibus electorum ascendit. Cum enim sancti Apostoli auditores suos ad hanc fidem sua prædicatione perducebant, ut crederent diuinitatem filij Dei in utero virginis humanæ infirmitati sociatam, & in eadem carne natum, crucifixum, atque sepultum, & tertia die resurrexisse, ac idem corpus ad cælos assumptum, & in eo ad dexteram patris in cælestibus confedere, atque in ipso rediturum in fine seculi ad iudicandos uiuos, & mortuos: tunc Christus in sancta ecclesia, hoc est, in cordibus credentium per fidem ascendit. *Et ecce offerebant ei paralyticum.* Paralyticus iste in lecto iacens, moraliter significat animam infelicem, quæ in delectatione peccati tamquam in lecto quodam miserabiliter requiescit. Cuius paralytici curatio, designat curationem, ac reparationem eiusdem languentis anime, quæ post longum errorem carnalis uoluptatis, ad creatorem suum reuerti desiderat. Sed & anima

ut saluari queat, propriis indiget portitoribus, hoc est, bonis doctoribus, qui sua doctrina spem salutis ei subministrant, & sua sanctitate opem intercessionis coram Domino impendant. Qui bene, ut Marcus ostendit, quatuor fuisse reperiuntur, propter quatuor uidelicet libros euangeliorum, quibus constat fundamentum totius doctrine: siue propter quatuor principales virtutes, quibus sanitas uniuersiusque constat anime, prudentiam scilicet, fortitudinem, temperantiam, atque iustitiam, quæ ab aliis nominantur sobrietas, sapientia, fortitudo, atque iustitia, quibus uilius nihil est in uita humana. Quæcunque enim anima doctrina quatuor euangeliorum fuerit imbuta, & his quatuor uirtutibus suffulta, citò merebitur à Domino integram sanitatem recipere, adeo ut surgat, lectum suum tollat, & ad domum redeat. Vnde & subditur; *Surge, tolle lectum tuum, & uade in domum tuam.* Per lectum designatur corpus uniuersiusque hominis. Sic enim anima in corpore, quemadmodum corpus in stratu suo requiescit. Vel certe per lectum proximus noster intelligitur, ad quem tempore tribulationis & angustiarum tanquam ad repausandum securi recurrimus. *Et surrexit, & abiit in domum suam, magnificans Deum.* Fecit Dominus signum hoc tunc in paralytico corporaliter, facit & hoc quotidie in sancta ecclesia spiritualiter. Sicut enim tunc præcepit paralytico, ut surgeret, & portaret lectum suum, à quo portatus fuerat: ita quotidie nobis in uitis carnalibus tanquam delectabiliter in lecto iacentibus, iubet diuinitus, ut surgamus. Et postquam à peccatis surrexerimus, imperat ut infirmitates quoque aliorum siue corporum, siue morum portare curemus, quemadmodum & nos tempore nostræ infirmitatis à fratribus portati sumus. Et quoniam per lectum carnem etiam corporis nostri significari diximus, imperat etiam surgentibus, ut lectulum nostrum portemus, hoc est, ut carnem nostram, quæ nos portauit ad uitia, nos reportare studeamus ad uirtutem continentie, ut quæ nos leuata traxit ad culpam, afflicta reducat ad ueniam. Imperat autem hoc nobis Dominus quotidie per semetipsum, hoc est, per annuntiationem euangelij, per dicta prophetarum, & per varia, ac diuersa sanctorum exempla. Ait ergo Dominus paralytico; *Surge, tolle lectum tuum:* Ac si anime dicat in peccatis iacenti; *Surge, de uitis scilicet carnis, ad uirtutes spirituales, & porta lectum tuum, hoc est, carnem corporis tui, quæ te portauit ad peccatum & culpam reporta ad ueniam. Vel, porta lectum tuum, id est, fratrem tuum, à quo & tu portatus es: & uade in domum tuam, id est, qui per diuersa uitiorum flagitia aberrasti, reuerrere ad custodiam rui. Domum quippe redire, est unumquemque errantem ad custodiam sui reuerti, & semetipsum in mandatis sui creatoris constringere, ut totus homo, interior uidelicet & exterior, Deo possit placere. Domus etiam nostra intelligitur paradysus, à quo quia per incontinentiam cecidimus, necesse est, ut per continentiam redeamus. Sed dum talis anima, quæ peccatis langueret, reuertitur ad ueniam, fit plerumque, ut multi hoc uidentes, in Dei laude exardescant. Vnde & hic subditur; *Quia uidentes turba timuerunt, & glorificauerunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus.* Homini-bus dicit, vel paralytico, scilicet qui debilitate corporis contractus, ad infusionem Christi statim resurgere*

resurgere potuit, & lectum portare: vel potius Domino Iesu Christo, qui solo sermone sanitatem animæ simul & corporis homini membris dissolutò restituere ualuit. Simili modo & in anima hominis languentis spiritualiter fit. Nam dum is, qui diutius in peccatis iacuerat, ad ueniam recurrere conspicitur, multi fidelium glorificat Deum, qui dat potestatem talem hominibus, ut post longam uitiorum calamitatem resurgere ualeat ad salutem animarum. Nam quæcunque sanitas, siue in corpore, siue in anima alicui accedit, ab ipso tribuitur. Vnde & ipse Iesus, id est, saluator uocatur, quoniam ipse saluum facit populum suum à peccatis eorum: Qui uiuit, & regnat cum patre & spiritu sancto per omnia secula seculorum, Amē.

## HAYMONIS EPISCOPI Halberst. superioris Euang. expositio.

*Ascendens Iesus in nauiculam transfretauit, & uenit in ciuitatem suam.* Superius sermo euangelicus narrat, quod abiit dominus ultra stagnum Genesat in regione Gerasenorum, & sanauit ibi duos homines à legione demonum. Quo opere expleto, ascendens in nauiculam transfretauit, id est, transfretum abiit, & uenit in ciuitatem suam. Fre-tum dicitur mare à seuendo, id est, à calore: quia nullo tempore gelu stringitur, sed semper in motu est. Istud mare signat stagnum Genesat propter multitudinem aquarum, & uenit in ciuitatem suam. Propriè ciuitas domini Nazareth dicitur, ubi fuit conceptus & nutritus, uel Berthelem ubi fuit natus. Marcus dicit hoc miraculum factum in Capharnaum. Capharnaum Metropolis est ciuitas Galilæe prouincie. Matthæus dicit factum in ciuitate sua, quæ est Nazareth. Ciuitatem domini totam Galilæam possumus intelligere, sicut totum regnum Iudæorū una domus dicitur, iuxta quod est illud propheta: Domus Iacob, uenite, & ambulemus in lumine domini. Et sicut sancta ecclesia per uniuersum mundum dilatata una ciuitas dicitur, iuxta illud Psalm. Gloriosa dicta, scilicet de te, ciuitas Dei: Ita ciuitas Dei tota Galilæa dicitur. Siue ergo fuisset hoc miraculum factum in Capharnaum, siue in Nazareth, siue in aliquo oppido, in ciuitate domini fuit factum. Si spiritualiter uolumus intelligere, per nauim designatur sancta ecclesia. Quotidie accedit dominus nauim suam, id est, corda electorum quibus præfides, & ducit illos in ciuitatem suam, id est, ad patriam cælestem. Quomodo pergit ista nauis per medios fluctus incedens, & tendit ad litus: ita & sancta ecclesia, inter aduersa huius seculi posita in ter Iudæos, paganos, & falsos Christianos tendit ad portum, id est, ad æternam beatitudinem. *Et ecce offerebant illi paralyticum iacentem in lecto.* Paralysis Græcè, Latine dicitur dissolutio membrorum. Hæc infirmitas aliquando solet occupare membrum hominis sicut est lingua, aliquando medietatem corporis, aliquando totum corpus debile reddit, ut nec loqui, nec operari, nec ambulare ualeat. Iste paralyticus totis uiribus sui corporis dissolutus erat, & ideo per se non ualebat ire ad dominum: necesse enim erat, ut illi, qui sani erant, deferrent eum domino. Secundum Marcum quatuor fuisse referuntur, qui paralyticum

porrabant. Et bene quatuor propter doctores sanctæ ecclesiæ, qui quatuor libros sancti euangelij corde credunt, & opere custodiunt. Vel qui quatuor uirtutibus principalibus sunt ornati, uidelicet, prudentia, temperantia, fortitudine, & iustitia. Prudentia dicitur in appetendis bonis, ac uitandis malis. Prudentes esse debemus ut appetamus bona, & fugiamus mala. Temperantia est, quæ alio modo uocatur sobrietas, quando scilicet in omnibus actibus nostris modum seruamus: fortitudo dicitur ut omnia aduersa istius seculi æquanimitè toleremus, ut nec prospera insuperbiam nos eleuent, nec aduersa deiciant. Iustitia est, quando reddimus unicuique secundum quod suum est. Isti ergo tales, qui ita sunt ornati, apti sunt tam pro se quam pro aliis dominum interpellare. Per paralyticum designatur anima peccatrix, per lectum corpus humanum. Iste paralyticus, qui in lecto iacebat, signat animam peccatricem iacentem in corpore subdito peccatis. In hoc quod in lecto iacebat, & potentiam Dei in sua sanitate cognouit, datur nobis intelligi, ut uniuersus quisque homo, quando in corpore est, debet cognoscere creatorem suum, à quo creatus est. *Et uidens Iesus fidem illorum, dixit paralytico: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Non dicit euangelista dominum respexisse ad fidem illius, qui offerebatur, sed ad fidem illorum, qui offerebant, quia illi credebant dominum potuisse eum sanare ab infirmitate. Ultra fidem illorum sanauit dominus interius à peccatis & exterius in corpore à paralyti, dicens: *Fili, remittuntur tibi peccata tua.* Mira humilitas redemptoris nostri in hoc paralytico fuit, quia quem Scribæ, & Pharisei non dignabantur tangere, dominus non dedignatus est filium appellare. Et bene filium, quia dimissa fuerant ei peccata multa. Ille uero filius Dei est, cui peccata dimittuntur. Vbi ergo considerandum est, quantum ualeat uniuersiusque fides ad promerendum salutem: si tantum ualuit fides aliena, ut dominus totum hominem interius, exteriusque sanaret. Curaturus dominus hominem à paralyti, primum dimisit ei peccata. Quare? Ut demonstraret propter peccata præterita esse percussum in infirmitate corporali. Sed tamen non est intelligendum, quod semper percutiat dominus hominem corporaliter propter peccata præterita. Sed aliquando percutit, ut per patientiam meritum illius augeatur, sicut Iob & Tob. Aliquando etiam percutit homines infirmitate corporali propter custodiam uirtutum, sicut B. Paulum qui dicit: *Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus satanæ, qui me colaphiset, id est, percutiat.* Aliquando etiam percutit Deus homines infirmitate corporali, ut manifestetur gloria Dei per eos tam per se, quam per sanctos suos, sicut fecit cæco à natiuitate, de quo interrogauerunt discipuli: Magister quis peccauit, hic, aut parentes eius, ut cæcus nasceretur? Respondit eis, & dixit: *Neque hic peccauit, neque parentes eius, sed ut manifestentur opera Dei in illo.* Et sicut de Lazaro ait: *Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur filius Dei per eam.* Aliquando uero percutit propter peccata præterita, sicut istum paralyticum, & alios, qui triginta & octo annos iacebat in porticu piscinæ. Cui ait: *Vade, ecce iam sanus factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi alii-*

quid contingat. Aliquando etiam Deus percussit homines infirmitate corporali, ad demonstrandam dānationem quam passuri sunt reprobi in inferno, sicut fecit Antiochus qui templum Dei polluit; & Herodem, qui fugato domino in Aegyptum, omnes infantes Bethlehemiticos interfecit. Talibus congruit illud quod Hieron. propheta dicit: Et duplici contritione conterere eos: *Et ecce quidam de scribis dixerunt intra se. Legeant scribæ, & pharisæi in prophetis, dicente domino, Ego sum, qui deleo iniquitates tuas, & peccatorum tuorum non recordabor. Et quantum distat ortus ab occidente longè fecit à nobis iniquitates nostras. Cum hæc legissent, putauerūt dominum purum hominem esse & blasphemiam in Deum mittere dicēdo: Dimittuntur tibi peccata tua, dixerūt intra se, id est, in cogitationibus suis. Hic blasphemias, id est, potentiam deitatis sibi indebite usurpat. Si enim purus homo esset sicut nos fumus, videretur blasphemiam in Deum mittere, quia soli Deo competit dimittere peccata. Sed quia Deus erat, non usurpabat quod non habebat, sed hoc quod habebat illud sibi vendicabat. Vel secundum Marcum dixerunt: Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus? Veram dixerunt. Nullis enim peccata dimittere potest nisi solus Deus; qui per eos peccata dimittit, quibus potestatem dimittendi tribuit. Primum per apostolos; per martyres, & per confessores, modò per episcopos, & presbyteros. Legimus eodem die resurrectionis dixisse dominum discipulis suis: Accipite spiritum sanctum, quorum remisistis peccata, remittuntur eis, &c. Et antè passionē dixit Petro. Quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis, &c. Eandem potestatem quam dominus dedit B. Petro, & cæteris apostolis, eandem potestatem tribuit episcopis, & presbyteris, qui officio apostolorum funguntur, ut; quoscumque viderint humiliter confiteri peccata sua, & desistere, soluant eos à peccatis post penitentiam peractam; & reconcilient altari: illos autem quos viderint in peccatis permanere, dimittant eos ligatos, quia ligati sunt in conspectu Dei. Et cum vidisset Iesus cogitationes eorum dixit. Ad cogitationes illorum respondit dominus dicens: *Et quid cogitatis mala in cordibus vestris*, id est, quid cogitatis quoddam blasphemiam in Deum mittere? Quasi diceret: Ea potentia deitatis, qua meras vestras video, ea possum hominibus peccata dimittere, si voluero. *Quid est facilius dicere: Dimittuntur tibi peccata tua, an dicere, surge, & ambula?* Inter dicere, & facere quantum ad homines pertinet (sicut Hieronymus dicit) magna distantia est. Facile potest homo loqui, sed cum difficultate operari. Sed quatenus ad Deum idem est dicere ac facere. Vnde legimus in Genesi. Fiat lux, & facta est lux, fiat firmamentum, & factum est firmamentum, sicut luminaria, & facta sunt luminaria. Et de quo Psal. Ipse dixit & facta sunt; ipse mandauit, & creata sunt. Ac si diceret dominus: Sicut facile est mihi loqui, ita & facile operari. *Et sciatis, quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata.* Ideo peccata dimitto ut sciatis, id est, cognoscatis, credatis, quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata. Semetipsum appellat filium hominis, id est, filium Mariæ. Dominus enim Iesus Christus Deus, & homo est, per hoc quod Deus est, ante omnia secula cum patre peccata hominum dimittere potest, per hoc verò quod*

Hier. 17.

Es. 43. Psal. 102.

Matth. 16.

Peccatores post confessionem, & opera satisfactoria, solentur à peccatis per sacerdotem.

Genesi.

Psal. 32.

homo natus est in fine temporum de virgine Maria, pro peccatoribus moti potuit. Nisi enim Deus esset, peccata hominibus dimittere non posset, & nisi homo esset, pro peccatoribus mori non posset. *Tunc dicit paralytico: Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.* Quasi diceret: Lectus tuus fuit indicium infirmitatis tuæ, sit iterum lectus tuus indicium sanitatis tuæ. Lectus te portauit, quando infirmus eras, ut ostēderet te infirmum esse. Portato lectum tuum, ut eam portatur à te, ostendat te sanum effectum esse. Præcipitur ergo nobis in vno homine, ut surgamus per penitentiam de terrenis ad cælestia, ut possimus dicere eum Paulo apostolo: Nostra conuersatio in cælis est. Ac si diceret dominus. Anima peccatrix, tolle lectum tuum, id est, remoue à te carnalia desideria, corpus tuum trahit te ad luxuriam, trahit illud ad castitatem. Et vade in domum tuam, & sicut de Paralytico expulsus fuit cælesti per peccatum, redi ad illum per penitentiam. Vel aliter. Superius dixit dominus Paralytico: *Dimittuntur tibi peccata tua.* Nunc dicit: *Surge, tolle lectum tuum.* Et est sensus. Quia meruisti remissionem peccatorum suscipere, vade in domum tuam, id est, redi ad internam custodiam mentis tuæ, vide ne ulterius pecces, vnde dederis à domino flagelleris. *Et surrexit, & abiit in domum suam.* Magna est distantia inter sanitatem, quæ à medicis procuratur, & illam, quæ à domino reditur. Sanitas, quæ à medicis procuratur, per interualla temporum cum magna difficultate venit. Sanitas verò, quæ à domino tribuitur, tota simul venit sicut isti Paralytico. Vbi dominus dixit: *Surge, & statim surrexit.* Vbi dixit dominus: *Tolle lectum tuum, illico tulit lectum suum, & iuit in domum suam.* *Videntes autem turba, timuerunt.* Quare? Quia inuisitatum miraculum viderunt. *Et glorificauerunt Deum, id est, laudauerunt. Qui dedit talem potestatem hominibus, id est, Iesu Christo filio suo, & omnibus apostolis suis, quia antè passionem dixit illis: Infirmos curate.* Vnde legimus in actibus apostolorum dixisse Petrum ad Aneam. Aneam, sanet te Iesus Christus. *Surge, & sterne tibi.* Et surrexit. Hoc quod dominus præcepit apostolis à nobis agendum, ipse per semetipsum primus exhibuit, quod præcepit nobis agendum. Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cælis est. Fecit dominus miraculū, & omnes quidem viderunt, conuertit ad laudem patris sui, ut daret nobis exemplum, quotienscumque aliquid boni gerimus, non nostram laudem, sed Dei omnipotentis quæramus, à quo omne bonum quod habemus, accepimus, vel per nos operatur qui dicit: Sine me nihil potestis facere.

Matth. 9.

Joan. 13.

**INCERTI AVTHORIS**  
*sub nomine Eusebii Episcopi Emisensis superioris Euang. expositio.*

**H**Oc enim in loco ciuitatem suam non Nazareth, sed Capharnaum intelligere debemus. Vtraque enim ciuitas eius dicitur, illa quidem, quia ibi nutritus est: ista verò, quia ad tempus in ea habitauit. Sic enim superius dicitur, quia relicta ciuitas Nazareth, venit & habitauit in Capharnaum maritimam. *Et ecce offerebant ei paralyticum in lecto iacentem.* Spiritualiter autem ciuitas Dei,

**D**e, ecclesia est. Quicumque igitur es, qui aliqua infirmitate grauaris, & sanari desideras, veni ad ecclesiam, veni ad ciuitatem Dei. Ibi illum medicum inuenies, qui (sicut de eo scriptum est) omnes languores sanat, & omnes infirmos, ibi inuenies illa medicamina, quibus susceptis omnis infirmitas tollitur, & omnis ægritudo fugatur, ibi inuenies balneum, in quo æger ut lotus fuerit, confestim ab omni infirmitate sanabitur. Ibi renouatur sicut aquila iuuentus tua, & in nouam creaturam vetera omnia commutabuntur. Illuminantur cæci, curantur paralytici, mundantur leprosi, & mortui suscitantur. Hæc igitur ciuitatem illa ciuitas significabat, de qua modò hic dicitur, quia venit Iesus in ciuitatem suam: & ecce offerebant ei paralyticum in lecto iacentem. Marcus autem dicit quia paralyticus iste à quatuor portabatur. Iste paralyticus, spiritus hominis est, qui & anima vocatur. Hic autem in lecto, id est, in corpore iacet, & inde grauatur, vnde quietem habere debuerat. Corpus enim, quod corruptum, aggrauat animam. Ideo enim infirmatur spiritus, quia non bene iacet. Ille enim spiritus paralyticus est, qui suæ potestatis non est. Paralyticus enim quodcumque membrum arripuerit, quodammodo insensibile, & quasi mortuum, & inutile facit. Quæ enim anima paralytica est, nec oculos videndi, nec aures audiendi habet. Sed qui sunt isti quatuor, qui hunc paralyticum portant, & domino offerunt? Per hos enim nescio qui melius quam quatuor euangelistæ intelligi possunt. Nulla enim anima nisi per istos domino offeratur, nulla anima nisi per istorum fidem sanatur. Vnde & hic dicitur, *Et videns Iesus fide illorum, dixit Paralytico: Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua.* Ac si dicat, Tu quidem infirmus es, sed illi qui te ferunt sani sunt, illorum fides te sanat, si in illorum fide confidis. Confide igitur, fili, factus es mihi filius per fidem, remittuntur tibi peccata tua. Vides quomodo ipse dominus euangelium suum exponat? quomodo per ea quæ foris aguntur, si quis tamen oculos habeat, & nondam totus paralyticus iaceat, intus nos spiritualiter doceat: In hoc enim quod ait, *Remittuntur tibi peccata tua*, interiorem hominem, id est, spiritum paralyticum esse demonstrat. Quæ est enim infirmitas animæ, nisi peccata? Hæc igitur auferantur, hic morbus tollatur, & sanabitur anima. Hoc enim non dixisset, si ad corporis infirmitatem respexisset. Non ideo corpus sanatur, quia anima à peccatis liberatur. Apostolus enim dicit, Cum autem infirmor, tunc fortior sum: significans carnis infirmitate spiritum corroborari. Hoc autem scribit, qui ibi aderant, male intelligentes, & non animæ, sed corporis paralyticum attendentes, Christum Deum blasphemasse dicebant. Vnde & subditur: *Et ecce quidam de scribis dixerunt intra se, Hic blasphematur. Et quum vidisset Iesus cogitationes eorum, dixit, Et quid cogitatis mala in cordibus vestris?* Nam & isti interius paralytici erant, quamuis suam infirmitatem non sentiebant, qui Deum blasphemasse dicebant. Nec minus Iesus eorum cogitationes iniquas, quam illius infirmitatem considerabat. Dicebat igitur, *Et quid cogitatis mala in cordibus vestris?* Neque enim medicum scitis, neque vim medicaminis agnoscitis. Bonus enim medicus ad morbi venam, & radicem spectat: quam postquam arripuerit, cætera ad sanandum facilius ducit.

*Quid est enim facilius dicere, dimittuntur tibi peccata tua, aut dicere surge, & ambula?* Si enim ad solum dicere attendamus, nescio quid horum facilius sit. Vtrumque enim valde facile est. Peccata autem dimittere, vel paralyticum ad surgendum, & ambulandum vires sufficere, difficile est. Sed quia alterum inuisibile, alterum verò visibile erat, per visibile probat inuisibile, ut dum eum in corpore potestatem habere vident, in anima quoque potestatem habere non dubitent. Dicebant enim, Nemo potest peccata dimittere nisi solus Deus. Verum utique dicebant. Quamuis enim ecclesia peccata dimittat: (hoc enim dominus ostendit, dicens, Quorum remisistis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.) solus tamen ille peccata dimittit, qui ait, Sine me nihil potestis facere. Ipse enim erat Deus, ipse erat & homo imò ipse est Deus, & homo, sed Deus per se, homo verò per Deum potestatem habet dimittendi peccata. Et hoc est, quod ait, *Et autem sciatis, quia filius hominis potestatem habet dimittendi.* videte quod videre potestis, ut credatis quod videre non poteratis. Creditis quod nemo possit dimittere peccata nisi solus Deus, iam cognoscetis etiam quia filius hominis potestatem habet dimittendi peccata. *Tunc ait paralytico, Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. Et surrexit, & abiit in domum suam.* Probaturum est igitur quod quærebant, iam dubitare non debent, credant à peccatis animam esse solutam, dum corpus & à paralyticis vident esse sanatum. Sed quid est quod ait, *Surge, tolle lectum tuum?* Diximus enim per lectum corpus significari, in quo anima infirma iacebat. Anima ergo dicitur ut surgat. Quid est enim surgere, nisi ad bonum opus vigilare? Vnde apostolus, *Surge (inquit) qui dormis, surge à mortuis, & illuminabit te Christus.* *Surge, tolle lectum tuum:* habeas potestatem in carne tua, dominare corpori tuo, tu porta, tu dirige, tu rege, tibi seruiat, tibi obediatur, tibi que amodo per omnia subiiciatur. *Et vade in domum tuam:* reuertere in patriam tuam, reduce in patriam carnem tuam, quia ipsa te eiecit de patria tua. *Videntes autem turba timuerunt, & glorificauerunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus.*

**THEOPHYL. EPISCOPI**  
*Bulgar. superioris Euangelij expositio.*

**V**enit in suam ciuitatem. Suam ciuitatem Capharnaum dicit, illic enim habitabat: Bethlehemi enim peperit, Nazareth educavit, Capharnaum præbuit domicilium. Paralyticus autem ille alius est quam is, qui apud Ioannem. Ille enim erat in probatica piscina in Hierusalem, hic autem in Capharnaum. Et ille quidem non habuit hominem, hic autem à quatuor portatur, sicut Marcus dicit, & per lectum demittitur: quod à Matthæo prætermisimus. *Confide fili,* Filium vocat, vel ut creaturam Dei, vel ut eum, qui crediderat. Declarans autem, quod paralyticus ex peccatis esset, primum peccatum soluit. *Et vidit Iesus cogitationes illorum,* Vel ex hoc, quod cogitationes rescivit, ostendit se Deum. Arguit igitur eos ferme sic dicens; Vos quidem putatis me blasphemum, eo quod pollicear me remittere peccata, id quod magnum quidem est. Videret autem vobis, quod ego per hoc

Joan. 5. Luc. 2.

Matth. 2. Mar. 2.



effugium queram, vt non reprehendar. Ego igitur & ex corporis cura fidem vobis facio, quod animas sanem: per rem minorem quidem, sed quae difficilius videatur, confirmans & peccatorum remissionem, quae magna quidem est, sed facilius vobis videtur, sed quod minor appareat. Surge, & tolle lectum tuum. Iniunxit ei vt lectum gestaret, vt ne phantasia videatur, & vt turbae simul videant miraculum, maximum enim omnium existimabant purum quendam hominem.

EVTHYMII ZIGABONI superioris Euang. expositio.

ET ingressus nauem Iesus traiecit, &c. Ciuitatem suam dicit Capernaum. Siquidem Bethleem ipsum protulit; Nazareth ipsum enutriuit; Capernaum deinceps incolam habuit. Et ecce offerebant ei paralyticum, &c. Dictionem, Ecce, scriptura Hebraica frequenter ponit, tamquam linguae idioma, sicut & alia multa. Dicendum est autem, alium esse huc paralyticum ab eo cuius meminit Ioannes: nam ille ad Bethseda decumbat, hic autem Capernaum: & ille quidem triginta, & octo annos morbo tenebatur; de hoc vero nihil tale scriptum est: praeterea ille non habebat hominem: hic autem baiulos habebat: huic quoque ait; Remissa sunt tibi peccata tua, illi vero; Vis sanus fieri? Ad haec illum sabbatho curauit, vnde etiam murmurabant Iudaei, hunc autem alio die, ideoque tacerunt. Intuitus autem Iesus fidem illorum, &c. Sicut enim dicitur Marcus, & Lucas, quum ingredi non possent propter eorum multitudinem, qui congregati erant, ascenderunt in tectum domus, in qua docebat Iesus: eoque perfollo, per ipsum demiserunt grabbatum, in quo iacebat paralyticus: quae omnia magnae fidei erant: haec namque illis ne desperarent, persuasit, vtque omnia & facerent, & paterentur, quo ipsum conspectui Saluatoris praesentarent, credentes continuo illum assequiturum esse sanitatem. Fidem, inquit, eorum: non solum dimittentium, sed eius quoque, qui demissus erat. Neque enim se demitti sustinisset, nisi salutem consequi sperasset. Intuitus autem Iesus tatum illorum fidem, primum quidem languido peccata remittit, deinde vero corpus sanare: simul docens, plurimos morbos a peccatis oriri, & prius oportere causam curare: Vnde etiam paralytico, de quo scribit Ioannes, dixit, Ecce sanus factus es; non pecces deinceps, ne quid de acrius tibi contingat: simul quoque Deum se esse ostendens. Corporeas siquidem curare infirmitates, etiam sanctorum est: peccata vero remittere, solius Dei. Ideo etiam scribae turbabantur. Et ecce quidam de scribis dicebat intra sese: Hic blasphematur, Marcus manifestus dixit; Erant quidam Scribarum ibi sedentes & cogitantes in cordibus suis; Quid

Ioan. 5.

Marc. 2. Luc. 5.

hic ita loquitur blasphemias? Quis potest remittere peccata praeter vnum, nempe Deum? Offendebantur autem praeter inuidiam, & malitia. Nam frequenter eum viderant etiam cum autoritate morbos fugantem, daemones eicientem, vento, marique imperantem: & haec omnia modo humanas vires superante, factitantem. Sed hi proprias viciscentes affectiones, Dei videbantur iniuriam vicisci. Quumque vidisset Iesus cogitationes illorum, &c. Hoc aliud quique suae diuinitatis, & ad patrem aequalitatis signum ostendit, cui contradici non possit, cognoscendo videlicet cogitationes cordium ipsorum, quod similiter solius erat Dei. Scriptum est enim; Tu nosti corda solus omnium. Et rursus; Scrutans corda, & renes Deus. Et alibi; Homo videbit in faciem, Deus autem intuebitur in corda. Nam, quia illud, quum sibi videretur impossibile, non recipiebant, inducit hoc tanquam indubitatum, per hoc probans etiam illud, ac quodammodo dicens; vere nullus potest remittere peccata, nisi vnus, qui intuetur cogitationes hominum. Vtrum enim est facilius dicere, &c. Quandoquidem, inquit, blasphemus vobis videor, vipote remittens peccata, & aequalem faciens meipsum Deo: respondete mihi; Vtrum est facilius vt opere perficiatur, an dicere hoc, vel dicere illud? Erant autem ambo, de quibus interrogabat, Deo quidem possibilia, hominibus vero impossibilia. Nam & remittere peccata solius Dei erat: & similiter sua autoritate erigere, ac confirmare paralyticum. Quum autem illi tacerent, eo quod neutrum altero facilius dicere poterant, ait ipse; Vt autem sciatis, quod potestatem, &c. Defectiuus est hic loquendi modus. Deficit enim; Respiciate. Vt, inquit, cognoscatis, quod, qui vobis apparet homo potestatem habeat tamquam Deus, respiciate. Quod autem additur in terra, simplici sensu ponitur: aut valet tantundem ac si dicatur; In conuersatione, quam habet in terra. Dicebat itaque hoc de seipso. Tunc ait paralytico; Surge, &c. Quia remittere peccata, latentem habebat demonstrationem: ad erigendum autem sua autoritate paralyticum, manifesta opus erat demonstratione: factique quod manifestum est in signum eius, quod erat occultum: & per hoc, & per illud plenam facit fidem, quod & hoc possit, & illud. Ad confirmationem autem quod corpus robustum relinqueretur, iussit vt tolleretur grabbatum suum, ne phantastico quodam modo fieri videretur, dimittit etiam illum in domum suam: tum ne praesens, ac visus, laudem sibi conciliaret; tum etiam, vt sanitatis testes haberet, quibus contradici non posset: ipsos namque, qui morbi testes erant, vtque ipsi fieret fidei occasio. Quum vidisset autem turba, &c. Admirabantur quidem, quod quasi Deus miraculum operatus erat, hominem tamen eum esse opinabantur, habentem potestatem super hominem.

2. Paral. 1. Psal. 7. 2. Reg. 16.

DOMIN

DOMINICA XIX POST PENTECOSTEN.

MATTH. 12.



N illo tempore, loquebatur Iesus principibus sacerdotum & Pharisaeis in parabolis, dicens, Simile factum est regnum caelorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo. Et misit seruos suos vocare ad nuptias: & nolebant venire. Iterum misit alios seruos, dicens: Inuitatis: ecce prandium meum parauit: tauri mei, & altilia occisa sunt, & omnia parata, venite ad nuptias. Illi autem neglexerunt, & abierunt, alius in villam suam, alius vero ad negotiationem suam. Reliqui vero tenuerunt seruos eius, & contumeliis affectos occiderunt. Rex autem cum audisset, iratus est: & misit exercitibus suis, perdidit homicidas illos, & ciuitatem illorum succendit. Tunc ait seruis suis: Nuptiae quidem paratae sunt, sed qui inuitati erant, non fuerunt digni. Ite ergo ad exitus viarum, & quoscunque inueneritis, vocate ad nuptias. Et egressi serui eius in vias, congregauerunt omnes quos inuenerunt malos & bonos: & impletae sunt nuptiae discumbentium: intrauit autem rex, vt videret discumbentes, & vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali, & ait illi: Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem? At ille obmutuit. Tunc dixit rex ministris: Ligatis manibus, & pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus & stridor dentium. Multi autem sunt vocati, pauci vero electi.

<sup>a</sup> Hic de persecutione apostolorum arguit. <sup>b</sup> Congregatio iustorum, praesens ecclesia. <sup>c</sup> Deo patri. <sup>d</sup> Per incarnationis mysterium ecclesiam filio copulauit. <sup>e</sup> Prius propheta: p[ro]nunciatio in carnationis. <sup>f</sup> Iudaeos, quibus in patriarchis hoc promiserat. <sup>g</sup> Id est, credere. <sup>h</sup> Apostolos qui afferunt factam: vnde hic dicitur: Prandium paratum est, id est, mysterium incarnationis impletum. <sup>i</sup> Doctrinam iustitiae, & mentem scripturarum ex omnibus prophetis ordinari. Introitus regni aperiens in fide mea: in carnationis, qui ante fuerat clausus. <sup>k</sup> Fide ceteris concordando. <sup>l</sup> Salutis suae praecolum. <sup>m</sup> Alij non solum contemnit, sed & persequuntur. <sup>n</sup> De mortibus discipulorum dicit: qui supra in alia parabola de morte sua dixit. <sup>o</sup> Vocati sanguinis. <sup>p</sup> Tamen cum tranquillitate iudicans. <sup>q</sup> Romanis sub Tito & Vespasiano. <sup>r</sup> Iudaeos interemit. <sup>s</sup> Hierusalem. <sup>t</sup> Adhuc alios inuitat, quia sermo Dei & si alicubi laborat, alibi requiescit. <sup>v</sup> Iudaei. <sup>x</sup> Per legem & prophetas. <sup>y</sup> Vias, sunt errores gentium. <sup>z</sup> Cuiuscunque conditionis. <sup>a</sup> Ad fidem. <sup>b</sup> De Iudaeis. <sup>c</sup> Sectas gentium. <sup>d</sup> Sicut ecclesia inter caelum & infernum est, inditete malos & bonos colligit. <sup>e</sup> Crediderunt quotquot praedeterminati erant ad vitam. <sup>f</sup> Ad iudicium veniens, illuminabit conscientias. <sup>g</sup> In fide requiescentes. <sup>h</sup> Omnes qui in malo sunt vnium. <sup>i</sup> Id est, fidem habentem, non opera charitatis, per quam dominus ad sociandam sibi ecclesiam nuptias venit. <sup>k</sup> Impudentia arguit. <sup>l</sup> Per fidem non per operationem. <sup>m</sup> Nouit hominis sed veteris. <sup>n</sup> Quia non locus negandi ibi est. <sup>o</sup> Ligantur poena qui ligati fuerunt culpa a bonis operibus. <sup>p</sup> Inferni quia hic interiores habent tenebras. <sup>q</sup> Oculorum in vanis vagorum. <sup>r</sup> Qui de edacitate gaudi sunt. <sup>s</sup> Ad nuptias. <sup>t</sup> Fide. <sup>v</sup> Ad regnum. <sup>x</sup> Qui de edacitate gaudi sunt.

GLOSSA ORDINARIA in superius Euang.



IMPERE factum. Iterum arguit per parabolas: no tacet, quia exasperati sunt: sed peiores iram Dei, per aliam parabolam dicit eis esse veterum. Nuptias. Nuptiarum thalamus, est virginis veteris. De inuitatis ad nuptias solus Martheus narrat. Aliud simile ex parte Lucas dicit de cena, id est, aeterno

conuiuio, de quo nemo ingressus repellitur, sicut de praesenti ecclesia. Tauri. Quia prius propheta, & post apostoli ab infidelibus passi sunt: qui vobis modo sunt in exemplum, quid sit vobis credendum. Venite fide, ceteris concordando. Tauri sunt patres veteris Testamenti, quibus indulta est licentia inimicos quasi cornu ferendi. Altilia ab alendo, id est, pingua interna charitate, noui Testamenti praecones, contemplationis penna superna petentes. Occisa, vel ab eo quod fuerant, alius in per mortem carnis iam in requie positi. Alius in villam.

Luc. 14.

D d d 4

villam. In villam ire, est terreno labori immoderate incubere. Negociari vero, terrenis lucris inhare. Rex autem. Supra homo dum inuitabat & opera clementiæ agebat, nunc in ultione rex tantum. Et missis exercitibus, id est, angelis per quos iudicium exercēbit, persequentes perdit: & ciuitatem, id est, carnem in qua habitauerūt cum anima in gehēna cremabit. *Nuptiæ quidem paræ.* Omne sacramentum incarnationis peractum est, natiuitas & passio, &c. *Ad exitus, &c.* Actiones, sunt viæ: exitus, defectus actionum: quia plerumque facile cōuertuntur quos in terrenis actibus prospera nulla comitantur. *Vt videret discumbentes.* id est, vt videti faciat indicandorum merita, & discernat. *Non vestium veste nuptiali.* Confutatis autem Phariseis supponit non omnes, qui sunt in ecclesia, esse dignos regno, ne torpeant sui. *Amice, quomodo huc intrasti non hab. vestem nup.* Amicus, quia ad nuptias inuitatus. Quomodo, impudentiæ arguit. *Ligatis manibus, & pedibus.* ligantur pœna, qui hinc à malo noluerunt ligari, id est cohiberi. Manus quæ non extensæ ad elemosynam. Pedes tardi ad bonum. Ibi singula membra pœnis subiiciuntur, quæ hinc singulis vitiis seruiertur. *Exterio, &c.* quia hinc interiores habent tenebras cordis. *Multi autem sunt vocati, pauci vero electi.* Repulso vno, in quo omne corpus malorum exprimitur, generalis sententia inferitur. *Multi autem sunt voc.* Quasi dicat, Et si de vno dixi, de multis est intelligendum.

### CATENA AVREA in idem Euangelium.

Chry. in ho. Quia dixerat, Dabitur genti facti fructus eius: hic ostendit cui genti: vnde dicitur, *Et respondens Iesus, dixit, &c.* Glof. Dicit autem, Respondens, id est, obuians prauæ cogitationi eorum de morte sua. Aug. de con. euang. Parabolam autem istam solus Mattheus narrat: simile quidem etiam Lucas commemorat, sed non est hoc, sicut & ipse ordo indicat. Greg. in hom. Hic per nuptias, presens ecclesiasticæ per cœnam, æternum & vltimum conuiuium designatur: quia & in hanc nonnulli exituri intrant, ad illud quilibet semel intrauerit vltimus non exibat. At si quis forte contendat hanc eandem esse lectionem: intelligi forsitan potest, quia de proiecto eo qui cum nuptiali veste non intrauerat, quod Lucas tacuit, Mattheus dixit: quod verò per illum cœna, per hunc autem prandium dicitur, nequam obstitit: quia cum ad horam nonam apud antiquos prandium fieret, quotidie ipsum quoque prandium cœna vocabatur. Orig. Regnum autem cœlorum simile est, secundum eum quidem qui regnat, homini regi: secundum eum autem qui conregnat, filio regis: secundum ea verò quæ sunt in regno regis, seruis & inuitatis ad nuptias: inter quos est, & exercitus regis. Additum est autem, *homini regi*, vt hominibus quasi homo loquatur: & dispensat homines, non cupientes dispensari à Deo. Sed tunc cessabit regnum cœlorum esse simile homini, cum cessante zelo & contentione & cæteris passionibus & peccatis, cessauerimus secundum hominem ambulare, & videbimus eum sicuti est. Nunc enim videmus eum non sicuti est, sed sicuti per nostram dispensationem factus fuerit nobis. Greg. in ho. Tunc

autem Deus pater Deo filio nuptias fecit, quando hunc in vtero virginis humanæ naturæ coniunxit. Sed quia ex duabus personis fieri solet nuptiarum coniunctio, ab hinc ab intellectibus nostris: vt personam redemptoris nostri ex duabus personis credimus esse vnitam. Ex duabus quippe, atque in duabus hunc naturis existere dicimus: sed ex duabus personis credere compositum: vt nephas vitamus. Securius ergo dici potest, quia in hoc rex pater regi filio nuptias fecit, quod ei per incarnationis mysterium sanctam ecclesiam sociavit. Vterus autem genitricis virginis, huius sponsi thalamus fuit. Chry. super Mar. Vel aliter, Cum resurrectio fuerit facta sanctorum, tunc suscipiet hominem vitam, quæ est Christus, moralitatem eius sua mortalitate absorbens. Nunc enim quasi arras futuri coniugij spiritum sanctum accipimus, tunc autem ipsum Christum plenius in nobis habebimus. Orig. Vel coniunctionem sponsi ad sponsam, id est, Christi ad animam, verbi susceptionem intellige: partus autem opera bona. Hila. Merito autem à patre iam sunt hæ nuptiæ factæ, quia æternitatis huius societas, & noui corporis desponsata coniunctio, habetur iam perfecta in Christo. Sequitur. *Et misit seruos suos vocare inuitatos ad nuptias, & noluerunt venire.* Chry. super Mar. Et quando misit seruos suos, iam inuitati prius erant, inuitati sunt enim homines à tempore Abrahæ, cui Christi incarnatio promittebatur. Hier. *Misit autem seruos suos, neq. dubium quin Moysen, per quem legem inuitatis dedit.* Si autem seruos legerimus, vt pleraque habent exemplaria, ad prophetas referendum est: quia inuitati per eos venire contempserunt. Sequitur. *Iterum misit alios seruos, dicens, Dicite inuitatis, Serui qui secundò missi sunt, melius est vt prophetæ intelligantur quàm apostoli, ita tamen si seruus supra fuerit scriptus: sin autem seruos ibidem legas, hinc serui secundi apostoli sunt intelligendi. Chry. super Mar. Quos misit cum eis dixit, in viam gentium ne abieritis, sed potius ite ad oues perditas domus Israel. Orig. Vel qui primò mittuntur serui vocare inuitatos ad nuptias, habentur prophetæ cōuertentes ex populo per suas prophetias ad lætitiã & restitutionem ecclesiæ ad Christum. Qui autem noluerunt venire in primis inuitati, sunt qui noluerūt audire verba prophetarum. Iterum alij transmissi, alia congregatio prophetarum est. Hila. Vel serui primo missi, qui inuitatos vocarent apostoli sunt: qui autem admonentur, vt veniant inuitati antea, populus Israel est: in gloriam enim æternitatis per legem est aduocatus. Apostolorum ergo erat proprium, commonefacere eos quos inuitauerat propheta. Qui vero iterum cum præceptorum conditione mittuntur apostolici viri, sunt successores eorum. Grego. Sed quia hi qui prius inuitati sunt ad nuptiarum conuiuium venire noluerunt, in secunda inuitatione iam dicitur, *Eccc prandium meum parauit.* Hic. Prandiū paratū & tauri & altitia occisa, vel per metaphorã opes regiæ describuntur, vt ex carnalibus intelligatur spiritualia: vel certe dogmatū magnitudo & doctrina Dei lege plenissima sentiri potest. Chry. super Mar. Cū ergo dominus prandium meum parauit, id est ex lege & prophetis scripturarum menfas ornauit. vnde sequitur. *Tauri mei, &c.* Grego. in ho. Per tauros autem patres veteris testamenti figurantur: qui ex permissione legis*

inimicos suos virtutis corporeæ eorum fecerunt. Altitia verò saginata dicimus, ab eo enim quod est alere altitia: quasi altitia, vel quasi alita vocamus. Per altitia ergo patres noui testamenti figurantur: qui dum gratiam pinguedinis interne dulcedinis percipiunt, à terrenis desideriis ad sublimia contemplationis suæ penna subleuantur. Dicit ergo, *Tauri mei & altitia occisa sunt.* Acti dicat: Patrum præcedentium mortes aspiciate, & remedia vitæ vestræ cogitate. Chry. super Matth. Vel aliter, Ideo dicit, *Et saginata & tauri, non quia & tauri non fuerunt saginati, sed quia non omnes saginati fuerunt tauri: ergo saginata tantummodo dicitur prophetas, qui fuerunt spiritu sancto repleti: tauri autem, qui prophetæ fuerunt & sacerdotes: sicut Hieremias & Ezechiel, vt enim tauri duces sunt gregis, ita & sacerdotes, principes sunt populi. Hila. vel aliter, Tauri gloriosa martyrum species est, qui confessioni Dei tanquam hostia electa sunt immolati. Saginata verò sunt homines spirituales, tanquam cælesti pane ad euolandum aues pastæ: ceteros accepti cibi vbertate expleturæ. Grego. Notandum verò quod in priorē inuitatione nil de tauris & altitibus dicitur. In secunda autem iam tauri & altitia macata memorantur: quia omnipotens Deus cum verba eius audire nolimus, adiungit exempla, vt omne quod impossibile credimus, tanto nobis ad sperandum fiat facilius, quanto per hoc transisse & alios audiuimus. Orig. Vel quia prandium, quod paratur, est eloquium Dei: fortia quæque eloquiorum Dei, tauri intelligantur: suauiã verò & delectabilia eorum, sunt saginata. Si quis enim proferat quædam dicta modica, & non firma, & non magnam virtutem rationis habentia: videtur macra esse, quæ proferuntur. Saginata autem sunt, cum ad vnam quancumque propositionem exempla multa rationis probatione repleta inducuntur: puta, si aliquis de castitate sermonem loquitur, recte intelligitur curretur. Sed cum ipsum sanctitatis sermonem cum rationis probatione de scripturis repletum protulerit, ita vt delectet & confirmet animum audientis: protulit eum saginatum. Chry. super Matth. Quod autem dicitur, *Et omnia parata sunt:* intelligitur quia quicquid queritur ad salutem, iam adimpletum est in scripturis. Qui enim ignorans est, inuenit ibi quod discat. Qui cõsumax est, inuenit ibi quod timeat. Qui laborat, inuenit ibi promissa, quibus exiteatur ad opus. Glo. Vel, *omnia parata sunt:* introitus regni paratus est per fidem meæ incarnationis, qui antea fuerat clausus. Chr. super Matth. Vel, *omnia parata dicitur, quæ pertinent ad mysterium dominicæ passionis, & nostræ redemptionis.* Dicit autem, *Venite ad nuptias:* nõ pedibus, sed fide & moribus. Sequitur: *illi autem neglexerunt.* Qua autem re neglexerint manifestat, cum subditur, *Et abierunt: alius in villam suam, &c.* Chry. in ho. Quamuis autem videantur rationabiles occasiones esse: sed hinc discimus etiam si necessaria sunt quæ detinent: omnibus tamẽ præponere spiritualia oportet. Mihi autem videtur quod his occasionebus vsu, negligentia velamina proponerent. Hila. Ambitione enim seculi tanquam villa, homines occupantur: plures verò propter pecuniæ cupiditatem negociatione detinentur. Chry. super Matth. vel aliter, Cum labore manuum nostrarum aliquid facimus, puta exercentes agrum vel vineam,*

aut opus ligni vel ferri, villam colere videmur. Cum autem non labore manuum nostrarum alia lucra sequimur, totum hoc, negociatio appellatur. O miserimus mundus, & miseri qui eum sequuntur. Semper enim mundalia opera homines excluderunt à vita. Grego. Qui ergo intentus labori terreno, vel mundi actionibus deditus, mysterium incarnationis dominicæ p̄sare, & secundum illud viuere dissimulat: quasi ad villam vel negocium pergens, venire ad regias nuptias recusat: & plerumque (quod est grauius) nonnulli vocati gratiam nõ solum respuunt, sed etiam persequuntur, vnde subditur, *Reliqui vero tenuerunt, &c.* Chry. super Matth. Vel per occupationem villæ, populares Iudæorum significat, quos mandati delectatio separauit à Christo. Per occupationem verò negociationis, sacerdotes ceterosque ministros templi significat: quos lucri obtentu venientes ad ministerium legis & templi, auaritia separauit à fide: quibus non dixit quod malignati sunt, sed neglexerunt, qui enim odio aut inuidia crucifixerunt Christum, illi malignati sunt: qui autem negociis impediti non crediderunt, illi neglexisse dicuntur, non malignati. De sua tamen morte dominus tacet, quia in prioribus parabola dixerat: sed ostendit mortem discipulorum suorum, quos post ascensum ipsius occiderunt Iudæi Stephanum lapidantes, & Iacobum Alphæi occidentes, propter quæ Hierusalem destructa est à Romanis. Et notandum quod ira in Deo non proprie sed translative dicitur. Tunc enim irasci dicitur, quando vlciscitur, vnde hinc dicitur, *Rex autem cum auiratus est.* Hiero. Quando inuitabat ad nuptias, & agebat opera clementiæ, hominis nomen appositum est: nunc autem quando ad ultionem venit, homo siletur, & rex tantum dicitur. Orig. Dicant autem qui peccat in Deum legis, & prophetarum & totius creationis, vt ruit iste qui & homo dicitur, & itatus proponitur, ipse est pater Christi: quod si dixerint hinc ipsum esse, cogendi sunt confiteri, quoniam multa in eo secundum passibilem hominum naturam esse dicuntur: non quia ipse passibilis est, sed quia mortem gerit passibilis naturæ hominum. Et secundum hanc consequentiam suscipere conuenit & iram Dei, & penitentiam, & cetera huiusmodi in prophetis. Sequitur, *Et missis exercitibus, &c.* Hiero. Per hos exercitus, Romanos intelligimus sub duce Vespasiano & Tito, qui occisus Iudææ populis præuaticricem incenderunt ciuitatem. Chry. super Matth. Romanus autem exercitus, dicitur exercitus Dei: quia domini est terra & plenitudo eius, nec etiam venissent Romani Hierusalem, nisi eos dominus excitasset. Orig. Vel angelorum agmina, sunt exercitus regis nostri, missi ergo exercitibus extinxisse homicidas dicitur, quia in hominibus omne iudicium per angelos exercetur. Homicidas ergo perdit, quia persequentes interimunt. *Ciuitatem eorum igni succendit,* quia illorum non solum animæ, sed caro quoque in qua habitauerant, æterna gehennæ flamma cruciantur. Orig. Vel ciuitas impiorum est secundum vnumquodque dogma congregatio eorum qui conueniunt in sapientia principum huius seculi: quam succendit rex & exterminat quasi ex malis ædificationibus consistentem. Greg. Sedis qui inuitantem se contemni conspiciat, filij sui nuptias vacuas non habebit, quemque enim sermo Dei inuenit

inuenturus est vbi requiescat. vnde subditur, *Tunc ait seruis suis*. Origenes, Id est apostolis aut angelis, qui prepositi erant in vocatione gentium. *Nuptia quidem parata sunt*. Remi. Id est omne sacramentum humane dispensationis iam peractum atque completum est. *Sed qui inuitati erant*, id est Iudaei, non fuerunt digni: quia Dei iustitiam ignorantes & suam statuere volentes, indignos se iudicauerunt aeternae vitae. Reprobato ergo Iudaico populo, ad has nuptias gentilis populus est susceptus, vnde sequitur, *Ita ergo ad exitus viarum, &c.* Hiero. Gentilium enim populus non erat in viis, sed in exitibus viarum. Remi. Qui sunt errores gentilium? Chry. super Matth. Vel vix sunt omnes professiones huius mundi, vt puta Philosophiae, malitiae, & huiusmodi. Dicit ergo, *Ita ad exitus viarum*, vt cuiuslibet conditionis homines vocent ad fidem. Adhuc sicut castitas via est quae ducit ad Deum, sic fornicatio via est quae ducit ad diabolum, & sicut de aliis virtutibus & vitiis. Iuber ergo vt cuiuscunque conversationis vel conditionis homines inuitent ad fidem. Hila. Per viam etiam tempus seculi intelligendum est: atque ideo ad exitus viarum iubentur ire, quia omnibus retroacta donantur. Grego. Vel aliter in scriptura facta vias, actiones accipimus: exitus viarum, intelligimus defectus actionum, quia illi plerumque facile ad Deum veniunt, quos in terrenis actionibus prospera nulla comitantur. Orige. Vel aliter: Puro hanc primam vocationem fuisse ad nuptias aliquarum ingenuarum animarum. Principaliter enim Deus vult venire ad epulationem diuini eloquij eos, qui ad intelligendum sunt ingeniosiores: & quoniam huiusmodi sunt, nolunt ad istam vocationem venire: transmittuntur alij serui provocantes eos, & promittentes quod si venerint, percipient prandium paratum a rege. Sicut enim in corporalibus alia est quae nubet sponsa, alij inuitatores, alij qui inuitantur ad nuptias: sic Deus scit diuersos ordines animarum, earumque virtutes & causas ob quas hi quidem in constitutione sponsae accipiuntur, alij in ordine seruorum vocantur, alij in numero inuitatorum ad nuptias. Sed qui principaliter quidem fuerant inuitati, primos inuitatores quasi pauperes sensu neglexerunt, & abierunt insequentes: in quibus magis sunt delectati, quam in his qui rex per seruos suos promittebat: sed hi leniores sunt his, qui seruis transmissis iniuriuntur, & interficiunt: qui scilicet preparatione contentiosorum verborum aut sunt tenuisse seruos missos: qui non sunt preparati ad soluendas quaestiones eorum versutas, & contumelias afficiuntur vel interficiuntur ab eis. Sequitur, *Et egressi serui eius in vias, &c.* Orige. Egredientes serui siue de Iudaea & Hierusalem apostoli Christi, siue ab interioribus angeli sancti: & venientes ad vias diuersas diuersorum morum, congregauerunt quoscunque inueniunt. Et non curant vtrum aliquando ante vocationem mali fuerint, aut boni, bonos autem intelligere hic simpliciter conuenit humiliores & rectiores ex eis, qui veniebant ad cultum Dei, quibus conueniebat quod Apostolus ait: Cum gentes, quae legem non habent ea, quae legis sunt, faciunt, ipsi sibi sunt lex. Hiero. Inter ipsos enim gentiles infirma est diuersitas: cum alios sciamus esse procliuiores ad vitia, alios ad honestatem morum virtutibus ditatos. Grego. Vel hoc dicit: quia in hac

ecclesia nec mali sine bonis, nec boni sine malis esse possunt, bonus autem non fait, qui malos tollerare recusant. Sequitur, *Et impletae sunt nuptiae*. Orige. Nuptiae, scilicet Christi & ecclesiae sunt impletae, dum restituti Deo qui ab apostolis sunt inuenti, recubuerunt ad epulandum in nuptiis, sed quoniam bonos & malos oportuit quidem vocari, non autem vt mali permanerent mali: sed vt deponerent vestimenta contraria nuptiis, & induerent nuptialia indumenta, scilicet viscera misericordiae benignitatis, &c. Ideo rex egreditur vt videat discumbentes, priusquam apponatur eis prandium: vt retineat habentes nuptialia vestimenta & delecter, condemnatque contrarios. vnde sequitur: *Intrauit autem rex vt videret discumbentes*. Chry. super Matth. Non quia alicubi ipse non est: sed vbi vult per iudicium aspicere, ibi dicitur praesens: vbi autem non vult, absens videtur. Dies autem aspectionis est dies iudicij: quando visitaturus est Christianos, qui super mesam scripturarum recumbunt. Orige. Ingrediens autem inuenit quendam, qui non mutauerat proprios mores, vnde sequitur: *Et vidit ibi hominem non ve, &c.* Singulariter dicitur: quia vnus fuit generis omnes qui seruant malitiam post fidem, quam habuerant ante fidem. Greg. Quid autem debemus intelligere per nuptialem vestem, nisi charitatem? quia hanc in se dominus habuit, dum ad lociandam sibi ecclesiae nuptias veniret. Intrauit ergo ad nuptias, sed sine veste nuptiali, qui in ecclesia fidem habet, sed charitatem non habet. Aug. con. Fau. Vel sine veste nuptiali nuptias addit, qui quaerit ibi gloriam, non sponsum sed suam. Hila. Vel vestis nuptialis est gratia spiritus sancti, & candor habitus caelestis: qui bonae interrogationis confessione susceptus, vsque in caelum regni caelorum immaculatus & integer est reseruandus. Hier. Vel vestis nuptialis praeccepta sunt domini, & opera quae complentur ex lege, & euangelio, nouique hominis efficiunt vestimentum: quod qui in die iudicij inuentus fuerit sub nomine Christiano non habere, statim corripitur. vnde sequitur: *Et ait illi, Amice, quomodo, &c.* Amicus vocat, quia est inuitatus ad nuptias: quasi sit amicus per fidem. Arguit autem imprudentiae, quod veste sordida munditias polluerit nuptiales. Orige. Et quoniam qui peccat & non induit dominum Iesum Christum, non habet excusationem aliquam. ideo sequitur, *At ille obmutuit*. Hiero. In tempore enim illo non erit locus imprudentiae, nec negandi facultas: cum omnes angeli & mundus ipse testes sint peccatorum. Greg. Non autem solum reiectus est a nuptiis qui iniuriam nuptiis fecit, sed adhuc a ministris regis super vincula constitutus ligatus in cessatione, qua non est vsus ad bonum, & apprehensoria virtute qua nullum opus ad bonum impleuit: condemnatus est in loco ab omni lumine alieno, qui vocatur tenebrae exteriores. vnde sequitur, *Tunc rex dixit ministris: Ligatis mani, & pedibus, mitti eum in tenebras exteriores*. Greg. Ligantur tunc pedes & manus per distinctionem sententiae, qui modo ad prauis operibus ligari noluerunt per meliorationem vitae, vel tunc ligat poena, quos modò a bonis operibus ligauit culpa. Aug. i. i. de trinitate. Pravarum verò atque distortarum voluntatum implicatio, vinculum est quo alligatur qui hoc agit, vt proiciatur in tenebras exteriores. Greg. Interiores autem tenebras, dicimus caecitatem

tem cordis: exteriores verò tenebras, aeternam noxam damnationis. Chry. super Matth. Vel per hoc designatur differentia tormentorum in peccatoribus. Sunt enim primae tenebrae exteriores, interiores autem minores & nouissima loci. Sequitur, *Ibi erit fletus & stridor dentium*. Hier. In fletu oculorum & stridore dentium, per metaphoram membrorum corporalium magnitudinem ostenditur tormentorum. Manus quoque ligatas & pedes, fletum oculorum & stridorem dentium, ad comprobendam resurrectionem intellige veritatem. Grego. Vt illic dentes strideant, qui de edacitate gaudebant: illic oculi desinant, qui hic per illicitas concupiscentias versabatur: quatenus singula membra supplicio subiaceant, quae hic singulis quibusque vitiis subiecta seruiebant. Hiero. Et quia in conuiuio nuptiali non initium, sed finis quaeritur: subditur, *Multi enim sunt vocati, &c.* Hila. In inuitate enim sine exceptione publicae bonitatis humanitas est: in inuitate verò vel vocatis, de iudicio meritorum probitatis electio est. Grego. Nonnulli enim bona nec incipiunt, nonnulli verò in bonis quae inuoluerunt minimè persisterunt. Tanto ergo sibi vnusquisque sollicitè metuat, quanto ignorat quae restant. Chry. super Matth. Vel aliter, Quoties Deus tentat ecclesiam suam, ingreditur ad eam vt videat discumbentes: & si inuenierit aliquem non habentem vestem nuptialem, interrogat eum: vt quid factus es Christianus, si haec opera negligebas? Talis ergo Christus tradit ministris suis, id est aliquibus magistris seductionis: & ligant manus eius, id est opera: & pedes, id est motus animae: & mittunt eum in tenebras, id est in errores, vel Gentium, vel Iudaeorum, vel haeresim: propinquiores enim sunt tenebrae gentium, quia veritatem spernunt quam non audierunt: sed exteriores Iudaeorum qui audierunt, sed non crediderunt: sed magis exteriores haereticorum, qui audierunt, & didicerunt.

#### ORIGENIS PRESBYTERI IN IDEM EUANG. HOMILIA.

**H**aec quoque parabola simpliciter intellecta, videretur ostendere, quod homo rex moraliter Deus & pater domini nostri Iesu Christi dicatur. Nuptiae autem filij regis, restitutio sponsae ecclesiae ad Christum sponsum ipsius. Qui autem mittuntur serui vocare inuitatos ad nuptias, secundum tempus habentur prophetae conuertentes ex populo per suas prophetias ad laetitiam restitutionis ecclesiae ad Christum. Qui autem noluerunt venire in primis inuitati sunt qui noluerunt audire verba prophetarum. Item alij transmissi, alia congregatio prophetarum. Praeparatum autem prandium, in quo tauri, & saginatae regis occisa erant, solidae & rationabiles mysteriorum Dei esca. Sic autem & omnia apparatus, id est de omnibus quae necessaria sunt praeparati sermones: quos cum venerit quod perfectum est, qui inuitationem secuti sunt Dei manducabunt & bibent. Quoniam autem vocatorum per prophetas quidam quidem neglexerunt tantummodo quae dicebantur, secularibus occupati negotiis, non autem & malignati sunt aduersus prophetas: alij autem & malignati sunt contra eos, ideo differentiam eorum ostendere volens, dixit, *Quidam qui-*

dem negligentes abierunt, alius quidem in agrum suum, alius autem in negotiationem suam: reliqui autem tenentes seruos eius iniuriis affecerunt, & occiderunt. Adhuc autem secundum simplicem hanc traditionem ira intelligitur regis, de qua & Apostolus dicit propter Iudaeos, Praeuenit autem illos ira vsque in finem: & prophetatur aduersus Iudaeos bellum, & interitus Hierusalem, & interfectio populi post ascensionem domini facta, in eo quod ait, Mittens autem exercitum suum interfecit homicidas illos, & ciuitatem eorum succendit igni. Quod autem dicit, *Tunc dixit seruis suis, nuptiae quidem paratae sunt, inuitati autem non fuerunt digni*. Ita ergo ad exitus viarum, & quoscunque inuenieritis vocate ad nuptias: Refertur ad Apostolos Christi dicentes Iudaeis, Vobis primum missum fuerat verbum Dei: sed quoniam indignos vos iudicatis aeterna vita, ecce conuertimur ad gentes. Exitus ergo gentium sunt res gentium foris extra Israel ex quibus quoscunque inueniebant Apostoli vocabant ad nuptias. Vocabant autem obedientes tantum, non autem & curabant vtrum aliquando ante vocationem mali fuerint an boni qui vocabantur: omnes enim quos inuenire poterat vocabant. Bonos autem intelligere hic simpliciter conuenit humiliores & rectiores ex eis qui veniebant ad cultum Dei, quibus conueniebat apostolicum dictum quod ait, Cum gentes, quae legem non habent, naturaliter quae legis sunt, faciunt, huiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium eis perhibente conscientia eorum: Et impletae sunt Christi & ecclesiae nuptiae, & restituti Deo qui ab Apostolis sunt inuenti recubuerunt ad epulandum in nuptiis. Sed quoniam bonos, & malos oportuit quidem vocari, non autem vt mali permanerent mali, sed vt exuerent, & deponerent vestimenta contraria nuptiis, & induerent se nuptialia indumenta, id est viscera misericordiae, benignitatem, humilitatem, mansuetudinem, longanimitatem: haec enim sunt nuptialia indumenta: ideo rex ingreditur vt videat discumbentes priusquam apponatur prandium praeparatum eis, Tauri, & saginatae, & omnia praeparata: vt videns retineat quidem habentes nuptialia vestimenta, ad quae delectetur, condemnet autem contrarios. Ingrediens ergo inuenit quendam, qui non mutauerat proprios mores, nec induerat se nuptialia indumenta, & dixit ei, *Quomodo intraisti huc non habens nuptialia indumenta?* Et quoniam qui peccat, & renouatus non est, nec induit dominum Iesum, quasi non habens excusationem aliquam, ideo dixit, *Obmutuit*: & non solum reiectus est a nuptiis, qui iniuriam nuptiis fecit, sed adhuc a ministris regis super vincula constitutus ligatis pedibus, id est in cessatione, qua non est vsus ad bonum, & manibus, id est, apprehensoria virtute, qua nullum bonum opus impleuit, condemnatus est in loco ab omni lumine alieno, & quantum ad omnes tenebras pressioribus tenebris, quae vocantur tenebrae exteriores. Sed & si quis nostrum ad inuitationem quidem regis veniens ad nuptias filij eius, non autem & indutus fuerit, qualia praediximus nuptialia vestimenta, similia patietur, ligatus manus, & pedes expelletur in tenebras exteriores, vbi erit fletus, secundum quod scriptum est, *Vae, qui nunc ridetis, quoniam flebitis*. Et vt ostendat sermo tristitias, & do



& dolores eorum, in quibus erunt, qui vestiti non fuerint nuptialibus vestimentis, ideo dixit, Illic erit non solum fletus, sed etiam dentium stridor. Hæc ergo secundum simplicem traditionem sunt dicta: tentemus autem repetentes scrutari subtilius. Regnum ergo cælorum simile est secundum eum quidem, qui regnat, homini regi: secundum eum autem, qui conregnat, filio regis: secundum ea vero, quæ sunt in regno regis, assimilatum est feruis, & inuitatis ad nuptias, quorum quidam quidem nolentes venire neglexerunt propter occupationes sæculi huius; alij autem iniuriis affecterunt seruos, & occiderunt. Adhuc autem ex eis, qui regnabantur fuit etiam ille exercitus regis: & qui ab exitibus variè congregantur boni & mali, donec implerentur ex recumbentibus nuptiæ: & qui inter discumbentes non habuit vestimentum nuptiale: & ministri qui iussi sunt pedibus, & manibus alligatum mittere in tenebras exteriores. Poterat quidem dicere, simile est regnum cælorum regi, sine additamento hominis: sed quod additum est etiam homini, necessarium est exponere etiam hoc. Er ante me alius quidam interpretatus est sicut & mihi videtur. Fecit enim libros de legibus sanctis, & protulit sermonem ubi Deus secundum passibilem naturam hominum vertitur: & primum quidem dixit, ubi secundum passibilem naturam vertitur dispensans homines, secundum quod dictum est, Morigeravit te dominus Deus tuus, quemadmodum si pater morigeret filium suum. Deinde protulit ubi non est Deus quemadmodum homo, secundum quod dictum est, Non sicut homo Deus noster. Nos autem multam abundantiam exemplorū habentes de evangelicis, in quibus Deus pater assimilatur homini, exponimus parabolas nominantes quasi hominem Deum, & dicimus ad quosdam hæreticos, qui non intelligentes, quæ hoc modo dicuntur in scripturis veteribus, peccant in Deū legis, & prophetarū totius creationis. Quasi dicat si homini assimilatur Deus secundum parabolas euangelij, secundum consequentiam parabolarum istarum suscipere cōuenit & iram eius, & furorem, & peccitentiam, & auersionem vultus, & sessionem, & stationem, & incessionem, & somnum, quæ omnia de Deo scripta sunt in prophetis, & ab exitu ostenduntur, quia nec veteris testamenti scripturas intelligunt. Nam si nihil Deus habet in se quod videtur humanum, dicant vtrum iste Deus qui secundum parabolas euangelij & homo dicitur, & iratus proponitur, secundum humanam naturam ipse est pater Christi, aut alius præter eum? & necesse habent, aut alium aliquem dicere patrem Christi extra hunc quæ parabola & patrem Christi appellant, & similem eum humanæ naturæ proponunt: aut si dixerint hunc ipsum esse patrem domini nostri Iesu Christi, cogēdi sunt confiteri, quoniam multa in eo secundum passibilem naturam hominum esse dicuntur, non quia ipse passibilis est, sed quia morigerat passibilem naturam hominum. Quamdiu ergo homines sumus, & non expediunt nobis diuinæ bonitates Dei, & multitudo miserationum eius abscondita apud eum, vt ne noceamur videntes eam necesse est vt simile sit regnum Dei homini regi, vt hominibus quasi homo apud homines loquatur, & dispenser homines non capientes dispensari à Deo, qui omnino quidem Deus est, & in eo quodd loquitur per

prophetas, & in eo quodd dispensat homines, & tunc cessabit regnum cælorum simile esse homini cum cessante zelo, & cōtentione, & reliduis passionibus & peccatis, cessauerimus secundum hominem ambulare, & digni facti fuerimus audire à Deo. Ego dixi, dij estis, & filij excelsi omnes: iam non agentes talia propter quæ dicitur ad nos, Vos autem sicut homines moriemini. Ego autem arbitror, quoniam non solum homini regi simile fieri regnum cælorum cessabit, sed & alia multa, quibus opus habet homo peccator, vt puta dicitur in Osee, Ego autem sum sicut panthera, & sicut leo domui Iudæ, & in alio loco, Et obuiabo eis sicut vrsus turbatus. Cessabit ergo aliquando esse sicut panthera, & sicut leo, & vrsus turbatus, cum desinentes talia facere iam non opus habuerint homines Deo sicut panthera, & sicut leone, & vrsu turbato, nec ipse habeat eos tales qui talem necessarium habent: tunc manifestabit se sicut est. Ego autem sic intelligo quod ait, Deus noster ignis consumens est, consumens ea. Cum autem consumpta fuerint ab igne consumens ea, quæ consueta sunt consumi ab eo: tunc iam non erit Deus noster ignis consumens, sed lumen, sicut dicit Ioannes, Deus lumen est. Quoniam autem nouimus hæc, vide si potes etiam secundum hunc intelligere modum ex Ioannis epistola catholica sic habente, Charissime, nunc filij Dei sumus, sed nondum apparuit, quid erimus. Scimus autem, quoniam, si apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est. Nunc quidem & si digni fuerimus, Deum videre mente, & corde, videamus eum non quemadmodum est, sed quemadmodum propter nostram dispensationem factus fuerit nobis. In fine autem rerum, & restitutionis omnium quæcunque locutus est per os prophetarum à seculo, videbimus eum non sicut modo, quod non est: sed quemadmodum tunc decuerit, secundum quod est. Quoniam autem semel diximus hæc in eo quod ait, *Simile est regnum cælorum homini regi*: possumus inuenire & causas, propter quas sæpe saluator filium se hominis nominat, ostendens quoniam sicut Deus homines dispensans quasi in parabolis dicitur homo: forsitan sic & saluator principaliter quidē filius Dei existens, & Deus, & filius charitatis eius, & imago Dei inuisibilis: non autem manens in eo quod est principaliter, efficitur secundum dispensationem filius hominis eius qui in parabolis dicitur homo secundum similitudinem hominis, cum ceperit homines dispensare. Sed eius qui in parabolis dicitur, & sit quasi homo, non debemus querere quis homo, vt illius dicamus esse filium saluatore, sed stantes in sensu Dei, & parabolarum dicentium ipsum esse hominem, sapienter audiamus eum dicentem se filium hominis. Apud nos ergo homines, simile est regnum cælorum homini regi: apud eos autem, qui secundum scripturas dij vocantur, quorum in synagoga stetit Deus in medios deos discernens, regnum cælorum simile est regi Deo. Quæres autem si quemadmodum in hominibus, qui sunt inferiores quantum ad suam naturam & angelis, & sedibus, & dominationibus, & principatibus, & potestatibus, simile fecit regnum cælorum homini regi: sic in sedibus simile est regnum cælorum sedi regis, dominationibus autem dominationi regis, principatibus autem principatui regis, potestatibus potestati regis.

gis. Dicit enim aliquis, Quæ discretionis est ratio, vt hominibus quidem assimilaretur regnum cælorum homini regi: superioribus autem non similiter fiat? Iste igitur qui assimilatus est homini regi faciens nuptias filio, misit seruos suos vocare inuitatos ad nuptias. Et considera si quemadmodum in corporalibus alia est, quæ nubit sponsa, alij autem inuitatores, alij autem, qui inuitantur ad nuptias: sic & in rebus mysticalibus quidam quidem sunt, qui accipiuntur in constitutionem sponsæ, alij autem in ordine transmissorum seruatorum inuitatos vocare, tertij autem præter istos, qui vocantur ad nuptias. Deus autem scit diuersos ordines istos animarum, earumque virtutes, & causas, ob quas hi quidem in cōstitutionem sponsæ accipiuntur, alij autem in ordine seruatorum ministrantium vocationi huiusmodi, & alij in numero inuitatorum ad nuptias. In spiritualibus autem nuptiis communicationem sponsæ ad sponsam, id est Christi ad animam, verbi susceptionem intellige. Partus autem, opera bona animæ nuptiæ, quæ non corrumpitur à verbo sponsæ, sed quotidie per communicationem eius, incorruptibilem cōsequitur, & generat qualia decet ex talibus nuptiis rationabilia generamina. Et in talibus nuptiis intellige prandium, quod paratur, esse eloquium Dei, vt fortia quæq; eloquiorum Dei, tauri intelligantur: suauia autem & delectabilia eorum sint saginata. Veritatem autem diuersam omnium eloquiorum Dei diuersitatem intellige. Quod ait omnia præparata: Rex enim in abundantia regali digna regno, & diuitiis suis existens, prandia facit. Puto autem ingenuarum aliquarum animarum & Israeliticarum primam hanc fuisse vocationem ad nuptias. Principaliter enim vult Deus venire ad epulationem istam beatam eos, qui ad intelligendum sunt ingeniosiores: & est videre plerumque, quoniam qui huiusmodi sunt, nolunt ad istam vocationem venire, & ideo transmittuntur alij serui prouocantes eos, qui venire nolebant, & promittentes si venerint inuitati, percipient à rege prandium præparatum, carnes taurorum, quæ inter munda omnibus mundiora habentur: manducabunt etiam saginata, id ad vnamquamque propositionem, exempla multa rationis probatione repleta & bene diuisa: quæ moraliter intelliguntur occisa, quæ in vnaquaque propositione afferunt multam ostensionem. Vt puta (argumenti gratia dico) si quis aduersus aliquam propositionem proferat quædam dicta modica, & infirma, & non magnam virtutem rationis habentia, nonne videntur tibi tenuia esse, & exilia, & macra, quæ proferuntur, & vt ita dicam, sicca, & sine carnibus verba: Sed non sunt talia, quæ præparata sunt in conuiuio regis, in quo dicit, *Tauri mei, & saginata occisa, & omnia parata*. Vt puta (manifestandi intellectus gratia dicam) loquitur aliquis Apostolorum de castitate sermonem, sermo ille recte intelligitur turtur. Sed eum ipsum castitatis sermonem cum multa rationis probatione de scripturis repletum protulerit, ita vt deleat animam audientis pariter, & confirmet, protulit eum saginatum. Si de charitate locutus fuerit, protulit columbam. Et sic in omnibus eloquiis Dei intellige quid est exile, & quid saginatum. Sed qui principaliter quidem fuerant inuitati, primos inuitatores quasi pauperes sensu neglexerunt, & egenos

sermone, & abierunt sua sequentes, & magis sunt delectari in illis, quam in his, quæ per seruos suos rex promittebat: & vnus quidem eorum habens proprium quendam agrum non venit ad nuptias: alius autem negotiatione exequens, imitari quodammodo volens illum negotiatorem margaritarum, & quærentem margaritas bonas, qui cum inuenisset preciosissimam margaritam, vendidit omnes, vt emeret vnam. Sed non bona negotiatio ista, ad quam vadens qui fuerat inuitatus, non percepit prandium, quod à rege fuerat præparatum. Qui ergo ex intelligentibus inuitatis non veniunt quidem, non autem & seruos ad vocandum transmissos iniuria afficiunt, nec interficiunt, leniores sunt illis, qui autē sunt talia. Et requiescunt quidam quidem in agro proprio, alij autem in sua negotiatione, reliqui autem iam extra eos. Videmus qui sunt. Puto quodd hi sunt, qui ceciderunt in præparatione contentiosorum & astutorum verborum, in quibus tenuerunt, aut visi sunt tenuisse seruos transmissos, qui non fuerunt præparati ad soluendas eorum quæstiones versutas, & contumelias affecterunt ministros vocationis. Et est videre quotidie, quomodo inuitatos Dei simplices, & non valde astuti secundum carnem, cum diuina sapientiā sua volunt illos tales docere, sed iniurias patiuntur ab eis qui intelligunt quidem, non autem volunt credere veritati. Alij autem & interficiuntur ab eis, quibus rex iratus dicitur, quoniam præuenit super eos ira vsque in finem. Et iratus rex misit exercitum suum, siue multitudinem cælestis militiæ, siue eos angelos, qui positi sunt super pœnas, & interficiunt interfectores ministrorum verbi, & omnem ciuitatem eorum succendant. Puto ciuitas impiorum est secundum vnum quodque dogma, congregatio eorum, qui conueniunt in sapientia principum huius seculi. Hanc succendit rex, & exterminat, quasi ex malis ædificationibus consistentem. Et, si quando videris exterminationem siue alicuius falsi nominis scientiæ, siue quorumlibet verborum proficientium veritatem destructionem validam, non pigeat te dicere, hoc factum esse à militibus Dei, qui succendere solent ciuitates inimicorum veritatis Dei. Successa est ergo & ciuitas doctrinæ Iudaicæ post Christi aduentum: qua successa, dixit rex seruis suis, id est Apostolis, aut angelis Dei, qui præpositi erant super vocationem gentium, dicens, *Nuptia quidem parata sunt, inuitati autem non fuerunt digni. Ite ergo ad exitus viarum, & quanto scunquē inueneritis, vocate ad nuptias*. Et est videre ex omni via imperitorum dogmarum quæ fuerunt secundum gentium mores, & ciuitatum, & villarum, vocatos ad nuptias. Et ingredienti serui, siue de Iudæa, & Hierusalem Apostoli Christi, siue ab interioribus finibus, in quibus fuerant angeli sancti, & venientes ad vias diuersas diuersorum morum, congregauerunt & congregabunt quoscunq; inuenerint: malos quidem vt deponētes malitiam, quod est extraneum à nuptiis vestimentum, & induentes se opera bona, quæ sunt nuptialia vestimenta, impleant conuiuium nuptiale recumbentes & requiescentes in fide. Cum autem impletæ fuerint nuptiæ: ex requiescentibus in fide, & cultura Dei, tunc ingreditur rex ad videndum & iudicandum de discumbentium qualitate, vt eum quidem, qui vestem non habuerit nuptialem arguens damnet, reli-

quis autem prandium præparatū apponat. *Vidit autem unum non habentem nuptialem vestem*, id est quia vnus sunt generis omnes, qui seruant malitiam post fidem, quam habuerant ante fidem, & non deponunt eam, arguit eos quasi qui malefecerint, eo quod ausi sunt in huiusmodi nuptias introire, non recipientes digna nuptiis indumenta, id est virtutum clarā vestem, de qua etiam Salomon in Ecclesiaste præcipit dicens, In omni tempore sint vestimenta tua candida. Obmutuit autem, qui ausus fuerat in huiusmodi nuptias introire sine vestimento decenti, & sic condemnatur ab eo, qui dixit ministris suis, videlicet præter exercitum illum, qui erat desursum, vt aligantes eum manus, & pedes, quibus non sicut debuerat vsus est. (Nec enim ad bonum cucurrerat aliquādo, nec aliquos bonos impleuerat actus) eijciant eum non solum de conuiuio nuptiali, sed etiā in tenebras exteriores, & omni lumine alienas mittant, vt sitiens lumen cum fuerit in tenebris exterioribus pleret ad eum qui potens est ei misereri, & eripere inde: & dentibus strideat, qui quoniam acerba manducauerant, malitia stupidi erant effecti. Vna enim acerba intelligitur malitia eius qui non obliuiscitur posteriora, nec appetit priora, sed permanet in id ipsum, cum deberet ad maturitatem proficere dulcem, & offerre virtutis alicuius manducabilem horionem. Et addit. *Multi vocati, pauci vero electi.* Et si quis considerat multitudinem hominum quæ in ecclesiis congregatur, & discusserit quanti sunt qui conuersantur disciplinate, & reformantur nouitate sensus sui, quanti autem negligentissime conuersantes configurantur seculo huic, videbit quod verus est sermo domini dicens, *Multi vocati, pauci autem electi.*

**S. HILARI PICTA-  
uiensis Episcopi superioris Euang.  
expositio.**

*Simile est regnum cælorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo: & misit seruos suos vocare inuitatos ad nuptias, &c.* Et hæc quidē parabola distinguenda temporibus est, & dignoscenda personis est. De persona regis & filij, absoluta intelligētia est. Fecisse autem patrem nuptias filij, & sic inuitasse, noua ratio est. Nam nuptias facere, & autoris & temporis est nuptiarum. Verū hic nuptiæ, vitæ cælestis & in resurrectione suscipiendæ æternæ gloriæ sacramētum est. Meritō igitur à patre sunt factæ: quia æternitatis huius societas, & noui corporis desponsata coniunctio, perfecta iam habebatur in Christo. Et in hoc quidem loco, admonemur ita vt & in superiore, vbi de repudij conditione tractatum est, diligenter quæ de ratione resurrectionis significata sunt cōtueri: & id quod sub persona Adæ ad Euam dictum est, quia sacramentum magnum sit, ne incuriosè relinquantur, Qui autem admonentur, vt veniant inuitati, antea populus Israël est: in gloriam enim æternitatis per legem est aduocatus. Serui missi qui inuitatos vocarent, apostoli sunt: eorum enim erat proprium, commonefacere eos quos innitauerāt propheta. Qui verò iterum eum: præceptorum conditione mittuntur: apostolici sunt viri, successores apostolorum. Tauri autem, saginati, gloriofa martyrum species est: qui confessione Dei tanquam hostia electa sint immolari. Saginata verò,

sunt homines spirituales: tanquam cælesti pane ad euolandum aues paratæ, cæteros accepti cibi vbertate expleturæ. His enim omnibus iam paratis, & in numerum complacitæ Deo multitudinis regni cælestis gloria tanquam nuptiæ nunciatur. Sed eorum quoque admonitionem ita neglexerunt, vt aliqui eorum ambitione seculi tanquam in agro occuparetur: plures verò ob pecuniæ cupiditatem negotiatione detinerentur: cæteri autem missos seruos, quod in ipsis Apostolis expletum est, affectos iniuriis occiderunt. Sed tam immanis facti scelus, vltio digna consequitur. Missi exercitus cælestes omnem eorū congregationem iudicio Dei vrēt, & flammis æterni ignis succendent: quia contra humanitatis affectum homicidarum odiis sæuerunt. Quoniam verò de iudicij tempore & resurrectionis ista loqueretur: sermonem eundem ad congregationem gentium retulit. Indignis enim repertis his qui primi inuitati fuerāt, iubet iri ad exitus viarum: dono enim gratiæ vitæ anterioris crimina remittuntur. Nam grauisissime viam seculi intelligēdam monuimus. Atque ideo ad exitus viarum iubentur ire, quia omnibus retroacta donantur. Vocari deinde omnes sine aliqua exceptione ad nuptias iubet: & mali simul cum bonis veniūt. Vocatio quidem bonos efficere debuerat, quia sancta est, & ex optimo affectu inuitatis profecta est: sed per vitium inemendatæ voluntatis, discrimen est vocatorum. Et quia in fallendis hominibus plurimum artis solet habere simulatio, quæ si nos vel secreto mentis alienæ vel simplicitate iudicij nostri fefellerit, tamen Deum latere non possit: ideo ingressus Deus felicitis resurrectionis istius cœtum, & hominem accumbentem sine nuptiali veste conspiciens, interrogat quomodo sit ingressus. Nunquid inuitandorum habitum designauerat? Deinde cum inuitati quosque iussisset, quomodo vnus omnibus poterat esse vestitus? Aut si certus ex consuetudine conuiuātium in nuptiis habitus soleret esse ab inuitantibus ac ministris potuisset inhiberi. Sed quia malos intelligere non omnium est, & humana simplicitas difficile fraudulentiam simulatæ mētis intelligit: idcirco hunc malum & indignum cœtu nuptiali Deus solus inuenit. Vestitus autem nuptialis est gloria Spiritus sancti, & candor habitus cælestis: qui bonæ interrogationis confessione susceptus, vsque in cœtum regni cælorum immaculatus & integer reseruat. Hic itaque tollitur, & in exteriores tenebras mittitur: quia multi vocati sunt, & pauci electi. Non est igitur paucitas in inuitatis, sed raritas in electis: quia in inuitante sine exceptione publicæ bonitatis humanitas est, in inuitatis verò de iudicij merito probitatis electio est.

**S. HIERONYMI PRES-  
byteri in idem Euang. expositio.**

*Et respondens Iesus, dixit in parabolis eis, dicens: Simile factum est regnum cælorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo.* Pharisei intelligentes de se dici parabolas, quæ rebant eum tenere & occidere. Hæc eorum sciens dominus voluntatem, nihilominus inrepat. Sæuientes: nec timore superatur, quo minus arguat peccatores. Rex iste qui fecit nuptias filio suo, Deus omnipotens est. Facit autem

autem nuptias domino nostro Iesu Christo & ecclesiæ: quæ tam ex Iudeis quam ex gentibus congregata est. *Et misit seruos suos vocare inuitatos ad nuptias: & nolabant venire.* Haud dubium quin Moyses per quem legem inuitatis dedit. Si autem seruos legerimus, vt pleraque habent exemplaria: ad prophetas referendum est, quod inuitati per eos venire contempserint. *Iterum misit alios seruos, dicens: Dicite inuitatis, ecce prandium meum paratum, &c.* Serui qui secundo missi sunt, melius est vt prophetæ intelligantur quam apostoli: ira tamen si supra, seruum, scriptum fuerit. Sin autem seruos, ibidem legas: hic secundi serui, apostoli intelligendi sunt. Prandium paratum, & tauri & altilia occisa: vel per metaphoram opes regis describuntur vt ex carnalibus intelligatur spiritualia: vel certe dogmatum magnitudo & doctrina Dei lege plenissima sentiri potest. *Et abierunt, alius in villam suam, alius vero ad negotiationem suam.* Reliqui vero tenuerunt seruos eius, &c. Inter eos qui non recipiunt euangelij veritatem, multa diuersitas est. Minoris enim criminis sunt qui occupati aliis rebus venire noluerunt, his qui cōtempso inuitantis affectu, verterūt humanitatē in cru delitatem, & tantos seruos regis, vel contumeliosis affecerunt, vel occiderunt. In hac parabola sponsi siletur officio: & per seruorum mortes, contemptus ostenditur nuptiarum. *Rex autem cum audisset, iratus est.* De quo dictum supra fuerat: Simile factum est regnum cælorum homini regi: quando inuitabat ad nuptias, & agebat opera clementiæ: hominis nomen appositum est: nunc quādo ad vltionem venit: homo siletur, & rex tantum dicitur. *Et misit exercitibus suis, perdidit homicidas illos, &c.* Exercitus seu vtiores, angelos: de quibus in psalmis scribitur: Immissiones per angelos pessimos, seu Romanos intelligamus sub duce Vespasiano & Tito: qui occisis Iudææ populis, præuaticatricē succenderint ciuitatem. *Tunc ait seruis suis: Nuptiæ quidem paratæ sunt: sed qui inuitati erāt, non fuerunt digni.* Ite ergo ad exitus viarum, &c. Gentiliū populus non erat in viis, sed in exitibus viarū. Queritur autem quomodo in his qui foris erant inter malos, & boni aliqui sint reperti: Hunc locum plenius tractat Apostolus ad Romanos: quod gentes naturaliter facientes ea quæ legis sunt condemnēt Iudæos, qui scriptam legem non fecerint. Inter ipsos quoque ethnicos est diuersitas infinita: cum sciamus alios esse procliuēs ad vitia & ructes ad mala: alios ob honestatem morum virtutibus deditos. *Intrauit autem rex, vt videret discumbentes, & vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali, &c.* Hi qui inuitati fuerant ad nuptias, de sepibus & angulis & plateis & diuersis locis, cenam regis impleuerant. Sed postea cū venisset rex vt videret discumbentes in conuiuio suo: hoc est, in sua quasi fide requiescentes: vt in die iudicij visitaret conuiuias, & discerneret merita singulorum: inuenit vnum qui veste indutus non erat nuptiali. Vnus iste, omnes qui sociati sunt malicia intelliguntur. Vestis autem nuptialis, præcepta sunt domini, & opera quæ complentur ex lege & euangelio, nouiq; hominis efficiunt vestimentum. Si quis igitur in tempore iudicij inuentus fuerit sub nomine Christiano non habere vestem nuptialem: hoc est, vestem super cælestis hominis, sed vestē pollutam, id est, veteris hominis exuias: hic statim corripitur, & dicitur ei: Amice quomodo huc in-

trasti? Amicum vocat quod inuitatus ad nuptias est: arguit impudentiæ quod veste sordida, mundiciæ polluerit nuptiales. At ille obmutuit. In tempore enim illo non erit locus penitentiae, nec negandi facultas, cum omnes angeli & mundus ipse testis sit peccatorum. *Tunc dixit rex ministris: Ligatis pedibus & manibus eius mitte eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus & stridor dentium.* Manus ligatas & pedes, fletumque oculoium & stridorem dentium, vel ad comprobendam resurrectionis intellige veritatem. Vel certe ideo ligatur manus & pedes: vt male operari, & currere desistat ad effundendum sanguinem. In fletu quoque oculoium & stridore dentium per metaphoram membrorum corporaliū, magnitudo ostenditur tormentorum. *Multi autem sunt vocati, pauci vero electi.* Omnes parabolas breui sententiā comprehendit: quod & in opere vineæ, & in adificatione domus, & in conuiuio nuptiali: non inuitati, sed finis quæ ratur.

**S. I. O. CHRYSOSTOMI  
Episcopi Constantinop. in idem  
Euang. Homilia.**

*Et respondens Iesus dixit in parabolis: Simile est regnum cælorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo, &c.* Perpendis tam ex hac, quā ex superiore parabola, quātum interest inter seruos, & filium. Animaduertis magnam vtriusque parabolæ similitudinem, differentiam quoque non parua. Nam etiam hæc longanimitatem, prouidentiam, curāque Dei erga Iudæos summā, & eorum in Deum ingratitudinem significat, electionē quoque ipsorum, & vocationem gentium similiter. Verū ad hæc omnia quanta viuendi disciplina vti debeamus, quāque acerba pœna negligentes expectet, in hac denotatur. Quare post illam hæc rectissime posita est: quoniam enim ibi dictum est: alij dabitur genti, quæ reddet fructus in tempore suo, hic, cui genti dabitur, declarat, neque id solum, sed ineffabilem erga Iudæos curam ostendit. Nam, quum ibi ante crucem solum vocare ipsos videatur, hic etiam post mortem in vocando perseuerat. Ita, quando grauissima eos supplicia luere oportebat, tūc ad nuptias trahit, & summo paratus est honore afficere. Vide autem quomodo etiam ibi, quemadmodum tunc, posteaquā non modò non susceperunt eum, sed etiam iugulauerunt, tunc alii vinea præberit: eodem nunc pacto, postquam venire ad nuptias noluerunt, alij vocantur. Quid igitur dementius inuenitur, quā, quū in nuptias voceris, resiliere? Quis enim in nuptias venire non optaret, & eas regis quas amantissimo filio facit? Et cuius rei gratia nuptiæ appellatæ sunt, inquires? Vt & Dei erga nos præcipuam curam, charitatēque cognoscas, & rerum splendorem non ignores, vbi nihil triste, nihil luctuosum, sed omnia spiritalis gaudij plena sunt: hac ratione Ioannes sponsum appellat: hac ratione Paulus quoque dicit; Vni ergo vos viro adoptati, & rursus; Magnum hoc est mysterium: ego autem dico in Christo, & in ecclesia. Cur autem non ipsi adoptari sponsa dicitur, sed filio? Quia filio adoptata, patri adoptatur. Nā propter identitatem substantiæ nulla apud scripturam differentia est, siue hoc, siue illo modo dixeris. Accedat. *Bibl. Hom. tom. 3. Eee 2 dit,*

Hom. 70. in Matth.

Ioan. 3.

Apoc. 18. 2. Cor. 11. Ephes. 5.

dit, quod resurrectio quoque in hac aperte significatur. Nam quoniam in superioribus de morte dictum est, post mortem modo nuptias, & sponsum videmus. Illi vero nec sic quidem mitiores sunt, quia se nihil certe crudelius, tertia enim hec culpa est, prima quidem prophetarum, altera filij cades fuerat: hac tertia est, quia, interfecto filio, quum iam in nuptias eius ab eo ipso inuitaretur, non eundi causas, paria bonum, agris & vxores confingunt. Nam, quamvis ratione habere quandam haec occasiones videantur, hinc tamen discimus; nihil adeo necessarium esse posse, vt spiritualia illud non antecedant: inuitauit autem non nuptias, sed ante multa secula. *Dicite* namque, inquit, *inuitatis*; quod profecto crimen eorum auget. A quibus igitur antea vocati fuerant? A prophetis certe olim, & a Ioanne, qui omnes ad Christum inuitabat, dicens; Oportere Christum crescere, se vero minui: postremo per ipsum etiam filium; Venite, namque, ait, omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego vos requiescere faciam, & rursus; Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Non verbis autem solum, verum etiam rebus vocauit, & post assumptionem per Petrum, & Petri socios. Qui enim operatus est Petro, inquit, Apostolus, in apostolatum circumcissionis, operatus est & mihi in gentes. Nam is, quoniam filium necauerunt, per seruos rursus eos vocat. Ad quid porro inuitat? an ad labores, afflictiones, sudores? Nequaquam imò verò ad delicias, *Tauri enim mei, ait, & saginata occisa sunt.* Vide quam magnificè dapes proponuntur, neque id eos conuertit: sed, quanto melior est ipse, tanto magis illi durefcunt. Non enim impediti negotiis, sed negligentes non venerunt. Cùm autem alius se nuptiis, alius bobus excusat, nõne occupationes, ac negotia ista sunt? Minimè. Cùm enim spiritualia vocant, nulla occupationis excusatio est, quanuis his occupationibus desideria obducere sua mihi videantur: nec grauitate solum peccarunt, cùm inuitati non venerunt, sed atrociter, atque tyrannicè inuitantes seruos, & vituperauerunt, & necauerunt: quod multò superioribus grauius est. Illi enim fructus reperentes, hi vero in nuptias vocantes trucidant: quo furore quid maius excogitari posset? Hoc & Paulus criminatur, dicens; Qui & dominum, & suos prophetas interfecerunt, & nos persecuti sunt. Sed, ne Deum aduersariũ dicere possint, ac ideo in nuptias eius non venisse, pater ipse inuitauit. Quid autè factum est, posteaquam venire superfederunt, & inuitantes seruos interfecerunt? *Exercitibus missis, vrbes eorum incendit, & eos interemit:* hac autem dicens, Vespasiani, & Titi facta multò ante significat: ita Christo non credentes, patrem etiam exacerbauerunt: ipse namque est, qui eos puniuit. Nec; interfecto Christo statim, sed post quadraginta annos eos perdidit, vt longanimitate eius omnes videret. Tunc enim demum perierunt, cùm Stephanum lapidauerunt, Iacobum obruncauerunt, apostolos denique ceteros contempserunt. Vidisti virtutem, celeritatemque rerum? adhuc enim Euangelista Ioanne viuentem, alisque compluribus, qui cum Christo iuxerunt, ita ipsius euentus prædictorum testes facti sunt illi, qui audierunt. Considera igitur ineffabilem eius erga Iudæos curam: vineam plantauit, maceriem circumposuit, seruos ad exigendos miserat fructus, quibus interfectis, rursus,

Ioan. 3.  
Ioan. 7.

Act. 7.

alios misit: his quoque peremptis, filius ad ipsos venit, quo crudeliter trucidato, ab eo ipso postea in nuptias vocati, venire noluerunt. Alios deinde misit seruos, quibus similiter necatis, tunc eadem quia incurabili morbo laborabant, eos disperfit. Res autem ipsæ incurabilem eorum fuisse morbum ostendunt. Nam ad ea, quæ dicta sunt, corruerunt ipsi reuertentibus, & publicani crediderunt: quare non solum a selestissimo suo, verum etiam ab aliorum clarissimo facinore condempnantur. Si autem quisquam opponat, non fuisse tunc gentes vocatas, cùm apostoli verberibus cæsi, pulsati, ac nonnulli occisi fuerunt, sed illicò post resurrectionem. Eunt enim, inquit, docete omnes gentes: illud profecto docere possumus, quia: & ante crucem, & post crucem ad Iudæos primum misit. Ante crucem enim ad oues ire iussit, quæ perierunt domus Israël: post crucem autem non modò non uenit, verum etiam iussit veritatem Iudæis attestari. Nã, & si omnes gentes docendas dixerit, in cælum tamen ascensurus, primum illis prædicandum esse significauit. Accipietis enim virtutem, ait, spiritu sancto super vos adueniente, & eritis mihi testes in Iudæa, & in Hierusalem, & vsq; ad extrema terræ: & Paulus rursus; Qui operatus est Petro in Apostolorum circumcissionis, is & mihi in gentes operatus est. Propterea & Apostoli Iudæis primò prædicauerunt, longoque temporis spatio cæsi, & flagellati in Iudæa manentes, ac demum ab ipsis propulsi, in gentes profecti sunt. Tu verò munificentia hic quoque confidera. *Quoscumque enim, ait, inuenietis, inuitate ad nuptias.* Nam antea quidem, vt diximus, Iudæis, & gentibus prædicabant, in Iudæa maximè permanentes: verum quia perseuerare in inuidiis Iudæi comperti sunt, audi quomodo Paulus hanc parabolam exponit; Vobis erat necesse, inquit, verbum Dei primum prædicari: sed quia indignos vos ipsos iudicatis, ecce conuertimur ad gentes. *Paratæ quidem, ait, ipse nuptiæ sunt vocati verò digni non erant.* Non ignorabat autem indignos illos etiam postea fore. Sed, ne vlla respondendi occasio relinquatur, licet id sciret, ad ipsos tamen primò, & venit, & misit. Ita & illorum ora obstruit & nos docet cuncta à nobis ipsis esse explenda, etiam si nemo quicquam emolumenti consequatur. *Quia ergo illi digni non erant, ite,* inquit, *ad compita viarum, ac triuias, &c.* Itaque crebrò dicebat, quia meretrices, & publicani cælos hereditabunt, si entque primi vltimi, & vltimi primi: id iuste fieri demonstrat: hoc quippe maximè omnium Iudæos vexabat, grauius incommoda sua ferentis, quam ipsius vrbs ruinam, multoque magis illos mordebat, quia gentes introduci iam audiebant. Deinde, ne fideles sola se fide saluari posse confidant, de pœna malorum differit. Ita infideles ad fidem, fideles verò ad rectè viuendum cohortatur. Indumentum enim viuents actio est. Verum, quum per gratiam vocati simus, quam ob rem hæc ita minutim disputat? Quia videlicet vocatio, & purgatio ipsa ex gratia sunt, vt verò vocatus iam, & candida indutus veste seipsum non maculet, ad diligentiam quoque pertinet vocatorum. Nam, si non, quia dignus, sed quia gratia tibi largita est, vocatus venisti, oportebat te vicissim pro gratia non nihil reddere, & non tantam nequitiam, ac ingratiuidinem post acceptum honorem ostendere. Sed non ita magna vt Iudæis, in quies

Act. 11.

Galat. 2.

Act. 17.

Nam sola fide saluat.

Vides non solum gratiam operari ad salutem vocatorum, sed iustitiam quoque diligentiam.

quies, mihi concessa sunt: imò verò multò maiora. Nam quæ longo tempore illis parabantur, ea tibi, quamuis indignus esses, vno temporis momento vniuersa largita sunt: ideo Paulus scribit; Gêtes autem pro misericordia glorificare Deum. Tu enim, quæ illi expectabât, accepisti, propterea magna negligentibus imminet pœna: nam, sicut illi, quia non venerunt, contempsisse rectè dicuntur, pariter tu, si perperam viuendo recumbere audebis, nequitia accusaberis crimine. Ingredi namque cum fordibus vestibus significat, cum vitia impura hinc abire: quocirca obmutuisse scribitur. Vides quomodo, quanquam res ita pateat, non prius tamen supplicia inferat, quam ille, qui peccauit, sententiam protulerit? Quum enim nihil ad satisfaciendum afferat, à seipso condemnatus, ad pœnam rapitur ad eam atrocem, vt dici non possit. Noli enim, tenebras audiens, hoc solo illum puniri aestimare, vt in loco tenebroso concludatur, præsertim quum subiciatur. *Vbi est stertus, & stridor dentium.* Intolerabiles quippe dolores his verbis significantur. Audiatis qui mysteriorum participes facti, & ad nuptias admissi, sordidum animæ amictum gestatis. Audiatis vnde vocati estis, à triuiis videlicet, atque compitis. Audiatis quales antea fuistis, claudi profecto, & cæci animo, qui morbus vitio corporis multò detestabilior est. Vereamini benignitatem vocantis, nemo in sordidie vestitus permaneat, sed vniuscuique fulgentia operetur animæ indumenta. Audiatis mulieres, audiatis viri, quia non est opus vobis his aureis, sed illis interioribus ornamentis: scitote quomodo, quousque ista retineamus, difficillimum est illis vt. Non enim possumus & corpus, & animam simul exornare, nõ possumus, inquam & mammonæ seruire, & Christo, vt oportet parere. Repellamus igitur truculentissimam istam tyrannidem. Nam, si quis aureis domum tuam velit tapetis ornare, te verò nudum in ciliciis sedere cogeret, non æquo animo id ferre posses: nõc verò non alius, sed tu ipse domicilium animæ tuæ (corpus dico) auto, & gemmis exornas: animam verò in turpitudine cilicij sedentem negligis. Ignoras forsitan ciuitatis principem magnificè ornari oportere, propterea ciuitati quidem tentoria ex lino, principi autem purpura, & diadema contexta sunt. Pariter ergo etiam tu viliora corpori tribue, mentem verò, atque animam stragula, atque corona magnificè polias, & in sublimi folio, atque splendido sedere permittit: tu autem è contrario penitus facis. Nam vrbe magnificè compta, animum, qui regnare debet à passionibus victum trahi permittis: nec in mentè tibi venit non ad nuptias simpliciter, sed ad Dei nuptias te vocatum fuisse. Non cogitas quomodo in hos inuitatam animam thalamos ingredi oporteat, in deaurato vestitu varietate circumdatam? Vis vt tibi eos ostendam, qui condignas his nuptiis vestes amiciuntur: Illorum in mentem tibi veniat sanctorum, de quibus pridie sermo habitus est, qui cilicio induuntur, eremum habitant, qui conuenientia his nuptiis amicalia possident: quæ res inde pater, quia nunquam oblatas purpuras acciperent: sed, quemadmodum rex, si quis pannosa indumeta pauperis ei offerret, abominaretur, atque repelleret; non aliter illi regiam purpuram contemunt: quod ideo illis euenire solet, quia pulchritudinem culcus sui non ignorant: vnde

fit, vt tanquam aranearum telas vestitum regium despuant. Hæc illis infitura ciliciorum vsa confirmata sunt, vnde regibus etiam ipsis excellentiores sunt, atque præstantiores. Nam, si posses mentis eorum, atque animi ianuas referare, & nudas cogitationes eorum, & omnem in teriore ornatum conspiceret, fulgore percussus, in terram concideres: nec illarum vestium splendorem, nec conscientia lucè perferre posses: ad quorum tabernacula vos mittimus, non quia præcorum mirabilia desunt exèpla; sed quoniam præsentibus rudiores magis moueri solent. Nihil ergo in tabernaculis eorum triste inuenietis, sed tanquam in cælo tuguria fabricatis, sic longè à seculi perturbationibus habitant aduersus diabolum militantes, & cum lætitia cum expugnantes. Idcirco in solitudine domicilium constituerunt, ciuitatibus, & celebri habitatione hominum omnino relicta; quoniam, qui bellum gerit, non potest domi sedere, sed necesse est quasi subito migraturus præparato in diem domicilio habitare. Ita illi è contrario nobis omnibus habitant. Nos enim non vt in castris, sed vt in abundante tranquillitatis ciuitate viuimus. Quis enim vnquam in exercitu domus fundamenta iecit? quis ædes ædificat cùm inde paulò post decellurus sit? Nemo profecto: sed si quis id etiã facere vellet, quasi proditor trucidaretur. Quis in castris agri iugera cmit? quis miles mercaturam exercet? Nullus certe, neque id iniuria: ad prælium enim, non ad cauponis, inquit, venimus artes. Cur igitur castrorum loca excolis, quæ paulò post relicta erunt? In patria, inquit, hæc, non in castris faciendâ sunt. Hæc tibi à me similiter dicuntur, cùm in supremam ciuitatem peruenieris, tunc ista facito: imò verò nullo tibi labore opus ibi est, cùm vniuersa hæc à rege tibi præparata sint. Hic igitur satis est nobis fossam facere, vallum constituere: ædificiis opus non est, Audisti vnquam Scytharum, qui absque certo vagasti domicilio, viuendi consuetudinem? ita Christianos circueuntes orbem, aduersus diabolum pugnantes, captinos à manibus eius rapientes, omnibus temporalibus neglectis, viuere oportet. Cur itaque magnificas ædes struis, o homo, an vt te ipsum magis vincias? Cur thesaurum obruis, vt diabolus aduersus animam tuam inuites? Cur moenia condis? an ad carceres tibi construendos? Quod si hæc tibi difficilia neglectu videantur, ad tabernacula monachorum proficiscamur, vt re ipsa facile ista contemni posse perdiscas: Tuguria sibi constituunt, quæ si relinquere oportebit, ita facile id faciunt, sicuti milites castra, vt absque vilo dolore derelinquant. Similiter vt milites inuicem habitant, & multò suauius viuunt. Sanè iucundius est deserta loca crebris tabernaculis monachorum plena conspiceret, quam tentoria militum, quam hastas confixas, quam multitudinem hominum, ferrea capita producentium, quam radiantes clypeorum umbones quam homines vndique ferro circumdatos, quam prætorium ex tempore constructum, quam latos campos hominibus comedentibus, aut canentibus refertos. Nam, si in solitudinem abierimus, & illorum militum tuguria cõsiderabimus, non tentoria, non mucronem, non indumenta aurea, quibus imperatori regem cõteritur, spectabimus: verum, quemadmodum si quis super terram hac multo feliciorem, immensæ quæ ma-



gnitudinis cōplures cælos ostenderet, is nouum, inauditum, atque mirabile spectaculum monstraret, non aliter illic intueri licet. Non enim cælo diuerti culæ eorum minora æstimanda sunt, angeli nempe, imò verò ipse quoque angelorum dominus ad eos sæpenumero dicitur. Nam, si angeli Abraham illum virum mulieri coniunctum, & filios nutriendum, liberalitate hominis allechi, petierunt, multò magis, quàm maiorè virtutem inuenerint & homines carnis contēptores, ac penè extra corpus cum illis morabuntur, & consentaneam eis choream constituent. Mensa enim illorum omnis luxus immunis, suprema philosophia referta est: non sunt sanguinis riuuli apud eos, non incisiones carnum, non nidores acuti, non fumus pinguedinem redolens, non cursus atque recusus, nec tumultus, & clamor importunus: sed panis & aqua, altera ex fonte nitido, alter ex iustis laboribus. Qui si libertius epulari voluerint, recentibus herbis mensa repletur, maiorque inde voluptas quam è dapibus regum confurgit. Nullus enim hic metus animo quatit, nemo principum interpellat, non irritauit vxor, non tristitiam intulit infans, non nimius risus emolliuit, non multitudo adulatorum inflauit: sed omnium huiusmodi remota turba: angelorum quasi mensa fruuntur. Ex sceno sibi sedilia subiiciunt, sicut Christus in eremo fecit, quum quinque millia hominum paucis pasceret panibus. Multi autem ne casam quidem vllam habent, sed cælo pro recto vruntur, & Luna loco lucernæ, nec oleo, nec ministro indigentes. Illis certè solis condignè Luna desuper lucet, hæc mensam in cælo angeli despicientes lætantur, & gaudent. Nam, si, cum vnus peccator pœnitentiam agat, lætantur; quid non facient, tot iustus videntes imitatione perfici sua? Non est ibi dominus, & seruus, sed omnes serui, omnes liberi, ac omnes denique domini sunt: non est ænigma, quod dico. Alter enim alteri & seruit, & dominatur. Nocte adueniente, nemo mœstitia opprimitur, quod multis vulgò euenire solet, diurna cogitatione negotia reperentibus. Post cœnam non sunt ad claudèdam portam, & vœstem imponendum solliciti, quippe qui nulla timeant latrocinia. Nec magna in extinguendis lucernis, & comprimendo igni sollicitudine fatigantur, ne scintilla exiliens domum peturat. Colloquutio etiam eorum simili tranquillitate ornatur: non enim, quemadmodum nos, alium principem esse factum, alium principatum emisse, mortuum esse alium, & hæreditatem alterius in alterum deuenisse, cœteraque huiusmodi, quæ nihil ad nos pertinent, colloquantur: sed de futuris semper philosophantur, & quasi alium quàm nos orbem habitantes, quasi in cœlum translati, ac ibi viuentes, sic de cælestibus semper, de sinu Abraham, de coronis sanctorum, de societate Christi disputant: præsentium autem nulla eis memoria est. Sed, quemadmodum nos nunquam, quid formicæ in cavernis suis faciunt, dicimus, eodem illi modo, quid nos facimus, nolunt cogitare: sed de summo rege, de bello aduersus diabolum, de fugiendis insidiis eius, de virtutibus, & vita sanctorum diligenter meditantur. Quid igitur inter nos, & formicæ interest, si collati ad illas fuerimus? Nam, quemadmodum formicæ corporis duntaxat curam habent, pariter & nos certè, imò verò multò

Gen. 18.  
Nota monachorum abstinètia à carnibus, atq; adeo vitam sobrijs finam.

peius. Non enim pro rebus necessariis, quemadmodum illæ, solummodo laboramus, sed pro superfluis etiam, ac turpibus vigilamus: vitam illæ nullo crimine peragunt, nos verò auaritiæ seruiemtes, non illas, sed lupos, atque leones imitatur. Cur dixi, quum multò simus peiores? non aliter enim quam rapiendo viuere natura illis concessit, nos autem, quos ratione, ac æqualitate honorauit, non pudet immanissimas feras rapina superare. Sed monachi angelis æquales longè à nobis omnibus absunt: omnibus enim alio quodam modo, quàm nos vruntur, omniæque ipsis à nostris aliena sunt, cibus, domus, calcei, loquutio. Si quis verò colloquentes illos audiret, cognosceret continèdè dignos cœlorum illos, nos verò etiam indignos terrarum ciues esse. Præterea, si quis aliqua dignitate insignis ad eos profectus fuerit, tunc maximè vniuersus hic tumor reprehenditur. Virtutis enim ille cultor, qui nullum humanarum rerum periculum fecit, prope magistrum militum principatum se iactantem in sceno super puluinar fordidum sedet: non enim adsunt, qui assentiant in maius illum extollant. Eodem itaque modo fit, veluti si quis ad aurifabrum, aut rosetum venerit, recipit enim ab auro, & rosis quendam coloris splendorem: Sic qui accedunt illis, non nihil à fulgore illorum vtilitatis consequuntur, à priore superbia plerumque liberantur. Ac veluti, si quis editum locum petierit, etiam si minimus sit, magnus tamen, atque sublimis videtur. Sic donec cum illis fuerint, excellentiores apparent: quum verò inde abierint, quasi à sublimiore loco descenderint, humiliiores vidètur. Nihil est rex apud eos, nihil præfectus, sed, quemadmodum nos de puerorum ludo ridemus, sic illi superbiæ flatum contemnunt: quod inde patet, quia, si tuto eis regnum offeratur, nunquam regnare velint: vellet autem, nisi hæc regna despicerent, nisi caduca, & inania ducerent. Cur igitur non quasi transfugæ, ab hac miseria ad illam spòte beatitudinem conuolabimus? non gradimur ad illos angelos, non candidas fumentes vestes, ac quasi pompam circumferentes, has nuptias violenter petemus: sed mendici ramanebimus, nihil à pauperibus, qui sunt in truiis, differentes, ne dicam peius nos, atque miserius multò esse dispositos. Deteriores nempe mendicis sunt, qui malè ditantur. Mendicare nanque melius quam rapere: alteri enim venia, & misericordia parata est, alteri atrox pœna statuta, alter non offendit Deum, alter & Deum, & homines, quòdque miserissimum est, solus labores, & pericula rapinæ subit, fructus verò alij plerumque possederunt. Hæc igitur rectè scientes, vniuersam procul pellamus auaritiã, & magno studio cæleste regnum rapiamus. Nemo enim, nemo inquam, desidia corruptus illuc introire poterit: vitam autem omnes iugi studio, & vigilantia diligenti illius regni rapina locupletemur, gratia, & misericordia dñi nostri Iesu Christi, &c.

**AVTHORIS DICTI IM-**  
*per. in Matth. eiusdem Euang. expositio.*

*Simile est regnum cælorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo, &c. Homo rex dicitur Deus pater, qui*

qui nunquam humanam suscepit formam, vt intelligamus, quia nomen hominis præiudicium non facit diuinæ naturæ, sed propter causam parabolæ homo dicitur, non quia pars aliqua hominis erat in eo: ideo quando audis in scripturis filium Dei hominem dici, quia si pater Deus, qui tantum Deus est, et non homo, tamen homo nominatur: quanto magis necessarium fuit, vt homo diceretur vnigenitus Dei filius, quum non esset homo purus, qui humanum suscepit naturam? Quoniam autem nuptias nominauimus, vile est vt breuiter ostendamus, prout dant nobis sensum scripturæ, quomodo animæ fideles Christo in die illi iungendæ sunt, in terris non desponsatæ. Omne bonum viua substantia est, & vita est, vita autem est Christus. Omne autem malum sine substantia est, & nihil est. Ita quicquid viuum creatum est super terram, ex vita viuunt. Nec enim potest esse aliquid viuum, in quo non sit spiritus vitæ. Ex malo autem nullares esse potest. Quum verò ipsum malum nihil sit, quomodo potest facere rem aliquam esse? Tamen perdere potest, sed non ipsum malum perdet rem: sed de illa re in qua est malum, subtrahit se bonum, propter inhabitans malum in ea: & sic bono recedente, res vadit ad nihilum. Ergo res, in qua solum bonum est, viua & immortalis est: in qua autem & bonum, & malum habitat, viuunt quidem tamen pro tempore propter inhabitans bonum: moritur autem propter inhabitans malum, & est res mortalis, sicut homo. Homo autem ideo ex bono & malo creatus est, vt contempto malo, sequatur bonum, & per hoc habeat electionis mercedem. Quod si contempto bono secutus fuerit malum, suscipiet eum æternus interitus. Si autem dimisso malo secutus fuerit bonum, in morte natura carnis eius soluetur ab omni malo: & quum resurrectio facta fuerit sanctorum, tunc suscipiet eum sola vita, quæ est Christus, & mortalitatem eius, in sua immortalitate absorbebit, & sicut defiderat Paulus, vt mortale hoc absorbeatur à vita, vt tunc adimpleatur scriptura, quam interpretatur Apostolus: Erunt, inquit, duo in carne vna. Christus enim cum anima quasi vnus spiritus factus habitauit in carne vniuersa, secundum quod dictum est: Qui adiungit se domino, quasi vnus spiritus est. Nunc enim quasi modicas arrhas futuri coniugij spiritum sanctum accepimus: tunc autem ipsum Christum plenius in nobis habebimus. Et misit seruos suos vocare imitatores ad nuptias. Ergo quando misit seruos suos, iam inuitati erant. Primum ergo dicamus: quid sit ipsum cōiuuium. Secundò, quando sunt inuitati. Tertio, quando cœpit præparare cōiuuium, & quando misit inuitatores. Prandium enim est doctrina iustitiæ, & verba cælestium mysteriorum de filio Dei venturo. Quæ omnia manducans homo, id est, audiens, acquirit sibi vitam æternam. Multas enim proprietates habet sermo ad escam. Sicut enim, qui mittit in os suum fragmentum panis, aut qualemcunque cibum, primum molit eum dentibus, & ita dimittit in stomachum: sic & quum audimus verbum, necesse est ipsum meditari in ore sensus, & quasi quibusdam dentibus, id est, tractatibus molere, & videre quid est, quod dicit, aut vnde dicit, aut propter quam rem dicit. Nam quemadmodum qualemcunque cibum, nisi masticauerimus dentibus, non sentimus saporem eius: ita &

verbum, quod audimus, nisi masticauerimus, ipsum tractantes in nobis, non possumus intelligere. virtutem verbi illius. Nam & manna, quod edebatur in eremo, figuram habebat verbi. Ideo dicebatur manna, quod interpretatur Hebraice, quid est hoc? vt quotiescunque audimus verbum, admoneat nos ipsum nomen requirere, quid est hoc, quod audimus? Et sicut cibum postquàm masticauerimus, dimittimus in stomachum: ita & verbum postquam bene tractauerimus, commedamus ipsum memoriæ quasi stomacho. Nam quemadmodum non prodest cibus, nisi quum fuerit masticatus, & in stomachum descenderit, sic non proficit ad salutem verbum, nisi quum fuerit intellectui, & memoriæ traditum. Nam sicut cibus nihil prodest, si manducauerimus, & iterum euomimus eum de stomacho: sic nihil in in nobis prodest verbum, quod audimus, & obliuiscimur illico. Cibus qui in stomacho stat, ille cõfortat: & sermo qui in memoria manet, ille saluat. Vnde & apud Iudæos illa animalia sunt munda, quæ reuocant cibum, & ruminant. Ergo animal illud est mundum, quod masticat, & tradit vtero, & iterum de vtero reuocat, & ruminat. Et homo ille est spiritualis, & sanctus, qui audiens verbum tractat, & quum intellexerit, memoriæ quasi vtero tradit: & iterum de memoriæ quasi de vtero reuocat, & ruminat, & retractat. Ille autem homo immundus est ante Deum, qui non recordatur aliquando, nec retractat, quod audit. Qui autem manducat de spirituali cõiuuijo, impletur spiritu, dilatur sensibus, aueritur in veritate, pinguescit in fide, & sic ingreditur ad interiora voluntatis Dei, & manens in eis acquirit sibi vitam æternam. Qui autem ab hoc cõiuuijo verbi longè fuerit factus, euacuatur spiritus, angustatur sensibus, deficit à veritate, distillat à fide: & sic egrediens ab omnibus voluntatibus Dei ad inferiora, nonissimè cadit in mortem. Quando sunt inuitati? In tempore Abraham, quando dixit ad eum Deus: Exi de terra tua, & de cognatione tua, & veni in terram, quam tibi demonstrem: Et omnem terram, quamcunque tetigeris pedibus tuis, tibi dabo illam, & semini tuo in æternum. Quam terram? Terram orientalem fluentem lac, & mel. Quod verum non est de terra illa Iudææ, quoniam illa terra nunquam fluxit lacte & melle, sed terram rationabilem quam Christus suscepit. De illius enim incarnatione lac & mel processerunt. Lac enim opus est miraculorum, quoniam & sine labore dentium, & cum suauitate comeditur, per quod rudes in fide quasi pueri sustentantur. Mel autem eloquia doctrinæ dicuntur, sicut ait propheta: Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel & fauum ori meo. Ergo Christi incarnatio promittebatur, qui lecte miraculorum, & melle doctrinæ nutriturus fuerat gentes rudes in fide. Vide ergo quoniam iam ex eo ostendebat Deus, quoniam non aliter Iudæi poterant Christo credere, nisi vt relinquerent Iudaismum, quod est: Exi de cognatione tua, & corpus circumcisionis, quod est: Exi de terra tua. Ergo ex eo iam Iudaismus relinquendus ostendebatur. Non solum autem Iudæi, sed nullus homo potest lac & mel manducare Christi, nisi cognationem suam, & terram suam reliquerit, sicut scriptum est: Nisi quis reliquerit patrem, aut matrem, &c. Item: Qui meus vult esse discipulus, ab-

Gen. 18.  
Carn. 6.  
Cognationem dicitur de Iudæis, qui leguntur esse filios Abraham, & carnem suam in carnis ministerio seruasse, &c. Item, in Gen. 18.

Gen. 18.

Psal. 118.



mali vt inexcusabiles fiant. Nemo propter ignorantiam pereat, nemo propter ignorantiam excusetur. Omnes videant lumen, vt appareant, qui amant tenebras, & qui lumen. Qui enim filius est tenebrarum, etsi compellatur, non accedit ad lumen: qui autem filius est luminis, nec si repellatur, recedit à lumine. *Intrauit autem rex, vt videret discumbentes.* Intrauit autē Deus, non quia est aliquis locus vbi non sit, sed vbi vult aspiciere, ibi fit præsens: vbi autem non vult, absens videtur. Dies enim aspectus, est dies iudicij, quando visitaturus est Christianos, qui super mensam scripturarum sanctarum recumbunt, id est requiescunt in fide earum, & cælestibus epulantur doctrinis. Aut dies aspectus, est dies tentationis: quando dignatur tentare ecclesiam suam, vt videant qui habent fidem, & operationem dignam Christi vocatione. Nuptiale vestimentum est fides vera, quæ est per Iesum Christum & iustitiam eius, de qua ait Apostolus: *Expoliare vos veterem hominem cum actibus suis, qui corrumpitur secundum concupiscentiam erroris, vestientes vos nouum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia, & sanctitate veritatis.* Quod dicit, in iustitia, ad conuersationem pertinet: quod autem in sanctitate veritatis, ad fidei veritatem: Vestimenta ergo veteris hominis sunt pannosa, & fordida opera carnis, corruptibilia, & immunda: vestimenta autem noui hominis, sunt fortia, & decora opera spiritus, incorruptibilia & sancta. Quæmadmodum enim si aliquis cum nigris vestimentis inueniatur in nuptiis, fordidas gloriam nuptiarum: ita & qui opera habet tenebrosa, & inter Christianos quasi vnus ex eis conuersatur, ipsi Christianitati facit iniuriam. Homo itaque aut secundum locum eligat vestem: aut secundum vestem eligat locum: id est, aut secundum opera eligat professionem, aut secundum professionem faciat opera. Qui vult esse Christi, faciat opera Christi: qui autem non vult opera Christi facere, nec veniat ad Christum, alioquin audiet in die iudicij: Amice, quomodo huc intraisti, nō habens vestem nuptialem? & obmutescet. Hic enim abscondimus opera nostra, & inuicem corda nostra celamus: in illa autem die nihil est quod respondeamus, vbi cælum, & terra, & aquæ, sol & luna, dies, & noctes, & totus mundus stabit aduersum nos in testimonium peccatorum nostrorum. Et si omnia taceant, tamē ipsæ cogitationes nostræ, & ipsa opera nostra specialiter stabunt ante oculos nostros, accusantes nos ante Deum: dicente Apostolo: *Cogitationibus inuicem se accusantibus, aut etiam defendentibus in die, quum iudicabit Deus occulta hominum, per Iesum Christum dominum nostrum.* Tunc dicit rex ministris: *Ligate ei manus, & pedes, & mitte eum in tenebras exteriores.* Sicut est differentia gloriarum in sanctis, secundum opera, dicente Apostolo: *Stella enim à stella differt in claritate, ita & resurrectio mortuorum, sic quoque differentia est tormentorum in peccatoribus.* Sunt enim primæ tenebræ, & exteriores, & nouissimi lacus. Ex eo autem quod dixit, *ingressus, vt remuneraret amicos: nō autem dixit, congregauit rex omnes qui venerunt ad nuptias: datur suspicio æstimandi, ne fortè dicat hoc de vindicta iudicij.* Adhuc autem, quia non dixit, *mitte eum in tenebras inferiores, vt eas tenebras inferiora loca inferni æstimemus: sicut ibi, Et eri-*

Col.

Rom. 2.

1. Cor. 13.

puiisti animam ex inferno inferiori, sed ita dicit in tenebras exteriores. Ergo quotiescunque tentat Deus ecclesiam suam, & ventilet ventilabro iudicij, ingreditur ad eam, vt videat discumbentes qui sunt, aut quales sunt, si digni sunt cælestibus nuptiis, & conuiuio illo vino. Et si inuenierit aliquem non habentem vestem nuptialem, secundum ea, quæ diximus, interrogat eum in cogitationibus suis: sicut scriptum est, *Quia in cogitationibus impij interrogatio erit.* Et interrogat eum, quæ sunt opera ista quæ agis, quia non sunt opera Christiani. Vt quid factus es Christianus, si hæc opera diligebas? Ita vt non habeat quid respondeat contra conscientiam suam. Et hunc ergo talem quum viderit in ecclesia Christus iubet ministros suos, id est, aliquos spiritus seductionis: Nam mala per malos spiritus reddet: qualis fuit spiritus erroris, quem misit Deus, vt seduceret Achab, sicut scriptum est in tertio libro Regnorum. Vel qualis est illa operatio erroris, quam dabit eis Deus, qui charitatem Dei non acceperunt, vt credant mendacio. Et ligant manus hominis illius, id est, opera eius, quæ sunt animæ manus, quæ homines rectius tollunt ad mandata Dei. Ligant & pedes eius, id est motus animæ eius, quibus anima solet incedere, & transire: non de loco ad locum, sed de malo ad bonum, vel de bono ad malum: id est, obligant, & inebriant, & inuoluunt opera eius, quomodo nescit si in laqueum perditionis incurrat. Et apprehendentes eum, per ipsa opera eius, mittunt eum in tenebras, id est, in errores vel Gentium, vel Iudæorum, vel hæresim. Et forsitan propinquiores tenebræ sunt Gentium, exteriores Iudæorum, plus autem exteriores hæreticorum. Quoniam Gentiles veritatem spernunt, quam non audierunt: Iudæi autem, quam non crediderunt. Ipsarum quoque hæreticarum tenebrarum, quædam sunt prope lucem veritatis: aliæ autem longius à veritate, & ideo nigriores: aliæ autem amplius longè, & ideo pressiores, & exteriores. Ideo dixit, *Mitte eos in tenebras exteriores.* id est, in hæreses peruersissimas. *Ibi erit fletus, & stridor dentium.* Videre quia non dixit, *ibi erit fletus, & stridor dentium: sed erit.* Ergo modo mittuntur in illas tenebras mali, postea patientur fletus, vbi est, & stridor dentium.

S. GREGORII PAPÆ  
in superius Euangelium  
Homil.

**L**ectionis euangelicæ textum, fratres charissimi, volo, si possum, sub breuitate transcurrere, vt in fine eius valeam ad loquendum largius vacare. Sed quærendum prius est, an hæc apud Matthæum ipsa sit lectio, quæ apud Lucam sub appellatione cœnæ describitur. Et quidem sunt nonnulla, quæ sibi dissimilia esse videntur, quia hic prandium, illic cœna memoratur: hic qui ad nuptias non dignis vestibus intrauit, repulsus est: illic nullus, qui intrasse dicitur, repulsus esse perhibetur. Quæ ex re rectè colligitur, quod & hic per nuptias præfens Ecclesia, & illic per cœnam æternum, & vltimum cœuiuium designatur: quia & hanc nonnulli exituri intrant, & ad illam quic-

Est Homil. in Euang.

Luce 14.

quis semel intrauerit, vltierius non exibat. At si quis forte contendat hanc eandem esse lectionem, ego melius puto (salua fide) alieno intellectui cedere, quàm cōtentionibus deseruire: quoniam & intelligi congruè forsitan potest, quia de proiecto eo, qui cum nuptiali veste non venerat, quod Lucas tacuit, Matthæus dixit. Quod verò per illum cœna, per hunc autem prandium dicitur: nequaquam vel hoc nostræ intelligentiæ obfistit, quia cum ad horam nonam apud antiquos quotidie prandium fieret, ipsum quoque prandium cœna vocabatur. Sæpe autem iam me dixisse memini, quod plerumque in sancto euangelio: regnum cælorum præfens Ecclesia nominatur. Congregatio quippe iustorum, regnum cælorum dicitur. Quia enim per prophetam dicit Dominus: *Cælum mihi sedes est.* Et Salomon ait, *Anima iusti, sedes sapientiæ.* Paulus item dicit, *Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam, liquide colligere debemus, quia, si Deus sapientia, anima autem iusti sedes sapientiæ, dum cælum dicitur sedes Dei, cælum ergo est anima iusti.* Hinc per Psalmistam de sanctis prædicatoribus dicitur: *Cæli enarrant gloriam Dei.* Regnum ergo cælorum est Ecclesia iustorum, quia dum eorum corda in terra nil ambiunt, per hoc quod ad superna suspirant, iam in eis Dominus quasi in cælestibus regnat. Dicitur ergo: *Simile est regnum cælorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo.* Iam intelligit charitas vestra, quis est iste rex, regis filij pater: ille nimirum, cui Psalmista ait, *Deus, iudicium tuum regi da, & iustitiam tuam filio regis.* Qui fecit nuptias filio suo. Tunc enim Deus pater Deo filio suo nuptias fecit, quando hunc in vtero virginis humanæ naturæ coniunxit, quando Deum ante secula voluit fieri hominem in fine seculorum. Sed quia ex duabus personis fieri solet ista nuptialis coniunctio, absit hoc ab intellectibus nostris, vt personam Dei, & hominis, redemptoris nostri Iesu Christi, ex duabus personis credamus vnitam. Ex duabus quippe, atque in duabus hunc naturis existere dicimus, sed ex duabus personis compositum credi, vt nefas vitamus. Aptius igitur, atque securius dici potest, quia in hoc pater regi filio nuptias fecit, quo ei per incarnationis mysterium sanctam Ecclesiam sociavit. Vterus autem generitricis virginis, huius sponsi thalamus fuit. Vnde & Psalmista dicit: *In sole posuit tabernaculum suum, & ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo processit, qui ad coniungendam sibi Ecclesiam incarnatus Deus de incorrupto vtero virginis exiuit.* Misit ergo seruos suos, vt ad istas nuptias amicos inuitarent. Misit semel, misit iterum: quia incarnationis dominicæ prædicatores & prius prophetas, & postmodum Apostolos misit. Bis itaque seruos ad inuitandum misit, quia incarnationem vnigeniti & per prophetas dixit futuram, & per Apostolos nunciavit factam. Sed quia ij, qui prius inuitati sunt, ad nuptiarum conuiuium noluerunt venire, in secunda inuitatione iam dicitur: *Ecce prandium meum parauit, tauri mei, & altilia mea occisa sunt, & omnia parata.* Quid in tauris, & altilibus, fratres charissimi, nisi noui, & veteris testamenti patres accipimus? Quia enim vulgo loquor, etiam ipsa me necesse est verba euangelicæ lectionis explanare. Altilia enim saginata dicimus. Ab eo enim quod est alere, altilia quasi aliti-

lia vocamus. Cum verò in lege scriptum sit: *Diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuum, accepta tunc iustis licentia fuerat, vt Dei, subque aduersarios quanta possent virtute comprimerent, eosque iure gladij ferirent.* Quod in nouo proculdubio testamento compescitur, cum per semetipsam veritas prædicat, dicens: *Diligite inimicos vestros, benefacite iis, qui oderunt vos.* Quid ergo per tauris, nisi partes testamēti veteris significantur? Nā cum ex permissione legis acceperant, quatenus aduersarios suos odij retributione percuterent, vt ita dicam, quid aliud quàm tauri erant, qui inimicos suos virtutis corporeæ cornu feriebant? Quid verò per altilia, nisi patres noui testamenti figurantur? Qui dum gratiam pinguedinis internæ percipiunt, æternis desideriis innitentes, ad sublimia contemplationis supernis subleuantur. In imo quippe cogitationem ponere, quid est aliud, quàm quædam ariditas mentis? Qui autem intellectu cælestium iam per sancta desideria de supernis delectationis intimè cibo pascuntur, quasi largiori alimento pinguescunt. Hac enim pinguedine saginari propheta concupierat, cum dicebat: *Sicut adipe, & pinguedine repletur anima mea.* Quia ergo prædicatores dominicæ incarnationis missi, persecutionem ab infidelibus, & prius prophetæ, & postmodum sancti apostoli pertulerunt, inuitatis, & venire nolentibus dicitur: *Tauri mei, & altilia occisa sunt, & omnia parata.* Ac si apertius dicatur, *Patrum præcedentium mortes aspiciate, & remedia vitæ vestræ cogitate.* Notandum verò, quod in priori inuitatione nihil de tauris, & altilibus dicitur: in secunda autem iam tauri, & altilia mactata esse memorantur: quia omnipotens Deus cum verba eius audire nolumus, adiūgit exempla, vt omne quod impossibile credimus, tantò nobis ad sperandum fiat facilius, quanto per hoc transisse iam & alios audimus. Sequitur: *Illi autem neglexerunt, & abierunt, alius in villam suam, alius verò in negotiationem suam.* In villam quippe ire, est labori terreno immoderatiùs incumbere. In negotiationem verò ire, est actionum secularium lucris inhiare. Quia enim alius intentus labori terreno, alius mundi huius actionibus deditus, mysterium dominicæ incarnationis pensare, & secundum illud viuere dissimulat, quasi ad villam, vel negotium pergens, venire ad nuptias regis recusat: & plerumque, quod est grauius, nonnulli vocantis gratiam non solum respuunt, sed etiam persequuntur. Vnde & subditur: *Reliqui verò tenuerunt seruos eius, &c.* Homicidas perdit, quia persequentes interimit. Ciuitatem eorum igni succedit quia illorum non solum animæ, sed caro quoque, in qua habitauerant, æterna gehennæ flamma cruciantur. Missis exercitibus, extinxisse homicidas dicitur, quia in hominibus omne iudicium per angelos exhibetur. Quid nāque sunt illa angelorum agmina, nisi exercitus regis nostri? Vnde & idem rex dominus sabaoth dicitur. Sabaoth quippe exercituum interpretatur. Ad perdendos ergo aduersarios suos, exercitus mittit, quia nimirum vindictam dominus per angelos exercet. Cuius vindictæ potentiam tunc nostri patres audiebant, nos autem iam cernimus. Vbi sunt enim superbi illi martyrum persecutores? Vbi illi, qui cōtra conditorem suum cernicem cordis erexerant: & de de huius mundi gloria mortifera tumebant? Ecce iam mors martyrum

Luce 9.

Psal. 6.

tyrum



tyrum floret in fide viucentium, & ij, qui contra illos de crudelitate sua gloriati sunt, nequam ad memoriam nostram veniunt, vel in numero mortuorum. Rebus ergo cognoscimus, quod in parabolis audiuimus. Sed is, qui inuitantem se contemni conspicit, regis filij sui nuptias vacuas non habebit. Ad alios mittit: quia etsi apud aliquos laborat verbum Dei, quandoque tamen sermo Dei inuenturus est, vbi requiescat. Vnde & subditur, *Tunc a t seruis suis, Nuptiae quidem paratae sunt, sed qui inuitati erant, non fuerunt digni. Ite ergo ad exitus viarum, &c.* Si in scriptura sacra vias actiones accipimus, exitus viarum intelligimus defectus actionum: quia illi plerumque facile ad Deum veniunt, quos in terrenis actionibus prospera nulla comitantur. Sequitur: *Et egressi serui eius in vias, congregauerunt omnes quos inuenierunt, bonos & malos, & impletae sunt nuptiae discumbentium.* Ecce iam ipsa qualitate conuiuantium aperte ostenditur, quia per eas regis nuptias praesens Ecclesia designatur, in qua cum bonis & mali conueniunt. Permixta est quippe diuersitate filiorum, quia sic omnes ad fidem generat, vt tamen omnes per immutationem vitae, ad libertatem spiritualis gratiae culpae exigentibus non perducatur. Quousque namque hic viuimus, necesse est, vt vitam praesentis seculi permixti peragamus, tunc autem discernimur, cum peruenimus. Boni enim soli nusquam sunt nisi in caelo, & mali soli nusquam sunt nisi in inferno. Haec autem vita, quae inter caelum, & infernum sita est, sicut in medio subsistit, ita vtrarumque partium eius communiter recipit, quos tamen sancta Ecclesia & nunc indiscretè suscipit, & postmodum in egressione discernit. Si ergo boni estis, quando in hac vita subsistitis, æquanimiter tolerate malos. Nam quisquis malos non tolerat, ipse sibi per intolerantiam suam testis est, quia bonus non est. Abel enim esse tenuit, quem Cain malitia non exercebat. Sic in tritura areae grana sub paleis premuntur, sic flores inter spinas oriuntur, & rosa, quae redolet, crescit cum spina, quae pungit. Duos quippe filios habuit primus homo: vnus horum electus est, alter reprobus fuit. Tres filios Noë arca continuit, sed ex his duo electi sunt, & vnus reprobus fuit. Duos filios habuit Abraham, sed vnus electus est, alter reprobus fuit. Duos Isaac filios habuit, sed vnus electus est, & alter reprobatus. Duodecim filios habuit Iacob, sed ex his vnus per innocentiam venditus est, alij verò per malitiam venditores fratris fuerunt. Duodecim apostoli sunt electi, sed vnus ex his admixtus est, qui probaretur, vnde decem, qui probarentur. Septem sunt diacones ab apostolis ordinati, sed sex in fide recta permanentibus, vnus extitit author erroris. In hac ergo ecclesia nec mali sine bonis, nec boni sine malis esse possunt. Antea dicta itaque tempora, fratres charissimi, ad mentem reducite, & vos ad malorum tolerantiam roborate. Si enim filij electorum sumus, restat necesse est, vt per eorum exempla gradiamur. Bonus enim non fuit, qui malos tolerate recusauit. Hinc namque est, quod de seipso beatus Iob asserit, dicens, Frater fui draconum, & socius struthionum. Hinc per Salomonem sponsi uoce sanctae ecclesiae dicitur: Sicut liliū inter spinas, sic amica mea inter filias. Hinc ad Ezechielem Dominus dicit: Fili hominis, increduli, & subuersores sunt tecū, & cū scorpionibus

Boni malis permixti in ecclesia.

Act. 6.

Iob. 16.

Can. 2.

Exech. 2.

habitas. Hinc Petrus beati Lot vitam gloriosam, dicens: Et iustus Lot oppressum à nefandorum iniusta conuersatione eruit. Aspectu enim, & auditu iustus erat, habitans inter eos, qui de die in diem animam iustam iniquis operibus cruciabant. Hinc Paulus discipulorum vitam & laudat, & roborat, dicens: In medio nationis prauae, & peruersae, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo, verbum vitae continentes. Hinc Ioannes Pergami ecclesiam testatur, dicens: Scio vbi habitas, vbi sedes est satanae, & tenes nomen meum, & non negasti fidem meam. Ecce, fratres charissimi, penè omnia percurrendo cognoscimus, quia bonus non fuit, quem maioris prauitas non probauit. Vt enim ira loquar, ferrum animae nostrae nequaquam perducitur ad subtilitatem acuminis, si hoc non eraserit aliene lima prauitatis. Terere autem nos non debet hoc, quod in ecclesia & multi mali, & pauci sunt boni: quia arca in vndis diluuij, quae huius ecclesiae typum gessit, ampla in inferioribus, angusta in superioribus fuit, quae in summitate etiam sua ad vnus mensuram cubiti excreuit. Inferius quippe bestias, quadrupedia, atque reptilia, superius verò, aues, & homines habuisse credenda est. Ibi lata extitit, vbi bestias habuit: ibi angusta, vbi homines seruauit. Quia nimirum sancta ecclesia in carnalibus ampla est, in spiritualibus angusta. Vbi enim bestiales hominum mores tolerat, illic latius sinum laxat. Vbi autem eos habet, qui spiritali ratione suffulti sunt, illic quidem ad summum ducitur, sed tamen, quia pauci sunt, angustatur. Lata quippe via est, quae ducit ad perditionem, & multi sunt qui vadunt per eam: & angusta porta est, quae ducit ad vitam, & pauci sunt qui inueniunt eam. Eò autem vsque arca angustatur in summis, quousque, ad mensuram vnus cubiti perducatur: quia in sancta ecclesia quanto sanctiores quique sunt, tanto pauciores. Quae in summo ad illud perducitur, qui solus homo in hominibus, & sine alterius comparatione natus est sanctus, qui, iuxta Psalmistae vocem, factus est sicut passer vnicus in aedificio. Tanto ergo magis mali tolerandi sunt, quanto amplius abundant: quia & in areae tritura pauca sunt grana, quae seruantur horreis, & grandes acerui palearum, quae ignibus comburuntur. Sed quia iam largiente Domino nuptiarum domum, id est, sanctam ecclesiam intrastis, solerter, fratres, aspiciate, ne aliquid de mentis vestrae habitu rex ingrediens reprehendat. Cum magno enim cordis timore pensandum est, quod protinus subditur: *Intrauit autem rex, vt videret discumbentes, & vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali.* Quid, fratres charissimi, exprimi per nuptialem vestem putamus? Si enim vestem nuptialem baptisma vel fidem dicimus, quis sine baptisate, & fide ad has nuptias intrauit? Eo enim ipso foris est, quo necdum credidit. Quid ergo debemus intelligere per nuptialem vestem, nisi charitatem? Intrauit enim ad nuptias, sed cum nuptiali veste non intrat, qui in sancta ecclesia assistens, fidem habet, sed charitatem non habet. Rectè enim charitas, nuptialis vestis vocatur, qui hanc in se conditor noster habuit, dum ad associandam sibi ecclesiae nuptias venit. Sola quippe dilectione Dei actum est, vt eius vnigenitus mentes sibi electorum hominum vniret. Vnde & Ioannes dicit: Sic enim dilexit Deus mundum, vt filium suum vnigenitum daret pro nobis. Qui ergo per charitatem

Philipp.

Apoc.

Gen. 6.

Math. 7.

Eccl. 40.

Eccl. 27.

Psal. 101.

Vestis nuptialis, charitas non fides.

Iob. 4.

Math. 7.

Iam. 3.

ratem venit ad homines, eandem charitatem innotuit esse vestem nuptialem. Omnis ergo vestrum, qui in ecclesia positus Deo credidit, iam ad nuptias intrauit: sed cum nuptiali veste non venit, si charitatis gratiam non custodit. Et certè, fratres, si quis ad carnales nuptias esset inuitatus, vestem mutaret, congaudere se sponso, & sponsae ex ipso sui habitus decore ostenderet: inter gaudentes, & festa celebrantes, despectis vestibus apparere erubesceret. Nos ad Dei nuptias venimus, & cordis vestem mutare dissimulamus. Congaudet angeli, cum ad caelum assumuntur electi. Quae ergo mēte hanc spiritalia festa conspiciamus, qui nuptialem vestem, id est, charitatem, quae sola nos speciosos exhibeat, non habemus? Sciendum verò est, quia sicut in duobus lignis, superiori videlicet, & inferiori vestis textitur, ita in duobus praecipuis charitas habetur, in dilectione scilicet Dei, & proximi. Scriptum quippe est: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota virtute tua, & diliges proximum tuum sicut teipsum. Quae in re notandum est, quia in dilectione proximi mensura ponitur amoris, cum dicitur: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Dei autem dilectio nulla mensura costringitur, cum dicitur, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota virtute tua. Non enim iubetur quisque quantum diligat, sed ex quanto, cum dicitur: Ex toto. Quia ille veraciter Deum diligit, qui sibi de se nihil relinquit. Duo ergo haec necesse est vt charitatis praecipua custodiat, quisquis habere in nuptis vestem nuptialem curat. Hinc est enim, quod apud Ezechielem prophetam portae ipsius ciuitatis in monte constitutae vestibulum duobus cubitis mensuratur: quia nimirum accessus nobis caelestis ciuitatis non potest fieri, si in hac Ecclesia, quae pro eo quod adhuc foris est, vestibulum dicitur, Dei & proximi dilectio non tenetur. Hinc est, quod cortinis tabernaculi intexi coecus bis tinctus inbetur. Vos estis, fratres, vos estis cortinae tabernaculi, qui per fidem in vestris cordibus secreta caelestia velatis. Sed cortinis tabernaculi bis tinctus coecus debet inesse. Coecus quippe ignis speciem tenet. Quid verò est charitas, nisi ignis? Sed ista charitas esse bis tincta debet, vt tingatur per amorem Dei, tingatur & per amorem proximi. Qui enim sic amat Deum, vt per contemplationem illius negligat proximum, coecus quidem est, sed bis tinctus non est. Rursus qui sic amat proximum, vt tamen contemplationem Dei per eius amorem relinquit coecus est, sed bis tinctus non est. Vt ergo charitas vestra bis tinctus coecus esse valeat, & ad amorē se Dei, & ad amorem proximi accedat: quatenus nec ex compassione proximi contemplationem relinquat Dei, nec plus quam debet inhærens contemplationi Dei, compassionem abijciat proximi. Omnis itaque homo inter homines viuens, sic ad eum anhelet, quem desiderat, vt tamen hunc non deserat, cum quo curreat: sic huic adiutorium ferat, vt ab illo nullatenus torpeat, ad quem festinabat. Sciendum quoque est, quod ipsa dilectio proximi in duobus praecipuis subdividitur, cum quidam sapiens dicit: Omne quod tibi oderis fieri, vide ne ipse alteri facias. Et per semetipsam veritas praedicat, dicens: Quae vultis, vt faciāt vobis homines, & vos eadem facite illis. Si enim & quod impendi non

bis rectè volumus, aliis impertimur, & quod nobis fieri nolumus, hoc aliis facere ipsi deuitamus, charitatis iura illaesa seruamus. Sed nemo cum quempiam diligit, habere se protinus charitatem putet, nisi prius ipsam vim suae dilectionis examinet. Nam, si quis quemlibet amat, sed propter Deum non amat, charitatem non habet, sed habere se putat. Charitas autem vera est, cum & in Deo diligitur amicus, & propter Deum diligitur inimicus. Ille enim propter Deum diligit eos, quos diligit, qui iam & eos diligit, à quibus non diligitur scit. Probari enim charitas per solam odij aduersitatem solet. Vnde & per semetipsum Dominus dicit: Diligite inimicos vestros, benefacite iis qui oderunt vos. Ille ergo securus amat, qui propter Deum & illum amat, à quo se intelligit non amari. Magna sunt haec, alta sunt haec, & multis ad exhibendum difficilia: sed tamen ista est vestis nuptialis. Quisquis autem hanc recumbens in nuptiis non habet, iam sollicitus metuet ingrediente rege, quando mittatur foras. Ecce enim dicitur: *Intrauit autem rex ad nuptias, vt videret discumbentes, & vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali.* Nos sumus, fratres, qui in nuptiis verbi Dei discumbimus, qui iam fidem in ecclesia habemus, qui scripturae sacrae epulis pascimur, qui cōiunctam Deo ecclesiam esse gaudemus. Considerate ergo, rogo, si cum nuptiali veste ad has nuptias venistis, cogitationes vestras sollicita inquisitione discutite, de rebus singulis corda vestra trutinatè, si iam cōtra nullum odium habetis, si cōtra felicitatem alienam nulla vos inuidiae face succenditis, si per occultam malitiam nemini nocere festinatis. Ecce rex ad nuptias ingreditur, & cordis nostri habitum contemplatur, atque ei, quem charitate non vestimur, protinus iratus dicit: *Amice, quomodo hic intraisti, non habens vestem nuptialem?* Mirandum valde est, fratres charissimi, quod hunc & amicum vocat, & reprobatur, ac si ei apertius dicat: *Amice, & non amice, Amice per fidem, & non amice per operationem. At ille obmutuit.* Quia, quod dici sine gemitu non potest, in illa distractione vltimae increpationis omne argumentum cessat excusationis: quippe quia ille foris increpat, qui testis conscientiae intus animam accusat. Sed inter haec sciendum est, quia quisquis hanc virtutis habet vestem, sed tamen adhuc perfectè non habet, ad pij regis ingressum desperare de venia non debet: quia ipse quoque spem nobis per Psalmistam tribuens, dicit: *Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes scribentur.* Sed quia pauca haec in consolatione labentis, & infirmantis diximus, nunc ad eum, qui hanc omnimodò non habet, verba vertamus. Sequitur: *Tunc Rex dicit ministris: Ligatis pedibus, & manibus, mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus & stridor dentium.* Ligantur tunc pedes, & manus per distractionem sententiae, qui modò à prauis operibus ligari noluerunt per meliorationem vitae. Vel certè tunc ligat poena, quos modo à bonis operibus ligauit culpa. Pedes enim qui visitare agrum negligunt, & manus, quae nihil indigentibus tribuunt, à bono opere iam ex voluntate ligatae sunt. Qui ergo nunc sponte ligantur in vitio, tunc in supplicio ligantur inuiti, benè autem dicitur, quod in exteriores tenebras proiectatur. Interiores quippe tenebras dicimus excitationem cordis, exteriores verò tenebras

Luc. 6.

Psal. 138.

Bibl. Hom. tom. 3. F ff bras

bras æternam noctem damnationis: Tunc ergo damnatus quisque non in interiores, sed in exteriores tenebras mittitur, quia illic inuitus proicitur in noctem damnationis, qui hic sponte cecidit in cæcitate cordis. Vbi fletus quoque, & stridor dentium esse perhibetur, ut illic dentes strideant, qui hic de edacitate gaudebāt: illic oculi defleant, qui hic per illicitas concupiscentias versabantur in mundo: quatenus in singula quæque membra supplicio subiaceant, quæ hic singulis quibusque vitis subiecta seruiebāt. Sed repulso vno, in quo videlicet omne malorum corpus exprimitur, generalis protinus sententia subinfertur, qua dicitur: *Multi autem sunt vocati, pauci vero electi.* Tremendum est valde, fratres charissimi, quod audiimus. Ecce nos omnes iam vocati per fidem, ad cælestis regis nuptias venimus, incarnationis eius mysterium & credimus, & confitemur, diuini verbi epulas sumimus. Sed futuro die iudicij cum rex intraturus est: quia vocati sumus nouimus, si sumus electi nescimus. Tāto igitur necesse est, ut vnusquisque nostrū in humilitate se deprimat, quanto si sit electus ignorat. Nonnulli enim bona nec incipiunt: nonnulli verò in bonis, quæ inceperunt, minimè persunt. Alter pene totam vitam ducere in prauitate conspicitur, sed iuxta finem vitæ à prauitate sua per districtæ poenitentia lamenra reuocatur. Alter electam videtur vitam ducere, & tamen hunc cōtingit ad erroris nequitiam iuxta finem declinare. Alius bonum bene inchoat, melius consummat. Alius in malis actibus à primæua ætate se exercet, & in eisdem operibus semper seipso deterior consummat. Tanto ergo vnusquisque sibi sollicitè metuat, quanto ignorat, quod restat. Quia quod sæpè dicendum est, & sine obliuione retinendum, multi sunt vocati, pauci verò electi. Sed quia nonnunquam mentes audientium plus exempla fidelium, quàm doctentium verba conuertunt, volo vobis aliquid de proximo dicere, quod corda vestra tanto formidolosius audiant, quanto eis hoc de propinquo sonat. Neque enim res longè antè gestas dicimus, sed eas, de quibus testes existant, eisque interfuisse se referunt, memoramus. Tres pater meus sorores habuit, quæ cunctæ tres sacræ virgines fuerunt. Quarum vna Tarfilla, alia Gordiana, alia Amiliana dicebatur. Vno omnes ardore conuersæ, vno eodémque tempore sacratæ, sub districtione regulari degentes, in domo propria socialem vitam ducebant. Cùmque essent diutius in eadem conuersatione, ceperunt quotidianis incrementis in amorem conditoris sui Tarfilla, & Amiliana succrescere, & cum solo hic essent corpore, quotidie animo ad æterna transire. At contra Gordianæ animus cepit à calore amoris intimi per quotidiana detrimenta tepescere, & paulisper ad huius seculi amorem redire. Crebro autem Tarfilla dicere Amilianæ sorori suæ cum magno gemitu solebat: Video Gordianam sororem nostram de nostra forte non esse, perpendo enim, quia foris defluit, & cor ad quod proposuit, non custodit. Quam curabant blanda quotidie redargutione corripere, atque à leuitate morum ad grauitatem sui habitus reformare: quæ quidem resumebat vultum subito grauitatis inter verba correptionis: sed cum eiusdem correptionis hora transisset, transibat protinus & superducta grauitas honestatis,

Non satis est  
per fidem esse  
vocatus.

Sacratæ Deo  
virgines sub  
districtione re-  
gulari viu-  
bant.

moxque ad leuia verba redibat. Puellarum gaudebat societate laicarum, eique persona valde onerosa erat, quæcunque huic mundo dedita nõ erat. Quadã verò nocte huic Tarfilla amicitia meæ quæ inter sorores suas virtute continuæ orationis, afflictionis studiosæ, abstinentiæ singularis, grauitate vitæ venerabilis, in honore, & culmine sanctitatis excreuerat, (sicut ipsa narrauit) per visionem atanus meus Felix huius Romanæ Ecclesiæ antistes apparuit, eique mansionem perpetuæ claritatis ostendit, dicens: Veni, quia in hac teluceis mansionem suscipio. Quæ subsequente mox febre correpta, ad diem peruenit extremum. Et sicut nobilibus fœminis, virisq; morietibus multi conueniunt, qui eorum proximos consolentur: eadem hora eius exitus multi viri, ac fœminæ letulum eius circumsteterunt, inter quas quoque mater mea affuit. Cùm subito illa sursum respiciens, se sum venientem vidit, & cum magna animaduersione cepit circumstantibus clamare, dicens: Recedite, recedite, Iesus venit. Cùmque in eum intenderet, quem videbat, sancta illa anima carne soluta est, tantæque subito fragrantia miri odoris aspersa est, ut ipsa quoque suauitas cunctis ostenderet illic auctorem suauitatis venisse. Cùmque corpus eius ex more mortuorum ad lauanandum esset nudatum, longæ orationis vsu in cubitis eius, & genibus, camelorum more, inuenta est obdurata cutis excreuisse, & quid viuens eius spiritus semper egerit, caro mortua testatur. Hæc autem gesta sunt ante dominicæ natalis diem. Quò transacto, mox Amilianæ sorori suæ per visitationem nocturnæ visionis apparuit, dicens: Veni, ut quia natalem Domini sine te feci, sanctam Theophaniam iam tecum faciam. Cui illa protinus de sororis suæ Gordianæ salute sollicita, respõdit: Et si sola venio, sororem nostram Gordianam cui dimittis? Cui, sicut asserbat, tristis vultu iterum dixit: Veni: Gordiana etenim soror nostra inter laicas deputata est. Quam visionem mox molestia corporis est secuta, atq; ita ut dictum fuerat, ante dominicæ apparitionis diem eadem molestia ingrauescente, defuncta est. Gordiana autem mox ut solam remansisse se reperit, eius prauitas excreuit, & quod prius latuit in desiderio cogitationis, hoc post effectum prauæ actionis exercuit. Nam oblita dominici timoris, oblita pudoris, & reuerentiæ, oblita consecrationis, conductorem agrorum suorum postmodum maritum duxit. Ecce omnes tres vno prius ardore conuersæ sunt, sed non in vno, eodémque studio permanserunt: quia iuxta dominicam vocem multi sunt vocati, pauci verò electi. Hæc ergo dixi, ne quis in bono iam opere positus, sibi vires boni operis tribuat, ne quis de propria actione confidat. Quia & si iam nouit hodie qualis sit, adhuc cras qualis futurus sit, nescit. Nemo ergo de suis iam operibus securus gaudeat, quando adhuc in huius vitæ incertitudine, qui se finis sequatur, ignorat. Sed quia rem retuli, quæ vos ex diuina districtione perterruit, aliud adhuc è vicino refero, quod ex diuina misericordia perterrita corda vestra consoletur. Quod tamen in sermone alio iam dixisse me meminisse, sed vos nequaquam affuistis. Ante biennium frater quidam in monasterium meum, quod iuxta beatorum martyrum Ioannis, & Pauli Ecclesiam situm est, gratia conuersionis venit. Qui diu regulariter protractus, quan-

Hic filius  
seperatū  
cerdotum.

Sigis crucis  
signum.

Nota quam  
sit factum  
in  
genem Deo  
erant im-  
bere.

quandoque susceptus est. Quem frater suus ad monasterium, non conuersionis studio, sed amore carnali secutus est. Is autem qui ad conuersionem venerat, valde fratribus placebat. At contra frater eius longè à vita eius, ac moribus discrepabat: vivebat tamen in monasterio necessitate potius quàm voluntate. Et cum in cunctis actibus peruersus existeret, pro fratre suo ab omnibus æquanimiter tolerabatur. Erat enim leuis eloquio, prauus actione, cultus vestibus, moribus incultus. Ferre verò non poterat, si quisquam illi de sancti habitus conuersione loqueretur. Facta autem fuerat vita illius cunctis fratribus visu grauis, sed tamè, ut dictum est, pro fratre sui gratia erat cunctis tolerabilis. Aspernabatur valde, si quis sibi aliquid de prauitatis suæ correctione loqueretur: bona non solum facere, sed etiam audire non poterat. Nunquam se ad sanctæ conuersionis habitum venire, iurando, irascendo, deridendo testabatur. In hac autem pestilentia (quæ nuper huius vrbis populum magna ex parte consumpsit) percussus in inguine, est perductus ad mortem. Cùmque extremum spiritum ageret, conuenerunt fratres, ut egressum illius orando protegerent. Iam corpus eius ab extrema fuerat parte præmorum. In solo tantummodo pectore vitalis adhuc calor anhelabat. Cuncti autem fratres tanto pro eo ceperunt anxius orare, quanto eum iam videbant sub celeritate discedere. Tunc repente cepit eisdem fratribus assistentibus anisui, quo poterat, clamare, & orationes eorum interrompere, dicens: Recedite, recedite: Ecce draconi ad deuorandum datus sum, qui propter vestram præsentiam deuorare me non potest, caput meum iam ore suo absorbit: date locum ut me amplius non cruciet, sed faciat quod facturus est. Si ei ad deuorandum datus sum, quare propter vos moras patior? Tunc fratres ceperunt dicere: Quid est, quod loqueris frater? signum tibi sanctæ crucis imprime. Respondebat ille ut poterat, dicens: Volo me signare, sed non possum, quia à dracone premor. Cùmque hoc fratres audirent, prostrati in terram, cum lachrymis ceperunt pro ereptione illius vehementius orare: & ecce subito cepit melioratus æger quibus valebat vocibus exultare, dicens: Gratias Deo, ecce draco, qui me ad deuorandum acceperat, fugit: orationibus vestris expulsus, stare non potuit. Pro peccatis meis modò intercedite, quia cõuerti paratus sum, & secularem vitam funditus relinquere. Homo ergo, qui, sicut iam dictum est, ab extrema corporis fuerat parte præmortuus, referuatus ad vitam, toto ad Deum corde conuersus est: longis, & continuis in conuersatione eadem flagellis eruditus, atque ante paucos dies excrecente corporis molestia defunctus est. Qui iam draconem mortis non vidit, quia illum per cordis immutationem vicit. Ecce, fratres charissimi, Gordiana, quam superius dixi, à sanctimonialis habitus excellentia corruit ad poenam & frater hic, de quo narraui ista, ab ipso mortis articulo rediit ad æternam vitam. Nemo igitur scit, quid de se in occultis Dei iudicij agatur, quia multi sunt vocati, pauci verò electi. Quia ergo nulli de se certum est electum se esse, restat ut omnes trepident, omnes de sua actione formident, omnes in sola diuina misericordia gaudeant, nullus de suis viribus præsumat. Est qui perficiat fiduciam

vestram, ille scilicet, qui in se dignatus est assumere naturam nostram, Iesus Christus Dominus noster, qui uiuit, & regnat cum patre in unitate spiritus sancti Deus, &c.

### CHRISTIANI DRVTH- mari eiusdem Euang. expositio.

ET respondens Iesus dixit iterum in parabolis eis loquens. Quod dicitur respondens, ad cogitationes eorum dicitur respondisse: quia ipsi cogitabant non solum eum disperdere, sed & omnes qui in eum credebant: ideo retulit eis parabolam dicens. Simile factum est regnum cælorum homini regi: qui fecit nuptias filio suo. Christo domino. Et ecclesia, quæ tam ex iudeis quam ex gentibus congregata est. Congregatio iustorum, regnum cælorum dicitur. Regnum vero cælorum, ecclesia est iustum. In hoc pater rex filio nuptias fecit quo ei per incarnationis mysterium sanctam ecclesiam sociavit. Misit seruos suos vocare inuitatos ad nuptias, & noluerunt venire. Serui isti Prophetæ intelliguntur, Dauid cum cæteris: licet enim & lex data fuerit, & per Prophetas Deus nunciatus fuerit tamen neglexit prope omnis mundus mandata Dei. Iterum misit alios seruos dicens: Dicite inuitatis: ecce prandium meum parauit. Isti alij serui Apostoli intelliguntur, qui nobis adnunciauerunt delicias præparatas diligentibus Deum: quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit. E quibus vnus ex persona domini dixit. Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi. Vel prandium scriptura diuina in ecclesia domini. Tauri mei & altilia occisa. Per metaphoram opes regis describuntur: & est species metaphoræ allegoria. Per tauros veteris testamenti martyres intelliguntur: ut Eleazar & Machabæi, quibus concessum fuit quasi cornu defendere, & odire inimicos. Per altilia, aues pastæ intelliguntur. Altilia enim, quasi altilia vocamus, ab alendo, pastæque vulgo vocantur: prophetæ intelliguntur, qui pasti affluerunt spiritu sancto & verbo Dei: alij qui eleuati sunt à terra. Et omnia parata, venite ad nuptias. Et similiter quod Petrus dicebat. Cum videritis exultabitis latitia inenarrabili & glorificata. Illi autem neglexerunt & abierunt, alius in villam suam, alius ad negotiationem suam. In villam suam quis pergit, & ad conuiuium æternum venire contemnit, cum habens possessiones terrenas sufficienter in pròptu habet implere voluptates suas: facit quod eum delectat, & amplectitur quod in præsentia arridet, & negligit intendere quo vocatus est. Alius ad negotiationem pergit, cum habens ministerium aliquod, in quo potest aggregare argentum, vel alias mundi diuitias: vel per negotiationem diuitias acquirere: de his magis cogitat quam de his, quæ spondet in baptismo. Recogitet vnusquisque in quo Deum offendit, & pro quibus Dei præcepta negligit, & intelliget, de quorum numero censetur, & cum quibus in alia vita computabitur. Reliqui vero tenuerunt seruos eius: & contumelia affectos occiderunt. Differentia est inter eos, qui pro voluptatibus suis ad conuiuium æternum venire noluerunt, siue in ecclesia Christiani perfecti: & eos qui seruos ad se missos contumeliis affecterunt, quia isti duplo rei habentur, qui non solum non venerunt: sed & seruos regis

aut contumeliamerunt, aut occiderunt. Quæ omnia Iudæi, ad quos hæc loquebatur, perpetraverunt. Videant quoque omnes Christiani: ne similia illis faciant: ne si nolint venire ad prandium: vel volentibus ire non sint offensio, quia dicitur eis. Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Rex autem cum audisset, iratus est. In initio & homo & rex vocatus est: quia clementia eius ibi narratur: qua ad conuiuium suum omnes venire volentes inuitavit: Hic vero nomen hominis siletur, & rex tantum nominatur, vbi vindictas facturus dicitur. *Missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos, & civitatem illorum succendit.* Ad litteram de Iudæis factum est. Nam quia occiderunt seruos Dei ad se missos vel occidentibus suggesterunt: tunc prophetas, & nunc Apostolos, Iohannem, Iacobum, alium Iacobum, Stephanum, & innumeros alios. Missus est Dei exercitus. Et iuste Dei, quia vindictam Dei exercuit Vespasianus, & Titus: & deleuit homicidas, & templum, quod augustius erat, incendiis: ac postea ab ipsis Romanis ciuitas destructa, & sal in ea dispersum. *Tunc ait seruis suis. Nuptiæ quidem paratæ sunt.* Nuptiæ tunc fuerunt si adiunxissent se ad illud conuiuium. Non fuerunt digni. Non preparauerunt se dignos. *Ite ergo ad exitus viarum.* Euntes docete omnes gentes. In exitibus autem viarum erant gentes, quia nec legem habebant, per quam potuissent peruenire ad eum, qui dixit: ego sum via. *Et quoscumque inueneritis, vocate ad nuptias.* Ita fit quotidie, diuites & pauperes, humiles & superbi, domini & serui, publicani & meretrices, vocantur in commune, & dicitur. *Penitentiam agite: appropinquabit enim regnum celorum. Et egressi serui eius in vias.* In vias: non in viam. Quæ in bonam partem accipitur numero singulari, plurali voluptates, vel sectæ diuersæ sentiuntur. *Congregauerunt bonos & malos.* Requiritur quomodo boni inuenti fuerint inter gentes. Sed sciendum bonos dici ad comparationem malorum, tamē multi boni inuenti sunt inter gentes: vt fuit Iob, Iethro, Achior, & etiam inter ipsos paganos erat multa discretio, quia multi erant, qui vitia detestabantur, & diuitias respuebant, & Deum cæli adorabant. *Et impleta sunt nuptiæ discumbentium.* Nuptiæ hic sunt in præfenti ecclesia. Et scimus, quia ecclesia mixta est de bonis & malis. In cælo soli boni, in inferno soli mali. Boni & mali in præfenti ecclesia. *Intrauit rex, vt videret discumbentes, & vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali.* Vestis nuptialis charitas est: quia per dilectionem Deus ecclesiam sibi sociavit. Potest quoque vestis nuptialis: vestis innocentie, quam in baptismo accipimus intelligi. Intrauit & rex videre vestes, cum in die iudicij merita exquiret singulorum. Sed & quotidie, cum aliquis migrat de corpore hoc, iudicium cum illo agitur. *Vt videret discumbentes,* hoc est in sua fide cognoscentes. *Vnum non vestitum.* Per istum vnum omnes mali intelliguntur, quia sicut omnes boni de vna generatione esse dicuntur: sic omnes mali vnus populus appellatur, quia vnus dominus spiritalis Deus: aut diabolus, aut eris Dei, aut diaboli. *Amice quomodo hic intraisti non habens vestem nuptialem?* Ecce amicū vocat: & vitam eius reprobat, quasi dicat: Amice per fidem, sed non operationem. *Et ille obmutuit.* In tempore illo, non erit vlli excusatio verborum, quia iudex, qui foris increpabit, & interior, & exterior videbit, & testis no-

stra conscientia aliud dicere non audebit, sicut Paulus Apostolus dicit: cogitantibus inter se accusantibus in die, cum iudicabit Deus occulta hominum. *Tunc dicit rex, ministris ligatis manibus eius & pedibus.* Ligabantur manus & pedes, quia tunc omnis nostra actio cessabit. *Mittite eum in tenebras exteriores:* Interiores tenebræ sunt cecitas mentis, exteriores, tenebræ æternales: vbi lux dicitur. Qui ergo hic non curavit pati interiores tenebras, illic etiam patietur exteriores. *Ibi erit fletus & stridor dentium.* Per fletum oculorum & stridorem dentium & resurrectione corporum, & magnitudo tormentorum exprimitur: vt illic oculi defleant, quia hic de edacitate gaudebant: dentes strideant, quia hic de edacitate gaudebant: quatenus singula membra quæq; supplicio subiacent, quæ hic singulis quoque vitis subiecta seruiebant. *Multi enim sunt vocati, pauci vero electi.* De Christianis dictum est, qui per fidem & baptismum vocati sunt: quia intra ecclesiam habentur: sed operibus diabolo fidem seruantes, mentiū Christo per Christianitatem noscuntur. Ideo necesse est, vt vnusquisque nostrum in humilitate se deprimat: quia si est electus, ignorat.

### HAYMONIS EPISCOPI Halberst. superioris Euang. expositio.

*Simile est regnum celorum homini regi qui fecit nuptias filio suo.* Parabola Græcè, Latine dicitur similitudo, eò quod aliud exterius sonet, & aliud intrinsecus tegat, sicut in sequentibus videbimus. *Simile est regnum celorum homini regi qui fecit nuptias filio suo.* Regnum celorum in hoc loco congregatio iustorum dicitur, quia dum electi in hoc seculo præfenti, nihil terrenum desiderant, sed habentes victum & vestitum his contenti sunt, & toto mentis desiderio ad patriam caelestem tendunt iam in eorum cordibus quasi in cælis dominus regnat. Et ipsi sunt cæli, iuxta illud Psalm. Cæli enarrant gloriam Dei. Istud regnū celorum simile esse dicitur homini regi, Deo videlicet patri, quia decet vt omnia membra caput sequantur, sicut ipse dicit: Sancti estote quia ego sanctus sum. Deum enim sancta ecclesia sanctitati studet, similis Deo efficitur, non natura, sed imitatione. Ipse enim dominus in alio loco præcepit dicens: Estote perfecti, quia ego perfectus sum. Et alibi: Estote misericordes, sicut & pater vester misericors est. Iste homo rex Deus pater intelligitur, qui non ideo homo dicitur, vt persona patris incarnata sit, sed propter largitatem misericordie, quam impendere dignatus est. Iste est rex, cui supplicat David pro filio suo dicens: Deus, iudicium tuum regi da, & iustitiam tuam filio regis. Imperauit David, quod petiit. Deus pater iudicium suum dedit filio suo Iesu Christo, hoc est, quod ipse dominus in euangelio dicit: Pater non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit filio suo. Dedit illi iustitiā suam, vt reddat vnicuique iuxta opera sua: quia iustitia est reddere vnicuique quod suum est. *Simile est regnum celorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo.* In hoc Deus pater filio suo domino nostro Iesu Christo fecit nuptias, quod ei per incarnationis mysterium sanctam Ecclesiam copulauit. Sponsus est Christus, sponsa san-

Nota contra  
Novatianos  
tandem  
gentium  
Dni.

L. Ioh. 6.

Ioh. 5.  
Matth. 6.

cta Ecclesia. Vnde Iohannes Baptista dicit. Qui habet sponsam, sponsus est. Huius sponsi thalamus verus virginis fuit, de quo dicit Psalm. Tanquam sponsus dominus procedens de thalamo suo. Dominus ergo tanquam sponsus processit de thalamo suo, quia ad coniungendam sibi per fidem sanctam ecclesiam de inchoatū vtero, id est, inchoatū virginis Maria exiuit. Et quotidie nuptiæ celebrantur, id est, quotidie copulantur homines Deo per fidem rectam, per dilectionem veram, per operationem bonam, per gratiam baptismi, per donum spiritus sancti, per perceptionem corporis, & sanguinis domini, & per obseruationem mandatorum Dei. Habe fidem, & Deo coniungeris, percipis corpus domini, ipse habitat in te, sicut in euangelio dicit: Qui manducat carnem meam, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo. *Et ipse misit seruos suos vocare inuitatos ad nuptias.* Iste rex, qui fecit nuptias filio suo, misit seruos suos vocare inuitatos ad nuptias. Qui sunt isti inuitati? Iudei, qui vocati fuerunt in Abraham, Isaac, & Jacob. Ad quid fuerunt inuitati? Ad gloriam caelestem, & ad credendam incarnationem Iesu Christi. Qui sunt serui, qui eos inuitauerunt? Propheta, Moses, Hieremias, & cæteri Prophetae. Videamus quomodo inuitabat Moses, qui dicit: Propheta suscitabit Deus de fratribus vestris, tanquam me ipsum audieris, iuxta omnia, quæcunque dixerit vobis. Omnis anima, quæcunque non audierit prophetam illum, exterminabitur de populo suo. An non inuitabat Esaias, qui dicit: Ecce dominus dabit vobis signum. Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel? An non desiderabat eum David videre, qui dicebat: Excita, domine, potentiam tuam & veni, vt saluos facias nos, & ostende faciem tuam, id est præsentiam tuam, & saluati erimus? Et multa his similia testimonia inuenimus in libris prophetarum, quibus prophetae inuitauerunt populum Israëliticum ad patriam caelestem, & ad credulitatem incarnationis filij Dei. *Illi autem noluerunt venire ad nuptias,* id est noluerunt credere incarnationem Christi. *Iterum misit alios seruos.* Serui illi, qui primò missi sunt ad inuitandum populum Israëliticum, (sicut diximus) fuerunt prophetae: isti autem qui secundò mittuntur, fuerunt apostoli. Quod ergo prophetae dixerunt de Christo venturum esse, hoc apostoli denunciarunt factum. Prophetae, sicut supra dictum est, prædixerunt incarnationem Christi, natiuitatem illius, prædicationem, passionem, resurrectionem à mortuis, ascensionem ad cælos, quæ omnia prædicauerunt Apostoli per totum mundum esse completa. *Dicit inuitatis: Ecce prandium meum paratum, tauri mei, & altitia mea occisa, & omnia parata sunt, venite ad nuptias.* Prandium in mensa paratur. Mensa est sacra scriptura, de qua Psalm. dicit: Parasti in conspectu meo mensam. Prandium ergo in mensa sunt diuina eloquia de aduentu filij Dei in scriptura promissa, in quibus est pastus animarum. Quia sicut corpus non potest viuere sine cibo corporali, ita anima non potest viuere sine cibo spiritali. *Tauri mei, & altitia mea occisa sunt.* Per tauros intelliguntur patres veteris testamenti, quibus dicitur in lege: Diliges amicum tuum sicut teipsum. Iudæi tauri erant, quia sicut tauri cornibus feriunt, & defendunt, ita Iudæi ex permissione legis feriebant hostes suos gladio, & percutiebant. Vn-

de legimus in lib. Macha. quod tria milia Iudæorum occiderunt vna vice centum milia gentium. Et in alio loco in eodem libro legimus quod sex, id est Iudæorum, occiderunt vna vice centum viginti, id est gentium. Dum ergo ita se de inimicis vindicarent, & ita percuterent, accepta licentia per legem, quid aliud quàm tauri erant? Per altitia designantur patres noui testamenti, Apostoli, martyres, confessores, & virgines. Altitia dicuntur quasi altitia, ab alendo, id est à nutriendo. Altitia namque duo habent, pinguedinem, & volatum. Et sancti apostoli, Martyres, Confessores, atque Virgines pinguedinem habent, id est spiritum sanctum, de quibus Psalm. dicit: Sicut adipe, & pinguedine repletur anima mea. Habent etiā volatum, quia per mentis contemplationem terrena deserentes, ad caelestem patriam tendunt, dicentes cum beato Paulo apostolo: Nostra conuersatio in cælis est. Quod intus propheta dicit: Qui sunt hi, qui vt nubes volant, & quasi columbæ ad fenestras suas? Sancti apostoli nubes sunt, quia sicut ex nubibus procedit pluuia, ita sancti apostoli pluunt verbis, & coruscant miraculis. Ipsi etiam & columbæ sunt, quia illud attendunt, quod dominus dicit illis. Estote prudētes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. *Tauri mei, & altitia mea occisa sunt.* Ac si diceret: Patrum præcedentium mortes aspice, & remedia vitæ vestræ cogitate. *Et omnia parata sunt, venite ad nuptias.* Vox Dei patris est dicta ad Iudæos per seruos apostolos. *Omnia parata sunt,* id est omnia completa sunt, quæ prædicta sunt de filio meo. Incarnatus est filius meus, natus est, prædicauit euangelium, & fecit miracula in mundo, passus est, sepultus est, descendit ad inferna, & liberauit electos suos, tertia die resurrexit à mortuis, ascendit ad cælos, venturus est ad iudicium. *Venite ad nuptias,* id est credite incarnationem eius. *Illi autem neglexerunt,* id est noluerunt credere in Christum, id est neque per prædicationem prophetarum, nec per prædicationem apostolorum. *Et abierunt alius in villam suam, alius vero in negociationem suam.* Per villam verò intelligitur terrenus labor, vel terrena actio, per negociationem verò intelliguntur lucra mundana. In villam vadit, qui terreno labori immoderate incumbit, in negociatione vadit, qui lucra mundana sectatur. Dum enim Iudæi terrenis actibus, & lucris mundanis inserviunt modò, vel se implacant, ad nuptias filij Dei venire, id est incarnationem illius credere nolunt. *Reliqui vero tenuerunt seruos eius,* id est illi, qui non receperunt euangelium. Magna diuersitas est, maioris enim culpræ sunt, qui à mundanis rebus immunes existunt, & Dei præcepta negligunt, quàm illi, qui in terreno labore immoderate seruiunt, & præcepta Dei male viuentes conculcant. *Reliqui vero tenuerunt seruos eius, & contumelias,* id est verberibus affectos, id est afflictos, occiderunt, hoc est, flagellantes, & in carceribus recludentes occiderunt eos. Quod ergo per contumeliam designantur flagella, & carceres, manifestatur nobis in Actibus apostolorum, cum dicit Lucas de apostolis, quod ibant gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati, id est flagellari, & in carceribus recludi, & opprobria verborum sustinere. *Rex autem cum audisset, iratus est.* Quare dicitur rex irasci, cum semper incommutabilis maneat, & nullo modo possit irasci. *Bibl. Hom. tom. 3. Fff 3 cit Sed*



ci: Sed ira eius vindicta intelligitur. Tunc enim irasci Deus dicitur, quando de peccatis nostris vindictam reddere compellitur. *Et missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos, & civitates illorum succendit.* Exercitum dupliciter intelligere possumus, scilicet Romanorum, & angelicas potestates. Deus pater quadragesimo anno post ascensionem filij Dei domini nostri ad celos misit exercitum Romanorum cum ducibus, Tito videlicet, & Vespasiano in Iudæam, & interfecit Iudæos interfectores filij sui, & civitatem illorum, id est Hierusalem & templum succendit igni. Vel aliter. Per exercitum Dei intelliguntur angelicæ potestates, quia per ipsos omne iudicium exercet in hominibus. Unde & dominus Sabaoth dicitur, id est exercituum, & virtutum. Dominus enim per angelos aut remunerat bonos: Unde legimus de Lazaro, quia mortuus est, & portatus ab angelis in sinum Abraham, aut dicitur reprobus: Misit ergo Deus pater exercitus suos, id est angelos, & perdidit homicidas illos, id est persecutores Apostolorum, ac Martyrum, animas illorum mittendo in infernum, & civitatem illorum succendit, quia non solum animas illorum, verum etiam & corpora illorum, in quibus habitauerunt, in die iudicij igni inextinguibili tradet in inferno. *Tunc ait servus suis: Nuptiæ quidem paratæ sunt,* id est filius meus homo factus est, iam copulavit sibi sanctam ecclesiam, iam redemit genus humanum, iam surrexit à mortuis, iam ascendit ad celos, iam venturus est ad iudicandum genus humanum. *Sed qui inuitati sunt,* id est Iudæi non fuerunt digni, ut credentes salventur. *Ite ergo ad exitum viarum.* Hoc est, quod alibi dicitur: Euntes in mundum uniuersum, prædicate euangelium omni creaturæ. *Et egressi serui eius.* Hoc est, quod idem Euangelista Marcus subinfert: Illi autem profecti prædicauerunt vbi que, &c. Per vias intelliguntur dogmata, & errores gentilium: Populus enim gentium varia dogmata, & varios errores sectabatur, quia quidam adorabant Iouem, quidam Mercurium, quidam Apollinem. *Congregauerunt omnes, quos inuenerunt bonos, & malos.* Inter ipsos Ethnicos, vel inter ipsos gentiles, Paganos, magna diuersitas est, quidam enim dediti sunt virtutibus, ipsos appellat bonos, vel boni dicuntur, qui venientes ad cognitionem Dei in fide recta, & operatione congrua perseuerant. Mali, qui fidem, quam perceperunt, malis operibus destruunt, de quibus Paulus apostolus: Confitentur se nosse Deum, factis autem negant. *Et impleta sunt nuptiæ discumbentium,* id est impleta est sancta ecclesia multitudinem credentium bonorum, & malorum. Hic datur nobis intelligi, quod per has nuptias designatur sancta ecclesia, in qua boni simul cum malis congregantur. Sicut enim media est inter cælum, & infernum hæc ecclesia, ita & vtriusque patris ciues in se continet, id est illos, qui ascensuri sunt ad cælum, & illos, qui descenduri sunt ad infernum, quia nusquam sunt soli boni nisi in cælo, & nusquam sunt soli mali nisi in inferno. Hæc vita permixta est, quia nescit adhuc tenere discrimen inter bonos, & malos. *Intrauit autem rex.* Introitus regis ad nuptias aduentum filij Dei signat ad iudicandum genus humanum in nouissimo die. *Vt videret discumbentes,* id est in fide sua quiescentes. *Et vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali.* Vnus homo designat omnes reprobos, qui in malitia vnti sunt. Vestis nuptia-

Marc. 16.

lis signat charitatem, quæ constat in duobus præceptis in dilectione videlicet Dei, & proximi. Quia sicut vestis inter duo ligna textitur, id est inter superius, & inferius, ita & charitas in duobus præceptis adornatur, in dilectione Dei, & proximi. Intrauit ergo ad nuptias, id est in sanctam ecclesiam, quæ creditur, & baptizatur. Sed vestem nuptialem non habet, qui dilectione Dei, & proximi caret. Hanc vestem dominus induit, cum pro nobis incarnari voluit, sicut Ioannes Apostolus dicit: Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vni-genitum daret. *Amicæ, quomodo huc intraisti, non habens vestem nuptialem?* Amicæ vocat quia per fidem vocatus ad nuptias venit. Sed statim reprobat illam, quia non habuit operationem fidei, quæ per dilectionem operatur. *At ille obmutuit.* Quare obmutuit? Quia in die iudicij non erit vlla facultas excusandi, ipse enim dominus, qui exterius aduertit reprobos, ipse erit interioris testis conscientiarum illorum. *Tunc dicit rex ministris,* id est angelis suis, per quos & electi remittentur, & reprobi puniuntur. *Ligatis manibus, & pedibus, mitte eum in tenebras exteriores, vbi erit fletus, & stridor dentium.* Tenebras exteriores noctem eternæ damnationis appellat, id est infernum: Tenebræ interiores sunt cæcitas mentis. Qui ergo hic sponte sua incidit in cæcitatem cordis, illic mittetur inuitus in tenebras eternæ damnationis. Et illic ligabuntur pedes, & manus in pæna, qui modo noligantur à culpa. Pedes, qui modo nolunt currere ad visitandum infernum, vel ad sepeliendum mortuum, & manus, quæ modo nolunt extendere se ad eleemosynam pauperibus erogandam, tunc ligabuntur in pœnis inferni, ibi erit fletus, & stridor dentium. Fletus oculorum est, stridor dentium. Per fletum in hoc loco ignis intelligitur, quia ex igne nascitur fumus, ex fumo nascitur aliquando fletus oculorum. Per stridor dentium intelligitur frigus. Inter cætera tormenta duo maxima mala erunt in inferno caloris, & frigoris. Unde dicit Iob: à calore nimio transibunt ad aquas niuium. Illic, id est in inferno stridebunt dentes præ nimietate frigoris, qui modo de edacitate, & ebrietate gaudent. Et illic stebunt oculi præ nimietate caloris, qui hic aperiuntur ad concupiscentias mundanas. *Multi enim sunt vocati, pauci vero electi.* Multi sunt vocati per fidem, sed pauci sunt electi, qui ipsam fidem bonis operibus adornant. Sicut enim in area plures sunt paleæ quam grana, ita & modò plures sunt in sancta ecclesia reprobi quam electi. Et sicut cum grana separantur à paleis, horreum dominicum implent, ita & cum electi fuerint separati à reprobis in die iudicij, & audierint à domino: Venite benedicti patris mei, percipite regnum, implebunt patriam cælestem cum angelis. Ad quorum consortium introducat nos dominus Iesus Christus cui est honor in secula seculorum, Amen.

Ioan.

Fides non sufficit ad salutem.

**INCERTI AVTHORIS**  
*sub nomine Eusebii Episcopi Emisseni*  
*superioris Euang. expositio.*

**T**unc enim Deus pater, qui omnium rex & dominus est, filio suo domino nostro Iesu Christo nuptias fecit, quado eum vt carnem nostram susceperet in mundum misit. Ipse enim speciosus

formosus forma patris filii hominum, nostræ carni coniunctus, tanquam sponsus processit de thalamo suo. Ipse sibi gloriosam ecclesiam (vt Apostolus ait) sponsam elegit, non habentem maculam, neque rugam. In istarum enim laudibus nuptiarum, totus ille liber editus est, qui Cantica Canticozum vocatur. *Et misit seruos suos vocare inuitatos ad nuptias, & volebant venire.* Omnes enim patriarchæ, & prophete ad Christi nuptias Iudæos inuitauerunt, omnes eius aduentum prædixerunt, omnes noui testamenti delicias laudauerunt, ipsi tamen venite, & eas recipere noluerunt. *Iterum misit alios seruos, dicens: Dicit inuitatis, ecce prandium meum paratum, &c.* Illi enim alij serui, Apostoli sunt, & doctores, qui iam paratis nuptiis, & scripturis ad intelligendum apertis, prædicare & ad nuptias Iudæos inuitare à domino missi sunt. Torum enim hoc prandium quid aliud est, nisi spiritalis intelligentia vtriusque testamenti? Hic enim tauros & agnos, & aues, & cuncta ad alendum, & edendum delitiosa inuenies. His enim cibis reficitur anima, his delicias saturatur & pinguefcit intelligentia. Quasi enim tauri sunt quæque sententiæ maiores, & ad tenendum, & intelligendum difficiliore. Aues enim sunt sine alites, quæ altius volando, & de spiritalibus loquendo mentes nostras ad caelestia eleuant. Hæc autem tunc occisa & parata sunt, quando intellectu & ratione superata & memoriæ commendata, iam neque fugere neque intelligentiæ resistere possunt. De tauris enim siue vitulis per Osam dicitur: Omnem aufer iniquitatem, & accipe bonum, & reddemus vitulos laborum nostrorum. *Quid sunt enim vituli laborum nostrorum, nisi sententiæ scripturarum, & laudes Dei quæ in eis continentur? Quod verò etiam auis sacra scriptura dicitur, audi quid per Moysen dominus dicat, Si ambulans per viam nidum auis in arbore vel in terra inueneris, & auem, pullis, vel ouis desuper incubantem, dimitte auem, captos tenens filios, vt bene sit tibi, & lingo viuas tempore. Hæc enim auis litera est, quæ sub alatum velamine pullos vel oua, id est spirituales intelligentiam claudit. Quæ quidem per loca difficiliora in arbore, per planiora verò in terra nidificat. Per huius igitur voluminis viam ambulantes, huius auis nidum aliquando in arbore, aliquando in terra inuenimus. Vt igitur longo viuamus tempore, dimittamus auem, & literam quæ occidit, teneamus pullos & oua, id est spirituales intelligentiam quæ viuificat. Et isti quidem sunt illi tauri, hæc sunt illæ aues, hæc sunt illa altitia, quæ in nuptiis filij sui nobis Deus præparauit. Has autem delicias Iudæi neglexerunt, has recipere & comedere noluerunt. Ideoque abierunt alij in villam suam, alij verò in negotiationem suam. Nos enim in ciuitate Dei, nos in sancta Ecclesia harum nuptiarum delicias edimus: illi autem in villa morantur, illi autem in grosso pane literæ, & rusticano cibo ecclesiam sunt. Possunt autem Iudæorum villæ, singuli legis, & prophetarum libri intelligi. Et quoniam Iudæi vbi que terrarum de fraude, mercato, vsura, & deceptione viuunt, non immerito ad negotiationem suam abiisse dicuntur. Reliqui verò venerunt seruos eius, & contumelijs affectos occiderunt. Per hos enim illos intelligimus, qui primitiuam ecclesiam persecuti sunt. Unde & de Apostolis*

dicitur, quia ibant gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habitati sunt pro nomine Iesu contumelias pati. *Rex autem qui misit, iratus est, & missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos, & civitates illorum succendit.* Hæc autem quia secundum literam facta sunt, allegoricè exponere non videtur esse necessarium. Post quadraginta namque & duos annos, exercitus suos, id est, Romanorum principes aduersus Iudæos dominus misit, qui eos occiderunt & vendiderunt: & non solum eorum ciuitates, verum etiam ipsam templi famosissimum succenderunt. *Tunc ait seruis suis: Nuptiæ quidem paratæ sunt, sed qui inuitati erant, non fuerunt digni.* Quid nuptiæ significant, superius diximus, quibus quoniam Iudæi indigni fuerunt, Gentilis populus ad eas comedendas vocatur. *Quid est autem præparatio nuptiarum, nisi sanctarum expositio scripturarum? Ite ergo ad exitum viarum, & quoscumque inueneritis, vocate ad nuptias.* Non est enim personarum acceptor Deus, sed in omni gente qui timet eum & operatur iustitiam acceptus est illi. Vbi que suos discipulos mandauit, omnes ad fidem vocat, cunctos ad regni sui gloriæ inuitat. *Et egressi serui eius in vias, congregauerunt omnes, quos inuenerunt, bonos, & malos, & impleta sunt nuptiæ discumbentium.* In hac enim area frumentum, & paleæ, triticum, & zizania, boni, & mali simul versantur. Impletæ sunt nuptiæ, conuenerunt gentes, annunciauerunt Apostoli, & locuti sunt, multiplicati sunt super numerum. *Intrauit autem rex, vt videret simul discumbentes, & vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali.* Quomodo enim alieubi intrat, qui vbi que est? Quia enim omnipotens Deus non statim punit, & in multa patientia nos sustinens peccata nostra videre dissimulat, quasi abiisse videtur. Adest autem, quando nos punire & affligere incipit. Veste autem nuptiali indutus non est, qui fidem non habet, & Christum non imitatur. Unde Apostolus ait, Exiite vos veterem hominem & induite nouum. *Quicumque enim baptizati estis in Christo Iesu, Christum induistis.* *Et ait illi, Amicæ, quomodo huc intraisti, non habens vestem nuptialem?* *At ille obmutuit.* Hoc enim illis specialiter videtur dicere, qui ad Christi corporis, & sanguinis sacramentum indignè accedunt. Poterat enim iste respondere, se cum veste nuptiali ad conuiuium venisse, sed etiam postea amisisse, nisi quia stupore & timore oppressus obmutuit. *Tunc dicit rex ministris, Ligatis pedibus, & manibus eius, mitte eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus, & stridor dentium.* Hæc enim sententia datur in illos, qui excusationis verbū nullum habent, quod Deo respondeat. Semper enim his nuptiis Deus interest, semper bene & male indutos videt: & quamuis ipse à nemine videatur, semper tamen alios ad pœnam, alios ad gloriam parat & iudicat. Quod enim pedes, manusque ligantur, sine viribus & fortitudine eos esse ostendit. Tenebræ verò exteriores sunt, vltra quas alia tenebræ non sunt. In fletu verò & stridore dentium, doloris immensitas significatur. *Multi autem sunt vocati, pauci verò electi.* Multi enim vocantur ad nuptias, pauci verò introducuntur in regis thalamum & gloriam.

THEOPHYL. EPISCOPI

Bulgar. superioris Euangelij expositio.

Et respondens Iesus dixit illis per parabolas dicens, simile factum est regnum calorum homini regi, qui fecit nuptias, &c. Et haec parabola Iudaeorum inobedientiam subindicat, sicut & superior de vinea. Verum, sicut illa mortem Christi, ita haec nuptiale gaudium, hoc est resurrectionem declarat. Ceterum haec monstrat multo atrociora quae patrarint illi, quam superior. Illi enim cum exigerentur fructus, occidebant eos, qui exigebant: hi autem cum vocaretur ad nuptias, homicidium fecerunt. homini igitur regi similis est Deus. Non enim apparet ut est, sed qualem decet ut nobis se videndum exhibeat. Nam quando uti homines morimur humanis peccatis obnoxij, ut homo nobis apparet Deus: quando autem ut dii ambulamus, tunc stat Deus in synagoga deorum: sicut & quando naturas ferarum assumimus; fit & ille nobis pater, & vltus, & leo: facit autem nuptias filio suo copulas eum omni formosae animae. Sponsus enim Christus, sponsa autem ecclesia & anima.

Apo. 19. & 21.

Hebr. 13.

Luc. 14.

Duplici vocatio interna, & externa.

& civitatem illorum Hierusalem succenderunt, ut Iosephus dicit. Tunc dicit seruis suis, Nuptiae quidem paratae sunt: sed qui invitati erant, non fuerunt digni, &c. Quoniam priores serui, Moyses, & prophetae, non persuaserunt: alios quoque seruos mittit apostolos, qui gentiles vocarunt in via vera non incedentes, sed alios aliud diuitios, & in viis pluribus, & dogmatis discordes, immo existentes iuxta exitus viarum, hoc est in errore, & inaequalitate multa. Nam & ipsi inter se dissidebant, & tumultuabantur: & non in viis erant, sed extra vias, & illa sunt mala eorum dogmata, quae docebant. Non omnes diligebant aequaliter, sed alij hoc modo, alij alio. Quid si sic melius intelligatur? Via est vita vniuscuiusque: exitus a via, dogma. Gentiles igitur, qui vias habebant malas, hoc est vitam reprehensibilem, ab ea mala via exierunt in dogmata impia, sedos sibi deos constituentes patronos vitiorum. Egressi igitur apostoli a Hierusalem ad gentes, congregauerunt omnes tam malos quam bonos, hoc est omni malitia repletos, & minus malos, quos & bonos nominat, si aliis conferantur. Ingressus autem rex ut videret discumbentes, ubi vidit illic hominem non vestitum veste nuptiali, &c. Ingressus ad nuptias sine diiudicatione fit. Gratia enim sola omnes vocati sumus tam boni quam mali: vita eorum, qui ingressi fuerint, posthac non indisciplinata erit, sed examen valde magnum faciet rex eorum, qui post ingressum in fordido habitu inueniuntur. Horreamus igitur: cogitantes, quia nisi quis vitam habeat putam, nihil ei proderit nuda fides: non solum enim de nuptiis eiicitur, sed & in ignem mittitur. Quis est ille fordida vestimenta gerens? Is, qui non indutus est viscera miserationum, fraternitatem, benignitatem. Multi igitur seipso decipientes, etiam in seipsum putant quod regnum celorum assequantur, & seipso simul immiscunt discumbentium choro, sentientes de seipsis magna. Rationem igitur famens dominus ab indigno illo monstrat nobis duo haec: vnum, quod misericors sit alteri, quod & nos nullos condemnare debemus, etiam si manifeste peccent, nisi redarguantur peccantes. Dicit igitur dominus ministris angelis tortoribus; Ligatis manibus, & pedibus, id est, operatiuis eius virtutibus. In seculo enim praesenti operari possumus, in futuro autem seculo ligantur omnes virtutes animae operatiuae & non potest fieri aliquid boni in abluitionem peccatorum. Stridor autem denti, poenitentia est, quae tunc stulte, & inutiliter fit. Multi autem sunt vocati, pauci vero electi. Pauci enim qui saluantur, & qui digni ut eligantur a Deo: ita ut Dei quidem sit vocare: electos autem fieri, vel non, nostrum est. Ostendit igitur quod propter Iudaeos dicta sit parabola: qui vocati quidem fuerunt, non autem electi, eod quod non audierunt.

Amicus inquitur uos, qui peccati de seipsum peccati.

Logarithmum hunc praevidit huiusmodi quibus in inuicem alii habent.

Non possunt quidem manibus suis quodquam mereri, sed nihil prohibet, quia vni pro illis possunt. Nisi solus vni sit, sed & dicitur fit ex Deo gratia, huiusmodi abique nostra cooperatione.

nuptias vero mysticam filij coniunctionem ad ecclesiam credentium: Duplicem autem intelligimus huiusmodi coniunctionem: & quae hic fit per fidem, ac virtutes ceteras, & quae illic magis supernaturaliter perficienda est. Id autem vocat nuptias, tum propter desiderium, quod habet ad ecclesiam, tum propter ipsius Ecclesiae gaudium. Si quidem & Baptista sponsum illum appellauit, seruos quoque dicit apostolos, qui primum Ierolymis docuerunt. Inuitatos vero Iudaeos, qui primum ad huiusmodi nuptias fuerant inuitati: olim quidem a prophetis, postmodum vero a Baptista: si quidem ad hunc populum ipsos seruos transfudit. Praeterea quoque & ab ipso sponso. Et vide hinc quidem Iudaeorum prauitatem, illinc autem saluatoris bonitatem. Illi enim occiderunt, ipse vero, cum essent homicidae, rursum vocat eos ad gaudium sempiternum, illi autem ab eo resiliunt. Rursum emittit alios seruos dicens, &c. Priores quidem seruos intelligit Petrum & qui cum eo erant, Posteriores vero Paulum, & suos. Prandium autem, & tauros, ac altilia mactata siue parata dicit iuxta morem, qui seruari solet in nuptiis. Et hic quidem dici possunt deliciae diuinorum dogmarum: in futuro autem celeste gaudium, ac fructio. Per tauros vero, & altilia, pretiosissimas, ac magnificentissimas conuiuij declaratur. Illi vero neglexerunt, & abierunt, &c. Despererunt inuitationem: abierunt ad propria opera: hoc est, detenti sunt iis, quae priora, ac posteriora habebant. Reliqui vero apprehensos seruos eius, &c. O impudentiam! Non solum non venerunt, sed & eos, qui ad se missi erant, contumelia affecerunt, & occiderunt. Et in praecedenti quidem parabola illi iugulati sunt, qui fructus repetebant, in hac autem qui ad nuptias vocabantur. Quid huic insanij aequari poterit: quo magis rex patiens est, & humanus, eo duriores efficiuntur hi, ac ferociores. Quumque audisset rex ille, iratus est, &c. Vide gubernationem, ac tolerantiam ineffabilem. Plantauit vineam, & ad perfectum perduxit: tradidit eam agricolis, & peregre profectus est. Emisit in tempore seruos, repetes fructus: his interfecit, emisit alios: etiam his iugulatis, suum misit filium dilectum: quo etiam iugulato, patienter sustinuit: imò missis seruis homicidas ad gaudium aeternum inuitauit: noluerunt venire: rursum alios misit: illi autem & hos interfecerunt. Tunc demum quasi insanabiliter aegrotantes, occidit scelestos, ac perditos illos. Exercitus vero eius, intellige exercitus Romanorum (Omnes enim Dei sunt ratione creationis) qui sub Vespasiano, & Tito homicidas iugularunt, ac civitatem eorum Ierolyma succenderunt. Tunc ait seruis suis, Nuptiae quidem paratae sunt, &c. Exitus viarum dicit ciuitates, & vicos gentium, quae vocantur exitus viarum, significans abiectionem gentium: in exitibus enim abiectionis commorantur. Primum siquidem apostoli Iudaeis praedicabant, quum adhuc apud eos essent: postquam autem illos eiecerunt, dicit eis Paulus; Vobis oportuit primum loqui verbum Dei: quia autem indignos vos indicastis, ecce conuertimur ad gentes. Atqui, postquam resurrexit Christus, statim hos ad gentes emisit dicens; Euntes docete omnes gentes. Quomodo ergo primum Iudaeis praedicauerunt? Scribit Lucas libro Actorum, quod, quum ascensus esset Christus in caelum, quod dicitur a apostolis; Accipietis virtutem, superueniente

spiritu sancto super vos, & eritis mihi testes in Ierusalem, & in omni Iudaea, & Samaria, & vsque ad extremum terrae. Ecce quomodo significauerit, quod a Ierolymis inchoaturi essent. Et egredi si serui illi in vias congregauerunt, &c. Malos nominat malis assuetos, aut intemperantes in affectionibus: bonos vero simplices, ac temperantes ad irracionales impetus, quibus simul omnibus praedicauerunt apostoli, omnes ex aequo inuitantes ad coniunctionem cum Christo, & eam, quae in praesenti est seculo, & quae erit in futuro. Et impletae sunt nuptiae discumbentibus, &c. Dicens, quod impletae sunt nuptiae siue domus nuptiarum, significauit quod multi ingressuri sunt vsque ad mundi consummationem. In sequenti vero parabola docet de futuro iudicio. Tu autem nihil profundum scrutaris, puta quis sit sponso: & quo modo simul cum decenter ornatis ingressus est is, qui nuptiali ornatu carebat, & si quid est simile. Periculosa enim est talium indagatio, & propter profunditatem speculationis illorum, & propter libertatem parabola, suamque legem. Si quidem id solum trahendum est hinc, quod neminem securum esse oporteat, eod quod ad nuptias intrauerit, sola videlicet in Christum fides: sed postquam baptisate ablutus est, opus est veste etiam nuptiali indui: hoc est, ornatum esse ac dignum futuris nuptiis. Est autem haec vestis & ornatus, vita pura ac splendida, in modum vestis virtutibus contexta. Hominem itaque non vestitum veste nuptiali, appellauit omnem hominem indigne ornatum. Vestis vero non nuptialis, vita est fordida, & imputa. Amicum autem dixit ut pote Christianum, quoniam indigne tali appellatione conuersantem. Atqui per gratiam, omnes vocauit: quomodo ergo eos scrutatur? Quia conuenit etiam eum, qui ad nuptias vocatus est, regio ornatu omnino ingredi, & decenti stola, gratiae vocationis respondere. In corruptibilibus enim nuptiis respondere quispiam posset, quod digna stola difficilis inuentu foret: in his autem in corruptibilibus nuptiis ablata est omnis excusatio: in proximo namque est ornatu ac inuentu facilis: si modo illum verè quaeferimus. Iuste itaque illum eiicit, qui ornatu non erat, tanquam seipsum ac negligentem. Si quidem, sicut in iuste erga illum egerunt, qui non venerunt, ita & qui fordidi ingressi sunt. Sordida namque gerit vestimenta qui indutus non est viscera, misericordiae, benignitatem, fraternum amoris, & similia. At ille obmutauit. Ut pote nihil habens, quod responderet, dum is, qui peccauit, seipsum condernat. Tacere enim, nec posse aliquo modo respondere, condemnationis est indicium. Tunc dicit rex ministris. Angelis, qui ad puniendum subministrant. Tanquam autem facta dicit ea, quae futura sunt in modum prophetiae: Ligatis illi manibus, & pedibus, tollite, &c. Catena vocat detentionem, siue cessationem operationis, quae manibus, ac pedibus perficitur. Tunc enim cessabit peccatorum operatio, nec amplius vel vna actio ad iudicem placandum dabitur. Operationis siquidem praesens tempus est, futurum vero retributionis. Ligantur autem manus, quae iniqua perpetrabant: pedes vero qui ad peccatum gradiebantur. Ibi erit fletus, & stridor dentium. Ne putet quispiam quod solae tenebrae sint eiusmodi punitio, hoc est, sola lucis priuatio, addidit, ibi erit fletus, & stridor dentium: acerbos

Vides ne sufficere ad salutem professionem veri christianismi & fidem veram habere, sed adhuc opus esse vitam puram & virtutibus ornata.

Mat. 13.

Mat. 23.

Act. 1.

acerbos demonstrans, ac doloribus plenos, qui erunt ibi, cruciatus. Audiamus, & horreamus, quotquot post diuini baptismatis ablutionem, animam perdita vita fordidauimus, eo quod non tantum à nuptiis eijciendi sumus, verum etiam in miserimū supplicium detrudendi. Habenda est iraque cura de stola interiori, & non de exteriori: quoad enim de externa curauerimus, de interna curam habere non poterimus. Queret autem

fortassis aliquis, quomodo patri potius non coniungatur ecclesia quam filio? & audiet omnino, quod filius, qui carnem assumpsit, cum ea cōuersatus est: & quod filio coniuncta, etiam patri coniungitur. Dicit enim filius, Ego & pater vnus sumus. Et, qui vidit me vidit & patrem. Multi enim sunt vocati, pauci verò electi. Hoc etiam dixit in fine parabola de operariis mercede conductis.



# DOMINICA XX. POST PENTECOSTEN.

I O A N. 4.



**N**illo tempore, erat quidam <sup>a</sup> regulus cuius filius infirmabatur Capharnaum. <sup>b</sup> Hic cum audisset quia Iesus adueniret à Iudæa in Galilæam, abiit ad eum, & rogabat eum, vt descenderet, & sanaret filium eius: incipiebat enim mori. Dixit ergo Iesus ad eum. <sup>c</sup> Nisi signa & prodigia videritis, non creditis. Dicit ad eum regulus. Domine, descende prius quam <sup>d</sup> moriatur filius meus. Dicit ei Iesus: Vade, filius tuus viuit. <sup>e</sup> Credidit homo

sermoni, quem dixit ei Iesus: & ibat. <sup>f</sup> Iam autem eo descendente serui occurrerunt ei, & nunciauerunt dicentes quia filius eius viueret. <sup>g</sup> Interrogabat ergo horam ab eis in qua melius habuerat. Et dixerunt ei, quia heri hora <sup>h</sup> septima reliquit eum febris. <sup>i</sup> Cognouit ergo pater, quia illa hora erat, in qua dixit ei Iesus: filius tuus viuit: & credidit ipse & domus eius tota.

## GLOSSA ORDINARIA in superius Euangelium.



**T**erat quidam regulus cuius filius, etc. Iste regulus potest figurare aliquem gentis Iudaicæ doctorem, qui tandem post plenam ecclesiæ Gentium conuersionem ad quam dominus à Iudæis expulsus per discipulos transfugauit, pro filio, id est Iudaico populo, quem non nisi in fine seculi fidem accepturum cognoscit, orat vt de longa perfidie infirmitate sanetur. *Et roga.* Iam credens quod posset sanare filium eius, sed quia per deitatem, quæ ubique est, non credit filio adesse, rogat vt descenderet & præsens corpore sanaret: vnde infidelitatis arguitur: *Nisi signa & prodigi, vi. non cre.* E contrario Centurio laudatur, qui dicit: Dic verbo & sanabitur puer meus. vnde: Non inueni tantam fi-

in Israel. Vel forsitan cupiebat retare qualis esset Christus: vnde arguitur: *Nisi signa & prodigia.* Po stea autem propter salutem filij credidit ipse & domus eius tota. *Nisi sig.* In hoc redarguitur de incredulitate, quod non ubique credebatur eum esse: & per huius duriciam significatur duritia Iudæorum, qui nec visis miraculis credunt. Verè e contra per Samaritam signatur fides gentium, quæ solo verbo credidit: hoc autem quantum ad allegoriam à primo Christi aduentu vsque post regnum Antichristi in perfidie Iudæis durabit. *Et prodig.* Prodigium quasi porro dictum, quasi quod aliquid significat. Vel, prodigium quasi procul à digito, quia præfiguratur aliquod remotum & futurum. *Descende.* quasi aliter non posset sanare, nisi præsens esset. Vnde dominus indicans se non deesse vbi inuicatur, solo iussu sanat: vnde. *Vade, s. tu.* Ad filium reguli non vadit, ne diuitias honorare videatur, ad seruum Centurionis ire promittit, qui naturam

naturam hominis nõ despicit: In quo superbiam destruit, quæ in hominibus non pensat naturam, sed quæ extra patet. *Credi. ip. nõ alij ciues,* in quo paucitas fidei Iudæorum signatur, quamuis signa viderint: vnde in ferr: Hoc iterum secundum si. sc. Ie. Sicut, supra, multitudo gentium solo verbo cōuertendarum in Samaritanis signabatur.

## CATENA AVREA in idem Euangelium.

**E**t erat quidam regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum. Origen. Putabit autem aliquis regis Herodis hunc esse regulum: & aliquis asserit: huc esse de familia Cæsaris, exercebant tunc temporis aliquid in Iudæa: neque enim dicitur quod Iudæus fuerit. Chryl. Regulus autem dicitur, aut quasi generis existens regalis, aut dignitatem aliquam principatus habens, aut quia sic vocabatur. Igitur quidem hunc eundem esse existimant centurionem, qui est apud Matthæum. Ostenditur autem alius esse ab eo: nam ille quidem Christum volentem ire ad suam domum rogat remanere: hic autem & nihil tale promittentem ad domum trahit. Et ille quidem ad Iesum de monte descendente Capharnaum intravit, hic autem ad Iesum in Chana venientem accessit. Et illius quidem puer à paralyti detinebatur, huius autem filius à febre. De hoc ergo regulo subditur: *Hic cum audis. quia Iesus adue. à Iud. in Gal. abiit ad eum, etc.* August. Qui rogabat nõne credebatur? Quid à me expectas audire? dominum interroga quid de illo senserit. Sequitur enim: *Dixit ergo Iesus ad eum, Nisi sig. & prodig. vide. non cre.* Arguit hominem in fide tepidum, aut frigidum, aut omnino nullius fidei: sed tentare cupientem de sanitate filij sui, qualis esset Christus, quid esset, quantum posset. Prodigium quidem appellatum est quasi prodicium quod porro dicat, porro significet, & futurum aliquid porrendat. August. de con. euang. Ad eum autem dominus supra omnia mutabilia vult mentem credentis atollere, vt nec ipsa miracula quæ quauis diuinitus de mutabilitate corporum fiunt, à fidelibus queri velit. Gregor. Sed memento etiam quæ petit, & aperte cognoscetis quia in fide dubitauit. Poposcit nanque vt descenderet & sanaret filium eius, vnde sequitur: *Dicit ad eum regulus. Domine, descende, etc.* Minus itaque in illum credidit, quem non putauit posse salutem dare nisi præsens esset & corpore. Chryso. Audi etiam qualiter adhuc terrenè Christum tradit, quasi nõ posset eum post mortem suscitare, si autem non credens venit & rogauit, nil mirabile. Consueuerunt enim patres ex multo amore non solum medicis loqui de quibus confidunt, sed de quibus non confidunt, nihil volentes prætermittere eorum quæ ad salutem pertinent filiorum: si tamen valde crederet Christi virtutem, non neglexisset etiam in Iudæam ire. Greg. Sed dominus qui rogatur vt vadat, quia non desit vbi inuitatur indicat: solo iussu salutem reddidit, quia voluntate omnia creauit: vnde sequitur: *Dicit ei Iesus: Vade, filius tuus viuit.* Hic superbia nostra retunditur qui in hominibus nõ naturam qua ad imaginem Dei facti sunt, sed honores & diuitias veneramur. Redemptor verò noster vt ostenderet quoniam quæ alta sunt hominibus, sanctis despicienda sunt: &

quæ despicienda sunt hominibus, despicienda non sunt sanctis. Ad filium reguli ire noluit, ad seruum centurionis ire paratus fuit: Chryl. Vel ali. Illic quidem fides confirmata erat, ideoque & promissit ire, vt discamus viri deuotionem: hic autem adhuc imperfectus erat, & nondum nouerat manifestè quod absens curare poterat: vnde & hoc quod non accedit Iesus, hoc addidit. Sequitur enim: *Credidit homo sermoni quem dixit ei Iesus, etc.* Non tamen integrè neque sanè Orig. Ostenditur autè eius dignitas & officium ex hoc, quod seruientes illi occurrunt. vnde sequitur: *Tam uentem eo descendente. serui occurrerunt ei, etc.* Chryl. Qui quidem obuiauerunt, non vt anhuicent solium, sed quasi æstimantes de reliquo superfluam esse Christi præsentiam quem credebant accedere. Quod autem regulus non integrè credidit, neque sanè, ostenditur ex hoc quod sequitur: *Interrogabat ergo horam ab eis in qua melius habuerat.* Nõ habebat enim scire virum quasi casu vel ex præcepto Christi hoc factum esset. Sequitur: *Et dixerunt ei, quia heri hora septima reliquit eum febris.* Vide equalitèr miraculum manifestum est: non enim simplicitet, neque vt contingit à periculo liberatus est, sed repente & simul: vt appareat non esse ex naturæ consequentia quod fiebat, sed actione Christi. vnde sequitur: *Cog. ex. pa. quia illa hora erat in qua dixit ei Ies. Filius tuus vi. etc. cre. ipse, etc.* August. Si ergo propterea credidit quia nunciata est ei quod filius eius esset sanus, & comparauit horam nunciantium horæ prænunciantis: quando rogabatur, nondum credebatur. Beda. Vnde datur intelligi & in fide gradus esse, sicut & in alijs virtutibus, quibus est initium, incrementum, atque perfectio. Huius ergo fides initium habuit, vnde & huius salutem petit: incrementum dum credidit sermonei dominici dicentis: *Filius tuus viuit.* Deinde perfectionem obtinuit, nunciatis seruis. August. Ad solum sermonem crediderunt plures Samaritani. Ad illud miraculum sola illa domus credidit, vbi est factum. vnde subdit euangelista: *Et iterum secundum signum fecit Iesus, omni uenisset à Iudæa in Galilæam.* Chryl. Non sine causa hoc adiecit, sed ostendens quoniam secundo signo factu, nõdum ad altitudinem Samaritanorum nullum signum videntium Iudæi peruenerunt. Orig. Amphibologiam autem cõtinet præsens dictum, vno enim modo denotat quod Iesus veniendo à Iudæa in Galilæam duo fecit miracula, quorum secundum est factum erga filium reguli, alio modo sic: Duobus existentibus signis, quæ Iesus in Galilæa exercuit, secundum egit ueniens à Iudæa in Galilæam, & hic sensus verus est. Mylticè autem per hoc quod Iesus bis in Galilæam accedit, binus saluatoris aduentus in mundum ostenditur: primus quidem misericordiæ, vt vno facto conuulsus exhilararet: secundum verò vt filium reguli ad mortem penè deductum suscitaret, id est, populum Iudæorum qui post plenam uiciniem gentium accedet saluandus in fine. Magnus autem rex regum est qui constitutus esse à Deo in monte Sion sancto eius, huius qui viderunt diem, & gauisum sunt, reguli dignoscuntur. Arbitramur igitur regulum, esse Abraham: ægrotum verò filium eius, Iraheliticum genus debilitatum erga cultum diuinum: & ideo incaluit ignitis spiculis inimici, vt proinde febre cõleatur. Apparet autem quod præcedentibus sanctis postquam carnis exuerunt amictum



amicum populus fuit curæ: unde legitur in Machabæis post mortem Hieremias. Hic est Hieremias Propheta Dei, qui plurimum orat pro populo. Abraham igitur obsecrat adiuari à saluatore populum infirmum. & quidè potestatis verbum de Chana prodit, vbi dictum est, Filius tuus viuit. Sed verbi efficacia in Capharnaum agitur. nam ibi filius reguli curatus est quasi in agro consolationis. morans, quod significat genus quoddam debilius, non tamen omnino fructibus priuatorum. Illud autem, *Nisi signa & prodigia vi. non gre.* dictum illi refertur ad multitudinem filiorum suorum, & ad ipsum quodammodo. sicut enim Ioannes expectabat datū sibi signū, scilicet super quem videris spiritum descendentem: sic & præmortui sancti aduentum Christi in carnem, & signis & prodigiis manifestum expectabant. Habebat autem hic regulus nō solum filium, sed etiam seruos, per quos significatur maneriet. quædam minus bene & infirmè credentium: nec à casu hora septima deserit filium febris: nam septenarius numerus est quietis. Alcu. Vel quia per septiformem spiritum est omnis remissio peccatorum. Septenarius enim in tria & quatuor diuisus significat sanctam trinitatem in quatuor anni temporibus, in quatuor mundi partibus, in quatuor elementis. Orig. Possunt quoque significari duo aduentus Christi verbi ad animam: primus quidem ex facto vino præbens animæ gaudium spiritualis conuiuui, secundus verò omnes languoris ac mortis reliquias amputans. Theo. Regulus autem est omnis homo, non solum qui regi vniuersorum propinquus existit secundum animam, sed quia & ipse super omnia principarū sumpsit, cuius filius, id est mens febricitat voluptatibus prauis & desiderijs. Accedit autem ad Iesum & deprecatur vt descendat, id est vt eodē sensu misericordie utatur, & patcat peccatis priusquam à voluptatum infirmitate mortificetur. Sed dominus dicit: *Vade, id est profectum continuum circa bonum ostendas: & tunc filius tuus viuet.* Si autem ambulare cessaueris, mortificabitur tibi intellectus circa boni operationem.

**ORIGENIS PRESBYTERI**  
*in idem Euang. expositio.*

**E**T erat quidam regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum, etc. Non admodū titum apud Iudæos reguli nomen inuenimus. Itaque nec quod ad historiam, & literam atinet, intelligo quisnam esset hic regulus, nec cuius regni nomen obtineret. Atque is qui paulo est simplicior, regulum hunc Herodis regis hominem aliquem esse opinabitur. Alius autem huic similis Cæsarianum eundem fuisse dicit, qui tum aliquid in Iudæa faceret: neque enim aperte Iudæus esse inuenitur, quippe cum non sit consentaneum eius filium in vrbe Capharnaū agrotasse, aut eundem eorum locorum hominum fuisse necessarium aut propinquum. Eius etiam dignitas ex eo declaratur, quod cum iam descenderet, ei serui sui facti sint obuiam, qui ipsius filium viuere nunciarent: numero enim multitudinis eius serui expressi sunt. Roger igitur, vtrunque historia habeat, & filius reguli melius habuerit, vt seruator dixerat, Septima hora à febre liberatus, omnisque eius familia

crediderit. Sed age pro captū facultatēque nostra scrutemur, cuius hic figura & nota esse possit, eiusque filius. Magnum igitur regem, cuius vrbs sunt vera Hierosolyma, regemq; regum, qui profectus est in regionem longinquam, vt regnum sibi acciperet, ac reuerteretur, reuersumq; regem alium scimus neminem, nisi eum qui dixit, Ego autē constitutus sum rex ab eo super Syon montem sanctum eius, prædicans præceptum Domini. Huius qui diem sciunt, & ex eo læticia affecti sunt, ij omnes sunt reguli, quique patri per eum credunt, eius regni cognomen consecuti sunt: quorum vnum quarimus, cuiusque agrum filium, & quæ illum comitatur. Dicebamus autem paulo ante, omnem populum Abraham esse filium, sicuti etiam ipsi gloriantes, aiunt: Semen Abraham sumus, & nulli seruiimus vnquam. Et, Nunquid tu es maior patre nostro Abraham, qui mortuus est? Quasi enim populus in eo gloriatur præter cæteros patres qui eum sequuti sunt: ait, etiam seruator, Nolite dicere, patrem Abraham habemus: aut ne videamini dicere, patrem habemus Abraham: potest Deus ex lapidibus istis suscitare filios Abraham. Quin etiam Esaias populo hæc dicit, Respicite in Abraham patrem vestrum, & in Sarram, quæ parturit vos. Sed quid opus est, exemplis longiore facere oratione, cum perspicuum sit, eum primum populi patrem vocatū esse? Itaque præcipue pater nominatur. Intelligimus ergo regulum quidem esse Abraham, eius autem filium qui Capharnaum agrotat, estque mortuus, Israëliticum genus, quod in religione, diuinarumque legum obseruatione agrotauit, & proximum est, vt Deo moriatur telis igneis inimici, ob eamque causam febre iactari dicitur. Viderit autem curæ esse populus sanctis, qui ante ex hac vita excesserunt, vt in Machabæis scriptum est post quàm plurimos annos mortis Hieremias. Hic est Hieremias Dei propheta, qui multum orat pro populo. Hora est igitur, & tempus, vt, si fieri possit, exponamus, Abraham regulum quendam, cuius filius æger moreretur, petere vt seruator noster agro subueniat, cum apud ipsum fuerit, & rogato, vt descendat curæque suum filium. Mortuus enim erat. Illud autem, *Nisi signa & prodigia videritis*, quod ei dicitur, ad eius filiorum multitudinem referri debet, fortassis autem & ad ipsum. Vt enim Ioanes, sic ipse Christi aduentum expectans, signum quod datum est, expectabat, vt ex eo eum, qui prædicebatur, cognosceret. Signum porro erat, Super quem videris spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est filius Dei: sic etiam sancti qui antea dormierunt, eum Christi corporeum etiam aduentum expectarent, signis & prodigiis eum figurabant, eisque ducti & freti, ei qui expectabatur, credebant. Celerius autem rogat Dominum, vt ad egrum filium veniat, quod vereatur ne mors victum ægrum opprimat. Ac Christus quidem Verbo febre fugat atque depellit, cum patri de periclitantis vita sollicitus esset, *Vade, filius tuus viuit.* Habet autem regulus hic non modò filium, sed etiam seruos, quorum figura erant Abraham vernaculi & emptitij, genus quoddam eorum qui credunt, humiliter atque subiectum. Hi cum filio auaro quandiu sunt, eas valetudinem curant, salutisque consulūt, patrique obuiam fiunt, vitam eius qui curatus est his verbis nominantes, Filius tuus

*Cultus legis, nisi  
Anglorie pec  
caus vult per  
dici remitti  
quæ ex pec  
catis sunt per  
suis fieri.*

*Nota sancti  
rum de hoc  
clorum, pua  
pro vnu.*

tuus viuit: & læticia afficiuntur, quod antea non lætarentur ob Domini filium quod viveret. Non frustra autem, nec temerè eum febris hora septima relinquit. Erat enim requies numerus. Verumtamen in Capharnaum est filius qui agrotat, & curatur, id est, in consolationis agro genus quoddam eorum qui dormierunt illi quidem, sed fructu non carer. Patri etiam qui filium cõualuisse cognouit: perfectissima fides nascitur, ita vt familia eius tota Christo crederet. Cum autem ex Iudæa in Galilæam descendisset Iesus, quomodo hoc secundum signum ediderit, cum ad ea quæ sequuntur ventum erit, pro virili parte ad literam scrutabimur. An verò etiam potestatis cuiusdam imago sit regulus huius sæculi principū, eiusq; filius eorum qui ei parent, differentis apud eū populi, & vt ita dicam, illius delectus: & morbus eius, qui contra principis voluntatem faciat, viciofa sit affectio; atq; Capharnaū loci in quo manet ij quibus præest, imago sit: considerandū est. Existimo enim nonnullos principes eius potestate virtutēq; ac diuinitate perterritos, ad illum confugisse, & rogasse pro iis, quæ ab ipsis dispensaretur. Alioqui cur tandem in homines quidem penitentia cadit, iūque ex infidelitate ad fidem mutantur: in virtutibus autem simile dicere dubitabimus? Aut dicat nobis aliquis, quæ causa sit, cur ij quidem, qui sunt induti carne, & sanguine, mutati per Christū ad Deū confugere possint: ij autem, qui mūdiorum naturam nacti sunt, de fide Christi conuinci, & reprehendi non possint, & de stupore, quo afficiuntur in portentosis mirabilibusque virtutibus, quas ediderit: Ego verò sic existimo: etiam præter principes fuisse aliqua ex parte mutatos in melius in Christi aduentu, ita vt nonnullæ vrbes totæ, atque gentes magis propriè quàm multæ, ea quæ Christianæ religionis sunt, acceperint. Nec absurdū quidem erit, si hanc interpretationem sequamur, id quod regulo dictum est. *Nisi signa & prodigia videritis, non credetis.* Potest autem pro Dei virtute regulus cum ad eū venerit, rogare vt ad locum morbi filij veniat, ægrumque curet: sed non cuiusuis est ad reguli filium qui agrotat, descendere: sed illud, *Filius tuus viuit*, quod ad pueri salutem dicitur, factis magnam vim habet, cum verbum sit efficiens eorum, quæ vult is qui illud pronunciat. Heracleon verò regulū opificem dicere videtur, quod etiam ipse regia potestate iis qui ei subsunt, imperet. Quodd autem parū est, & ad breue tempus eius regnum durat, regulus appellatus est, vt si paruus quidam rex à generali rege exiguo regno præfectus esset. Eius autem filii, qui est Capharnaū, interpretatur, eum esse, qui in parte dimidiæ partis mari subiecta manet, id est, ei quæ cum materia coniuncta est: dicitque eius hominem ægrum, id est, non secundū naturam affectum in vitijs & peccatis, curatum esse ex Iudæa in Galilæam, id est, ex cælesti Iudæa. Sed nescio cur hoc loco, Mortuus erat, impulsus, eorum qui animum immortalem esse ponunt, sententiam refelli putet, existimans ad hoc ipsum confirmandū valere, quod & animus & corpus in gehenna pereant. Atque animum quidem Heracleon non immortalem censet esse, sed aptum & idoneum ad ipsam salutem, cum ait interire posse id quod, vt ita dicam, incorruptionem induit, & mortale esse, id quod immortalitatem, cum absorpta fuerit mors

in victoria. Præterea illud etiam, *Nisi signa & prodigia videritis, non credetis*, propriè dici ait eiusmodi personæ, quæ eam vim naturamque habeat, vt operibus atque sensu, non verbo adducta credat. Hoc verò, *Descende, antè quàm moriatur puer meus*, quod mors sit finis legis quæ peccatis interficiat, dictum existimat. Itaque ante finem, inquit, & prius quàm peccatorum causa moriatur, pater solo Seruatore eget, vt filio, id est, tali naturæ, subueniat. Præterea illud, *Filius tuus viuit*, modestia à Seruatore dictum esse exposuit, quod non dixerit, *Viuat*; neque se vitam daturum pronunciat: sed dicat, se ad ægrum venisse, eiusque morbum curasse, id est, peccata, & cum ei vitam remissione dedisset, dixerit, *Filius tuus viuit*. Addit etiam, hunc locum, *Credidit homo*, explanans, quod credulus sit, esse etiam opificem, propterea quod Seruator absens quodque curare potest. Reguli autem seruos, opificis angelos esse exposuit, qui in hoc, *Filius tuus viuit*, eum bene & honestè habere nuntiānt, quod iam non agat ea quæ ab officio & virtute abhorreant: ob eamque causam seruos reguli nuntiāre eā existimat, quæ ad filij salutem pertinet: quippe cum primos etiam angelos hominum qui in hac vitā manent, actiones & opera putet cernere, rectène & integre Seruatoris aduentū vixerint. Præterea hæc verba, *Hora septima*, explanans, hora & tempore naturam eius qui curatus est, designari censet: præter hæc omnia, illud, *Crede didit ipse, & domus eius tota*, explicauit dici in angelico ordine, atque in hominibus, qui eum propius attingebant. Quæri autem ait, sintne salutem consecuturi quidam Angeli, qui ad hominum filias descenderunt, atque etiam hominum opificis interitum & perditionem declarari putat his verbis, Filij regni eiicientur in tenebras exteriores, ac de his Esaiam hæc prædicere, Filios genui & exaltaui: ipsi autem spreuerunt me: quos quidem filios alienos, & semen malum & iniquum, ac vineam, quæ spinas tulit, appellat. Atque hæc quidem sunt Heracleonis, quæ audaciū, & sceleratius dicta, si vera essent, cum magna probatione recipi debuerunt. Nec verò intelligo; cur etiam animi immortalitatem non probet, cum non exposuerit, quot mortis nomen significet. Ex significatione enim attentè ac diligenter videndum erat, num ex omnibus significationibus sit immortalis. Si enim ex eo quod peccatum in eum cadit, Animus autē, qui peccat, ipse morietur: nos quoque eum mortalem esse dicemus. Sin autem eius omnino dissolutionem & interitum, eius mortem existimat, nos non approbabimus, cum ne cognitione quidem essentiam mortalem in immortalem, & naturam quæ interit in eam quæ non interit, mutari possimus cernere. Hoc enim simile est, vt si dicamus aliquid à corpore mutari in non corporeum, quasi sit subiectum quoddam commune naturæ & corporum & eorum quæ expertia sunt corporis, quod maneat, quemadmodum manere dicunt materiā ij, qui his in rebus exercitati sunt, qualitibus mutatis, vt ita dicam, in incorruptionem. Sed non idem est naturam, quæ interit, incorruptionem induere, quod naturam quæ interit in incorruptionem mutari. Eadem autem etiam de mortali dicenda sunt, quæ non mutatur illa quidem in immortalitatem, sed eam induit. Præterea quoniam animi naturam factis & sensu, Bibl. Hom. tom. 3. Ggg non

non verbis impulsam credere intelligit, quæramus ab eo cuius Paulus naturæ esset. Si enim spiritalis, quomodo per portentosam prodigiosamque visionem credidit? Si verò non aliter credere poterat, nisi prodigiosa visione & specie, sequitur eorum ratione & sententia eum etiam animi naturam habuisse. Quid est autem, quamobrem non impium sit, opificis, angelos ante ipsum videre & cognoscere id quod sanum & syncerum est in viuendi ratione eorum, qui Seruatoris potestati subsunt, cum meliores euadunt: & contra. Verbi quod opifici affidet, perspicuitatem, & præterea contra scripturam quæ ait, Si abscondetur homo in latebris, & ego non videbo eum? Et illud, dominus scrutans corda, & renes. Itemque hoc, dominus nouit cogitationes hominum, quoniã vanæ sunt. Quomodo autem illud obtinebit, Qui scit omnia, antè quam fiant? præterea, si magis eius, qui curatus est natura horæ numero designatur, curationis natura fieri accommodato requiei numero. Illud verò esse, vt ita dicam, corruptionem, & interitum animorum in sine, vt exposuimus eorū, qui ab eo dicti sunt, quod eorum, quæ scripta sunt ambiguitate & homonymia vtatur, est etiam aliam naturam quartam inducentis, quod ei non placet. Hoc autem iterum secundum signum fecit Iesus, cum venisset ex Iudæa in Galilæam. Verba ambigua sunt. Significant enim quidem aliquid tale. In sua à Iudæa in Galilæam profectio Iesus duo signa edidit, quorum id quod in reguli curando filio fecit, est alterum & secundum. Aliquid autem eiusmodi, cum duo signa sint, quæ in Galilæa fecit Iesus, posterius fecit cum à Iudæa in Galilæam venisset. Hoc autem est verum & approbandum. Neque enim prius fecit, cum à Iudæa venisset in Galilæam. Prius autem est aquæ in vinum mutatio, quod factum est postridie eius diei, quo Andreas Simonis Petri frater cum Iesum rogasset, vbi habitaret ad horam decimam, apud dominum mansit. Scriptum est enim, Crastino die voluit exire in Galilæam, & inuenit Philippum. Vide autem dispensationem, si modò intelligere possimus, etiam notasse Euangelistam de hoc posteriore signo, quod factum est, cum dominus à Iudæa in Galilæam profectus esset. Dicebamus supra duas Seruatoris in Cana profectioes & introitus, accipi figuram & imaginem duplicis eius in terram aduentus, quæ quia eius creata natura fuit, cum accepisset vt in celo, sic in terra potestatem, Cana esset nominata. Priore quidem aduentu post lauachrum nos vnà secum viuentes lætitia afficit, propinato vino pro sua potestate, quod quidem antea aqua erat, cum hauriebatur, sed vinum facta est, cum Iesus vertit. Etenim verè aqua ante Iesum quidem scriptura erat: sed à Iesu nobis vinum facta est. Altero aduentu à febre liberat tempore iudicij quod ei à patre creditum & permillum est, liberans à febre, curansque penitus reguli filium, siue Abraham, siue dux aliquis regulus nominetur. Atque hæc quidem quasi explanatione quadam, quæ fecerit superiores. Quoniam autem nostri meminisse debemus, dicendum est, in omni eius natura creata duplicem hunc aduentum posse intelligi. Scies porro, num præcipuus prior ex hoc dicendus sit: posterior autem. Itaque præcipuo illo eos qui se receperunt, lætitia afficit: in altero verò ab omni morbo atque ab igneis inimici, telis liberat eos

qui antea ex ipsius vino bibere noluerunt. Ac ea quidem quæ prioris sunt potestatis & virtutis, indiuidua sunt. In Cana enim & is, qui ex aqua vinum facit vnus est, & ij qui bibunt. Ea autem quæ sunt posterioris quandam habent diuisionem. Neque enim reguli filius erat vbi Iesus, neque enim in Cana erat, sed Capharnaum. Et virtutis quidem verbum à Cana proficiscitur. Illud enim, Filius tuus viuit, in Cana dictum est: Verbi autem opus, in Capharnaum efficitur. Ibi enim reguli filius cum ægrotaret, verbo & sermone Iesu ad septimam horam curatus est. Hunc porro Iesu qui ei præstò & præsens esse non existimabatur, verbo curatum esse, atque ceterionis seruum inuenimus. Etenim ab illo non venit dominus ad ceterionis domum, qui dixerat, domine non sum dignus vt intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo & sanabitur. Itaque ei ait, Vade & vt credidisti, fiat tibi. Observandum est autè duos ægros Capharnaum, id est, & ceterionis puerum, & reguli filium fuisse: Petri quoque socrus quæ decumbens Capharnaum, ex febre laborabat, cuius cum manum attingisset, eam decumbentem curauit, ita vt ferges ei ministraret. Atque hi quidem inter diu Capharnai curati sunt, reguli quidem filius hora septima: ceterionis autem filius & Petri socrus ante vesperum. Vesperi verò, vt ait Matthæus, in Capharnaum obrulerunt ei multos qui erant obsessi à dæmonibus, & verbo dæmonia eiecit, omnesque qui malè habebant, curauit. Tardius ergo nonnulli à Iesu curantur, alij celerius. Qui enim vesperi serius, vt qui pauciores sint, occupantur enim à dæmone, & malè habent: iis qui inter diu curati sunt. Danda est autem opera, vt loca colligamus, in quibus inuenti sunt ij, qui curationis indigebant, notandumque est quibus in locis alia signa edita sunt, non ea quæ ad ægros pertinent. Velut in Samaria signum erat illud, Quinque viros habuisti, & nunc quem habes, non est tuus vir: quo quidem obstupefacta mulier ait, Video quod propheta es tu: Ciuiusque dicit, Venite, videte hominem, qui dixit mihi, omnia quæcunque feci: nunc quid ipse est Christus? Observandi etiam sunt eius sermones, vbi, cur, & in quibus factis habeantur. Eiusmodi enim solis obseruationibus & probationibus inuenies breui fructus laborum esse benedictionem quæ in Psalmis dicit, Labores manuum tuarum. Præterea in hunc locum, Hoc autem iterum secundum signum fecit Iesus, hoc etiam dicendum est, nullo in loco prodigia solum esse nominata, siue eorum factam esse mentionem. Vbi enim dicuntur scripta esse cum signis, vt illo in loco, Nisi signa & prodigia videritis, non credetis? Sæpe autem signa sine prodigijs videatis, quemadmodum etiam nunc: querendumque est, habeantne inter se signa & prodigia aliquid distinctionis. Equidem inopinatas admirabilesque & prodigiosas potestates, ac vires ex eo quod hoc inopinatum est, & morem vsitatum superat, admirabileque est, & supra vires hominis efficitur, prodigia dici existimo: ea autem quæ alia quædam præter ea quæ sunt, declarant, signa dici. Itaque in iis etiam quæ contra opinionem eueniunt, signi nomen inuenimus. Velut de signo à domino dicitur his verbis, Circumcidetur in vobis omne masculinum, & circumcidetis carnem præputij vestri: & erit in signum fœderis inter me & vos. Nulquam autem sola prodigia nominata sunt:

sunt: quandoquidem non est aliquid mirum & inopinatum in scriptura, quod non signum sit & nota alterius præter id quod sensus testimonio factum est. Nam si prodigiosum aliquid fieret, quod non aliud notaret & significaret, scriptum esset, hoc prodigium fecisse Iesum, aut dixisse Moysen aut sanctorum aliquem. Cum ergo discimus ex scriptura, illud querendum esse, quod factum est, non esse signum, dicitur, Hoc autem iterum secundum signum fecit Iesus. Cum autem regulo probrî loco obicitur, quod non sit crediturus, nisi miracula viderit, non iam dicitur, Nisi signa videritis, non credetis. Nô enim signa quæ sunt, ad credendum hortantur, quatenus signa sunt, si accidat vt signum non sit etiam prodigium: sed, Nisi signa & prodigia videritis, non credetis: cum vos propter miraculum credatis, nos autem ad hoc & quod non est signum, illud operemur. Sed quæres illud Psalmi septimi & septuagesimi, Sicut posuit in Ægypto signa sua, & prodigia sua in campo Taneos, ab eone quod propositum est nobis, differant signa & prodigia: an eadem quatenus quidem signa erant, facta sunt in Ægypto, ipsa etiam Ægypto ad aliqua quæ animo & ratione cernuntur, translata & traducta, quatenus autem prodigia erant, in campo Taneos, ita vt nec prodigia, hoc ipso quod prodigia sunt, nec campus Taneos, vt campus Taneos allegoricè accipiantur: sed prodigia quatenus signa sunt, & campus Taneos quatenus est Ægypti, anagogen desyderat. Verum hoc loco totum decimus quartus finem habeat & terminum, qui profectioem Iesu ab initio ad septimam explanationem, complectitur. Prima quidem suscepta est ab eo in Bethabara ad Iordanem, cum baptizatus est. Altera in Cana Galilææ, cum aquam vertit in vinum. Tertiò in Capharnaum proficiscitur, & conuenit quidem cum descendit, esse ægros. Quartò Hierosolyma iterum proficiscitur. Quintò in Iudæam terram, vbi cum discipulis commoratur. Sextò in Samaria ad fontem Iacob ea docuit, quæ pro virili parte explanauimus. Septimò in Cana iterum habitat. In eo autem qui sequitur, nos Dei concessu ac munere explicabimus de iis quæ Hierosolymis in die festo Iudæorum ab eo gesta & dicta sunt.

### S. I. O. CHRYSOSTOMI Episcopi Constantinop. in idem Euang. Homilia.

Ex homil. 34.  
in Iuan.

ET erat quidam regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum, &c. Siue quod regio esset genere, siue quod alia principatus dignitate fungeretur, regulus appellabatur, nonnulli eundem hunc esse opinantur, & qui est apud Matthæum, sed alter profectò videtur, non modo dignitatis nomine, verum & fide: ille quidem, volente Iesu ad ipsum ire, se indignum censet: hic domum trahit. Ille, Non sum, inquit, dignus, vt intres sub tectum meum: hic, vt descendat, priusquam moriatur filius, enixè orat. Tunc, cum de monte descendisset Iesus, intravit Capharnaum, sed in Cana Galilææ ingresso accessit regulus. Illius præterea filius paralyticus laborabat, huius febris: & rogabat eum vt descenderet, & sanaret filium eius, incipiebat enim mori. Quid ad hunc Christus? Nisi signa, inquit, & pro-

Math. 8.

digia videritis, non credetis. Atqui & quod venerat, & quod rogabat, eius fidei est argumentum. Præterea hoc testatur Euangelista. Nam, cum diceret Iesus; Vade, filius tuus viuit, credit homo sermoni, & ibat. Quid ergo ita Christus respondit: vel quia Samaritanos, qui sine miraculis crediderunt, admiratur, vel ciuitatè Capharnaum, vnde ille gentilis erat, reprehendit. Siquidem cum alius apud Marcum diceret; Credo, domine, adiuua incredulitatem meam: iterum his verbis vsus est. Itaque, licet hic crediderit, non tamen firmiter, neque integrè: quod sciscitando seruos demonstrauit; quæ hora reliquerit filium febris. Voluit enim cognoscere an sponte sua, an Christi præcepto discesserit. Cum vero audiuit quia heri hora septima credidit & ipse, & domus eius tota. Vides tum demum in fide confirmatum; cum seruorum de valetudine filius testimonium accepit? Quamobrem hominis animam intuitus arguit, vt magis in fide confirmaret, neque enim ante signum admodum credebat: quod si venit, & rogauit, minimè mirum est. Ob incredibilem enim in filios amorem non modo quibus confidunt medicis, sed & quoslibet compellere parentes solent, ne quid in aduersa filiorum valetudine omittant. Nam quod non multum spei in Christo haberet, constat, quoniam, venientè Iesu in Galilæam, accessit: quod si verè Christi potestatem credidisset, non vti que in tanto filij periculo Iudæam petere neglexisset: quod si timuerat, neque quidem satis erat cause. Considera igitur ipsius verba, quantam viri infirmitatem indicant. Debuerat enim, si non prius, at saltem post reprehensam ipsius animi sententiam; magnam quandam de Iesu opinionem concipere. Audi quantum adhuc humi trahatur. Descende, inquit, priusquam moriatur filius meus; ac si mortuum suscitare non potuisset, & nesciret, vt se puer haberet: idcirco eum reprehendit, & animum arguit, ostendens signa maxime animæ gratia fieri: neque minus hoc in loco patrem animi morbo laborantem, quam filium curat, suadentem; non signa nobis, sed doctrinam ipsius attendendam. Signa enim infidelibus: & rudioribus exhibenda. Regulus autem filij dolore affectus, non multum tunc Iesu verbis attendit, sed in solius filij cura versabatur, postmodum ea reputaturus, & inde multum utilitatis consecuturus. Quod autem Centurioni se iturum vltro pollicitus est, regulo autem ne rogatus quidè. Quoniam in illo fides perfecta erat, ideo se iturum dixit, vt viri fidem cognosceremus: at regulus adhuc imperfectus erat, propterea omni studio Christum impellebat, vt defenderet, neque adhuc norat, absentem quoque curandi habere potestatem. Quid ergo posset, ostendit: vt quod per se Centurio sentiebat, hic non accedente Iesu erudiretur. Cum itaque dixit; Nisi signa & prodigia videritis, non credetis: debitam de se eos fidem non habere, sed adhuc tanquam Prophetam opinari significauit. Quocirca rem indicat, & sine miraculis credendum admonet, quod & Philippum admonuit: Non credis, quia ego in patre, & pater in me est? Et, si mihi non vultis credere, operibus credite. Tam autem eo descendente, serui currerunt ei, &c. Vides quo pacto miraculum manifestatur? Non enim per successionem: & diurnitatem conualescentis, vt assolent, liberatus, sed repente, ne naturalis valetudo, sed Christi operatio videretur. Nam qui in ipsum mortis arti-

Mar. 9.

Math. 8.

Inf. 14.

lib. 10.

culū venerat, patris testimonio dicentis; *Descende, priusquam moriatur filius meus*, è vestigio in prosperam restitutus est valerndinem. Serui autem fortassis, non vt nunciatur tantum, sed vt superfluum Christi aduentum, obuiam ierant. Sciebāt enim iam aduentare, quare in itinere eum conuenerunt. Regulus ergo, iam timore deposito, fidei incumbit, vt ostenderet profectiois suæ gratia id contigisse, & iam se non frustra profectum delectatur, hac gratia summam in percontando adhibet diligentiam. *Et credidit ipse, & domus eius tota.* Iam nihil amplius erat dubitandum: qui enim neque affuerant, neque audierant Christum, neque tempus norant, hi à domino suo tempus cognoscētes, Christi potestatem quam certissimam habuerunt, ideo crediderūt. Quid ergo hinc hodie reportabimus? non expectanda miracula, neque diuinæ virtutis pignora efflagitanda. Video enim & nunc multos, quū in filij, vel vxoris morbo exauiuntur, tunc maiorem Deo exhibere reuerentiam. Decens autem est etiam non exauditores tolerare, & nihilominus gratias habere, eumque laudibus prosequi: hoc fidelium seruorum est, hoc constantiæ, hoc pietatis, quali in dominum affectu esse debemus: vt non solum, cum clementer nobiscum agit, verum etiam quum indignatur, quum flagellat, ad eum percutramus: hoc enim diuina operatur prouidentia. Si quidem, quæ diligit, castigat: flagellat quemcunque filium suscipit. Qui autem, quum votum assequitur, Deum colit, non multa præ se fert dilectionis argumenta, neque syncerè Christum amat. Et quid ego valerndinem dicam? Quid pecuniarū copiam? quid paupertatem? quid morbum? Et si gehennam, si quid grauius audieris: non tamen diuinæ nobis sunt laudes remittendæ, sed omnia & faciendæ, & ferendæ, eius dilectionis gratia. Hoc, inquam, fidelium seruorum est, hoc constantis animi: & qui ita affectus est, præsentia facile perferet, & futuris bonis fruetur, & plurimum Deo fidere poterit: gratiæ, & benignitate domini nostri Iesu Christi, per quem, & cum quo patri sit gloria in secula seculorum, Amen.

S. AVGVST. EPISCOPI  
*Hippon. in superius Euang.  
 Homil.*

**E**cce quidam regulus cuius filius infirmabatur, venit ad eum, & rogare cepit vt descenderet. Ad illam ciuitatem vel domum, Et sanaret filium eius, incipiebat enim, inquit, mori. Qui rogabat non credebat. Quid à me expectas audire? Dominum interroga quid de illo senserit. Rogatus enim talia respondit, *Nisi signa, & prodigia videritis, non creditis.* Arguit hominem in fide tepidum, aut frigidum, aut omnino nullius fidei, sed tentare cupientem de sanitate filij sui, qualis esset Christus, & quis esset, quantum posset. Verba enim rogantis audimus, cor diffidentis non videmus: sed ille pronunciauit, qui & verba audiuit, & cor in spexit. Denique & ipse euangelista testimonio narrationis suæ ostendit, quia nondum crediderat, qui venire ad domum suam dominū cupiebat ad sanandum filium eius. Nam posteaquam ei nunciatum est sanum esse filium eius, & inuenit ea hora sanatum. *Qua hora dominus dixerat, vade filius tuus viuit, & cre-*

Hebr. 11.

Ex tracl. 16. in Ioan.

runt, qui crucifixerunt, palpauerunt, & sic pauci crediderunt: nos non vidimus, non contrectauimus, audiuimus, credidimus, fiat in nobis, perficiatur in nobis beatitudo, quam promissit & hic, quia patriæ ipsius prælati sumus, & in futuro seculo, quia pro ramis fractis inserti sumus. Hos enim ramos se fracturum esse monstrabat, & hinc oleastrum inferendum, quando commotus Centurionis fide, qui ei dixit, Non sum dignus vt sub tectum meum intres, sed tantum dic verbo, & sanabitur puer meus: nā & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, & dico huic, vade & vadit: & alij veni & venit: & seruo meo, fac hoc, & facit. Conuersus ad eos, qui se sequebantur, dixit, Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Israël. Quare non inuenit tantam fidem in Israël? Quia propheta in patria sua honorem non habet. Nunquid non & illi Centurioni poterat dicere dominus, quod dixerat huic regulo? *Vade, puer tuus viuit?* Videte distinctionem, regulus iste dominum ad domum suam descendere cupiebat: ille Centurio indignum se esse dicebat. Illi dicebatur, Ego veniam, & curabo eum: huic dictum est, *Vade, filius tuus viuit.* Illi præsentiam suam promittebat, hunc verbo sanabat. Iste tamen præsentiam suam extorquebat, ille se præsentia eius indignum esse dicebat: huic successum est elationi, illi consensus est humilitati, tanquam huic diceret, Vade, filius tuus viuit, noli mihi tedium facere, Nisi signa, & prodigia videritis, non creditis, Præsentiam meam vis in domo tua, possum & verbo iubere. Noli tu de signis credere, Centurio alienigena credit me verbo posse facere, & antequam facerem, credit, vos, nisi signa, & prodigia videritis, non creditis. Ergo si ita est, frangantur superbi rami, humilis inferatur oleaster: manet tamen radix, illis præcis, istis receptis. Vbi manet radix? In patriarchis. Etenim patria Christi populus Israël, quia ex eis venit secundum carnem. Sed huius arboris radix, Abraham, Isaac, & Iacob, patriarchæ sancti: Et vbi sunt isti? In requie apud Deum, in honore magno, vt in Abraham sinu iustus ille pauper post corporis exitum leuaretur, & in Abraham sinu de Ioginquo à superbo diuite videretur. Ergo radix manet, radix laudatur, sed rami superbi & præcidi, & arefcere meruerūt: oleaster autē humilis illorum præcisione inuenit locū. Audi ergo quemadmodum præciantur rami naturales, quemadmodum inferatur oleaster ex ipso Centurione, quem propter comparationē huius reguli commemorandum putauit. Amen, inquit, dico vobis, non inueni tantam fidem in Israël. Propterea dico vobis, quia multi ab oriente, & occidente venient. Quam latè terram occupauerat oleaster. Amara sylua mundus hic fuit. Sed propter humilitatem, non sum dignus vt intres sub tectum meum. Multi ab oriente, & occidente venient. Et puta quia venient, quid de illis fiet? Si enim venient, iam præcis sunt de sylua, vbi inseredi sunt ne arefcant? Et recumbent, inquit, cum Abrahami & Isaac & Iacob. In quo conuincio? Ne forte non inuites ad semper viuendum, sed ad multum viuendum, recumbent cum Abraham & Isaac & Iacob. Vbi? In regno, inquit, cœlorum. Et quid erit de illis qui venerunt de stirpe Abraham? Quid sit de ramis quibus arbor plena erat? Quid, nisi quia præciantur, vt isti inferantur? Doce quia

præciantur: audi; Filij autem, inquit, regni ibunt in tenebras exteriores. Habeat ergo apud nos honorem Propheta, quia non habuit honorem in patria sua. Non habuit honorem in patria, in qua conditus est: habeat honorē in patria, quam condidit. In illa enim conditus est conditor omnium, conditus in illa est secundum formam serui: nam ipsam ciuitatem in qua conditus est, ipsam Sion, ipsam Iudæorum gentem, ipsam Hierusalem, ipse condidit cum esset apud patrem verbum Dei: omnia enim per ipsam facta sunt, & sine ipso factum est nihil. De illo ergo homine, de quo & hodie audiuimus, vnus mediator Dei, & hominū homo Christus Iesus, etiam Psalms prælocutus est, dicens, Mater Sion dicet homo. Quidam homo mediator Dei & hominū, homo mater Sion dicet: Quare mater Sion dicet? Quia inde accepit carnē, inde virgo Maria, de cuius utero serui forma suscepta est, in qua dignatus est apparere humillimus. Mater Sion dicet homo, & homo iste, qui dicit mater Sion, factus est in ea, homo factus est in ea. Nam Deus erat ante eam, & homo factus est in ea. Qui homo factus est in ea, ipse fundauit eam altissimus, non humillimus. Homo factus est in ea humillimus, quia verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Ipse fundauit eam altissimus quia in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum: omnia per ipsum facta sunt. Quia vero condidit istam patriam, hic habeat honorem. Repulit enim patria, in qua natus est: suscipiat eum patria, quam regenerauit.

S. CYRILLI EPISCOPI  
*Alex. superioris Euang.  
 expositio.*

**E**rat quidam regulus, &c. Quamuis ignoraret naturam Deum Christū esse regulus: vt hominem tamē adiit, qui filium eius ab imminenti periculo mortis posset liberare. Quamquam ergo dominum appelleret, veræ tamen dominationis dignitatem ei non concedit. Si enim verum illum esse dominum cognouisset, non rogasset vt ad ægotantem adolescentulum ascenderet, sed vt verbo vexantem morbum expelleret. Quid enim necesse erat rogare, vt ad infirmum ascenderet; si credidisset sola eius voluntate posse sanari: Valde autem impetire, liberare quidem à morte posse arbitrat; Deum autem, qui talia efficere possit, non arbitrat. *Dixit ergo Iesus ad eum: nisi signa, &c.* Cum duriciam mentis eorum saluator videret non posse ad fidem oratione reduci; signis, atque prodigijs opus esse illis affirmat, vt natura se Deum possint cognoscere. *Dixit ad eum regulus, domine, &c.* Parum certe videbat regulus: qui in petenda gratia quasi puer delirat. Nam, si non modo præsentem, verum etiam absentem posse Christum credidisset, non indignā opinionem de ipso habuisset. Nunc autem id quidem ab eo petit, quod omnipotentis est; nec tamen putat vbi que ipsum esse, nec morte omnino esse superiorem, quamuis mortuo iam fere, posse ipsum optulari sperare: incipiebat enim (vt scribitur) motū adolescens. *Dixit ei Iesus; vade, &c.* Non imperitiam in omnibus nostram Christum respicit: sed vt Deus etiam peccantibus auxilium affert. Docet

Math. 8.

Rom. 11.

Rom. 11.

Iu. 16.

Math. 8.

Ioan. 11.

Ioan. 1. 1. Tim. 2. P. 1. 86.

Ioan. 1.

\* al. generat. 116



igitur hominem: quod per ignorantiam non fecit, & quæ optauerat, ei largitur. Nam in eo quod ait, *Vade fides est: in eo vero, quod dicit, Filius tuus viuit: rei optatæ consummatio, magna cum potestate perspicitur. Credidit homo sermone, &c.* Duos eisdem saluator verbis curauit. Nam & reguli animum ad fidem induxit: & corporis morbo adolefcentem eripuit: hæc ambo eodem ita tempore fecit: vt difficile dictu sit, quem nã prius curasset. Simul autem ego vtrumque vna cum verbis saluatoris, alterum animo, alterum corpore curatum fuisse arbitror. Serui autem occurrerunt, velocitatem, & vim verborum Christi annunciantes: domino sic dispensante, vt ab euentu rerum reguli fides confirmaretur. *Interrogabat ergo horam ab eis, &c.* Certior fieri de hora studet, in qua filius eius conualuit: vt videat, si tempore congruit, in quo à saluatore sibi gratia fuit concessa. Cumque ita esse didicisset; Christo totam rem attribuens, cum vniuersa domo saluatur, feruentiorem iam fidem agendarum gratiarum afferens loco.

S. GREGORII PAPAE  
in superioribus Euangelium  
Homil.

*Est Hom. 28. in Euang.*

**L**ectio sancti Euangelij, quam modò, fratres, laudistis, expositione non indiget. Sed ne hæc facili præterisse videamur, exhortandi potius quam exponendo, in ea aliquid loquamur. Hoc autem vobis solummodò de expositione video esse requirendum, cur is, qui ad salutem filio petendã venerat, audiuit; *Nisi signa, & prodigia videritis, non creditis.* Qui enim salutem filio quærebat, proculdubio credebat. Neque enim ab eo quæreret salutem, quem non crederet saluatorem. Quare ergo dicitur; *Nisi signa, & prodigia videritis, non creditis,* qui ante credidit, quàm signa videret? Sed mementote quid petiit, & aperte cognosceatis, quia in fide dubitauit. Poposcit namque, vt descenderet, & sanaret filium eius. Corporalem ergo domini præsentiam quærebat, qui per spiritum nusquam deerat. Minus itaque in illum credidit, quem non putauit salutem posse dare, nisi præsens esset & corpore. Si enim perfecte credidisset, proculdubio sciret, quia non esset locus, vbi non esset Deus. Ex magna ergo parte diffusus est, qui virtutem nõ dedit maiestati, sed præsentia corporali. Et salutem itaque filio petiit, & tamẽ in fide dubitauit: quia cum, ad quem venerat, & potentem ad curandum credidit, & tamen morienti filio esse absentem putauit. Sed dominus, qui rogatur vt vadat, quia non desit vbi inuitatur indicat: solo iussu salutem reddidit, qui voluntate omnia creauit. *Qua in re hoc est nobis solerter intuentum, quod sicut euangelista alio testante didicimus, Centurio ad dominum venit, dicens; Domine, puer meus iacet paralyticus in domo, & malè torquetur. Cui à Iesu protinus responderetur: Ego veniam, & curabo eum. Quid est, quod regulus rogat, vt ad eius filium veniat, & tamen ire corporaliter recusat; ad seruum autem Centurionis non inuitatur, & tamen se corporaliter ire pollicetur? Reguli filio per corporalem præsentiam non dignatur adesse, Centurionis seruo non dedignatur occurrere. Quid est hoc, nisi quod superbia nostra retunditur, qui in hominibus non*

*\* honorum.*

*Matth. 8.*

naturam, qua ad imaginem Dei facti sunt, sed honores, & diuitias veneramur? Cùmque pefamur, quæ circa eos sunt, profecto interiora minimè peruidemus: dum ea consideramus, quæ in corporibus despecta sunt, negligimus pensare, quod sunt. Redemptor verò noster vt ostenderet, quia quæ alta sunt hominum, sanctis despicienda sunt, & quæ despecta sunt hominum, despicienda non sunt: ad filium reguli ire noluit, ad seruum Centurionis ire paratus fuit. Incepta est ergo superbia nostra, quæ nescit pensare homines propter homines: sola (vt diximus) quæ circumstant hominibus, pensat; naturam non aspicit, honorem Dei in hominibus non agnoscit. Ecce ire non vult filius Dei ad filium reguli, & tamen venire paratus est ad salutem serui. Certe si nos cuiuspiam seruum rogaret, vt ad eum ire deberemus, protinus nobis nostra superbia in cogitatione tacita responderet, dicens; Nõ eas, quia temetipsum degeneras: Honor tuus despicitur, locus vilescit. Ecce de cælo venit, qui seruo occurrere in terra non despicit: & tamen humiliari in terra contemnimus, qui de terra sumus. Quid verò apud Deum vilius, quid esse despectus potest, quàm seruare honorẽ apud homines, & interni testis oculos non timere? Vnde & in sacro euangelio ad Phariseos ait: Vos estis, qui iustificatis vos coram hominibus, Deus autem nouit corda vestra: quia quod hominibus altum est, abominabile est apud Deum. Notate, fratres, notate quod dicitur. Si enim quod hominibus altum est, abominabile est apud Deum: cordis nostri cogitatio tanto apud Deum in imo est, quanto hominibus in alto. Et humilitas cordis nostri tãto apud Deum in alto est, quanto hominibus in imo. Despiciamus ergo si quid boni gerimus; nulla nos nostra inflet operatio: non rerum abundantia, non gloria extollat. Si quibuslibet bonis affluentibus intus intumescimus. Deo despecti sumus. Quo contra Psalmista de humilibus dicit; Custodiens paruulos dominus. Qui quia paruulos humiles appellat, postquam sententiam protulit, consilium subiungit: Nam quasi quæreremus, quid ipse ad hæc faceret, adiunxit; Humiliatus sum, & liberauit me. Hæc ergo cogitate, fratres, hæc tota intentione pensate. Nolite in proximis vestris mundi huius bona venerari. Hoc propter Deum honorate in hominibus, quibus tamen commissi non estis, quod facti sunt ad imaginem Dei: quod tunc proximis verè seruat, si apud vosmetipsos prius in corde non intrumescitis. Nam qui se adhuc pro rebus transitorijs extollit, nescit in proximo venerari quod maneat. Nolite ergo in vosmetipsis pensare quod habetis, sed quid estis. Ecce mundus qui diligitur, fugit. Sancti isti, ad quorum tumbam cõstitimus, florentem mundum mētis despectu calcauerunt. Erat vita longa, salus continua, opulētia in rebus, fecunditas in propagine, tranquillitas in diuturna pace. Et tamen cum in seipso floretet, iam in eorum cordibus mundus aruerat. Ecce iam mundus in seipso aruit, & adhuc in cordibus nostris floret. Vbiq̃ mors, vbiq̃ luctus, vbiq̃ desolatio. Vndiq̃ percuntur, vndiq̃ amaritudinibus replemur: & tamen cæca mente carnalis cõcupiscentia ipsas eius amaritudines amamus, fugientem sequimur, labenti inhaeremus. Et quia labentem retinere non possumus, cum ipso labimur, quem cadentem tenemus. Aliquando nos mundus

*Luc. 16.*

*Psal. 114.*

*\* militat.*

mundus delectatione retraxit à Deo: nunc tantis plagis plenus est, vt ipse nos iam mundus \* inuitet ad Deum. Pensate ergo, quia nulla sunt, quæ temporaliter currunt. Finis temporalium ostendit, quàm nihil sit quod transire potuit. Casus rerum iudicat, quia res transiens, & tunc propè nihil fuit, cum stare videretur. Hæc ergo, fratres charissimi, sollicita consideratione pensate, in æternitatis amore cor figite: vt, dum terrena culmina adipisci contemnitis, perueniatis ad gloriam, quam per fidem tenetis, per Iesum Christum Dominum nostrum, qui cum patre, & spiritu sancto viuit, &c.

BEDAE VENERABILIS  
presbyteri in idem Euang.  
expositio.

*Ex comment. in Ioh.*

**E**rat autem quidam regulus, cuius filius infirmabatur *Capharnaum.* Regulus diminutiuum nomen est à rege: & ideo forsitan regulus dicitur iste, quia salutem poposcit filio suo: qui plenam nõ habuit fidem, habuit, & non habuit: ideo audiuit; *Nisi signa, & prodigia videritis, non creditis.* Qui enim salutem quærebat pro filio, proculdubio credebat: neque enim ab eo quæreret salutem, quem non crederet saluatorem. Quare ergo dicitur; *nisi signa, & prodigia videritis, non creditis,* qui ante crederet, quàm signum videret? Sed mementote qui petiit, aperte cognosceatis quia in fide dubitauit: poposcit namque vt descenderet, & sanaret filium eius. Corporalem ergo præsentiam domini quærebat, qui per spiritum nusquam deerat. Minus itaque in illum credidit, quem non putabat posse salutem dare, nisi præsens esset, & corpore. Si enim perfecte credidisset, proculdubio sciret, quia non est locus, vbi non est Deus. Ex magna ergo parte diuisus est, quia honorem non dedit maiestati, sed præsentia carnalis. Et salutem itaque filio petiit, & tamen in fide dubitauit: quia eĩ, ad quem venerat, & potentem ad curandum credidit, & tamen morienti filio esse absentem putauit Deum. Sed Dominus, qui rogatur, vt vadat, quia non desit vbi inuitatur indicat: solo iussu salutem reddidit, qui voluntate omnia creauit. *Qua in re hoc nobis solerter intuentum, quod, sicut alio euangelista testante didicimus, Centurio ad dominum dixit; Domine, puer meus iacet paralyticus in domo, & male torquetur. Cui Iesus protinus respondit; Ego veniam, & curabo eum. Quid est, quod regulus rogat vt ad eius filium veniat, & tamen corporaliter ire recusat: ad seruum vero Centurionis non inuitatur, & tamen se corporaliter ire pollicetur? Reguli filio per corporalem præsentiam non dignatur adesse: Centurionis seruo non dedignatur occurrere. Quid est hoc? nisi quod superbia nostra retunditur, qui in hominibus non naturam, qui ad imaginem Dei facti sunt, sed honores, & diuitias veneramur: cùmque pensamus, quæ circa eos sunt, profecto interiora minimè peruidemus. Dum ea consideramus, quæ in corporibus despecta sunt; negligimus pensare quid sunt. Redemptor verò noster, vt ostenderet, quia quæ alta sunt hominum, sanctis despicienda sunt: & quæ despecta sunt hominum, despicienda non sunt: ad filium reguli ire noluit, ad seruum Centurionis ire paratus fuit. Incepta est ergo*

*Matth. 8.*

superbia nostra, quæ nescit pefare homines propter homines: sola, vt diximus, quæ circumstant hominibus, pensat: naturam non aspicit, honorem Dei in hominibus non agnoscit. Ecce ire non vult filius Dei ad filium reguli, & tamen venire paratus est ad salutem serui. Hoc est quod Apostolus ait, *Infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia. Credidit homo sermone quem dixit ei Iesus, & ibat.* Incipiebat enim fidem habere in sermone Iesu, & ideo sanitatem meruit filij: & qui ex parte dubius venit, fidelis recessit: & ideo sanitatem meruit filij. *Iam serui occurrerunt ei nunciantes, &c.* Septenarius numerus sanctificatus est in donis sancti spiritus, in quo sanitas hominibus credentibus constat: quia in sancto spiritu, qui est donum Dei, remissio est omnium peccatorum credentibus. Septenarius quoque numerus si diuiditur in tria, & quatuor, sanctam Trinitatem significat in ternario numero: & omniũ creaturarum vniuersitatem in quaternario, propter quatuor elementa, quatuor animalia, & quatuor plagas mundi, & quatuor anni tempora, quæ omnia ex ipso, & per ipsum, & in ipso creata sunt, constant, & gubernantur: quoniam in ipso viuimus, mouemur, & sumus. *Credidit ipse, & domus eius tota.* quia nuntiatus est ei filius sanus. Ad solum ergo sermonem crediderunt plures Samaritani: ad illud autem miraculum sola domus illa credidit. *Quæ res portendit in multitudine fidem gentiũ, & in paucitate fidem Iudæorum.* Gentes vero solo sermone, id est, prædicatione apostolica crediderunt: Iudæi verò signa viderunt, & ipsam Dei filij facientem, & tamen pauci crediderunt ex eis.

*1. Cor. 1.*

*Act. 7.*

ERICI IN SVPERIVS  
Euang. Homil.

**D**iuina iudicia quam sint incomprehensibilia, quàmque inscrutabilia, quantumque ab humanis iudiciis longe distantia, cum in omnibus diuinæ scripturæ locis, tum vel maxime in præsentis Euangelij lectione valemus aduertere. Ecce enim sicut subsequens sermo huius lectionis indicat, rogatus dominus, & redemptor, vt ad reguli filium pergeret inuisendũ, ire noluit, cum tamẽ alibi ad Centurionis seruum, etiam illo renitente, & indignum se reclamante, venturum se promittere dignatus sit. *Quis autem ignorat regulum maioris esse potestatis, quam Centurionem?* Sed apud omnipotentem Deum (cuius iudicia aliquando occulta sunt, semper autem vera) plus fides Centurionis valuit, quam purpura reguli. Sic quõdam David pro maioribus, & quantum ad hominum iudicia pertinet, prudentioribus fratribus reprobat, ad regnum eligitur, & in sine seculi oratores, & nobiles, sed piscatores, & ignobiles à domino ad Apostolatam vocantur. Hanc diuinorum iudiciorum subtilitatem Psalmista pöderans aiebat; *Iudicia tua, domine, abyssus multa: & iterum, iudicia domini vera, inuisitata in semetipsa.* Et Esaias de Christo præcinit; *Non secundum visionem oculorum iudicabit, neque secundum auditum aurium arguet.* Sed hæc suo in loco melius videbuntur, quæ nos breuiter prælibasse non piguit. Nunc ad exponendam sancti Euangelij lectionem accedamus. *Erat quidam regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum.* Re-

gulus per diminutionem nominis, quod est rex dicitur, paruulus uidelicet rex, nec magna potestate sublimis. Quod nomen bene isti congruit, qui filio salutem poposcit: quia uidelicet non plenam, sed diminutam fidem habuisse probatur. Capharnaum autem ciuitas est Galilææ provincie, in qua dominus multa miracula ostendit, in qua etiam infirmus iacebat istius reguli filius. Hic ergo audiens dominum aduenire à Iudæa in Galilæam, ubi nuper aquam in uinum conuerterat, abiit ad eum rogaturus pro sanitate filij morientis. Quamuis enim omnis terra duodecim tribuum, in qua Iudæi habitabant, Iudæa generaliter appellaretur, præcipue tamen, ac singulariter illa pars regni Iudæorum, in qua duæ tribus constabant, Iudæ scilicet, & Benjamin, Iudæa uocabatur. A qua parte ueniente domino, accessit ad eum iste regulus, rogans ut descenderet, & sanaret filium eius. Quare incipiebat enim moriens est, urgebat eum uicina mors. Dicit ergo Iesus ad eum, Nisi signa, & prodigia uideritis, non creditis. Signa dicuntur, eo quod significant aliquid: prodigia uero quasi portendunt, eo quod portendunt, id est, longe proterant aliquid: constat profecto Iudæos, quasi ex natura instam hanc consuetudinem habuisse, ut quibuscunque rebus licet diuinis fidem non nisi per signa commodarent: uade & Apostolus Paulus dicit, Iudæi signa petunt. Sed quærendum uidetur, cur dominus huic regulo dicit, Nisi signa, & prodigia uideritis, non creditis, cum ille ante crederet, quam signum uideret. Quomodo non crederet, qui salutem filio poposcit? Sed si attendamus quid petat, aperte cognoscimus, quia non plenæ fidei fuit. Poposcit namque dominum, ut descenderet, & sanaret filium eius, & sic præsentiam corporalem exoptat, quasi salutem in filio operari non posset, nisi præsens corpore fuisset. Qui si perfecte credidisset, proculdubio sciret non esse locum, ubi non esset Deus. Arguit itaque hominem in fide tepentem, & tentare cupientem in sanitate filij sui, quis esset, aut quantum posset. Dicit ad eum regulus, Domine descende, priusquam moriatur filius meus. Urgebat eum infirmitas filij, & ideo in precibus perseverans, postulat illi salutem. Dicit ei Iesus, uade filius tuus uiuit. Sicut alio Euangelio narrante didicimus, Centurio ad dominum uenit, dicens; Domine, puer meus iacet paralyticus in domo, & male torquetur. Cui respondit dominus; Ego ueniam, & curabo eum. Centurio est, qui centum militibus præest. Cum ergo maioris dignitatis sit regulus, quam Centurio, uigilanter intendum est, cur ad filium reguli rogatus, corporaliter ire recusat, ad seruum uero Centurionis etiam non rogatus, se pergere pollicetur. Filio reguli non dignatur adesse, seruo Centurionis non dedignatur occurrere. Sed in hoc facto sola humilitate, quæ nobis in redemptore nostro semper imitanda proponitur, superbia nostra specialiter retunditur, qui in hominibus non naturam, qua ad imaginem Dei facti sunt, sed honores, & diuitias ueneramus: ut enim ostenderet redemptor noster quia, quæ alta sunt hominibus, hoc est, dilectoribus huius seculi, electis despicienda sunt, & quæ despecta hominibus uidentur, sanctis despicienda non sunt; ad filium reguli noluit ire, ad seruum uero Centurionis ire paratus fuit. Credit ergo homo sermoni, quem dixit ei Iesus, & ibat. Ex hoc iam apparet, quantum profecerit iste ex increpatione saluatoris. Quia enim dominus dixerat ei; Nisi signa, & prodigia, &c. Sratitur ut audiuit à domino; Uade, filius tuus uiuit; continuo credens ibat. Quia heri hora septima reliquit eum febris. Non est uacuum à magno mysterio, quod filium reguli euangelista narrat septima hora ab infirmitate dimissum. Non solum enim miracula Christi, quæ corporaliter gessit, miracula nobis existunt, sed etiam in ipsis operibus suis secreta sunt mysteria consideranda. Septenarius numerus sacratus est donis spiritus sancti, quoniam omnia dona spiritualia, quæ à Deo cunctis fidelibus largiuntur, eodem septenario numero comprehenduntur. Septem enim sunt uirtutes spiritualium donorum, quibus uita, & status hominum in præsentia uita decetissime ornatur, sapientia uidelicet, intellectus, consilium, & fortitudo, scientia, pietas, ac timor domini. Sine gratia enim Dei nec sapiens quis esse potest, nec intelligens, nec consiliarius, nec fortis, nec eruditus, nec pius, nec plenus timore domini. Quæ dona quia non aliter quam gratia sancti spiritus homini tribuuntur, merito etiam ipse spiritus sanctus, qui nihil est aliud quam uerus Deus, eisdem nominibus nuncupatur. Sicut enim filius à patre procedens uocatur leo propter fortitudinem, ouis propter innocentiam, ostium, quia per ipsum introimus ad patrem, lux, quia illuminat omnem hominem: uocatur & ueritas, atque resurrectio, multisque aliis nominibus secundum quosdam proprietates: ita quoque & spiritus sanctus procedens à patre simul, & filio, his septem nominibus proprie appellatur, sapientia scilicet, intellectus, consilium, fortitudo, scientia, pietas, atque timor. Unde & septiformis gratia dicitur, propter mysterium septenarij numeri, in quo summa perfectio intelligitur. Est enim compositus ex ternario, & quaternario. Habet namque in ternario significationem sanctæ Trinitatis, in quaternario, euangelij. Sine enim tres per quatuor, aut quatuor per tres multiplicentur, ad duodenarium numerum conuertitur, quem etiam constat esse perfectissimum, quia mysterium sanctæ Trinitatis, & doctrina Euangelij per duodecim Apostolos in quatuor mundi partes, orientem scilicet, & occidentem, septentrionem, ac meridiem deriuata est. Sunt quoque quatuor mundi elementa, & quatuor orbis (ut dictum est) climata, totidemque anni tempora, quatuor etiam, quibus Ecclesia subsistit, habentur euangelia. Postumus quoque ternarium numerum ad interiorem nostrum referre hominem, hoc est, ad animam, quæ triplicis est naturæ. Est enim irascibilis, concupiscibilis, & rationalis. In uuaquaque etiam rationali anima tria insunt, memoria, ingenium, & intellectus. Spiritum quoque sanctum super dominum corporaliter requierunt, Esaias Propheta cum de Christo prophetaret, prædixit; Egredietur, inquit, uirga de radice Iesse, Dominus uidelicet Iesus Christus de stirpe David, & requiescet super eum spiritus domini, spiritus sapientiæ, & intellectus, spiritus consilij, & fortitudinis, spiritus scientiæ, & pietatis, & replebit eum spiritus timoris domini. Ipse enim spiritus requieuit super Dominum Iesum Christum, quia in eius corpore omnis plenitudo diuinitatis plenissime habitauit, nequaquam per partes, ut in cæteris sanctis, quibus aliis datur seruitutem,

ritum, & cæteris, quibus uniuersique datur secundum mensuram fidei: sed plenissime requieuit super eum, & perpetua mansit habitatione. Quia igitur per septenarium numerum ipse spiritus sanctus designatur, à quo, & per quem omnis sanitas, omnis fortitudo, atque uniuersa dona spiritualia cunctis fidelibus largiuntur, reatè septima hora diei filius reguli sanitati redditus ab euangelista refertur: quia quæcumque sanitas, siue in corpore, siue in anima datur, eodem spiritu largiente tribuitur, qui per eundem septenarium numerum designatur. Bene ergo septima hora filius reguli sanatus est, quia tunc perfectam sanitatem totus homo consequitur, cum creatura creatorem suum agnouerit, eique se digna humilitate, ac seruitute subdidit. Hic enim est ordo reuerentissimus, ut anima Deo, corpus uero spiritui mancipetur. Idem quoque septenarius numerus dominus septiformis spiritus sacratus est, in quo, & per quem uera hæc sanitas, & remissio omnium peccatorum tribuitur. Cognouit ergo pater, quia illa hora erat, in qua dixit ei Iesus. Filius tuus uiuit: & credidit ipse, & domus eius tota. In hoc eodem euangelista paulò superius legimus, quod prædicante domino in Samaria, ad uocem mulieris dicentis; Venite, & uidete hominem, qui mihi omnia dixit, quæcumque feci, plurimi Samaritanorum absque uilius signi uisione solo sermone in illum crediderunt. Ad istud autem tam magnum miraculum in Iudæa paratarum, solus regulus cum domo sua credidit. Et hoc est, quod dominus supra dixerat; Nisi signa, & prodigia uideritis, non creditis. In quo etiam facto præfigurabatur, quod paucitas Iudæorum esset in Deum creditura, & multitudo gentium ad fidem uentura. Iudæi nempe ipsam filium Dei signa facientem uiderunt, Apostolos illius prædicatores, & magistros habuerunt, & tamen pauci ex eis fidei iugo colla submiserunt, cæteris in infidelitate persistentibus. Porro gentium populus etsi Christum in carnis infirmitate posuit, miracula operantem uidere non potuit, sola tamen prædicatione Apostolorum contentus penè totus sacre fidei acquieuit. Proinde illis tormentis perpetuis ob infidelitatem condemnatis, nobis, si quod fide credimus, operibus exornemus, æterna beatitudo repromittitur, dicente nobis saluatore; Beati, qui non uiderunt, & crediderunt. Perfecta namque Iudæorum conuersio circa finem seculi implenda est, quando ad prædicationem Eliæ, & Enoch conuertentur corda patrum in filios, & corda filiorum ad patres eorum, & adimplebitur quod ait Apostolus; Cum plenitudo gentium intrauerit, tunc omnis Israël saluus fiet. Et Esaias; Si fuerit numerus filiorum Iudæi, quasi arena maris, reliquæ saluæ fient. Et iterum; In ueritate conuertentur. Quod ipse præstare dignetur, qui uiuit, & regnat in secula seculorum, Amen.

## HAYMONIS EPISCOPI

*Halberst. superioris Euang.  
expositio.*

**E**Rat quidam regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum. Regulus diminutiuum est nomen à rege, & per diminutionem nominis, aperitur qualitas potestatis. Non enim tanta erat potentia,

quantæ rex, quia sub eius ditione agebat, eiusque imperis parebat. Diminutio igitur istius nominis, demonstrat imperfectionem credulitatis. Nam si uerè credidisset, nunquam domini præsentiam requireret corporalem. Capharnaum ciuitas est Galilææ provincie ad radicem montis Thabor sita, in qua dominus plura patrauit miracula, cui etiam credere nolent, & eius prædicationem respicienti impropere: Et tu Capharnaum, quæ usque ad caelos exaltata es, usque ad infernum detrahetis. Quoniam si in Tyro, & Sydone factæ fuissent uirtutes, quæ factæ sunt in te, olim in cinere, & cilicio poenitentiam egissent. Hic cum audisset, quia Iesus adueniret à Iudæa in Galilæam. Omne regnum Israeliticum generaliter Iudæa appellatur. Specialiter uero illa pars meridiana, in qua tribus Benjamin cum tribu sacerdotali habitabat. Galilæa pars est Septentrionalis. Sicut & supra in lege. Hic cum audisset: quia fama miraculorum eum præcedebat, audiens iste à Iudæa uenit in Galilæam, adit expetens filio sospitatem. Ait illi Iesus: Nisi signa, & prodigia uideritis, non creditis. Signa dicuntur, eo quod aliud significant in præsentia, prodigia quasi portendunt, eo quod quoddam futurum præterant. Non inconuenienter quaeritur, quare tam dura increpatione eum redarguerit, & tamen nisi credidisset nullatenus ad eum ueniret. Sed si uerba eius perspicaciter attendimus, certissime intelligemus, quia in fide dubitauit. Sanè non putabat filium suum, absente domino sanari posse, qui nusquam deerat diuinitate. Non enim tanta fidei erat, ut beatus Centurio, cui dominus præsentiam sui, & ad domum promissit se iturum, qui indignum iudicauit se inueniens: Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic uerbo, & sanabitur puer meus. Iuste iste regulus redarguitur, quia si perfecte credidisset, proferus sciret dominum ubique per plenitudinem diuinitatis præsentem, quæ cernebat corporali circumscriptione localem. Domine, descende priusquam moriatur. Datur intelligi, quia uicina morte filij torquebatur, ideoque talia loqui cogebatur. Et ait illi Iesus: Uade filius tuus uiuit. Legimus alibi Centurionem ad dominum uenisse, & sanitatem pueri postulasse, ad cuius domum pollicitus est properare, dicens; Ego ueniam, & curabo eum. Scimus namque Centurionem inferioris fore dignitatis quam regulum. Quid est ergo, quod ad domum Centurionis ire paratus fuit, ad filium uero reguli ire contemnit? In hoc facto superbia nostra retunditur, quia nescimus considerare homines propter homines, quia non consideramus in eis naturam, qua ad imaginem Dei facti sunt, sed honores, & diuitias in illis ueneramus. Quem uidemus auro & argento circumdaturum, putamus esse sanctum, & ueneramus, quem uero pauperem, & mendicum uidemus, despiciamus, & nihili ducimus. Et ideo ut demonstraret dominus, quia, quæ alta sunt apud homines, sanctis despicienda sunt, & quæ contemptibilia, & humilia sunt apud homines, sanctis despicienda non sunt, ad filium reguli ire noluit, ad seruum uero Centurionis ire paratus fuit. Credit homo sermoni, quem dixit ei Iesus, & ibat. Interpretatus uerba Domini ex eius correptione proficiens ad iustionem illius ibat. Iam eo descendente, serui occurrerunt ei. Serui, qui præsentem fuerant, & filio paruerrant, præ nimio gaudio, non passi sunt ad domum uenire

venire, sed in itinere posito ei occurrere, salutem filij nunciates. Ille autem sollicitus de morte eius horam requirit, in qua melius habuerit. *Aunt, quia heri hora septima reliquit eum febris.* Febris generale est omnium infirmitatum à febre dicta. Non vacat à mysterio, quod septima hora liberatus est. Nam septenarius numerus in sacro eloquio perfectus est, propter septem dona spiritus sancti, quae requiescunt super Christum, testante Propheta: Constat namque ex ternario, & quaternario numero. Ternarius numerus pertinet ad creatorem ob trinitatis fidem, quae licet vnus in deitatis potentia sit, trinitas tamen habetur in personis. Quaternarius vero ad creaturam refertur, siue propter quatuor climata mundi, seu propter quatuor tempora anni, seu propter quatuor elementa. Ternarius, & quaternarius coniuncti septem perficiunt. Merito ergo in septima hora sanitati restituitur, quia tunc homo veraciter medetur, cum creatori creatura sociatur. Est & aliud, quod vtiliter potest intelligi. Ternarius animae apratur propter triplicem naturam, quae est irascibilis, concupiscibilis, & rationalis, vel propter triplicem virtutem, quae est vitalis, sensualis, & rationalis. Vitalis vt in arboribus, sensualis in animalibus, rationalis in hominibus. Quaternarius nihilominus conuenit corpori, quod constat ex quatuor humoribus, frigido, calido, humido, & sicco. Quod si metiamur, tetragonam figuram deformasse videbimur: vnde primus parens noster Adam, in quo omnia corpora nostra causaliter inerant, nomen habuit quatuor litterarum sicut homo. Iure igitur septima hora sanatur, quia, cum corpus subiectum fuerit spiritui, secundum illud Apostoli: Caro concupiscit aduersus spiritum, spiritus autem aduersus carnem, haec sibi inuicem aduersantur, vt non quaecumque vultis, illa faciat, & spiritus suo creatori, vt, dum cognouerit corpus ex quatuor humoribus constare, animam vero ad imaginem Dei conditam, plenissimam & verissimam meretur sanitatem. *Cognouit ergo pater, quia illa hora erat.* Audiens horam, quam serui nunciauerunt, & recolens verba Domini, quae dixerat, *filius tuus viuit*, intellexit vnam, eandemque horam. *Et credidit ipse, & domus eius tota.* Legimus aliam ad vocem mulieris Samaritanae multitudinem credidisse, licet aliquod signum non cerneant, ac tunc tanto miraculo, solummodo regulus, & eius domus credidit. Praefigurabatur iam, quia paucitas Iudeorum in Christum erat creditura, & numerositas gentium ad fidem eius ventura. Nos ergo audientes nostram vocationem, & Iudeorum reprobationem, agamus deitati in fide indefessas gratias, qui nos non nostris meritis ad fidem vocare, sed illis reprobatibus, loco eorum dignatus est subrogare.

**INCERTI AVTHORIS**  
*sub nomine Eusebij Episcopi Emisseni superioris Euang. expositio.*

**D**igni sunt reges, qui exaudiantur: nulli ita Deo familiares sunt, sicut boni reges. Valde bonam significationem tenent reges in diuina scriptura. Omnis enim homo qui seipsum, & virtutum exercitum qui in eo est, honeste sapienterque disponit, & regit, vera definitione rex dici

potest. S' ergo teipsum, & familiam tuam bene regere, & disponere vis, custodi sensus corporis tui, neque eos per illicita vagari permittas. Ipsi enim duces sunt, & in tota domo obrint principatum. Auerte igitur oculos tuos, ne videant vanitatem. Dic simul cum viro iusto, *Pepigi fedus cum oculis meis*, ne de virgine cogitarem. Audi etiam quid Psalmista dicat: *Oculi mei semper ad Dominum*, quia ipse eueller de laqueo pedes meos. *Qui enim semper oculos ad Deum habent, vana videre non desiderant.* Sic ergo regitur visus. Sed quid dicam de auditu? Nam & ipse regendus est. Claude igitur aures tuas, ne detractionibus pateat, ne verba vana, & inutilia libenter audiant: aperti eas ad euangelium, aperti eas ad verbum Dei. Ideo enim psalmista dicit, *Audi, filia, & vide, & inclina aurem tuam.* Ideo & dominus ait, *Qui habet aures audiendi, audiat.* Ideo & isaias dicit, *Audi caelum, & auribus percipe terra, quoniam Dominus loquutus est.* Lingua quoque regimine indiget: quam qui non regit, rex dici non debet. *Qui enim custodit linguam suam, custodit & animam suam: mors, & vita in manu linguae.* *Qui in verbo non offendit, hic perfectus est vir.* Si quis putat se religiosum esse, non restringens linguam suam, sed seducens cor suum, huius vana est religio. Vnde Psalmista ait, *Dixi custodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea.* Os quoque nisi custodiatur, in multis peccat. Peccat enim in crapula & ebrietate. Quod quidem si primi parentes bene custodissent, de ligno vitito non comedissent. Hoc autem Dominus nos regere docuit, qui diabolo male suadenti respondit, *Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo Dei.* Hoc & apostolus bene regebat, qui ait, *Nunquam commune, & immundum introiuit in os meum.* Regamus & manus, vt pauperibus aperiantur, & ad furtum, & rapinam non extendatur. Tales manus notabat propheta, quum diceret, *Manus vestrae sanguine plene sunt.* Regamus & pedes, ne currant ad effundendum sanguinem, sed potius semper sint parati ad euangelizandum pacem, ad euangelizandum bona, vt calcare valeant super serpentes, & scorpiones. De pedibus namque Dominus ait, *Qui lotus est, non indiget nisi vt pedes lauet.* De pedibus & ecclesia dicit, *Laui pedes meos: quomodo inquinabo illos?* Sic igitur reguntur corporis sensus. Sed quid de interiori familia dicam? Et ipsa quidem regimine indiget. Vnde psalmista ait, *Proba me, Domine: & tenta me, vt renes meos, & cor meum: itaque, Cor mundum crea in me, Deus, & spiritum reatum innoua in visceribus meis.* Ex corde enim (ait Dominus) exeunt cogitationes male, homicidia, adulteria, furta, periuria, fornicationes, blasphemiae: haec sunt quae coinquinant hominem. Ideo rationale super cor, & super peccus episcopi ponitur, vt bene regatur, & custodiatur. Nemo igitur se regem non esse dicat, qui tantas habet ad regendum familias. Tales itaque reges iste regulus significabat, qui ad Christum accessit pro filio rogaturus. Et fortasse ideo non rex, sed regulus dicitur, quia nondum perfecte credebat. Vnde & Dominus ait, *Nisi signa & prodigia videritis, non creditis.* Si enim perfecte credidisset, filius eius infirmus non fuisset. Quid enim per filium eius, nisi spiritum eius & nisi animam eius intelligamus? Hic

**THEOPHYL. EPISCOPI**  
*Bulgar superioris Euangel. expositio.*

**E**T erat quidam regius, cuius filius infirmabatur, &c. Ostendit Euangelista quod quidam regius ex miraculo, quod in Cana erat factum bonam quandam opinionem de Christo conceperat, tamen minus dignam. Regium autem illum vocat, vel quod ex regio erat genere, vel quod gerebat dignitatem quandam, ob quam sic vocabatur. Num igitur, dicit quis, idem est ille, cum Centurione apud Matthaeum? Nam & ille ex Capernaum erat. Non opinor igitur illum esse, sed alium. Nam ille quidem & volentem venire Christum prohibet, dicens, *Non sum dignus vt sub tectum meum ingrediatis, & illius quidem puer paralyti detinebatur, seruus videlicet: istius autem filius febris.* Et ille quidem, quum à monte descendisset, in Capernaum ingressus est: nunc autem à Samaria, & non in Capernaum, sed in Cana. In summa, ille Centurio, hic autem regius fuit dignitate. Orat igitur regius ille dominum, vt descendat ad sanandum filium. At dominus perstringit eum, vt pote non perfectam, sed paruam habentem fidem. Dicens enim, *descende prius, quam moriatur filius meus, infirmitatem fidei suae ostendit: quia non credebat, quod si contingeret mori filium potens esset eum suscitare, propterea perstringens eum dicit, Nisi signa, & prodigia videritis, non credetis.* Interim autem & alios ciues Capernaum accusat. Videntur enim vbiq; ob multam incredulitatem eodem nari. Igitur, quoniam infirmae mentis erat regius & urgebat dominum, vt descenderet ad sanandum filium: ostendens ei saluator, quod etiam absens posset sanari, dicit, *Vade, filius tuus viuit.* Denique pueri quidem sanauit febrem, paruis autem incredulitatem. Scias autem aliud esse signum, aliud prodigium. Nam prodigium fit praeter naturam, vt est aperire oculos caeci nati, & excitare mortuum: Signum autem non praeter naturam, vt est sanare infirmum. Perficiat autem & nunc hoc miraculum dominus. Omnis homo est regius quidam, non solum, quod cognatus propter animam regi omnium, sed etiam quod ipse regiam dignitatem supra omnes accepit. Inuenitur autem saepe habens quidem mentem quasi filium igne illicitarum voluptatum, & concupiscentiis male laborantem. Si igitur accesserit ad Iesum, & petierit ab eo, vt descendat, hoc est, misereatur, & remittat illi peccata prius quam tota à morbo voluptatum moriatur (si enim nostri non miseretur Deus) sed obseruaret iniquitates, & secundum illas vlcisceretur, qui nam sustineret? Si igitur accesserit, vt dictum est, assequetur quod quaerit, & recipiet mentem suam sanam. Veruntamen vide & quid dicat ad illum dominus, *Vade, filius tuus viuit*, hoc est, ne sis immobilis ad bonum: sed vade, & incessabilem motionem ostende ad bonum. Tunc enim filius tuus viuet. Si autem quieveris, non ambulans, morietur plane mens tua, eo quod ad bonum te non promoueris. *Tam autem eo descendente, serui occurrerunt ei, &c.* Obstupescit serui repentina morbi mutatione, occurrunt domino, bonum nuncium afferentes de sanitate filij. Non enim simpliciter, & sicut fieri solet, sed subito liberatus est à febre, vt ita ostendatur miraculum hoc non fuisse naturae, sed virtutis Christi. Vt ergo

Hic autem filius reguli, id est, anima reguli, infirmabatur Capharnaui, quae villa consolationis interpretatur. Mala villa, mala consolatio. Haec villa, caro est, in qua anima infirma iacet, & inde magis infirmatur, quia non bene consolatur. Spiritus enim (ait apostolus) concupiscit aduersus carnem, caro autem aduersus spiritum. Vult autem conuertere, & ad poenitentiam redire: sed dicit caro, & quasi consolando dicit, *Noli adhuc, expectemus vsq; cras, consilio faciamus, iuuenes sumus, multum nobis temporis restat, melius est non vouere, quam vota non reddere.* Sic loquitur Capharnaum, sic loquitur caro, sic loquitur villa consolationis: bene quidem loqui videtur, sed non bene loquitur. Vnde & Salomon, *Ne tardes, inquit, conuertere ad Dominum; & ne differas de die in diem: qui enim dedit hodiernum diem, non promisit dubium cras.* Imitate igitur istum regulum, o homo, quicumque es, cuius anima infirmatur: festina ad Iesum, vade ad medicum, roga eum vt descendat, roga vt tibi condescendat, roga vt tibi peccata tua dimittat, roga vt sanet animam tuam & liberet eam à morte sua: caue, ne iaceat in Capharnaui, noli eam male consolari, & morti eam perpetuae subiugare: noli signa & prodigia quaerere: crede, tantum & saluus eris. Intra simul cum regulo, & intra & dico, *domine descende; priusquam moriatur filius meus:* hoc enim si feceris, audies & tu à piissimo Domino, quod ille regulus tunc audire meruit. *Vade* (inquit) *filius tuus viuit.* Verum est igitur, & sine dubio verum est, quia peccator quacumque hora conuersus fuerit, & ingemuerit, vita viuet, & non morietur. Non enim dixit, *viuet, sed, viuit:* quia vna eademque hora & poenitentia nascitur & vita datur. *Credidit homo sermoni, quem dixit ei Iesus, & ibat.* Iam non regulus, sed rex iste dicendus est. Regulus erat quando venit, sed rex & plenus fide recessit. Credidit enim Abraham Deo, & reputatur ei ad iustitiam. Omnia possibilia sunt credenti. *Iam autem eo descendente, serui occurrerunt ei, &c.* Isti serui, episcopi, & sacerdotes mihi esse videtur, qui peccatori ad poenitentiam conuerso vitam nuntiant, & sanitatem promittunt. Omnium enim serui sunt, qui omnibus ex debito seruiunt. Vnde & Romanus episcopus episcoporum omnium maximus, seruum seruorum Dei in suis epistolis se esse scribit. Neque enim vacat à mysterio, quod septima hora puerum febris reliquisse dicitur. Septima namque hora, & septima dies, haec aetas vltima est: de qua apostolus ait, *Nos sumus in quos fines seculorum deuenerit.* Hac autem septima hora ad sanandum & viuificandum Dominus venit. Ante hanc autem horam nemo sanabatur. Quicumque itaque sanatur, hac & non alia sanatur. *Cognouit ergo pater, quia illa hora erat, in qua dixit Iesus, filius tuus viuit: & credidit ipse, & domus eius tota.* Cognoscamus igitur & nos, firmiterque credamus, quia in hac hora, in hoc tempore praesinito, in hoc tempore ante tempora praedestinato, venit Iesus: & pro nobis passus, praecipit vt viuamus, & vltieris non moriamur, sed sani, & immortales ad regna caelestia transferamur. *Qui cum patre, & spiritu sancto viuit, & regnat Deus per omnia secula seculorum, Amen.*

*Nota vna  
primum not  
malis gestis  
An  
prima  
apparet  
hinc  
S. Grego  
Pape tem  
vixisse.*

*Nota vna  
primum not  
malis gestis*



didicit à seruis horam, in qua puer vegetius se habuisset, hoc est, melius habuisset, & in meliore transisset valetudinem, plenè credidit domino. Prior enim eius fides imperfecta erat. Ne enim mihi dixeris, quòd nò accessisset, nisi credidisset. Nam & patres consueverunt præ amore erga filios, non solum accedere ad medicos, quibus bene fidunt, sed & ad imperiticos, nihil ex iis, quæ facere oporteat, intermittentes. Accessit quidem ex fide, siquidem & hoc dabimus, sed frigida, & imperfecta, quam neque fidem quis rectè vocauerit. Tunc autem perfectè credidit, quando & de hora didicit.

EVTHYMII ZIGABONI

superioris Euang. expositio.

Erant quidam Regius, cuius filius infirmabatur Capernaum: Regius dicebatur, vel quod regio esset genere, vel quòd dignitatem nactus erat, à qua Regius cognominabatur; vel quod minister esset regius. Quidam itaque dicunt hunc fuisse Centurionem, de quo apud Matthæum, & Lucam facta est mentio. Non est autem ita. Si quidem ut alias eorum differentias omittamus, ille Centurio erat, hic Regius: illius seruus ærotabat, huius filius: & ibi morbus erat paralyticus, hic autem febris. Hic audito quod Iesus venisset à Iudæa in Galileam, abiit ad eum, & rogabat illum, &c. Rursum ipse significat, Deprecabatur. Nisi signa, & prodigia videritis, nequaquam crederis. Non interrogatiue, sed affirmatiue legendum. Nam hoc dixit generaliter quidem deprimendo Iudæos cum Samaritanis collatos: quod illi absque signis, & prodigiis credidissent: particulariter autem Regium obiurgando: & si enim fidei erat, quòd abiisset, & deprecatus esset, ac vigeret eum. Si quidem euangelista quoque ait, quod, quum dixisset Iesus, Vade

filius tuus viuit, credidit homo sermoni, quem dixerat ei: nondum tamen rectè credebat: & hoc manifestum est, eo quòd interrogauerit, quando ærotantem reliquisset febris: volebat nanque discere vtrum casu, an Christi iussu hoc factum esset. Domine descende priusquam moriatur, &c. Descende, inquit, priusquam moriatur: existimabat enim quòd post mortem eum resuscitare non posset. Sciscitatus est ergo ab eis horam, in quam melius habuisset. Quamquam uero & dicatur scitus, industrius, aut eloquens; hic tamen comparatiuum uox ἰσχυρῶς significat facilius, leuius, tolerabilius. Hæc hora septima reliquit eum febris. Nam procul à Cana erat Capernaum: itaque non potuerunt eodem die perferre nuntium de salute filij eius. Cognouit ergo pater, quòd in illa hora, &c. Quòd in illa hora, putata reliquerat eum febris: Et credidit ipse, & domus eius tota. Nunc perfectè credidit, ubi sanatus est filius ipsius: Merito ergo obiurgauit eum Christus, qui cor illius nouerat, dicens; Nisi signa, & prodigia videritis, nequaquam crederis. Signa quidem proprie sunt, quæ secundum naturam fiunt, ut sanare ærotum: prodigia uero, quæ supra naturam, ut uiuificare mortuos, visum prestare cæcis, quamquam abusuque etiam dicantur à diuerso. Hoc iterum secundum signum, &c. Et prius, quum dixisset; Venit rursus Iesus in Cana Galilææ, ubi fecerat ex aqua uinum, non frustra miraculi fecit mentionem: sed ut ostenderet, quòd etiam, factò illo signo, Samaritanis inferiores in fide inuenti sunt. Et nunc quoque dicens, Hoc iterum secundum signum edidit Iesus, similiter carpit illos, quia etiam secundo signo uiso, non potuerunt ad mensuram peruenire fidei Samaritanorum, qui nullum uideant. Hoc autem dixit, secundum, non quòd post primum nullum aliud ediderit in tota Palæstina, sed quòd post primum hoc secundum in Cana factum sit.



DOMINICA XXI. POST PENTECOSTEN.

MATTH. 18.



In illo tempore dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc, Simile est regnum cælorum homini regi, qui uoluit rationem ponere cum seruis suis. Et cum cœpisset rationem ponere, oblatum est ei vnus qui debebat ei decem millia talenta. Cum autem non haberet unde redderet, iussit eum dominus uenundari, & uxorem eius, & filios, & omnia quæ habebat, & reddi. Procidens autem seruus ille rogabat eum, dicens, Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Misertus autem dominus

a Vita iustorum. b Huic toti negotio. c Typice Christo qui merita cuiusque examinat. d Vita iustorum. e Permissi iusto iudicio, malignorum spirituum seruum fieri. f Cum sponte nollet malus, coactus populus ille penitet. g Parce peccatis. h Credendo in te, qui es finis legis.

dominus serui illius, dimisit eum, & debitum dimisit ei. Egressus autem seruus ille, inuenit vnum de conferuis suis, qui debebat ei cētum denarios, & tenens suffocabat eum, dicens, Redde quod debes. Et procidens conferuus eius rogabat eum, dicens, Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Ille autem noluit, sed abiit & misit eum in carcerem, donec redderet debitum. Videntes autem conferui eius quæ fiebant, contristati sunt valde, & uenerunt, & narrauerunt domino suo omnia quæ facta fuerant. Tunc uocauit eum dominus suus, & ait illi. Serue nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me. Nonne ergo oportuit & te misereri conferui tui, sicut & ego tui misertus sum? Et iratus dominus eius, tradidit eum tortoribus quoad usque redderet uniuersum debitum. Sic & pater meus cælestis faciet uobis, si non remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus uestris.

GLOSSA ORDINARIA in superioribus Euang.

CATENA AVREA in idem Euang.

Deo assimilatum, ut sciatis dimittendum esse conferuis, ostendam per similitudinem, quia si ille rex & dominus conferuis dimisit seruo, multò magis homo conferuis suis. Mos erat Syrorum per parabolas loqui. Et uxorem. Eum non solum populum, sed etiam prælatos & subditos simul cum tota familia uel substantia eorum pro magnitudine delictorum tradidit exteris nationibus: ut quod noluerunt uoto, soluant tormento. Iussit pro cupiditate & operibus: quia uxor & filius pœnas soluere. Misertus autem. Misericors dominus non solum captiuitatem Iudaicam absoluit, sed etiam peccatorum omnium ueniam in aduentu Christi se dare promisit, si persisterent in incepto. Dimisit ei, id est pondere carnalium obseruationum absoluit, & debitum dimisit, id est priores transgressiones. Inuenit vnum. Gentilem populum, quasi sibi debitorem fatigabat: gratiam Christi non esse eis ad salutem dicens, carnales obseruantias ab eis non modò persuasionibus sed etiam tormentis expectabat. Serue ne. Sæpe debita dimisi tibi, quando in angustiis rogasti; sed liberatus compassionem non habuisti, quin potius prophetas & apostolos persequaris, & ingratus, & de iustitia præsumens spernis gentes, indignas tua societate in Christo iudicans. Sic & pater meus. Si non dimiseritis ex corde quod in uos delinquitur, & hoc quod per penitentiam dimissum erat à uobis exigitur. Repetet: uel de mala uoluntate damnamando, à qua omnè malum, uel de inobedientia quæ est origo totius mali: Quoties enim quis peccat, inobediens efficitur. Incipit narrare, quæ dominus in Iudæa fecit, & docuit, & passus est: primò trans Iordanem ad orientem, post & citra Iordanem, quando uenit à Iericho in Hierusalem.

Deo assimilatum est regnum cælorum homini regi, qui uoluit rationem ponere cum seruis suis, &c. Chry. Ne aliquis æstimaret magnum quid & graue dominum iniunxisse, cum dixit dimittendum usque septuagies septies adiecit parabolam. Hier. Familiare enim est Syris & maxime Palæstinis ad omnem sermonem suum parabolam iungere: ut quod per simplex præceptum ab auditoribus teneri nò potest, per similitudinè exéplòque teneatur. unde dicitur: Ideo assimilatum, &c. Orig. Filius Dei sicut est sapiètia, iustitia, & ueritas, ita ipse est regnum: non autem alicuius eorum quæ sunt deorsum, sed omnium quæ sunt sursum, in quorum sensibus iustitia & cæteræ uirtutes regnant: qui facti sunt cæli; per hoc quòd portant cælestis imaginem. Hoc ergo regnum cælorum, id est filius Dei, quando factus est in similitudinem carnis peccati, tunc similis factus est homini regi, ueniens hominem sibi. Remi. Vel regnum cælorum congruè sancta ecclesia intelligitur, in qua dominus operatur hoc quod in ista parabola loquitur. Nomine autem hominis aliquando designatur pater, sicut ibi, Simile est regnum cælorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo, &c. aliquando uerò designatur filius: hic autem utrunque intelligi potest, & pater & filius, qui sunt vnus Deus. Deus autem rex dicitur, cuncta quæ creauit regnando & gubernando. Orig. Serui autem hi soli sunt, quantum ad istas parabolas, qui dispensatores uerbi habentur, & quibus hoc est commissum ut negotientur. Remi. Vel per seruos huius hominis regis, designantur omnes homines, quos ad latendum se creauit, quibusque legem naturæ dedit: cum quibus rationem ponit quando uitam & mores & actus singulorum discuit, ut uincatque secundum quod gessit tribuat. unde sequitur: Et cum cœpisset rationem ponere, &c. Orig. Omnis Bibl. Hom. tom. 3. H h h autem

autem vitæ nostræ ratio ponenda est à rege, quando omnes nos presentati oportuerit ante tribunal Christi. Nec hoc dicimus vt suspicio sit, ne forte res ipsa necessarium habeat longum tempus. Volens enim Deus ventilare omnium mentes, cito omnia ab omnibus omni tempore gesta, singulis quibusque faciet in mentem venire ineffabili quadam virtute. Dicit autem: *Et cum cepisset rationem ponere*, quia initium iudicij est, vt incipiat à domo Dei. In principio ergo ponendæ rationis oblatas est debitor talentorum multorum, qui, scilicet multa fecerat damna, & magna ei erant iniuncta, & nullum attulit lucrum, qui forsitan tot talenta perdidit, quâtos perdidit homines, & ideo talentorum multorum est factus debitor, quoniam secutus est mulierem super talentum plumbi sedentem, cuius nomen iniquitas. Hiere. Scio quosdam istum qui debebat decem millia talenta, diabolus interpretari, cuius vxorem & filios venundandos, perseverante illo in malitia, insipientiam & malas cogitationes intelligi volunt. Sicut enim vxori iusti, dicitur sapientia: sic vxor iniusti & peccatoris, appellatur stultitia. Sed quomodo ei dimittat dominus decem millia talenta, & ille nobis conferuis suis decem denarios non dimiserit, nec ecclesiasticæ interpretationis est, nec à prudèribus viris recipienda. Aug. de verb. dom. Ideo dicendum est quòd quia lex in decem præceptis commendatur, ille debebat decem millia talentorum, per quod omnia peccata significat, quæ secundum legem fiunt. Remi. Homo autem sua voluntate & sponte peccans, suo conatu nullo modo surgere valet, & nõ habet vnde reddat, quia nihil in se inuenit per quod se à peccatis soluat. vnde sequitur, *Cum autem non haberet, &c.* Vxor quidem stulti, est stultitia & carnis voluptas seu cupiditas. Aug. de quæst. euang. Per hoc ergo significatur transgressorem decalogi pro cupiditate & prauis operibus, tanquam vxore & filiis pœnas soluere debuisset, quod est precium eius, precium enim venditi, est supplicium damnati. Chryf. Hoc autem non ex crudelitate iussit, sed ex ineffabili affectione. Vult enim eum terrere per has minas vt supplicet & non vendatur: quod & factum ostenditur, cum subditur: Procidens autem seruus ille, &c. Remi. His autem verbis humiliatio & satisfactio peccatoris demonstratur, dum dicitur: Procidens. In hoc verò quòd dicit, Patientiam habe in me, vox exprimitur peccatoris, poscentis tempus viuendi, & spacium corrigendi. Est autem larga Dei benignitas & elementia erga peccatores conuersos, quoniam ipse semper paratus est, per baptismum aut pœnitentiam peccata dimittere. vnde sequitur, *Miseratus autem dominus, &c.* Chryf. Vide autem diuini amoris superabundantiam: petit seruus solus temporis dilationem, ipse autem maius eo quod petiit, dedit: & dimissionem, & concessionem totius mutui. volebat autem à principio dare, sed nolebat solū suum esse donum, sed & supplicationis illius, vt non incoronatus abscedat. Ideo autem antequam rationem poneret, debitum non dimisit, quia docere voluit à quantis debitis eum liberat, vt saltem ita ad conferuos mansuetior fieret. Et quidem vsque ad hæc quæ præmissa sunt, acceptabilis fuit. Etenim confessus est, & promisit se reddere debitum, & procidens rogauit, & debiti magnitudinem cognouit. Sed

quæ postea fecit, indigna fuere prioribus. Sequitur enim, *Egressus autem seruus ille, &c.* Aug. de ver. dom. Quòd autem dicitur quòd debebat ei centum denarios, ab eodem numero, scilicet decem sumitur, qui est numerus legis: nam & centum centies, sunt decem millia, & decies deni sunt centum: illa decem millia talentorum, & illi decies deni, & à legitimo numero non recedunt, in quo vtroque inuenies peccata, vterque est ergo debitor, vterque veniæ deprecator. Omnis enim homo & debitor est Dei, & debitorem habet fratrem suum. Chry. Tãta autè differentia est peccatorum quæ committuntur in hominè, & quæ committuntur in Deum, quanta est differentia decem millium talentorū, & centum denariorum, magis autem & multò plus patet ex differentia personarum, & à paucitate peccantium. Homine enim vidente & desistimus, & pigritamur peccare: Deo autè vidente secundum vnūquenque diem, non obstitimus, sed agimus infirmidabiliter omnia & loquimur. Non hinc autem solum grauiora patent peccata in Deum, sed etiam à beneficio quo sumus potiti ab illo. Fecit enim nos esse, & omnia propter nos operatus est. Animam rationalem nobis inspirauit, filium suum misit, cælum nobis aperuit, & nos filios suos fecit. Nunquid ergo si vnaquaque die moretemur pro illo retribuèmus ei aliquod dignum? nequaquam. Sed hoc rursus ad vtilitatem nostram pertineret. Nos autem econtrariò in legibus eius offendimus. Remi. Si ergo per debitorem decem millium talentorum signantur illi, qui maiora crimina committunt: per debitorem autem centum denariorum, qui minora committit. Hiero. Quod vt manifestius fiat, dicamus sub exèplo: Si quis vestrum commiserit adulterium, homicidiū, sacrilegium, maiora crimina decem millia talentorum roganti dimittuntur, si & ipse dimittat minora peccantibus. Aug. de ver. do. Sed ille seruus ingratus, iniquus noluit præstare quod illi indigno præstitum fuit. Sequitur enim: *Et tenens suffo. eum, di. Redde, &c.* Remi. Id est acriter insistebat vt vindictam ab eo exigeret. Ori. Ideo vt arbitror suffocabat, quoniam à rege exierat: non enim suffocaret conferuum suum, si non exisset à rege. Chryf. Per hoc etiam quòd dicitur egressus, ostenditur quòd non post multum tempus, sed confestim adhuc quasi in auribus habens beneficium, in malitiam abusus est liberatione à proprio domino sibi dara. Quid igitur ille fecerit subditur: *Et proci. con. eius rog. eum di. Patientiam, &c.* Orig. Considera subtilitatem scripturæ, quoniam seruus multorum debitor talentorum procidens adorauit regem, qui autem centum debebat denarios, procidens non adorabat, sed rogabat conferuum, dicens: patientiam habe. Chryf. Sed neque hæc verba ingratus seruus reueritus est, quibus sanatus est. Sequitur enim, *Ille autem noluit.* Aug. de quæ. euan. id est tenuit contra eum hunc animum, vt supplicium illi vellet. *sed abiit.* Remi. id est magis ira exarsit, vt ab eo vindictam exigeret, *Et misit eum in carcerem, donec redderet debitum.* id est apprehensio fratre vindictam ab eo exegit. Chryf. Vide domini charitatem & serui crudelitatem: hic pro decem millibus talentis, hic autem pro centum denariis: hic conferuum, hic autem dominum rogabat: & hic quidem totalem absolutionem accepit, ille autem solam dilationem petebat, nec hoc dedit. Con-

dolue

doluerunt qui non debebant: vnde sequitur: *Videntes autem conser. &c.* Aug. de quæ. euan. Per conseruos intelligitur ecclesia, quæ illum soluit & ligat. Remi. Vel conserui forte angeli sunt intelligendi, aut predicatorum sanctæ ecclesiæ, siue quicumque fideles, qui videntes aliquem fratrem remissionem peccatorum adeptum, non velle misereri conserui sui, contristantur de eius perditione. Sequitur, *Et venerunt, & nar. &c.* Veniunt quidem non corpore, sed corde. Domino autem narrare, est dolores & contritiones cordis, id est suo affectu demonstrare. Sequitur: *Tunc vocauit eum dominus suus.* vocauit quidem per sententiam mortis, & ab hoc seculo migrare iussit, & dixit ei. *Serue nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me.* Chryf. Et quando quidem decem millia talenta debebat, non vocauit eum nequam, neque conseruiatus, sed miserus. Quando autem contra seruum ingratus est effectus, tunc dicitur. *Serue nequam.* & hoc est quòd dicitur: *Nõne ergo oportuit, &c.* Remi. Et sciendum, quia seruus ille nullum responsum legitur domino dedisse: in quo demonstratur, quòd in die iudicij & statim post hanc vitam omne argumentum exculpationis cessabit. Chryf. quia verò beneficio non est factus melior, relinquitur vt pœna corrigatur: vnde sequitur, *Et iratus dominus eius, &c.* Non autem simpliciter dixit, Tradidit eum sed iratus, quòd non posuit quando iussit eum vendi. Non enim hoc erat ira, sed magis amoris ad correctionem: nunc autem hæc sententia est supplicij & pœnæ. Remi. Tunc enim dicitur Deus irasci, quando aduersus peccatores vindicat. Tortores autem dicuntur demones, quia semper ad hoc parati sunt, vt perditas animas suscipiant, & in pœna æternæ damnationis eas torqueant. Nunquid autem postquam aliquis deuersus fuerit in æternam damnationem, poterit inuenire spacium corrigendi, aut aditum exundi? Non: Sed, *quosque*, ponitur pro infinito, & est sensus: semper soluet, sed nunquam persoluet: & semper pœnam luat. Chryf. Per hoc ergo ostenditur quòd continuè, id est, æternaliter punietur, neque reddet aliquando: quamuis autem irruocabilia sint charismata & Dei vocations, tamen tantum valuit malitia, vt hæc legem soluere videatur. Aug. de ver. do. Dicit enim Deus, dimitte, & dimitte vobis: sed ego prior dimisi, dimitte vel postea: nam si non dimiseris, reuocabo te, & quicquid tibi dimiseram, replicabo tibi: non enim fallit aut fallitur Christus, qui subiecit, dicens: *Sic & pater meus cælestis faciet vobis, si non remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris.* Melius est enim vt clames ore, & crudelis in corde. Ideo enim dominus subdit: *de cordibus vestris*: vt si per charitatem imponitis disciplinam, de corde lenitas non recedat. Quid enim tam piuum, quam medicus ferens ferramentum? sanuit in vulnus, vt homo sanetur: quia si vulnus palpat, homo perditur. Hier. Ideo & dominus addidit, *De cordibus vestris*, vt omnem simulationem fidei pacis auerteret. Præcipit ergo dominus Petro sub comparatione regis domini, & serui qui debitor x. millium talentorum à domino rogàs veniam impetrauerat, vt ipse quoque dimittat conseruis suis minora peccantibus. Origen. Vult etiam docere faciles nos esse ad indulgendum eis qui nocuerunt nobis, maxime si satisfaciant &

deprecentur sibi veniam dari. Raba. Allegoric autem sensus hic, qui x. millia talentorum debuit, Iudaicus est: populus decalogo legis astrictus, cui dominus sepius dimisit debita, quando in angustiis constituti illius misericordiam deprecabantur: sed liberati, omnes debitores atrociter repetebant: & à gentili populo, quasi sibi obnoxio, circuncisionem & ceremonias legis expectant, & prophetas & apostolos crudeliter trucidant: vnde tradidit eos dominus in manus Romanorum vel malignorum spirituum, qui æternis cruciatibus eos punient.

### ORIGENIS PRESBYTERI IN IDEM EUANG. HOMIL.

Propositum quidem parabola vult docere faciles nos esse ad indulgendum eis, qui nocuerunt nobis, maxime, si postquam nocuerint, satisfaciant nocitis nobis, & deprecentur datū sibi veniam eorum, quæ offenderunt. Illud quoque nos instruit, quòd etiam eorum peccatorum, quæ iam nobis à Deo indulta sunt, reuocationem faciet Deus etiam post indulgentiam, nisi indulserimus offendentibus nos ita ex corde, vt nec modicam aliquam memoriam offensionū earum apud nos referemus. Post hanc parabola voluntatem, est quidem & simpliciter per singula verba eam discutere vniuersam, vt negotietur quis ex ipsa diffensione dictorum, qui singula diligenter inquirat. Est & sublimior expositio, & mysterialior secundum quam rationis est querere quis est rex, & qui serui, & quod principium ponendi rationem cum seruis, & quis est debitor talentorum multorum, & quæ vxor eius, & filij eius, & quæ orania eius, quæ rex vendi præcepit, vt reddatur debitum de facultatibus eius: quid est egredi eū, qui accepit indulgentiam talentorum multorum: vel quis est ille conseruus vnus, qui non patrifamilias, sed seruo indulgentiam debitorum suorum consecuto debebat: & quid sibi vult numerus centum denariorum, & quid est suffocare, & dicere, redde quod debes: & quis est ille carcer, in quem conseruum suum detrusit indulgentiam consecutus talentorum multorum: & qui conserui, qui sunt contritati, & domino nunciates omnia facta: & qui sunt tortores, quibus traditus est is, qui conseruum suum detrusit in carcerem, & quomodo reddidit tortoribus traditus, omne, quod debuit, vt iam nihil deberet. Iam nunc propositam expositionem tangamus. *Simile est*, inquit, *regnum cælorum homini regi.* Si regnum cælorum assimilatum est cuidam homini regi, videamus in primis quid sit hoc ipsum regnum cælorum, quòd assimilatum est homini regi, nisi filius Dei. Ipse est enim regnum cælorum. Et sicut ipse est sapientia, ipse est iustitia, ipse veritas: ita ipse est regnum. Regnum autem non alicuius eorum qui sunt deorsum, nec quorundam eorum, qui sursum habentur, sed omnium, qui sunt sursum, qui appellati sunt cæli. Secundum hoc dicere potes, quoniam ipsum est Christus secundum quod ipse est regnum, regnans quotidie in sensibus eorum, sicut est regnans, & iustitia, & sapientia, & veritas, ceteræque virtutes in eo, qui factus est cælum per hoc, quòd portauit cælestis imaginem. Hoc ergo regnum cælorum quando factum est in similitudinem. *Bibl. Hom. tom. 3. H h h 2 dinem*

dinem carnis peccati, ut de peccato dāaret peccatum, tunc similis factus est homini regi vniens eum sibi, & per omnia faciens eum sibi vnum: & secundum hoc mysterium suscepti hominis, factus est Iesus Christus: quoniam qui coniungit se domino, fit spiritus vnus cum eo. Hoc itaque regnum celorum, quod assimilarum est homini regi, per anticipationem dicitur, quia voluit ponere rationem cum seruis suis. Nondum enim ponit. Positurus est autem, ut appareat quomodo vnusquisque domini sui, & regis probabilibus, & intelligibilibus pecuniis vsus est. Quas vnus quidem amplius, alius autem accipit minus: secundum enim virtutem vnus cuiusque alij quidem dantur quinque talenta, quasi tantum sufficienti tractare: alij autem duo, quasi minus potenti: alij autem vnum, quasi adhuc impotentiori. Et si quis consideret varietatem humanarum animarum, & ingenia hominum distantia inter se, quoniam iste quidem facit ad plures virtutes, ille autē ad pauciores: alijs vero ad istas facit, ad illas autem non facit, forsitan intelligere potest quomodo vnusquisque anima venit cum aliquibus dominicis pecuniis in hunc mundum. Adhuc autem quæres vtrum omnes homines serui sunt regis huius, aut quidam quidem serui, quos præsciuit, & prædestinauit: alij autem non serui, sed qui negotiantur cum seruis. De quibus & dicitur cuidam seruo. Num oportebat te dare pecuniam meam ad mensam, ut ego veniens cum vsuris recepissem eam? Et sic requires vtrum extra seruos habentur, à quibus cum vsuris promittit se recepturū dominus, non solum qui sunt alieni à fide, sed etiam credentium quidam: serui autem hi soli, quantum ad istas parabolas, qui dispensatores verbi habentur, & quibus hoc est commissum, ut negotiantur, & fœnerent; Nec enim omnibus consequens est intelligere dictum, Negotiamini, donec redeo. Et sequitur: ut cum posita fuerit ratio cum seruis, requiratur etiam quæcunque fecerunt serui ad eos, qui extra domum fuerant regis. Nec enim conseruus inuenitur fuisse villico illi iniquitatis, qui centum tritici coros debebat, aut centum olei batos, secundum quod ipse villicus manifestat dicens, Quantum debes domino meo? Et non dixit domino nostro. Intellige autem mihi omnem quidem actum bonum lucrum dici, malum autem dispendium. Et sicut est differentia inter lucrum, & lucrum pecuniarum, sic & in bonis operibus differentia est inter bonum opus, & bonum: sic differentia inter malum opus, & malum. Quorum differentiam solus Deus scit, qui potest talia ista discernere, & ex ipso affectu verborum, vel actuum videt, quæ nostra ex nobis videntur, sed non sunt ex nobis: & quod est opus magnum lucrum, vel quod mediocre, vel quod exiguum: e contrario quod peccatum, magnum dispendium inuenitur cum ratio ponitur, vel quod minimum, vel quod est damnum nouissimi quadrantis. Omnis ergo vitæ nostræ ratio est ponenda à rege, quādo omnes nos præsentari oportuerit ante tribunal Christi, ut reporet vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum: & adducetur ad rationem etiam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines: vel si quis aliquando portauerit aliquem calicem aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli. Hæc autem non sic dici putamus, quasi opus habentia

multo tempore, ut ponatur nobis ratio de omnibus actibus vitæ nostræ: ut suspicio sit, rege potente singulis in tanta seruorum multitudine rationem, ne forte res ipsa necessarium habeat longum tempus, quoad usque ad finem perueniant omnia, quæ ab initio mundi vsque ad consummationem seculi non vnus, sed multorum seculorum sunt gesta ab omnibus. Sed non est ita. Volens enim Deus ventilare omnium mentes, ut vnusquisque sentiat proprios actus bonos vel malos: cito omnia ab omnibus omni tempore gesta singulis quibusque facit in mente ineffabiliter quadam virtute. Nec enim sicut nos volentes in mente facere alicui ea, quæ fecit, opus habemus tempore sufficienti ad consumptionem eorum, quæ dicuntur à nobis, & in memoriam rediguntur: sic & Deus opus habet tempus, volens nobis in mente facere omnia, quæ gessimus in vita, ut cognoscentes vniuersa, quæ fecimus, intelligamus propter quæ aut punimur, aut honoramur. Si quis autem celeritati diuinæ virtutis circa hæc omnia consummanda non credit: hic nondum intellexit Deum, qui omnia fecit, & non indigni spatio temporis alicuius ad faciendam cæli, & terræ, & omnium, quæ in eis sunt, creaturam. Nam & si videtur in sex diebus fecisse omnia Deus, maxime quia dicit, Hic est liber generationis cæli, & terræ, quæ die facta sunt cælum & terra: audendum est tamen, & dicendum, quoniam tempus futuri iudicij non opus habebit spatio temporis, sed sicut resurrectio dicitur futura in momento, in istu oculi: sic puro & iudicium fore. Post hæc videamus, quid est, quod ait, Incipiente eo ponere rationem, oblati sunt ei debitor vnus multorum talentorum. Initium iudicij est incipiens à domo Dei, qui dixit sicut scriptum est in Ezechiele, angelis, qui constituti fuerant super poenas, A sanctis meis incipite. Quod initium istui oculi simile est, quoniam in istu oculi omnium sanctorum acta considerans iudicat eos. Sic & tempus ponendæ rationis erit, quod concipitur mente. Nec enim oblitus sumus, quæ dicta sunt supra de debentibus plura. Propter quod non quidem scriptum est, ponente autem eo ratione: sed ita, Incipiente autem ponere rationem. Oblatus est in principio ponendæ rationis debitor multorum talentorum, qui ad millia multa fecerat damna, & magna quidem ei erant iniuncta, & credita multa, nullum tamen domino attulit lucrum, ita ut debitor efficeretur multorum talentorum. Et forsitan ideo multorum talentorum factus est debitor, quoniam secutus est mulierem super talerum plumbi sedentem, cuius nomen iniquitas. Intellige autem vnum quodque maximum peccatū dici talentum damni dominici, qualia peccant fornicatores, adulteri, molles, masculorum concubitores, idololatræ, homicidæ, sicut & iste nihil modicum, sed omnia magna, & pessima peccauit, qui oblati sunt regi. Qui forsitan tot talēta perdidit, quantos perdidit homines, qui receperunt eum in se talia operantem peccata, grande est enim hoc & honorabile vir misericors, & honorabile quasi talentum dignum siue aureum, qualis fuit lucerna illa talenti aurei, siue argenteum talentum, aut cuiuslibet alterius metalli intelligibilis, quorum mysteria in verbis dierū scripta habentur, sicut & David dicitur talentis multis, quorum & numerus est ostensus in talentis aureis tantis,

tantis, & argenti tantis, & reliquorum metallorum, quæ illic nominantur, ex quibus fabricatum est templum. Et cum non haberet unde redderet, iussit eum vendi, & uxorem eius, & filios eius, & omnia eius, & reddi debitum. Opus est ergo dicere secundum voluntatem Christi, quis est debitor talentorum multorum, & quæ vxor eius, & filij eius, & omnia eius, & quis est debitor, qui ipsi debitori debebat, & qui conserui videntes hunc quidem effocantem, illum autem effocari. Et sicut est quidem, vere confiteor neminem exponere posse, nisi solum Christum, qui discipulis suis omnia secreta soluit, veniens in sensum eorum, & aperiens eis parabolarum thesauros, obsecuros, secretos, inuisibiles, & confirmans demonstrationibus indubitabilibus, aut eum, quem voluerit illuminare scientiæ lumine, ut intelligat omnia parabola huius: siue autem potest esse diabolus, siue homo peccati, siue & neuter eorum, aut alius aliquis eorum, qui sub diabolo sunt. Est enim sapientiæ hoc opus. Quando autem secundum parabolam homo rex voluit ponere rationem, videre est dignum, & ad quod tempus quæ dicuntur referre debemus. Si enim post consummationem aut sub ipsa consummatione secundum tempus sperati iudicij, quomodo quis soluet, quod dicitur de eo, qui denarios centū debebat, & effocabatur ab eo, qui multorum talentorum veniam fuerat consecutus? Si autem ante iudicium, quis potest ostendere positam rationem ab homine rege cum seruis suis? Dicimus igitur, quoniam videtur de temporibus iudicij prædictis hoc fore. Probatio autem huius est vna quidem parabola istius ipsius euangelij posita in extremo: altera autem secundum Lucam. Sed ne exponentes eam, prolongemus sermonem, breuiter dicimus quoniā parabola quidem secundum Matthæum, Homo quidam peregrinatus vocauit seruos suos, & tradidit eis substantiam suam, & alij quidem quinque, alij autem duo, alij autem talentum vnum. Et post multum tempus reuersus est dominus seruorum eorum. Et his ipsis sermonibus scriptū est, quoniā posuit rationem cum seruis suis. Considera ergo quod ait, Et posuit rationem cum eis, & confer cū isto, quod dictū est, Incipiente autem eo ponere rationem: & videbis quoniā peregrinatione quidem patrisfamilias appellauit tempus secundū quod donec sumus in corpore peregrinamur à Deo: aduentum eius, quando post multum tempus venit dominus seruorum eorum, tempus esse iudicij, cum venerit in consummationem. Secundum Lucam autem clarius manifestat, quoniam homo quidam nobilis profectus est in regionem longinquam, accipere sibi regnum, & reuerti. Proficiscens autem vocauit decem seruos suos, & dedit illis decem mnas, & dixit eis, Negotiamini, dum venio. Iste autē nobilis vir, qui odiebat in ciuibus suis, qui miserant legationem post eum, nolentes eum regnare super se, reuersus est regno accepto, & vocauit seruos, quibus dederat pecuniam, ut videret, quæ esset negociatio eorum. Quis ergo non dicat quoniam nobilis ille homo, qui abierat in regionem longinquam: accipere sibi regnum, & reuerti, Christus est, qui abiit accipere regnum, & mundi, & omnium, quæ in eo sunt? Qui autem decem acceperat mnas, sunt, quibus dispensatio verbi credita est. Ciues autem eius, secundum quod natus fuerat in hoc mundo, &

susciperat humanam naturam, qui noluerit eum regnare, Iudæi sunt, qui ei credere noluerunt, & cæteri infideles. Hæc retulimus ex eis volentes ostendere, quoniam & hoc quod dicit, Qui voluit ponere rationem cum seruis suis: ad tempus consummationis refertur, quando etiam rex est regno accepto: quo accepto voluit ponere rationem cum seruis suis, & incipiente eo ponere, oblati sunt ei vnus debitor talentorum multorum. Oblatus est autem, quasi regi à suis ministris, videlicet angelis. Et forsitan vnus est iste, cui commissa fuit quædam villicatio magna, & quia non bene villicauit, sed dispersit omnia sibi commissā, quasi factus debitor talentorum multorum. Hic non habens unde redderet, iubetur vñdudari à rege, cum vxore, cui communicans factus est pater multorum natorum. Opus est autem non mediocre videri in intelligibilibus patrem, & matrem, & filios. Sicut enim Hierusalem, quæ sursum est, est mater Pauli, & omnium similibus ei: sic mater est quorundam quidem Syene Ægypti, vel Memphis, aliorum autem Tyrus, & Sidon, & cæteræ ciuitates, quæ nominatæ sunt in scripturis gentium imperium. Et sicut Hierusalem sponsa est ornata viro suo Christo, sic & illæ matres virorum quorundam possidentium eas, coniuges sunt, vel sponsæ. Et sicut sunt quidam filij Hierusalem quasi matris, & Christi quasi patris, sic sunt quidam filij Syenes, vel Memphis, vel Tyri, vel Sidonis, & præpositorum eis principum, quasi patrum. Et forsitan & iste vnus, qui oblati sunt homini regi, habet vxorem, & filios: quos primum quidem iussit rex vñdudari: postea autem miserus dimisit ei omne debitum: non ignorans futura, sed ut nos discamus, quod actū est. Vnusquisque ergo habentium secundum quod diximus vxorem, vel sponfam, vel filios daturus est rationem, cum venerit rex ponere rationem, et si in initio ponendæ rationis oblati sunt. Vnusquisque enim eorum habet & debitores, quasi principes alicuius vel Syenes, vel Memphis, vel Tyri, vel Sidonis, vel alicuius huiusmodi. Iste ergo dimissus est, & indulgentiam consequutus exiens à rege inuenit vnum de conseruis suis, qui debebat ei denarios centum: & effocabat eum dicens, Redde si quid debes. Ideo arbitror effocabat eum, quoniā à rege exierat, nec enim effocaret conseruum suum, nisi excessisset à rege. Adhuc considera subtilitatem scripturæ: quoniam seruus quidem multorum talentorum debitor, procidens adorauit regem quasi regem, qui acceperat regnum, & venerat ad rationem ponendam. Qui autem centum denarios debebat, procidens nō adorauit, sed rogauit conseruum, dicens, Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Et rex quidem miserus dimisit eum cum debito vniuerso, iste autem nec misereri voluit suo conseruo. Et ille quidem & priusquam dimitteret, non misit in carcerem debitorem talentorum multorum, sed iussit eum vñdudari, & vxorem, & filios eius, & reddi debitum. Iste autem vadens, in carcerem misit conseruum, donec redderet quod debebat. Sunt autem & conserui quidam eius, qui indulgentiam est consequutus talentorum multorum qui videntes quæ facta sunt à seruo immiserico corde, habentes videlicet misericordiam similem regis, contristati sunt valde super eum, qui centum debebat denarios, & in carcerem fuerat missus: & volentes iunare missum in



carcerem, enarrauerunt domino, quæ fuerat acta. Et vide quia non est scriptum, detraxerunt, vel dixerunt, sed enarrauerunt. Et tunc vocans eum dominus eius, dixit ei, quod non dixerat prius, Sicut enim pius, & misericors rex, non dixit in primis sibi ei oblato quasi debitori talentorum multorum, serue nequam, & male: hoc enim reseruauit, vt non de pecuniis, sed de conseruo in carcerem misso diceret. Tunc autem & impropertit ei de indulgentia debitorum donata propter petitionem. Vide autem & humilitatem regis, quoniam aliud quidem fecit debitor talentorum multorum, aliud autem nominatus rex. Debitor enim ille proci dens adorauit eum dicens, Dominus autem eius, & rex vocans eum non dixit, omne debitum dimisi tibi, quoniam adorasti me, sed, quoniam rogasti me. Et tratus tradidit cum tortoribus, donec redderet omne debitum. Et iam non iussit eum vnuudari, & vxorem eius, & filios eius, quia peius eum oportuerat pati, propter malitiam suam traditum tortoribus, donec redderet omne debitum tortus ab eis. Qui autem sunt isti tortores, qui constituti sunt super pœnas?

S. HILARII PICTAVIENSIS EPISCOPI SUPERIORIS EUANG. EXPOSITIO.

Quin etiam ad perfectæ bonitatis affectum comparationis posuit exemplum, in quo seruo vnde redderet non habenti, omne dominus debitum relaxauit: conseruôque suo seruus ille exiguum, quod sibi debebatur extorqueus per hoc voluntatis suæ vitium donum munificentie domini, & libertatis amisit, absoluta autem comparationis eius est ratio, atque ab ipso domino omnis exposita est.

S. HIERONYMI PRESBYTERI IN IDEM EUANG. EXPOSITIO.

Deo assimilatum est regnum cœlorum homini regi qui voluit rationem ponere cum seruis suis. Familiare est Syris & maxime Palæstinis ad omnem sermonem suum parabolas iungere: vt quod per simplex præceptum teneri ab auditoribus non potest, per similitudinem exemplaque teneatur. Præcepit itaque Petro sub comparatione regis & domini, & serui: qui debitor decem millium talentorum, à domino rogâs, veniam impetrauerat: vt ipse quoque dimittat conseruis suis minora peccantibus. Si enim ille rex & dominus seruo debitori decem millia talentorum tam facile dimisit: quanto magis serui conseruis suis debent minora dimittere? Quod vt manifestius fiat, dicamus sub exemplo: Si quis nostrum commiserit adulterium, homicidium, sacrilegium, maiora crimina decem millium talentorum: rogantibus dimituntur, si & ipsi dimittant minora peccantibus. Sin autem ob factam contumeliam sumus implacabiles: & propter amarum verbum perpetes habeamus discordias: nonne nobis videtur recte redigendi in carcerem: & sub exemplo operis nostri hoc agere: vt maiorum nobis delictorum venia non relaxetur? Et cum cepisset rationem ponere, oblatum est ei vnus qui

debebat decem millia talenta. Cum autem non haberet unde redderet, iussit eum dominus vnuudari & vxorem eius & filios: & omnia que habebat, &c. Scio quosdam istum qui debebat decem millia talenta, diabololum interpretari: cuius vxorem & filios vnuudandos perseuerante illo in malitia, insipientiam & malas cogitationes intelligi volunt. Sicut enim iusti vxor, dicitur sapientia: sic vxorem iniusti & peccatoris, appellari stultitiam. Sed quomodo ei dimittat dominus decem millia talenta: & ille nobis conseruis suis centum denarios non dimiserit: nec ecclesiasticæ interpretationis est, nec à prudentibus viris recipiendæ. Sic & pater meus cœlestis faciet vobis: si non remisistis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris. Formidolosa sententia, si iuxta nostram mentem sententia Dei flectitur atque mutatur. Si parua fratribus non dimittimus, magna nobis à Deo non dimittentur. Et quia potest vnusquisque dicere: nihil habeo contra eum, ipse nouit: habet Deum iudicem: non mihi curæ est, quid velit agere, ego ignoui ei: confirmat sententiam suam: & omnem simulationem fictæ pacis euertit, dicens: Si non remisistis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris.

S. IO. CHRYSOSTOMI CONSTANTIN. IN SUPERIORIS EUANG. HOMIL.

Quod & sequenti parabola confirmat. Nare, ne videatur difficilia, & onerosa imperare, quum septuagies septies dixerit, confestim parabolam adiunxit, vt & dictum communitet præceptum, & iactantem in hoc deprimeret, & facilitatem rei ostenderet. Quo circa misericordiam quoque suam in medium adduxit, vt hac collatione facilius discas, etiam si septuagies septies indulfertis, etiam si cuncta simpliciter proximo peccata dimiseris, tantum quantum aque stilla ingenti mari comparata: tantum, imò verò multò etiam magis misericordia tua ab infinita Dei bonitate distabit? qua tu vehementer indigebis, quum vitæ tuæ rationes in iudicio relaturus sis: ideo parabolam artulit, dicens, Simile est regnum cœlorum homini regi, qui voluit, &c. Perspicias, quantum inter peccata & peccata discrimen est: Quantum enim centum denarij à decem millibus talentis distant: tantum, imò vero multo plus ea, quæ in hominem peccata, distant ab his, quæ in Deum committuntur: quod tum differentia personarum, tum celebritate, imò verò continentia peccandi perspiciuntur. Nam, quum peccantes nos homo, qui spiam videat, veriti à peccando desistimus: quum autem Deus, quotidie delinquentes perspiciat, nequaquam veremur, sed omnia inrepede facimus, atque dicimus: neque hac ratione solum, verum etiam & propter collata beneficia, & honoris gratiam, quo diuinitus præditi sumus aduersus Deum, delicta grauiora redduntur. At si vultis, lauius quomodo decem millia talenta, imò verò multò plura sunt quæ aduersus Deum delinquimus, explanare conabor. Quod quamuis timeam, ne aut iis, qui ad nequitiam proniores sunt, quique continuo in luto peccatorum inuoluti desiderant, maiorem licentiam præbeam, aut temperatiores in desperationem inducam, vt velut discipuli dicant, quis potest saluari? faciam tamen,

Ex Hom. 61. in Math. Non certis numero Christus indulgentiam concessit, sed cœteris atque semper indulgentia esse debet.

men, vt qui attente audiunt, humiliiores ac tutiores constituantur. Nam qui morbo laborantes incurabili, nò dolent, etiam sine hac oratione à desidia, & ignauiâ sua non recedunt. Quod si etiam hinc maiores causas contemnendi arripiant non meis profecto verbis, sed amentie eorum culpa erit attribuenda. Nam oratio quidem hæc & reprimere & compungere attentiores facile poterit, & qui moderate viuunt, quum magnitudinem peccatorum intellexerint, & pœnitentiæ vires didicerint, magis proficiet. Dicendum mihi ergo est, & ita dicendum, vt quæcunque aduersus Deum committimus, & quæcunque cõmuniter in homines exponamus: quæ autè propria sunt, vnusquisque prout sibi conscius est afferat, atque coniugât: sed prius beneficium erga nos Dei breuiter percurram. Quæ igitur sunt beneficia? Creauit nos, atque produxit, quum non essemus, & omnia, quæ videntur cœlum, terram, maria, ætrem, quæque in ipsis sunt, omnia animalia, plantas, semina causa nostri effecit. Necessè enim est propter infinitam rerum multitudinem capita solum tangere, animam nobis viuentem inspirauit, ac solis talem animam condidit, paradysum plantauit, auxiliatricem dedit, cunctis irrationabilibus præposuit, gloria, & honore coronauit. Quum verò ingratus in beneficium homo inueniretur, maioribus eum donauit muneribus. Non enim solum considerandum est, quia ex paradiso eiecerit, sed aliud inde quoque lucri sequutum est. Nam, posteaquam è paradiso eiectus est, & post innumera illa beneficia, & varias, atque mirabiles dispensationes, filium quoque suum ad præuaricatores misit, cælum eis reclusit, paradysum reserauit, & filios ex ingratris, atque inimicis effecit. Quare opportunum est etiam nunc dicere, O profunditatem diuinitarum, & sapientie, & cognitionis Dei. Præbuit nobis remissionem peccatorum baptismum, et ipuit à suppliciis, hæredes regni constituit, infinita synccere credentibus bona pollicitus est: manum porrexit, spiritum in corda nostra infudit. Quomodo igitur post tot, tantæque sponte sua nobis collata, affici nos erga ipsum oportet? Putasne, si quotidie pro eo, qui nos tam mirificè amat, moreremur, condignas posse referre gratias, imò verò minimum quid debiti reddere? Nequaquam. Nam, si hoc etiam faceremus, ad vilitatem nostram id redundaret. Quum verò sic affici deberemus quonam pacto erga ipsam affecti sumus? quotidie, imò verò in horas, atque in momento temporis, leges, atque præcepta ipsius contemnimus. Sed nolite, oro, si liberiores in peccantes linguam dimiseris, iniquiore animo ferre: non enim vos solum, sed me quoque ipsum accusabo. Vnde igitur vultis incipiam? à seruis, an à liberis, an à militibus, an à priuatis, an à viris, an à fœminis, an à senibus, an ab adolescentulis? à qua ætate, à quo genere, à qua dignitate, à quo artificio? Vultis à militantibus exordiar? An igitur parum isti delinquant, quum in dies, atque horas contumelientur, maledicant, conuiciantur, ex alienis dicitur calamitatibus, rapaces lupos imitentur, nunquam à delinquendo desistant, nisi quis absque vndis matia esse contendebat. Quæ enim passio ipsos non turbat? aut. quænam ægritudo animam eorum non obidet? O qualibus inuidet, & inuidentes mirificè se apud eos ostentant: subiectis auarissimè vtuntur, iis, qui alicuius causa

coacti, ad eos quasi ad portum refugiant, tanquã hostes insequuntur. Quot apud eos rapinæ, quot obrectationes, atque cauponationes sunt? quot serviles adulationes, quot mendacia, quot maledicta? Sed ad singula singulas leges Christi opponamus. Qui dixerit fratri suo, stulte, reus erit gehennæ ignis. Qui mulierem ad concupiscentiam inspexerit, iam eam in corde suo mœchatus est. Nisi quis se humiliauerit sicut paruulus, non intrabit in regnum cœlorum: isti verò tumorem, atque arrogantiam aduersus minores, vt eos vehementius timeant, magno studio exercent, ac omni atroci fera crudeliores in eos inueniuntur. Nihil pro Christo, omnia pro ventre, pro quæstu, pro vana gloria faciunt. Putasne posse nos oratione delicta eorum recensere? Quis posset detractiones, quibus vtuntur, verbis conserui? quis profusissimum risum? quis importunas contentiones? quis turpiloquia? Nam de auaritia nihil dicendum est. Etenim, quemadmodum in eremo educati monachi, nec quid sit auaritia, sciunt: ita & isti auaritiam ignorant, quamuis alio quodam quàm illi modo. Nam illi, quia longè à morbo absunt, isti quia valdè huius passionis ebrietate occupantur, nec sentire quidem morbum huc possunt. Sic enim hoc vitium, expulsa virtute, animum ipsorum detinet, vt nec crimen apud infantes illos esse videatur. Sed, iis ommissis, iam ad alios moderatores veniamus. Agè igitur opificum genus, qui maximo labore, atque sudore suo iuste degere videntur, diligenter inuestigemus. Verum & isti, quia parum sibi ipsis attendunt, multa de laboribus suis colligunt mala: vendendo enim, ac emendo, complures iustis operibus iniurias coniungunt: iurant, deierant, mentiuntur, ac vt multa possideant, rotos se negotiis secularibus tradunt: & terræ affixi, omnia, vt pecunia crescat, faciunt, nullam curam de pauperibus habentes. Quid dicam de maledictis, & contumeliis eorum, de scœnore, de commerciis, quæ more cauponium peragunt? Quid multa? non alia re magis quàm impudentia ducuntur. Verum istos quoque, si vultis, omittamus, & ad locupletes, qui agrorum sætu diuitias acquirunt, quique cæteris iustiores videntur, deueniamus, quorum iniustitia tanta est, vt, si quis penitus inquirat, nihil penè iniuriosius inueniat. Quomodo enim miseris vtuntur agricolis, nonne humanius multò Barbari eos tractarent? fame nanque tabescentibus, & per totam insudantibus vitam intolerabilia non erubescunt vectigalia imponere, ac onera, & labores quotidie maiores afferre: & sicuti a finis, imò verò quasi lapidibus corporibus illorum abuti, nec respirare quidem concedentes, sed, siue ager quicquam produxerit, siue non, eodem semper exigunt modo, nihil eis cõcedentes. Quare quid miserabilius excogitari potest? tota hyme, laborant frigore, imbre, vigiliis contriti, nec vacuis solum manibus, verum etiam multa debentes recedunt. Cæterum omnium famem, ac naufragia, procuratorum tormenta, exactiones, & seruitutem intolerabilem reformidant. Quis negotiationes, cauponationesque ipsorum enarrabit? ingentia ipsi sudore hominum dolia replent, nec vrcum domum afferre illis permittunt: sed, quicquid vinea protulit, in cella condunt vinaria, & argenti aliquid hac de re illis nihil proiciunt. Fœnoris inaudita excogitant genera, quæ nec

gentilium quidem legibus comprobantur, mutui literas maledictionis plenas conscribunt. Non enim ceterisam totius partem, sed medietatem flagitant, cum ille, qui soluit, & uxorem habeat, & paruulos nutriat, & homo sit: quodque maximum est, tam aream quam torcular suis laboribus impleat: quorum illi omnium nihil omnino cogitare volunt. Quare oportet prophetam, ut exclamet, induxerimus; Obstupes celum, & horresce terra, quia in ferarum mores humanum genus detrusum est. Hæc cum dico, nõ artes, non agriculturam, non militiam, nõ nagros, sed nos ipsos vitupero. Nam & Cornelius Centurio erat, & Paulus scenofactoriæ artis peritus, quo artificio etiam prædicando vsus est. Dauid quoque rex fuit, & Iob locupletissimus, & multorum agrorũ dominus, nec horum aliquid impedimento illis fuit ad virtutem. Quæ omnia probè tenentes, & decem millia nobiscum talenta versantes, saltem hinc videamus, vt pauca illa, & vilia proximis remittamus. Referenda enim nobis ratio est de mādatis nobis commissis, quæ ita negleximus, vt non possimus integram de omnibus reddere rationem, ac ideo bonam, atque facilem ad satisfaciendum nobis viam præbuit Deus, qua omnia nostra debita possumus persolvere. Quænam hæc via? Oblitio eorum omnium, quæ aduersus te à fratre tuo commissa sunt. Quod vt rectè perdisceas, ordine progrediens totam hanc parabola audi. Oblatus est, enim inquit, debitor decem millium talentorum, quo non habente reddere, insit eum vendi, & uxorem, & filios eius. Cuius rei gratia, dic quæ lo? Non ex crudelitate certè, nec, quia inhumanus esset, cum ad seipsum detrimentum rursus redundaret: seruis enim eius debitor fuerat, sed, quia incredibili cura illius deuictus, hac comminatione ad supplicandum, ne venderetur, adducebat. Nam, si propter debitum fecisset, non annuisset sanè petitioni debitoris, nec vniuersi ipsi debitum condonasset. Quamobrem igitur, antequam ratio sibi oblata esset, debitum nõ dimisit? Vt non ignoraret seruis quot, quantaque sibi remitterentur, quorum notitia erga conferuum mitior fieret. Nam, si debiti magnitudinem, & mirabilem indulgentiæ modum te ipsa expertus conferuum angebat, si tantopere non fuisset castigatus, quod crudelitatis non irruisset? Quid autem calamitate oppressus ait? *Patientiam habe in me, &c.* Petpexisti rursus mirabilem exaggerationem misericordiæ: dilationem solummodo temporis, ac prorogationem quandam seruis postulauit, ille autem multò magis, quàm petiit, videlicet totius mutui donationem vltro præbuit. Ita patet voluisse ipsum, tamen non prius id facere, nisi debitor supplicaret, vt donum non modò suum, verum etiam petitionis illius esse videretur: quod fecit, vt coronam quoque seruis consequeretur: totum tamen ad dominum merito referretur. Nam, & si procidit debitor, atque rogauit, ex causa tamen indulgentiæ vniuersam rem domino attribui videmus. Commotus enim misericordia dimisit eum, nec antequam supplicaret, vt, cum videretur aliquid ipsum quoque fecisse, non maiore confunderetur rubore, vtque calamitate sua perductus, facilis ad ignoscendum conferuo fieret, sed ad hoc vsque probus, ac placens fuit. Nam nec debitum negauit, & redditurum se vniuersum pro-

mittens procidit, atque orauit, & quasi vt delinquentem se cõdemnauit, cum magnitudinẽ peccati nõ ignorauerit. Quæ verò sequuntur, indigna omnino prioribus sunt. Nam, *quum exisset*, inquit, non multo tempore post, sed confestim beneficij magnitudinem, ante oculos adhuc habes, tanto munere, tantaq; liberalitate domini abusus est. *Cum enim inuenisset vnum cõseruorum suorum, &c.* Vidisti humilitatẽ, & misericordiam domini, vide nunc inauditam ferui crudelitatem. Audiatis hæc, quicunque pecuniarum gratia similia in dies committitis. Nam, si in peccatis id fieri non licet, quantò minus in pecuniis licebit? Quid autem ille conferuus? *Patientiam habe in me, &c. omnia reddam tibi.* Nec verba quidem ipsa veritus est, quibus salutem acquisiuit: his enim ipse dictis mille talentorum debitum euitauit. Ita nec portum quidem cognouit, quo tutatus à naufragio euasit, nec modus ipse supplicationis ad misericordis domini memoriam eum reduxit, sed omnia illa crudelitate, ac avaritia oblitus, omni feta seuius in conferuum insilliebat. Quid facis, homo, non sentis aduersus te ipsum mucronem adigere, ac sententiam, & munus domini reuocare? Sed ille nihil horum cogitauit, nec rei suæ meminit, nec villo modo remisit. Et certè non æquali de re iste supplicabat, cum pro talentis hic decem milibus, alter autem pro centum denariis supplicauerit: & ille conferuo se prostrauit, iste domino: & cui omnino indultum fuit, is nec prorogationẽ quidem concessit: vinculis enim, atque carcere ipsum oppressit, quod alij serui non ferentes, totam rem ad dominum retulerunt, qui nihil debebant. Quid igitur Deus faciet? *Dominus autem, nequam*, inquit, *serue, omne debitum dimisi tibi, &c.* Animaduerte quàm mitis sit dominus, quasi constitutus in iudicio satisfactionem reddit, quare donationem illam vniuersam reuocauit, imò verò non ipse reuocauit, sed ille, qui accepit, euerit. Quid enim ait? *Serue nequam, omne debitum illud dimisi tibi, quia rogasti me, nõ me oportuit etiam te misereri conferui tui?* Nam etsi dura hæc res tibi videtur, oportebat tamen & lucrum iam acquisitum, & futurum perspicere. Graue, & onerosum præceptum hoc est, sed oportet magnitudinem quoque præmij considerare: nec illud tecum solummodo vertas, quia ille te cõtristauit, sed tu, cum magis Deum offendisses, sola deprecatione reconciliatus es. Quod si tibi onerosum ac durum nimis, eum, qui te contristauit diligere, videtur: sed multò onerosius est, gehennæ supplicis in æternum torqueti: quod si illi opposuisses, cognouisses sanè multò leuius hoc, quàm illud, atque facilius esse. Et quandoquidem decem millia talenta debebantur, non conuictiatis debitori, sed miseris fuit: quando verò aduersum cõseruam crudelitatem exercuit, tunc nequam atque improbum seruum appellauit. Audiamus, qui aliena rapimus: nobis enim hæc quoque dicuntur. Audiamus omnes, qui crudelitate occupati, neminẽ misereamur: audiamus, inquam, quia non in alios, sed aduersus nos ipsos sæuitiam exercemus. Quare, cum peccati alieni recorderis, cogita tibi ipsi, nõ alij detrimentum inferre. Tua enim non proximi peccata in faciem colligis: & tu quidem, quicquid aduersus delinquentem operatus fueris, in præsentem vitam ac vt homo facis: Deus verò non ita, sed maioribus, ac æternis te supplicis punit. *Tradidit, enim eum,*

*eum, ait, torribus, donec vniuersum debitum persolueret.* Id est, ad perpetuitatem eum supplicij tradidit: nõquam enim inde redditurus est. Nam, quoniã beneficiis melior fieri non potuisti, reliquum est, vt pœna torquearis. Et, quamuis charismata hæc, & dona irreuocabilia sint, tantum tamen malignitas valuit, vt hanc quoque legem superauerit. Quid igitur deterius memoria peccatorum, ac vltione, quæ tot, tantaque diuina dona euertere posse videatur? Nec quietus, sed ira commotus eum tradidit. Quado enim vendi eum iussit, nulla ira fuit in verbis, ideo nec vedit: nunc autem hac sententia non parua cum molestia ad compunctionem, atque supplicium terminatur. Quid autem hæc parabola sibi voluit? *Sic, ait, faciet vobis pater meus, si non dimiseritis vnusquisque fratri suo de corde vestro peccata ipsorum.* Non dixit, pater vester, sed, *pater meus.* Non enim digni sunt isti, quorum pater Deus vocetur, cum ita nequam sint, vt homines odio persequantur. Duo enim hinc eum querere diligenter animaduerte: vt & nos ipsos peccantes culpemus, & aliorum peccata dimitramus, ita hoc postremum propter alterum facilius reddit. Nam, qui sua cogitat, ad dandam conferuo veniam, nõ ore solum, sed corde facilius est. Non impellamus ergo aduersus pectora nostra mucronem, nunquam enim tantum tibi doloris afferre alius poterit, quantum ipse tibi, si recordatus iræ, vindictam quæras, & aduersus te ipsum sententiam iudicis attrahas. Nam, si vigilas, atque philosopheris, in illius caput totum malum retorquetur, ac ipse mala patietur, nõ tu: si verò moleste, ac grauius feras, tunc non ab illo, sed à teipso detrimento afficeris. Noli ergo dicere, obtrectauit, & calumniatus est mihi, & mille intulit incommoda. Quanto enim plura dices, tanto re ipsa benefactorem ipsum magis ostēdes, qui causam tibi præbuit, vt tuorum possis peccatorum fordes detergere. Ita, quod mitiores ille iniurias in te iaculatus est, eò maioris indulgentiæ tibi causa constitutus est. Nam, si voluerimus, nemo nobis vnquam iniuriari poterit, sed quum inimici sint, præcipua tamen nobis conferunt lucra. Cur de hominibus tantum loquor, quum diabolus quoque ipse, quo nihil perniciosius, non paruas nobis approbationis causas afferat? Quam rem Iob ille manifestam omnibus fecit. Si ergo diabolus occasione coronæ præbuit: cur alios inimicos formidas? Perspice igitur quot, quantaque lucretis, si æquo animo oppressiones inimicorum tuleris. Primum, quod maximum est, peccatorum remissionem. Deinde paciẽtiam, atque perseuerantiam laudabilem. Tertio mansuetudinem, & humilitatem: nam, qui nescit aduersus inimicos irasci, multò magis amicis erit cõmodior. Quarto, quia procul ab ira tranquillo semper animo viues, cui rei quid autem conferri poterit? Qui enim ira nõ capitur, is iucunditatem animi consequutus est. Nec vitam vanis laboribus, ac doloribus vnquam consumet, Nam, qui nescit odisse, nec tristari cognouit, sed continuè gaudens bonis suis perfuitur. Quare nõ mediocri supplicio nos afficimus, si alios odio persequamur: quemadmodum etiam è diuerso nobis profusum, ipsi syncerè alios diligentes. Ad hæc omnia ipsis quoque inimicis, ac æmulis, etiam si dæmones essent, venerabilis eris: imò verò si animum, vt diximus, tuum ita paraueris, nemo te inimicitis perse-

quetur: primum autem omnium, atque præstantissimum, Dei misericordiã nancisceris & quemadmodum peccatorum veniam, sic virtutum maiora præmia consequeris. Diligenter igitur studeamus, ne quenquam odio habeamus, si volumus vt nos quoque à Deo diligamur: vtque, quamuis decem millium talentorum rationes essent referendæ, misericordia motus, cuncta nobis remittat. Sed iniuria me vexauit, inquit. Miserere igitur eius, non auerraris ab eo, sed lachrymis, & fletu ipsi auxiliator: non enim tu, sed ille Deum offendit. Tu autem, si pertuleris, valde Deo te approbasti. Præterea tecum crebrò verte, quia Christus ad crucem iturus ipse quidem gaudebat, de crucifigentibus autem lachrymabatur. Quem ita imitari debemus, vt quò magis perseuerant persecutores nostri, eò largiores lachrymas pro ipsis effundamus: innumera enim nobis hinc bona, illis autem non pauca incommoda comparamus. Sed coram, inquit, omnibus & verbis, & verberibus, me duriter vexauit. Corã igitur omnibus, dedecore, atque infamia se notauit, & multorum aduersus seipsum aperuit ora, tibi que maiores subtexit coronas, & multos præcones paciẽtiæ, ac magnanimitatis tuæ constituit. Sed clam, inquit, apud alios mihi detraxit. Et quid hoc est? huius enim rei rationem Deus, non illi, qui detrahentem audierit, petiturus est. Accedit, quod pœnas sibi multiplicauit, non de delictis suis solum, verum etiam de ijs, quæ de te obloquutus est, rationem redditurus: præterea apud homines tibi detraxit, & apud Deum sibi detractum est. Quod si hæc tibi satis non sunt, cogita quia Deo apud homines, quos maximè diligebat, diabolus detraxit, & vnigenito filio similiter. Nam, si patriem familias, inquit, Beelzebub vocarunt: quid facient familiaribus eius? Nec obtrectauit solum iniquissimus ille demon, verum etiam fides ei adhibita est, nec minima, sed maxima ei crimina intulit, dæmoniacum, seductorem, & aduersarium Deo appellans. Sed magnis oppressus sum ærumnis ab eo, ais, qui beneficio meo conspicuus est. Ideo maximè tibi gaudendum est, quia Deo, qui tam ad probos, quam improbos solem oriri facit, similis factus es. Quod si arduum, ac vltro vires tuas imitatio Dei tibi videtur, quamuis studiose difficile non sit, tamen, quoniam te tuo iudicio excedit, age ad seruatorum eius venias imitationem. Imitare Ioseph, qui ad seruitutem vsque fratrum iniuria traditus, beneficio suo spontè ipsos subleuauit. Imitare Moysen, qui vel post mille iniurias pro populo deprecabatur. Imitare beatum Paulum, qui quamuis mille à Iudæis afflictionibus quotidie premeretur, anathema tamen esse pro salute ipsorum volebat. Imitare Stephanum, qui, dum peteretur lapidibus, vt hoc peccatum lapidantibus remitteretur, orabat. Hæc omnia cogitantes, omne iræ incendium extinguiamus, vt & nostra Deus delicta penitus remittat, gratia, & misericordia domini nostri Iesu Christi, cui gloria in secula seculorum, Amen.

INCERTI AVTHORIS, prout habetur in homiliario Alcuini, in superius Euang. Homilia.

Aluator noster, dilectissimi, cum hominibus scouertationem habens, no solum peccata vitare nos docuit, sed & qualiter a reatu peccatorum absolui possemus, pio & quodam salubri consilio nos instruere curauit. Est autem consilium eius huiusmodi, vt si volumus a debitis peccatorum nostrorum coram Deo absolui, nos quoque offensores nostros a culpis, quibus erga nos rei tenentur, absoluiamus. Ad haec autem non solum frequentis nostrorum exhortatione, sed & operis executione nos inuitare dignatus est. Verborum exhortatione, cum ait: Dimitte, & dimitte tui. Et rursum: Cum stabitis ad orandum, dimitte, si quid habetis aduersus aliquem. Et iterum: Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis pater vester caelestis peccata vestra. Et cum interrogaretur a Petro, num vsque septies dimittendum esset fratri, ait: Non dico tibi vsque septies, sed vsque septuagies septies. Operis quoque executione grande ac memorabile huius rei nobis reliquit exemplum. Quid enim ait, cum a crucifixoribus suis myrrha potaretur & felle, & subleuaretur in crucem? Pater, dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt. Ita, fratres, Dominus Iesus Christus factus est nobis sicut aquila, prouocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans. Parum illi visum est solis verbis nos prouocasse ad volandum vsque ad eam perfectionem, qua diliguntur inimici, & ignoscitur debitoribus, nisi & in seipso eiusdem rei nobis exemplum ostendisset, & quasi quodam sublimi volatu suo ad imitandum se nos inuitasset. Certè homini sensato, & lapideum cor non habenti, solum hoc sufficere debebat exemplum, & si omnis illa verborum exhortatio praemissa non fuisset. Et verbis quidem aliquando planis & manifestis ad hanc perfectionem nos inuitat, sicut in praemissis patet exemplis. Aliquando verò & parabolicis, sicut in Euangelio quod praemanibus nunc habemus. Dicite enim: Simile est regnum caelorum, &c. Qui sunt caeli, & quod est regnum caelorum, quod assimilatum est homini regi? Si, vt ait scriptura, anima iusti sedes est Dei, consequens est, vt anime sanctorum caeli sint. Sed & angelici spiritus caeli dicuntur, quos ad laudem Dei inuitat Psalmista, dicens: Laudate eum caeli caelorum. Regnum caelorum, id est, beatorum omnium, quid est nisi vita aeterna? Vita autem aeterna Christus est, qui ait: Ego sum via, veritas & vita. Ipse vtiq; terra viuentium, haereditas sanctorum. Ipse paradisi voluptatis, locus spatiosus in quo statuitur pes fidelium. Ipse & rex & regni sanctorum, in quo, cum quo, & per quem regnant omnes electi. Regnum itaque caelorum, Christus est. Bene autem hoc regnum caelorum comparatur homini regi, qui misericors esse perhibetur debitorem absoluendo, & iustus ingratum puniendo: quoniam & Christus homo, & rex regum, & multum misericors misericordiam quaerentibus, & iudex durus ingratis. Qui voluit rationem ponere cum seruis suis. Tres sunt serui regis nostri, cum quibus rationem ponere habet de debitis suis. Vnus est, qui nunquam a debito absolui vel postulat, vel meretur. Alter,

Luc. 9. Marc. 11.

Math. 6.

Math. 18.

Luc. 23.

Deut. 32.

Mat. 7.

Psal. 148.

Joan. 14.

qui ad tempus quidem absolvitur, sed ingratus efficitur. Tertius, qui & absolvitur, & gratus permanet. Seruus qui nunquam a debito absolvitur, vniversus infidelium est populus, qui inestimabili debito coram creatore suo constrictus, absolutionem nec vnquam meretur, nec vnquam inuenit, iamque a Deo iudicatus est. Duo reliqui serui, duo genera hominum sunt, ad fidem ecclesiae venientium. Nam cum electi & reprobis quotidie sacramenta ecclesiastica suscipiunt, simul cum illis in ecclesiae gremio nutriuntur, sed aduersari illis, & doloribus multis eos afficere non desunt, & coarctat Esau Iacob in visceribus matris. Sunt ergo in ecclesia serui duo, bonus & malus, electus & reprobus. Nam tertius ille de quo diximus, foris est. Et omnes quidem serui sunt summi regis, qui ad sibi seruendum seque laudandum omnes ad imaginem suam condidit, sed a seruitio eius duo recedunt, vnus autem permanet. Sed quod est debitum, quod debent singuli Domino suo? Debiti nomine peccatum in scripturis appellari, ex hoc perpendimus, quod dum docuisset saluator sic nobis orandum esse: Dimitte nobis debita nostra, sicut, & nos dimittimus debitoribus nostris: statim post pauca subiicit: Si enim non dimiseritis hominibus peccata eorum, nec pater vester caelestis dimittet vobis peccata vestra. Hoc autem debito omnis homo obligatus est Deo: omnes enim in peccatis concipimur, & in peccatis nascimur, & in peccatis omni tempore viuimus. Ponit autem rationem cum seruis suis Dominus, quando per ora praedicatorum, sive etiam per occultam inspirationem culpas quorumlibet delinquentium redarguit, & satisfactionem de peccatis exigit. Audit seruus ille infidelis, contemnit, induratur ad increpationem, veniam nec quaerit, nec inuenit, sed damnatur in infidelitate sua. Audit seruus electus, compungitur, satisficit, de peccatis absolvitur, & permanet gratus, quia & delinquentibus in se conferuis suis libenter ignoscit. Quid autem agat ille seruus reprobus, qui quidem cum electis ad tempus in ecclesia conuersatur, audiamus ex verbis euangelice lectionis, is enim est, de quo dicitur: Oblatus est vnus, qui debebat decem millia talenta. Debitor plurimum talentorum, est homo multorum criminalium peccatorum reus, qualia sunt adulterium, homicidium, sacrilegium, furtum, peritium, rapina, aut etiam infidelitas & similia. Talenti autem nomine apte designatur quae huiusmodi sunt, pro eo quod haec grauissima sunt: sicut hoc genus ponderis inter caetera pondera, quae certis nuncupationibus distinguuntur, grauissimum est. Vnde & in Zacharia propheta talenti nomine impietas designatur, cum dicitur: Et vidi, & ecce talentum plumbi portabatur, & proiecit illud in medio amphorae, & dixit: Haec est impietas. Sicut autem talenti diuersae sunt species, ita & ipsa criminalia inter se differentia sunt. Et reuera fortasse, quia nomine talenti peccata grauissima intelligi voluit, no adiecit vt diceret talenta auri, aut argenti, quia nomina haec preciosarum rerum significatiua sunt, vt potè virtutum atque scientiae: sed simpliciter dixit, Decem talera. Mille verò talenta debere dicatur, qui quodlibet grande peccatum toties iterauerit, vt etiam in consuetudinem duxerit. Aprè enim per millenarium, qui quartus est in ordine eorum numerorum, a quibus inchoatur numerandi

Math. 6.

Zach. 5.

randi progressio, consuetudo peccati intelligi potest, quae & ipsa in progressu peccatorum quartum obtinet locum. Sicut enim ab vnitate vsque ad decem per adiectionem vnitatu, & a decem vsque ad centum per adiectionem denariorum, & a centum vsque ad mille per adiectionem centenariorum numerando progredimur, sic a delectatione peccati, quae prima est, vsque ad consensum: a consensu vsque ad actum, ab actu vsque ad consuetudinem progressio fit. Decies autem mille talenta debet, qui cuncta decalogi mandata iniqua consuetudine violauit, iamque omnis iustitiae contemptor effectus est. Sicut enim post mille, quintus inter limites numerorum est decem millia, ita post peccandi consuetudinem quintum obtinet locum contemptus, iuxta illud quod alibi dicitur: Impius cum venerit in profundum vitiatorum, contemnit. Quod si cui onerosa est expositio haec, dicat simpliciter decem millia talenta debere eum, qui multa criminalia peccata commisit, sicutque, vt fieri solet, numerus finitus pro infinito positus. Sequitur: Cum autem non haberet vnde redderet, iussit eum dominus suus venundari, &c. Peccator cum arguitur a Domino per os ministri sui, sive per propriam conscientiam, no habet vnde reddat debitum, dum adhuc ad correptionem cor obdurat, du nec timore concutitur, nec salubri dolore compungitur, nec ad lachrymas vsq; succenditur. Inbet ergo Dominus ministris suis venundare eum qui eiusmodi est, cu vxore & filiis, vt debitum possit exolui. Iuxta eum loquendi modum, quo viuificare dicuntur animas, qui viuere eas pronuntiant: & mortificare, qui mortuas esse testantur: etiam venundare peccatorem non incongrue dici possunt ministri Domini, qui eu post simplicem & blandam admonitionem aspera inuestione minis gehennae perterrent, atque in potestatem satanae venudatum esse pronuntiant. Moneta quippe diaboli peccatum est, pro cuius breui delectamento in manus illius se tradit homo cum peccat. Vnde in persona peccatoris Apostolus loquens, ait: Ego autè carnalis, venudatus sum sub peccato. Et per prophetam peccatoribus dicitur: Gratis venudati estis. Vtiq; gratis, quia peccati pro quo se vendit homo, nullius est precij, & nihil est, & nihil sunt homines cum peccant. Vxorem quoque peccatoris vna cum filiis venudare, est concupiscentiam eius prauam, atque opera iniquitatis, quae ex ipsa propagata sunt, pro aeternis cruciatibus venudata, firmis assertionibus comprobare. Alium quoque venudationis modum in hoc loco possumus intueri. Inbet ecclesiastica regula eos, qui manifestis criminibus derinentur, & correctionem non recipiunt, per excommunicationis sententiam a communionem ecclesiae alienos fieri, & sic satanae tradi vt spiritus saluus fiat per penitentiam. Nunquid enim non bona venditio quaedam est, cum tradimus satanae peccatorem, vt recipiamus iustum penitentem? Sic vendidit Apostolus fornicatorem, de quo ad Corinthios loquitur, dicens: Ego quidem absens corpore, praesens autem spiritu, iam iudicavi vt praesens eu qui sic operatus est, in nomine Domini nostri Iesu Christi, tradere huiusmodi satanae in interitum carnis, vt spiritus saluus fiat in die Domini nostri Iesu Christi. Sed quasi alium virum pro eo recepit, quando emendatum communionem ecclesiae admisit, scribens pro eo Corinthiis, vt consolaren-

1 Tim. 3.

Rom. 7.

1 Sa. 2.

1 Cor. 5.

1 Cor. 2.

tur eum, & confirmarent illum in charitate. Vxorem quoque obstinati peccatoris vendere iubemur, quia non solum secundum spiritualem, sed & secundum carnalem communionem a nobis alienandus est, vt & totus satanae deditus appareat, videlicet spiritu & carne. Vxor quippe nomine caro solet intelligi. Hinc Apostolus ait: Si is qui nominatur frater, est auarus, aut fornicator, aut idolis seruens, aut maledicus, aut ebriofus, aut rapax, cum eiusmodi nec cibum sumere. Nonne ergo bene vxorem impij vendit nonnulli praetorum, qui eisdem quos spirituali communionem priuauerunt, vel ab aliis priuatos cognouerunt, alicuius familiaritatis causa carnaliter communicare non formidant? Filios similiter vendere, est eos qui consentiunt vel communicant excommunicatis, eadem ferre sententia. Horrendus est vterque modus venditionis, & nonnunquam durissima corda etiam reproborum no mediocriter conturbat, ita vt iniquitate sua ad tempus dimissa, cum lachrymis humiliantur coram ministris domini, & satisfactionem quantumlibet asperam exhibeant: quod est prociudere ante dominum: de qualium numero est seruus hic, de quo dicitur: Prociudens autem seruus ille, rogabat eum, dicens: Patientiam habe in me. Ac si diceret, domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripas me. Et omnia reddam tibi. Quod est dicere: Lauabo per singulas noctes lectum meum, hoc est, per singula peccata quibus iram merui, conscientiam meam emundare studebo. Sequitur: Miserus autem dominus serui illius, dimisit eum, ac omne debitum dimisit illi. Misericordiae Domini super omnia opera eius: quia no solum electis, sed & reprobis qui ad tempus credunt, sive ad tempus fructus penitentiae exercent, per baptismum aut penitentiam peccata dimittit, sicut per prophetam promittit, dicens: Si dixero impio, Morte morieris, & conuersus egerit penitentiam a peccato suo, feceritque iudicium & iustitiam, omnia peccata eius quae peccauit, non imputabuntur ei. Egressus autem seruus ille, inuenit vnam ex conseruis suis, qui debebat ei centum denarios. Omne debitum quo homo homini obligari potest, parui ponderis est, respectu eius quo erga Deum reus tenetur, ac si decem millibus talentorum centum denarij comparentur. Et tenens suffocabat eum, dicens: Redde quod debes. Et prociudens seruus ille, rogabat eum, dicens: Patientiam habe in me & omnia reddam tibi. Ille autem noluit: sed abiens misit eum in carcerem, quousque redderet vnuersum debitum. In verbo suffocandi, superba & tyrannica debiti exactio notatur, quae fit cum vel per vim vel asperas obiurgationes debitor ita opprimatur, & quasi strangulatur, vt vix respondendi aut excusandi facultatem possit habere. In carcere verò mittitur, dum coram iudice statuitur, ac per districtam iustitiam vndique coarctatur, vt nullus euadendi locus relinquatur. Videntes autem conserui eius quae fiebant, &c. Conserui nostri qui conuertantur super iniquitate nostra, & Domino eam annunciant, iusti viri sunt, qui zelo iustitiae accensi, dum enormitates nostras corrigere non valent, ad Deum suspirant, & correctionem nostram illi committunt. Sed & angeli Dei, conserui nostri dicuntur, qui semper vident faciem patris, & omnia nostra intuentes, in conspectu Dei singula annunciant. Tunc vocauit eum dominus suus, &c. Seruus nequam de ingratitude iudicandus a Domino

Psal. 6. Ibidem.

Psal. 144.

Exech. 33.

Math. 13.



mimo vocatur, & tortoribus traditur. cum de hac vita per mortem rapitur, & potestati pessimorum spirituum torquendus subiicitur. Tradidit, inquit, eam tortoribus, quousque redderet unuersum debitum. Sic & pater meus celestis faciet vobis, si non miseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris. Formidanda nimium & horrore plena sententia in hoc loco, fratres, nobis intimatur, videlicet quod si immiserordes extiterimus erga debitores nostros, non solum ea peccata quae post remissionem commisimus, sed & ea quae vel per baptismum, sine per poenitentiam nobis dimissa sunt, in nobis esse punienda. Vnde quidam ex patribus ait: Qui diuini oblitus beneficij, suas vult vindicare iniurias, non solum de futuris peccatis veniam non meretur, sed etiam praeterita quae sibi dimissa credebat, ad vindictam replicabuntur. Idem rursus ait: Peccatum quod ex Adam trahitur, temporaliter redditur, quia omnes propter hoc moriuntur, non autem in aeternum eis, qui per gratiam renascuntur, si in ea permanserint. Item alius: Ex dictis euangelij constat, quia si quod in nos delinquitur, ex corde non dimittimus, & illud rursus exigitur, quod iam per poenitentiam dimissum gaudebamus. Alius quoque eadem affirmat, dicens, Considerandum est, quod dicit vnuersum debitum: quia non solum peccata, quae post baptismum gerit homo, reputabuntur ei ad poenam, sed etiam originalia peccata, quae in baptismo ei dimissa sunt. Item ex verbis prophetae eadem sententia confirmatur, cum dicitur: Si auerterit se iustus a iustitia sua, & fecerit iniquitatem secundum omnes abominaciones, quas operari solet impius, nunquid viuet? Omnes iustitiae eius quas fecerat, non recordabuntur. Si enim omnes iustitiae quas fecit, in oblivionem ducuntur, ergo & poenitentia quam pro peccatis exhibuit, in nihilum reputanda est. Restat igitur ad poenam reuocari peccata, pro quibus poenitentia exhibita fuerat, cum nihil sit, quod illa excuset. Sed forte quaerit aliquis, quomodo peccatum quod imputatur peccatori ad poenam, remissum fuit ei in baptismo aut poenitentia? Ad quod dicimus, quoniam eo tempore in tali statu per gratiam domini constitutus fuerat, in quo si permansisset, nequaquam ei praeterita peccata nocitura fuissent: quod vtiq; fuit ad peccatis esse solum. Quid ergo, fratres, dicemus ad hoc? Horrenda plane, & supra modum timenda est sententia quam audistis. Quid obsecro proderit nobis baptizatos esse, animas nostras saepius afflixisse ieiuniis, vigiliis, ac caeteris operibus poenitentiae, elemosynas quoque pauperibus distribuisse, vt remissionem acciperemus peccatorum, si peccata nostra quae his remediis iam nobis a Deo dimissa sunt, iterum prauitate nostra aduersus nosmetipsos suscitamus? Quid prodest vulnerato plagam sanasse, si propria negligentia cicatricem corrumpat, ac denuo vultus aperiat? Plane iuxta sermonem domini, & patrum assertiones, vulnera nostra a caelesti medico iam sanata, videlicet peccata iam nobis dimissa, in nostram perniciem suscitamus, ita vt in futuro examine singula cruciatum suum nobis inferant, si odium erga debitores nostros gerimus, si veniam delictorum postulantibus, obstinate & immisericorditer denegamus. Illud quoque attendendum, quod non simpliciter, si non dimiseritis, sed si non dimiseritis, inquit, in cordibus vestris. Hoc quippe

Exech. 18.

additameto simulatam reconciliationem excludit, quae fit cum quis importunitate rogatum euctus, odio in corde retento, pacem cum inimico simulat, opportunum tempus vindictae expectans. Restat ergo charissimi, vt grande illud remedium peccatorum, quod tanta diligentia saepius a saluatore nobis commendatum est, & sine quo infructuosum nobis est, quicquid pro obtinenda coram Deo venia delictorum agimus, solerter seruare cutemus. Supportemus cum omni mansuetudine iniurias proximorum, simus ad ignoscendum debitoribus mansueti, ad miserendum misericordiam quaerentibus parati, vt & nos in conspectu districti iudicis nostri misericordiam inuenire possimus, praestante domino nostro Iesu Christo, qui cum patre, &c.

CHRISTIANI DRVTHMARI eiusdem Euang. expositio.

Deo assimilatum est regnum calorum, id est, vt dimitramus in nobis peccatis, & veniam nobis petentibus. Semper regnum calorum, hi qui sunt in regno calorum, in ecclesia Christi in qua ipse regnat, intelliguntur. Homini regi. Deo omnipotenti. Qui vult rationem ponere cum seruis suis. Qui sunt in ecclesia Christiani: quotidie istae rationes ponuntur in ecclesia, quando petimus a Deo, vt dimittat debita nostra, & ille habet nobiscum pactum factum: vt dimitramus debitoribus nostris, tunc nobis dimittit debita nostra. Nos autem sumus illi debitores decem millium talentorum, grauiora peccata quae vnusquisque in se recognoscit: quia nullus potest narrare in quantis omni die peccamus erga Deum, in cogitationibus, in locutionibus otiosis, noxiis, mortiferis, scilicet detractionibus, operibus similiter otiosis, nociuis, mortiferis, per omnia membra nostra. Per aures audiendo otiosa, nociua, mortifera, per oculos, per nares, per pedes, per manus, & per omnes affectus corporis. Cum autem non haberet unde redderet: iussit eum dominus venundari, & uxorem eius & filios, & omnia quae habebat & reddi. Iubebat lex, vt qui ad soluenda multa esset inops, esset seruus eorum quibus erat condemnatus vsquequo se redimere posset. Herus autem addiderat vt venundaretur, cui veller: & tali modo agebatur in ipsa terra. Inde hoc dominus dicit. Quia si dominus iuxta opera nostra condemnare nos voluerit, nullus posset esse mandus in conspectu eius. Iubet nos dominus venundari, & uxorem, & filios: cum propter cogitationes, locutiones, operationes, iubet nos tradi aeternis cruciatibus cum infirmamur, & audimus per verba suorum, qui bona fecerunt, ibunt in vitam aeternam: & qui mala, in ignem aeternum. Cum ista audimus timemus, & oramus nobis dimitti: & dominus dimittit nobis, si a malo cessamus, & iterum conualescimus: sequitur. Egressus autem seruus ille, inuenit vnum de conseruis suis, id est, aliquem similiter Christianum debitorem sibi centum denarijs, id est, centum generibus offensionum & scandalorum. Nam censum, quod aliquis alicui iuste debet, non est peccatum repetere. Sed si vides, quod non possit soluere propter paupertatem, debet erga illum agere, vt ipse veller agi circa se, aut expectare vsquequo melius possit soluere: & tenens suffocabat eum dicens

dicens, redde quod debes, quia cum aliqui fortiores sunt aliquibus, si aliquid offenderint minores, absque misericordia grassantur super eos: quia vident se aliquid maius posse: & non solum suffocant eos, sed etiam occidunt, aut annihilant eos, non recogitantes, quod ex dono Dei possunt, quod possunt: Et ideo irremediabiliter cruciuntur in alia vita, qui ita agunt, nisi hic digne poenituerint & emendauerint quod egerint. Videntes autem conserui eius quae fiebant, contristati sunt: valde vel angeli domini, qui opera nostra Deo nuntiant: vel sacerdotes quos habemus inter nos & Deum: cum nolumus auscultare illos vt dimitramus, qui in nobis peccauerunt, non resoluunt peccata nostra, nec orant pro nobis. Quia si quis in discordiam moritur: nullus Christianus pro eo debet orare, neque commemoratum pro eo ad altare domini facere. Tunc vocauit illum dominus seruus & ait illi. Praecipit illum egredi e corpore, & venit ante tribunal Christi: & quia noluit misereri conseruis suis, traditur demonibus tororibus, quousque soluat omnia peccata, quae commisit coram Deo. Sic & pater meus celestis faciet vobis, confirmat sententiam suam: & omnem simulationem fictae pacis euellit dicens, si non miseritis de cordibus vestris. Quia nihil prodest ore dimittere, si in corde cum odio habeamus: Idcirco dicit, de cordibus vestris.

Nota praecipit illi egredi e corpore, & venit ante tribunal Christi: & quia noluit misereri conseruis suis, traditur demonibus tororibus, quousque soluat omnia peccata, quae commisit coram Deo.

HAYMONIS EPISCOPI Halberst. superioris Euang. expositio.

Simile est regnum calorum homini regi, qui vult rationem, &c. Proprium est Syris, & maxime Palaestinis, ad omnem sermonem parabolas, id est, similitudines iungere, vt quod per simplex verbum non potest capi ab auditoribus, per parabolas, id est, similitudines facilius accipiatur. Hanc consuetudinem dominus seruanus tempore praedicationis suae, ad praedictum sermonem suum confirmandum hanc parabolam subiunxit, vt facilius caperetur ab auditoribus suis. In lectione euangelij quae istud praecedet, legitimus Petrum interrogasse dominum: Domine, si peccauerit in me frater meus, dimittam ei vsque septies? Respondit ei dominus: Non dico tibi vsque septies, sed vsque septuagies septies, vt totiens in die fratris peccanti indulgeat, quotiens ipse non posset peccare in eum. Ad istum sermonem corroborandum, subiunxit dominus hanc parabolam, dicens: Ideo assimilatum est regnum calorum homini regi, qui vult rationem ponere cum seruis suis. Regnum calorum in hoc loco ecclesiam, hoc est, congregationem iustorum debemus intelligere, quia dum electi fide & dilectione Deo adherent, & nihil terrenum ambiunt, nisi ad caelestem patriam tendunt, iam in eorum cordibus quasi in caelestibus regnat. De quibus Psalm. Caeli enarrant gloriam Dei. Istud regnum calorum, id est, ecclesia iustorum assimilatur homini regi, id est, Christo qui Deus & homo est, quando sanctitatem illius imitatur iuxta quod ipse dicit: Sancti estote, quia ego sanctus sum dominus Deus vester. Iste homo, rex dominus Iesus Christus intelligitur, cui cantat quotidie sancta ecclesia. Rex meus & Deus meus. Qui vult rationem ponere cum seruis suis. Hoc est

quod ipse alibi dicit: Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit filio. Quotidie enim rationem ponit cum seruis suis, quia quotidie considerat mores, & actus nostros, & quicquid vnusquisque gerit videt, vt bene operantes remuneret, male operantes damnet, quotidie moriuntur homines, qui boni inueniuntur, perduntur in gloriam aeternam: qui mali traduntur in poenis perpetuis. Et quum cepisset rationem ponere, oblitus est ei vnus, qui debebat decem millia talenta. Talentum Graece, Latine dicitur magnum pondus. Tria genera sunt talentorum, maximum talentum continet centum viginti libras, aut auri, aut argenti, aut alicuius metalli. Mediocriter talentum continet septuaginta duas libras, tertium quinquaginta libras. Dicitur enim talentum in re parua. Debitores in sacro eloquio intelliguntur peccatores, iuxta quod alibi dicit: Duo debitores erant, id est, peccatores cuidam feneneratori. Er nos quoridie in oratione Dominica dicimus: Dimitte nobis debita nostra, id est, peccata. Sicut ibi debita intelliguntur peccata, & debitores intelliguntur peccatores, ita & hic debitor intelligitur peccator. Signat autem iste vnus, qui debebat decem millia talenta, multos peccatores, qui decem praecipua legis male viuendo contemnunt. Haec sunt illa decem praecipua legis. Non occides, non adulterabis, non furtum facies, non periuurabis, non falsum testimonium dices, non concupisces rem proximi tui, non domum, neque omnia quae illius sunt. Honora patrem, & matrem. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Quisquis itaque haec decem praecipua legis male viuendo contulcat, decem milium talentorum debitor efficitur. Cum autem non haberet, unde redderet. Recte dicitur, cum non haberet, unde redderet, quia nostra voluntate peccare possumus, sed nostris viribus non possumus Deo satisfacere, nisi illius misericordia adfuerit, qui vocat peccatores ad poenitentiam, dicens: Poenitentiam agite, appropinquabit enim regnum calorum: Iussit eum dominus venundari. Venditio in hoc loco poena supplicij, id est, afflictio corporis intelligitur, qua affliguntur plerunque homines propter peccata praeterita: sicut legimus in euangelio secundum Ioan. de illo, qui triginta & octo iacuerat annos in porticu piscis, cui dominus a se sanato dixit: Ecce sanus factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Et uxorem eius. Per uxorem intelligitur mala consuetudo peccati. Et filios, per quos intelliguntur mala opera. Filij aliquando in bona parte intelliguntur, aliquando in malam, sicut ibi: Iussit eum venundari, id est, ab afflictione corpus attingi, & uxorem eius, id est, malam consuetudinem peccandi, & filios eius, id est, mala opera, iussitque cellare, vt desinat peccare. Procidens autem seruus. Procidit autem seruus quando quilibet peccator cognoscens fragilitatem suam, rogat ad se venire sacerdotes, & confitetur illis humiliter peccata sua, & rogat Deum per sacerdotes, dicens: Patientiam habe in me, id est, concede mihi spatium vitae, sacerdoti. & omnia reddam tibi, id est, omnia, quae contra praecipua legis perpetravi, per lamenta poenitentiae emendare curabo. Misertus autem dominus serui illius. Vbi videt dominus peccatorem humiliter confiteri peccata sua, dimittit eum, id est, reuocat de morte ad vitam, ab infirmitate ad salutem, & dimittit ei debitum, id est, peccatum, quod commi-

Cofessio facta sacerdoti.

fit, indulget ei. Et egressus seruus ille de conspectu domini sui. Vnde egressus est? De morte ad vitam, de aegritudine ad sanitatem, de obligatione peccatorum ad veniam, quia peccata ei dimissa sunt. Inuenit vnum de conseruis suis. Conserui sumus ad inuicem, quia in vnum Deum credimus, & vnum Deum adoramus. Vos non estis vestri, iuxta quod Apostolus Paulus dicit: Empti enim estis pretio magno, id est, sanguine Christi, glorificare, & portare Deum in cordibus vestris. Qui debebat centum denarios. Quanta distantia est inter decem talenta, & centum denarios, ferè tanta distantia est inter peccata, quæ in Deum committimus, præcepta illius negligendo, & peccata, quæ in proximum perpetrâmus. Peccata, quæ in Deum committimus, mandata illius præuaricando, magna sunt. Peccata, quæ in proximum patramus, leuia. Et tenens suffocauit eum, dicens; Redde quod debes. Suffocat enim, quando preces illius spernit. At ille rogabat eum, dicens; Patientiam habe in me, id est, dimitte mihi peccatum, quod in te peccaui, & omnia reddam tibi, id est, omnia, quæ contra te iniuste egi, emendare curabo. Ille autem noluit, sed abiit, & misit eum in carcerem, donec redderet vniuersum debitum. Tunc mittit eum in carcerem, quando oportet eum æternaliter perire in inferno cum diabolo, & angelis eius. Verbi gratia, dicit ei; Quicquid in me peccasti, nec in præsentem, nec in futuro seculo tibi dimittatur, sed pereas cum diabolo æternaliter. Videntes autem conserui eius, quæ fiebant, contristati sunt valde. Et venerunt, & narrauerunt domino suo omnia, quæ facta fuerant. Conserui in hoc loco intelliguntur angeli, qui hominibus à Deo prælati sunt ad custodiam illorum adhibendam secundum Dei præceptum. Vnusquisque enim nostrum ab exordio natiuitatis suæ tempore baptisimatis angelum habet in custodiam sui delegatum. De quibus angelis dominus alibi dicit: Angeli eorum semper vident faciem patris. Et beatus Paulus. Nonne omnes angeli ministri sunt in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis? Quod autem angeli conserui nostri sunt, manifestatur nobis in Apocalypsi, dicente angelo ad Ioannem volentem se adorare: Vide ne feceris, conseruus tuus sum, & fratrum tuorum. Deum adora. Isti ergo conserui, id est, angeli quotidie renunciant quicquid boni agimus, & quicquid mali perpetrâmus, nõ quod Deum aliquid latere possit, qui vbique præsens est: sed ministerium sibi commissum implent. Vnde etiam conserui intelliguntur sacerdotes, Episcopi, presbyteri qui habent potestatem in sancta Ecclesia ligandi, & soluendi. Ligandi impenitentes, & immisericordes, soluendi penitentes. Isti ergo conserui, vel episcopi, vel presbyteri, dum immisericordes homines contra peccantes in se fratres perpendunt, contristantur. Sicut gaudent de his, quos sponte sua vident dimittere proximis suis peccata: ita contristantur, & dolent de illis, quos vident in duritia permanere, & peccata in se fratribus peccantibus non dimittere, nec volunt dimittere. Tunc vocauit illum dominus suus, id est, reuocat illum ad lectum aegritudinis, ad languorem pristinum. Et ait illi: Non verbis, sed rebus; Serue nequam, id est, serue inuicilis, serue male omne debitum dimisi tibi, quicquid in me peccasti, totum indulgi tibi. Et originale peccatum indulgi tibi, quod traxisti ex Adam, & actuale: quoniam rogasti me, humiliter,

Nonne ergo oportuit te misereri conserui tui, sicut & ego tui miserus sum? Eandem misericordiam, quam Deus omnipotens quotidie nobis impendere dignatur, impendere debemus proximis nostris, vt impleatur illud in nobis, quod dominus dicit: Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur, Et iratus dominus. Ita in Deum non cadit, sed irasci dicitur, quado de peccatis nostris vindictam reddere compellitur. Tradidit eum tortoribus. Tortores intelliguntur angeli. Angelorum ministerium duplex est, quia per eos dominus aut remunerat electos, aut punit reprobos. Quousque redderet debitum vniuersum, quousque, non signat finitum tempus, sed infinitum, quasi diceret: quousque redderet, id est, semper reddet, semper recipiet supplicium pro omnibus peccatis suis, non solum pro actualibus, quæ post baptisimi sacramentum perpetrâuit, verum etiam pro originalibus, quæ in baptismo ei dimissa sunt. Sic & pater meus cælestis faciet vobis, si non dimiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris. Formidolosa sententia, dicit beatus Hieronymus si iuxta voluntatem nostram Dei sententia fleat. Si nos dimittimus fratribus minora peccata, Deus dimittit nobis maiora nostra. Et, si non dimittimus minora peccata nostra fratribus nostris, nec Deus dimittit nobis maiora. Dicamus sub exemplo. Facit aliquis nostrum homicidium, adulterium, & his similia, si egerit penitentiam congruam, iuxta quod Ioannes Baptista dicit: Facite fructus dignos penitentiae, poterit remissionem peccatorum suorum recipere, ita tamen si peccanti in se fratri dimittit peccata sua. Si verò peccanti in se fratri peccata dimittere noluerit, etiam si toto tempore vitæ suæ egerit penitentiam, infructuosa erit. Et poterat aliquis dicere: Quicquid in me peccauerit frater meus, totum indulgi ei labii tantummodo, & non corde. Sed dominus omnem fictam pacem & simulationem à corde repellit. Vnde expressè dicit, de cordibus vestris, id est, ex cordibus vestris, vt quod ore dimittimus, corde dimittamus, & quod ore dicimus, corde dicamus.

### AUTHORIS INCERTI sub nomine Eusebij episcopi Emisseni superioris Euang. expositio.

Iste rex, ipse est qui hæc loquitur, Deus, & homo, Iesus Christus dominus noster, qui quotidie cum seruis suis ratione ponit, quoniam per episcopos & sacerdotes hominum peccata diiudicat, dum vnusquisque ad penitentiam veniens, quantum debeat & in quibus peccauerat domino confitetur. Ille autem vnus, qui decem millia talenta debebat, quis alius intelligitur, nisi omnes illi qui plus ceteris in omnibus peccant? Sed quare cum hoc prius rationem dominus ponere voluit, nisi vt huius exemplo ceteri intelligerent quid in suis rationibus responderent, & quâtam spem habere potuissent? Si enim ei, qui plus ceteris debebat, quoniam se humiliauerat, omne debitum dominus dimisit, quanto magis aliis, qui non tantum peccauerunt, si dignè penituerint, omnia peccata dimittet? Ideo enim decem millia talenta posuit, quia hoc debito nullum aliud debitum maius est. Omnes enim numeri in hoc numero continentur, quoniam ex denis numeris multipli

multiplicatur: cuius vnaquæque pars tam perfecta est, vt replicari quidem possit, crescere verò non possit. Quum enim vsque ad decem numeramus, nisi iterum ab vno incipiamus, nihil habemus quod dicamus. Similiter autem fit, vt, quum venimus ad centum, & similiter quum venimus ad mille, atque similiter quum venimus ad decem millia. Decies enim decem fiunt centum, & decies centum fiunt mille, & decies mille fiunt decem millia. Hoc igitur debito maius debitum non est. Sed videamus quid sequitur. Quum autem non haberet, vnde redderet, iussit eum dominus eius remundari, & vxorem eius, & filios, & omnia, quæ habebat, & reddi. Peccator enim ad penitentiam veniens, non prius habet vnde debitum soluat, donec ex toto humiliatur, sacerdotum cõsilio, semper omnibus obedire promittat. Ideoque & à sacerdotibus dicitur. Nisi debitum solueris, & penitentiam egeris, tu & vxor tua, filij tui, & cuncta, quæ possides in æternum peribitis. Per quod datur intelligi, quod ipse totus carnis simul cum anima sua, cunctisque sensibus corporis sui, incendiis tradatur æternis: vt per vxorem animam, per filios verò, sensus corporis intelligamus. Qui enim cum his omnibus cruciatur, in nulla parte sui requiem habet. Si autem his auditis, contremiscat, & fatiscere, & obedire promittat, prociðensque à piissimo domino penitentiam, & misericordiam sibi fieri deprecetur, fiet ei, quod sequentia manifestant, Misertus (inquit) dominus serui illius, dimisit eum, & debitum dimisit illi. Ecce dimissum est tibi debitum: in bono perseueres, dimitte tu quoque debitoribus tuis, sicut & tibi dimissum est debitum tuum. Quod si facere nolueris, audi & expecta quod sequitur. Egressus autem seruus ille inuenit vnum de conseruis suis qui debebat ei centum denarios: & tenens suffocabat eum, dicens, Redde quod debes. Valde paruum debitum est centum denariorum, ad comparisonem decem millium talentorum. Stultissimus igitur est, qui centum denarios non vult dimittere ea conditione, vt ei decem millia talenta dimittantur. Et prociðens conseruus eius rogabat eum, dicens, Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Ille autem noluit, sed abiit, & misit eum in carcerem, donec redderet debitum. Fortasse iste non audiuit, aut si audiuit, non intellexit, & paruipendendo neglexit, quod alibi dominus ait, Eadem quippe mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis. Estote ergo misericordes, sicut & pater vester misericors est. Nolite iudicare, & non iudicabimini: nolite condemnare, & non condemnabimini: dimitte, & dimitteret vobis: date, & dabitur vobis. Ideo enim misericordia inter alias virtutes superior est, quia quicumque misericordiam non habuerint, ipsi quoque sine misericordia cruciabantur. Vnde & diuiti illi famoso, & misero ab Abraham dicitur, Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris. Videntes autem conserui eius, quæ fiebant, contristati sunt valde: & venerunt, & narrauerunt domino suo omnia, quæ facta fuerant. Isti enim conserui, & angeli & homines intelliguntur. Omnes enim sunt conserui, qui vnus sunt domini serui. Et isti quidem iniquorum oppressionem & miserorum afflictionem domino narrant, qui pro his assidue ad Deum clamant. Et iratus dominus eius, tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet vniuersum debitum. Tortores illi,

maligni spiritus sunt, quibus miser homo ad puniendum traditur: neque de eorum potestate eripitur, donec vniuersum debitum reddat. Nunquam igitur de illorum potestate eripitur, quoniam hoc debitum semper redditur, nunquam tamen in integrum soluitur. Hanc autem totam similitudinem ad quid attulerit, ipse dominus protinus exponit, dicens, Sic & pater meus cælestis faciet vobis, si non remiseritis fratri suo vnusquisque de cordibus vestris. Non enim sufficit labiis dimittere, nisi & ora, & corda conueniant.

### THEOPHYL. EPISCOPI Bulgar. superioris Euangelij expositio.

Deo assimilatum est regnum cælorum homini regi, &c. Mens parabole est, vt veniam demus conseruis in nos delinquentibus: præsertim si illi veniam ante nos procedentes petat. Studioforum fuerit, particulatim singula examinari, sed aggrediamur & nos. Regnum est Dei sermo: & non paruum quoddam regnum, sed cælorum? Similatum est igitur homini regi. Incarnatus est enim propter nos, & in similitudinem hominum factus. Conferat autem rationem, vt bonis iudicans. Non enim absque iudicio punit. Hoc enim crudelitatis foret. Et quum cepisset conferre, oblati sunt ei vnus, &c. Decem millium talentorum debitores nos sumus, qui quotidie multis beneficiis afficimur, & nihil boni rependimus Deo, decem millium talentorum debitores sumus: & qui populi præfecturas susceperunt (vnusquisque enim homo magnum talentum est) & deinde non bene funguntur principatu. Vendi autem cum vxore, & familia, signat alienationem à Deo: qui enim venditur vxor, caro scilicet quæ est cõiunx animæ, & pueri opera, quæ malè fiunt à corpore & anima? iubet igitur carnem dari Satanæ in interitum, hoc est, morbis, vel passioni dæmonis. Similiter & filios, operatitas dico virtutes malorum ligari: vt est manus alicuius furto dedita, eam Deus aridam facit, vel constringit per dæmonem aliquem. Ecce mulier caro est, & filij operationes malæ, traditæ sunt afflictioni, vt spiritus saluetur. Non potest enim tunc ad furtum cooperari homo ille. Prociðens autem seruus ille adorabat illum, dicens, &c. Vide penitentia robur, & misericordiam domini. Penitentia enim fecit seruum cadere à malitia, qui firmiter in illa stabat, nec venia dignus erat. Misericordia autem dimisit omnino debitum, tamen seruus non omnia remitti, sed prorogari tempus pereret. Disce igitur, quod Deus plura dat quam petimus: quia tanta est misericordia domini, vt & id, quod admodum durum videbatur, nempe quod iussit, vt venderetur ille, non ex duritia dixit, sed vt respicere faceret seruum, & persuaderet illi, vt ad preces se, & obsecrationem conuerteret. Egressus vero seruus ille inuenit vnum de conseruis suis, &c. Egressus ille, qui veniam obtinuerat, strangulat, ac premit cõseruum. Nullus enim, qui in Deo manet, compassionis expertus est: sed ille egressus erat, & à Deo nunc alienus erat. Magnæ autem erat crudelitatis. Erant ei decem millia talentorum remissa, & longe pauciora, centum scilicet denarios, omnino nec remittere, nec pro-

rogare tempus dinumerandi volebat, tamen si conseruus eadem verba diceret, quæ & ille ad dominum, misericordiam domini in memoriam illi reducere. Porro quum vidissent conseruus eius quæ fiebant, &c. Videntur hi conseruus esse angeli, olores mali, & amantès boni, non quòd ignorant domino hæc dicant, sed vt tu discas, quòd angeli sint, & quòd inhumanis, & immisericordibus indignentur. Tunc accersuit illum dominus suus, & ait illi, &c. In iudicium intrat cum seruo dominus propter immisericordiam: vt ostendat quòd non ipse, sed serui crudelitas, & ingratitude donationem irriter. Quibus autem tortoribus tradidit? Forte potestatis punitricibus, ita vt perpetuo puniretur. Quousque reddat quòd debebat: hoc significat, quòd tandiu puniatur, donec reddat: nunquam autem reddet, quòd debebat, videlicet pœnam, quam meruerat: semper ergo punietur. Sic & pater meus celestis faciet vobis, &c. Non dixit, pater vester, sed pater meus. Indigni enim sunt tales, qui Deum habeant patrem. De cordibus autem vult remitti, non de ore duntaxat. Cogita igitur quantum malum sit vindicta cupiditas: quandoquidem etiam donationem Dei reuocat, & irrat: tamen si enim dona Dei ea sint, quorum non pœniteat illum, reuocantur tamen hæc ratione, & irritantur.

EVTHYMI ZIGABONI  
superioris Euang. expositio.

Propterea assimilatum est regnum caelorum homini regi qui voluit conferre rationem cum seruis suis. Propterea, quare? Quia oportet ei semper ignoscere, qui semper respicit. Regnum autem caelorum seipsum nunc appellat tanquam regem caelestem, prout saepe diximus. Conferre veto rationem, hoc est, sumere, ac subducere computum inter seruos suos, qui sunt homines. Fingit autem hanc parabolam, volens ostendere, quòd is, qui non ignoscit in se peccanti, priuat seipsum Dei misericordiam. Quumque cepisset conferre rationem, &c. Vnus videlicet seruus. Quòd autem est apud Græcos λίτρα, hoc est, libra auri, id apud Hebræos est talentum. Erat enim numismatum pondus maximi precij, cætera omnia excedens pondera. Et quum non posset ille soluere, &c. Vt omnino solueretur debitum. Non tamen hoc ex crudelitate iussit, sed ex compassione, vt tali sententia terribus deprecaretur, ac remissionem consequeretur. Nisi enim eo sine talem protulisset sententiam, nequaquam deprecanti remisisset debitum. Nam, si valde facile remissionem percepisset, futurum erat vt gratiæ magnitudinem non cognosceret: propter hoc ergo in magnam necessitatem eum redegit, vt ad memoriam in posterum reuocare posset, qua condemnatione absolutus esset: & compassiuus etiam ipse erga suum fieret debitorem, propriis edoctus calamitatibus. Prostratus ergo seruus ille adorabat eum dicens, &c. Vide penitentia vires, ac domini humanitatem. Pœnitentia siquidem fecit seruum à malitia cadere: stans enim firmus in prauitate, non poterat remissionem accipere. Dei vero humanitas, siue benignitas omnino ignouit, & æs alienum remisit. Atqui seruus nõ omnimodam remissionem, sed lóganimitatē, ac protelationē quærebat. Dicte ergo, Deum plura cõferre, quã nos postulemus: tãta est Dei benignitas, & humanitas, etiã

quã durior videretur, puta iubedo venundari eum, & omnia, quæ illius erant. Neque enim hoc ex asperitate dicebat, sed vt seruum terereret, & persuaderet, eumque ad humiliter deprecandum adduceret, & ad respiciendum quomodo inuitaretur. Egredius autem seruus ille inuenit vnum de conseruis suis, &c. Non post longum tempus, sed statim: beneficentia facies tramitem ad id, quòd neque Deo gratum est, neque hominibus. Prostratus ergo seruus ad pedes eius rogabat eum, &c. Neque formam supplicationis veritus est, quia & ipse misericordiam percepit: neque sermone placatus est, per quem & ipse seruatus erat: neque à simili, proprie meminit calamitatis, sed permansit omni fera crudelior. Atqui non pro æqualibus erat supplicatio: ipse enim pro talentis, hic pro denariis rogabat: & ipse pro decem millibus, hic autem pro centum: & ipse dominum, hic autem conseruum: & dominus tantum debitor ipsi vniuersam remisit, ipse vero neque dilationem conseruo dedit. Videntes autem serui, quæ fiebant, &c. Incompassibilitas enim non à Deo solum habetur odio, sed neque mansuetis hominibus grata est. Tunc accersuit eum dominus eius & dixit ei, &c. O immensam mansuetudinem. Ex æquo disceptat cum eo, qui omni sermone indignus est: & patienter, ac leniter eum conuincit, qui per se condemnatus est, ostenditque, quòd ipse sibi ipsi priorem etiam gratiam subuerit, & ex eo vltionem adduxit. Et, quum non posset soluere, non eum scelestum nominauit, sed eius potius miserus est: quando vero erga conseruum non est motus compassionis affectu, tunc & scelestus appellauit, & puniuit. Audiamus nos, qui nõ cõpatimur, & horreamus: sciamus, quòd ipsi nos ipsos omnino cõdēnamus, Dei misericordiam, quam erga nos exhibuit, subuertentes, æternumque supplicium attrahentes. Quantum excedit aqua gutta ab inexhausto maris pelago, tãto, & multo amplius excedit nostra humanitas, & benignitas à Dei humanitate, & benignitate. Et iratus dominus eius tradidit eum tortoribus, &c. Hoc est, continue, & semper: postea enim nunquam soluet. Tu vero reliqua parabolæ ne curiose serueris, quæ persuasibilitatis gratia sunt coassumpta: sed hoc solum ex ea manifeste accipito: peccata, quæ in Deum cõmittimus, infinitis modis plura esse ijs, quæ delinquant in nos fratres nostri. Nam quisque nostrum Deo debitor est decem millium talentorum, hoc est, multi, ac magni reus debiti: debemus enim illi multas, grauiusque pœnas, propter magna, grauiusque peccata. Quisque autem eorum, qui in nos deliquerunt, nobis debitor est centum denariorum, videlicet parui, vllisque debiti, si conferatur ad decem millia talentorum. Quum ergo Deo tanta debeamus, nisi erga nostros debitores misericordia vsi fuerimus, subuertemus etiam, quæ iam nobis supplicantiibus remisit: & postmodum omnium pœnæ à nobis sine vlla cõpassione expentur. Vide enim quæ sequuntur. Sic & pater meus celestis faciet vobis, &c. Propter hunc sermonem totam composuit parabolam, exemplo illum confirmans, quo facilius reciperetur. In principio siquidem parabolæ seipsum posuit regem, ac legislatorem: post finem veto ipsius, patri vltionis autoritatē attribuit, ne iactabundus ipse videretur: simulque ostēdēs vnã vtriusque esse autoritatem. De cordibus vltis autem, hoc est, ex corde, & non tantum ab ore.

DOMI



DOMINICA XXII POST  
PENTECOSTEN.


MATTH. 22.



N illo tempore, abeuntes Pharisei, consilium inierunt vt caperent eum in sermone. Et mittunt ei discipulos suos cum Herodianis, dicentes: Magister, scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces: &

non est tibi cura de aliquo. Non enim respicis personam hominum. Dic ergo nobis, quid tibi videtur: Licet census dari Cæsari, an non? Cognita autem Iesus & nequitia eorum, ait: Quid me tentatis hypocrite? Ostendite mihi numisma census. At illi obtulerunt ei denarium. Et ait illis Iesus: Cuius est imago hæc, & superscriptio? Dicunt ei: Cæsaris. Tunc ait illis: Reddite ergo quæ sunt Cæsari Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.

GLOSSA ORDINARIA CATENA AVREA  
in superius Euangelium.



M Herodianis dicit. Tanquam ignotis, vt facilius deciperent, quia timebant turbas: Quod per se non audent, prædis manibus attentat. Cum Herodianis, id est militibus Herodis. Sub Cæsare Augusto quando descriptio facta est, Iudæa facta est tributaria. His tributis præpositus est Herodes Antipatris filius alienigena, & profelytus, rex Iudæis ab Augusto constitutus. Erat ergo seditio in populo, aliis dicentibus debere dari tributa, pro securitate, & quiete, cum Romani pro omnibus militent, pharisæis contra nitentibus, non debere populum Dei qui decimas soluit, & cætera quæ lex dicit, humanis legibus subiacere. Mittunt igitur pharisæi si possint decipere. Non est tibi cura, &c. Illuc prouocant, vt Deum magis timeat, quam Cæsarem: & ideo non debere solui tributa dicat, vt Herodiani quasi autorem seditionis teneant. Hypocrite. Quia aliud sunt, & aliud simulant, reddite ergo. Vel sicut Cæsar exigit impressionem suæ imaginis, sic & Deus animam lumine sui vultus signatam.

Hrysoft. super Matth. Sicut si aliquis claudere voluerit aquæ currentis meatum, si exclusa fuerit per aliquam violentiam, aliunde sibi semitam querit: sic Iudæorum malignitas ex vna parte confusa, alium sibi aditum adinuenit. vnde dicitur: Tunc abeuntes Pharisei, &c. Abierunt, inquam, ad Herodianos. Quale consilium, tales & consiliatores, & ideo sequitur: Et mittunt ei discipulos suos cum Herodianis, dicentes: Magister, scimus quia verax es, & viam Dei, &c. Glo. Tanquam ignotis, vt facilius deciperent, & per eos illum caperent: cum timentes turbam hoc per se non præsumerent facere. Hiero. Nuper quidem sub Cæsare Aug. Iudæa subiecta Romanis, quando in toto orbe est celebrata descriptio, stipendiaria facta fuerat. Et erat in populo magna seditio, dicentibus aliis pro securitate & quiete, quæ Romani pro omnibus militarent, debere tributa persolui. Phariseis vero, qui sibi applaudebant in iustitia, e contrario nitentibus non debere populum Dei (qui decimas solueret, & primitias daret, & cætera quæ in lege scripta sunt) humanis legibus subiacere. Cæsar autem Augustus Herodem filium Antipatris alienigenam & profelytum, regem Iudæis constituerat, qui tributis præesset, & Romano pareret imperio. Mittunt igitur Pharisei discipulos suos cum Herodianis, id est militibus Herodis: seu quos

Bibl. Hom. rom. 3. Iii 3 ilu



illudentes Pharisæi (quia Romanis tributa soluebant) Herodianos vocabant, & non diuino cultui deditos. Chryso. in ho. Propter hoc autem suos discipulos & Herodis milites simul mittunt, ut quodcumque dixerit, reprehendatur: cupiebant enim magis aduersum Herodianos eum aliquid dicere: quia enim eum detinere timebāt, propter turbas, voluerunt ei periculum immittere, ex hoc quod esset publicis tributis obnoxius. Chryso. super Matth. Hæc est autem hypocrisis prima simulatio, quia laudant quos perdere volunt. Et ideo in laudem protumpunt, dicentes: *Magister, scimus quia verax es.* Magistrum eum vocant, ut quasi honoratus & laudatus mysterium sui cordis simpliciter eis aperiat, tanquam volens eos habere discipulos. Glo. Tripliciter autem contingit aliquem veritatem non docere. Primum ex parte ipsius docentis, quia, scilicet, veritatem vel non nouit, vel non amat, & contra hoc dicunt: *Scimus quia verax es.* Secundum ex parte Dei, cuius timore postposito quidam veritatem de Deo, quam nouerunt, non pure annuntiant: & contra hoc dicunt, *Et viam Dei in veritate doces.* Tertium ex parte proximi, ex cuius timore vel amore aliquis veritatem tacet, & ad hoc excludendum dicunt: *Et non est tibi cura de aliquo,* scilicet homine, non enim respicis personam hominum. Chr. in ho. Hoc de Herode & Cæsare occultè insinuabant. Hiero. Blanda quidem & fraudulenta interrogatio illuc prouocat respondentem, ut magis Deum quam Cæsarem timeat: vnde dicunt, *Dic ergo nobis quid tibi, &c.* Ut si dicat non debere tributa solui: statim audientes Herodiani, seditionis reum contra Romanum principem eum teneant. Chry. in ho. Quia enim sciebant quod quidam hanc discordiam meditantem occisi erant, volebant & ipsum per sermones hos in talem suspicionem immittere. Sequitur: *Cognita autem Iesus, &c.* Chry. super Matth. Non secundum sermones eorum pacificos blandè respondit, sed secundum conscientiam eorum crudelem aspera dixit: quia Deus voluntatibus responderet, non verbis. Hiero. Prima ergo virtus est respondentis, interrogantium mentes cognoscere, & non discipulos sed tentatores vocare: hypocrisis ergo vocatur qui aliud est, & aliud simulat. Chry. super Matth. Dicit ergo eis: Hypocritæ, ut considerantes eum humanorum cordium cognitorem, quod facere cogitabant, perficere non auderent. Vide ergo quod Pharisæi blandiebantur ut perderent, sed Iesus eos confundebat ut saluaret: quia vtilior est homini Deus iratus, quam homo propitius. Hier. Sapientia enim semper sapienter egit, ut suis potissimum tentatores sermonibus confutentur. Et ideo sequitur: *Ostendite mihi numisma census.* At illi obtulerunt ei denarium, hoc genus nummi est, quod pro decem nummis computabatur, & habebat imaginem Cæsaris. vnde sequitur: *Et ait illis Iesus, Cuius est imago hæc, & superscriptio?* Qui putant interrogationem saluatoris ignorantiam esse & non dispensationem: dicant ex præsentis loco, quod vtiq; poterat scire Iesus, cuius imago esset in nummo. Sequitur: *Dicunt ei, Cæsaris.* Cæsarem non putemus Augustum, sed Tyberium priuignum eius significari, sub quo & passus est dominus. Omnes autem reges Romani à primo Caio Cæsare, qui impetium arripuerat, Cæsares appellantur. Sequitur: *Reddite ergo quæ sunt Cæsari.* id est nummum, tributum

& pecuniam. Hila. Si enim nihil quod Cæsaris est, penes nos resederit: conditione reddendi ei quæ sua sunt, non tenebimus. Porro autem si rebus illius inuicemus, si iure potestatis suæ virmur, extra querelam iniuriæ est reddere Cæsari quod Cæsaris est. Chryso. Tu autem cum audieris, *Redde quæ sunt Cæsaris, Cæsari* illa scito eum dicere solum, quæ in nullo pietati nocent: quia si aliquid tale fuerit, non adhuc Cæsaris est, sed diaboli tributum. Deinde ut non dicant: quoniam hominibus nos subiicis, subdit: *Et quæ sunt Dei, Deo.* Hier. id est decimas, primitias, oblationes, & victimas: sicut & ipse dominus reddidit Cæsari tributa pro se & Petro: & Deo reddidit quæ Dei sunt, patris faciunt voluntatem. Hilar. Deo etiam quæ eius sunt, reddere nos oportet, id est, corpus & animam, & voluntatem. Numisma enim Cæsaris in auro est, in quo est eius imago depicta: Dei autem numisma, homo est, in quo est Dei imago figurata: ideo diuitias vestras date Cæsari, Deo autem innocentiam vestram conscientiam seruate. Orig. Ex hoc loco discimus Saluatoris exemplo, ut non his quæ à multis dicuntur: & propterea gloriosa videntur, occasione pietatis attendamus: sed quæ conuenienter secundum ordinem rationis dicuntur. Possamus autem & moraliter intelligere locum istum, quoniam debemus corpori quædam dare quasi tributum Cæsari, id est necessaria. Quæcumque autem sunt conuenientia animarum naturæ, id est, ea quæ ducunt ad virtutem, debemus Deo offerre, qui ergo supra modum docent legem Dei, & de rebus debitis corpori nihil curare præcipiunt: sunt Pharisæi, qui reddere Cæsari tributum vetabant, prohibentes, scilicet nubere, & abstinere à cibis, quos Deus creauit, qui verò supra modum æstimant oportere corporibus indulgere, ipsi sunt Herodiani. Saluator autem noster vult, ut nec virtus minoretur, dum supra modum carni seruimus: nec carnis natura grauetur, dum abundantius virtutibus adhaeremus. Vel princeps mundi, id est, diabolus, dicitur Cæsari, non enim possumus reddere Deo quæ Dei sunt, nisi prius reddiderimus principi quæ sunt sua, id est, nisi deposuerimus malitiam vniuersam. Hoc etiam discimus ex loco præsentis, quod contra tentantes nec omnino tacere debemus, nec simpliciter respondere, sed circumspectè: ut præcidamus occasionem quærentium in nobis occasionem, & doceamus irreprehensibiliter, quæ posunt saluare volentes saluari. Hiero. Qui autem credere debuerant ad tantam sapientiam, mirati sunt quod caliditas eorum insidiandi non inuenisset locum, vnde sequitur: Et audientes mirati sunt, & relicto eo abierunt. Infidelitatem pariter eum admiratione reportantes.

### ORIGENIS PRESBYTERI in idem Euang. Homilia.

Voluntas loci præsentis secundum textum talis mihi videtur. Iudæi propriam habentes conuersationem ex lege, extranea ab omni conuersatione gentium, & habentes præceptum, quod ait, vsque ad mortem certa pro veritate, & Dominus pugnant pro te, ideo contradicebant gentibus dominantibus sibi, ut non transgrederentur legem Dei, & frequenter radiciter interire periclitati

erant sub Romanis, volentibus statuam Cæsaris introducere in templum Dei, resistentes & prohibentes fortiores super se factos propter peccata. Inuenimus autem in historia Iudaica, quod in tempore Tyberij Cæsaris sub Pontio Pilato periclitatus est populus, Pilato quidem cogente, ut susciperent statuam Cæsaris in templo, Iudæis autem & supra vias suas resistentibus. Similiter autem scriptum est factum & in tempore Caij Cæsaris. Existimamus ergo quoniam, quandiu quidem speculabatur populum illum Deus, circumdatus sepe dominicæ tuitionis, quasi vinea Domini Sabaoth, nihil huiusmodi contingeat eis. In primis autem ipse Pilatus cui tradiderant Christum, ausus est populum inquirere, quod grauius erat captiuitatibus vniuersis. Quoniam omnis captiuitas, quam frequenter sunt passi, corporis erat vexatio; introductio autem statuæ in templum, animarum erat interitus. Et in tempore ergo Christi, quando tributum iussit dare Romanis, cogitatio, & consilium erat apud Iudæos, vtrum deberent, qui Dei populus erant, & portio eius, tributum dare principibus, an potius pro libertate bella suscipere, nisi permitterentur viuere, sicut ipsis placebat. Et refert historia quod Iudas quidam Galilæus, cuius memor est & Lucas in actibus Apostolorum, auellens multam multitudinem Iudæorum, docebat non oportere Cæsari dare tributum, neque Dominum, neque Cæsarem appellare. Qui autem erat in tempore illo Tetrarcha, suadere populo festinabat, ut statim præsentem consulerent, & non voluntarie contra fortiores suscipere bellum, sed acquiescerent dare tributum. Et sermo quidem euangelij præsentis non quidè manifeste, tamen hæc ipsa ostendit. Qui autem diligenter considerat verborum præsentium sensum, inueniet hoc & in loco præsentis. Nec enim haberent occasionem pharisæi, volentes Christum capere in sermone, mittentes discipulos suos cum Herodianis ut eum interrogarent, vtrum liceret Cæsari dare tributum, an non, si nummum apud eos fuisset, quoniam non oportet dare, & si consonantia voluntatum apud eos fuisset, ut non darent tributum. Et vide, an non manifestatur historia illa, ex eo quod volentes Christum capere in sermone, non solum miserunt discipulos suos interrogantes de censu, sed cum Herodianis. Forsitan enim in populo tunc qui quidem dicebant oportere dare tributum Cæsari, vocabantur Herodiani ab his, qui hoc facere recusabant: Qui autem prospectu libertatis dare tributum vetabant, videbantur esse pharisæi, subtilitatem Iudaicarum disciplinarum cautius obseruantes: ut, si quidem Christus responderet non oportere Cæsari dare tributum, traderent eum Romanis quasi recessioni autorem. Si autem iuberet dari, pharisæi accusarent eum quasi personam hominum aspicientem, magis quam docentem viam Dei in veritate. Considera autem, & vide quod pharisæorum discipuli dicentes, *Magister, scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non est tibi cura de aliquo, nec enim aspicias personas hominum;* prouocabant eum per huiusmodi laudem ut non acciperet Herodianorum personas, qui partes Cæsaris defendebant: aut respondens secundum voluntatem pharisæorum quod non licet Cæsari dare tributum, traderetur Herodianis. Vnde & Dominus videns nequitiam eo-

rum, ita dixit, *Quid me tentatis, hypocritæ? Ostendite mihi numisma census.* Ex hoc loco discimus saluatoris exemplo, ut non his, quæ à multis dicuntur, & propterea gloriosa videntur, occasione pietatis attendamus: sed quæ conuenienter secundum ordinem rationis dicuntur. Nam cum quæreretur ab eo, vtrum licet Cæsari dare tributum, an non: non simpliciter dedit responsum, secundum quod videbatur eis: sed dixit, *Ostendite mihi numisma census: & interrogauit, cuius est inscriptio. Et dicentibus eis, quod Cæsaris, respondit quod oportet reddere Cæsari, quæ Cæsaris sunt, & non eum oportet fraudare à propriis eius pietatis occasione.* Nec enim ex eo quod reddit quis Cæsari, quæ Cæsaris sunt, impeditur reddere Deo, quæ Dei sunt. Potest aliquis moraliter intelligere locum istum hoc modo. Omnes constitimus ex anima, & corpore (differamus nunc dicere, quoniam & ex spiritu) & debemus quædam dare quasi tributum, corporum principi, qui dicitur Cæsari, id est necessaria corpori, & habentia imaginem principis corporum corporalem, hoc est escas, & vestimenta, & somnum, & quæcumque necessaria sunt ad reparationem simplicem naturæ carnalis, sine quibus consistere non potest carnis natura. Item quoniam anima quantum ad naturam suam secundum imaginem est Dei regis sui, quæcumque sunt conuenientia animarum naturæ, id est, viæ omnes, quæ ducunt ad virtutem, debemus ea Deo offerre, Qui ergo supra modum docent legem Dei, & de rebus corporalibus, & debitis corpori nihil curare præcipiunt, ipsi sunt pharisæi, qui reddere tributum Cæsari vetabant, id est, qui tota virtute suadent omnino ieiuniis, & vigiliis debere affligere corpus, & abstinere ab omnibus, quæ sunt corporalia, & necessaria corpori, ut nihil ex nobis corporis principi tribuatur: quales sunt, de quibus ait Apostolus, Nouissimis temporibus recedent quidam à fide attendentes spiritibus erroris, & doctrinæ dæmoniorum, in hypocrisis loquentium mendacium, cauteriatam habentium conscientiam suam, prohibentium nubere, & iubentium abstinere à cibis quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus. Alij autem sunt qui supra modum existimant oportere corporibus indulgere, & per omnia satisfacere principi corporum, & ipsi sunt secundum similitudinem Herodianorum dicentium oportere Cæsari dare tributum. Saluator autem noster verbum Dei, dilucide separans rationalia corporis debita à debitis spiritualibus animæ, dixit, *Reddite Cæsari, quæ Cæsaris sunt, & quæ Dei sunt, Deo.* Imaginem enim Cæsaris habet omnis res corporalis, & imaginem Dei habet omnis virtus. Si ergo sic reddimus principi carnis, quæ carnalia sunt, ut non fraudemus Deum à spiritualibus eius virtutibus: tunc reddimus principi corporum, quæ corporis sunt, id est ea sola, quæ necessaria habet carnis natura, & nihil amplius quod pertineat ad rationem virtutis. Et si sic virtutibus seruimus ut non grauetur carnis natura à necessarijs suis: tunc reddimus Deo, quæ Dei sunt, ut nec virtus minoretur supra modum carni seruimus, nec carnis natura grauetur dum abundantius virtutibus adhaeremus. Scio & huius loci aliam traditionem: quoniam princeps mundi moraliter dicitur, sicut & omnium gentium principes, in persona principum mundi ponuntur. Rex autem omnium se-

culorum Deus, non in vno mysterio, sed vbiq̄ue est Deus. Quoniam ergo habemus quaedam in nobis, quæ sunt principis huius mundi, id est diuersas malitias, & non possumus prius reddere Deo, quæ Dei sunt, nisi reddiderimus principi, quæ principis sunt, id est, nisi deposuerimus malitiam vniuersam: ideo dominus offenso sibi numismate, & imagine eius respondit, *Reddite Cæsari quæ Cæsaris sunt: & Deo quæ Dei sunt.* Et hoc discamus ex loco præsentis, quoniam, si quando tentati fuerimus ab eis, qui volunt occasionem, & proponunt nobis quasdam propositiones non vt discant, sed vt causam accusationis inueniant contra nos: nec omnino tacere debemus, nec simpliciter respondere, sed cum cogitatu, & circumspectu, vt quantum possibile nobis fuerit, præcidamus occasionem quærentium in nobis occasionem, & doceamus irreprehensibiliter ea, quæ possunt salute volentes saluari.

**S. HILARII PICTAVIENSIS EPISCOPI SUPERIORIS EUANG. EXPOSITIO.**

**T**unc abierunt Pharisei, & consilium fecerunt vt Iesum caperent in verbo, &c. Frequenter Pharisei commouentur: & occasionem in simulandi eum habere ex præteritis non possunt. Cadere enim vitium in gesta eius & dicta non poterat: sed de malitiæ affectu, in omnem se inquisitionem reperiundæ accusationis extendunt. Nanque à seculi vitii atque à superstitionibus humanarum religionum, vniuersos ad spem regni caelestis vocabat. Igitur an violaret seculi potestatem, de propositæ interrogationis conditione pertentant: an videlicet reddi tributum Cæsari oporteret. Qui interna cognitionum secreta cognoscens (Deus enim nihil eorum, quæ intra hominem sunt absconsa, non speculatur) afferri sibi denarium iussit: & quæ sit cuius & inscriptio esset & forma. Pharisei responderunt, Cæsaris eam esse. Quibus ait, Cæsari reddenda esse, quæ Cæsaris sunt: Deo autem reddenda esse quæ Dei sunt. O plenam miraculi responsum, & perfectam dicti caelestis absolutionem! Ita omnia inter contemptum seculi & contumeliam lædendi Cæsaris temperavit, vt curis omnibus & officiis humanis deuotas Deo mentes absolueret: cū Cæsari quæ eius essent reddenda decerneret. Si enim nihil eius penes nos resederit, conditione reddendi ei quæ sua sunt non tenebimur. Porro autem si rebus illius incubamus, si iure potestatis eius vtimur, & nos tanquam mercenarios alieni patrimonij procuratori subijcimus: extra querelam iniuriæ est, Cæsari reddi quod Cæsaris est: Deo autem quæ eius sunt propria reddere nos oportere: corpus, animam, voluntatem. Ab eo enim hæc profecta atque aucta retinemus: proinde condignum est, vt ei se totum reddant, cui debere se recolunt & originem & profectum.

**S. HIERONYMI PRESBYTERI IN IDEM EUANG. EXPOSITIO.**

**T**unc abeuntes Pharisei, consilium inierunt, vt caperent eum in sermone, &c. Et mittunt ei discipulos suos

cum Herodianis, dicentes. Nuper sub Cæsare Augusto Iudæa subiecta Romanis, quando in toto orbe est celebrata descriptio, stipendiaria facta fuerat: & erat in populo magna seditio, dicentibus aliis pro securitate, & quiete, qua Romani pro omnibus militarent, debere tributa persolui: Phariseis vero qui sibi applaudebant de iustitia, & contrariò dicentibus: non debere populum Dei, qui decimas solueret, & primitiua daret, & cætera, quæ in lege scripta sunt, faceret, humanis legibus subiacere. Cæsar Augustus Herodem filium Antipatris alienigenam, & proselytum regem Iudæis constituerat: qui tributa præset, & Romano pareret imperio. Mittunt igitur Pharisei discipulos suos cum Herodianis, id est, militibus Herodis: seu quos illudentes Pharisei, quia Romanis tributa soluebant, Herodianos vocabant, & non diuino cultui deditos. Quidam Latinorum ridicule Herodianos putant, qui Herodem Christum esse credebant, quod nusquam omnino legimus. *Magister, scimus quia, &c.* Blanda, & fraudulenta interrogatio illuc prouocat respondentem, vt magis Deum, quam Cæsarem timeat, & dicat non debere tributa solui, vt statim audientes Herodiani, seditionis contra Romanos principem teneant. *Cognita autem Iesus nequitia eorum, ait, quid me tentatis, hypocrita.* Prima virtus est respondentis, interrogantium mentem cognoscere & non discipulos, sed tentatores vocare. Hypocrita ergo appellatur, qui aliud agit, & aliud simulat, id est, aliud opere agit, & aliud voce præterdit. *Ostendite mihi numisma census, at illi obtulerunt ei denarium.* Sapientia semper sapienter agit: vt suis potissimum tentatores sermonibus confutentur. Ostendite, inquit, mihi denarium: hoc est, genus nummi, quod pro decem nummis imputabatur, & habebat imaginem Cæsaris. *Et ait illis Iesus: cuius est imago hæc, & superscriptio?* Qui putant interrogationem saluatoris ignoratiam esse, & non dispensationem, discant ex præsentis loco, quod vtiq̄ue potuerit scire Iesus cuius imago esset in nummo: sed interrogat vt ad sermonem eorum competenter respondeat. *Dicunt ei Cæsaris: Tunc ait illis: reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo.* Cæsarem non putemus Augustum, sed Tyberium significari priuignum eius: qui in locum successit ipsius, sub quo passus est dominus. Omnes autem reges Romani, à primo Caio Cæsare, qui imperium arripuerat, Cæsares appellati sunt. Porro quod ait: reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari: id est, nummum, tributum, & pecuniam; & quæ sunt Dei, Deo, decimas, primitias, & oblationes, & victimas sentiamus, quomodo & ipse reddidit tributa pro se, & Petro, & Deo reddidit, quæ Dei sunt, patris faciens voluntatem.

**S. IO. CHRYSOSTOMI CONSTANTINI IN SUPERIUS EUANG. HOMIL.**

**T**unc Pharisei consilium ceperunt, &c. Tunc istud quando significat? Quando maxime illos compungi oportuit, quando elementiam ipsius admittari debuerunt, quando futurorum euentus erant expauescendi, quando denique à rebus præteritis, etiam de futuris credendum erat. Magna enim profectò voce ipse res exclamabant, cum & publicani

publicani & scorta crederent, & multi iusti, atque Prophetæ essent interempti, à quibus inducit nõ debent de perditione ipsorum ambigere, sed credere, credendòque humiliores fieri: non desinit tamen nequitia ipsorum, sed inflatur, & ad vltiora progreditur. Et, quoniam timentes multitudinem, retinere ipsum non audebant, aliud iter aggressi, vt in periculum iniiciant, imperantibus suspectum facere student: itaque discipulos suos cum Herodianis ad eum miserunt, dicentes, *Magister, scimus quia verax es, &c.* Tributum enim iam soluebant, cum res eorum ad Romanorum manus transisset: quoniam igitur viderit Theudam, & Iudam hæc de causa quasi sediciosos inierisse, his de verbis etiam ipsum in similem suspicionem iniicere conabantur. Mittunt itaque discipulos suos cū militibus Herodis sic interrogaturos, vt vtrinque prærupta præcipitia laterent: vt quicquid responderit, præcepit ruat: Herodianos autem simul acceperunt, vt si pro eis responsum ipsius faceret, ipsi criminarerent: sin verò pro ipsis, Herodiani continuò accusarent. Atqui didrachma iam persoluerat, sed hoc illos omnino fugiebat: & quamuis alterutro ipsum laqueo capere satis eis erat, mallebant tamen aduersus Herodianos quicquam ab eo audire: propterea discipulos vnà cum illis miserunt, vt illorum presentia commotus, in illud crimen laboreretur, quo ceu factiosum principi traderent: hoc Lucas quoque subostendens dicit, presentem multitudinem, interrogationem huiusmodi factam fuisse, vt scilicet plurimorum testimonio res pateret: sed aduersus se ipsos cuncta fabricati sunt, cum tanquam in theatro vecordiam, & malitiam suam manifestarint. Perspice igitur qua assècuratione, quòve dolo ipsum aggrediuntur. *Novimus, dicit, quia verax es.* Quomodo igitur quasi à seductore corrumpi assereratis, quem paulò antè interficere volebatis? vniuersa nempe ista insidiantes faciunt. Nam, quoniam paulò antè inflammati acriter interrogauerunt, dicentes: In qua potestate hæc facis? nec ad eam interrogationem optatum audierunt responsum, adulatione nunc putant ita eum effeminare, vt aduersus instituta eorum, & presentem rerum statum quippiam dicat: vnde veritatem quoque inesse ipsi non ex animo, neque volentes attestantur. Deinde subiungunt; *Nec de aliquo tibi cura est.* Perpendis quomodo se subaperiunt in eum velle sermonem Christum depellere, quo Herodè offendant, affectatæ tyrannidis suspitione, quia statutas leges contemneret, ita vt in factionis crimen trahere ipsum nitebantur. Quod enim dicunt, *nulla cura est tibi de aliquo, nec ad personam hominum respicias.* Herodem, ac Cæsarem ostendere videntur. *Dic igitur nobis, quid tibi videtur?* Nunc honoratis, & magistrum appellatis: quando verò de salute vestra disputat, contumeliamini, & despicitis. Mira verò hæc malitia est, non enim dicunt, dicas nobis, quid bonum sit, quid conducibile, quid legitimum: sed, *quid tibi videtur?* sic illud solummodo eis propositum fuit, quomodo presentis principum hostem esse ostenderet, ac principi quasi sediciosum traderent: quod Marcus apertius significans, & arrogantiam, cupiditatēque cædis ostendens, dixisse illos ait; Demusne Cæsari censum, an non? Ita furore quidem spirabant: & fraudem sub cultus simulatione instruebant: quid igitur ipse? *Quid me tentatis hypocritæ?*

Vides, quemadmodum maiore nunc illis acrimonia respondet. Nam, quia magna, & aperta vtebantur malitia, maior ipse quoque vulnus intorquet, confundens eos; primum cū in medium arcana ipsorum producat, omnibusque patefaciat, quomodo ad eum accedant: hoc faciebat, vt eorum repressa nequitia, nunquam alias similiter delinquerent. Nam, quamuis magnum ei honorem verbis deferrent, magistrum appellantes, veritatem ei attribuentes, & procul abesse, vt personas aspiceret, affirmantes, cū tamen Deus sit, verbis decipi non poterat. Coniicere igitur debuerunt, non à casu ipsos increpasse, sed data opera significare voluisse, omnia cordis eorum secreta sibi esse notissima: licet autem ad confundendam nequitiam eorum increpatione illa sufficeret, non fuit tamen ea contentus, sed alio quoque pacto ora eorum obtumescere censuit. *Census enim nummum, inquit, ostendite.* Cūque fecissent, illi cōtum lingua, vt solet, sententiam profert, impellitque, quia licet cōfiteri, quod manifestam & claram ei victoriam affererat. Quando ergo interrogat, non, quia ignorat, interrogat, sed quia per responsum ipsorum obnoxios esse vult ostendere. Ita nunc interrogati, cuius illa effigies esset, cū illi Cæsaris respondiissent; illi cō subiunxit; *Reddite igitur Cæsari, quæ Cæsaris sunt.* Non enim ait, dare, sed reddere istud est, quod tam ab insculpto simulacro quàm à superscriptione ostenditur. Deinde, ne contentiosè dicerent, hominibusne igitur nos subijcis? statim adiecit: *Et quæ sunt Dei, Deo.* Potestis enim & hominibus sua reddere, & quæ Dei, Deo debetis præstare: propterea quoque Paulus dicit; *Reddite omnibus debita, cui vestigal, vechigal; cui tributum, tributum; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem.* Tu verò, cum audias, reddenda esse Cæsari, quæ sua sunt: illa solum dici non dubita, quæ pietati, ac religioni nihil officiant. Nam, quod fidei, ac virtuti obest, non Cæsaris, sed diaboli tributum, & vestigal est.

**AVTHORIS DICTI IMPERF. IN MATTH. EIVSDEM EUANG. EXPOSITIO.**

**T**unc abeuntes Pharisei, consilium inierunt, vt caperent eum in sermone, &c. Omnis quidem malitia confunditur aliquoties ratione veritatis, corrigitur autem nunquam, maxime eorū, qui proposito malo, & non ignorantia peccant. Sic etenim sacerdotes postquam terrere dominū non potuerunt, dicentes: In qua potestate facis hæc? postquam parabolarum ratione constricti, iudicio ipsi se reos fecerunt, dicentes: Malos malè perdet, nemine contra eos dicente testimonium, nisi conscientia sola, nunquid compunxit eos timor peccati? Nunquid compescuit eos vel libertatis consideratio? Sed quid? *Abierunt, & consilium acceperunt, vt eum caperent in sermone.* Quemadmodum si aliquis claudere voluerit aquæ currentis meatum, si vna ex parte exclusa fuerit aqua, violentia aliunde sibi semitam rumpit: sic & eorum malignitas ex vna parte confusa: aliunde sibi aditum adiuuenit. Sicut enim non potest fieri, vt ligna mittendo extinguas ignem, sic nõ potest fieri, vt rationem dicendo places hominem malum. Sicut enim

Mat. 22.

Luc. 20.

Rom. 13.

Ex Hom. 42. in Matth.

Mar. 22.

Ex Hom. 7. in Matth.

enim ignis quanto amplius ligna susceperit, in maiorem flammam erigitur: sic animus malus quanto magis veritatem audierit, eo amplius in maliciam excitatur. Abierunt ergo, & consilium acceperunt. Quod abierunt? Ad Herodianos. Nam ex eo quod non dicit, consiliati sunt: sed consiliū acceperunt: & ex eo quod pariter cum Herodianis venerūt, apparet quia cum illis eiusmodi circumventionis consilium tractauerunt. Homo colonus, cuius terram possidet, illius auxilio opus habet. Qui iustitiam tenet, nullius patrocinio indiget, nisi Dei. Qui in diaboli iniquitatibus ambulat, diaboli adiutoriū necessarium habet. Colonus enim Dei, diaboli auxilium non requirit: colonus autem diaboli, auxilium Dei si querit, non inuenit. Vidisti aliquando eūtem ad furtum Deū orare, vt bene prosperetur in furto? Aut qui vadit ad fornicationem, nūquid sibi signum crucis ponit in fronte, vt non comprehendatur in crimines? Quod si fecerit, non solum non adiuuatur, sed adhuc amplius traditur: Quia nescit iustitia Dei patrocinium dare criminibus. Sic & isti Christum expugnare cupientes, conuenienter non ad seruos Dei, viros religiosos, sed ad gentiles, id est, Herodianos se contulerunt. Quale est consilium, tales & consiliatores. Quis autem poterat dare cōsiliū contra Christum, nisi diabolus, qui erat aduersarius Christi? Cogitabāt enim apud se sacerdotes, si nos soli euntes interrogauerimus Christum, quauis dixerit quia non licet dari Casari tributum, tamen nemo nobis crede dicentibus contra eum: iam enim omnes sciunt, quia inimici eius sumus. Inimicorum autem testimonium in iudicio, & si verum fuerit, quasi suspectum reprobatur. Sed nec per seiplos Christum interrogare volebant: quia in magna suspitione inimicitiae fuerant apud Christum, ne forte quasi suspecti circumuenire eum nō possint. Nam inimicus manifestus melior est, quam amicus fictus. Ille dum timetur, facile vitatur, iste dum non agnoscitur, praualeat. *Miserunt ergo discipulos suos.* Quasi adhuc minus cognitos, & minus suspectos vt aut absconditē facile deciperent eū, aut deprehensi minus erubescerent apud eum. Nam consilio malo deprehensio, tanto minor nascitur confusio, quanto fuerit persona deterior. Sed discipuli illi magistris suis etate minores erant, malitia autem pares. Nam & pulli serpentium statura breuiore, veneno autem æquales sunt. Et catuli luporum adhuc teneri constituti & si venationem exercere non possunt, iam tamen sanguine gaudent, & morsibus ludent. *Magister, scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces.* Magistrum eum vocāt, & veracem magistrum, vt quasi honoratus & laudatus, mysterium sui cordis simpliciter eis aperiat, tãquam volens eos habere discipulos. Hęc enim est hypocritarum prima potentia, simulata laudatio. Laudant enim quos perdere volunt, vt per delectationem laudis, paulatim corda hominum ad simplicitatem benignę confessionis inclinēt. Veluti si quis taurum validum viribus non potest subiugare, & vinculo flectere, mollibus manibus nodosam eius fricat ceruicem, vt, quem virrute tenere non potuit, per blandimentum comprehendat: Sic & isti catenam subdolę laudis portantes in ore, & gladium malitię abscondentes in corde, taurum ecclēsiastici gregis dolo laudis comprehen-

dere festinabāt. De quo tauro prophetans Iacob, iam tunc increpabat Leui filium suum, quia de Leui erant nascituri sacerdotes, qui interfecērunt Christum. Simeon, & Leui fratres cōsummauerunt iniquitates suas. In cogitationes eorum non veniat anima mea, & in consilia eorum non cadant pręcordia mea, quia in ira sua occiderunt virum, & in furore suo subneruauerunt taurum. De talibus dicit propheta: *Molliti sunt sermones eorum super oleum; & ipsi sunt iacula.* *Quid tibi videtur? licet censum dari Casari, an, non?* Non est iustum, vt serui summi regis terrenis regibus seruiamus. Si enim indignū est, vt ex duobus regibus homo alterius alteri obsequatur, & iniuriam facit suo, & subiacet alieno: quanto magis indignū est, vt cultores Dei humanarum potestatum grauamina cognoscamus? Cognita autem eorum nequitia Iesus, non secundum sermones eorum pacificos blandē respondit, sed secundum conscientiam eorum crudelem aspera dixit: quia Deus plerunque ad animam loquitur, non ad corpus: voluntaribus respondet, non verbis. *Hypocrite, quid me tentatis? Ostendite mihi numisma census. At illi obtulerunt ei denarium.* Dicit eis, *hypocrite, vt quod ab eo audierit in aure, apud semetiplos inueniant in corde: vt considerantes eum humanorum cordium cognitorem, quod facere cogitabant, perficere non auderent.* Vide ergo, quod pharisei quidem blandiebantur, vt perderent: Iesus verō confundebat, vt saluaret: quia vt ilior est homini Deus iratus, quam homo propicius. *Et ait eis: Cuius est imago hęc, & superscriptio? Dicunt ei: Casaris.* Tunc dixit eis: *Reddite ergo quę sunt Casaris, Casari, & quę sunt Dei, Deo.* Imago Dei non est in auro depicta, sed in hominibus desigurata. Numisma Casaris, aurum est: numisma Dei, homo. In solidis Casar videtur, in hominibus Deus agnoscitur. Ideo diuitias vestras Casari date, Deo autem conscientię vestrę solam innocentiam reseruate, vbi Deus videtur. Casaris enim imaginē manus artificis sculpsit, & corruptibilibus literis annotauit: Dei autem imaginem in homine diuina manus decem vniū apicibus demonstrauit. Quibus? Quinq; sensibus carnalibus, & quinq; spiritualibus per quos consideramus, & apprehendimus quę sunt vtilia, vt Deus. Ideoq; illibatam Deo semper imaginem suam reddamus. Non superbie fastu tumidam, non iracundię liuore marcidam, non auaritię facibus succensam, non gulę illecebris deditam, non hypocritis duplicitate contectam, non luxurię sordibus attaminatam, non elationis protentione leuem, non vinolentię tabe amentem, non dissidio mutue charitatis extorret, detractionis mordacitate perfisteram, non multiloquiū vanitate inanem, sed charitate perspicuam: fide, & spe certissimam, patientię vitute fortissimam, humilitate tranquillā, castitate purpuream, parsimonia sobriam, tranquillitate iocundam, hospitalitate deuotam. Talibus enim inscriptionibus suum Deus numisma non mallei, vel incudis ictu composuit, sed prima conditione formauit. Casar enim suam in nummo requirit imaginem, Deus vero hominē, quem creauit, exquirat. Non dimittit Casar suum quod debetur numisma, nec Deus suam vnquę exquirendo relaxat facturam. Sicut qui suam Casari adulterinam imaginem reddit, flagellari tortoribus, & atrocibus iubet subici pœnis, sic Deus omni-

Gen. 49.

Psal. 14.

Serm. 19. de vrb. domini.

Luc. 3. quest. 1. m. l. iure circa finem.

Luc. 3.

Luc. 3. quest. 1. m. l. iure ante me domo.

omnipotens corruptores imaginis suę morti tradet perpetuę, & infernales iubet pœnas persolui immensas. Ita qui vitare horrenda exitia cupit, incorruptam studeat aurois sui imaginem conseruare, quatenus quum suam (quam formauit) requisierit Deus imaginem, saluam, & immunem ab inimici infectionibus cernens, suo collocet gremio, angelorūmq; choris admittēs, perpetuis faciat cęlorum gaudiis frui.

S. AVGVST. EPISCOPI  
Hippon. in superius Euang.  
Homilia.

Nonnulli, fratres, qui aut militię cingulo detinentur, aut in actū sunt publico constituti, cum peccant grauiter, hac solent a peccatis suis prima se voce excusare, quod militant, & ne bene aliquādo faciant, occupatos se malis actibus conueruntur: Perinde quasi militia, hominum non voluntas in culpa sit, ita quod ipsi gerunt, officiis suis ascribunt. Non enim militum delictum est, sed propter prędam militare peccatum est. Nec rem publicā gerere criminofum est, sed ideo agere videtur esse damnabile. Propterea enim prouidentia quadam militantibus sunt stipendia constituta, ne, dum sumptus querunt, pręda grassetur. Illud autem quale est, cum ob errorem aliquem a senioribus arguantur, & imputatur alicui de illis cur ebrius fuerit, cu res alienas peruaserit, eadem cur turbulenti admiserit: statim respondet, quid habebam facere, homo secularis, aut miles, nunquid monachum sum professus, aut clericum: quasi omnis, qui clericus non est, aut monachus, possit ei licere, quod non licet. Cunctis igitur officiis sacris literis præscribitur norma viuendi, omnis ad bene viuendum prouocatur sexus, etas, & dignitas. Igitur nemo se excuset publicis actibus, nemo de occupatione militię conqueratur. Apud omnem Christianū prima honestatis debet esse militia. Nam vt id, quod dicimus auctoritate euangelica comprobemus, videamus lectionem, quę paulo ante decursa est: ait enim Euangelium, Venerunt autem & publicani ad Ioannem, vt baptizarentur ab eo; & dixerunt ad eum, Magister, quid faciemus? At ille dixit. Nihil amplius exigatis, quam quod constitutum est vobis. Honesta placet publicanorum interrogatio, ac sancti Prophetę iusta responsio. Illi enim solcite interrogant, ne aut ignorantes plus exigendo in peccatum incidant, aut cessantes publicam decipiant functionem. Hic autem moderate præcepit, vt & iniquitas locum non habeat, & constitutum habeas vectigal effectum. Non enim dixit, Nihil exigatis: sed, nihil amplius exigatis. Vnde intelligimus quod apud Deum non tam exactio quam exactio iniqua damnetur: dicit enim ipse dominus. *Reddite quę Dei sunt Deo, & quę Casaris Casari.* Igitur quod Casar præcipit ferendum est, quod imperator indicit tolerandum est: sed sit intolerabile, dum illud pręda exactio nis accumulatur. Hoc autem quale est, quod iidem ipsi, qui huiusmodi necessitates procurant, peccatis suis peccata congeminat, hoc est, quod fraudes suas, ac rapinas commodum vocant, cum ipsa pręda inferatur incommodum. Illud autem ad-

dunt sceleribus suis, vt quos indefensos viderint, ipsos potius persequantur, & putent se necessitates decepisse publicas, nisi domos deceperint orphanorum: ita quorum pater ante biduum forsitan fuerit amicus, collega, vel frater, interueniente morte, eiusdem liberi habeantur tanquā ignoti, viles, & miseri. Vidua autem si qua fuerit, aut sic iniuriis exagitur, vt nubat, aut si voluerit in castitatis permanere proposito, dando munera in facultate vix permanet. Cum his ergo fraudibus repleuerint sæculos suos, videas illos lætos, & accuratos: ad ecclēsiam properare, & Deo gratias agere, quasi ab ipso illis hęc pecunia conferatur, illud quoque peccantes quod rapinarum suarum Deum volūt esse participem: dicit enim sanctum Euangelium, Interrogauerunt illum & milites, quid faciemus & nos? Ait illis Ioannes, Neminē contutatis, neque calumniam faciatis, sed contenti estote stipendiis vestris. Hic iam cognoscere se debet omnis homo qui militat. Non enim tantum de his militantibus scriptura loquitur, qui armata militia detinentur, sed quisque militię suę cingulo vitur, dignitatis suę miles ascribitur, atque ideo hęc sententia potest dici: Verbi gratia, militibus, protectoribus, cunctisque rectoribus. Quicumque stipendia sibi publicę decreta consequitur, si amplius querit, tanquam calumniator, & concussor, Ioannis sententia condemnatur. Vsq; adeo autem hoc inoleuit malum, vt iam quasi ex consuetudine vendantur leges, corrumpantur iura, sententia ipsa venalis sit, & nulla iam causa possit esse sine causa. Hęc autem diuina sententia, quę ad milites loquitur, potest etiam ad clericos retorqueri, quia etiam si non militare videamur seculo, tamen Deo, & domino militamus, sicut ait Apostolus, Nemo militans Deo, obligat se negotiis secularibus. Videmus, inquam, nō militare remissis, ac fluentibus tunicis, sed habemus militię nostrę cingulum, quocastimonie interiora constringimus: de quo cingulo dominus ait ad discipulos suos, Sint lumbi vestri præcincti, & lucernę vestrę ardentes in manibus vestris. Milites igitur Christi sumus, & stipendium ab ipso, donūmq; percipimus, sicut dicit Apostolus, Qui dedit nobis pignus spiritus, hoc est, qui spiritus sancti nos remuneratione ditauit. Si quis ergo Christianorum hoc donatio contentus forte non fuerit, & querit amplius, incipit hoc ipso carere quod meruit. Quod specialiter contingit hereticis Arrianis. Dum enim nescio quid amplius querunt, inuenientes erroris spiritum, gratiam sancti spiritus perdiderūt. Nam & catholicus clericus hac sententia retinetur. Si enim non contentus stipendiis fuerit, quę de altario domino iubente consequitur, sed exercet mercimonia, intercessionem vendit, viduarū munera libenter amplectitur, hic negotiator magis potest videri quam clericus. Nec dicere possumus, nemo vos inuafores arguit, violentiæ nullus accusat, quasi non interdum maiorem prędam a viduabus blandimenta eliciant quam tormenta. Neq; interest apud Deum vtrum vi, an circumpuentione quis res alienas occupet, dummodo quoquo pacto teneat alienum.

Luc. 3. quest. 1. m. l. iure circa finem.

2. Timot. 2.

Luc. 12.

2. Cor. 1.



CHRISTIANI DRVTH-  
mari eiusdem Euang. expositio.

**T**unc abeuntes Pharisei consilium inierunt, ut cape-  
rent eum in sermone. Tunc, aduerbium temporis  
est: & dicitur tunc, id est, in ipso tempore, cum au-  
dierunt de seipsis graues causas per parabolas pro-  
phetare. Abeuntes in consilium consiliauerunt  
ut caperent eum in sermone suo: ut quicquid di-  
ceret, pateret calumnie: sicut audistis per Lucae  
euangelium, cum in diuerso orbe terrarum & Iu-  
daea descripta est ad dandum tributum Romanis  
& stipendia sub Octauiano. Proinde erat magna  
turbatio in populo: quia alij dicebant non esse  
aequum, ut populus, qui dabat decimas, primi-  
tias, & reliqua lege sancita daret Romanis tribu-  
tum & stipendia. Et alij dicebant, quod nullo mo-  
do possent dimittere, ut non darent Romanis tri-  
butum: qui & totum mundum tenerent, etiam &  
milites eorum scubi necessarij erat pro eiusdem  
Iudaeis pugnabant. Mittunt igitur suos missos cu  
missis Herodis regis tetrachae ut interrogarent  
eum. Et si quidem ipse diceret non debere Ro-  
manis tributa solui, apprehenderent eum milites  
Herodis. Si autem diceret Romanis dandum, &  
non Deo: cõfessim illi tenerent quasi cõtradictio-  
rem legis. Verumtamen fecit sicut solebat, transiit  
laqueum paratum. Magister, scimus quia verax es,  
& viam Dei in veritate doces: & non est tibi cura de ali-  
quo. Non enim respicis personam hominum. Omnia ista  
vera sunt, & bona, sed mala voluntate prolata.  
Hac ideo ingerebantur, ut non curaret de Imperio  
Tyberij, & diceret non dandum tributum: quia  
haberet perspectum quod plus amaret Dei cultum  
quam Imperatorem, & statim apprehenderent eu  
milites Herodis, quasi contradicentem Caesaris.  
Licet censum dari Caesari, an non? Cognita autem Iesus  
nequitia eorum ait: Quando consiliauistis quamuis  
a vobis longè ibi fuit Iesus, etiam quando cogi-  
tastis. Quid me tantatis hypocritae? Quem non de-  
cipiatis per astutiam vestram? Prima virtus est, in-  
tentionem interrogantis cognoscere: tunc iuxta  
consequentiam respondere, ut Salomon. Respon-  
de stulto iuxta stultitiam suam, ne sibi sapiens esse  
videatur. Ostendite mihi numisma census. Nummus  
vnus denarius argenteus vel aereus dicitur, & a  
nomine vocatur: quia nomina regum in eo im-  
primuntur. Sive ut alij volunt a Numa princi-  
pe Romano, qui hoc apud eos primus praecipit  
fieri. Aliquando inuenitur nummus pro solido  
poni, Numisma Graecè, Latine dicitur inflexio.  
Et hoc ostenditur, quia cum dominus praecipit  
sibi exhiberi numisma, illi intelligentes obtule-  
runt denarium. Denarius est genus nummi, quod  
pro decem nummis aereis imputabatur, & habe-  
bant & de argento & de aere imaginem Caesaris.  
Valuit sine ostensione nummi dicere quod vole-  
bat, conuenientius tamen per ipsum eos conuin-  
ci. Cuius est imago haec & superscriptio? Similiter si-  
cut nunc inscribuntur de nominibus imperato-  
rum, & figura eius exprimebatur, ut nullus mix-  
turam metalli auderet miscere, neque aliquis de-  
spicere vbi videret imaginem Caesaris, in nullo  
vnquam loco expressam imaginem Caesaris au-  
debant despiciere. Dicunt ei; Caesaris. Tyberij sci-  
licet quia ab illo primo Iulio ita vocatus est, om-  
nes postea imperatores Romanorũ Caesares sunt

appellati. Tunc ait illis; Reddite, quae sunt Caesaris, Ca-  
sari. Si imago eius est in denario, constat quia suũ  
erat qui suam imaginem ibi praecipit fieri. Quod  
vos iam per triginta annos soluitis, vultis ut ego  
praecipiam dimittere, cum ego qui nihil telluris  
habeo, pro me & Petro soluerim tributum, &  
Deo reddiderim, quae Dei erant, patris faciens  
voluntatem? Magis praecipitur sum vobis ut si-  
tis regi subditi, quasi praecellenti. Reddite quae sunt  
Caesaris, Casari. Tributum scilicet, nummum &  
reliqua, quae spondestis, quando professi fuistis  
in diebus professionis. Et reddite Deo, quae Dei sunt.  
Decimas, primitias, & quae in lege praecipita sunt.  
Sicut Caesar a vobis exigit imaginem suam, sic  
vult Deus habere suam incontaminatam, quam  
in vobis condidit. Et audientes mirati sunt. Qui cre-  
dere debuere mirati sunt: quia cõtra calliditatem  
eorum consilium reperit. Et relicto eo, abierunt. Re-  
cesserunt increduli a pio: quia diuersi mores no-  
lunt vnitate, quia cum essent peruersi nolebant  
ad illius rectitudinem conuerti, propterea sine  
fructu abierunt.

ERICI IN SVPERIVS  
Euang. Homil.

**L**uca referente Euangelista, manifestum est, Luca.  
quia Domino saluatore nato sub Caesare Au-  
gusto, in toro orbe celebrata est descriptio: & in-  
ter omnes nationes totius orbis, quae Romano  
imperio subiecta erat, Iudaea quoque eius stipen-  
diaria facta fuerat. Quam ob causam magna sedi-  
tio tunc temporis in populo feruebat. Quidam  
enim dignum esse iudicabant, ut, quia Romani  
pro securitate, & quiete omnium assidue milita-  
bant, censum eis deberent persolvere. At contra  
Pharisei, qui sibi de falsa iustitia applaudebant,  
nitebantur asserere, quod populus Dei, qui deci-  
mas solueret, primitiua daret, & caetera legis de-  
creta obseruaret, non deberet humanis legibus  
subdi. Quae seditio instantum conualuit, ut post  
Domini passionem in hac ipsa pertinacia, & re-  
bellionem Iudaei perdurantes. Romanis sub hac oc-  
casionem in vindictam necis saluatoris venientibus,  
amitterent locum, & gentem, & regnum,  
vitam etiam praesentem perderent, ac futuram,  
dum maluerunt haec omnia caecante auaritia per-  
peti, quam tributa Romanae militiae pedere. Quia  
ergo principes sacerdotum timore populi Domi-  
num comprehendere non poterant, saltem ut in  
sermone eum caperent, laborabant. Abierunt ergo  
Pharisei, & consilium acceperunt. Quod abierunt? Vti-  
que ad Herodianos, qui erant milites Herodis, ac  
exigedis tributis praepositi. Nam ex eo, quod non  
dicit euangelista, consiliau sunt, sed, consilium accepe-  
runt, & ex eo quod dicit, cum Herodianis pariter  
venerunt, apparet, quia cum illis huiuscemodi cir-  
cunuetionis consilium tractauerunt. Cogitabant  
enim apud se sacerdotes, dicentes; Si nos soli eũtes  
interrogauerimus Christũ, quamuis dixerit, quia  
non licet Caesari dare tributum, tamen talia di-  
centibus nobis contra eum, nemo crederet, quia  
omnes iam sciunt, quod inimici eius sumus. Ini-  
micorum autem testimonium in iudicio, & si ve-  
rum sit, tamen quasi suspectum reprobat. Per  
seipos ergo Christum interrogare nolebant, quia  
in magna suspitione inimicitiae iam erant apud  
Chri

Christum, ne forte quasi suspecti circouenire eum  
non possent. Et mittunt ei discipulos suos, qui se in-  
stos simulantes, saltem in sermone eum caperent,  
& sic potestati praedidis traderent, ut velut ipsi a  
morte eius immunes esse viderentur. Mittunt ergo  
discipulos suos ad illum, quasi adhuc minimè su-  
spectos, ut aut facillè eum deciperent: aut, si vince-  
rentur (sicut & contigit) illi, qui eos miserant, mi-  
nus erubescerent. Nam consilio malo deprehen-  
so, tanto minor nascitur confusio quanto fuerit  
persona deterior. Mittunt igitur pharisei disci-  
pulos suos cum Herodianis, militibus Herodis,  
seu quos illudentes Pharisei, quia Romanis tri-  
butum soluebant, Herodianos vocabant, & non  
diuino cultui deditos. Quidam Latinorum (ridi-  
culum) Herodianos putant, qui Herodem Chri-  
stum crederent, quod nusquam omnino legimus.  
Herodianos itaque (ut diximus) milites Herodis  
appellat, qui in exigendis tributis erant praepo-  
siti. Dicunt ergo; Magister scimus quia verax es. Ma-  
gistrum, & veracem vocant, ut quasi homo eor-  
um adulatione delectatus, secretum sui cordis  
eis simpliciter aperiat. Scimus, inquiunt, quia verax  
es, & viam Dei, id est, legem Dei, in veritate doces, &  
non est tibi cura de aliquo, id est, in proferenda veri-  
tate, nullus vel amicitiam, vel inimicitiam curas.  
Quare hoc dixerint, manifestant cum subdunt;  
Non enim respicis personam hominum, id est, nec pro-  
pter pauperem, nec propter diuitem, veritate re-  
lictã, mendacium loqueris. Dic ergo nobis, quid tibi  
videtur? Licet censum dare Caesari, an non? Tanquam  
dicerent; Nos serui sumus summi regis, & ideo  
iniustum est, ut terrenis regibus seruiamus. Hoc  
autem dicentes, ad hoc illum perducere labora-  
bant, ut magis Deum quam Caesarem timens, di-  
ceret non debere Romanis tributa solui, quate-  
nũs hoc audientes Herodiani, id est, ministri  
praedidis, qui praesentes erant, tenerent eum qua-  
si seditionis principem contra Iudaeos. Si verò  
diceret tributum esse reddendum, tanquam de-  
structorem legis illum calumniarentur. Cognita  
autem Iesus nequitia illorum, hoc est, consideras do-  
lum, & fraudes eorum dixit; Quid me tentatis, hypo-  
critae? Attendendum, quia non secundum sermo-  
nes eorum factos blandè respondit, sed iuxta cõ-  
scientiam eorum crudelem aspera obiecit, cogi-  
tationibus illorum, non verbis respondens. Hy-  
pocritas autem idcirco eos nuncupat, ut audien-  
tes ex eius ore, quod ipsi cogitabant in corde, cõ-  
siderarent eum humanorum cordium cognito-  
rem, tanquam omnipotentem Deum, & quod fa-  
cere in illum cogitabant, perficere non auderent.  
Hypocritae autem subaurati dicuntur. Hypo enim  
Graecè sub, Chrysos aurum dicitur. Merito ergo  
tentatores suos hypochritas nuncupat, qui aliud  
nitebantur opere, aliud simulabant voce. Ostendi-  
te mihi numisma census. Sapientia sapienter egit, ut  
suos tentatores proprijs illorum sermonibus vin-  
ceret, Ostendite, inquit, mihi numisma, id est, inscri-  
ptionem denarij, vel ut alij dicunt, moneram. Di-  
ctum autem est numisma è nomine, quod inscri-  
bebatur denario. Est autem denarius genus nu-  
mi, quod pro decem numis imputabatur, & ha-  
bebat nomen, & imaginem Caesaris. Et ait illis:  
Cuius est imago haec, & superscriptio? Ex hoc loco cõ-  
jicere possunt veritatem, qui dicunt Dominum  
Iesum Christum causa ignorantiae aliquando in-  
terrogasse Iudaeos, & non potius causa dispensa-

tionis. Interrogat enim, cuius sit imago numi, &  
super scripto eius, nõ quod ipse nesciat, quod om-  
nes scire poterant, qui videbant denariũ, sed ideo,  
ut ad sermonem eorum competenter respondere  
valeat. Dicunt ei, Caesaris. In hoc loco Caesar nõ Au-  
gustus Octavianus intelligendus est, sed Tyberius  
priuignus eius, qui successerat in imperio, sub quo  
& passus est Dominus. Sciendum verò est, omnes  
reges Romanorum Caesares esse appellatos, a pri-  
mo Caio Iulio Cesare. Qui ideo sic appellatus est,  
quod vel cõso vtero matris in lucem eruperit, vel  
quod cum caesarie capillorum fuerit natus, Tunc  
ait eis; Reddite ergo quae sunt Caesaris, Casari, & quae  
sunt Dei, Deo. Reddite Casari, quae eius sunt, id est,  
nummum, tributum, & pecuniam: & quae Dei sunt,  
Deo, id est, decimas, & primitias, & caetera dona-  
ria, quae legis decreto mandantur. Quod Domi-  
nus faciendum praecipit, ipse quoque opere ad-  
impleuit. Nam, cum venisset Capharnaũ, accesserunt,  
qui didrachma accipiebant, ad Petrum, & di-  
xerunt; Magister vester non soluit didrachma? At  
ille ait; Etiam. Et cum introisset Petrus domum,  
praue nit eum Iesus, dicens; Quid tibi videtur Si-  
mon? Reges terrae a quibus accipiunt tributum,  
vel censum? a filijs suis, an ab alienis? At ille ait;  
Ab alienis. Dixit illi Iesus; Ergo liberi sunt filij. Ac  
si diceret: Si filij regum liberi sunt a tributo, ego,  
qui sum filius regis aeterni, atque de stirpe regis  
terreni generatus, a tributo liber esse deberem. Ut  
autem non scandalizemus eos, vade ad mare, &  
mitte hamum: & eum piscem, qui primus ascen-  
derit, tolle, & aperto ore eius inuenies staterem:  
illum sumens, da eis pro me, & pro te. In quo lo-  
co dicit beatus Hieronymus ignorare se quid po-  
tissimum mirandum sit, vtrum praescientia salua-  
toris, an magnitudo eius virtutis. Praescientia qui-  
dem, quod nouerit piscem habere staterem in ore,  
& quod primum ipse capiendus esset. Magnitudo  
autem virtutis, si ad verbum illius statim stater in  
ore piscis creatus est. Deo etiam reddidit Domi-  
nus Iesus Christus, quae Dei sunt, quoniam in  
omnibus operibus suis voluntatem patris adim-  
pleuit, iuxta quod ipse loquitur; Non veni facere  
voluntatem meam, sed eius, qui misit me patris. Ioan. 6.  
Spiritualiter sicut Caesar exigit denarium a suis  
subiectis, in quo imago eius exprimitur: ita Deus  
requiret a nobis animã lumine vultus sui insigni-  
tam. Vnde Psalmista ait; Signatũ est super nos lu-  
men vultus tui, Domine. Quemadmodum enim  
denarius signatur regis imagine, ita anima nostra  
diuini luminis illustratur claritate. Homo nam-  
que ad imaginem, & similitudinem Dei conditus  
est, non in corpore, sed in spiritu, id est, anima.  
Quod Paulus apostolus manifestat, cũ dicit; Re-  
nouamini spiritu mentis vestrae, & induite nouũ  
hominem, qui secundum Deum creatus est, in iu-  
stitia, & sanctitate veritatis. Quibus verbis nõ in  
corpore, sed in spiritu ad imaginem, & similitudi-  
nem Dei homo creatus esse ostenditur. Creatus est  
ergo homo ad imaginem, & similitudinem Dei in  
spiritu, id est, in anima, ut, sicut est Deus sanctus,  
iustus, & verus, discernitque inter bonũ, & malũ:  
ita & ipse homo sanctus, iustus, & verus manes, di-  
scernat aequè boni, malive retineat. Ad similitu-  
dinẽ nihilominus Dei factus est, ut, sicut est Deus  
perpetuus, & immortalis, ita esset etiã homo (nisi  
peccasset) immortalis, atque aeternus. Taliter ergo,  
ut diximus, ad similitudinem, & imaginem Dei est  
Bibl. Hom. tom. 3. K k k homo

Zymologia  
nu vna.

Imo potius  
nu vna.

Math. 17.

Ioan. 6.

Psal. 4.

Eph. 4.

homo conditus, non in corpore, sed in anima, ea distinctione seruata, ut imago accipiatur in sanctitate, similitudo autem in eternitate: studeamus ergo renouari spiritu mentis nostrae, & induere nouum hominem, qui secundum Deum creatus est: ut mereamur ei reddere denarium suum, hoc est, vitam nostram sanctam, & immaculatam, aliter; Phariseos, & Herodianos, qui ad tetrandum Dominum sunt missi, diuersa constat fuisse voluntatis. Alij enim nil reddere Caesari, alij verò tantum Caesari omnia censuebant esse reddenda. Proinde duo isti ordines tentatorum, duo significat genera hereticorum, quorum alterum docet tantummodo corpori obsequendum, & Caesari, id est, ventri, qui & in libro beati Iob exactor vocatur, solummodo militandum. Alterum verò genus haeticorum suadet corporis curam penitus omittendam, & animam tantummodo profectibus inuigilandum, nonnunquam etiam ipsi corpori causa animae perniciem inferendam. Sed Dominus utriusque abnuet, regia via docet esse gradiendum: & corpori quidem subsidium non negandum, animae verò profectui pro utilitate & tempore insinuat insistenti, discretionem in omnibus conseruata, quatenus & corpus subicere valeat, & animus inedia corporis non tabescat. Item alio sensu. Caesarem intellige diabolum, qui semel in paradiso homini malae persuasionis numum contulit, & quotidie ab eo huius debiti reatum quaerit. Cui tunc non sicut ille expetit, sed sicut utilitas nostra poscit, censum reddimus, cum peruersa agere despiciamus, cum peccatum, quod ab eo suadente contraximus, digna poenitentiae satisfactione purgamus, cum vitia deserimus, eiusque cum suo authore abrenuiciamus, ut, tali tributo reddito, liberi, ac securi deinceps viuamus. Sed, postquam ita diabolo, quod ab illo accepimus reddimus, necesse est ut Deo omnipotenti, quod ab illo sumpsimus, intemeratum restituamus, animam videlicet nostram, & lumine vultus eius insignitam, & immaculatis actionibus adornatam. Moneta enim Dei sumus: à thesauro eius decidimus: errore detritum est, quod in nobis fuerat impressum. Quocirca solerter est studendum, ut ad imaginem Dei, quam peccando in nobis corrupimus, poenitendo, & dignè viuendo reparari satagamus: Ipso adiuuante, qui viuit, & regnat in secula seculorum, Amen.

## HAYMONIS EPISCOPI

*Halberst. superioris Euang.  
expositio.*

**A**beutes Pharisei consilium inierunt, &c. Eo tempore quo dominus secundum carnem natus est in Bethlehem Iudae, sicut Lucas Euang. testatur, exiit edictum, id est, mandatum à Caesare Augusto Octauiano ut describeretur, id est, subiecta Romanis facta est tributaria, id est, stipendiaria, ut tributum solueret Romanis sicut caeterae nationes. Stipendium dicitur substantia. Stipendium dicitur à stipe danda, quia Romani non numerabant censum quem exigebat ab vniuersis gentibus sed ponderabant. Caesari Augustus Octauianus à quo exiit edictum ut describeretur vniuersus orbis, sub censum constituit Herodem maiorem regem & principem Iudaeorum

qui Romano pararet imperio, & tributis praesert, & regnum gubernaret Iudaeorum. Iste Herodes alienigena fuit ex patre Idumaeo qui vocatus est Antipater, & matre Arabica, id est, Saracenicus. In hoc completa est Prophetia Iacob dicentis: Non deficiet princeps de Iuda, nec dux de femoribus eius, donec veniat qui mittendus est, id est, Christus, & ipse erit expectatio gentium. Iam enim defecerant reges & principes de tribu Iuda. Ipse Herodes interfecit Hircanum regem simul & pontificem, & in loco illius ab Octauiano Augusto princeps, & rex constitutus est, sub quo facta est Iudaea tributaria, sicut iam diximus. Dum ergo ille exigeret censum à populo Iudaeorum, orta est inter Iudaeos magna seditio. (Seditioem dico contentioem) Scribae, & Pharisei dicebant populo Israelitico: Vos populus Dei estis, Deo reddite primitias vestras, & decimas, sacrificia, & caetera, quae in lege iubentur, non debetis tributa reddere: indignum est, qui tanto Deo datis, ut humanis legibus subiaceatis. E contra dicebant Herodiani, id est, ministri Herodis regis maioris, vel minoris. Certè debetis censum dare Romanis, quia propter illos securam, & quietam vitam ducitis. Illi pugnant pro vobis contra hostes vestros, dignum est, ut illis stipendium praebatis, qui pro vobis militant. In tantum conualuit contentio inter illos (quia auarissimi erant) ut quadragesimo secundo anno post ascensionem domini ad caelos à Romanis interficerentur, & ciuitas illorum, id est Hierusalem euertetur, & templum igne cremaretur. Dum enim ita inter se contenderent, Iudaei scilicet, & Herodiani, sicut superius diximus. *Abeutes consilium inierunt, ut caperent Iesum in sermone.* id est deciperent. Quare, in sermone quia non poterant eum decipere in opere, aut in actione. Opera enim Dei miranda erant, & plena miraculis. Et ideo volebant eum decipere in sermone, ut, si ille diceret: Debetis tributa dare Romanis, continuo apprehenderent eum pharisei, & diceret: Iste est, qui populum Dei humanis cogit subiicere legibus, & ob hanc causam traderent eum morti. Si verò diceret: Non debetis Romanis censum dare, comprehenderent eum Herodiani & traderent morti quasi autorem seditionis. Sed quia ipse filius Dei, sapientia est Dei patris, sicut Salomon dicit: Non est sapientia, non est scientia, non est consilium contra dominum, ita facile pertransit insidias illorum vel versutias, veluti homo transit telas aranearum. *Et mittunt discipulos suos cum Herodianis, id est cum ministris Herodis, dicentes: Magister, scimus, quia verax es.* Verum dicebant, quia ipse veritas est. *Et viam Dei in veritate doces, id est, legem Dei per cuius obseruationem peruenitur ad Deum. Magistrum vocant, quem decipere volebant. Et non est tibi cura de aliquo.* In hoc loco non debemus dicere cura, sed cura. Quid sit, non est tibi cura de aliquo, in subsequentibus ostenditur cum dicitur: *Non enim respicis personam hominum, id est nullius personae adularis, nullius personae potentiam respicis, non times dicere propter regem, quod verum est. Blanda, & fraudulenta interrogatio, blanda in verbis, fraudulenta in sensu. Illic pronocat auditorem dominum Iesum Christum, ut magis timeat Deum quam Caesarem, & dicat non debere populum Dei Romanis tributa persolvere, ut audientes hoc ministri Herodis, comprehenderent eum quasi autorem*

antorem seditionis. *Dic ergo nobis, quid tibi videtur, de hac re, quam modò te interrogamus. Licet censum Caesari dare, an non? Cognita autem Iesus nequitia eorum, id est malitia eorum cordium. Nequitia, dicitur malitia interioris hominis. Quid me tentatis hypocritae, id est quid me decipere vultis? Non respondet dominus ad blandimenta verborum illorum, sed ad corda. Quia omnipotens Deus plus respicit ad corda quam ad verba. Hypocrita, dicitur deauratus. Hypocrita, dicitur simulator, ed quòd aliter loquitur ore, & aliud cogitat in corde. Aliud praetendit verbis, & aliud exhibet operibus. *Ostendite mihi numisma census, id est superscriptionem denarii. Numisma, dicitur nomen illius monetae, hoc est, superscriptio denarii. A nomine venit numisma, ut Isidorus dicit. Et obtulerunt ei denarium. Denarius genus est nummi, qui continebat decem nummos nostros, & à numero decem denariorum vocatus est denarius. Et ait illis: Cuius est haec imago, & superscriptio, id est figura. Dicunt ei, Caesaris. Nunquid non poterat dominus videre imaginem, & legere superscriptionem, & dicere: Haec imago & superscriptio Caesaris est? Vtique poterat. Sed ideo interrogauit, ut verbis suis comprehenderet eos, sicut & fecit. Carnaliter illi reddebant denarium Imperatori suo, qui pro decem nummis imputabatur. Et nos debemus reddere spiritualiter vero Imperatori nostro domino Iesu Christo denarium, id est obseruantiam decem praecceptorum legalium, ut faciamus ea, quae in lege nobis perhibentur. Haec sunt autem decem praeccepta: Audi, Israel, dominus Deus tuus, Deus vnus est: Non adulterabis, & caetera, quae sequuntur. Cum autem haec decem praeccepta custodimus, quasi denarium regi nostro reddimus. *Reddite ergo, quae sunt Caesari, Caesari, & quae sunt Deo, Deo.* Quod dominus nobis praecipit agendam, ipse primus in se exhibuit. Reddidit Deo, quae Dei erant, patris faciens voluntatem, reddidit quae Caesaris erant, Caesari, quando Petro ait: *Vade ad mare, & mitte hamum, & eum pisces, qui primus ascenderit, tolle, & aperto eius ore, inuenies staterem, illum sumens, da eis pro me, & te. Reddite quae sunt Caesari Caesari.* Omnes reges Romanorum causa dignitatis Caesares appellati sunt à primo Caio Iulio Caesare, qui Romanis apponit regnum per virtutem suam. Ob duplicem causam ita vocatus est, vel quia caesaries capitis creuit ei in vtero matris suae. Vel quia tempore natiuitatis suae caesus est venter matris suae. *Reddite, quae sunt Caesari, Caesari, id est tributum, censum, denarium, honorem, timorem, &c. quae principes huius seculi exigunt. Et reddite quae sunt Deo, Deo, id est primitias, oblationes, & victimas, holocausta, & sacrificia, si dem, ac dilectionem, & caetera, quae in lege iubentur. Ac si diceret dominus secundum moralem sensum. Sicut Caesari exigit à vobis impressionem imaginis suae, id est denarium: Ita & Deus omnipotens exigit à vobis impressionem imaginis suae, id est animam, ut quemadmodum reddatur Caesari nummus, ita & Deo reddatur anima lumine vultus eius illustrata. De quo lumine dicimus: Signatum est super nos lumen vultus tui, domine. Homo ad imaginem, & similitudinem Dei factus est, in anima dico, quia Deus incorporeus est. Ad imaginem suam fecit Deus hominem, quia sicut ipse sanctus, & verus, & iustus est, ita hominem sanctum, & iustum, & verum***

condidit. Ad similitudinem fecit eum, quia sicut ipse est aeternus, ita hominem aeternum condidit, ut aeternaliter viueret in gloria sempiterna cum illo in anima & corpore nisi peccasset. Et hanc imaginem & similitudinem Dei perdidimus in primo homine Adam, illo peccante: sed quotidie restauratur in nobis per gratiam baptismi, quando renascimur ex aqua, & spiritu sancto. Baptizamus itaque & recipimus imaginem Dei, id est sanctitatem, quia sanctificamur in ipso baptismo & mundamur ab omni peccato, ita ut si eadem hora moriatur, ille qui baptizatur, absque vlla dilatione transeat ad patriam caelestem, ubi habebit gloriam in anima sola usque ad diem iudicii. Post diem iudicii recipiet corpus incorruptibile & postmodum semper habebit gloriam in anima, & corpore. Recipimus etiam in baptismo similitudinem Dei, id est aeternitatem: ut nisi peccauerimus, aeternaliter cum illo in aeterna beatitudine viuemus. Ad quam ipse filius Dei, dominus noster Iesus Christus nos introducere dignetur, qui viuit cum patre, & glorificatur Deus in unitate spiritus sancti per aeterna secula seculorum, Amen.

## INCERTI AVTHORIS

*Sub nomine Eusebii Episcopi Emisensis  
superioris Euang. expositio.*

**S**ulti Pharisei, qui se in sermone verbum Dei scapere putabant, & suis consiliis sapientiam fallere arbitrabantur. *Et mittunt ei discipulos suos.* Cum quibus? *Cum Herodianis, id est, cum Herodis ministris, qui tributa colligebant.* Haec est igitur ecclesia malignantium, hoc est consilium vanitatis. Mali magistri, mali discipuli malis ministris sociantur: cum fraude veniunt, cum calliditate loquuntur. Sed quid dicunt? *Magister, scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non est tibi cura de aliquo: non enim respicis personam hominum.* Valde bene loquuntur Pharisei, sed aliud ore, & aliud corde loquuntur: è venenoso fonte dulcia verba prorumpunt. Huic enim tantae simulationi psalmista respondens ait: Si verè vti que iustitiam loquimini, recte iudicate, filij hominum. *Quem magistrum vocatis, & veracem dicitis, sicut magistrum & veracem diligite, colite, & sequimini. Dic igitur nobis, quid tibi videtur? licet censum dari Caesari, an non?* Putauerunt enim isti Christum dominum nostrum, quem pietatis & iustitiae amicum esse cognouerant, respondere ut potius templo & Deo offerrent, quam Caesari, homini scilicet, cui tributa darent. Qua occasione Herodiani commoti eum raperent, & ad iudicem traherent, & quasi reum accusarent. Sed si censum dare non liceret, & si tributa soluere esset peccatum, ipse vti que tributum pro se non dari praecipisset. Sic enim superius ait: *Quid tibi videtur, Simon? reges terrae à quibus accipiunt tributum vel censum? à filiis suis, an ab alienis? Et ille dixit, ab alienis. Respondit Iesus, Ergo liberi sunt filij. Ut autem non scandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum, & eum pisces, qui primus ascenderit, tolle, & aperto ore, inuenies staterem, illum sumens da eis pro me, & te. Qui igitur ne scandalum ferret, quamuis non deberet, tributa persoluit, non erat conueniens ut ad lites, & scandala concitanda censum dare alios prohiberet. *Cognita autem Iesus nequitia eorum**

*Est ante iudicij diem sancti fructus beatitudinis.*

eorum ait, *Quid me tentatis, hypocrite?* Stultum est enim ei per hypocrisin, & simulatorie loqui, quæ occulta non fallunt, qui corda videt, & cogitationes considerat. *Ostendite mihi numisma census.* At illi obviaverunt ei denarium. In denario autem scripta erant Cæsaris nomen & imago. *Et ait illis Iesus, Cuius est imago hæc, & super scripto?* Dicunt ei, Cæsaris. Vide quomodo ipsa sua responsione eos ligat. Vide quomodo Dei sapientia comprehendat huiusmodi sapientes in astutia eorum. Ipsi enim testes sunt, Cæsaris hoc esse quod ostendunt; quod si Cæsaris est, quare Cæsari non reddatur? *Imò quare Cæsari tollat, quod Cæsaris esse fatentur?* Tunc ait illis, *Reddite ergo, quæ sunt Cæsaris, Cæsari.* Nolite Cæsari iniuriâ facere, nolite ei sua auferre, ne si ei sua auferre velitis, ipse qui vobis potentior est, & sua, & vestra auferat vobis. Quæ bene huic loco conuenit quod quidam ait, *Atma tenenti omnia dat, qui iusta negat.* Et quæ sunt Dei, reddite Deo. Nihil enim est quod Dei non sit. Illud tamen specialiter eius esse dicitur, quod magis ab eo diligitur. Diligit enim omnem suam creaturam: (secundum illud, *Misereris omnium, domine, & nihil odisti eorum quæ fecisti*) sed illa præcipue diligit, propter quæ fecit cæteras creaturas. Sua igitur imago reddatur Cæsari, & sua imago reddatur Deo. Ad imaginem namque Dei factus est homo. Sic enim ipse dominus ait, *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Magnus honor, magna nobilitas, ad Dei imaginem, & similitudinem esse hominem factum. Hanc autem imaginem in primo homine amissimus, in secundo recuperauimus. Primus enim homo (ait apostolus) de terra terrenus, secundus de cælo celestis: sicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem celestis. Reddamus Deo imaginem suam, reddamus Deo animas nostras. Nil carius habemus. Hoc igitur tributum soluere debemus. Audiamus Salomonem, audiamus sapientiam ipsam dicentem, *Memento creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis tuæ, & dies de quibus dicas, Non mihi placent. Et paulò post: Antequam rumpatur funis argenteus, & recurat vitta aurea, antequam confringatur hydria super fontem, & conteratur rota super cisternam, & puluis reuertatur in terram suam, vnde erat, & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum. Memento (inquit) creatoris tui, ad cuius imaginem, & similitudinem factus es, ipsum imitare ne eius similitudinem amittas. Quem enim imitatur homo, eius imaginem & similitudinem habet. Antè quàm veniat tempus afflictionis tuæ: per quod videlicet mortis horam intelligimus. Et dies de quibus dicas, non mihi placent. Hos autem dies habent impij, & æternæ morti condemnati: quia postquam de hac vita exeunt, nihil vident, nihil audiunt, nihilque sentiunt quod eis placeat. Hoc autem faciat homo in diebus iuuentutis suæ, id est, in diebus lætitiæ & prosperitatis: de quibus apostolus ait, *Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes.* Sequitur: *Antequam funis argenteus rumpatur, & recurat vitta aurea.* Hoc enim interest inter corpus, & animam, quod est inter argentum & aurum: vt per argentum corpus, per aurum verò animam ipsam claram & sapietem intelligamus. Hæc autem vitta aurea tunc recurrit, quædo anima vinculis corporeis absoluta, cælestia perit. In-*

de enim & funis vocatur corpus, quia quibusdam naturæ legibus animam sibi ligat & stringit. Hic autem funis tunc rumpitur, quando anima à corpore separatur. Antequam confringatur hydria super fontem, & conteratur rota super cisternam. Hydria vocatur homo, quia de terra factus est. Frangitur autem hydria super fontem, quando homo nimia infirmitate grauatur, iamque morti proximus nec ipsam aquam suscipere valet, quædo alienis manibus vix de lecto erigitur, vt diu concupitam aquam suscipiat, quam ori appositam, spiritu attenuato & iam gutture intercluso glutire non valet. Et tunc quidem conteritur rota super cisternam, quia (sicut scriptum est) in illa die peribunt omnes cogitationes eorum. Rota enim cogitationum nostrarum, quæ super cisternam cordis nostri (de corde enim exeunt cogitationes) semper voluitur & reuoluitur, tunc primò conuiescit: quia iam vltieris neque facultas est, neque voluntas, vt vana & inutilia cogitare debeat. Nouit enim dominus cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt. Puluis enim tunc reuertitur in terram suam vnde erat, quia (sicut primo homini dominus ait) puluis es, & in puluerem reuertaris. Spiritus autem ad Deum redit, qui dedit ipsum, vt eius iudicio atque sententia vel ad penam trahatur, si Dei imaginem & similitudinem non habet; vel ducatur ad gloriam, si Dei imaginem & similitudinem custodiuit. Sequitur: *Et audientes mirati sunt, & relicto eo abiierunt.* Mirantur pharisæi se tam facile esse conclusos: & qui ad hoc venerant vt Christum caperent in suo sermone, seipso in suis sermonibus captos esse cognoscunt.

THEOPHYLACTI EPISCOPI *Bulg. superioris Euang. expositio.*

**T**unc abeuntes Pharisæi consilium ceperunt, &c. Per insidias hæc fiebant: propterea & Lucas insidiatores illos vocat, tanquàm missos in hoc, vt insidiarentur Christo. Herodiani autem erant vel Herodis milites, vel qui putabant Herodè Christum. Veniunt igitur Pharisæi cum illis illaqueaturi eum. Audi enim quomodo loquantur illi. *Dicentes, Magister, scimus, quod verax sis, &c.* Arbitrati se demulsuros illum laudibus, adulantur, vt lætatus dicat non deberi Cæsari tributum, & inde comprehendant eum tanquam seditiosum, & commouentem populum contra Cæsarem: idcirco Herodiani secum adducunt, qui regij erant, vt comprehenderent illum quasi rerum nouatorum. *Non respicias personam cuiusquam,* inquit. Nihil dicis in gratiam Herodis, & Pilati. Dic igitur nobis, Debemus & hominibus tributarij esse & dare eis census, sicut & Deo didrachma? an soli Deo tribuemus? nunquid autem & Cæsari? Hoc autem dicebant (sicut dixi) vt dicat, quod non oporteat tributum & Cæsari pendere, comprehendantque eum, & occidant: sicut Theudan, & Iudam, qui dicebant non sacrificandum pro nomine Cæsaris. Iesus autem per hoc quod figuratum erat numisma imagine Cæsaris, persuaderet illis deberi Cæsari, quæ eius sunt, hoc est, quæ habent eius imaginem. Et in corporalibus & in externis obediendum est regi: in internis autem, & spi-

Luc. 10.  
Ioh. 7.  
Ioh. 9.


& spiritualibus soli Deo. Licet autem & sic intelligere, quod oporteat vnumquemque nostrum ea, quæ sunt Cæsaris, hoc est, dæmonis, infernoꝝ principis, illi ipsi reddere, & obicere: vt exempli gratia, si habes iram à Cæsare, te ideo eam in illum, irascere contra ipsum, sic poteris & ea quæ sunt Dei, Deo reddere. Item quia duplices sumus nos, & ex anima, corporeque constituimur, corpori cibos, & amicum vt Cæsari debemus: diuini autem nostræ parti, quæ & illi congruunt.

EVTHYMII ZIGABONI *superioris Euang. expositio.*

**T**unc abeuntes Pharisæi consilium ceperunt, vt illaquearent eum in sermone. O profundam cecitatem! Nihil eorum, quæ dicta sunt, tetigit animum illorum: sed inuidia ebrij ad insidias conuertuntur: & quia propter turbam apprehendere eum non poterant, vt dictum est: simul deliberant, vt eum interrogatione illaquearent. *Et mittunt ad eum discipulos suos cum Herodianis.* Hic dicit Chryostomus per Herodianos intelligi milites Herodis, qui tunc eò accesserant, & simul à Pharisæis emissi sunt tanquam testes, si quid fortassis contra Cæsarem responderet. Erat enim Herodes amicus Cæsaris. Lucas verò de emissis eorum discipulis manifestius scripsit: insidiatores illos appellans, & quod iustitiam simulabant, propter quam videlicet eum interrogabant, & quod miserunt vt captarent sermonem eius: & traderent eum principatui & potestati præsidis. Sperabant enim, quod contra Cæsarem responsum esset. *Dicentes; Magister, scimus, quod verax sis.* Vide impudentem adulationem, qua vsi sunt, inflare eum cupientes, ac emollire, vt omnino responderet. Verum, si verax est, quomodo alibi dicitis, quod seducit mundum? *Et viam Dei in veritate doceas.* Et quomodo rursus dicitis, quod non est à Deo? *Viam autem Dei dicunt virtutem, per quam progreditur quispiam ad Deum.* Et non curas quæquam, &c. Et hoc dicunt, incitantes eum ne Cæsarem vereretur: aut eius timore omitteret ad interrogata respondere. Vera certè erant, quæcun-


que de eo testificati fuerant: ea tamen inuiti falsi fuerant ad insidiarum apparationem. *Dic ergo nobis, quid tibi videtur?* De hoc videlicet quod te interrogaturi sumus. *Licet census dari Cæsari, an non? nisi &c.* Latina dictio est, idem significans, quod tributum, aut vectigal. *Licet autem, hoc est fieri potest, aut iustum est.* Olim siquidem Iudæi, dum leges suas obseruarent, omni siquæbantur libertate: postmodum vero, quum eas prætergrederentur, serui erant Romanis, quorum princeps erat Cæsar, & illis tributa pendebant. Interrogant autem maligne, ac dolose: vt, licere dixerit, commoueat aduersus eum etiam turbas: vt pote sua dentem seruire Cæsari, & subiectem homini populum Dei. Si verò non licere responderit: tradant eum præsidi, tanquam defectionem à Cæsare, bellumque consulentem. *Quid ergo is, qui fons est scientiæ? Cognita autem Iesus malitia eorum, dixit.* Marcus simulationem dixit. Lucas autem veritatem. *Quid me tentatis hypocrite?* Simulantes quidem interrogare, vt quod iustum est cognoscatis: foueam autem fodientes per interrogationem, in quam me præcipiteris. *Quum ergo ostendisset, quod sibi cogniti essent: responder tamen & ad interrogationem: & vide quomodo.* *Ostendite mihi numisma census.* Apud Marcum ait: *Afferre mihi denarium, vt videam: & similiter apud Lucam.* Numisma enim dicebatur etiam denarius. Quæ sunt autem videre numisma, vt responsum mirabiliter ab eo fabricaret. *At illi obviaverunt ei denarium, &c.* Non ignorans interrogauit: sed vt ex illorum responsione suam fabricaret sententiam. *Tunc ait illis; Reddite ergo, &c.* Quia Cæsaris est, reddite itaque Cæsari, quæ sua sunt. Ideo enim non dixit: *Dare, sed, Reddite,* tanquam ea, quæ eius sunt. Ne autem dicant; Homini nos subiectis, & non Deo, addidit: *Et quæ sunt Dei, Deo.* Licet enim & hominibus dare, quæ conueniant, & Deo quæ debentur: illis quidem tributa, & si quid est simile: huic autem pietatem, & obseruantiam mandatorum. Potest autem dici Cæsar diabolus, qui mundi princeps est, cui reddenda sunt, quæ sua sunt: puta omnis malitia, omnisque carnalis affectus.

Marc. 12.



DOMINICA XXIII. POST PENTECOSTEN.

M A T T H. 9.



**N** illo tempore: loquente Iesu ad turbas. Ecce princeps vnus accessit, & adorabat eum, dicens: Domine, filia mea modo defuncta est: sed <sup>a</sup> veni, impone <sup>b</sup> manum tuam super eam, & viuet. <sup>c</sup> Ad deuotionem patrum respiciens, Iudæis prius verbum vite per se & per apostolos prædicauit. *Et curgens Iesus sequebatur eum, & discipuli eius.* Et ecce *Bibl. Hom. tom. 3. Kkk 3 mulier,*

Act. 5.



<sup>d</sup> Ecclesia gentium. <sup>e</sup> Carnalium delectationum. <sup>f</sup> Superabundans vitiiis. <sup>g</sup> Fide. <sup>h</sup> Post ascensionem, quia eum sequitur.

<sup>d</sup> mulier, quæ sanguinis fluxū patiebatur duodecim annis, & accessit retro, <sup>i</sup> Manu fidei. <sup>k</sup> Corde credebat ad iustitiam. <sup>l</sup> Si susceperō fidem in carnationis eius.

& tetigit fimbriā vestimenti eius. <sup>k</sup> Dicebat enim intra se. <sup>l</sup> Si tetigero tantum

<sup>m</sup> vestimentū eius, <sup>m</sup> salua ero. At Iesus cōuersus, & videns eam dixit: <sup>p</sup> Con-

<sup>q</sup> Ideo filia quia fideris. <sup>r</sup> Iam in eo quod credidisti. <sup>s</sup> Ex illa hora dominici aduentus cepit habere salutem. <sup>t</sup> Assump-

<sup>u</sup> fide filia. Fides tua te saluam fecit. Et salua facta est mulier ex illa hora. <sup>t</sup> Et cum venisset Iesus in domum principis, & vidisset tibicines & turbam tumultuantē, dicebat: <sup>v</sup> Recedite, non est enim mortua puella, sed dormit: & deridebant eum. <sup>w</sup> Et cum eiecta esset turba, intrauit, & tenuit manum eius, & dixit: Puella, surge. Et surrexit puella, & exiit fama hæc in vniuersam terram illam.

GLOSSA ORDINARIA  
in superius Euang.

**M**ARCUS PRINCEPS VNUS ACCESSIT. Marcus & Lucas dicunt archisynagogum nomine Iairum, & filiam non mortuam, sed morti proximam. Sed Matthæus causa breuitatis dicit rogasse, quod cōstat factum esse: nec attendit verba patris, sed quod cogitauit & voluit. Ita enim desperabat, vt potius vellet reuiuiscere, quam non putabat viam inueniri posse. Vtrumque enim petiit, vt vel morientem saluaret, vel mortuam suscitaret. *Ecce princeps.* Archisynagogus, Moysen significat. Dicitur Iairus, id est, illuminans vel illuminatus: quia accepit verba vitæ dare nobis. Videns dominum in carne venturum, cadit ad pedes eius dicens: Quod infirmum est Dei, fortius est hominibus. Pro filia rogat, id est, pro synagoga, quæ sola lege instructa vnica ei erat: quæ lege & prophetis educata, postquam filios Deo generare debuit spirituales, erroribus languens, in peccatis moritur. Prius pro ea patres rogauerunt, tamen magna fides gentium prius impetrauit. Synagoga in ciuitate legis, vt in domo in qua vnus Dei cultus est, moritur & suscitatur. Hæc non in domo, non in verbe, à qua per legem excludebatur, sed in itinere pergente domino sanatur. Vnde & apostoli: Vobis oportebat primum prædicari verbum Dei: sed quoniam re illud, & in. &c. con. ad gentes. Secundum Marcum, & Lucam, mulier omnem substantiam in medicos erogauit, nec curati potuit: quia quanto magis gentilitas vires naturalis indutrix ad philosophos expendit, qui rectè viuendi præcepta hominibus se dare promittebāt, tantò minus poterat à sordibus liberari: sed vbi cælestem medicum cognouit adesse, cepit remedium sperare & quaerere. *Mulier quæ.* Salutem Iudæis pararam, spe certā præcipuit gentilitas. *Duodecim annis.* Duodecim annis fluxit, sicut & illa filia creauerat duodenis: quia ex quo synagoga cepit Deo famulari, cepit gentilitas idololatria, & peccato pollui. *Accessit.* Credidit, dixit, quia his tribus fide, verbo & opere omnis salus acquiritur. *Si tetigero tantum fimbriam,* non vestem. Quia non vi-

dit in carne dominum, sed suscepit per apostolos incarnationis verbum. Beatus qui vel extremam partem verbi fide tangit. *Confide filia.* Credidit vique quæ petiit, sed inculcat robur & perseuerantiam fide. *Vidisset ti.* Tibicines sunt carne lugubre canentes. Hi sunt magistri mœrore suo subditos demulcentes, & turbam Iudæorum aduerus doctrinam Christi calcitrantium. *Et tur. tu.* Quia synagoga lætitiā dominicæ inhabitationis pro infidelitate amittit, quasi dicat inter flētes & euilātes mortua iacet. Solum iudicium patebat, cum expulit gentes dicens: Non sum misus, nisi ad ones quæ perierunt. Non quod sine misericordia esset Deus, vel eius iudicium, sed post paruit in susceptione. *Non est enim mor.* Vobis mortua est: Deo autem qui suscitare potest dormit, tam in anima quam in corpore. *Et cum eiecta esset.* id est cum reprobati essent irrisores, intrauit in electorum mentes. Mora. Turba curarum eicienda est, vt anima resurgat. Secundum Lucam eiecta turba nullus adhibetur, nisi Petrus, Iacobus & Ioannes, & pater & mater puellæ: quia blasphemis & irrisoribus non sunt reuelanda mytheria: sed fidelibus qui honorent. Vnde alibi: Iustificata est sapientia à filiis suis. *Et tenuit ma. eius.* Nisi prius mandata sint à morte, non resurgunt. Tenuit manum leprosam Moysi, per quod carnalia opera spiritaliter intelligi fecit. Moraliter. Puella signat peccati delectationem adhuc corde rectam, nondum opere perpetratam: cuius faciem correptionem dominus ostendit dicendo puellæ. Surge. Nam in aliis duobus quos suscitauit, aliquam videtur fecisse morā. Vel in dicēdo vel in expectādo, vt, Iuuenis, tibi dico surge. Pro Lazaro fremitu spiritu, turbauit se, fleuit, clamauit. Pro quo sunt deuotæ sorores, id est, sollicitæ cogitationes. Puella iam in domo paucis arbitris surgit: & eis vt nemini manifeste præcipitur. Iuuenis extra portam multa turba comitante. Lazarus quoque coram multis, quia publica noxa publico eget remedio, leuis leuiori, & secreta potest deleri poenitentia.

CATE

DOMINICA XXIII. POST PENTECOSTEN.  
CATENA AVREA  
in idem Euang.

**H**ÆC illo loquente ad eos, ecce princeps vnus accessit, & adorabat eum, dicens: Domine, &c. Chrysof. in hom. Post sermones opus adiunxit, in quo amplius Pharisæi obstruerentur, eo quod qui aduenit ad miraculum petēdum archisynagogus erat, & luctus magnus, quia puella vnigenita erat, & duodecim annorum, quādo incipit esse flos ætatis, & ideo dicitur: *Hæc illo loquente ad eos, ecce princeps vnus accessit.* August. de concor. euang. Dicunt autem hoc & Marcus & Lucas: sed ab isto ordine iam recedunt, eo enim loco hoc inserunt vbi post expulsa demonia & in porcos missa transfretando redit à regione Gerazenoꝝ. Et per hoc quod Marcus dicit, intelligendum est hoc factum esse, postquā venit rursus Iesus trās fretum: sed quantum post non apparet: nisi autem fuisset aliquid interuallum, non esset quando fieret, quod narrat Matthæus in conuiuio domus suæ, post hoc factum continuò sequitur de archisynagogi filia. Si enim loquente eo de panno nouo, & vino nouo accessit princeps, nihil aliud factorum ditorumque eius interpositum est: in narratione autem Marci patet locus vbi alia interponi potuerunt. Similiter autem Lucas non renititur Matthæo: quod enim adiunxit: Et ecce vir cui nomen erat Iairus, non continuò accipiēdum est factum: sed post illud de conuiuio publicanorum, vt narrat Matthæus, dicens: *Hæc illo loquente ad eos, ecce princeps vnus,* scilicet Iairus archisynagogus accessit & adorabat eum, dicens: Domine, filia mea modò defuncta est. Considerandum est autem ne repugnare videatur, quod alij duo euangelistæ morti iam proximam, non tamen mortuam esse dicant: vsq; adeo, vt dicant venisse postea qui mortuam nunciarent: & ob hoc non debere vexari magistrum, intelligendū est enim breuitatis causa Matthæum hoc potius dicere voluisse, rogatum dominum esse vt faceret, quod ipsum fecisse manifestum est: vt, scilicet mortua suscitaret. Attendit enim non verba patris de filia sua, sed quod potissimum est, voluntatem. Ita enim desperauerat vt potius eam veller reuiuiscere: non credens viam posse inueniri, quam mortientem reliquerat. Duo itaque posuerunt quod dixerit Iairus, Matthæus autem quid voluerit atque cogitauerit. Sanè si quicumque illorum duorum patrem ipsum commemorasset dixisse, vt non vexaretur Iesus, quod puella mortua fuisset, repugnarent eius cogitationi verba quæ posuit Matthæus: nunc verò non legitur quod suis nunciatis ille consenserit. Hinc autem rem pernecessariam dicimus, nihil in cuiusque verbis debere inspicere nisi voluntatem, cui debent verba seruire: nec mentiri quemquam, si aliis verbis dixerit quod ille voluerit, cuius verba non dicit. Chrysof. in hom. Vel hoc quod princeps dixit de morte puellæ, est augere calamitatem. Etenim consuetudo est rogantibus, extollere sermone propria mala, & amplius aliquo quod est dicere, vt magis attrahant eos quibus supplicant. vnde subiungit: Sed veni impo. ma. su. eam, & viuet. Vide autem eius grossitiam. Duo enim expetit à Christo, & accedere ipsum, & manum imponere. Hoc etiam Syrus ille Naamam & à Propheta expetebat. Etenim & visu

indigent, & sensibilibus rebus, qui grossius dispositi erant. Remi. Miranda est autem pariter atque imitanda domini humilitas & mansuetudo: nam mox vt rogatus est, rogantem cepit sequi. vnde subdit: *Et surgens Iesus sequebatur eum.* Hic subditos & prælatos pariter instruxit: subditis exemplum obedientiæ reliquit, prælati verò instantiam & sollicitudinem docendi demonstrauit: vt quotiescumq; audierint aliquem mortuum in anima, statim adesse studeant. Et cum eo ibant discipuli eius. Chrysof. in hom. & Marcus quidem & Lucas dicunt, quoniam tres accepit discipulos, scilicet Petrum, Iacobū, & Ioannem: Matthæum autem non assumpsit, ampliorem ei concupiscentiam immittens, & quia imperfectus adhuc dispositus erat, propter hoc enim illos honorat, vt alij similes illis efficiantur. Sufficiebat enim interim Marthæo videre ea quæ facta sunt circa sanguinis fluxum patientem, de qua subditur: *Et ecce mul. quæ san. su. patie.* 1. 2. an. ac. re. & teti. fimb. vestimen. eius. Hier. Hæc autem mulier sanguine fluens, non in domo, non in vrbe accedit ad dominum, quia iuxta legem viribus excludebatur, sed in itinere ambulante domino: vt dū pexit ad aliam, alia curaretur. Chrysof. Ideo autem non libera propalatione ad Christum venit, quia verecundabatur propter passionem, immundam se existimans. Etenim apud legem multa immunditia æstimabatur esse hæc passio, propter hoc latet, & occultatur. Re. In quo laudanda est huius humilitas, quia non ad faciem accessit, sed retro, & indignam se iudicauit pedes domini tangere: & non plenitudinem vestimenti tetigit, sed tantummodo fimbriam. Habuit enim dominus fimbriam iuxta legis præceptum. Pharisæi etiam fimbrias habebant, quas magnificabant, in quibus etiam spinas appendebant: sed fimbriæ domini non habebant vulnerare, sed potius sanare. Et ideo sequitur: *Dicebat enim intra se, quia si tetigero tantum vestimentum eius, salua ero.* In quo fides eius admiranda est: quia desperans de salute medicorum in quos sua erogauerat, vt Marcus dicit: intellexit cælestem adesse medicum, & in eo totam suam intentionem collocauit, & ideo saluari promeruit. vnde sequitur: *At Iesus conuersus & videns eam, dixit: Confide filia: fides tua te saluam fecit.* Raba. Quid est quod eam considerare iussit, quæ si fidem non haberet, salutem ab eo non quaereret: sed robur & perseuerantiam fidei ab ea expostulauit, vt ad certam & veram perueniat salutem. Chrysof. in homil. Vel quia formidolosa erat hæc mulier propter hoc ait: *Confide.* Et filiam eam vocat, quia fides eam filiam fecerat. Hieronym. Non autem dixit: *Quia fides tua te saluam factura est, sed saluam fecit,* in eo enim quod credidisti, iam salua facta es. Chrysof. in hom. Nondum tamen perfectam de Christo opinionem habebat, quia nequaquam æstimasset eum latere: sed Christus non dimisit eam latere, non quasi gloriam concupiscens, sed multorum causa. Primum enim soluit timorem mulieris, ne à conscientia pungatur, quasi donum furatura. Secundò eam emendat de hoc, quod æstimauit se latere. Tertio omnibus fidem eius ostendit, vt eam æmulentur. Quatò dedit in hoc signum quod monstrauit se nosse omnia: non minus eo quod fontem sanguinis siccauit, de quo sequitur: *Et salua est mulier ex illa hora.* Glo. Intelligendum est ex illa hora, ex qua tetigit fimbriam: Kkk 4 non

non ex illa hora, ex qua Iesus cōuersus est ad eam: iam enim salua facta erat, vt alij euangelistæ manifestè ostendunt, & ex verbis domini perpendi potest. Hilar. In quo magna virtutis dominicæ admiratio est: cum potestas intra corpus manens rebus caducis efficaciam adderet sanitatis, & vsq; in vestium simbrias operatio diuina procederet: non enim comprehensibilis erat Deus vt corpore clauderetur. Assumptio nanque corporis non naturam virtutis inclusit, sed ad redemptionem nostram fragilitatem corporis virtus assumpsit. Mysticè autem princeps hic, lex esse intelligitur: quæ dominum orat vt plebi quam ipsa Christo, eius aduentus expectatione prædicata nutrierat, vitam mortuæ reddat. Rab. Vel archisynagogus signat Moysen: & dicitur Iairus, id est, illuminans siue illuminatus, quia accepit verba vitæ dare nobis: & per hoc cunctos illuminat ipse, à spiritu sancto illuminatus. Filia igitur archisynagogi, id est, ipsa synagoga velut duodecimo ætatis anno, id est, tempore pubertatis: postquam spiritualem sobolem Deo generare debebat, errorum languore consternata est. Ad hanc ergo principis filiam dum properat Dei verbum vt saluos faceret filios Israel, sancta ecclesia ex gentibus congregata, quæ interiorum lapsu criminū deperibar, parata alijs fide percepit sanitatem. Notandum autem quod dum archisynagogi filia sit duodenis, & mulier hæc ab annis 12. sanguine fluxit: eo tempore quo hæc nata est, illa cœpit infirmari: vna enim penè seculi ætate, & synagoga ex patriarchis cœpit nasci, & gentium exterarum natio idololatriæ sanie fœdari. Nam fluxus sanguinis bifariam potest intelligi: hoc est super idololatriæ pollutione, & super his quæ carnis & sanguinis delectatione geuntur: & sic quamdiu synagoga vigit, laborauit ecclesia: sed illorum delicto, salus gentibus facta est. Accedit autem & tangit dominum ecclesia, cum ei per fidem appropinquant. Glo. Credidit, dixit, tetigit: quia his tribus, fide, verbo, & opere omnis salus acquiritur. Raba. Accedit autem retro siue iuxta, hoc est quod ipse ait: Si quis mihi ministrat, me sequatur: siue quia præsentem dominum in carne non videns peractis iam sacramētis incarnationis illius ad agnitionis eius gratiam peruenit, vnde & simbriam vestimenti tangit: quia cum Christum in carne gentilis populus non vidisset, verba incarnationis recepit. Vestimentum enim Christi dicitur mysterium incarnationis eius, quo diuinitas induta est: simbriæ vestimētī, verba de incarnatione eius dependētia. Non autem vestem, sed simbriam tangit: quia non vidit in carne dominum, sed suscepit per Apostolos incarnationis verbum. Beatus qui vel extremam partem verbi fide tangit. Non autem in vrbē, sed in itinere pergente domino sanatur. Vnde Apostoli: quia indignos vos iudicatis vita æterna, ecce conuertimur ad gentes, gentilitas autem ex hora dominici aduentus cœpit habere salutem. *Et cum venisset Iesus in domum principis, &c.* Gloss. Post mulieris hæmorrhoiis curacionem, sequitur de mortuæ suscitacione, cum dicitur: *Et cum venisset Iesus in domum principis, &c.* Chryf. in hom. Considerandum est autem quod propter hoc tardius vadit, & plura loquitur mulieri curatæ, vt permittat mori puellam, & sic manifesta fiat resurrectionis demonstratio: & similiter in Lazaro vsque ad tertium diem mansit. Sequitur: *Et cum*

*vidisset tibicines & turbam tumultuantem*, quod est mortis demonstratio. Ambros. super Luc. More enim veteri, tibicines ad excitandos luctus in mortuis solebant adhiberi. Chryf. Sed Christus tibiis vniuersas proiecit: patentes autē puellæ introduxit, ne posset dici quod aliter curauit: sed & ante resurrectionem puellæ sermone spem erigit. Vnde sequitur: *Dicebat, recedite, non enim mortua puella, sed dormit.* Rab. quasi dicat. Vobis mortua est; Deo autem qui suscitare potest, dormit, tam in anima, quàm in corpore. Chryf. Per hoc autem tumultum mentis remouet corū qui aderant, & ostendit quoniam facile est ei mortuos suscitare: quod vtique in Lazaro fecit, dicens: Lazarus amicus noster dormit. Et simul docuit non formidare mortem: quia enim & ipse erat morturus, in aliorum corporibus instruxit discipulos confidere, & viriliter ferre mortem: Etenim eo accedente iam mors somnus erat. Hoc autem domino dicente deridebatur. Vnde sequitur: *Et deridebant eum.* Chryf. in hom. Non autem increpauit derisionem, vt & ipsa derisio, & tibiæ, & alia vniuersa, demonstratio fiant mortis: quia enim multoties postquam facta sunt miracula, non credunt homines; antea eos conuincit proprijs responsionibus: quod & in Lazaro fecit, cū dixit. Vbi posuisti eum? vt qui dixerunt, veni & vide, & quoniam fœter, quatriduanus enim est, non amplius possint non credere, quoniam mortuum suscitauit. Hieronym. Non autem erant digni vt viderent mysterium resurgentis qui resuscitantem indignis contumeliis irridebant, & ideo sequitur: *Et cum eiecit esset turba, intrauit & tenuit manum eius, & surrexit puella.* Chryf. Non quidem aliam superinducens animam, eam suscitauit, sed eam quæ exierat reinducens, & velut ex somno erigens, vt antea viam faciat per visum fidei resurrectionis: & non solum puellam resuscitat, sed & cibum ei iubet dari, vt alij euangelistæ dicunt, vt non videatur phantasma esse quod factum est. Sequitur: *Et exiit fama hæc in vni. ter. illam.* Gloss. Quod ad magnitudinem & nouitatem miraculi pertinet, & ad manifestam veritatem ipsius ne confictum putetur. Hilar. Mysticè autem dominus domum principis, scilicet synagogam ingreditur, cui in canticis legis hymnus luctuum personabat. Hier. Vsque enim hodie iacet in domo principis mortua, & qui videntur magistri, tibicines sunt, cæcæ enim lugubre canentes. Turba quoque Iudæorum non est turba credentium, sed tumultuantium: sed cum intrauerit plenitudo gentium, tunc omnis Israel saluus fiet. Hila. Vt autē rarus ex lege credentiū electionis numerus posset intelligi, turba omnis expulsa est, quam vtique saluari dominus oprasser, sed irridendo dicta gestaque eius resurrectionis non fuit digna consortio. Hiero. Tenuit autem manum eius, & surrexit puella: quia nisi prius mundatæ fuerint manus Iudæorum, quæ sanguine plenæ sunt, synagoga eorum mortua non confurget. Hila. Exeunte autem fama in vniuersam terram illam, electionis salus donū Christi atque opera prædicantur. Rab. Moraliter autem puella in domo mortua, est anima mortua in cogitatione. Dicit autem quod puella dormit: quia qui peccant in presenti, adhuc per penitentiam resuscitari possunt. Tibicines sunt adulatores, qui fouent mortuam. Greg. 17. Mora. Foras autem turba eiecitur vt puella suscitetur: quia nisi prius

prius à se cretoribus cordis expellatur secularium multitudo curarum, anima quæ intrinsicus iacet mortua, non resurgit. Raba. In domo autem puella paucis arbitris surgit, inueniam extra portam, & Lazarus coram multis: quia publica noxa publico eger remedio, leuis leuiori, & secreta potest deleri penitentia.

### S. HILARII PICTAVIENSIS EPISCOPI SUPERIORIS EUANG. EXPOSITIO.

**H**æc illo loquente, ecce princeps vnus accessit & adorabat eum, dicens: Domine filia mea modo defuncta est, veni & pone manum super eam, &c. Preces principis, fides mulieris, turbæ in domo conuentus, & cœcorum dum clamor, muri & sardi & demoniaci oblatio, ex superioribus dictis connexa sibi intelligentiæ tenent ordinem. Princeps hic, lex esse intelligitur, quæ Dominum orat: plebs, quam ipsa Christi prædicatio, aduentus eius expectatione nutruerat, vitam mortuæ reddat. Nam nullū principem credidisse legimus. Ex quo persona principis huius orantis merito in typum legis aprabitur. Cui quidem Dominus opem spondit, ad quam præstandam profecurus est. Sed prior cum apostolis peccatorum turba saluatur. Et cum primū electionem, quæ ex lege destinabatur, viuere oportuisset: anterior tamē in mulieris specie salus publicanis & peccatoribus redditur. Hæc itaque ad Domini prætereuntis occursum tactu vestis Domini sanam se de profluvio sanguinis futuram esse confidit: foribus scilicet polluta corporis sui, & interioris vitij immundicijs dissoluta, simbriam vestis per fidem festinat attingere: donū videlicet Spiritus sancti de Christi corpore modo simbriæ exeuntis cum apostolis conuersata contingere, siquæ mox sana. Ita alteri salus, dum alij deseritur, est reddita. Cuius fidem & constantiam Dominus laudauit: quia quod Israeli parabatur, plebs gentium occupauit. Est autem in simplici intelligentia magna virtutis Dominicæ admiratio: cum potestas intra corpus manens, rebus caducis efficaciam adderet sanitatis, & vsque in vestium simbrias operatio diuina procederet. Non enim diuisibilis & comprehensibilis erat Deus, vt corpore clauderetur. Ipse enim dona in spiritu diuidit, cæterum nō diuiditur in donis. Virtutem autem eius fides vbiueque consequitur: quia vbiueque est, & nusquam abest. Et assumptio corporis non naturam virtutis inclusit, sed ad redemptionem suam, fragilitatem corporis virtus assumpsit: quæ tam infinita, tam libera est, vt etiam ostenderit, nō ex salute fidem, sed per fidem salutem expectandam. Cæci enim quia crederant viderunt, nō quia viderant crederunt. Ex quo intelligendum est, fide merendum esse quod petitur: non ex impetratis fidem esse sumendam. Ingreditur deinde Dominus domum principis, synagogam videlicet, cui in canticis legis hymnus luctuum personabat: & irridetur à plurimis. Nunquam enim illi Deum in homine crederunt, quin potius prædicari resurrectionem ex mortuis riserunt. Apprehensam igitur puellam manu, cuius apud se mors erat somnus, retraxit ad vitam. Namque vt rarus hic esse ex lege credentium electionis numerus intelligi

posset, turba omnis expulsa est, quam vtique saluari Dominus oprasser: sed irridendo, dicta gestaque eius, resurrectionis non fuit digna consortio. Et exeunte fama in vniuersam terram illam, in electionis salutem donum Christi atque opera prædicantur.

### S. HIERONYMI PRESBYTERI IN IDEM EUANG. EXPOSITIO.

**E**cce princeps vnus accessit & adorabat eum, dicens: Filia mea modo defuncta est, sed veni & impone manum tuam, &c. Octauū signum est, in quo princeps suscitari postulat filiam suam, nolens de mysterio veræ circuncisionis excludi: sed subintrat mulier sanguine fluens. Et octauo sanatur loco, vt principis filia de hoc exclusa numero veniat ad nonum: iuxta illud quod in Psalmis dicitur: *Æthiopia præueniet manus eius Deo: Et: Cum intrauerit plenitudo gentium, tunc omnis Israel saluus fiat, Et ecce mulier quæ sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis accessit, &c.* In euangelio secundum Lucam scribitur, quod principis filia duodecim annos haberet ætatis. Nota ergo quod eo tempore hæc mulier, id est gētium populus cœperit agrotare, quo gens Iudæorum crederat. Nisi enim ex comparatione virtutum, vitium non ostenditur. Hæc autem mulier sanguine fluens, non in domo, non in vrbe accedit ad Dominum: quia iuxta legem vrbibus excludatur: sed in itinere ambulante Domino: vt dum pergit ad aliam, alia curaretur. Vnde dicunt & apostoli: Vobis quidem oportebat prædicari verbum Dei: sed quoniam vos iudicatis indignos salute, transgredimur ad gentes. *Dicebat enim intrare: Si tetigero tantum vestimentum eius, salua ero, &c.* Iuxta legem qui mulierem menstruatam, aut fluentem sanguine tetigerit immundus est. Ista ideo tangit Dominum, vt sanguinis vitio etiam ipsa curaretur. *Confide filia, fides tua saluam te, &c.* Ideo filia, quia fides tua te saluam fecit. Nec dixit, fides tua te saluam factura est: sed saluam te fecit. In eo enim quod credidisti, iam salua facta es. *Et cum venisset Iesus in domum principis, & vidisset tibicines & turbam tumultuantem, &c.* Vsque hodie puella iacet in domo principis mortua: & qui videntur magistri, tibicines sunt: cæcæ enim lugubre canentes. Turba quoque Iudæorum non est turba credentium, sed turba tumultuantium. *Recedite: non est enim mortua puella, sed dormit, &c.* Quia Deo viuunt omnia. *Et cum eiecit esset turba, intrauit.* Non enim erant digni vt viderent mysterium resurgētis, qui resuscitantem indignis contumeliis deridebant. *Et tenuit manum eius. Et surrexit puella: & exiit fama hæc in vniuersam terram illam.* Nisi prius mundatæ fuerint manus Iudæorum, quæ sanguine plenæ sunt: synagoga eorum mortua non resurget.

### S. IO. CHRYSOSTOMI EPISCOPI CONSTANTINOP. IN IDEM EUANG. HOMILIA.

**H**æc illo loquente ad eos, ecce princeps vnus accessit, & adorabat eum, dicens: Domine, filia mea, &c. Opus iam sermonibus adiungitur, & Pharisæi magis confunduntur: nam & qui accessit, synagoga

magogæ princeps erat, & lectu magno premebatur. Vnica enim puella erat, & duodecimum annum ipsum ferme florem ætatis attingerat. Quam ob rem maxime confestim eam voluit suscitari.

**Luc. 8.** Quid si Lucas scribit venisse quosdam, qui dixerant; Noli vexare magistrum: mortua enim modò puella est, dicemus quòd modò illud à tempore itineris conijcientis erat, modò mortuam esse, aut forsam calamitatem amplificantis. Nam, qui re aliqua indigent, solent ærumnas suas augere, & majores facere, vt exorent. Sed vide ruditatem principis eius, Duo quædam à Christo postulati vt veniat, & vt manum imponat, quòd certè spirare adhuc puellam, quando ab ea pater discesserat, vix simile est. Id Syrus quoque Naaman à Propheta postulabat, cum diceret; Exhibe, & manum suam imponet. Visu enim, & sensu indigent, qui rudiores sunt. Et Marcus quidem, & Lucas tres eum accepisse discipulos dicunt, hic verò simpliciter discipulos scripsit. Sed cuius rei gratia Matthæum, qui modò accesserat, non accepit? partim vt maiori desiderio arderet, partim quoniam adhuc imperfectior erat. Hac enim de causa illos honorat, vt alij ad sublimiora imitatione illorum cõdescendere cõentur. Matthæo autem satis erat, quòd sanguinis fluxu laborantem sanari viderat, quòd eadem mensa fuisset dignatus, & quòd in aliorum consortium assumptus fuerat, Euntem verò eum sequebantur multi, tum vt tantum viderent miraculũ, tum propter dignitatem personæ, cuius filia laborabat: & ad hæc, quoniã, cum rudiores plurimi essent, nõ ita integritatem animæ, vt corporis curatione quærebant, ea propter consuebant, alij suis morbis compulsi, alij nouas, inauditasque res desiderantes videre, doctrinæ autem, prædicationisque gratia pauci adhuc ad ipsum concurrebant, & nihilominus non dimisit eos domũ intrare, sed nec discipulos quidem omnes: eruditiores nos faciens, paratiorisq; ad omnem ostentationem depellendam. *Et ecce mulier, quæ sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, &c.* Quam ob rem non liberè, atque apertè ad Iesum accessit? Propter ægotationis genus immundã se putabat, ac ideo erubescere. Nam, si menstruorum tempore immundæ putabantur, multò magis, quæ nõ natura, sed præter naturam fluxum sanguinis patiebatur, immundam se non immeritò estimabat: propterea ergo abdit se, atque occultat: quia ægritudo hæc, immundities secundum legem indicabatur. Nondum enim etiã ipsa rectè de Christo sentiebat, ac ideo arbitrata est facillè ipsum posse celare. Prima verò hæc mulier publicè accedere ausa est, quoniam feminas quoque ipsum curare iam audiuit: & quoniam ad filiolum archisynagogi proficisci conspiciebat, & ad domum quidem suam, quamuis opulenta esset, nihilominus non est ausa vocare, nec apertè accessit, sed occultè cum fide vestem ipsius tetigit. Cum fide dixi, quoniam non dixit, liberaborne ab hac ægritudine, si vestem eius tetigero, an non? sed non dubitans sanitatem se ab huiusmodi tactu consecuturam, accessit. Dicebat enim in se ipsa; Si solum tetigero vestimentum eius, saluabor. Percepit antea vnde Christus exiuit, è domo videlicet publicani, à quibus omnibus firmam, non dubiam spem capiebat. Quid autem Christus? Non passus est eam latere, sed produxit in medium, & omnibus rem multis de causis fecit manifestam,

quamuis nonnulli stolidi ambitione ipsum comotum id fecisse autment. Cut enim; aiunt, non passus est eam latere? Quid ais tu, omnium scelere scelestior homo, qui mille signa transcurrit, ambitione laborat? Sed cur, ais, in medium duxit? Primum vt ab omni formidine feminam liberaret, nec conscientia stimulis quasi furata sanitate exagitaretur. Deinde vt quæque ipsius curaret, quæ putauit latere potuisse: denique vt fidem eius manifestam faceret, vt alij possent eam imitari. Præterea non est minus signum secreta cordium scire, quam flumina sanguinis cõtere. Postremò principem synagogæ voluit emendare, ne incredulitate omnia corrumperet. Venerunt enim, qui dicerent; Noli molestus esse magistro, mortua iam puella est, & qui erant in domo, deridebant ipsum dicentem; Quoniam dormit, quòd ne pater similiter pateretur, fidem aperit mulieris. Id inde quoque pater, quoniam dixit ad eum; Noli timere, erede solum, & saluabitur. Data enim opera commemorabatur, vt post mortem puellæ veniret, & hinc resurrectionis mysterium patefaceret, idcirco tardius incedit, & mulierem pluribus alloquitur, & vt puella moriatur, vt diximus, & peruenirent, qui dicerent; Noli negotium facessere magistro: quod & Lucas apertè ostendens, si gnanter dixit; Adhuc ipso loquente, venerunt aliqui de domo dicentes; Mortua est filia tua, noli exhibere negotium magistro. Mortem ergo eius vulgari voluit, ne resurrectio foret suspecta, quòd in omnibus facit. Nam ad Lazarum non post primam, aut alteram, sed post tertiam diem accessit. His igitur de causis in medium adduxit, & ait; *Confide, filia.* Perterrita enim erat mulier, idcirco & confide dixit, & filiam appellauit, & certè fides eius filiam eam Christi effecit. Lucas autem multò plura de muliere nobis narrauit. Scribit enim, posteaquam accesserit, & curata fuerit, non prius à Christo vocatam fuisse, quam quæsitũ sic fuerit: *Quis est, qui tetigit me?* Petrus autè, & alij respondebant; Præceptor, turbæ te continent, & comprimunt, & tu dicis, quis est qui tetigit me? Id non paruum erat signum, & veram ipsum carnem indurum esse, & omnem superbiam conculcare. Non enim prosequerantur, sed vndique ipsum comprimebant: perseuerabat autem dicens; Tetigit me aliquis: cognoui enim virtutem à me exisse. Quod responsum ruditati audiētium accommodatum, facillè fecit vt mulier quoque ad confessionem animam induceret. Ideo ipsam nõ statim redarguit, vt, quum ostendisset omnia se scire, spontè accederet ipsa, & factum prædicaret: quod si prius ipse dixisset, suspectus videretur. Vides mulierem longè archisynagogo præstantiorem? non apprehendit, non quicquam detinuit, digitis solum tetigit; & ideo, quum vltima venisset, prima curata recessit: & ille quidem medicum ipsum ducebat ad domum, huic verò solus tactus suffecit. Nam, etsi ægritudine tardabatur, fidei tamen voluntate volabat. Perpende autè quomodo ipsi rem attribuit, dicens; *Fides tua saluam te fecit.* Si ambitionis, ostentationisque gratia in medium produxisset, vt insani dicunt, nequaquam id adiecisset, quo & archisynagogum ad fidem reduxit, & non minor vtilitas corporis curatione, & voluptas mulieri præstita est. Quòd autem ad mulieris honorem, atque gloriam, emendationem quoque aliorum, non ad ambitionem facta sunt, inde patet

ret, quòd absque hoc signo non minus ipse mirabilis esset futurus, quum guttatũ pluuiæ copiam multitudo superaret, & multò maiora hoc, & postea fecerit. Mulier verò, nisi Christi factum suum manifestasset, tam magnis laudibus carnisferi: ideo, eam in medium produxit, factum illius prædicauit, metum eiecit (tremens enim accessit) confidere iussit, & ad reparationem sanitatis alia quoque præbuit quietis viatica, dicens; *Vade in pace. Veniens autem in domum principis, &c.* Amara hinc archisynagoga facta est coniectura, tibiæ namque, cæteraque instrumeta huiusmodi, quoniam mortua erat puella, ad concitandum fletum adhibita fuerunt. Quid autem Christus? Cæteros quidem homines eiecit, parentes autem puellæ dimisit, vt testimonium præberent, à Christo non ab alio suscitatum fuisse: quamuis, antequam surrexisset, verbo illam sanasset, dicendo; Non est mortua, sed dormit. Et veluti antequam fluctus maris sedasset, discipulos ipsos increpauit: pariter quoque in hoc loco, turbationem mentis eorum, qui aderant, adiecit, ostendens quasi à somno facillè sibi esse mortuos excitare. Id alibi quoque fecit, dicens; Lazarus amicus noster dormit. His etiam docet non esse timendam mortem, quum ad conditionem somni iam redacta sit. Deinde, quoniam ipse quoque moriturus erat, aliorum morte, ac resurrectione faciebat, vt discipuli considerent, ac æquissimo animo mortem ipsius ferrent, cuius aduentu mors in somni conditionem deuenisset. Deridebant autem ipsum: ipse verò, etsi viderat nullam eos verbis suis fidè habere, nihilominus non molestè ferebat, ac increpauit deridentes, vt tã derisio, quam tibiæ, atque luctus mirabilia restantia nouitati in maius miraculum illud efferrent. Nam quoniã solent homines facta, præteritaque signa non credere, suis ipsorum verbis, & ritu eos præoccupat: quod & in Lazaro, & in Moyse similiter factum est. Dixit enim Moyse; Quid est, quod in manu tua est? vt, quum vidisset serpentem ex virga factum, nulla obliuione teneretur virgam prius fuisse, sed vocis propriæ memoriam habès, vehementer miraretur. In Lazaro quoque interrogauit, vbi eum posuerunt, vt, qui dixerunt; Veni, & vide, & quòd fœtet, quoniam quadriduanus est, nullo pacto negare possunt mortuum ab eo excitatum fuisse. Quum ergo instrumenta fletus, & turbas vidisset, eiecit omnes, & in præsentia parentum signum operatus est, non aliam in corpus introducendo animam, sed eandem ipsam ita facillè reducendo, vt quasi à somno excitasse videretur: manu autem ipsam accepit, vt, viso ipso, certiores fierent, qui cernebant à morte ipsam, quasi à somno excitatam: & pater quidem dicebat, manum impone. Ipse verò maius quid fecit. Non enim imponit manum, neque orat, sed omnia sibi parere ostendens, non suscitauit solum, sed, ne phantasma suscitatio videretur, cibum iubet dare puellæ, nec dedit ipse, sed alij: sic etiam in Lazaro fecit. Soluite (dixit) eum, & dimittite abire. Deinde mensuræ participem accepit: vtrunque certè simul comprobare solebat, mortem, atque resurrectionem veram fuisse, exquisitissimè vndique confirmans. Tu verò nõ resurrectionem solum puellæ mirari velis, verum etiam, quia parentibus præcepit nulli dicere, quæ ex re dicere potes, ac firmiter credere, nihil vnquam ab illo ambitiose, aut cupiditate gloriæ factum fuisse. Si

mul etiam considera fientes, atque plorates, quasi tam magna videre miracula indignos, omnes eiecit fuisse: nec tu velis cū lugentibus exire, sed cū Petro, Ioanne, & Iacobo vnã remaneas; Nam, si tunc eos, qui flebant, eiecit, quando non erat ita planum, quasi in somnum iam mortem esse redactam: quid nunc faciet, quum id luce ipsa iam clarius sit? Sed non suscitauit filiam tuam nunc: sed suscitabit omnino longè maiori cū gloria. Puella nanque illa mortua rursus fuit: tua verò, posteaquam resurrexerit, nunquam in posterum mortem videbit. Nemo ergo defunctos ploret, nemo lugeat, nemo mortem Christi, qua mors superata est, calumnietur. Quid frustra fies, si mortem in somnum redactam esse credis? Quid te cædis, & luges? Gentes id faciunt, quia non credunt: si autem fidelis pariter, atque infidelis hac in re peccat, quid respondebit? quomodo veniam petere audebit, præsertim lógis temporibus postea, cum iam nemo Christianus de resurrectione ambigat? Tu verò sedulò studeas delictum hoc casu amplificare, & incitantes fletus mulieres conuocas, quarum flebili cantu incendatur, atque inflammetur vehementius ægritudo tua: nec Paulo dicenti auscultas, quæ consonantia est Christo ad Belial, vel quæ proportio fideli cum infidelis? Quumque gentiles, qui nihil de resurrectione acceperunt, consolandi rationes inueniant, magna animo dicentes; nec enim facere poteris, vt, quod factum sit, non esse factum videatur, nec lugendo charissima pignora excitabis: tu, qui sublimioris philosophiæ præcepta quotidie audis, non erubescis grauius illis in tuo casu exagitari? Nõ enim dicitur tibi, fortiter feras, non potes facta infecta facere, sed æquo animo feras. Dormit enim puella tua, non est mortua; quiescit, non est perditã: resurget, ac æterna in posterum, atque immortalis vita viuert. Non audis Prophetam dicentem; Convertere, anima mea, in requiem tuam, quoniam dominus benefecit tibi? Beneficium Deus hanc rem vocat, & tu ploras? Et quidnã faceres, si hostis, si inuidus, si inimicus esses defuncti? Nam, si quempiam flere oportet, atque lugere, diabolum certè oportet. Ille igitur pectus pugnis cædat, ille grauiter ferat, quoniam ad immortalitatem mortui tendunt: illum hi clamores, & fletus decent, non te, qui ad requiem proficisceris, & certè harum turbationum omnium tranquillitas quidam portus in morte est. Examina quot, quantaque mala sunt in hac vita, recum ipse recente, quoties præsentibus rebus maledixisti, quum semper in peius & videris, & videas omnia ruere: quamuis & ab initio non parua pœna huic sit retributa. In doloribus, inquit, paries filios: & in sudore vultus tui comedes panem tuum: & in mundo tribulationem habebis. Nihil autem huiusmodi de futuris rebus scribitur, quin imo totum oppositum. Effugit, inquit, dolor, tristitia, gemitus: & rursus, Ab oriente, atque occidente venient, & recumbent in sinu Abrahe, Isaac, & Iacob, & alibi thalamus sunt, quæ illic sunt, spiritualis, inextinguibiles, fulgidæque lucernæ, cælestis vita. Cur ergo defunctum exagitas? Cur committis, vt timeant mortem alij, atque formident? Cur causam præbes, vt nonnulli Deum incusare audeant, quod mala nobis tanta inuenerit? Imò verò cur post mortem tuorum pauperes conuocas? Cur presbyteros, vt pro eo velint orare, obsecras? Non ignoro

Luc. 8.

4. Reg. 5.

Matth. 6.

Joan. 11.

Luc. 8.

Joan. 11.

Luc. 8.

Exod. 4.

Joan. 11.

1. Cor. 6.

Psalm. 114.

Genes. 3.

Joan. 6.

Marc. 8.

Exe. 40.

Vna de elemosinis & precibus defunctorum animam sustinere ad requiem æternam adspicere dicitur, & ad placandum iudicem.



ignoto te responsurum, vt defunctus requiem adipiscatur, vt propitium iudicem inueniat: his ergo de rebus flendum, atque vlulandum arbitris? nonne vides quam maximè tibi ipse repugnans? Nam, cum illum abiisse in prata florentia putes, ingentes tamen aduersus te ipsum fluctus suscitatis tempestatis. Sed quid faciam, inquires? talis quædam res natura parentum est. Non est natura ista culpa, non est rei ipsius: sed nos, qui omnia huc, atque illuc impellimus, molles nimium, atque deiectos nostros animos efficiamus, & diuinam nostram perdimus nobilitatem, & simul infideles facimus duriores. Quomodo enim de immortalitate animæ cum eis disputabimus? qua ratione resurrexerunt nos illis persuadebimus, quum longè magis quam illi mortem formidemus? Multi enim apud eos, quum nihil de immortalitate animæ crederent, nihilominus, mortuis filiis, vt inanem quandam gloriam consequerentur, corona ornati, & candidam induti vestem, in publicum prodierunt: oro vt futura illa quidem, & vera gloria moueat, vt effaminatos hos, eneruatosque mores contemnerent. Sed heredem non habeo, inquires, nec quem rerum mearum successorem constituam. Ego verò te libenter interrogarem, tuarum rerum, an ætærorum malis filios tuos esse heredes? & vtrum magis desideres caduca hæc, & corruptibilia possideri ab illis, quæ tamen post omnino essent relicturi, an stabilia illa, & æterna. Non habes heredes filios, sed habet ipsos pro te Deus: non heredes facti fratrum suorum, sed facti sunt Christi coheredes. Sed cui pretiosas, inquires, vestes nostras, cui magnificas ædes, cui seruos, cui agros relinquemus? Illis ipsis profecto, & multo tutius, quam si viuerent, nihil enim prohibet. Nam, si multæ barbaræ gentes vna cum defunctis res eorum cremare solent, quantò æquius defuncto tu filiolo tua tradere potes, non vt in cinerem redigantur, sed vt gloriosum magis illum reddant. Putas eum maculis inquinatum abisse, da sibi sua, vt illis se à maculis detergat: putas in iustitia ipsum decessisse, præbe sibi tua ad mercedis, & retributionis adiectionem. Sed videre, inquires, ipsum cupio. Bene igitur viuere, nec dubita cito te ad ipsum profecturum: Illuc etiam tecum versa, quoniam, si hac oratione nequaquam tibi persuadebimus, natura ipsa temporis tibi persuadebit. Nam multitudinem dierum absque aliqua mercede consolaberis: quod si statim in tuorum morte philosophari volueris, duas res maximas consequeris. Nam & interea tranquilliori animo viues, & à diuina retributione salutissimam habebis coronam. Omnes enim cæteras virtutes excelsum animi robur, quo calamitates, & ærumnas minui facimus, meo quidem iudicio superat. Tu autem tecum ipse continue cogita, filium Dei ipsum quoque obisse, sed ille quidem propter te, tu verò tu ipsius causa, & illum dixisse quidem scribitur: Transeat à me calix iste: & tristitia, agoniæque affectus, noluit tamen mortem nõ admittere, sed pluribus, maioribusque doloribus corporis vexatus, quam tragedi omnes scribere possent, expirauit. Non enim simpliciter mortuus est, sed turpissimum, atque acerbissimum genus mortis sustinuit: & antequam moreretur, flagellis, atque cotumelias cæsus, propter te omnia perpeffus est, vt ad ferenda omnia suo exemplo te institueret: quin & mortuus corpus

relinquit, ac rursus ipsum cum maiori gloria suscepit, vt & tu certâ resurrectionis spem retineas. Si hæc igitur non putas fabulam esse, noli plorare: si hæc vera credis, noli flere: si verò ploras, & fles, qua ratione infideli persuadebis, quod hæc credas? Sed intolerabilis tibi casus tuus videtur. Propterea ergo defuncti gratia plorandum non est, quoniam à multis huiusmodi casibus liberatus est. Noli ergo facere, vt inuidere videaris: nam, qui mortem sibi optat, quoniam ante tempus aliquis suorum ereptus est, ploratque propter illum, quia non viuit, vt multa huiusmodi subeat, inuidere magis quam amare illum videtur. Noli ergo cogitare, quod non redibit vquam domum tuam filius, sed quia & tu paulò post ad ipsum gradieris: noli cogitare illum huc postea minime reuersurum, sed, quia hæc videmus, omnia quum sint caduca, & instabilia, nõquam eadem permanent, omnia enim transfigurabuntur & cælum, & terra, & maria, & tunc suscipies filios tuos maiori cum gloria. Quod si in peccato mortui sunt, finem tamen peccandi habuerunt. Nam, si penitentiam essent acturi, Deus, cui omnia parent, non antequam eam egissent, ipsos rapuisset: si verò iusti decesserunt, euaserunt iam à periculis, & tuti supremam beatitudinem possident. His rebus omnibus planum factum est, non esse amoris has lachrymas, sed turbationis, & animi parum sapientis. Nam, si defunctum diligeres, gauderes profectò, exultaresque, quia fluctus præsentis vitæ permauigauit. Quid enim mirabile, aut nouum, atque inauditum factum est? an non eadem ipsa quotidie reuolui videmus: diem nox, noctem dies; hyemem æstas, ætatem hyems modo præcedit, modo sequitur, nec plus quicquam est: & hæc quidem eadem semper, mala verò alia, atque alia indes, quæ filium tuum habere quotidie, & tecum esse velles omni verbo subiectum, omni luctui, cum sua formidine ac horrore vitam miserè agere, & alia quidem mala iam subeuntem, alia verò timentem ne subeat. Nõ enim poteris vquam dicere quod potuisset longum istius vitæ pelagus absque dolore, mæstitia, cura nauigare: ad hæc etiam illius tibi rationis memoria veniat, non immortalẽ te genuisse, sed, si nunc diem suum non obisset, paulò post certè ad hoc ipsum peruenisset. Sed non saturasti te amore illius. Sed ibi omnino perfrueris. At vellè, inquires, hic quoque ipsum videre, si sapias. Certa enim spes futurorum, & iucundior visu, & clarior est. Tu verò si ad imperandum, regnandumque hoc caduco, mortali regno filius tuus abisset, nolles eum inde redire, vt ipsum videres: nunc verò, quum ad meliora, maioraque regna processerit, parui temporis absentiam ferre non poteris, præsertim cum loco illius coniugem habeas? Sed non est mihi coniunx, inquires. Habes patrem orphanorum, & viduarum iudicem in consolatorem. Audi Paulum talem viduitatem extollentem, atque dicentem: Quæ autem vere vidua est, ac solitaria, sperauit in domino: præstantior enim hæc videbitur, cum maiori patientia fulgeat. Noli ergo plorare, aut dolere ea de re, qua tibi corona præparatur, pro qua tibi merces deberetur, reddidisti enim depositum, quod tibi creditum erat: non sis ergo sollicita, si vides in inuolabili arario thesaurum tuum esse depositum. Quod si etiam

Id de Xenophote legitur.

Viles elemosinas à vitiis suis desuntis proficere ad satisfaciendum pro peccatis, & ad meritum augumentum, peccata autem leuia intelliguntur, heuus autem prodesse largo modo est accipiendum.

Matth. 16. Luc. 12.

1. Tim. 3.

ram præsentis vitæ, quàm futuræ conditionem intellexeris, & hanc quidem aranearum esse telam, atque umbram, illam verò immobilem, ac æternam esse firmiter credideris: non indigebis vlla alia ratione. Nunc enim filius tuus ab omni mutatione rerum ereptus est: si verò hic esset, probè scire, an reprobis futurus esset, in ambiguo vereretur. Nonne vides quotidie multos à parentibus abdicari, multos tamen, licet abdicatis longè peiores sint, coactis parentibus nihilominus detineri? Hæc igitur nobiscum cogitantes sublimiori vram philosophia. Nam hoc modo & defunctis gratiores erimus, & in hac vita non paruas laudes consequemur, & à Deo ipso magna præmia, magnasque retributiones suscipiemus, futuro seculi felicitate bonorum firmam, stabilemque possessionem, gratia, & misericordia domini nostri Iesu Christi, Amen.

PETRI CHRYSOLOGO  
Episcopi Reuen. in superius Euang. De muliere sanguinis profusio laborante, & filia archisynagogi, Sermo 1.

Omnes Euangelicæ lectiones, fratres charissimi, magna nobis & præsentis, & futuræ vitæ commoda largiuntur. Sed hodierna lectio & totum, quod est spei, contulit, & quicquid est desperationis, exclusit. Est nobis dura, & descendenda conditio: peccare nos cogit fragilitas innata; & cõsiteri prohibet cõfusio cognata peccati: malum enim facere, pudor non est, & pudor est, cõsiteri: timemus dicere, quod committere non timemus. Sed hodie mulier, cum quæreret medicinam tacita vulnere verecundo, inuenit silentium, per quod possit peccator ad veniam peruenire. Prima est felicitas, in peccatorum turpitudinem non venisse: sed felicitas est secunda, peccatorum veniam peccatis latèntibus inuenisse. Hoc Propheta senserat, qui dicebat: Beati, quorum remissa sunt iniquitates: & quorum repta sunt iniquitates. Ecce, inquit Euangelista, mulier, quæ sanguinis fluxum patiebatur, & c. Confugit mulier ad fidem subitam, cui longa defecerat cura; quæ confundebatur medicinam petere, furari voluit sanitatem; nesciri se ab eo voluit, à quo se credidit posse saluari. Vt acruentorum turbine, sic cogitationum procellis mulier turbabatur; consilgebat cum fide causa, cum timore spes, necessitas cum pudore: timoris frigus extinguebat credulitatis ardorem, obscurabat lucem fidei vis amoris, spei confidentiam necessitas verecunda frangebatur: sic mulier magni maris instar confusis æstibus iactabatur; quærebatur quomodo faceret occultum de publico, de turba seceretum: agebat, vt sibi & rediret sanitas, & verecundia non periret; curabat, ne cura sua ad curandam redundaret iniuriam; providebat vt redderetur sibi salus, salua reuerentia saluatoris. Tali ergo sensu mulier meritò de summitate sinitæ peruenit totam ad deitatis summam. Accessit, inquit, retro. Sed vbi retro? Accessit retro. Sed vbi? Retro nil erat: tibi faciem, quam declinabat, inueni. Erat in Christo corpus multiplex, sed erat deitas simplex, erat totus oculus, qui post se supplicem sic videbat. Accessit retro, & tetigit sinitam: vestimenti eius. O quid ista mulier vidit habitare in interioribus

Christi, quæ in Christi sinita diuinitatis totam vidit inhabitare virtutem! O quam docuit mulier, quantum sit corpus Christi, quæ in Christi sinita tantum esse monstrauit! Audiant Christiani, qui quotidie corpus Christi attingunt, quantam de ipso corpore sumere possint medicinam: quando mulier totam rapuit de sola Christi sinita sanitatè. Sed, quod nobis scdum est, mulier de vulnere medicinam tulit; nobis medicina ipsa retorquetur in vulnus. Hinc est, quod Apostolus tangens indignè corpus Christi, taliter admonet, & deplorat: Qui enim tangit indignè corpus Christi, iudicium sibi sumit. Et quod inde temeritas infirmitatem capiat, vnde fides accipere debebat sanitatem, rursus intulit. Propterea inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi. Item dormientes mortuos dicit, quos luget in viuo corpore iam sepultos. Petrus, & Paulus principes fidei Christianæ notitiam nominis Christi toto orbe diffuderunt: mulier accedens ad Christum prima tradidit disciplinam: mulier prima dedit formam, quomodo peccator tacita confessione delect sine confusione peccatum: quomodo delinquens soli Deo cognitus, de reatu nudare apud homines verecunda conscientia non cogatur: quomodo homo possit veniam iudicium peruenire. At Iesus, inquit, conuersus, & videns eam, inquit, Confide filia, fides tua te saluam fecit. At Iesus conuersus non motu corporis, sed diuinitatis aspectu: Christus conuersus est ad mulierem, vt mulier conuerteretur ad Christum: vt ab ipso curam sumeret, vnde sumpserat vitam, & sciret sibi præsentis vulnere causam fuisse perpetuam rem salutis. Conuersus, & videns eam. Vidit eam diuinis oculis, non humanis: vidit vt saluti redderet, non vt agnosceret, quam sciebat: vidit eam; donatur bonis, malis caret, quem viderit Deus. Hoc vniuersitas sentit ex vfu de felicibus sic dicendo; Vidit illum Deus. Vidit ergo istam Deus, quam curado reddidit sic felicem. Et quid plura? Christus mulieris docuit exemplo, quàm fides sola totam proficiat ad salutem. Sed de Synagogæ principem iam loquamur: qui dum Christum ducit ad filiam suam, viam dedit, qua mulier perueniret ad Christum. Sic cepit hodierna principium lectionis. Ecce princeps vnus accedens adorabat eum, dicens, & c. Futurorum præcium Christum non latebat, quod prædicat mulieris eueniret occursus: per quam Iudæorum princeps diceret, Deum non mouendum locis, non itinere ducendum, nõ trahendum præsentia corporali, sed credendum, quàm sit Deus vbique præsens, vbique totus, vbique semper: Et quàm totum possit in se facere, non labore; virtutes mittere, non defecere; mortem non manu, sed imperio effugare, vitam non arte reddere, sed præcepto. Filia mea modo defuncta est, sed veni. Hoc est dicere; Adhuc vitæ manet calor, adhuc animæ vestigia videntur, adhuc est in via spiritus, adhuc dominus domus habet filiam, adhuc mortuam tartarus nescit: ergo ve eunte possis animam retinere, festina. Stultus putauit Christum non posse suscitare mortuam, nisi teneret. Hinc est, quod Christus, vbi peruenit ad domum, & vidit puellam, quasi perditam fletu, vt infideles animos promoueret ad fidem, dormire eam dicit, non defunctam, vt crederet: facilius de morte posse surgere, quàm de somno. Non est, inquit, mortua puella, sed dormit. Et verè apud Deum

Christi sinita quodlibet corpus Christi attingunt.

1. Cor. 11.

Respicit mortem antiquam, à Leone papa abolitam, per quem peccator coram vniuersa ecclesia peccata sua aliquando sinita cogebatur.

Verba, sinita nõ excludit partem sinitæ, nec alius virtutes interiores, neque etiã bona operum moralia, sed opera legis criminosa, quibus fides euangelica ex altera parte resistit.

motus somnus est: quia velocius Deus mortuum ad vitam suscitatur, quam de somno dormiens ab homine suscitetur; & ante Deus frigentibus morte membris viuificantem refundit calorem, quam homo sepultus somno corporibus vigorem possit infundere. Audi Apostolum; In momento, in ictu oculi, mortui resurgent. Beatus Apostolus, quia velocitatem resurrectionis non potuit referre verbis, aptauit exemplis. Aut quomodo ibi celeritatem sermonis perstringeret, ubi ipsam celeritatem praeuenit vis diuina? Aut quomodo apparet ibi tempus, ubi aeterna sine tempore res donatur? Sicut temporalitatem tempus attulit, sic exclusit aeternitas tempus.

**EIVSDEM IN IDEM**  
*De muliere profluvio sanguinis obnoxia, Sermo 2.*

**Q**uid sit Christum tangere, hodie docuit mulier, in profluvio sanguinis constituta: quae cum tangit fimbriam Christi, tum diuini pectoris pulsat arcanum: & furto fidei summam rapuit de fimbriae summitate virtutem. Felix fraus, quae & lucrum salus contulit, & damna sustulit mox pudoris: probat hoc Evangelicae lectionis auditus. Ecce, inquit, mulier, quae sanguinis fluxum, &c. In arduis languoribus dat crebro consilium vis doloris; in desperatis causis est saepe magistra necessitatis; inuenit ipsa sibi passio medicinam. Hinc est, quod mulier verecundo vulnere qualiter subueniret, inuenit, ut fidei insinuaret silentio, quod in finitate publico clamore non poterat: & secreta spiritus via caelestem perueniret ad medicum, ad quem peruenire manifesto carnis itinere non valebat. Dabat audaciam multam pietas curantis, sed fiduciam pudendi languoris necessitas auferbat: cogebat ad Christum doloris accedere magnitudo; sed adire Christum foeditas vlcis non sinebat. Sic anceps mulier, & fidei trepidate consilio, maluit de fide iudicari, quam de seculo vulnere sic perire. *Accessit retro, & tetigit fimbriam vestimenti eius.* Sciens, quod Deum nec tactus polluit, nec offendit visus, nec odor exasperat, nec auditus fauciat, nec inquinat humana cogitatio. Nam, si sol tangit stercora, non tamen stercorebus inquinatur: quanto magis creator solis tangit omnia, & tamen non potest vllis contactibus inquinari? Et, si medicus, cum saniem vulnere tractat, cum curat verecunda membrorum, non iniuriam computat, sed honorem; quanto magis Deus non arbitratur iniuriam, dum vulnera nostra curando respicit, tangit ad remedium, visitat ad salutem? Dei conspectum offendunt peccatorum vulnera, non dolorum; morbi criminum, non corporum passiones; vitiorum sanies, non viscerum fluxus: quia homo habetur voluntarius in delictis, in languoribus tenetur inuitus. Hinc est, quod peccator poenam recipit, aegrotus recipit curam. Mulier ergo non voluntatis conscia, sed doloris; nec confusa crimine, sed confusa languore, accessit retro, ut turbae declinaret oculos, non Christi vitaret aspectum: a populis nesciri voluit, non a Christo: gestiuit non Deum latere, sed homines, quia non nisi a solo Deo potuit latens videri, audiri tacens, celata curari. *Accessit, & tetigit fimbriam vestimenti eius.* Quia in Christo nil po-

stremum credidit, nil iudicauit extremum: quia nec minoratur Deus in homine; nec virtus attenuatur in fimbria; nec caelestis natura membrorum variatur officiis. Hinc est, quod mulier per dorsum peruenit ad faciem, per vestimentum penetrauit interna, & per fimbriam capitis tetigit summitatem, nec hoc sine mysterio. Audite prophetam dicentem; Sicut vnguentum, quod descendit in oram vestimenti eius. Videtis, fratres, in fimbriam vestimenti huius totam plenitudinem diuini chrisimatis, ergo tum diuini capitis transisse virtutem. Sciatur ergo mulier factam Christi fimbriam gestiuit attingere, ut de occulto mysterio vulneris posset sumere medicinam. Fratres, magna haec mulier, & nimium permiranda, quae scientia doctorum legis vicit, sacramento omnes Iudaeos superauit, fide praecessit Apostolum, nam Iudaea cum Scribis, & doctoribus suis Deum totum despicit in corpore: Thomas Apostolus, ut Christum Deum crederet, immisit manus, iniecit digitos, patefecit vulnera: & ut Christum crederet, iterum pati compulsi Christum. Sed haec mulier quam personam teneat, cuius typum praeferat, cuius praesentem imaginem, spirituali intelligentia perquiramus. Quae est ista, quam sic genuinus sanguis, naturalis debilitas, originalis morbus, ad causas mortis, ad lethale vulnus, ad foedi languoris adduxit angustias? & quam sic foedi vitiiis, foedauit criminibus, secretis vulneribus fauciat, ut eam ars curare, non solum videre oculis, non solum honestas pateretur, non praevaleret lex ipsa mundare, imò quam lex ipsa iusserat arceri templo, prohiberi factis, sanctis omnibus abstinere: & quam sic dixerat immundam, ut, quicquid tetigisset, haberetur immundum. Ista est, fratres, ista est, ista est Ecclesia: quae primi hominis vulnerata peccato, toto fluebat sanguine, rota originaliter decurrebat in mortem.

**CHRISTIANI DRVTH-**  
*mari eiusdem Euang. expositio.*

**H**ec illo loquente ad eos, ecce princeps vnus accessit. Loquente domino turbis salutem animarum, venit quidam princeps Iudaeorum. Qui quia sapiens erat in lege, & archisynagogus, id est princeps synagoga vocabatur, quia in eorum congregationibus propter peritiam suam magister erat: & quia nobilis erat, etiam nomen indicatur ab aliis Evangelistis, dicentibus, cui nomen erat Iairus. *Et adorauit eum dicens; Filia mea modo desinita est.* Non erat adhuc mortua, quando pater accessit, sed in via hoc ei nunciatum est. Sed Matthaeus breuitati studens, ita narrat. Quamuis ergo Iudaeus esset, non dixit ut Centurio dixit, dic & fiet: sed, *veni, credens cum solum sicut Propheta fore, licet non crederet.* Attamen non erat nimis malus, ad cuius preces annuit dominus agere ut pecebatur. *Sed veni impone manum tuam & viuat.* Quia enim non habebat aliam filiam vel filium, propterea tenere diligebat, & idcirco & ipse venit & ad pedes corruit: & cum magistro ad eam reuertii volebat, sicut mulier Sunamitis quae non dimisit Helisaeum, quousque ad filium mortuum perueniret. *Et surgens Iesus sequebatur eum, & discipuli eius.* Notandum quod discipuli in omnibus domini factis memorantur adesse electi. Et digne tales effecti

effecti sunt, quia inspector cordis inspicit arcana. Secundum Matthaei textum, septem miracula narrantur esse a domino peccata nunc. In octauo subintrare voluit filia archisynagogi, sed furripuit mulier haemorrhoida. Typice archisynagogus iste Moyses intelligitur, quia dicitur Iairus, id est, illuminatus: quia a Deo illuminatus est lumine fidei & scientia legis. Qui habet vnicam filiam, id est synagogam, quam vnico amore dilexit, & pro eadem Deum frequenter exorauit. Et ad pedes eius cadere, est incarnatione eius venerari. Quia enim caput Christi Deus, pedes eius incarnatio eius non inconuenienter accipitur. Et hoc est ad pedes cadere, cum super omnes singulariter magnum faceret. *Filia mea modo desinita est.* Quia paululum ante aduentum redemptoris omnem iustitiam legis amisit. *Surgens sequebatur eum.* Quia cum vidit Deus deperisse Iudaeos a vera vita, venit reducere eos. *Sequebatur eum.* Quoniam sicut Moyses praedixit de illo, sic per omnia fecit dominus. *Et ecce mulier quae sanguinis fluxum patiebat.* Mulier ista significat ecclesiam ex gentibus congregatam: & sicut ista exclusa erat a domibus & a turbis duodecim annis propter sanguinis immunditiam: vnde & propterea in via venit ad dominum, sic gentilis populus exclusus erat a coetu fidelium, pollutus ingenito carnalium fluxu. Sed cum verbo Dei cerneret saluare Iudaeam, rapuit sibi salutem. Et archisynagogi filia duodecim annis erat, & ista duodecim annos habebat in infirmitate: quia quando illa coepit secundum Deum nasci in patriarchis ista coepit elongari a Deo, & infirmari mente. *Accessit retro.* Quia cum Christus ascendit, tunc gentes coeperunt credere. Accedere retro, est illum sequi & imitari: quia ipse dixit, si quis mihi ministrat, me sequatur. Et alibi. Post dominum Deum tuum ambulabis. *Et tetigit fimbriam vestimenti eius.* Iusserat dominus in summitate tunicae fieri fimbrias: ut sicut erat discretio circumcisio in corporibus, sic & in vestimentis. Iudaei adinuenerunt ut ponerent ibi spinas: ut quando pungerentur, retraherentur ad legem Dei, & fieret recordatio legis Dei. Sed ista non inuenit ibi spinas, quia dominus superfluas abominaciones Pharisaeorum abominatus & detestatus est. Nec ausa est tangere vestimentum, quod carnem Domini tegebat, sed illud quod foris prominebat. Alio modo fimbriam vestimenti eius tangere, est incarnationem eius credere. *Dicebat enim intra se. Si tetigero tantum vestimentum eius, salua ero.* Si credidero incarnationem eius, salua ero. Et primordium est initium immunda cogitationis, ex quo peccatum nascitur. Fons sanguinis erat origo peccati. *Et ipsa fuerat multa perpeffa, a pluribus medicis.* Quia multi philosophi fuerunt, qui de virtutibus animae disputauerunt, & de vitiiis, sed tamen ad veram medicinam gentilem populum non adduxerunt. *Et in ipsis erogauerat omnem substantiam suam.* Quia omnem laborem suum expendit gentilitas in variis poematibus philosophorum. *At Iesus conuersus & videns eam dixit.* Alij Evangelistae referunt quod dixerit, quis me tetigit? Et dixit Petrus, praecipitor, turbae te comprimunt, & affligunt, & tu dicis, quis me tetigit? Alij tangebant corporeo tactu, illa tetigit fide, qui sic tangit dominum, mouetur sanari. Ergo ecclesia ex gentibus & tetigit fide dominum: quia perfecto corde credidit in eum, vnde alteri quae nec dum recte credebat dicebatur. Noli me

tangere, quia non perfecte in fide tangis. At illa venit, & procidit ante eum: Et ob quam causam tetigerit eum confessa est, & quemadmodum fluxus sanguinis eius steterit continuo. Propter salutem aliorum ista dominus tam diligenter requirebat: ut alij similiter studerent bonae fidei esse, & diceretur de eis. *Filia, fides tua te saluam fecit.* In eo enim quod credidisti salua facta es. Vocatur autem ista mulier haemorrhoida Graeco nomine, veniens ab actu nome eius. Siquidem sanguis Graece dicitur, & inde haemorrhoida diuinationum, id est sanguinaria. In octauo vero loco sanatur propter octauum diem resurrectionis, quam omnis ecclesia gentium veneratur. *Et salua facta est mulier ex illa hora.* Quicumque bona fide studuerit esse erga Deum, filius Dei erit: & secundum fidem ipsius fiet ei. Ecclesia quoque ex gentibus ex quo in Deum credidit, saluari coepit, & mente & corpore. *Et cum venisset Iesus in domum principis, & vidisset tybices.* Tybices diuinationum est a tybia, & tybia dicta a tybis hinnulorum: de quibus coepti sunt primum fieri in Phrygia, modo vero & de Graebus fiunt, & de matellis. Adhibebantur autem antiquitus funeribus mortuorum: nunc itineribus principum: sonus autem qui fit ab ipso, tybices dicitur quasi tybiae cantus. *Turbam tumultuantem.* Quia vnica erat patri & matri, plorabat familiae, quam sperauerant habere dominam post dominorum abcessum. Synagoga adhuc iacet mortua & sunt in domo eius tumultus Iudaeorum & tybices, planctus, quos agunt inutiliter in sabbatis. Quia nondum venit Iesus ad eos. *Dicebat recedite.* Quia cum venerit ad eam dominus Iesus, recedent tumultus doctrinae eorum, & planctus irrationabiles. *Non est mortua puella, sed dormit.* Illis mortua erat: sed dormiebat, quia tam cito eam excitare poterat. Vnde mos obtinuit apud Christianos, ut mortui eorum, qui in bona confessione discesserunt, non mortui sed dormientes vocentur: & monumenta eorum non monumenta, sed coemiteria, id est dormitoria Graece vocentur. Synagoga quoque Iudaeorum vobis mortua videtur, sed Deus eam resuscitabit per testes suos fideles Enoch, & Heliam. *Et deridebant eum.* Quia potentiam loquentis necdum cognoscebant. *Et cum cecisset turba, intravit & tenuit manum eius.* Quia verba Domini irridere quae credere maluerunt, eijciuntur, & non merentur resuscitantem videre. Synagoga quoque nisi a se habuerit multitudines, quae intrinsecus iacet mortua, non resurget. *Et intravit, & tenuit manum eius, & surrexit puella.* Nisi tenuerit dominus, & mundauerit manus Iudaeorum, quae sanguine plenae sunt, synagoga non surget. *Et exiit sana haec in universam terram illam.* In alijs Evangelistis dicitur, quod praecipit, ne cui dicerent. Exemplum suis praebens, si quid boni faciunt, non curent hoc ad fauorem praedicare in populis, propter cenodoxiam. Dicitur quoque in alio Evangelista, quod iusserit illi dari manducare: videlicet ad demonstrandam eius sanitatem & resurrectionem. Tres mortuos resuscitados in euangelio a domino legimus, sed non ab re est, quod non amplius vel minus quam de solis tribus ibi narratur. Legimus enim in alijs libris, quod plures resuscitauit, & credimus quia ita est. Sed tamen non placuit euangelistis de pluribus narrare, ordinante spiritu sancto, quia in eis locutus est, propter mysterij sacramentum. Igitur

res mortui in corpore, significant tres mortuos in anima: quia anima, quæ peccat, moritur, iuxta prophetæ dictum. Anima quæ peccauerit, ipsa morietur: tres ergo mortui, tria genera hominum peccatorum sunt. Est peccator, qui peccat criminali peccato, & moritur in conspectu domini anima eius, & quia nõ habet in consuetudine ipsum peccatum, veretur iram Dei, & timet futuram diffusionem. Istam significat filia archisynagogi, quæ adhuc in domo erat, quando à domino resuscitata est. Similiter & iste peccator in cubili cordis sui regit adhuc peccatum suum: & non est multis cognitum de eo, propterea quasi lenior est eius resuscitatio, quia si peccauit, non ad multos exemplum malum protulit, neque frequentare studuit. Alius mortuus à domino resuscitatus est filius viduæ: & non iam in domo, sed in platea & porta ciuitatis à domino vitæ reductus est. Et iste significat hominem peccatorem lætali crimine frequenter animam suam occidentem, & ad multorum notitiam propalantem. Quem etiam dominus resuscitabit, si frequens & multimoda fuerit pro eo ad dominum iustorum oratio. Tertium resuscitauit, defunctum Lazarum, de quo scriptum est quod sceteret. Et hic ergo significat miserimum peccatorem, criminum enormitate grauatum, qui non solum ad multos propalauit nequitias suas: sed etiam odio est omnibus pro odore factoris sui, videlicet malæ famæ: quia sicut est odor bonus famæ bonæ, sic odor malus famæ malæ. Et hic ergo si lachrymæ & preces assidue fuisse fuerint iustorum, resuscitabitur. His ergo exemplis omnes nos, qui peccatores sumus, veniam peccatorum nostrorum sperare possumus, si digne, & instanter per ieiunia & elemosynas, atque lachrymarum orationes mala, quæ fecimus, punimus, & vltimus ad vomitum peccati non reuertimur, quod Deus nobis & omnibus penitente voluntibus concedat perfecte agere.

Nota: Satis  
vniuersi pro  
peccatis.

HAYMONIS EPISCOPI  
Halberst. superioris Euang.  
expositio.

Loquente Iesu ad turbas, ecce princeps vnus accessit, & adorauit eum, &c. Vbiunque in sacro eloquio nomen turbæ audimus, diuersitatem voluntatum intelligere debemus. Non enim vnus voluntatis erant qui Christum comitabantur. Quibus turbis quum Dominus prædicaret verbum Dei, ecce princeps vnus accessit. Ille princeps secundum quod Lucas scripsit, Iair vocabatur. Iair Hebraicè, Latine, interpretatur illuminans, sine illuminatus. Quem nullum melius intelligere possumus per istum principem, quàm Moysen qui à Deo super plebem Israëliticam princeps constitutus est. Qui Moyses bene illuminans siue illuminatus potest dici, qui propheta fuit, illuminatus à spiritu sancto vt præcepta legis intelligeret, sicut ei data sunt in monte Synai. Idem illuminans dicitur, quia multos illuminauit legem scribendo & exponendo eam auditoribus suis qualiter illam deberent obseruare. Et ecce princeps vnus accessit, & adorauit eum. Lucas dicit quod ad pedes eius procidit. Si per caput Christi diuinitatem intelligimus, quia caput Christi Deus, quid per pedes eius nisi incarnationem illius debemus acci-

perere? Corpus videlicet & animam quod in vtero virginali assumpsit in vnitare suæ personæ. Ille princeps procidit ad pedes Domini, quia B. Moyses præsciens filiam Dei in mundum, per virginem Mariam venturum, procidit ad pedes eius, id est, humiliter se subdidit potestati eius, quia credidit eum verum Deum, & verum hominem futurum, & omnibus mortalibus excellentem esse præiudicauit. Vnde Paulus dicit. Quod infirmum est Dei fortius est hominibus. Infirmum Dei est humanitas filij Dei, quæ fortior est hominibus, quia meritum omnium sanctorum transcendit humanitas filij Dei. Quod Moyses præiudicauit incarnationem filij Dei venturam, possumus probare in verbis ipsius, quibus dixit Iudæis: Prophetam suscitabit vobis Dominus Deus vester de fratribus vestris, tanquam me, subauditur mortalem, ipsum audietis, iuxta omnia, quæ loquutus vobis fuerit. Etenim omnis veniat, qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium. Domine, filia mea modo defuncta est. Filia Moysi Synagoga intelligitur, quæ nobiliter vt puella educata ab ipso Moysè, & à sequentibus principibus, ac doctoribus vsque ad aduentum filij Dei. Sed appropinquante tempore pubertatis, quum debuisset Deo spirituales filios gignere, id est, fidè habere, & bona opera procreare, mortua est perfidia, & inuidia. Perfidia, quia noluit in filium Dei credere. Inuidia, quia dolens, & affligitur, quod gentes crediderant. Inuidet enim Iudæa gentibus credidisse. Vnde legimus in actibus apostolorum. Sequenti die sabbati conuenit vniuersa ciuitas audire verbum Domini. Videntes autem turbas Iudæi repleti sunt zelo, id est, inuidia, & contradicebant his, quæ à Paulo dicebantur blasphemantes. Pro qua filia mortua inuidia, & infidelitate rogauit B. Moyses Dominum vt veniret in mundum per incarnationis mysterium, & imponeret illi manum, id est, operationem diuinam exhiberet circa illam prædicando & miracula patrando & sic resuscitaret eam à morte infidelitatis ad credulitatem. Et surgens Iesus sequebatur eum. Post Moysen natus est Christus, venit in mundum per humanitatem, vt liberaret filiam Moysi, id est, Synagoga à sua perfidia. Sed quid contigit, dum pergeret ad filiam archisynagogi resuscitandam? Subintravit mulier sanguine fluens, & præripuit salutem: quia, dum veniret per incarnationis mysterium ad gentem Israëliticam, vt eam solam saluaret, & ad fidè veritatem reduceret, iuxta quod ipse dicit: Non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israël, illa nolente credere, subintravit multitudo gentium veniens ad fidem per prædicationem apostolorum, & sanata est ab errore infidelitatis. Postquam autem mulier à profluvio sanguinis liberata est, venit Dominus, & suscitauit filiam archisynagogi: quia cum plenitudo gètium subintraverit, id est, quum omnes, qui ad vitam æternam prædestinati sunt ex gentibus, electi fuerint ad fidem, tunc omnis Israël saluus fiet. Appropinquante die iudicij istud erit, tunc reuertetur Dominus ad Iudæos. Hoc est quod Psal. dicit: Notum fecit Dominus salutem suam, id est, Christum, ante conspectum gètium reuelauit iustitiam suam, recordatus

Luc. 8.

Psal. 15.

Psal. 33.

2002.

datum est misericordie suæ, & veritatis suæ domui Israël. Tardè iam. Ecce mulier, quæ sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, accessit retro, & tetigit fimbriam vestimenti eius. Lucas dicit, quod filia Archisynagogi duodennis erat, quando mortua est, id est, duodecim annos habebat ætatis. Et Mattheus dicit hic, quod hæc mulier, quæ sanata est à Domino duodecim annis fluxum sanguinis patiebatur. Ex verbis euangelistarum nobis datur intelligi, quia eo tempore, quo ista cepit nasci in patriarchis Abraham, Isaac, & Jacob, & cæteris iustis, eo tempore ecclesia gentilis fordibus idolatriæ cepit foedari, relinquens creatoris, & adorans creaturam. Sanguinis fluxum dupliciter possumus intelligere spiritualiter, aut superfluitatem libidinis in carnali ardore libidinoso, aut culturam idolotum. Gentilis populus fluxum sanguinis patiebatur, quia luxuriæ vltra modum inferviebat, & culturæ idolorum deditus erat. Fornicatio aliquando ponitur pro idololatria, vt illud: Perdidisti omnes, qui fornicantur abs te. Ille ergo fornicatur à Deo, qui relicto Deo vero, veneratur idola, sicut mulier deserens proprium virum, & pergens ad alium. Accessit retro: ad Dominum ecclesia gentium, quia postquam filius Dei miracula patrauit in mundo, atque doctrinam verbi sui discipulis cõtulit, postquam etiam resurgens à mortuis cælorum altitudinem penetravit, vnde venerat prædicantibus apostolis, accessit ad illum retro per fidem dilectionis, iuxta quod Psal. dicit: Accedite ad eum, & illuminamini. Vel certè accedit ecclesia ad Dominum, iuxta illud quod scriptum est: Post Dominum Deum tuum ambulabis. Et alibi ipse dicit: Qui mihi ministrat, me sequatur, id est, me imitetur. Quare non venit hæc mulier ad Dominum in ciuitate aut in domo, sed in via? Quia iuxta legem ab vrbibus excludebatur. Tetigit fimbriam vestimenti eius. Per vestimentum Domini, sicut & per pedes eius, possumus intelligere incarnationem humanitatis eius, qua indutus est, quia videti non poterat per diuinitatem, iuxta quod ipse dicit ad Moysen: Non videbit me homo, & viuere potest. Tetigit ergo ecclesia gentilis vestimentum Domini, & sanata est, quia veraciter credidit incarnatione illius, passionis, & resurrectionis à mortuis, & ideo salua facta est. Tunc namq; Dominum tangimus, si veraciter in eum credimus. Vel certè per fimbriam vestimenti Domini designantur minima præcepta Euangelij. Non omnes possunt intelligere mysteria diuinitatis illius. B. Ioannes solus proxima dilectione super pectus domini recubuit. Maria Magdalene caput domini sacro vultu perungere meruit. Hæc mulier sanguine fluens, fimbriam vestimenti eius tetigit, & per hoc mundata est, quia certè mundandus est ille, qui nouissimam euangelij partem opere impleuit. Dicamus & aliter, vestimentum electorum est Christus, iuxta quod Paulus dicit: Quotquot baptizati estis in Christo, Christum induistis. Et omnes electi sunt vestimentum Christi, iuxta quod ei dicitur à patre per prophetã: Vno ego, dicit dominus Deus, quia omnibus suis velut vestimento vestieris. Si omnes electi sunt vestimentum domini, ergo per fimbriam illius possumus intelligere bearum Paulum. Ad tactum nanque fimbriæ sanata est mulier, quia ecclesia gètilis per prædicationem Pau-

li fidè veritatem suscipiens sanata est à sua infidelitate. Origenes dicit illi sensum. Dicebat enim intrã se. Subauditur populus gentium. Si tetigero fimbriam vestimenti eius, id est, si credidero incarnationem eius, vel si minima præcepta euangelij obseruauero, vel etiam si prædicationi Pauli apostoli assensum fidèi præbuero, salua ero. Alius euangelista dicit: Quod cum dominus tactus esset à muliere, conuersus dixit: Quis me tetigit? Respondens Petrus ait: Præceptor, turbæ te comprimunt, & dicitis: quis me tetigit? Nam & ego cogitavi virtutè de me exisse. Quæ sunt illæ turbæ, quæ dominum comprimunt? Conuenticula hæreticorum ac Iudæorum, quæ dominum comprimunt, & grauant, dum rectam fidem in pectoribus suis recipere nolunt. Dum hæc turba comprimit, & intrant mulier, & sanatur, quia, dum hæretici, & Iudæi veritatem fidèi respuunt, populus quondam gentilis, veraciter credens in domini incarnationem, saluatur. Secundum Lucam, hæc mulier omnem substantiam suam in medicos erogauerat, nec ab vilo potuit curari. Quid debemus intelligere per hos medicos? Falsos Theologos & diuinos, siue daemones, seu etiam philosophos gentium, qui multa subtiliter de virtutibus, ac vitiis disputauerunt. In quibus hæc mulier, id est, ecclesia gentium omnem substantiam suam, id est, rationalem intellectum expenderat: sed non potuit ab illis salutem animæ percipere, neque purgationem peccatorum inuenire, donec verus medicus adueniret Christus, & eam proprio sanguine redimeret, in quem credens sanata est à sua iniquitate. At Iesus conuersus. Non obliuiscitur dominus seruatorum suorum fidelium, sed respicit eos, id est, misericordiam suam tribuit. Conuersio enim eius clementiam designat, quam habet erga ecclesiam. Et videns eam, dixit: Confide, filia, fides tua te saluam fecit. Credidisti à me posse saluari, fides tua te saluam fecit. Ideo à domino filia appellatur, quia veraciter se credidit ab eo posse sanari, & ecclesia præsens de gentibus congregata, siua appellatur, quæ credidit in dominum Iesum Christum, iuxta quod Ioan. euangelista dicit: Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine eius, Iudæi verò, qui quondam filij appellati sunt propter fidem, iuxta quod scriptum est: Filius meus es tu primogenitus Israël: modo appellatur canes propter infidelitatem, iuxta quod Psalmo vicimo primo dicit: Circumdederunt me canes multi. Et sanata est mulier ex illa bova. Nihil medium fuit inter dictum domini, & opus eius, iuxta illud Psal. dicentis: Ipse dixit, & facta sunt. Vbi ipse dixit. Fides tua te saluam fecit, statim salua facta est. Et cum venisset in domum principis. Sicut superioribus diximus, per filiam Archisynagogi designatur Synagoga: per mulierem, quæ sanguinè emittebat per vuluam, designatur ecclesia gentium. Dum dominus venisset in mundum ad solum populum Israëliticum saluandum, iuxta quod ipse dixit: Non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israël, illa plebs, id est, ecclesia gentium sanata est, iuxta illud Psal. Ethiopia præueniet manus eius Deo. Sanata hac muliere, dominus venit, sicut dicitur, ad filiam principis suscitandam, quia, quum plenitudo gètium subintraverit, tunc omnis Israël saluus fiet. Et cum venisset ad domum principis. Aduentum filij Dei ad domum

Psal. 31.

Math. 15.

Psal. 67.



principis, aduentum ipsius signat ad Iudæos in nouissimo tempore, quando predicante Helia, & Enoch, reuertetur ad eos, quos reliquit, dicens: Relinquetur vobis domus vestra deserta. Tunc illi, qui crediderint, clamabunt, & collaudabunt eum, dicentes: Benedictus qui venit in nomine domini rex Israël. *Et cum venisset ad domum principis. Mosis, & vidisset tibicines.* Tibicines sunt carmē lugubre canentes, id est, triste, quia apud antiquos sicut querebatur ars musica in lætitia, ita querebatur in tristitia. Quare? Hanc vim habebat ars musica, ut, quem inueniebat tristem, tristiorē faciebat: quem inueniebat hilarem, hilariorē reddebat. *Qui sunt modo ibi tibicines?* Spiritualiter magistri Iudæorū, qui triste carmen canunt, qui vidēt se de terra repromissionis expulsos, vident suam synagogam à Deo destructam, nec omnino credunt ab eo resuscitandam. Merito ergo dolent, & tristantur, quia sponsum autorem lætitiæ spiritualiter perdidērūt, qui dicit: Nō possunt filij sponsi ieiunare, quādiu cum illis est sponsus. Veniet hora, quando auferetur ab eis sponsus, & tunc ieiunabunt. Non sunt adhuc in numero illorum Iudæi, de quibus est illud Psalm. Et lætentur omnes, qui sperant in te, &c. *Et tumultuantem, id est, stentem.* Tumultus dicitur tumor de multis, dicebat: *Non est mortua puella, sed dormit.* Illis erat mortua, qui eam resuscitare non valebant, domino autem dormiebat, quia & illius anima domini dispositione vivebat, & caro resuscitanda quiescebat. Ideo cōsuetudo exorta est sacre scripturæ, ut omnes, qui resuscitandi sunt à Deo, non mortui sed dormientes appellentur, sicut est illud Pauli Apost. Nolo vos ignorare, fratres, de dormientibus, id est, de mortuis. Et dominus de Lazaro: Lazarus amicus noster dormit. Licet mortuus fuisset, domino dormiebat, quia facilius potest Deus hominē resuscitare de somno mortis, quam homo hominem de somno corporis. Moraliter, Cum anima peccatis plena ipsa moriatur, iuxta illud quod scriptum est: Anima, quæ peccauerit, ipsa morietur, tamen resuscitanda est à domino per lamentum pœnitentiæ. Nobis quidem mortua, sed illi obdormisse dici potest, quia in eius prædestinatione iam vinit. *Et deridebant eum,* quia dixerat: *non est mortua puella, sed dormit.* Non putabant eum resuscitare eam posse, ideo meritò foras excluduntur, indigni tantum miraculum videre. *Et cum eieccta esset turba, puellam resuscitauit.* Antea dixit dominus patri puellæ, secundum alium euang. Crede tantum, & salua erit filia tua. Designatur per hoc, quia nisi magistri Iudæorum crediderint, de quibus dominus alibi dicit: Super cathedram Mosis sederunt scribæ, & pharisæi. Synagoga eorum non resurget. *Et eieccta turba,* per hanc turbam designatur turba vitiorum. *Tenuit manum puellæ, & suscitauit eam.* Manus puellæ designant manus Iudæorum, quæ sanguine prophetarum, ac cæterorum iustorum, sanguine etiam Christi sunt plenæ. Vnde & dominus illis impropertat per prophetam: Cum extenderitis manus vestras ad deprecandū me, non exaudiam vos. Quare? quia manus vestræ sanguine plenæ sunt. Cum ergo turba vitiorum eieccta fuerit à Iudæis, & cum abrenuntiauerint diabolo, & omnibus operibus eius, & manus eorum, id est, opera sanguinolenta fuerint purgata per gratiam baptismi, & per sanguinem Christi, quem suderunt,

tunc saluabitur eorum synagoga. *Et surrexit puella, & exiit sana, per vniuersam terram illam.* Cum crediderint Iudæi, appropinquante die iudicij, tunc exiet fama, id est, laus omnipotentis Dei per omnem terram: quia omnes gentes gaudebunt de credulitate Iudæorum. *Et iussit illi dare manducare,* ne phantastica videretur hæc resuscitatio. Spirituallyter omnis, qui resuscitatur à Deo de morte animæ ad vitam, manducare debet, id est, corpore domini nostri Iesu Christi, & verbo Dei vesci.

## AVTHORIS INCERTI

sub nomine Eusebij episcopi Emisseni  
superioris Euang. expositio.

**Q**uid enim per hunc principem, nisi Abraham, Isaac, & Iacob, Moysen, & Aaron, & cæteros illius populi principes intelligimus, qui semper pro filia sua (id est, Synagoga) morte, & cæcitate ad Deum accedunt, & intercedunt? Rogant igitur dominum ut veniat, imponat manum suā super eam, & viuet. Omnes enim patriarchæ, & prophete hoc orabant, omnes Christi aduentum expectabant, & desiderabant. Venit tādē dominus Iesus, sed pro itineris longitudine nondum ad puellam peruenit, nondum super eam manum posuit, adhuc mortua iacer. Ipse tamen ad eam vadit, & simul cum eo discipuli eius. Quotidie enim ad huius puellæ resurrectionem, quotidie ad synagogæ conuersionem propinquamus. Prius tamen altera mulier sanabitur, quā ad istam perueniamus. Quia quum plenitudo gentium introierit, tunc Israël saluus fiet. Sed quid est, *Filia mea modo defuncta est?* quid est, *modò?* Modò (inquit) venisti, modò predicare cæpisti, modò filia mea defuncta est. Venit medicus, venit sanitas, & vita, & quando sanat, & conualecere debuit, tunc defuncta est filia mea. Nisi enim venisses, & loquutus ei fuisses, peccatum non haberent: nunc autem exaltationem nō habet de peccato suo. Sic igitur mortua est filia mea: sed veni, impone manum super eam, & viuet. *Et surgens Iesus sequebatur eum, & discipuli eius.* Meritò iste princeps vocatur Iairus, quem Iesus sequitur, & discipuli eius. Iairus enim illuminatus interpretatur. Vnde bene patriarchas, & prophetas significat, quorum oculos sanctus spiritus illuminauit, quibus incerta & occulta sapientiæ suæ mysteria reuelauit. Hos autem sequitur Iesus & discipuli eius, quia eadem via misericordiæ & iustitiæ gradiuntur omnes: & quod illi prænunderunt, hoc isti facere, & adimplere contendunt: illi loquēdo & prophetando præcedunt, isti agendo & confirmando sequuntur. *Et ecce mulier, quæ sanguinis fluxum patiebat, duodecim annis, accessit retrò, & tetigit fimbriam vestimenti eius.* Quæ est enim hæc mulier, nisi ecclesia gentium? Ad synagogam sanandam venerat dominus, (hoc enim ipse ait, Non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israël): & ecce mulier, quæ sanguinis fluxum patiebat, & secundum legem immunda dicebatur, accessit retrò, & tetigit fimbriam vestimenti eius, & sanata est. Fluxum enim sanguinis patiebat, quia in sanorum peccatorum sanguine versabatur, quia sanguinum rapina, & occisione nutritabatur. Retrò accessit, non in facie stetit, cum

## THEOPHYL. EPISCOPI Bulgar. superioris Euangel. expositio.

**Q**uam hæc loqueretur ecce princeps accessit, &c. Videtur ille fidem habere, quamuis nō magnam. Obscecat enim Iesum, non ut solum verbum dicat, sed ut & veniat, & manum imponat. Defunctam autem esse dicit filiam, quamuis apud Lucam dicatur nondum defuncta: dicit autem <sup>Luc. 8.</sup> velut coniectans, eo quod reliquerat eam, iam extremum exhalantem spiritum, velut augens calamitatem, quod ad misericordiam prouocaret Christum. *Et ecce mulier, quæ sanguinis profluvio laborabat, &c.* Mulier hæc, quoniam immunda erat, ob pietatem non accessit manifeste, ne forte quo pacto prohiberetur: quāuis autem putabat se posse latere, verumtamen sperauit se sanitatem assecuturam, si tantum summam eius vellem contingeret, quæ per fimbriam significatur. At saluator prodidit eam, non ut amans gloria, sed ut fidem illius ad nostram vtilitatem declararet, & ut in fide roboraretur etiam Archifsynagogus: confide autem dixit illi, eo quod timida esset, quia furtim donum acceperat. Et filiam vocat, ut fidelem. Ostendit iterum, quod, nisi habuisset fidem, neutiquam recepisset beneficium, quamuis sanctas contigisset vestes. Dicunt autem quod statuat domino fecerit, ad cuius pedes nascatur herba, quæ profluvio sanguinis laborantibus medeatur, quam Iuliani temporibus impij contiuenerunt. *Et vidisset tibicines.* Quoniam nondum nupta erat, deslebant eam nuptialibus tibiis, secundum legem hoc facientes. Dormire autem dicit illam, eo quod apud se mors somnus esset: valebat enim facile suscitare. Cæterum quod deriserunt eum, ne mireris: nam testimonium amplius dant miraculo, quod vere mortuam suscitauit. Ne quis enim diceret, quod in excessu quodam esset, idcirco in confesso erat apud omnes eius mors. *Vbi autem eieccta est turba, ingressus est, &c.* Vbi turba est, & tumultuatio, nō operatur miracula Iesus. Tenet autem manum, vulturam illi datur. Et tu, si mortuus fueris peccatis, tunc surges, quando apprehenderit manum tuam, ita ut opereris, eieccta turba, & tumultuatione sedata.

## EVTHYMIU ZIGABONI superioris Euang. expositio.

**H**æc illo eis loquente, ecce primas quidam ingressus, &c. Hic princeps erat synagoga Iudæorum, Iairus appellatus, ut dicunt Marcus, & Lucas. Reliquerat autem filiam suam iam iam morituram. Nam Marcus eum dixisse commemorat; <sup>Marc. 5.</sup> Filiorum mea in extremis est. Lucas vero, quod <sup>Luc. 8.</sup> iam moriebat. Itaque; *Modo defuncta est,* dixit coniectando. Suspicabatur enim, quod tunc iam omnino mortua esset. Verisimile est autem primum dixisse eum, in extremis est: deinde, *Modo defuncta est,* sine iam expirauit. Duo autem petebat: ut veniret, & manum imponeret, utpote crastinus affectus. *Et surgens Iesus sequebatur eum & discipuli eius.* Marcus, & Lucas dicunt, quod etiam turba multa sequebatur. Plures siquidem eorum carnaliter viuentes, non tantum animæ vtilitatem

concupiscebant, quantum carnis, siue corporis sanitatem. Ecce mulier sanguinis profusio laboras, &c. De presentis capite latius & planius scripsit Lucas. cas. v. p. d. o. m. e. d. y. simbria, est vestis extrema pars, quae pedes contegit, & ambulando terram attingit. Dicebat enim intra se, &c. Magnam habebat fidem: credebatur enim, quod, ubi solam vestimenti simbriam tetigisset, salua fieret, id est, sanaretur. Hanc tamen imperfectam habebat: putabat namque latere illum, qui occultos quoque animi motus inuenit. Iesus autem conuersus ac inuictus eam, &c. Mat-

thaeus tanquam breuitatis amator, quae in medio contigerit, praetermisit, miraculum solum manifestans. Lucas vero omnia accurate proposuit. Et salua facta est mulier ex illa hora. Salua facta est, hoc est, curata. Lucas siquidem dixit, sanata. Ex hora, inquam, non qua dixit ei Iesus; Bono animo esto filia, sed qua simbriam tetigit, sicut Marcus, & Lucas scripserunt. Quumque venisset Iesus in domum primatis, &c. Moris enim erat in huiusmodi calamitatibus tibicines inducere, qui lamentationes excitaret. Hoc autem caput latius scripsit Marcus.



# DOMINICA VLT. POST PENTECOSTEN.

MATTH. 24.

**N**illo tempore, dixit Iesus discipulis suis, Cum videritis <sup>a</sup> abominationem desolationis, quae <sup>b</sup> dicta est à Daniele propheta, stantem in loco sancto: qui <sup>d</sup> legit, intelligat. Tunc qui in <sup>e</sup> Iudaea sunt, fugiant ad <sup>f</sup> montes: Et qui <sup>g</sup> in tecto, non descendant tollere aliquid de <sup>h</sup> domo sua: & qui in <sup>i</sup> agro, non reuertatur tollere <sup>k</sup> tunicam suam. <sup>l</sup> Vae autem <sup>m</sup> praegnantibus & <sup>n</sup> nutrientibus in illis diebus. <sup>o</sup> Orate autem, vt non fiat fuga vestra <sup>p</sup> hyeme vel sabbato. Erit enim tunc <sup>q</sup> tribulatio <sup>r</sup> magna, qualis non fuit ab initio mundi vsque modo, neque fiet. Et nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro, sed propter electos <sup>s</sup> breuiabuntur dies illi. Tunc si quis <sup>t</sup> vobis dixerit: Ecce <sup>v</sup> hic Christus, aut <sup>x</sup> illic nolite credere. Surgent enim <sup>y</sup> pseudochristi, & pseudoprophetae: & dabunt <sup>z</sup> signa magna & prodigia, ita vt in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi. <sup>a</sup> Ecce praedixi vobis. Si ergo <sup>b</sup> dixerint vobis: ecce in deserto est, nolite <sup>d</sup> exire: ecce in <sup>e</sup> penetralibus, nolite credere. Sicut enim <sup>f</sup> fulgur exit ab <sup>g</sup> oriente, & paret vsque in <sup>h</sup> occidentem: ita erit aduentus filij hominis, Vbicunque fuerit <sup>k</sup> corpus, illic <sup>l</sup> congregabuntur & aquilae. Statim autem post <sup>m</sup> tribulationem dierum illorum sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, & stellae <sup>n</sup> cadent de caelo, & <sup>o</sup> virtutes

<sup>a</sup> Hominem peccati, qui aduersatur & extollitur supra omne quod dicitur Deus, qui destruet, & ad solitudinem rediget susceptores se. <sup>b</sup> Praedicta. <sup>c</sup> In templo Dei: vel, ubi non deber, secundum Marcum quod idem signat. <sup>d</sup> Illam prophetiam vel sequentia. <sup>e</sup> In confessione fidei. Vel dimissa occidente litera & Iudaea prauitate, aeternis approprient montibus. <sup>f</sup> Virtutum culmen altius ascendant. <sup>g</sup> Qui excedit carnem, animo non redat ad aliquos adus pristinae conuersationis. <sup>h</sup> Carne vel mundo. <sup>i</sup> Qui operatur in ecclesia. Qui exierit ciuitatem huius mundi. <sup>k</sup> Id est, rem secularem, quae se exiit vt nudus Christum sequatur. <sup>l</sup> Vae ambitiosis patrum: orum. <sup>m</sup> Diuitias quas adepti sunt fouentibus, quia sarcina grauari fugere non poterunt. <sup>n</sup> Qui in fidei habent, & egent nutrimento magistrorum. <sup>o</sup> Non tunc primo incipit declinare à malo, cum morte praesentiente iudicium Dei non potestis effugere. <sup>p</sup> Quia haec tempora non sunt itinere conuenientia. <sup>q</sup> Hoc proprie temporibus Antichristi. <sup>r</sup> Cuius non concutiat fides, cum persequatur pietatis erit operator virtutum. <sup>s</sup> Ne desperent. <sup>t</sup> In illa pressura. <sup>u</sup> Vestis imitatoribus. <sup>v</sup> Apud Arrianos. <sup>x</sup> Apud Donatistas vel huiuscemodi. <sup>y</sup> Membra eius qui se effert super omne quod dicitur Deus aut quod colitur. <sup>z</sup> Aliquid magni significantia. <sup>a</sup> Vt praesentis vigilat. <sup>b</sup> Quia praemoniti estis. <sup>c</sup> Christus moratur in dogmate gentilium philosophorum. <sup>d</sup> A fide ad doctrinam eorum. <sup>e</sup> Haec reticorum, qui se iactant arcana Dei nosse. <sup>f</sup> Contra hoc quod dixit: Ecce in penetralibus. <sup>g</sup> Cunctis videntibus, non in secreto. <sup>h</sup> Contra quod dixit: Ecce hic, ecce illic. <sup>i</sup> Nec vno loco, nec oculus erit aduentus Christi, sed in toto orbe manifestabitur. <sup>k</sup> Verus Christus non est ficticius. <sup>l</sup> Eo festinat intentio sanctorum, qui in veri splendore solis suos possunt figere inuictus. <sup>m</sup> Non quod tota transacta, sed quia praecedet tribulatio, vt sequatur quorundam defectio. <sup>n</sup> Id est, lumine carebunt. <sup>o</sup> Timebunt angeli, quanto magis homines.

<sup>p</sup> Et venient ad vos. <sup>q</sup> Thau, impressum frontibus fidelium. Vel signum crucis, vt videant in quem transfixerunt, vel vexillum signum victoriae triumphantis. <sup>r</sup> Sero accusante conscientia. <sup>s</sup> Ad iudicandum. <sup>t</sup> Sicut veniet quemadmodum vidistis eum euntem in caelum. <sup>u</sup> Qui quasi humilis & infimus iudicatus est. <sup>v</sup> De qua apostolus loquitur. <sup>x</sup> Tam aperta & tam intensa voce quae vbiq; à mortuis audiat. <sup>y</sup> Id est, mundi climatibus oriente, occidente, aequilone, austro. <sup>z</sup> Sub exemplo arboris docet de aduentu consummationis. <sup>a</sup> Intelligitis aetatis aduentum. <sup>b</sup> Quae scripta sunt, quae dixi supra. <sup>c</sup> Ne putetis iam esse consummationem mundi, sed praerutiones quasdam quae ostendant quod prope sit in ianuis. <sup>d</sup> Credite quae dixi. <sup>e</sup> De morte ad immortalitatem, donec veniat dies domini. <sup>f</sup> Vel omne genus hominum, vel, gens Iudaeorum, quae non deficiet donec veniat dies domini. <sup>g</sup> Aereum, non aethereum. <sup>h</sup> In nouabuntur. <sup>i</sup> Sed sicut dicuntur, sine vlla immutatione implebuntur. <sup>k</sup> Caelum & terra <sup>l</sup> transibunt, verba autem mea non <sup>m</sup> praeteribunt.

## GLOSSA ORDINARIA in superius Euangelium.

**A**BOMINATIONEM, &c. Vel si de excidio vrbis, abominatio, id est idolum. Pilatus enim posuit imaginem Caesaris in templo desolato, Vel hoc dicitur de statua Aetiani equestri, quae in ipso sanctorum loco longo tempore stetit. *Tunc qui in.* Haec ad litteram facta sunt cum appropinquante terminio Iudaeorum, oraculo moniti omnes Christiani fugerunt in regnum Agrippae, qui parebat Romanis. *Mystice.* *Tunc.* id est cum haereses, & flagitia regnare ceperint inter sanctos, & pacem eorum distrahere: quando plures videt sequi praua, tantò altius virtutes petant. *Vae au.* quia sarcina grauatæ fugere non poterunt. In isto, qui in Iudaea sunt, fugiant ad montes, concordat Lucas: caetera videtur aliter dicere, ita & qui in medio eius discedat. Sed quomodo cum praedixit euangelista circumdari Hierusalè ab exercitu: qui in medio sunt, id est cum ita vrgebit periculum vt euadi non possit, discedant: id est non capiuntur desiderio huius seculi in aliam vitam migrare parati? Idem quod alij dixerunt, in tecto est, non descendant tollere aliquid de domo sua: hoc est nullo affectu inclinentur ad carnem. Et hoc quod Lucas ait: & qui in regionibus non intrent in eam, id est qui iam bono proposito cordis extra illam facti sunt, non eam rursum carnali cupiditate desideret. Hoc alij & qui in agro, non reuertatur tollere tunicam suam: hoc est, iterum inuolui curis quibus exutus erat. Graues animae peccatis, & quae nutriunt, id est imperite Antichristum effugere non poterunt. Vel, vae illis, qui sua germina non prodixerunt in virum perfectum. *Orate.* Si de captiuitate, orent ne fuga eorum sit hyeme vel sabbato quia in altero prohibet duritia frigus ad solitudines fugere, & in desertis latitare. In altero transgressio legis est si fugere volunt: vel mors si remanent. Spiritualiter autem praecipitur, vt non frigeat fides in Deum, & charitas, neque ociosi in opere torpeamus virtutum sabbato. Hanc sententiam Lucas illustrat. Dicit enim, Attendite vobis, ne

graentur corda vestra in crapula & ebrietate & curis huius vitae, & superueniat in vos dies illa repentina. Vigilate itaque omni tempore, vt digni habeamini fugere ista omnia quae futura sunt: Ad hyemen pertinent curae quae tristes sunt, vt hyems crapula & ebrietas ad sabbatum: quia in eis delitibus affluere mos erat Iudaeis, ignaris veri sabbati. *Et nisi.* Quae ergo spes electis, nisi gratia Dei, quae dat patientiam piis, vt citius demat potentiam impiis: Quamto enim erit haec tribulatio grauior, tantò erit breuitate moderatior. *Vel dierum nomine,* ipsa mala significantur. *Breuiati fuissent,* non mensura, sed numero, ne mota temporum fides concutiat credentium. Erunt enim haec mala tribus annis, Et dimidio tantum. *Ecce hic Christus.* Habet vnaquaeque haeresis vel certas mundi partes, vnde dicitur: *Ecce hic est ecce il.* Vel in oculis, aut in obscuro conuenticulis curiositate hominum decipit: vnde dicitur: *Ecce in cubilibus, ecce in deserto.* Multi erunt qui non credent Christum esse communem salutem omnium, sed quorundam: vnde dicitur, *hic aut illic.* *Si fieri possit,* id est si aliquo modo fieri posset, vt Dei praefinitio mutaretur: & ideo non de veris intelligi potest electis. *Electi.* Non quod diuina electio frustretur, sed qui iudicio humano videntur electi. *Ecce in deser.* Multi etiam credunt non venire in publicum, sed in deserto. Multi credunt Christum dedisse secretiora praecipua fidei aliis, non omnibus, vnde dicitur in penetralibus. Nolite credere, quod Christus in deserto vel in penetralibus, sed quod fides eius ab oriente in occidentem in catholicis fulget clara, & manifesta. Ne ergo credatur schismaticis, Nomine orientis & occidentis totum orbem designat. *Sicut enim fir.* Pro manifestatione & claritate inter nebula, vel noctem huius seculi. Stultum est ergo cum querere in paruo loco, vel in abscondito, qui totius mundi lumen est. Et ne loci in quo futurus est esset ignari, ait: *Vbicunque fuerit corpus.* id est in caelum, quo hinc leuauit corpus susceptum: quia rapicemur obuiam Christo in aera, & sic semper cum domino erimus. De naturali exemplo Christi astruit sacramentum. Aquilae & vultures dicuntur transfinatim sentire cadauera, ibique congregari. Nonne ergo

ergo nos rationales congregabit ad eum, qui ut fulgur erit: Vel per corpus, quod significantius dicitur cadaver, quod morte cadat, passionem Christi intellige: ad quam prouocamur, ut ubique legitur, congregemur, & per illam venire possumus ad verbum Dei. Vel sancti sunt Aquilæ, qui inuuantur consumpta vetustate ad petram: qui est Christus. *Sol obscur.* &c. Mysticè. Ecclesia speciosa ut luna, electa ut sol, & que noctem illuminat ut stellæ: tunc non apparebit, impijs vltra modum facientibus. Et cadent multi, qui fulgere videbantur, & firmissimi turbabuntur. Vel, sol & luna & stellæ ad tempus suo lumine priuabuntur, ut vicinum indicent aduentum domini. Sed peracto die iudicij, mudo in nouato, maius lumen recipiet. Vel superueniente claritate veri luminis, videbuntur obscurari, & nullius esse luminis, & angeli in tenebras reputabuntur. Iob dixit: *Collum celi contremiscit, & pauent aduentum eius. In nubibus.* Vel in nubibus, id est in sanctis, sicut quoti die facit dum prædicatores & angelos mittit. *Cum vir.* Secundus aduentus non in humilitate ut prior, sed in gloria demonstrabitur. *A summis ca.* Ne quis putaret à quatuor plagis terræ, & non à cunctis finibus eius, simul & mediterraneis regionibus electos esse congregandos, subdit: *A summo terræ usque ad summum celi.* id est ab extremis terræ finibus per directum vsque ad vltimos terminos eius: ubi longè aspicientibus circulus celi, terræ videtur insidere. *Ab arbo.* &c. Mysticè. Appellatio Israel, in quo cæcitas ex parte contigit: & fuit ficus damnata. Sed cum de arido ligno ramus fidei, & charitatis in eo viruerit, & folia, id est verba prædicationis exorta fuerint, prope est ætas, quæ expectatur, id est æterna serenitas, & renascentiū desiderata nouitas. Cum enim tandem ablata perfidia Israel, omnis saluus fiet, prope esse diem iudicij non dubitandum est. *Cælum & ter.* In nouabuntur, de posita priori forma, permanente autem substantia, vnde dicitur. Terra in æternum stabit.

### CATENA AVREA in idem Euangelium.

**C**um ergo videritis abominationem desolationis, &c. Chry. in ho. Quia supra occultè insinuauit Hierosolymæ finem: consequenter idem manifestè ostendit prophetiam inducens, quæ destructionem Iudæorum credere facit: vnde dicit, *Cum ergo videbo desolationem, &c.* Hiero. Hoc autem quod dictum est, *Qui legit, intelligat,* ponitur ut ad intelligentiam mysticam prouocemur. Legimus autem in Daniele hoc modo: Et in dimidio hebdomadis auferetur sacrificium & libamina, & in templo desolationum abominatio erit vsque ad consummationem temporis, & consummatio dabitur super solitudinem. Aug. ad Hesyech. Lucas quidem ut ostenderet tunc factam fuisse abominationem desolationis, quæ à Daniele prædicta est, quando expugnata est Hierusalem: eodem loco hæc domini verba commemorat. Cum videritis circumdari ab exercitu Hierusalem, tunc scitote quia appropinquauit desolatio eius. Chryso. in ho. Vnde abominationem desolationis videtur mihi exercitum dicere: quo, scilicet desolata est ciuitas sancta Hierusalem. Hierony. Aut potest in-

telligi de imagine Cæsaris, quam Pilatus posuit in templo: aut de Adriani equestris statua, quæ in ipso sancta sanctorum loco stetit vsque in presentem diem. Abominatio enim secundum veterem scripturam, idolum nuncupatur: & idcirco additur desolationis, quod in desolato templo, a que deserto idolum positum sit. Chry. in ho. Vel quia ille qui desolauit ciuitatem & templum, statuam inuis posuit. Ut autem discant, quoniam viuentibus quibusdam eorum hæc erunt, propter hoc dixit, *Cum videritis ergo, &c.* Ex quo admirare Christi virtutem, & discipulorum fortitudinem, qui in talibus temporibus prædicabant, in quibus omnia Iudæa impugnabantur. Apostoli autem ex Iudæis existentes, leges introduxerunt nouas, aduersus Romanos tunc dominantes: infinita millia Iudæorum ceperunt Romani, & duodecim viros non superauerunt nudos, & inermes. Quia verò multoties congerat in grauibus præliis Iudæos restauratos fuisse, sicut temporibus Sennacherib & Antiochi: ne aliquis suspicetur tale aliquid futurum, suis fugiendum esse præcepit, cum subdit: *Tunc qui in Iudæa, &c.* Remig. Hæc enim omnia imminente desolatione Hierusalem constat fuisse impleta. Appropinquante namque Romano exercitu, omnes Christiani, qui in prouincia erant, sicut historia ecclesiastica refert, diuino miraculo moniti longius recesserunt: transeuntes Iordanem venerunt in Pellam ciuitatem, & ibi sub tutela Agrippæ regis, cuius mentio in Act. Apost. fit, aliquanto tempore manserunt: ipse autem Agrippa cum parte Iudæorum quæ sibi obtemperabat, Romano subditus erat imperio. Chryso. in ho. Deinde ostendens inuitabilia mala futura esse Iudæis, & infinitam calamitatem, subdit: *Et qui in tecto est, non descendat, &c.* Eligibilis enim erat nudo corpore saluari, quam intrare domum ut tolleret vestimentum, & occidit: propter quod & de eo qui est in agro subdit: *Et qui in agro est, &c.* Si enim qui in ciuitate sunt, fugiunt, multò magis qui foris sunt, non oportet ad ciuitatem refugere. Et quidem pecunias contemnere facile est, & prouidere sibi in vestimentis, non difficile: quæ autem à natura sunt, qualiter aliquis fugiet? Qualiter enim prægnans fiet leuis ad fugam? aut lactans poterit eum, quem peperit, deserere? propter quod subdit: *Ua autem prægnans, &c.* His quidem qui pigriores sunt, & quia facile fugere non possunt, onere conceptionis grauate: his autem quia detinentur vinculo compassionis filiorum, & non possunt simul saluare eos quos lactant. Orig. Vel quoniam non erit tunc tempus miserendi, neque super prægnantes, neque super lactantes, neque super infantes earum: & quasi ad Iudæos loquens, qui arbitrabantur in sabbato non oportere ambulare viam amplius quam est sabbati iter, subdit: *Orate autem, ut non fiat fuga, &c.* Hier. Quia, scilicet in altero duritia frigoris prohibet ad solitudines pergere, & in montibus desertis latitare: in altero autem transgressio legis est, si fugere voluerint: aut mors imminens, si remanserint. Chry. in ho. Vide autem quoniam aduersus Iudæos est hic sermo, nō enim apostoli sabbatum erant obseruaturi, neque ibi mansuri, cum Vespasianus hoc egit, plures enim eorum iam præmortui erant. Si autem aliquis remanserat, in alijs partibus orbis terrarum tunc conuersabatur: propter quod autem orandum esse dixerit

dixerit, subdit: *Erit enim tunc triuma, &c.* Aug. ad Hesyech. Apud Lucam sic legitur: *Erit autem pressura magna super terram, & ira populo huic, & cadent in ore gladij, & captiui ducentur in omnes gentes.* Nam & Iosephus, qui Iudæicam scripsit historiam, talia mala dicit illi populo tunc accidisse, ut vix credibilia videantur: vnde non immeritò dictum est, talem tribulationem nec fuisse à creaturæ initio, nec futuram: sed & si tempore Antichristi talis aut maior forsitan erit, intelligendum est de illo populo dictum quod eis talis amplius futura non erit. Si enim Antichristum illi primitus & præcipuè recepturi sunt, facturus est tunc idem populus tribulationem potius quam passurum. Chryso. in ho. Interrogo autem Iudæos vnde tam intolerabilis ira diuinitus venit super eos, omnibus quæ antè factæ sunt difficiliore? Nam manifestum est quoniam propter crucis manifestationem, sed adhuc ostendit ipsos grauiori poena fuisse dignos, in hoc quod dicitur: *Et nisi breuiati fuissent dies illi, &c.* Ac si dicat, Si amplius durasset prælium Romanorum aduersus ciuitatem, vniuersi perissent Iudæi. Omnem enim carnem Iudæicam dicit, & qui foris & qui intus erat, non enim solum eos, qui in Iudæa erant, impugnabant Romani, sed & eos, qui vbique dispersi erant, persequerantur. Aug. ad Hesyech. Quidam autem conuenienter mihi intellexisse videntur mala ipsa significata nomina dierum sicut sunt dicti dies mali, in alijs scripturæ diuina locis. Neque enim dies ipsi mali sunt, sed ea quæ fiunt in eis. Ipsa enim dicta sunt breuitati, ut Deo tolerantiam donante minus sentirentur, ac si quæ magna essent, fierent breuia. Chryso. in ho. Ne verò Iudæi dicerent, quoniam propter prædicationem & discipulos Christi hæc mala euenerunt, ostendit quod nisi illi essent, radicibus perissent. vnde subdit: *Sed propter ele. bre. di. il.* Aug. ad Hesyech. Non enim debemus ambigere quando euerfa est Hierusalem, fuisse in illo populo electos Dei, qui ex circuncisione crediderant, siue fuerat credituri electi ante constitutionem mundi: propter quos breuiarentur dies illi, ut tolerabilia mala fierent. Non autem desunt qui existimant ita breuiiores dies illos futuros: quod curu solis celestior breuientur, sicut fuit longior dies orante Iesu Naue. Hiero. Nec recordantur illius scripti, Ordinatione eua perseuerat dies: sed iuxta temporum qualitate, id est abbreviatos non mensura, sed numero, ne temporum mora concepiatur credentium fides. Aug. ad Hesyech. Nō tamen putemus hebdomadas Danielis, vel propter dierum breuiationes fuisse turbatas, vel illo iam tempore non fuisse completas, sed in fine temporum esse completas. Apertissimè enim Lucas testatur Danielis prophetiam tunc fuisse completam, quādo euerfa est Hierusalem. Chryso. in ho. Intende autem spiritus sancti dispensationem, quoniam nihil horum scripsit Ioannes, ut non videretur ex ipsa eorum quæ facta sunt historia scribere: etenim post captionem Hierusalem vixit multo tempore, sed qui antè mortui sunt & nihil horum viderunt, ipsi scribunt: ut vndique fulgeat prænuntiationis virtus. Hil. Vel aliter: Totum iudicium aduentus futuri domini ponit, dicens: *Cum ergo vi. abo. &c.* De Antichristi enim temporibus hic locutus est propheta. Abominatio ex eo dicta est, quod aduersus Deum veniens, honorem Dei sibi vendi-

cet: desolationis autem abominatio, quia bellis & caedibus terram desolaturus sit, atque ob id à Iudæis susceptus, loco sanctificationis instituitur: ut ubi sanctorum precibus Deus inuocabatur, illic ab infidelibus receptus Dei honore venerabilis sit: & quia prius iste Iudæorum error erit, ut qui veritatem respuerunt, suscipiant falsitatem, Iudæam deserit monet, & transfugere in montes, ne admixtione plebis illius Antichristo credituræ vis aut contagium afferatur. Quod autem ait: *Et qui in tecto sunt, &c.* Sic intelligitur, Tectum est domus fastigium, & habitationis totius excelsa perfectio. Qui igitur in consummatione domus suæ, id est in cordis sui perfectione constiterit, regeneratione spiritus noui cellus nō descendere in humilia rerum secularium cupiditate debet. *Et qui in agro erit, &c.* scilicet positus in operatione præcepti, non ad curas pristinas reuertatur, ob quas veterum exinde peccaminum, quibus antea contegebatur, erit tunica relaturus. Aug. ad Hesyech. In tribulationibus enim cauendum est, ne quisquam demictus ad carnalem vitam de spirituali sublimitate descendat: aut qui profecerat in anteriora se extendens, deficiendo in posteriora respiciat. Hil. Quod autem dicitur, *Va prægnans, &c. in il. die.* non de factarum onere dominum admonuisse credendum est, sed animarum peccatis repletarum ostendisse grauitatem: quod neque in tecto positæ, neque in agro manentes repositæ, iræ tempestatem vitare possunt: illis quoque vae erit qui nutrètur. Infirmitatem enim animarum, quæ ad cognitionem Dei rāquam lacte educantur, in his ostendit: & idcirco vae ipsis erit, quia ad fugiendum Antichristum graues, & ad sustinendum impeditæ: nec peccata effugerūt, nec cibum veri panis acceperūt. Aug. de ver. do. Vel prægnans est, qui res alienas concupiscit: nutriens est, qui iam rapuit quod concupiuerat, istis enim vae erit in die iudicij, quod autem dominus dixit: *Orate autem, &c.* Aug. de quæst. euan. id est ne in lætitia vel tristitia rerum temporalium quis inueniatur in die illo. Hila. Vel ne in peccatorum frigore, aut in ocio bonorum operum reperiamur: quia grauis vexatio incumbet, nisi quod causa electorum Dei diebus illis sit breuitas afferenda, ut vim malorum coarctatum tempus exuperet. Orig. Mysticè autem in loco sancto omnium scripturarum, tam veteris testamenti quam noui Antichristus, qui est falsum verbum, stetit frequenter: qui autem hoc vident, ex Iudæa litera fugient ad sublimes veritatis montes. Et si quis inuentus fuerit ascendisse supra tectum verbi, & stare super fastigium eius: non descendat inde, occasione ut auferat aliquid de domo sua. Et si fuerit in agro, in quo absconditus est thesaurus, & reuersus fuerit retrò, incurret in seductionem verbi mendacis, & maxime si spoliauerat se vestimentum vetus, id est, veterem hominem, & iterum conuersus fuerit tollere ipsum: tunc autem anima in vtero habens, quæ necdum fructificauit ex verbo, incurrit in vq. proicit enim conceptum, & vacuatur à spe, quæ est in actibus veritatis: similiter autem si videatur formatum & fructificatum verbum, non autem fuerit enutritum sufficienter. Orent autem qui fugiunt in montes, ne fuga eorum fiat hyeme vel sabbato, quoniam in tranquillitate animæ constitutæ, possunt impetrare viam salutis: & in sabbato, quando homo bona opera non facit,



cit, fuga vestra non fiat. Nemo enim in periculo falsi dogmatis facile superatur, nisi qui nudus fuerit ab operibus bonis. Quæ est autem maior tribulatio, quam videre fratres nostros seduci, & quod aliquis videat seipsum moueri & conturbari? Dies autem intelliguntur præcepta, & dogmata veritatis: omnes autem intellectus scientia falsi nominis venientes, additamenta sunt dierum, quæ Deus abbreviat per quos vult. *Tunc si quis vobis dixerit, ecce hic est Christus, aut illic, nolite credere, &c.* Chry. in ho. Cum compleisset dominus ea quæ de Hierosolymis sunt, ad suum de cetero peruenit aduentum, & dicit eius signa, non illis vtilia solum, sed & nobis, & his qui post nos erunt omnibus, vnde dicit: *Tunc si quis vobis dixerit, &c.* Sicut autem cum supra dixit Euangelista: In diebus illis Ioannes Baptista, non tempus quod immediate est, consequens exposuit, cum 3 anni in medio essent: ita & hic cum dicit, Tunc, tamen medium tempus prætermisit, quod futurum erat à captione Hierosolymæ, vsque ad initia consummationis mundi: dantes autem eis signa sui secundum aduentum, de loco eos certificat, & de seductoribus, non enim sicut in priori aduentu in Bethleem apparuit, & in paruo angulo orbis terrarum, & nullo sciente à principio: ita & tunc erit, sed manifestè veniet: ita quod indigeat quod aliquis eius aduentum annunciet, propter quod dicit: *Si quis dixerit, Ecce hic est Christus, aut illic, non credatis.* Hiero. In quo ostendit quod secundus aduentus non in humilitate vt primus, sed in gloria demonstrandus est. Stultum est itaque eum in paruo loco vel in abscondito quærere, qui totius mundi lumen est. Hila. Et tamen quia in magna vexatione positi erunt homines, pseudopropheta tanquam præsentem in Christo opem sint indicaturi, multis in locis Christum esse atque haberi mentientur, vt in Antichristi famularum depressos vexatosque deducant, & ideo subdit: *Surgent enim Pseudochristi & Pseudoprophetae.* Chry. soit. in hom. Hic de Antichristo loquitur & de quibusdam eius ministris, quos Pseudochristos & Pseudoprophetas appellat, quales & tempore Apostolorum multi fuerunt: sed ante secundum aduentum Christi erunt multo prioribus amariiores. vnde subdit: *Et dabunt signa magna & prodigia.* August. in lib. 83. quæst. Admonet autem hic dominus, vt intelligamus quædam miracula etiam sceleratos homines facere, qualia sancti facere non possunt: nec tamen ideo potioris loci apud Deum arbitrandi sunt. Non enim acceptiores erant Deo, quam populus Israël magis Ægyptiorum, quia non poterat ille populus facere quod illi faciebant, quibus Moyses in virtute Dei maiora poterat. Sed ideo non omnibus sanctis ista attribuantur, ne perniciosissimo errore decipiantur infirmi, existimantes in talibus factis maiora dona quam in operibus iustitiæ, quibus vita æterna comparatur. Cum ergo talia faciunt magi, qualia nonnunquam faciunt sancti, diuerso sine & diuerso iure sunt. Illi enim faciunt quærentes gloriam suam, illi quærentes gloriam Dei: & illi faciunt per quædam potestates concessa in ordine suo, quasi priuata commercia vel beneficia: illi autem publica administratione iussu eius cuius cuncta creatura subiecta est. Aliter enim cogitur possessor equum dare militi, aliter tradit emptori, vel quilibet donat aut commodat. Et quemadmo-

dū pleriq; mali milites, quos imperialis disciplina cōdēnat, signis imperatoris sui nonnullos possessores terrarum, & ab eis aliquid quod publicè nō iubetur, extorquent: ita nonnunquam mali Christiani, vel schismatici vel heretici: per nomē Christi, vel per verba vel sacramenta Christiana exigunt aliquid à potestatibus, cum autem malis iubentibus voluntate cedunt, ad seducendos homines cedunt quorum errore latentur. Quapropter aliter faciūt miracula magi, aliter boni Christiani, aliter mali Christiani. Magi per priuatos cōtractus: boni Christiani, per publicā iustitiā: mali Christiani, per signa publicæ iustitiæ: nec hoc etiam oportet mirari, quia omnia quæ visibilibus sunt, etiam per inferiores potestates ætæ huius non absurdè fieri posse creduntur. Aug. 3. de trin. Nec ideo tantum putandum est transgressoribus angelis ad nutum seruire hanc visibilibus rerum materiam, sed Deo potius, à quo eis potestas datur: nec sanè creatores illi, mali angeli dicendi sunt: sed pro subtilitate sua semina rerum istarum nobis occultiora nouerunt, & ea per cōgruas tentationes electorum latenter spargunt: atque ita & gignendarum rerum & accelerandorum incrementorum præbent occasiones. Nam & multi homines nouerunt ex quibus herbis, aut carnibus, aut succis, aut humoribus ita obrutis vel commixtis quæ animalia nasci soleant: sed hæc ab hominibus tantò difficilior sunt, quanto defunt sensuum subtilitates & corporum mobilitates in membris terrenis & pigris. Grego. 15. moral. Cum ergo Antichristus coram carnalium oculis miranda prodigia fecerit, post se tunc homines trahet, quia qui bonis præsentibus delectantur, potestati illius se absque retractione subiiciunt: vnde sequitur: *Ita vt in errorem, &c.* Orig. Exaggeratorius sermo est, dicens: Si possibile est: non enim pronuntiauit, neque dixit, vt in errorem mittantur electi: sed ostendere vult quoniam frequenter valde persuasorij sunt sermones hereticorum, & commouere potentes etiam eos qui sapienter agunt. Greg. 33. moral. Vel quia electorum cor, & trepida cogitatione concutitur, & tamen eorum constantia non mouetur, vna sententia Dominus vtrumque complexus est: quasi enim iam errare est in cogitatione titubare: sed, si fieri potest, subiungitur, quia fieri non potest vt in errorem electi capiantur. Orig. Vel non ideo hoc dicit quod electio diuina frustraretur, sed qui humano iudicio electi videbantur, illi in errorem mittentur. Greg. in ho. Minus autem iacula feriūt quæ præuidentur, & propter hoc subditur: *Ecce prædixi vobis.* Dominus enim noster perituri mundi præcurrentia mala denuntiat, vt eo minus perturbent venientia, quo fuerint præscita: propter quod consequenter concludit, *Si ergo dixerint vobis, ecce in deserto, &c.* Hila. Nam pseudopropheta, de quibus supra dixerat, nūc in desertis Christum esse dicent, vt homines errore deprauent: nunc in penetralibus asserent eum esse: vt homines dominantis Antichristi potestate concludant, sed Dominus se nec loco occultandum, nec à singulari seorsum contuendum esse profiteatur, sed vbique & in conspectu omnium præsentem se futurum esse denuntiat: vnde sequitur. *Sicut enim fulgur, &c.* Chry. in ho. Sicut enim supra prædixit qualiter Antichristus venturus est, ita & per hoc ostendit qualiter ipse sit venturus. Sicut enim ful-

gur

gur non indiget annūciante aut præcone, sed instanti momento temporis monstratur secundum vniuersum orbem terrarum: etiam his qui in thaliamis sedent: ita & aduentus Christi simul apparebit vbique, propter gloriæ fulgorem: consequenter autem dicit & aliud signum sui aduentus, cum subdit: *Vbiunque fuerit corpus, &c.* per aquilas multitudinem angelorum, martyrum, & sanctorum omnium designans. Hic. De exemplo enim naturali quod quotidie cernimus, Christi instrumur sacramento. Aquilæ enim & vultures, etiam trans maria dicuntur sentire cadauera, & ad escam huiuscemodi congregari. Si ergo irrationabiles volucres, naturali sensu tantis terrarum spatiis separate, paruum cadauer sentiat vbi iaceat, quanto magis omnis multitudo credentium debet ad Christum festinare, cuius fulgur exiit ab oriente: & patet vsque ad occidentem? Possumus autem per corporis, id est Ioatham, quod significanti Latinè dicitur cadauer, ab eo quod per mortem cadat, passionem Christi intelligere. Hila. Vnde vt nec loci in quo venturus esset, esse mus ignari, dicit: *Vbiunque fuerit corpus, ibi congregabitur & aquila.* Sanctos de volatu spiritualis corporis aquilas nominauit, quorum congregantibus angelis conuentum futurum in loco passionis ostendit, & dignè claritatis aduentus expectabitur, vbi nobis gloriæ æternitatis, passione corporeæ humilitatis operatus est. Orig. Et vide quia non dicit: *Vbiunque fuerit corpus, ibi congregabitur vultures, aut corui, sed, aquila.* Volens ostendere magnificos & regales omnes, qui in passione dominici crediderunt. Hieron. Aquilæ enim appellantur, quibus iuuentus renouata est vt aquilæ, & qui assument pennas, vt ad Christi veniant passionem. Greg. 14. mor. potest etiam intelligi, *vbi- cumque fuerit corpus, &c.* ac si dicat, quia cælesti sedi incarnatus præsideo, electorum animas cum carne solueo, ad cælestia subleuabo. Hieron. Vel aliter, quod hic de pseudopropheta dicitur, intelligi potest. Multi enim tempore captiuitatis Iudaicæ principes extiterunt, qui Christos se esse diceret: intantum vt obsidentibus Romanis, tres intus fuerint factiones, sed melius de consummatione mundi dicitur, vt expositum est. Potest autem & tertia de hereticorum contra ecclesiam pugna intelligi, & de istiusmodi antichristis, qui sub opinione falsæ scientiæ contra Christum dimicant. Orig. Generaliter enim vnus est antichristus: species autem eius multæ, tanquam si dicamus, Mendacium nihil differt à mendatio. Sicut autem veri Christi fuerunt sancti prophetae, sic intellige secundum vnumquemque pseudochristum, multos eius falsos prophetas, qui antichristi alicuius falsos sermones prædicant quasi veros: quorum dicit aliquis, Ecce hic est Christus, ecce illic, quasi nō extra scripturam foras aspiciendū est. Ex lege enim, & prophetis, & apostolis, proferunt quæ videntur defendere mendacium: vel per hoc quod dicit; *Ecce hic est Christus, ecce illic,* ostendunt non Christum, sed aliquem fictum eiusdem nominis, vtputa secundum Marcionis doctrinam, aut Valentini & Basilidis. Hieron. Si quis ergo promiserit vobis quod in deserto gentilium & philosophorum dogmate Christus moretur, aut hereticorum penetralibus, qui Dei pollicentur arcana, nolite credere, sed quod ab oriente vsque in occidentem fides catholica in ecclesiis fulget. Aug.

de quæst. euang. Orientis & occidentis nomine, totum orbem voluit significare, per quem futura erat ecclesia. Secundum autem illum sensum, quod dicit: *Amo videbitis filium hominis venientem in nubibus, conuenienter etiam nunc fulgur nominauit: quod maximè solet emicare de nubibus.* Constituta ergo autoritate ecclesiæ per orbem terrarum clara atque manifesta conuenienter discipulos admonet, atque omnes fideles, ne schismaticis atque hereticis credant. Vnumquodque schisma aut vnaquæque hæresis, locum suum habet in orbe terrarum, aliquam tenens partem, aut obscuris atque occultis conuenticulis curiositatem hominum decipit, quo pertinet quod ait: *Si quis vobis dixerit, ecce hic est Christus, aut illic:* quod significat terrarum partes aut provinciarum: aut in penetralibus, aut in deserto, quod significat occulta & obscura conuenticula hereticorum. Hieron. Vel per hoc quod dicit, *In deserto & in penetralibus:* ostenditur quod persecutionis & angustiarum tempore semper pseudoprophetae capiendi inueniunt locum. Orig. Vel quando secretas & non vulgatas scripturas proferunt, ad confirmationem mendacij sui, videntur dicere: Ecce in solitudine verbum est veritatis. Quoties autem canonicas proferunt scripturas, in quibus omnis Christianus consentit, videntur dicere; Ecce in domibus est verbum veritatis. Sed nos exire non debemus à prima ecclesiastica traditione: vel eis sermones, qui sunt omnino extra scripturam ostendere volens, dicit: Si dixerint vobis, Ecce in solitudine est, nolite exire de regula fidei. Eos autem qui simulant diuinas scripturas ostendere volēs, dicit; *Si dixerint vobis, Ecce in penetralibus est, nolite credere.* Veritas enim similis est fulguri egredienti ab oriente, & apparenti vsque ad occidentem: vel hoc dicit, quoniam veritatis fulgur ex omni scripturarum loco defenditur. Exit ergo veritatis fulgur ab oriente, id est, ab initiis Christi, & apparet vsque ad passionem ipsius, in qua est occasus eius: vel à primo initio creaturæ mundi, vsque ad nouissimam apostolorum scripturam: vel oriens quidem vel lex, occidens autem finis legis & prophetiæ Ioannis: sola autem ecclesia neque subtrahit huius fulgoris verbum & sensum, neque addit quasi prophetiā aliquid aliud: vel hoc dicit, quod non debemus attendere eis qui dicunt, Ecce hic Christus: non autem ostendunt eum in ecclesia, in qua totus est aduentus filij hominis, dicentis; Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi. Hieron. Prouocatur autem ad passionem Christi, vt vbiunque in scripturis legitur, cōgregemur, vt per illam venire possimus ad verbum Dei. *Statim autem post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur, &c.* Glof. Postquam dominus præmunuit fideles contra seditionem antichristi & ministrorum eius, ostendens se manifestum esse venturum, nūc ordinem & modum sui aduentus demonstrat, dicens: *Statim autem post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur, &c.* Chry. in hom. Tribulationem dicit dierum antichristi & pseudoprophetarum. Tribulatio enim tunc erit magna, tot existentibus deceptoribus, sed non extendetur per temporis longitudinem. Si enim Iudaicum bellū propter electos decurtatum est, multo magis propter eos hæc tribulatio abbreviabitur: & propter hoc non simpliciter dicit, *Post tribulationem:* sed addit, *statim:* ipse enim confestim aderit. Hilar. Bibl. Hom. tom. 3. M m m Glo

Ecclesiastica  
traditionis  
claritas.

Gloriam autem aduentus sui indicat obscuritate solis, & defectione lunæ, & casu stellarum. Nam sequitur: *Et in non da. lu. spum. & stel. ca. de ca.* Orig. Dicit autem aliquis, sicut in magnis ignibus succendi incipientibus, tenebræ ex fumo plurimo videntur extolli: sic in consummatione mundi ab igne qui succendendus est, obscurabuntur etiam luminaria magna, marcescente stellarum lumine reliquum earum corpus cum exaltari non valeat, sicut primum cum à lumine ipso portatum extollebatur, caderet de cælo. His accidentibus consequens est cælorum rationabiles virtutes patientes stuporem & commotionem aliquam pati & conturbari: remotas, scilicet à primis functionibus suis. Vnde sequitur: *Et vir. cal. con. & tunc ap. si. fi. ho. in ca.* Quo scilicet cælestia facta sunt, id est, virtus quam operatus est filius suspensus in ligno: & in cælo apparebit maximè signum illius, ut homines de omnibus tribubus, quæ prius non crediderunt Christianitatem annunciari, tunc recognoscentes per signum illud manifestatum plangent & lamentabuntur propter ignorantiam suam atque peccata. Vnde sequitur: *Et tunc plan. om. tri. terræ.* Alius autem aliter arbitrabitur, quoniam sicut lucernæ paulatim deficit lumen, sic cælestium luminum deficiente nutrimento sol obscurabitur & luna, & stellarum lumen deficiet: & quod remanserit in eis, quasi terrenum caderet de cælo. Sed quomodo potest dici de sole, quoniam obscurabitur lumen eius, cum Esaias propheta profectum aliquem solis in consummatione fore declaret? similiter & de luna Esaias refert: quoniam erit sicut sol. de stellis autem quidam dicere tentant, aut omnes aut plures earum maiores esse tota terra. Quomodo ergo cadent de cælo cum magnitudini earum non sufficiat terra? Hic. Non ergo diminutione luminis huius mundi accident, alioquin solem legimus septuplū habiturum luminis, sed comparatione veræ lucis omnia visui apparebunt diminutione tenebrosa. Raba. Nihil tamen prohibet intelligi veraciter, tunc solem & lunam cum cæteris syderibus ad tempus suo lumine privari, sicut de sole factum constat tempore Dominicæ passionis: vnde Iohel dicit: Sol conuertetur in tenebras, & luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus, & manifestus. Cæterum peracto die iudicii, & clarescente futuræ gloriæ vita, cum fuerit cælum novum & terra nova, tunc fiet quod Esa. propheta dicit: Erit lux lunæ sicut lux solis: & lux solis erit septempliciter. Quod autem de stellis dictum est: *Et stel. ca. de calo.* in Marco ita scriptum est: Et stelle cæli erunt decedentes, id est, suo lumine carentes. Hier. Per virtutes autem cælorum, angelorum multitudines intelligimus. Chry. in ho. Qui valde decenter commovebuntur, vel concutientur videntes tantam transmutationem fieri, & conseruos suos puniri, & orbem terrarum terribili assistentem iudicio. Orig. Sicut autem in dispensatione crucis, sole deficiente, tenebræ factæ sunt super terram: sic & signo filij hominis apparente in cælo, deficient lamina solis, lunæ & stellarum, quasi consumpta ex multa virtute signi illius. vnde sequitur: *Et tunc ap. sig. fi. ho. in calo.* Signum autem crucis hic intelligamus, ut videant iuxta Zachariam & Ioannem Iudei quem compunxerant, & signum victoriæ. Chry. in ho. Si autem sol quidem obtenebraretur, vix non apparet, nisi multo solaribus radiis lu-

culentior esset. Ne autem discipuli verecundentur, & doleant de cruce: eam signum nominat cum quadam claritate. Apparebit autem signum crucis, ut Iudeorum inuercendum confuget: adueniet enim Christus in iudicio, non vulnera solum, sed mortem exprobratissimam ostendens. vnde sequitur: *Et tunc plangent se omnes tribus terræ.* Vifa enim cruce considerant, quod mortuo eum nihil profecerunt, & quoniam crucifixerunt eum quem adorari oportebat. Hic. Rectè autem dicit tribus terræ. Hi enim plangent qui municipatum non habent in cælis, sed scripti sunt in terra. Orig. Moraliter autem dicit aliquis obscurandum solem esse diabolum, qui in consummatione est arguendus cum sit tenebræ, simulat autem se solem. Luna autem quæ videtur homini illuminari sole, est omnis ecclesia malignantium, quæ frequenter lumen se habere & dare promittit: tunc autem redarguta cum reprobatis dogmatibus suis claritatem suam amittit: sed & quicunque sine in dogmatibus, siue in virtutibus falsis hominibus quod veritatem promittebant, mendaciis autem seducebant, hi conuenienter dicendi sunt stellæ cadentes de cælo, ut ita dicam, suo, vbi erant in altitudine constitutæ, extollescentes aduersus scientiam Dei. Ad commendationem autem sermonis huius vtemur exemplo prouerbiorum, dicente: Lumen infortium semper inextinguibile est, lumen autem impiorum extinguetur: tunc claritas Dei apparebit in omni qui portauit imaginem cælestis: & cælestes latrabuntur, terrentur autem plangent. Vel ecclesia est sol, luna & stellæ: cui dictum est: Speciosa est luna, electa vt sol. Aug. ad Helych. Tunc enim sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, quia ecclesia non apparebit impiis, tunc persecutoribus ultra modum scruentibus. *Tunc stelle cadent de calo, & virtutes cælorum commovebuntur:* quoniam multi qui gratia Dei fulgere videbatur, persequentibus cedent & cadent: & quidem fideles fortissimi turbabuntur, hoc autem post tribulationem dierum illorum dicitur esse futurum, non quia transacta tota illa persecutione accidant ista, sed quia præcedet tribulatio, vt sequatur quorundam defectio: & quia per omnes dies illos ita fiet propterea post tribulationem dierum illorum, sed tamen in eisdem diebus fiet. *Et videbunt filium hominis venientem in nubibus cæli, cum virtute multa & maiestate.* Chryso. in hom. Quia crucem audierant, ne rursus existimarent aliquid turpe esse futurum subiungit, *Et vi. fi. ho. & c.* Aug. ad Helych. Cuius quidem proprius sensus est, & cum hoc quisquis audierit vel legerit, ipsum esse aduentum accipiat quando venturus est ad viuos & mortuos iudicandos in corpore suo, in quo sedet ad dexteram patris, in quo etiam mortuus est & resurrexit, & ascendit in cælum: & sicut in Act. Apost. legitur, Nubes suscepit eum ab oculis eorum, & quia illie dictum est ab angelis, Sic veniet quomodo vidistis eum euntem in cælum, meritò credendus est non solum in eodem corpore, verum etiam in nube venurus. Orig. Videbunt ergo oculis corporalibus, *fi. ho.* speciem humanam habentem, *ve in m. ca. id est,* supernis. Sicut enim cum transformatus est vox venit de nube, sic cum veniet iterum in speciem transformatus gloriosam: & non super vnam nubem sed super multas, quæ erunt vehiculum eius. Et siquidem vt ne terram calcaret filius

filii Dei Hierosolymam ascendens, diligentes eum strauerunt vestimenta sua in via, neque asellum, qui portabat eum volentes terram calcare, quid mirum si pater & Deus omnium nubes sternat cælestes sub corpore filij descendens ad opus consummationis? Dicit autem aliquis, quoniam sicut in creatione hominis accepit Deus limum de terra & finxit hominem, sic vt appareat gloria Christi, accipiens dominus de cælo & de cælesti corpore, corporauit primum quidem in transfiguratione in nubem lucidam, id est, in consummatione in nubes lucidas: propter quod nubes cæli dicuntur, secundum quod & limus terræ est dictus: & decet patrem talia miranda dare filio suo, qui se humiliavit. Et propterea exaltauit illum, non solum secundum spiritum, sed etiam secundum corpus, vt super talibus nubibus veniret, & forsitan super nubibus rationabilibus, ne irrationabile esset vehiculum filij hominis glorificationi. Et primum quidem venit Iesus cum virtute ex qua faciebat signa & prodigia in populo. Omnis autem illa virtus cōparatione illius virtutis multæ, cum qua in fine venturus est, modica erat, virtus enim erat exinanientis seipsum: consequens est etiam vt ad maiorem gloriā reformetur quam fuit transformatus in monte: tunc enim propter tres tantummodo transformatus est: in consummatione autem mundi totius apparebit in gloria multa vt videant eum omnes in gloria. August. ad Helych. Sed quoniam scripturæ scrutandæ sunt, nec earum superficie debemus esse contenti, diligenter sunt inspicenda sequentia, post pauca enim sequitur, *Cum videritis hanc omnia fieri, scitote quia propè est iam in ianuis,* tunc enim scimus propè esse, cum non aliqua videmus esse præmissorum, sed hæc omnia, in quibus & hoc est, quod videbitur filius hominis veniens: & mittet angelos suos de quatuor partibus mundi, id est, de toto orbe terrarum: congregat electos suos, quæ tota hora nouissima facit veniens in suis membris, tanquam in nubibus, vel in tota ipsa ecclesia tanquam in nube magna, sicut nunc venire nõ cessat: sed ideo eum potestate magna & maiestate, quia maior potestas & maiestas illius apparebit sanctis, quibus magnam virtutem dabit, ne tanta persecutione vincantur. Orig. Vel cum magna virtute venit quotidie ad animam hominis credentis nubibus propheticiis, in scripturis Prophetarum & Apostolorum, qui verbum Dei super humanam naturam in intellectibus suis declarat: sic etiam eis qui intelligunt dicimus apparere gloriam multam, quæ quidem videtur in secundo verbi aduentu, quod est perfectorum: & sic fortasse omnia quæ à tribus euangelistis dicta sunt de Christi aduentu diligentius inter se collata & bene discussa, inueniuntur ad hoc pertinere, quod quotidie venit in corpore suo, quod est ecclesia, de quo aduentu suo alibi dixit, A modo videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cæli, exceptis locis vbi ab eo ille aduentus vltimus in seipso promittitur. *Et mittet angelos suos cum tuba & voce magna: & congregabunt electos eius à quatuor ventis, à summis cælorum vsque ad terminos eorum.* Orig. Quia de planctu mentionem fecerat, qui ad hoc erit vt sponte contra se sententiam proferant & se ipsos condemnent: ne putent quod isto planctu mala eorum terminentur, subdit, *Et mit. an. su. & c.* Rem. Hæc autem tuba non

reuera corporea est intelligenda, sed archangelica vox, quæ ad eam magna erit, vt ad clamorem illius omnes mortui de terræ puluere resurgant. Chry. Sonus autem turbæ pertinet ad resurrectionem, ad gaudium, ad representandum stuporem qui tunc erit, ad dolorem illorum qui relinquentur, & in nubibus non rapiuntur. Orig. Scriptum est autem in numeris, quod ex quatuor ventis congregabunt sacerdotes tubicinantur eos, qui sunt ex castris Israel, secundum quorum comparationem de angelis Christi consequenter dicitur, *Et con. ele. & c.* Rem. id est, à quatuor climatibus mundi, id est, oriente, occidente, aquilone & austro. Orig. Et simpliciores quidem opinantur eos tantum qui tunc inuenti fuerint in corpore aggregandos: sed melius est dicere congregandos non solum ab angelis Christi esse omnes, non solum ab aduentu Christi, & vsque ad consummationem vocatos atque electos, sed & omnes qui à constitutione fuerint mundi, qui viderunt, sicut Abraham Christi diem, & exultauerunt in illa. Quoniam autem non tantum illos qui in corpore fuerint comprehensi dicit congregandos Christi electos, sed etiam illos qui de corporibus sunt egressi, manifestat sermo, dicens congregatos electos, non solum à quatuor ventis, sed etiam subdens, *A sum. ca. vs. ad ter. eorum.* Quod nemini super terram existenti arbitror conuenire. Vel cæli sunt scripturæ diuinæ, aut auctores earum, in quibus habitat Deus. Summa autem scripturarum, sunt initia illarum, termini autem consummationes earum. Congregantur ergo sancti à summis cælorum, id est, ab eis qui viuunt in initiis scripturarum vsque ad eos qui viuunt in consummationibus earum. Congregabuntur enim tuba & voce magna, vt qui audierint & aduerterint, parent se ad viam perfectionis, quæ ducit ad filium Dei. Remig. Vel aliter, Ne fortè aliquis putaret quod solummodo à quatuor partibus mundi & non à mediterraneis regionibus & locis, ideo addit, *A summis cælorum, & c.* Per summum enim cæli, medium orbis intelligitur, quia medio orbis summi cæli præsidet. Per terminos autem cælorum, fines terræ significat, vbi longè distantibus circulis cæli terræ insidere videntur. Chry. Quod autem per angelos dominus electos vocat, ad electorum honorem pertinet: nam & Paulus dicit quod rapiuntur in nubibus: quia eos quidem qui resurrexerunt congregabunt angeli, congregatos autem recipient nubes. *Ab arbore autem fici dicit parabola, cum iam ramus eius tener fuerit, & c.* Chry. in ho. Quia dixerat quod statim post tribulationem dierum illorum, quæ prædicta sunt, contingerent, ipsi autem quærere poterant. Post quantum tempus? ideo exponit, exemplum ponens de ficu, dicens, *Ab arbo. autem fici, & c.* Hiero. quasi dicit. Sicut quando teneri fuerint in arbore ficus cauliculi, & gemma erumpit in florem, corticemque folia parturit, intelligitis ætatis aduentum, & Faunonij ac veris introitum. Ita cum omnia quæ scripta sunt videritis, nolite putare iam adesse consummationem mundi, sed quasi præuia & præcursores quosdam venire, vt ostendant quod propè sit & in ianuis. vnde sequitur, *Ita & vos cum vi. hæc omnia, scitote, & c.* Chry. in ho. Per quod ostendit quod non multum erit temporis medium, sed statim aduentus Christi occurret. Per ramum autem & aliud quiddam prænunciat, scilicet. *Bibl. Hom. com. 3. M m m 2 licet*

licet ætatem spirituales & tranquillitatem iustis post hyemem esse futuram, peccatoribus autem e contrario hyemem post ætatem, Orig. Sicut enim ficus in tempore quidem hyemis vitalem virtutem habet in se absconditam, postmodum autem cum virtus ipsa vitalis prodire cœperit, ad manifestationem prætereunte hyeme & ipsa valitudine, eius ramus efficitur tener, & folia producit; sic & mundus, & unusquisque eorum qui saluatur ante Christi aduentum, quasi in hyeme in se absconditam habent vitalem virtutem, Christo autem inspirate, sunt teneri, & non duri cordis rami, & quæ abscondita erant in eis, progrediuntur in folia, & manifestos fructus ostendunt, talibus autem propè est æstas & aduentus gloriæ verbi Dei. Chryl. in hom. Propter hoc etiam istud posuit, vt eredere faciat hunc sermonem omnino ita esse euenturum: vbi cūque enim quod omnino euenturum esse dicit, naturales necessitates in exemplum inducit. Aug. ad Hefych. Quod autem de signis euangelicis & propheticis, quæ fieri cernimus, propinquum domini aduentum sperare debemus, quis negat? quotidie quippe magis magisque fit proximus; sed quanto intervallo propinquar, de hoc dictum est. Non est vestrum scire tempora vel momenta. Vel quando dixit Apo. Nunc propior est nostra salus, quam cum credidimus, & ecce tot anni transierunt, nec tamen quod dixit falsum est, quanto magis nunc dicendum est appropinquare domini aduentum, quando tantus factus est ad finem accessus? Hilar. Mystice autem synagoga sicut arbori comparatur: ramus igitur ficus, Antichristus esse intelligitur, diaboli filius, peccati portio, legis assertor: qui cum virescere cœperit & fidescere, quadam peccatorum exultantium viriditate, tunc proxima est æstas, id est, dies iudicij sentietur. Rem. Vel cum hæc ficus rursus germinabit, id est, cum synagoga verbum sanctæ prædicationis accipiet, prædicantibus Enoch & Elia, intelligere debemus, quia propè est dies consummationis. Aug. de quæst. euang. Vel per arborem fici intellige genus humanum, propter prurium carnis. Cum iam ramus tener fuerit, id est cum filij hominum per fidem Christi ad spirituales fructus profecerint, & in eis honor adoptionis filiorum Dei emicuerit. Hilar. Vt autem fides certa esset futurorum, subiunxit. Amen di. vo. &c. Amen autem dicendo, professionem veritatis adiunxit. Rem. Et simplices quidem ad destructionem Hierusalem referunt verba, & de illa generatione æstimant dicta, quæ passionem Christi aspexit, quod non esset transitura priusquam fieret destructio ciuitatis illius. Nescio autem si verbum à verbo exponere possint ab eo quod ait, Non relinquatur hic lapis super lapidem, vsque ad illud quod ait, Propè est in iannīs: forsità enim in quibusdam ponerunt, in aliis autem non poterunt omnino. Chryl. in ho. Hæc ergo omnia de fine Hierosolymorum dicta sunt, & quæ de pseudopropheta, & pseudochristis, & alia omnia quæ diximus vsque ad Christi aduentum futura. Quod autem dixit generatio hæc, non de ea quæ tunc erat, dixit, sed de ea quæ est fidelium: conuenit enim scriptura generationem non solum à tempore designare, sed à loco, cultu, & conuersatione: sicut cum dicitur. Hæc est generatio quærentium dominum. Ex hoc autem ostendit quod Hierusalem peribit, & amplior pars Iudæorum

destruetur, generationem autem fidelium nulla separabit tentatio. Orig. Generatio tamen ecclesiæ transibit, aliquando tamen totum hoc seculum vt hærediter futurum, tamen donec hæc omnia fiant, non transibit. Cum autem omnia hæc facta fuerint, transibit non solum terrena, sed etiam caelum: vnde sequitur, *Cælum & terra*. Id est, non solum homines quorum vita terrena est, & propterea terra dicuntur, sed etiam illi, quorum conuersatio est in cælis, & ideo cælum vocantur; transibunt autem ad futura, vt veniant ad meliora: verba autem quæ à saluatore sunt dicta non transibunt, quoniam quæ sua propria sunt, operantur & semper operabuntur: perfecti autem & qui non recipiunt vt iam meliores efficiantur, transeunt quod sunt, ad illud quod non sunt: & hoc est quod subditur, verba autem mea non præteribunt. Et fortè quidem verba Moysi & prophetarum transiunt: quoniam quæ prophetizabantur ab illis impleta sunt, verba autem Christi semper sunt plena & quotidie implentur, & adhuc sunt impèda in sanctis. Aut fortè neque Moysi verba, aut prophetarum dicere debemus impleta omnino: propriè enim & illa verba filij Dei sunt, & semper implentur. Hic. Vel hic per generationem omne hominum significat genus, aut specialiter Iudæorum. Deinde magis eos ad fidem præmissorum inducit, cum subdit, *Cælum & terra, tran. ver. autem, &c.* Ac si dicat, Facilius est fixa & immobilia destrui, quæ seculum meorum aliquid decidere. Hil. Cælum enim & terra ex conditione suæ creationis nihil habet in se necessitatis vt non sint, verba autem Christi ex æternitate deducta, id in se continent virtutis vt maneant. Hier. Cælum autem & terra transibunt in mutatione, non ablatione sui, alioqui quomodo sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, si cælum, in quo ista sunt, terraque non fuerint? Rab. Cælum tamen quod transibit, non sydereum, sed æreum intelligere debemus, quod prius diluuiū perit. Chryl. in ho. Elementa autem mundi in medium adducit, ostendens quomam præciosior cælo & terra est ecclesia: simul etiam & hinc conditorem se hominum ostendit.

#### ORIGENIS PRESBYTERI in idem Euang. Homil. 1.

Verba Prophetæ, quæ locutus est de abominatione desolationis futuræ, sunt hæc, Et confirmabit testamentum multis septimana vna, & in dimidio septimane tolletur sacrificium, & libatio, & super templum abominatio desolationis erit, & vsque ad consummationem temporis consummatio dabitur super desolationem. Vere quidem comprehendere sermones Danielis, nullius alterius est, nisi spiritus sancti, qui fuit in Daniele, vt de septimanis omnè manifestet sermonem, & de abominatione desolationis dicta ab eo. Si autem oportet & nos pauca secundum quod nobis videtur, exponere de hoc loco, dicendum est, quod septuaginta annos, qui fuerunt post aduentum Saluatoris nostri, demonstrare videtur sermo. Hæc enim septimana quæ propter septem decadas annorum dicitur septimana, confirmat testamentum multis, quando & Apostoli Christi post ascensionem ipsius orationi, & verbo instan-

Ex Hom. 19.  
in Matth.

tes à Deo illuminabantur in omnem scientiam voluntatis diuinarum scripturarum, & à spiritu sancto. In dimidio autem septimane, id est, in tribus, & semis decadis annorum, sublatum est sacrificium altaris, id est, in trigintaquinque annis, & impletum est quod fuerat scriptum, in dimidio septimane tolletur sacrificium, & libatio. Tunc autem super templum, quod fuit in Hierosolymis facta est abominatio desolationis templi, & ciuitatis, in eo videlicet tempore quando viderunt circumdatam Hierusalem ab exercitu, vt secundum quod prophetauerat Saluator de ea, cognoscat quod appropiauit desolatio eius. Et hanc desolationis abominationem factam super templum ab exercitu Hierusalem circumdante, dicit Propheta vsque ad tempus consummationis manere, vt consummatio fiat mundi super desolationem Hierusalem, & templi quod est in ea. Et vbi sunt qui se dicunt Iudæos & non sunt, qui dicunt, Aedificabitur Hierusalem quæ est desolatum, priusquam seculi consummatio fiat? Consummatio (inquit) dabitur super desolationem eius. Si autem & aedificabitur templum, aedificabitur ei, qui aduersatur & extollitur supra omne, quod dicitur Deus, aut colitur, vt sedeat in templo huiusmodi ostendens se quasi sit Deus, quem dominus Iesus interfecit spiritu oris sui, & destruet illuminatione aduentus sui. Siue ergo placeat quibusdam aedificari hanc Hierusalem super terram, tamen non erit falsum, quod dicitur, consummatio est danda super desolationem ipsius. Si autem oportet & de temporibus aliquid dicere dicimus quod in Chronicis Phleguatis cuiusdam dicitur (si tamen debemus & hunc quasi vera dicentem de templo suscipere) quod circa quadagesimum annum à quindecimo anno Tyberij Cæsaris facta est destructio Hierusalem, & templi quod fuit in ea. Deduc ergo prædicationis domini fere annos tres, & tempus resurrectionis ipsius, quando per dies quadraginta apparens illis, docebat eos de regno Dei, & inuenies forsitan plus minus quod circa dimidium septimane computans per decadas annorum est completum quod dictum est, Tolletur sacrificium meum, & libatio, quando & super templum abominatio desolationis est facta, quæ desolatio vsque ad tempus consummationis manebit. Consummatio enim secundum quod diximus dabitur super desolationem. Si autem constat nobis talis traditio septimane, dicentibus quantum ad dictum impletum esse quod dictum est, non solum Tolletur sacrificium meum, & libatio: sed etiam illud quod scriptum est, vt abominatio desolationum super templum contingat, sine dubio manifeste ostenditur aduentus Christi etiam ex verbis Danielis prophetæ dicentis, Septuaginta septimane concisæ sunt super populum tuum, & super ciuitatem sanctam, vt consummetur peccatum, & signetur peccatum, & deleantur iniquitates, & vt adducatur iustitia æterna, & vt signetur visio, & prophetia, & vngentur sanctus sanctorum, & cognoscat intelligens ab exitu verbi respondere & aedificare Hierusalem vsque ad Christum ducem septem septimane sexaginta duas. Et conuertetur, & reaedificabitur platæa, & murus, & euacuabuntur tempora, & post septimanas sexaginta duas incipit vntio, & iudicium non est in ea. Ciuitatem autem, & sanctum corrumperet cum duce veniente, & ex-

cederet in diluuiū, & vsque ad finem belli concisus interitus, & confirmabit testamentum multis septimana vna, & in dimidio septimane tolletur sacrificium, & libatio, & pinne vsque ad consummationem festinationis, Post hæc sequitur sermo, quem exposuimus sic habes, Et confirmabit testamentum multis septimana vna, & cætera. Arbitror autem septuaginta septimanas concisas super populum, & super ciuitatem sanctam, vt consummetur peccatum, quatuor millia nongentos esse annos ab Adam vsque ad septuaginta annos, qui fuerunt post dispensationem Christi. Consummatum est enim peccatum populi, propter quod & à Deo est derelictus. Et illorum quidem peccatum signatum est, credentium autem iniustitia est deleta: & post deletionem eius, adducta est in Christo vita æterna. Sed quoniam lex & prophetæ vsque ad Ioannem, qui ostendit Christum, propterea puto dictum signari visionem & prophetiam. Nam quoniam nequaquam sunt in prophetis visiones post Ioannem, ideo signata est visio & prophetia. Signata autem visione, & prophetia vnctus est vngentus sanctus sanctorum Christus. Quem Christum vnctum cognouerunt prophetæ, & Daniel: & intellexerunt aliquo modo ab exitu verbi, quando verbo domini cæli firmati sunt, & ab exitu verbi respectu in sanctis, qui ab initio fuerunt, & prophetis domini, sed & aedificari Hierusalem vsque ad Christum ducem trāsierunt septimane sexaginta duas, hoc est primum quidem anni quadringenti nonaginta, quæ fiunt per decadas computatæ septimane septem. Post hoc autem anni quatuor millia trecenti quadraginta, qui fiunt similiter per decadas computatæ septimane sexaginta duas. Post quos reuersus est Christus & aedificauit platæam, in qua sapientia fiducialiter agit, & murum in cuius fastigio prædicatur. Euacuata sunt autem populi tempora, propterea quod super additas septem septimanas, sexaginta duas septimanas, sublaturum est à populo Christum quod fuit in templo, vt iam non sit iudicium apud eos. Sed & ciuitas, & sanctum corruptum est cum superueniente postea duce populo illi sine Herode, sine Agrippa. Hunc enim dicit esse historia Iudæorum. Sed vide ne putes quod ait corrupti cum duce veniente, referri ad Christum. Vbi enim voluit ipsum intelligi Christum, vtrisque nominibus vsus est Daniel, dicens, vsque ad Christum ducem. Quando autem tacet nomen Christi, corruptendum introducit ducem, quoniam defecit dux post Christum, & dux de semotibus eius, venit enim cui reposita erant. Post quem excisus est in diluuiū populus vsque ad finem belli concisus super eos. Sed his accidentibus illis confirmauit Deus testamentum multis in septimana vna: in cuius septimane dimidio cessare fecit incensum, & sacrificia, & templum, quod arbitror à pinna nominauit interiturum vsque ad consummationem in festinatione, quando & derelicta est peccantibus eis domus eorum. Quæ autem sequuntur in textu Danielis, sicut potuimus exposuimus. Hæc autem omnia visa sunt nobis ex Daniele iuxta interpretationem Euangelici textus apponere, vt manifestemus verbum quod ait, Cum videritis abominationem desolationis, quod dictum est per Danielum prophetam stantem in loco sancto, qui legit intelligat. Nunc autem ipsum textum Euangelij declaremus.

Bibl. Hom. tom. 3. M m m 3 Dixi



Diximus stare quidem in loco sancto abominationem desolationis, principem esse qui Hierusalem circumdedit exercitu. Itaque quoniam pessima contigerunt his qui tunc fuerant in Iudæa, ideo hæc futura prophetans populo dominus dicit, *Tunc qui in Iudæa sunt, fugiant in montes.* Et talia fuerunt quæ contigerunt in tempore illo, ut ita dicamus, ut qui esset super tectum domus, non haberet tempus descendere, & tollere aliquid de domo sua: & qui in agro erat, non posset reueri in ciuitatem, & tollere vestimentum suum. Et non erat tunc tempus misericordiarum, neque super prægnantes, neque super lactantes, neque super infantes carum. Ideo dicit ( quantum ad verba dico) *Ve prægnantibus, & nutriendis in illis diebus.* Et quasi ad Iudæos loquens, qui arbitrabantur in sabbato non oportere vel agere, vel ambulare viam amplius quam est sabbati iter, ideo dicit, *Orate autem, ne fiat fuga vestra hyeme, vel sabbato.* Non solum enim in sabbato, sed etiam in hyeme pessimum erat salutem quaerere per fugam. Refertur autem ab his, qui Iudaicam historiam conscripserunt de illis, quæ tunc contigerunt, quoniam tribulatio magna facta est populo, qualis nunquam fuit ab initio mundi usque ad tempus Christi: sed nec postea fieri potest, ut talia eis contingant, propterea quod ausi sunt manus inferre in verum Christum Dei: cuius mysterium, & nomen venerans David, dicebat de Saule persequente, & occidere se volente. Non injiciam manus meas in Christum domini. Præcisionem autem dierum illorum futuram propter electos Dei qui credunt in Christum, abbreviationem intelligimus dierum illorum. Tunc autem in magna calamitate populo constituto, & electis qui sunt in Iudæa pericula patientibus, multi seductores dicebant, Ecce hic Christus, ecce illic. Quos obseruare docens discipulos suos, dicebant tunc, *Si quis vobis dixerit, ecce hic Christus, ecce illic, nolite credere. Surgent enim pseudochristi, & pseudo prophetæ, & dabunt signa magna, & prodigia.* Dicere autem quis potest, aut Simonem Magum qui dicebat se esse virtutem Dei magnam: aut si quis ei similis fuit, seducere volēs si possibile esset & electos. Hæc præuenientes diximus non adicientes in hoc loco aliam expositionem, nisi eam quæ secundum textum est, propter eos, qui traditione simplici delectantur, ut quæ videtur eis vilia diceremus, quoniam hæc dominus futura prophetans præscius veritatis exposuit. Si autem oportet propter eos, qui volunt, & possunt ascendere verbo ad altiora, replicemus ab initio proposita evangelij verba, & secundum quod possumus exponamus eadem iterum spiritaliter. Et primum quidem suscipiamus verbum de abominatione desolationis stante in loco sancto. Debet enim, qui legit, diligens esse, & intelligere, ut non seducatur à desolationis abominatione. Locus igitur sanctus intelligibilis est omnis dictio scripturæ diuinæ quam locuti sunt sancti prophetæ qui fuerunt à seculo. Moyses, & post eum ceteri. Non solum autem, sed etiam dictio euangelistarum vel apostolorum Iesu Christi. In hoc ergo loco sancto omnium scripturarum tam veteris testamenti, quam noui Antichristus, quod est falsum verbum, stetit frequenter: per hoc ipsum quod stare videtur in scripturis diuinis, ostendens se quasi sit Deus, & quasi ipse sit Christus Dei verbum: & ipse est abominatio desolationis. Est

enim frequenter videre in argumentationibus impiis dogmatum apud hæreticos hanc abominationem desolationis, id est, Antichristum verbum falsum abominationum desolantem à Deo omnem hominem, qui receperit eam in se abominationem aduersantem veritati, extollentem se super omne verbum, quod est extra eum, quod annuntiantur esse verbum Dei: extollentem se, & super omne, quod vnusquisque hominem colere vult, siue vere, siue mendaciter. Nam vnumquodque hæresum dogma non solum veritati aduersatur, sed etiam cæteris dogmatibus similiter falsis. Et quoniam sic extollitur, ut etiam in templo scripturarum sedeat, per ipsum templum, id est per ipsas scripturas volens se ostendere quod ipse verè est Deus verbum. Semper ergo qui diuinas legit scripturas intelligat eas, maxime quando viderit abominationem desolationis, secundum ea quæ diximus, stantem in eo, quem exposuimus loco sancto sanctarum scripturarum. Qui autem intellexerit eum, destruet vera traditione, id est, illuminatione aduentus Christi, qui est veritas, eum verbum, qui in alieno loco sancto stare videtur: & intelligens talem abominationem desolationis, irritam faciet eam, & eiiciet à loco sancto, in quo stare videtur. Maxime autem destruet eum Christus, qui loquitur in eo verum lumen. Ille autem Christus si in aliquo loquatur volenti audire, & prodicari, non infirmatur: sed omne falsum verbum, quod est abominatio desolationis stans in loco sancto, & sedens in templo Dei, quod est Antichristus, interficiet spiritu oris sui per eos, qui se præbuerint capaces ipsius. Quod verbum falsum frequenter non stat, sed etiam sedet in templo, quando quasi rationabiliter, & bene constructum videtur. Qui autem vident hanc abominationem desolationis, ita ut possint de ea dicere, Non enim infutias eius ignoramus, in eo dum legunt intelligentes quæ vera sunt, fugiant falsum, & recedat vbi eos mendacium comprehendere non valebit. Non autem potest comprehendere mendacium eos, qui ex Iudæa litera fugiunt ad spiritalia, & intelligibilia, & sublimes veritatis montes. Ut autem intelligamus, *Fugiant in montes,* accipe exemplum, quod dicitur manifestè de fuga laudabilis: quale est quod ait Apostolus, *Fugite fornicationem: & quod ait sapientia, Quasi à facie serpentis fuge peccatum: vel quale est, quod in mysterio dicit Rebecca Iacob. Ecce Esau frater tuus minatur occidere te. Nunc ergo, fili, audi vocem meam, & surgens fuge ad Laban fratrem meum in Carram, & habita cum illo aliquot dies, donec auertatur ira fratris tui. Et omnis arbitrator, qui filius est Iacob, opera consummans Iacob, intelligens omnem mortem odibilem Deo, qui est Esau, fugit quasi intelligens. Si autem non fugiat eum, qui fornicarius est, & pollutus sicut Esau, & quasi non fugiens Esau, sed cohabitans ei, non fit filius Iacob qui fugerat eum. Ipse autem Iacob habitans cum Laban vitiler sibi & dispensationi quæ erat secundum Deum, abscondit cor suum, ut non annuntiaret ei quod fugiebat, & fugiebat ipse & omnia eius. Bonum est ergo fugere etiam à Laban, à conciliatore carnalium qualitarum, in quibus habitantem non oportet permanere in eis, sed fugere cum omni domo sua. Nam & si voluerit persequi post eum, Deus illum auertet à fugientibus eum, ut & si comprehenderit eum postmodum*

modum aliquando, nihil mali facere ei possit fiducialiter pronuntianti. Apud quem inuenieris deos tuos non viuat in conspectu fratrum nostrorum: cognosce quid tuorum est apud me, & accipe. Nec enim cognosci poterit aliquid apud Iacob de rebus Laban. In his ergo euangelicis dictis quæ in præsentibus tractamus, imperatur, ut, qui cognoscunt abominationem desolationis stantem in loco sancto intelligat in eo dum legunt, ut fugiant in montes. Qui ergo in tali Iudæa quam diximus, id est in veritate literæ constitutus habetur, fugiat in montes spiritalium nouitatum. Et si quis inuentus fuerit ascendisse super tectum verbi, & stare in fastigio adificationis eius, non descendat inde occasione ut auferat aliquid de domo sua, & vadat. Nihil enim opus habebit manens in tecto & abstinens se ne quatenus inde descendat. Et si fuerit quis in agro, siue in eo in quo absconditus est thesaurus, sicut Dominus ait in parabola quadam, aut qualis fuit ager ille Iacob plenus, cui assimulauerat eum benedicens pater ipse, & dicens, Ecce odor filij mei sicut odor agri pleni, quem benedixit dominus. In quo agro secundum spiritalia benedictiones legis, benedicitur omnis, qui secundum legem vixerit, dicente scriptura, *Benedictus tu in ciuitate, benedictus tu in agro.* Qui ergo est in tali agro totius plantationis quæ plantauit pater cælestis, non reuertatur retro. Nō enim tantummodo ille, qui mittit manū in aratrum, & reuersus fuerit retro, non est aptus regno Dei, sed etiam qui in agro est, quæ tradidimus, & reuersus fuerit retro, causa eorum, quæ oportuerat obliuisci, sine dubio incurreret in abominationem desolationis, id est in seductionem verbi mendacis: & maxime si spoliauerit se vestimentum suum verum, id est veterem hominem cum actibus eius, & iterum conuersus fuerit retro, tollere vestimentum suum. Diligenter ergo debemus attendere, ne forte aliquid eorum, quæ sunt deorsum, & sunt in domo, velimus descendentes tollere, aut relictum vestimentum retro repetere relinquentes agrum, & conuersi retro, cum debuimus aut petere ea, quæ sunt priora, & obliuisci posteriora, & neque stare in aliqua regione illa, sed in monte saluari, ut non comprehendamur cum his qui sunt combusti, propter quod in Sodomis sunt comprehensi. *Ve autem prægnantibus, & nutriendis in illis diebus.* Quod sunt & aliquæ animæ concipientes generationes, manifestauit propheta dicens, *A timore tuo, domine, in vtero concepimus, & parturimus, & peperimus spiritum salutis, quem fecisti super terram.* Sicut enim in prægnantibus formatur, & figuratur semen: sic & in anima, quæ suscipit verbum, paulatim formatur & figuratur conceptio verbi in ea. Et hoc puto dicere Paulum ad Galatas, *Filij mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* In epistola ad Timotheum dicit idem, *saluandam mulierem per filiorum generationem, si permanserit in fide, & dilectione, & sanctitate cum castitate.* Quæ est autem hæc mulier, nisi anima, quæ verbum concepit Dei & veritatis, & parit opera bona similia Christo: Irrationabile autem est existimare de sensibili generatione dictum quod ait, *Mulier seducta in præuentionem facta est, salua autem erit per filiorum generationem, si permanserit in fide, & dilectione, & sanctitate cum castitate.* Animæ ergo quæ nouiter susceperunt

verbum, & adhuc prægnantes constitutæ, necdum fructificauerunt in eo in vtero intelligibiliter habentes: nō possunt sustinere stantem in loco sancto aduersantem veritati sermonem, neque stare quominus seducantur persuasionibus eius. Propterea si aliquando abominationem desolationis secundum quod tradidimus stantem in loco sancto viderit anima in vtero habens, quæ necdum fructificauit ex verbo, incurrit in vā, quod dominus dicit, *Væ prægnantibus.* Projiciet enim conceptionē, & euacuabitur à spe, quæ est in actibus veritatis. Sed & si videatur formatum & fructificatum verbum, non autem fuerit enutritum sufficienter augmentibus & magnum facientibus eum nutrimentis, sed manserit immaturum, secundum similitudinem sugentis factum est, super huiusmodi generationes veniet quod super sugentes. Si autem sicut in multis exemplariis scriptum est, *Ve sugentibus,* dicendum est quod animæ, quæ lactantur adhuc, ad quas dicit Apostolus, *Lac vobis potum dedi non escam, nondum enim poteratis, sed nec usque adhuc potestis, adhuc enim estis carnales.* Dicit autem & alibi, *Facti estis opus habentes lacte, & non solida esca.* Omnis enim qui lacte alitur, imperitus est verbo iustitiæ, paruulus enim est. Istæ sunt ergo animæ quæ propter infirmitatem, & quia facile seducuntur, non possunt in se docibiliter permanere à conspectu abominationis desolationis stantis in loco sancto. Seductæ enim consentiunt ei, utpote Deo. Et est videre hæreticorum ecclesias plenas de lamentandis prægnantibus, vel nutriendis, vel sugentibus. Plerumque enim animæ quæ in ecclesia prægnantes fuerunt, aut nutriendas, aut sugentes, fuerunt seductæ à desolationis abominatione, & seductæ ab eo verbo falso, qui stat in loco sancto per falsam traditionem dogmatum peruerforum: abominationis illius susceperunt vā, quod à domino factum est. Væ in vtero habentibus, & nutriendis. Non autem quancumque, sed in diebus illis abominationis desolationis. Omnis enim, qui audit verba iniquitatem in excelsum loquentium, & suscipit ea: in diebus eius ille abominationi desolationis subditus fit. *Orate autem, ut ne fiat fuga vestra hyeme vel sabbato.* Est enim, sicut diximus, quædam fuga hominum secundum præceptum verbi, ut qui fugit quæ fugere oportet, melior sit eo qui nō fugit, sed semetipsum subditum facit perdentibus animam malis. Quod est autem constituta fuga, atque laudabilis, manifestè docet Apostolus dicens; *Fugite fornicationem.* Fugit autem fornicationem, qui omnem occasionē irritantem, & prouocantem ad fornicandū euitat, & neque iuuenibus in fabulis iuuenilibus commiscetur, in quantum potest, ne forte consumatur per eas, neque descendit ad consuetudines eorum talium, sed auertit se omnino ab huiusmodi hominum concitationibus. Qui vult fugere fornicationem, audiat & illud quod dicitur; *Cum saltatrice noli assiduus esse, ne forte consumaris in desideriis eius.* Fugit autem fornicationem abundantius, qui accedentes, & excitatrices feminis escas, in quantum valet, euitat: & vino, si potest fieri, non vitur, donec transeat feruentior atas. Si autem vitur, modico vitur, secundum Apostolicum præceptum dicens Timotheo, *Iam noli aquam bibere, sed vino modico vitere propter stomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates.*

Et quid plura? Ille est, qui fornicationem fugit, & semper fugam istam laudabilem operatur, quæ à Deo fugere non permittit. Operatur autem hanc fugam qui promptus est ad fugiendum fornicationem. Et non solum fornicatio nobis est fugienda, sed & omne peccatum. Ideo bene dixit scriptura. Quasi à facie serpentis, fuge peccatū. Frequenter autem conuenit fugere ab antichristo verbo, & falsi nominis scientia, maxime quando necdum sic idoneus est homo, ut habeat in se dominum operantem, qui interficit spiritu oris sui insinuationes mendaciorum, nec ascendit ad tantum altitudinis, ut habeat in se eum qui destruit illuminatione aduentus sui omnem insinuationem verisimilitudinem veritatis habentem, & assimilantem se veritati. Qui autem fugit, debet cognoscere etiam locum, ad quem fugere debet: & orare etiam propter tempus, ut non in eo tempore fugiat, quod est aduersariū fugæ. Loca ergo fugientibus erunt montes, quos Christus ostendit dicens; *Tunc, qui in Iudæa sunt, fugiant in montes.* Et qui fugiant in istos montes dicat Psalmum graduum sic habentem, *Leuavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi.* Ideo autem tollit oculos suos in montes, quia scit abundantiam quæ est in montibus illis. Propterea dicit, *Fundamenta eius in montibus sanctis.* Et si fugerit in montes, quos præcepit dominus, veniet ad locum sanctum, in quo factus & videns visum illum magnum, dicit quod dictum est, *Transiens videbo visum hunc magnam.* Et qui huiusmodi est, audiet, *Solue calcamentum pedum tuorum, locus enim in quo tu stas, terra sancta est.* Fugiant ergo in montes qui fugiunt secundum Dei mandatum. Quoniam ergo in tranquillitate animæ constituta possunt imitari fugam salutis, hyeme autem comprehendente incurunt in eos, quos fugiunt: ideo orient, ut ne fiat fuga eorum hyeme, vel sabbato, si quidem vigilauerit Christus in eis. Si autem obdormierit, tunc descendens procella venti in stagnū, descendet etiam super eum, qui fugit, quia non Iesus fugit cum ipso, ostendens ei fugam optimæ viæ. Tamen si descenderit aliquando procella, & hyemem fuerit operata, oret quis & suscitet orationibus suis Christum, ut imperet vento, & mari, ut tranquillitate facta iterum fugiat, ut non comprehendatur à fornicatione, aut auaritia, aut à gloria vana, aut ab aliquo malo persequente se, vel ab ipsa abominatione desolationis, id est dogmate falso. *Orate ut ne fiat fuga vestra hyeme, vel sabbato.* Deus in sex diebus fecit opera mundi, & requieuit in sabbato. Requieuit autem ab operibus mundi, quæ facere cepit. Opera autem iustitiæ semper sine initio operatur, & operabitur sine fine. Sic & hominum genus ante Christi aduentum operari sunt omnes opera mundi, & nemo requieuit ab eis, sabbatizans iugiter ab operibus bonis. Veniens autem dominus noster sabbatum nostrum, & requies nostra, attulit nobis requiem sabbati sui, ut sicut ille requieuit in sabbato ab operibus mundi, non autem requieuit ab operibus iustitiæ: sic & nos per ipsum sabbatizemus ab operibus mundialibus, & carnalibus, & nocivis, opera autem iustitiæ semper exerceamus. Quod autem ipse nobis allaturus fuerat huiusmodi sabbatum, in quo nullum opus faciamus seruile: testatur & ipse per Prophetam dicens de indignis Iudæis ita, *Donec iurauit in ira mea, si intrabunt*

in requiem meam. Et iterum, *Lamech nomen imponens filio suo Noë in mysterio Christi, ita dixit de eo, & vocauit nomen eius dicens, Noë, quoniam hic dabit nobis requiem à meroribus nostris, & ab operibus manuum nostrarum, & à terra, quam maledixit dominus.* Omnis ergo, qui viuunt in Christo, semper in sabbato viuunt, & in requie requiescens ab operibus malis: operatur autem opera iustitiæ incessanter. Multi autem nomen Christi habentes non gratiam, e contrario sabbatizant ab operibus bonis, operantur autem opera mala. Mediocres autem interdum dimittunt sabbatizandum operum malorum, & sabbatizant ab operibus bonis, non bona operantes, sed mala. Quidam autem & ab operibus malis sabbatizant, non autem exereant opera bona, cum oporteat non solum mala fugere, sed etiam bona exercere. In tali ergo sabbato operum bonorum quando bona opera non facit homo Christianus, iubet nos Christus orare, ne fuga nostra fiat in illo. Cessante enim te ab operibus bonis, si quidem steteris ante faciem abominationis, & vltro te subdidideris ei voluntariè, mortuus es gladio verbi mendacis. Si autem volueris fugere, & abominatione desolationis secuta fuerit te, sine persecutionibus suis tranget te, quia non operantur in te virtutem patientiæ opera tua bona: sine seductionibus suis capiet te, quoniam intelligentiæ lumen non operantur in te opera tua bona. Nemo enim in tali periculo falsi dogmatis facillè superatur & fallitur, nisi qui nudus est ab operibus bonis. Propterea & Apostolus dicit de ipso periculo. Pro eo quod charitatem veritatis non acceperunt, dabit illis operationem erroris, ut credant mendacio, ut iudicentur homines qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati. Cum autem viderimus abominationem desolationis, quæ dicta est per Danielem Prophetam stantem in loco sancto, videbimus & magnam tribulationem instantem, qualis facta non est ab initio mundi vsque ad illam ipsam: neque fiet postea. Quæ enim maior tribulatio quam videre fratres nostros seduci propter sanctum locum à desolationis abominatione stante in eo? Et si quidem amici alienius aut proximi mors corporalis magnam operatur tribulationem ei, qui non fuerit meditatus ut sufferat eam, qualè putas tribulationem ei, qui non compatitur, quando vnum passum fuerit membrum, & ei qui viderit quando scandalizatus fuerit aliquis frater? Si autem & quis viderit seipsum moueri & conturbati à desolationis abominatione, quasi non sit abominatio desolationis, & viderit se periclitari propter dilectionem quam habet in sanctum locum, ita ut penè consentiat ei abominationi tanquã sit Deus, & tradat semetipsum abominationi quasi Deo, quomodo putas cum tribulati magna tribulatione, qualis non fuit ei ab initio, ex quo venit in mundum, vsque ad illud tempus? Sed nec alia tribulatio talis eum poterit comprehendere aliquando, & maxime si quis trahitur ut existimet abominationem stantem in loco sancto, non esse abominationem desolationis, sed Deum verbum. Adhuc autem & si quis manifeste quidem videat abominationem desolationis stantem in loco sancto, & si sequatur eam, accipiens sibi excusationem de diuinis scripturis, quasi indifferenter liceat Christianitatem negare, dicens denegationem non esse denegationem,

tionem, & escas immolatorum quasi nihil nocentes manducanti fuerit arbitratus, proferes de scripturis exempla, & quod indifferenter licet in vno eodemque tempore mulieribus commiseri diuersis, quasi & patribus ista facientibus olim: omnibus istis peccatis maius est abominatio desolationis, id est, verbum, quod in loco scripturarum sanctarum consistit iniquitatem in excelsum loquens, & persuadens à creatore discedere, qui solus & verus est Deus: & credere alteri nescio cui Deo super istum, cui nullus similis est, cum talis noster Saluator dicat, *Pater qui misit me, maior me est.* Magna ergo tribulatio generatur à desolationis abominatione stante in loco sancto, ita ut talia dicantur de ea. *Et nisi abbreviati essent dies illi, non esset salua facta omnis caro.* Propter electos autem abbreviantur dies illi. Tanta autem, & sic magna in illa abominatione desolationis fit tribulatio, ut Deus operetur abbreviationem dierum tribulationis illius, superfluum eorum præciciens, quod additur à desolationis tribulatione & abominatione. Aliter enim non est possibile ut sanetur omnis, quæ saluanda est caro, nisi acceperit abbreviationem à Deo. Dies enim intelliguntur præcepta, & dogmata veritatis, posita in scripturis ad illuminationem intelligentium animarum. Omnes autem intellectus à scientia falsi nominis venientes, qui addunt sermonibus scripturarum, & coniunguntur, intellige mihi additamenta esse supra magnitudinem naturalem dierum scripturæ: quod additamentum bonus Deus abbreviat, per quos vult. Et quotiescunque videris aduentu verbi veritatis in sensu tuo præcidi altitudines extollentes se aduersus scientiam Dei, toties intellige abbreviatos dies tribulationis, & circumsis superfluum magnitudinem, quam contra naturam abominatio desolationis semper superaddit diebus Domini, qui sunt in scripturis. Et propter electos abbreviantur dies illi, ut videtes in sensu suo præcisionem superfluitatis dierum, & remanentem illam solummodo lucem, quæ secundum verbum est veritatis, nihil pariantur à desolationis abominatione, vel ab eo quod additum fuerat super veros, & naturales dies scripturarum. *Tunc si quis vobis dixerit, ecce hic Christus, ecce illic, nolite credere, &c.* Quoniam diximus abominationem desolationis stantem in loco esse mendacium verbum, quod in loco scripturarum sancto stare videtur, dicit aliquis: & quomodo quasi non stante ea illic: ita dicit aliquis discipulus Christi, *Ecce hic Christus, ecce illic: alius autem dicit, Ecce in solitudine est: alius autem, ecce in domibus:* Vide ergo si ad hæc dicere possumus quod ait, *Ecce hic, ecce illic: quoniam ecce hic, ecce illic, non extra scripturam foras aspiciendum est.* Dicit enim qui seducere voluerit nos, & descendere contraria veritati, *Ecce hic Christus, demonstrans (verbi gratia) hunc euangelij locum.* Alterius autem erroris autor dicit, *Ecce hic Christus: offerens ad exemplum alterum textum, qui videtur defendere mendacium illius verbum quod proposuit vindicare: & sic ex lege, & prophetis, & ex apostolis profert vnusquisque quæ videntur defendere mendacium illud, ut pote veritatem.* Vel sic impletur quod ait, *Ecce hic Christus, ecce illic: ostendens non Christum, sed aliquem fictum eiusdem nominis: ut puta, secundum Marcionis doctrinam, & secundum*

traditiones Valentini, aut Basilidis longam fabulositatem, aut secundum Apellis aduersus Paulum testimonium falsum. Erunt autem & alij plures qui dicturi sunt discipulis ex diuinis scripturis, coniungentes eis suum proprium sensum, *Ecce hic Christus, ecce illic.* Si autem dixerint vobis, *Ecce in solitudine, nolite exire: ecce in domibus, nolite credere.* Quidam enim secreta proferentes dicunt, *ecce in solitudine.* Quando enim secretas & non vulgatas scripturas proferunt ad confirmationem mendacij sui, videntur dicere, *ecce in solitudine verbum est veritatis.* Secretæ enim scripturæ, recte solitudines appellantur, in quibus aut pauci sunt credentes, aut nullus. Quoties autem canonicas proferunt scripturas, in quibus omnis Christianus consentit, & credit, videntur dicere, *ecce in domibus verbum est veritatis.* Sed nos illis credere non debemus, nec exire à prima, & ecclesiastica traditione: nec aliter credere, nisi quæ admodum per successionem ecclesiæ Dei tradiderunt nobis. Vel sic, eorum verborum falsorum professores quidam quidem nec ab initio simulant scripturas, & sic fallere tentant. Ideo (existimo) quod eos sermones, qui sunt omnino extra scripturam ostendere volens dixit, *Si dixerint vobis, ecce in solitudine est, nolite exire de regula fidei.* Eos autem, qui ad schisma simulant diuinas scripturas, ostendere volens dixit, *Si dixerint vobis, ecce in domibus, nolite credere.* Quodcunque professi fuerint de scripturis, & de mysticis, quæ sunt in eis ad demonstrationem, nolite credere, quæ dicuntur. Veritas enim similis est fulguri egredienti ab oriente, & apparenti vsque ad occidentem. Qualis est veritas ecclesiæ Dei: ab ea enim sola sonus in omnem terram exiit, & in fines orbis terræ verba eorum, & velociter currit sola verè veritas Dei.

## EIVSDEM IN IDEM

## Homilia 2.

**S**CIRE debemus & illud, quod veritatis fulgor non aliquo quidem scripturarum loco apparet, ex alio autem scripturarum loco non defenditur: sed ex omni loco scripturarum, id est siue ex legis, siue prophetarum, siue ex euangeliorum, siue ex Apostolorum scriptura defenditur. Et exitus hic fulgor veritatis ab oriente (id est ab initiis Christi) apparet vsque ad dispensationem passionis ipsius, in qua est occasus ipsius. Et huic tali fulguri similis est filij hominis aduentus, id est, verbum veritatis. Et sic autem intelligere possumus quod ait, *Exit ab oriente, & apparet vsque ad occidentem.* Christus verbum esse & veritas & sapientia ostenditur à primo initio creaturæ mundi vsque ad nouissimam Apostolorum scripturam, id est à Genesi vsque ad apostolicos libros: post quos nullis scripturis ita credendum est sicut illis. Aut ita, quoniam Iex & Prophetæ vsque ad Ioannem, in quibus est fulgor veritatis. Et oriens quidem est Iex, occidens autem finis legis, Ioannes. Sola autem ecclesia neque subtrahit huius fulgoris verbum & sensum, neque addit quasi prophetiam aliud aliquid. Sed si oportet subtiliter querere quod non singulariter dicta est oriens, neque singulariter occidens, sed ita, ab orientibus vsque ad occidentes: dicemus quod vna oriens, & vna occidens.

Vide quanti faciunt hic doctor antiquissimus ecclesiasticus traditionis, & successionem continuatam quibus scriptura nunquam contradicit.

Est ex Hom. 30. in Math.

cidens, lex & Propheta vsque ad Ioannem: alia oriens vsque ad occidentem, Christus Iesus vsq; ad Paulum, cui nouissimo Apostolorum quasi abortiuo apparuit Christus. Considera autem & hoc, quod vnam superius diximus abominationem desolationis, quæ dicta est per Danielem Prophetam stantem in loco sancto: superaddit autem quasi de multis, *Exurgent enim pseudochristi*. Generaliter enim vnus est Antichristus, species autem illius multæ: tanquam si dicamus, mendacium generaliter vnum est, secundum differentias autem falsorum dogmatum inueniuntur multa esse mendacia. Si enim mendacium nihil differt à mendacio putà Basilidis, aut Marcionis, aut Valentini, aut Apellis, aut aliquorum similibus; vnum videtur esse mendacium. Si autem secundum diuersa dogmata mētuntur, multi sunt qui exurgunt. Hi enim sunt Antichristi: & quicumque post eos surrexerint. Sicut autem veri Christi, vt vnus facti sunt qui à seculo fuerunt sancti Propheta pronuntiantes Christi passiones, & postmodum glorias eius futuras, sic mihi intellige secundum vnumquemque pseudochristum multos eius falsos Prophetas. Non ergo alicuius vnus mendacij doctores, sed omnium pseudopropheta sunt illius antichristi, cuius falsos sermones prædicant quasi veros, & docent. Secundum hæc ergo quæ diximus, qui ecclesiasticè docet verbum, propheta sunt Christi: qui autem Marcionis, vel alicuius eorum prædicant verbum falsum, propheta sunt antichristi eius, qui est secundum Marcionem, id est illius mendacij, quod introduxit Marcion: & alij falsi prophetae sunt mendacij illius, quod est secundum Basilidem, alij vero illius, quod est secundum Apellem. Similiter dices & de prædicatoribus singularum hæresum. Omnia enim persuasoria, quæ proferuntur ad defensionem antichristi verbi, signa sunt illius antichristi, & prodigia: quæcumque suggeruntur à sapientissimo omnium bestiarum terræ serpente, & à magno sensu principe Assyriorum, signa sunt magna & prodigia, vt in errorem inducantur, si possibile esset, etiam electi. Exaggerationis autem sermo est dicens, *Si possibile esset*. Non enim pronunciauit, neque dixit, vt in errorem mittantur etiam electi: sed ostendere vult quòd frequenter valde persuasorij sunt sermones hæreticorum, & commouere potentes etiam eos, qui sapienter audiūt. Sed prædicentē nobis omnia saluatore neque in solitudinem exeamus, neq; qui profitentur Christum in domibus esse credamus. His autem, quæ diximus, adijciamus adhuc, quod omnis sermo profitens se esse veritatem, cum non sit veritas, siue apud gentiles, siue apud barbaros, aliquo modo antichristus est, volens seducere quasi veritas, & separare ab eo qui dixit, Ego sum veritas. Propterea non debemus attendere eis qui dicunt, Ecce hic Christus: non autem ostendunt eum in ecclesia quæ plena est fulgore ab oriente vsque ad occidentem: quæ plena est lumine vero, quæ est columna, & firmamentum veritatis: in qua rota totus est aduentus filij hominis, dicentis omnibus, qui vbiq; sunt, Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vitæ vsque ad consummationem seculi. *Et vbiunque fuerit, quod est secundum dispensationem passionis eius, cadaver eius, qui ideo cecidit vt erigat eos qui ceciderunt, illuc congregantur non qualescunque, sed, aquilæ discipuli. De*

quibus etiam propheta dicebat, Pennigerabunt sicut aquilæ, & current, & non laborabunt, & ibunt, & non esurient. Et Salomon in Proverbiis assimilat eum, qui in Deo est diues dicens, Paratæ sunt ei pennæ sicut aquilæ, & conuertetur in domum præpositi sui. Et vide quod non dixit. Vbiunque fuerit cadaver, ibi congregabuntur vultures, aut corui: sed volens ostendere magnificos & regales esse omnes qui in passionem domini crediderint, proprie dixit, *Vbi fuerit cadaver, illic congregabuntur & aquilæ. Statim post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cælo, & virtutes cælorum mouebuntur. Et tunc apparebit signum filij hominis in cælo, & tunc plangent se omnes tribus terræ.* Considerantes maiores propositiones incurrere quàm est sensus hominum, etiam eorum qui plurimum in sapientia profecerunt præ aliis, age discutiamus sermonem: primum quidem querentes, quæ facile recipi possunt ad expositionem euangelici textus quasi domino in ipso prophetante: deinde requiramus, quæ sit veritas horum verborum secundum eos, qui altius, & subtilius esse aliquid arbitrantur in verbis, seruantes cōsequentiā moralium traditionum etiam in his quemadmodum supra. Dicit ergo aliquis, Quemadmodum in magnis ignibus succendi incipientibus, tenebræ ex fumo plurimo videntur extolli: sic in consummatione mundi ab igne qui accendendus est obscurabuntur etiam luminaria magna, vt sole obscurato consequenter obscuratio solis etiam luna impedita nec à sole percipere lumen, nec proprium lumen dare sinatur. Et si necesse est comprehendant mundi naturā primum tenebræ magna: sic autem permiscecēt stellarū lumine, reliquum earū corpus crassius factum vt non valeat exaltari sicut prius cum à lumine ipso portatum extollebatur, cadet de cælo. His accidētibus consequens est cælorum rationabiles virtutes patientes stuporem, commotionem aliquam pati, & turbari: remotas videlicet à primis functionibus suis. Ita qui hæc sic intelligit esse, adijciat quòd signum filij hominis, in quo cælestia facta sunt quæ in cælis erāt, & quæ in terris, tunc apparebit: vt puta virtus, quam operatus est filius suspensus in ligno, & in cælo maxime fulgebit signum ipsius, vt homines ex omnibus tribubus, qui prius non crediderunt Christianitati annuntiatæ, adhuc autem male de ea dixerunt: tunc recognoscentes per signum illud manifestarum, plangent se, & lamentabūt propter ignorantiam suam, atque peccata, quia verbum Domini non receperunt. Alius vero aliter arbitrabitur de his verbis: quoniam sicut hæc verba demonstrant, nec per ignem fiet mundi corruptio, sed per defectionem ipsius. Et alius vtitur exemplo: quoniam sicut deficiente lumine lucernæ, paulatim minuitur lumen: sic cælestium luminum deficiente nutritimine, Sol obscurabitur, iam nō habens super se venientia spiramenta ab eis. Maiore autem luminari hæc patiente, multo magis & luna nec ipsum poterit exhibere splendorem igneum illum, & secundum defectiones suas apparentem. His ergo continentibus super solem, lumen etiam stellarum deficiet, vt quod remanserit in eis quasi terrenum, cadat de cælo: & omnes cælorum virtutes his accidentibus mouebuntur. Sicut enim in dispensatione crucis, sole deficiente, tenebræ factæ sunt

super

super omnem terram: sic & signo filij hominis apparente in cælo, deficiet solis lumen, & lunæ, adhuc & stellarum quasi consumptum à multa virtute signi illius. Quo apparente, quæ tunc in terris remanserint tribus plangent se. Vtetur ad hoc exemplo Esaiæ propheta dicentis hoc modo, ecce dies Domini infanabilis venit, iræ, & furoris, ponere orbem terræ desertum, & peccatores perdere ex ea. Sellæ enim cæli, & Oriō, & omnia ornamenta cæli non dabunt lumen suum, & obscurabitur in oriente sol, & luna non dabit claritatem suam. Et præcipiam orbi terræ mala, & impiis peccata eorum. Item & de Ioel castra, Ante faciem eius confundetur terra, & mouebitur cælum. Sol & luna contenebriati, stellæ non dabūt lumen, & Dominus dabit vocem suam ante faciem virtutis suæ, quia valida sunt castra eius nimis, quoniam fortia sunt opera verborum eius. Item, Et dabo prodigia in cælo sursum, & in terra sanguinis, & ignis, & vaporum. Sol cōuertetur in tenebras, & luna in sanguinem, priusquam veniat dies Domini magnus, & præclarus. Et his similia multa inueniunt in scripturis, si nihil aliud in locis euāgelicis aspiceret voluerit præter simplicia verba. Nam & secundum hoc quod dicit, Tunc plangent se omnes tribus terræ, quasi nulla habens opus interpretatione, accipies de propheta Zacharia talia verba. Et erit in illa die, quæram auferre omnes gentes quæ veniunt super Hierusalem, & effundam super domum David, & super omnes habitantes in Hierusalem spiritum gratiæ, & misericordis, & respicient ad me, propter quod saltauerunt, & plangent super se planctum sicut super dilectum, & dolebunt dolore, sicut super primogenitum. In illo die magnificabitur planctus super Hierusalem, sicut planctus mali granati in campo excisi, & plangent se terra per tribus. Tribus domus David seorsum, & mulieres eorum seorsum: Tribus domus Nathæ seorsum, & mulieres eorum seorsum: Tribus domus Symeon seorsum, & mulieres eorum seorsum: Omnes tribus, quæ subrelictæ sunt, seorsum, & mulieres eorum seorsum. Videbitur ergo quibusdam vsque hoc interpretationem debere producere, & nihil discutere supra textum. Quoniam autem qui loquitur de scripturis diuinis, debet curare non solum simplices, vt negligat causā eorum illos, qui possunt abundantius sustinere verborum subtilium naturam, ne forte falsæ sint traditiones huiusmodi, & nihil tale, quale debet esse quod à Deo dici debeat de huiusmodi rebus: propter huiusmodi ergo viros pauca quædam secundum quod possumus, moraliter exponemus. Dicent autem huiusmodi homines, Quomodo potest dici de sole, quòd obscurabitur lumen eius, quando Esaias propheta profectum aliquem solis in consummatione fore declarat, hic autem sermo ademptionem? Similiter & de luna Esaias quidem refert, quòd ipsa erit sicut sol: præsens autem sermo, quòd non dabit lumen suum. De stellis autem talia dicent, quòd de terra in cælum, multū spatium est, maxime vsque ad zonam medianam, in qua non sunt erraticæ stellæ, secundum considerationem ergo altitudinis eius est existimare, quòd nisi supra modum essent magnæ stellæ, neque ex tanto spatio lumen eorum videretur ab omnibus qui sunt in omni par-

te terrarum. Sicut autem quidam dicere tentant, aut omnes, aut plures earum maiores esse quàm ipsa est terra, argumēto vtentes ad commendandam rationem verborum suorum, quòd omnem cælum in modum sphaeræ collectum vniuersam complectitur terram: dicent etiam aliquid tale, quoniam qui veritatem dictorum istorum simpliciter ex ipso colligunt textu, rem natura ipsa impossibilem dicunt vt possibilem, vt stellæ tantæ magnitudinis cadant de cælo. Quo enim & cadant, cum magnitudini earum non sufficiat terra, nec capere possit (vt ita dicam) magnitudinē duarum stellarum? Pone tamen capere eam duas, vel tres: nunquid & tantam multitudinem capere potest? Ne ergo aliquid aliud forte moraliter sentire oportet in scripturis diuinis. Et audacia quidem est, necessarium autem: tamen multo tractu opus est in his locis, qui vult simul & possibilitatem ostendere scripturarum, & veritatem. Dicit ergo obseruandum, solem esse diabolium, qui transfiguratur se in angelum lucis, & quasi sol multos seducit. Quoniam ergo in consummatione est arguendus, cum sit tenebræ, simulat autem esse se solem, propterea de illo intelligi potest quod ait, Sol obscurabitur. Et dicit honestiorem esse hanc rationem, quàm existimare talem solē passurum obscuritatem. Omnes (inquit) consentite conuenit absque periculo aliquo huic probato sermone de huiusmodi sole sic obscurando. Et secundum consequentiam huiusmodi solis intelligenda est etiam luna quæ videtur illuminari ab huiusmodi sole. Omnis enim ecclesia malignatium, quæ frequenter lumen se habere, & dare promittit, tunc autem arguita, & manifestata cum reprobatibus dogmatibus suis, non dabit claritatem suam. Sed & quicumque siue in dogmatibus, siue in virtutibus falsis, hominibus quidem promittebant veritatem, mendacis autem seducebāt se attendentes, hi conuenienter dicendi sunt stellæ cadentes de cælo. De cælo autem (vt ita dicam) suo, vbi erāt altitudines constitutæ extollentes se aduersus scientiam Dei. Ad commendationem autem sermonis huiusmodi, vtentur exemplo Proverborum dicente, Lumen iustorum semper inextinguibile est: lumen autem impiorum exstinguetur. Scientiam quidem veram, quam illuminauerunt sibi, qui audierunt dicentem, Illuminate vobis lumen scientiæ, lumen esse iustorum: falsam autem scientiam lumen esse impiorum: & sanctorum quidem lumen semper inextinguibile esse, cadentium autem à veritate lumen exstingui. Obscurabitur ergo lumen solis illius quem diximus, & lunæ illius quam exposuimus: sed & omnes, qui extollunt se contra scientiam Dei, cadent ab altitudine sua, qua se arbitrati sunt esse cælum. Fortitan & sic conuenit quod est dictum. Videbam Satanam sicut fulgur cadentem de cælo. His autem accidentibus de huiusmodi sole, & luna, & stellis, virtutes cælorum diuinæ non omnino immobiles erunt, sed mouebuntur quando arguitus fuerit ille obscuratus sol, & luna illa non exhibebit claritatem suam, & tales stellæ ceciderint, sicut & Iudas dicit in Epistola sua, Tūc quod clarum est apparebit in cælo, & omnis, qui portauit imaginem cælestis. Cum autem hæc ita fuerint facta, tribus quidem cæli lætabuntur, terræ autem tribus quæ imaginem portauerunt terræ, plangent se. Adhuc autem pro cōmendanda hu-

iusino



iusmodi sua traditione adiciet dicens qui hanc fecit interpretationem, quoniam sensibili sole obscurato (ut hoc ira esse concedatur) & luna claritatem non dante, & cadentibus stellis, nec est possibile esse hominum tribus in terris. Si autem possibile non est, utique nec secundum quod loquitur textus, Et plangent se tribus terræ. Tunc ergo, sicut ait dominus in Evangelio, Qui nunc rident, plangent se, & plangent quasi quis in tribus terræ. Secundum hæc & Esaiæ sermones & Iohelis tentabit interpretari, qui vult ad moralem expositionem subleuare, quæ dicta sunt. Adhuc autem ad ea, quæ dicta sunt de cadentibus stellis, non sine ratione est assumere de reuelatione Ioannis, de tertia parte stellarum tracta à cauda draconis in terram. Dicit enim ita, Et visum est aliud signum in cælo, & ecce draco magnus rufus habens capita septem, & cornua decem, & super capita sua coronas septem: & cauda eius traxit tertiam partem stellarum cæli, & misit eas in terram. Omnia hæc exponere sigillatim de capitibus septem draconis, quæ forsitan possunt referri ad aliquos principes rerum nequitæ, sine ad tanta ducentium ad mortem peccata, non est temporis huius: exponentur autem tempore suo in reuelatione Ioannis. Sed & decem cornua dicere, quoniam sunt regna serpentis malitiæ, & habentis serpentis naturam, & semper peccatore & ventre incidere per peccata, nec modo exponere tempus est. Quid narratio præfens de septem diadematis, quæ draco videtur habere super septem capita sua, utputa diademata per singulos, qui iunguntur suscipit aliquod caput draconis. Has autem principales expositiones atque probationes oportet fieri cum ipse liber propositus fuerit nobis ad exponendum. Nunc autem hoc solum oportet de reuelatione illa exponere, quoniam cauda draconis traxit tertiam partem stellarum cæli, & misit eam in terram. Existimo enim quoniam qui debet audire, post dominum Deum tuum ibis, & venite post me, ad hæc quidem obstruit aures suas, peccatam autem sequitur, trahitur à cauda draconis vadens post eum. Si autem contigerit eum, qui sic vixit, ut audiat, Vos estis lux mundi, & aliquando splenderint opera eius bona, hic aliquando constitutus stella, & in cælo habens conuersationem, si auulsus fuerit à dracone in terram, hic erit stella à cauda draconis tracta, & missa in terram. Sic stellæ à cauda draconis trahuntur, & mittuntur in terram. Sunt autem alie, quarum pars aliqua obscuratur, & quod maius est quidem, luminosum est: quas videtur ostendere de reuelatione sermo sic habens, Et quartus angelus tuba cecinit, & percussa est tertia pars lunæ, & tertia pars stellarum, ut obscuraretur tertia pars eorum. Sunt quidam autem, qui nec omnino seruauerunt, quod dictum est, Sic luceat lumen vestrum coram hominibus: nec omnino extincti, & obscurati sunt, sed ex parte. Quidam enim propter scientiam quidem fulserunt sicut splendor cæli, quidam autem propter conuersationem facti sunt sicut stellæ. Sed videtur quibusdam non consequenter secundum præcedentes expositiones hæc protulisse, & pro parte exposuisse. Quoniam illic quidem stellæ casuras diximus, qui videbantur fuisse stellæ, non autem erant: hic autem de his qui vere fuerunt stellæ, & aut ad plenum ceciderunt, aut ex parte.

Ad quos respondeamus: quoniam proferentes exempla hæc, quæ protulimus, hoc demonstramus, quod omnino stellæ homines sunt intelligendi, non quales stellæ. Alioquin ille locus suam habet interpretationem, & hic suam. Tamen his ita factis, apparebit signum filij hominis in cælo, & plangent se tunc tribus terræ. Ad hæc non est absurdum uti exemplis Zachariæ propheta: ita habetibus. Et erit in illa die, quæram auferre omnes gentes, quæ veniunt super Hierusalem, & effundam super domum David, & super habitantibus in Hierusalem spiritum gratiæ & misericordionis, & respiciet ad me, quod saltauerunt, & plangent super se planctum sicut super dilectam, & dolebunt dolore sicut super primogenitum. Et in die illo magnificabitur planctus in Hierusalem sicut planctus mali granati excisi in campo, & planget se terra per tribus: Tribus domus David secundum se, & mulieres eorum secundum se: Tribus domus Nathan secundum se, & mulieres eorum secundum se: Tribus domus Leui secundum se, & mulieres eorum secundum se: Tribus domus Symeon secundum se, & mulieres eorum secundum se: & omnes reliquæ tribus secundum se, & mulieres eorum secundum se. Omne igitur terrenum agmen cum sit tribus terræ, quod esse sibi ipsi attribuerunt, maxime si oportet in aliquo peccatorum abundantius plangere, plangent eum similibus suis. Arbitror autem per hæc ostendi differentias eorum, qui videntur in fide fuisse, & in suo agmine, non autem placuerunt Deo. Est ergo domus David plangens, qui ex populo constituti digna planctu egerunt, aut de regibus, & magnatibus. Qui autem ex doctoribus male vixerunt, sunt tribus Nathan plangens, quoniam Nathan fuit propheta: docere autem est prophettare. Ita qui sunt peccatores ex his, qui prepositi fuerunt ecclesiæ, & sacerdotum habuerunt adiunctum & non dispensauerunt preposituram suam, tribus sunt domus Leui plangens. Et verum quidem dicere, vel de his quæ diximus, vel de tribu Symeon, Dei solius est: nos autem in præsentia aptamus, quod omnes qui catechizati fuerunt, & instructi sunt diuino mysterio, nec fuerunt ordinati in aliqua tribuum, quas diximus supra, & peccauerunt peccata graua, quales sunt plerumque laicorum tribus sunt Symeon: reliqui autem homines, quas dixit tribus reliquas, quas specialiter non nominauit. Nō autem qualecunque est opus dicere & de mulieribus singulari tribuum plangentibus se secundum se. Et vide si potes in singulis quibusque classibus eos quidem qui corporales, & mundialiores fuerunt, dicere mulieres: qui autem eorum comparatione meliores fuerunt viros fuisse. Et videbitur filium hominis venientem in nubibus cum virtute, & gloria multa. Quoniam videtur suscepisse ecclesia catholica cura aliis traditionibus etiam de Christi aduentu secundo, quod erit in gloria manifestum est. Vtrum autem secundum quod scriptum est in hoc loco, nubes corporales, atque sensibiles existimare debemus vehiculum esse ipsius: & secundum huiusmodi nubes multam illam virtutem, & gloriam expectare debemus, aut iuxta obseruationem verbi simplicioris, etiam moraliter est considerandum, aut nec omnino obseruare debemus simplicitatem verbi, sed solummodo moralem executionem intellectum: non cuiuscunque est deliberare, & dili-

& diligenter scrutari singula loca, & postquam tractauerit verbum secundum ea, sic pronunciare quid potissimum verum sit eorum, & cōtinens euangelicum sensum, & voluntatem Christi, qui ista locutus est. Sed age, nos pauca de modica virtute, si tamen vel ipsam habemus, exponamus his in locis: & primum quidem secundum textum. Videbant oculis corporalibus filium hominis in specie humana venientem super nubes supernas, quæ ideo nubes cæli dicuntur, cum virtute, & gloria multa. Et conuenienter huic expositioni, quæ superius in euangelio dicuntur hoc modo, Cum assumpsisset Iesus Petrum, & Ioannem & Iacobum, eduxit eos super montem excelsum nimis, secretum: & transfiguratus est coram eis, & splendidæ facies eius sicut sol, & vestimenta eius facta sunt sicut lumen, & visus est eis Moyses, & Helias colloquentes cum eo. Et ecce (inquit) nubes lucida obumbravit eos: & ecce vox de nube dicens; Hic est filius meus dilectus, in quo complacui, ipsum audite. Sicut ergo quando transformatus est, resplenduit facies eius sicut sol: & vestimenta eius facta sunt sicut lumen, & vox venit de nube dicens, Hic est filius meus dilectus, in quo complacui: sic cum venerit iterum forsitan in speciem transformabitur gloriosam: aut sicut tunc transformatus est coram tribus discipulis suis, postea venit non super vnā nubes, sed super multas, quæ erunt vehiculum eius. Quod autem consequens est ut in meliorem gloriam reformetur, quam fuit transformatus in monte: manifestum est ex eo, quod tunc quidem coram tribus tantummodo transformatus est: in consummatione autem mundi totius, apparebit in gloria multa, ut videant eum omnes in gloria. Et tunc quidem descendens lucida nubes adumbravit eos, postea autem multæ nubes portabant filium hominis venientem cum vehiculo digno gloriæ suæ. Dicit autem aliquis, quod sicut in fictione hominis accepit Deus limum de terra, & finxit hominem: sic ut appareat gloria Christi, accepit Deus de cælo, & de cælesti corpore, & corporant primum quidem in nubem lucidam, in consummatione autem in nubes lucidas. Propter quod & nubes cæli dicuntur, secundum quod & limus terræ est dictus, & decet patrem talia miranda donare filio suo, qui seipsum humiliavit, & propter dilectionem non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam serui accipiens, & factus est agnus Dei, ut tollat mundi peccata. Propter hoc enim & Deus superexaltavit eum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen. Non solum autem exaltavit eum secundum spiritum, sed etiam secundum corpus: ut per omnia sit exaltatus. Et corpus quod suscepit de virtute altissimi, & de virgine huiusmodi ministerium ministrante, debebat honorari ut & super tales nubes veniret: forsitan super nubes animatas, & rationabiles, ut non sine anima, & irrationabile esset vehiculum filij hominis glorificati: sicut fuit sine anima curus, irrationabiles autem equi, in quibus visus est assumi Helias, secundum scripturam dicentem, Et ecce curus igneus, & equi ignis. Quod autem animata, & rationabiles nubes erunt, quæ erunt vehiculum filij Dei, proferimus exempli causa quod dicitur, Et veritas tua usque ad nubes. Et iterum, Mandabo nubibus, ne pluant su-

per illam pluuiam. Maxime autem ex eo, quod dicitur, Et ecce nubes lucida adumbravit eos, & ecce vox de nube dicens. Non quia nubes filij erat pater, sed (ut ita dicam) verbum Dei factum est ad eam, sicut factum est ad prophetas. Et sicut qui audit Esaiam dicentem, Filios genui, & exaltavi, ipsi autem me spreuerunt: non Esaiam, sed Deum patrem audit in Esaiam: sic qui audiebant de nube vocem dicentem, Hic est filius meus dilectus: non nubem, sed patrem in ea testificantem gloriæ filij audiebant. Si ergo ante passionis dispensationem talis fuit nubes prophetans, quid debemus dicere de nubibus cæli, super quas venientem filium hominis videbunt cum virtute, & gloria multa, qui viderint eum tunc? Et si quidem ne terram calcaret filius Dei in Hierosolymis, diligentes eum strauerunt vestimenta sua in via: nec a se illum qui portabat eum volebant terram calcare, quid mirum si pater & Deus omnium, nubes sternat cælestes sub corpore filij descendens ad opus consummationis: Et primum quidem venit Iesus cum virtute, & gloria, qua glorificauerat eum pater: ex qua virtute faciebat signa & prodigia in populo, & omnem infirmum cecum, & languorem sanabat: propter quam & dicebat, Tetigit me aliquis, ego enim scio virtutem de me exisse. Omnis autem illa virtus comparatione virtutis illius multæ, cum qua in fine venturus est, modica erat. Virtus enim erat exinanientis se ipsum. Virtus autem illa multa, de qua scribitur, Videbunt filium hominis venientem super nubes cum virtute & gloria multa: erit Dei verbi: qui restitutus est in statum, quem habuit à principio apud Deum prius quam exinaniret se ipsum. Sic & multam gloriam eius intellige, incipiens à gloria vultus Moyse, & transiens ad Heliam, qui visus sunt in gloria quando facta est species vultus filij Dei, altera, & mutatum est vestimentum. Intelligens autem etiam quod dicitur, Si enim quod euacuatur per gloriam, multo magis quod manet in gloria: videbis multam illam gloriam filij, de qua scriptum est, Cum virtute, & gloria multa. Adhuc autem magis intelliges, de qua loquitur textus, accipiens de Actuum volumine quod taliter habet, Et cum hæc dixisset, videntibus illis, eleuatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum. Et cum intenderent in cælum, eunte illo, ecce duo viri steterunt in veste alba, qui & dixerunt, Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cælum? Hic Iesus qui assumptus est à vobis in cælum, sic venit quemadmodum vidistis eum euntem in cælum. Si enim credimus istis quibus nubes dicitur eum suscepisse, & sustulisse in cælum, quomodo non secundum textum veniet de cælo, sicut viderunt eum euntem in cælum discipuli eius? Et in reuelatione Ioannes similiter dicit, Ecce veniet cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt. Intelligat autem qui potest, verum id ipsum est super nubes cæli venire eum, & cum nubibus eum venire: alie quidem sunt nubes super quas veniet, alie autem cum quibus veniet: Considera autem in visione Egyptiæ Esaiam dicentem, Ecce dominus sedet super nubem leuam, & veniet in Egyptum: vtrum Egyptum dicit hanc quæ communiter intelligitur, aut totum mundum. Secundum enim ipsum Ioannem, locus, in quo dominus eorum est crucifixus, vocatur spiritaliter Sodoma, & Egyptus: siue totus

mundus, siue Iudæa Sodoma, & Ægyptus appellatur. Qui autem super nubem leuem venit in Ægyptum, primū ascensionem faciet in Iudæam. Rationis est enim venientem eum iterum illic primum fieri. Sodoma autem, ubi dominus eorum crucifixus est appellatur: sicut & aliquando dictum est ad populum illum & principes eius. Audite verbum domini, principes Sodomorum, attendite legem Dei plebs Gomorræ. In his traditionibus videtur etiam illud quod dicitur, Rapiemur in nubibus obuiam domino in aërem: & sic semper cum domino erimus. Et dicit, Si beati homines in nubibus rapiuntur in aërem, quid mirum est in nubibus filium Dei venire cum virtute & gloria multa? Item nubes obumbrabat populum venientem ex Ægypto. Si ista creduntur, quomodo non consequens est, domino populi in vehiculum fieri nubes caelestes ut sedeat super eas: Si autem recipitur liber, qui dixit, quod sapientia est, quæ facta est populo tunc columna nubis in die, & flamma ignis in nocte: dicit aliquis, quod nubes, super quas videbunt filium hominis venientem, virtus altissimi est, & spiritus sanctus: qui sicut in nubibus caeli, & veniat illis inuictus. Cum sit ergo fortior, & non contemptibilis ratio hæc, qui vult quidem secundum vtrumque modum suscipere, quæ dicuntur, non reprobabit: & si dixerit quis intelligibiles nubes, in quibus veniet filius hominis: siue sanctas, & diuinas virtutes, siue beatissimos prophetas. Et dicit qui secundum gloriosum verbi aduentum futurum hominibus in consummationem seculi moraliter confitetur, sicut supra diximus traditum, sed non destruet etiam textum. Qui autem despiciens gloriosum, & admirabilem textum loci, & sicut Dei amicus in solo spiritali purat consistere verum: ignoscendum esse dicit quasi pueris, & paruulis in Christo eis, qui corporaliter suscipiunt ista. Cum multa autem virtute venit quotidie ad animam omnis credentis secundus verbi aduentus in nubibus prophetis, id est, in scripturis Prophetarum, & Apostolorum: quæ manifestant eum, & in omnibus verbis suis veritatis lumen ostendunt, & exorientem eum diuinis & super humanam naturam intellectibus suis declarant. Sic autem eis, qui intelligunt manifestatorem dogmatum in Prophetis, atque Apostolis dicimus apparere etiam gloriam multam, quæ in secundo verbi aduentu videtur. Et mittet angelos suos cum tuba magna, & congregabunt electos eius à quatuor ventis, à summis caelorum vsque ad terminos eorum. Similiter apud Marcum hoc dicit modo. Et tunc mittet angelos suos, & congregabunt electos à quatuor ventis, à summo terræ vsque ad summum caeli. Quod dicit saluatorem mittere angelos suos cum tuba magna, quæcunq; est illa, ad congregandos electos eius, consequenter dicitur eis, quæ in parabola alia referuntur de seminibus & zizaniis: & interpretas parabolam sic dicit, quoniam messis consummatio est. Messores angeli sunt. Sicut ergo colliguntur zizania, & igni cremantur: sic erit in consummatione seculi. Mittet filius hominis angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala, & eos, qui faciunt iniquitatem, & mittent eos in caminum ignis: illic erit fletus, & stridor dentium. Tunc inusti fulgebunt sicut sol in regno patris sui. Tale & aliquid dicit in parabola sagen. 2 missæ in mare. Ergo messores angeli mit-

tuntur à saluatore colligentes vniuersa zizania, ut post hæc sancti fulgeant sicut sol in regno patris sui, ut postea cōgregentur electi à quatuor vëtis, à summis caelorum vsq; ad terminos eorum. Considera vtrum sicut opinantur simplices, eos tantum, qui tunc inuenti fuerint in corpore congregandos: aut certe omnes, qui in Deo patre dilecti sunt, & Iesu Christo sunt conseruati: & vide nisi melius est dicere, congregandos esse ab angelis Christi omnes ab aduentu Christi vsque ad consummationem vocatos, atque electos. Quæres autem si etiam eos, qui fuerint à constitutione mundi vsque ad aduentum: si tamen electi Christi non solum sunt illi, qui ex aduentu eius sunt sancti, sicut quidam magistri hæresum dicunt, sed omnes qui à constitutione mundi fuerint, qui viderunt sicut Abraham Christi diem, & diuina exultatione exultauerunt in eum. Si autem non tantum sicut simplices arbitrantur, eos qui inueniuntur in corpore congregati sunt angeli, sed omnes Christi electos, considerare est dignum quid interea facientes, aut in quo loco commorantes congregabunt electos. Quoniam autem non tantum illos qui in corpore fuerint comprehensi, dicit cōgregandos Christi electos, sed etiam illos qui de corporibus sunt egressi: manifestat sermo dicens congregandos electos non solum à quatuor ventis, sed etiam à summis caelorum vsq; ad terminos eorum. Nemini autem super terram arbitror conuenire quod ait, ut congregentur à summis caelorum: nisi forte eos, qui inter homines interim apud angelos docentes caelestia commorantur, congregabunt angeli sancti, ut ante eruditos in summis caeli vsque ad terminos eorum, & instructos tradant perfectos magno Deo verbo filio Dei ad congregandum ei, & ad susceptionem eorum, quæ tradiderit filius Dei his, qui doctrinam caelestem ante susceperunt. Quoniam autem umbra est hæc vita nostra in terris, consequens est vt nunc lege, & prophetis erudiantur qui in illa plenitudine temporis reliqua sunt scituri, & pleniora à filio Dei scituri secundum res ipsas caelestes: vt, qui sunt in summis caelorum, quasi in quibusdam eruditionibus sint, vt possint postmodum capere sapientiam Dei, magis autem sapientiam ipsum filium Dei, qui venerit quod vere perfectum est. Et quatuor ventos ex quibus electi Christi congregabuntur, intelligimus quæretes quorum bonorum futurorum habuerunt vmbra, quæ in Numeris sunt conscripta de vnaquaque tribu filiorum Israël. Vnde primus fuit ordo castrorum Iuda cum virtute ipsorum, constituens ad orientem, & cum his ex vtraque parte Isachar, & Zabulon. Et ad Aphricum tribus Ruben, & ex vtraque parte Symeon, & Gad: & tribus Effrem secundum mare, & ex vtraque parte Benjamin, & Manasse nouissima. Et tribus Dan ad Aquilonem, & ex vtraque parte Aser, & Neptalim. Forsitan ergo extrunc, tribus egressæ vmbrae erant castrorum secundum mysteria veri Israël. Et sicut tunc ex quatuor ventis congregati sunt in Iudæa, & in hæreditatem per Iesum post Moysen pædagogum, & procuratorem instituta: sic à quatuor ventis angeli congregabunt electos: à ventis autem non terrenis, à summis caelorum vsque ad terminos eorum: vt ab Iesu nostro congregati percipiant diuinam & veram hæreditatem. Apud Matthæum ergo qui congregantur, Christi

Christi electi ex quatuor ventis congregantur, à summis caelorum vsq; ad terminos eorum. Apud Marcum autem, à quatuor ventis, à summo terræ vsque ad summum caeli: postea autem à summis caelorum vsque ad terminos eorum. Intelliges autem eos, qui cōgregantur à summo terræ, considerans conuersationem eorum qui fuerunt in terris, & secundum quod possibile est, perfectionem eorum, qui sunt conuersati in terris. Omnes ergo, qui super terram bene vixerunt, non simpliciter congregantur à terra: sed à summo terræ, vtpote à summa conuersationem super terram. Si autem post summam conuersationem, quæ fuit in terris, susceperit subsequens conuersatio eos, qui conuersationem habuerunt in caelis: non simpliciter à summo caelo sicut à summo terræ, sed à summis caelis, quoniam vnumquodque caelum suæ institutionis & initia habet & perfectiones, id est terminos. Vtpote post cōuersationem summam, quæ fuit super terram, suscipit iterum hominem conuersatio vnius caeli, & perfectio quæ in eo est. Iterum suscipit eum secunda conuersatio secundi caeli, & perfectio quæ in eo est. Iterum suscipit eum tertia conuersatio terti caeli, & perfectio quæ in eo est. Et sic intellige mihi, multorum caelorum multarum conuersationum initia esse & terminos, id est perfectiones à quibus initiis & terminis diuersorum caelorum congregat Deus suos electos. Aut ita, *À summis caelorum vsque ad terminos eorum.* Cæli sunt vel scripturæ diuinae, vel autores earum, in quibus habitat Deus. Summa autem scripturarum sunt initia earum, termini autem consummationes earum. Congregantur ergo sancti à summis caelorum, id est, ab eis, qui cepto viuunt in initiis scripturarum, vsque ad eos, qui viuunt in consummationibus earum: ac vt plus dicam, à rudibus eorum vsque ad perfectos eorum. Qui autem mittuntur angeli à saluatore ad congregandum electos eius, congregabunt eos non cum voce qualicunq; sed cum tuba, quæ vocatur magna: non vocem dante incertam, sed certam, & manifestam, vt qui audierint, & didicerint, parent se ad viam perfectionis, quæ ducit ad filium Dei. Quoniam autem volumus intelligere, quid est tuba magna, debemus spiritalibus spiritalia comparare. Age nunc & de tubis, in quantum capere possumus, breuiter exponamus: si tamen possumus ex congregatione, & admonitione istorum exemplorum intelligere & magnam angelorum tubam. Scriptum est enim in Numeris. Et locutus est dominus ad Moysen dicens, Fac tibi duas tubas argenteas, ductiles facies eas: & erunt tibi ad congregandam synagogam, & erunt tibi ad promouenda castra: & tubabis in eis, & congregabitur ad te omnis synagoga ad ostium tabernaculi testimonij. Si autem in vna tuba venerint ad te omnes principes militum Israël, tubabis significationem primam: & promouebunt castra qui consistunt ad orientem. Et tubabis significationem secundam, & promouebunt castra, qui consistunt ad austrum. Et tubabis significationem tertiam, & promouebunt castra qui consistunt secundum mare. Et tubabis significationem quartam, & tollent castra qui consistunt ad aquilonem. Ergo tubabunt tuba in promotione eorum. Et quando congregatis congregationem eorum, tubate, & non significatione. Et filij Aaron sacerdotes tubabunt tubis, & erit vobis

legitimum sempiternum in generationibus vestris. Si autem exieritis ad bellum in terra vestra contra aduersarios, tubabitis tubis, & rememorabimini in conspectu Dei vestri, & saluabimini ex inimicis vestris, & in diebus lætitiæ vestrae, & in festiuitatibus, & Neomeniis vestris, tubabitis tubis, & in holocaustis vestris, & in sacrificiis salutarium vestrorum, & erit memoria vestri in conspectu Dei vestri. Ego dominus Deus vester. Vide etiam in istis, quod in prima significatione tubæ promouent castra, qui sunt secundum orientem, in secunda autem promouent castra qui sunt secundum austrum, & vt breuiter dicam, ex quatuor ventis congregant sacerdotes tubantes, eos qui sunt ex castris Israël, & secundum comparisonem sacerdotum tubantium, angeli Christi cum tuba magna congregabunt electos eius, à quatuor ventis. Sed in Numeris quidem hæc facta scribantur in terris, in euangelis autē à summo terræ vsque ad summum caeli. Post hæc autem à summis caelorum vsque ad summa eorum. Et forsitan lex vmbrae habet futurorum bonorum: & in Numeris quoque quod positum est de tubis, & ordinibus Israël, umbra est futurorum. Ne forte ergo argenteæ tubæ, quoniam argentum in multis locis pro verbo suscipitur, magna vox verbi intelligitur tuba argentea congregans vnumquemque in ordine. Secundum vmbrae quidem sicut Moyses nominauit, secundum mysterium autem secundum, quod dicit Paulus in epistola ad Corinthios secunda, Primum autem cum tubis rationabilibus promouent castra. Ita legislatio fit de his rebus quæ ad bellum pertinent Israël memorantis per illam significationem tubarum bellicas res: quæ tubæ ferunt eos qui commemorantur per eas significationes tubarum, ad saluandum eos ab inimicis eorum. Voces autem argentearum & productilium tubarum in diebus lætitiæ Israël, quæ allumuntur in Neomeniis ipsorum, erant umbrae futurarum Neomeniarum: de quibus dicit Apostolus, Nemo vos indicet in esca, aut in potu, aut in parte dici festi, aut Neomeniæ, aut sabbatorum: quæ sunt umbrae futurorum. Assumuntur autem & in holocaustis, & in sacrificiis salutarium Israël. Quas significationes tubarum exemplo & umbrae caelestis culturae, quasi alicuius caelestis & conuersationem habentis in caelum, exponere conuenit. Hæc autem exempla accepimus, vt vel ex parte intelligere valeamus quod scriptum est, *Mittet angelos suos cum tuba magna, & congregabunt electos eius.* Euangelicas autem tubas ostendit & in prima ad Thessalonicenses Apostolus dicens, Hoc autem vobis dicimus in verbo domini: quoniam nos, qui viuimus, qui remanebimus in aduentu domini non præueniemus eos, qui dormierunt: quoniam ipse dominus in iussu, & in voce archangeli, & in tuba Dei descendet de caelo. Item ad Corinthios prima, Omnes quidem dormiemus, non autem omnes immutabimur, in momento, in ictu oculi, in nouissima tuba. Tubabit enim, & mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur. Est autem & aliqua secundum legem & tubarum festiuitas, Neomenia septimi mensis: forsitan mysterium alicuius veræ festiuitatis, & tubæ alicuius spiritalis, & magniloquij. *A seculi autem discite parabolam. Quando enim iam ramus eius factus fuerit tener, &c.* Quomodo de sicu similitudo eorum, quæ dicta sunt intel-

ligi possit, secundum quod possumus exponere: ne forte totus hic mundus & consummatio eius sicuti assimilatur: vnusquisque proficiendum ad vitam beatam, ut videat Christi verbi gloriosum in se, & perfectum aduentum, sicuti cuiuslibet habeatur. Sicut enim ficus in tempore quidem hyemis vitalem quidem virtutem habet in se, absconditam autem habet eam, & non satis manifestam: postmodum autem cum virtus ipsa vitalis prodire cœperit ad manifestationem, præterunte hyeme, ex ipsa valetudine eius ramus efficitur tener, producit & folia: & sicut arbor in virtute ipsa folia habet & fructus, & primum quidem est gemma, deinde paulatim proficitur, nouissime autem est in ipso effectus: sic & mundus, & vnusquisque eorum, qui saluantur, in fine ante Christi aduentum quasi in hyeme, in se absconditam habet vitalem virtutem: Christo autem inspirante, qui sunt teneri, & non duricordij rami, & quæ abscondita erant in eis progrediuntur in folia æstate instante, & manifestos fructus ostendunt: quos qui aspicit in Christo iam videt. Sic & in aliqua parabola refertur Pastoris, si cui placeat etiam illum legere librū: quoniam seculum præfens hyems est iustis, qui apparent similes proximis suis natura, & arboribus videlicet cæteris ficis, tempore autem opportuno in fructibus suis apparent. Si autem & in primo psalmo tale aliquid sit, quod de beato dicitur illo, quod erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo: & folium eius non defluet, & omnia, quæcunque faciet, prosperabuntur: & tu considera quod est scriptum, Hyemis transit, abijt sibi, flores apparuerunt in terra: sicut scriptum est in Cantico canticorum, ex quo Christus aduenit qui temperiem introduxit, & hyemales spiritus fecit cessare, & ficus (id est mundus) tenerum ramum (id est ecclesiam) fecit: nunc quidem folia proferentem donec est in proximo æstas, nondum tamen aduenit: facta autem æstate plenius perfectos & maturos Christo ficus præstabit: quando secundum Hieremiam ficus bona, bonæ sunt valde, congregatæ in cophinis bonorum ficorum: ex quibus Christus accipere vult, & quasi edere dulcedinem eorum. Absit autem à nobis ut Iesu veniente ad nos, & volente manducare de ficu, ut non inueniatur fructus in ea. Si enim non fuerit inuentus fructus in ea, dicit ad eam in suo aduentu, quæ non ostenderit fructus. Nunquam ex te quisquam fructum manducet. Potest autem ficus illa intelligi populus circumcissionis, ad quos esuriens dominus venit: & cum non inuenisset fructum in ea, sed solum speciem vitalem, dixit, Nunquam ex te quisquam fructum manducet. Propter quod in aduentu eius continuo atefacta est illa ficus, id est populus ille: illa autem altera ficus quæ quantum ad priora tempora sterilis erat, quæ fuerat iam exciderida propterea quod nullam habuerat adhibitam sibi diligentiam à suo flore: cum sterus illi cœperit circummitti proferet fructus, quæ aliquando euacuauerat terram: nunc autem largiores fructus producet etiam pro tempore trāfacto in quo sterilis fuit. Et vnusquisque nostrum post hyemes tentationum: & post iustitiam periculorum transitorum ad ætatem festinet proferens tenerum ramum: non illud durum, sed molle cor ad creden-

*Liber exat  
sub nomine  
Hermetis re-  
solationum.*

dū Deo: & profectus nostri proferant folia interrim & flores operum, ut postmodum etiam perfectissimos fructus cum venerit quod perfectum est, in Christum exhibeamus. Adhuc & ipsi qui saluantur habent in se veram vitam, eum qui dixit, Ego sum vitis vera: & secundum existimationem vitis, & sicut veram offerentem saluantes fructus, ubi requiescit vnusquisque secundum spiritalem promissionem Dei sub vite sua, & sub ficu sua. Et vitis quidem illa in iis qui proficiunt floret, & dat suum odorem. Ficus autem & ipsa profert fructus suos, ut post dignum profectum, digni efficiantur celestibus torcularibus fructus eorum, & cophinis ficorum valde bonorum eius fici, quæ teneros fructus & bonos protulit ante æstus. Cuius fructus etiam languentes, non autem pigritantes orare medicantur, sicut scriptum est de Ezechia rege in Esaia, qui saluatus est per ficum, ut ne moreretur: sed & sol super eum in gradibus demonstrauit maiorem, & clariorem ei diem effectam. Multa est ergo spes in ficu, quæ ex Dei verbis primum quidem fecit tenerum ramum suum, postea autem nascentia folia. Talibus prope est æstas, & prope est in limine gloriosus, & in nubibus Christi aduentus, & aduentus gloriæ verbi Dei, & prope est huiusmodi hominibus regnum Dei. Amen dico vobis quoniam non transibit generatio hæc, donec omnia hæc fiant. Cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt. Videamus quæ sit generatio hæc, de qua loquitur Christus. Et simplices quidem ad destructionem Hierusalem referunt verba, & de illa generatione existimant: diciturque fuit tempore Christi, & passionis eius aspexit, non transitoriam priusquam fieret destructio ciuitatis illius. Nescio autem si verbū ad verbum exponere possunt quod ait, Non videtis hæc omnia? Amen dico vobis, non relinquetur hic lapis super lapidem qui non destruetur, vsque ad illud quod ait, Prope est in limine. Forsitan enim in quibusdam poterunt, in alijs autem omnino non poterunt. Et satis coangustari, nescio si aliquid dicere poterunt. Nos autem in locis multis obseruantes, nomen generationis dupliciter accipimus. Arbitramur enim duas esse generationes. Vnam quidem Iudæorum, alteram autem gentium. Sic intelligimus & ecclesiastem dicentem, Generatio vadit, & generatio venit, & terra in æternū stat. De populo enim Iudæorum prophetas, qui fuerat transitorius, ait, Generatio vadit. De populo autem gentium credituro dixit, Generatio venit. Tale aliquid puto & in Psalmo octogesimo nono dicitur à Moysè in oratione ipsius. Domine refugium factus es nobis à generatione in generatione. Duarum enim generationum refugium est Deus: quia vnus est Deus qui iustificat circumcissionem ex fide, & præputiū per fidem. Et quoniam non tantum Iudæorum, sed etiam gentium est Deus, ergo non præteribit generatio noui testamenti, quæ est in facie Saluatoris, neque abibit ad illas beatas promissiones illius seculi, donec omnia fiant quæ locutus est Christus. Vnicuique enim nostrū oportet omnia fieri, quæ prædicta sunt, sicut per singulas expositiones tradidimus. Vna ergo generatio est ecclesiæ quæ cœpit ex doctrina Domini saluatoris vsque ad consummationem: & hæc ipsa generatio transibit quidem aliquando totum seculum hoc & pertransibit ipsum ut hereditet illud futurum: tamen donec fiant hæc omnia, non transi-

transibit. Quando autem in his omnibus sufficiens fuerit, & impassibilis permanerit vsque ad gloriosum Christi aduentum, tunc pertransibit. Tamen, donec fiant hæc omnia, non quædam eorum, quæ dicta sunt, quædam autem non sunt futura, tamen transibit generatio hæc cum omnia hæc fuerint facta, cum transierit non solum terra, sed etiam cælum, id est non solum ij homines, quorum vita terrena est, & propterea terra dicuntur: sed etiam illi, quorum conuersatio est in cælis, & ideo cælum vocantur. Transibunt autem ad futura, & omnis status eorum ut veniant ad eminentiora, & meliora. Quorum reuelationem, cum sint filij Dei, expectatio creaturæ expectat, & omnis creatura congemiscit eis, & dolet, donec à timore domini in vtero accipientes pepererint spiritum salutis, facientes suas sceturas, & tunc transibit generatio de qua loquitur Christus, & cælum secundum quod exposuimus, & terra secundum quod tradidimus. Verba autem, quæ à Saluatore sunt dicta, non transibunt, quoniam quæ sua propria sunt operantur & nunc, & semper operantur. Perfecti autem & qui non recipiunt ut iam meliores efficiantur, transientes quod sunt, perueniunt ad illud quod non sunt. In eo autem quod dixit, Verba autem mea non præteribunt, & hoc existimo querendum: ne forte Moysi quidem verba, & prophetarum transierunt, verba autem Iesu Christi non transierunt: quoniam quæ prophetabantur quidem ab illis impleta sunt, verba autem Christi semper sunt plena, & in actu impletionis sunt semper, & quotidie implentur, & nunquam implentur. Ipsa enim sunt quæ in sanctis & impleta sunt & implentur, & adhuc sunt implenda. Aut forte neque Moysi verba vel prophetarum dicere debemus impleta omnino: proprie enim & illa verba filij Dei sunt, & semper implentur. Ergo bonum est altitudines verborum diuinorum, verbis simplicibus explicare: tamen propter paucos discutiamus, hæc tantum intelligentes, quoniam verbum quod in verbo Dei humanum est à creatione mundi vsque ad consummationem non transiit. Instat enim & operatur, quia neque principium operandi ante tempora dierum accepit: sed cum creatura cœpit, & cum creatura transibit. Verbum autem, quod fuit ante creaturam, non transibit cum creatura.

### S. HILARII PICTA- mensis Episcopi superioris Euang. expositio.

Sequitur deinde & indicium aduentus futuri. Scum abominacionem desolationis stantem in loco sancto videbunt: tunc claritatis reditum intelligendum. Et de quo quidem, beatissimo Daniele & Paulo prædicantibus, superflua nos putare habere sermonem: de antichristi enim temporibus hæc locutus est. Abominatio ex eo dictus, quod aduersus Deum veniens honorem sibi Dei vindicet. Desolationis autem abominatio, quia bellis & cædibus terram cum piaculo desolaturus sit, atque à Iudæis susceptus loco sanctificationis, insistent, ut ubi sanctorum precibus Deus inuocabatur, illic ab infidelibus receptus Dei honore venerabilis sit. Et quia proprius iste Iudæa erit error, ut qui veritatem respuerunt, suscipiant fal-

statem, Iudæam deserit monet, & transfugere in montes: ne admixtione plebis illius antichristo credituræ visa, ut cōtagio afferatur, sed omnibus qui tunc fideles erunt, tutiora futura sint deserta montium, quam frequētata Iudæa. Quod autem ait: *Et qui in tecto sunt, non descendant tollere aliquid de domo.* Præceptum istud secundum humanam intelligentiam rationem dicti, factique non recipit. Qui enim in tecto est, & Iudæam sic relicurus, nisi descendens ex eo abire non poterit. Aut quæ utilitas est, consistere in tecto, & non in domo manere? Sed frequenter admonuimus proprietates verborum & locorum contuendas, ut momenta præceptorum cælestium consequamur. Tectum est domus fastigium, & habitationis totius celsa perfectio. Domus enim nulla dici poterit vel esse sine tecto. Qui igitur in consummatione domus suæ, id est, in corporis sui perfectione constitit, regeneratione nouus, spiritu celsus, & diuini muneris absolutione perfectus: non descendere in humiliora rerum secularium cupiditate debet, neque interioribus corporis illecebris prouocatus de tecti sui sublimitate decedere. *Et qui in agro erit, non reuertatur tollere tunicam suam.* Scilicet positus in operationem præcepti, non ad curas pristinas reuertatur. Neque aliqua corporis indumenta desideret: ob quæ reuersus, veterum exinde peccaminum quibus antea conregebatur, erit tunicam relaturus. *Ve pregnantibus & nutriendibus.* Simpliciter quidem istud propter moram fugæ accipi potest: quia ventris onere impeditas, imminens temporum ruinam effugere sit molestum. Sed quid conditio sexus & generationis ordo cōmeruit? Nisi forte ætas illa mulierum quæ in illa tempora incidit, proprie sit futura maledicta. Sed absit istud, ut quicquam sit quod homini nisi sua culpa malum fiat. Non igitur de scaturum onere Dominum admonuisse credendum est, cum dicit, *Ve pregnantibus:* sed animarum peccatis repletarum ostēdille grauitatem, quæ neque in tecto positæ, neque in agro manentes repositæ ite tempestatem vitare possunt. Dolor enim prægnates ex natura consequitur: & partus sine totius corporis vexatione non funditur. Quæ ergo tales animæ reperientur, in suo & onere & dolore continebuntur. Illis quoque vix erit quæ nutriantur. Est infantia lacte depulsa non minus ad fugam inutilis, quam ea quæ etiamnum lacte alatur. Et quomodo vix illi quæ nutriatur: cum nihil intersit ætatis ac temporis nutriri lacte & decessisse de lacte? Sed perinde hic etiam infirmitatem animarum, quæ ad cognitionem Dei tanquam lacte educabantur ostendit: quæ perfecti cibi virtute indigentes, tenui diuinæ cognitionis infirmoq; gustatu imbuantur. Et idcirco vix ipsis erit: quia & ad effugiendum antichristum graues, & ad sustinendum imperitæ, nec peccata effugerint, nec cibum veri panis acceperint. Atque idcirco orare admonemur, ne vel hyeme fuga nostra, vel sabbato sit: id est, ne aut in peccatorum frigore, aut in otio bonorum operum reperiamur. Quia granis vexatio incumbet, & intolerabilis cunctis, nisi quod causa electorum Dei, diebus illis sit breuitas afferenda, ut vim incumbentium malorum coarctatum degrassandi tempus exuperet. Et quia in magna vexatione positus, pseudo-prophetæ tanquam præsentem in Christo opem sint indicatori, multis in locis Christū esse atque



haberi mentientur, vt in antichristi famulatum depressos vexatōque deducant: nunc in desertis esse dicentes, vt errore deprauent: nunc in penetralibus asserentes, vt dominantes potestate concludant. Sed se Dominus non loco occultandum, nec à singulis contuendum esse profitetur, sed vbicunq; & in conspectu omnium præsentem futurum modo fulguris, quod ab Oriente elatū, lumen suum vsque ad Occidentis plagam spargit, & vndeunque micans vbicunq; cernetur. At ne vel loci quidem eius in quo futurus esset, essemus ignari, ait: *Pbicumque fuerit corpus, ibi congregabuntur aquilæ.* Sanctos de volatu spiritualis corporis aquilas nuncupauit: quorum (congregantibus angelis) conuentum futurum in loco passionis ostendit. Et indignè illic claritatis aduentus expectabitur: vbi nobis gloriam æternitatis, passione corporeæ humilitatis operatus est. *Statim autem post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur, & reliqua.* Gloriam aduentus sui, & claritatis reditum indicat obscuritate solis, defectio- ne lunæ, casu stellarum, virtutum cælestium motu, ostensione signi salutaris, lamentatione gen- tium cognoscentium filium hominis in Dei gloria: & ad collectionem sanctorum destinatione angelorum, tum tubæ, id est, iam publicæ libertatis hortatu. Sic erit de grano sinapis arbor ingès: sic de lapide montis contrita imagine orbem terræ, mons occupans: sic ciuitas omnibus contem- plabilis: sic lucens vniuersis lumen in lychno: sic ex humilitate mortis Deus gloriæ. Quaram om- nium rerum iudicio, scire nos voluit tempus nos- træ redemptionis: quo ex corruptione corporū, in honorem spiritualis substantiæ transferemur. Cognoscenti autem temporis signum, in simili- tudine ficus arboris posuit: cuius cum ramus tener fuerit, atque fronderit, tum propè esse ætas intelligitur. Sed longè alia natura & ætatis, & arboris est. In veris enim initiis intumescit: & nõ exiguum tempus est medium, inter id, quod ætas ingruit, & arboris ramus tenerescit in frondes. Ex quo, non de arbore hoc dictum esse noscendum est. Et quidem iam superius de arboris istius propri- etate tractauimus. Huius etiam foliis Adam legimus indutum, & pudorem conscientiæ textis- se, id est, tanquam peccati veste sub lege circun- datum. Ramus igitur ficus antichristus esse intel- ligitur: Zaboli filius, peccati portio, legis assertor. Qui cum tenerefcere cœperit atque frondescere: tunc proxima esse ætas, id est, dies iudicii sentietur; frondescere autem quadam peccatorū exul- tantium viriditate noscitur; erit enim tum flos criminoforum, & honor facinoroforum, & gratia prophanorum: quibus tamen ætus, id est, calor æterni ignis in proximo est: Atque vt fides certa esset futurorum, Amen, dicendo, professionem veritatis adiecit: generationem nostram præterire non posse nisi vniuersa ista transcurrerent, eaque quæ firma existimantur cælum & terram non fu- tura, verba autem sua non posse non esse, quia il- la ex conditione creationis suæ, id est, profecta de nihilo, habeant id in se necessitatis, vt non sint: hæc autem ex æternitate deducta, in id se contineant virtutis vt ma- neant.

## S. HIERONYMI PRES- byteri in idem Euang. expositio.

**C**um ergo videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele propheta, &c. Quando ad intelligentiam prouocamur, mylticum monstratur esse quod dictum est. Legimus autem in Daniele hoc modo: Et in dimidio hebdomadis auferetur sacrificium & libamina: & in templo abominationem desolationum erit vsque ad consum- mationem temporis: & consummatio dabitur super solitudinem. De hoc & Apostolus loquitur: quod homo iniquitatis & aduersarius ele- uandus sit contra omne quod dicitur Deus & co- litur: ita vt audeat stare in templo Dei, & ostendere quod ipse sit Deus: cuius aduentus secundum operationem satanæ destruat eos, & ad Dei solitudinem redigat, qui se susceperint. Potest autem simpliciter aut de antichristo accipi, aut de imagine Cæsaris, quam Pilatus posuit in templo: aut de Hadriani equestri statua, quæ in ipso san- cto sanctorum loco vsque in præsentem diem stet- tit. Abominatio quoque secundum veterem scri- pturam, idolum nuncupatur: & idcirco additur desolationis, quod in desolato templo atque de- structo, idolum positum sit. *Tunc hi qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes: & qui in tecto, non descendat tollere aliquid de domo sua, &c.* Abominatio desolationis intelligi potest, & omne dogma peruersum: quod cum viderimus stare in loco sancto, hoc est, in ec- clesia, & se ostendere Deum: debemus fugere de Iudæa ad montes: hoc est, dimissa occidente litera & Iudæica prauitate, appropinquare montibus æternis: de quibus illuminat mirabiliter Deus: & esse in tecto & in domo, quo non possint ignita diaboli iacula peruenire: nec descendere & tol- lere aliquid de domo conuersationis pristinæ: nec querere quæ retrosum sunt: sed magis sere- re in agro spiritualium scripturarum, vt fructus capiamus ex eo. Nec tollere alteram tunicam, quam Apostoli habere prohibentur. De hoc loco, id est, de abominatione desolationis, quæ dicta est à Daniele propheta stante in loco sancto: multa Porphyrius tertio decimo operis sui volumine contra nos blasphemauit: cui Eusebius Cæsariensis episcopus, tribus respondit voluminibus de- cimooctauo, decimonono, & vice simo. Apollina- ris quoque scripsit plenissime: superflueque co- natus est vno capitulo velle differere, de quo tan- tis versum millibus disputatum est. *Væ autem præ- gnantibus & nutriendis in illis diebus. Væ illis anima- bus, quæ non in perfectum virum sua genimina perduxerūt: sed initia habent fidei, vt enutritione indigeant magistrorum.* Hoc quoque dici potest, quod in persecutione antichristi, seu Romanæ cap- tiuitatis, prægnantes & nutriendes vteri, & filio- rum sarcina prægrauati, expeditam fugam habere non quierint. *Orate autem vt non fiat fuga vestra hyeme, &c.* Si de captiuitate Hierusalem voluerim accipere, quando à Tito & Vespasiano capta est: orate debent, ne fuga eorum hyeme vel sab- bato fiat: quia in altero duritia frigiditatis prohibet ad solitudines pergere: & in motibus desertique latitare: In altero, aut transgressio legis est, si fuge- re voluerint: aut mors imminens, si remanserint. Si autem de consummatione mundi intelligitur: hoc præcipit, vt non refrigescat fides nostra & in Chri-

Christum charitas: neque vt ociofi in opere Dei torpeamus virtutū sabbato, *Et nisi breuiati fuissent dies illi, nõ fieret salua omnis caro: sed propter electos bre- uiabuntur dies illi.* Abbreuiatos dies, non secundum delyramenta quorundam, qui putant temporum momenta mutari: nec recordantur illius scripti: *Ordinatione tua permanet dies: sed iuxta tempo- rum qualitatem sentite debemus: id est abbreuiatos non mensura, sed numero: vt quomodo in benedictione dicitur: Longitudine dierum reple- bo eum: sic & nunc abbreuiati dies intelligantur: ne temporum mora, si des concutiatur creden- tium. Tunc si quis vobis dixerit: ecce hic Christus aut illic, nolite credere.* Multi captiuitatis Iudæicæ tem- pore principes extiterit, qui Christus esse se dice- rent: intantum vt obliuiscerent Romanos, res in- tus fuerint factiones. Sed melius de consumma- tione mundi intelligitur. *Surgit enim pseudochristi & pseudopropheta: & dabunt signa magna & prodigia: ita vt in errorem, &c.* Tripliciter vt ante iam dixi, locus hic differendus est: aut de tempore obfisionis Ro- manæ: aut de consummatione mundi: aut de hæ- reticorum contra ecclesiam pugna, & istiusmodi antichristis, qui sub opinione falsæ scientiæ contra Christum dimicant. *Si ergo dixerint vobis: ecce in deserto est, nolite exire: vbi quod in deserto gentium & philosophorum dogmate Christus moretur: aut in hæreticorum penetralibus, qui Dei pollicentur arcana, nolite exire: nolite crede- re: siue quia persecutiones & angustiarum tem- pore semper pseudopropheta decipiendi inueni- unt locum: si quis sub nomine Christi se iactare voluerit, non statim accomoderis fidei. Sicut enim fulgur exit ab oriente, & paret vsque in occiden- tem: ita erit & aduentus filij hominis. Nolite exire: nolite credere, quod filius hominis vel in deserto gentium sit, vel in penetralibus hæreticorum: sed quod ab oriente vsque in occidentem, fides eius in catholicis ecclesiis fulgeat. Hoc quoque di- cendum, quod secundum saluatoris aduentus non in humilitate vt prius, sed in gloria demonstrandus sit. Stultum est itaque eum in paruo loco vel abscondito querere, qui totius mundi lumen sit. *Pbicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ.* De exemplo naturali quod quotidie cernimus, Christi instrumit sacramento. Aquilæ & vultu- res etiam trans maria dicuntur sentire cadauera: & ad escam huiusmodi congregati. Si ergo irra- tionabiles volucres naturali sensu tantis terra- rum spaciis, & maris fluctibus separatæ, paruum cadauer sentiunt vbi iaceat: quanto magis nos, & omnis multitudo credentium debet festinare ad eum, cuius fulgur exit ab oriente, & paret vsque ad occidentem? Possumus autem corpus, id est, *utrumque*: quod significamus Latine dicitur cada- uer, ab eo quo per mortem cadat, passionē Chri- sti intelligere: ad quam prouocamur: vt vbicun- que in scripturis legitur, congregemur: & per il- lam venire possimus ad verbum Dei: vt est illud: *Foderunt manus meas & pedes meos.* Et in Esaiâ: *Sicut ovis ad victimam ductus, & cætera his si- milia.* Aquilæ autem appellatur sancti, quibus innouata est iuuentus vt aquilæ: & qui iuxta Esaiam plumescunt: & assumunt alas, vt ad Chri- sti veniant passionem. *Statim autem post tribulationem dierum, &c.* Sol & luna obscurabuntur, & non dabunt lumen suum, & cætera astra cadent de cæ-*

lo: virtutesque cælorum commouebuntur, non diminutione luminis: Alioquin legimus solem septuplum habiturum luminis: sed ad compara- tionem veræ lucis omnia visui tenebrosa sunt. Si itaque iste sol qui nunc per totum orbem rutilat: & luna quæ secundum est luminare: & stellæ quæ ad solatiam noctis accensæ sunt: omnesque vir- tutes, quas angelorū multitudines intelligimus, in aduentu Christi in tenebras reputabuntur: de- cutiatur supercilium eorum: qui se sanctos arbi- trantes, præsentiam iudicis non formidant. *Et tunc parebit signum filij hominis in celo.* Signum hic, aut crucis intelligamus: vt videant (iuxta Zachariam & Ioannem) Iudæi quem compunxerunt: aut ve- xillum victoriæ triumphantis. *Et tunc plangent om- nes tribus terræ: & videbunt filium hominis, &c.* Plan- gent hi qui municipatum non habuere in cælis, sed scripti sunt in terra. *Et mittet angelos suos cum tuba & voce magna, & congregabunt electos eius, &c.* De hac tuba & Apostolus loquitur: & in Apoca- lypsi Ioannis legitur: & in veteri testamento, tu- bæ ductiles ex auro, & erant argenti que fieri præ- ciuntur, vt sublimia doctrinarum resonent sacra- menta. *Ab arbore autem ficus discite parabolam, cum rami.* Sub exemplo arboris, docuit consummationis aduentum. Quomodo, inquit, quando teneri fue- rint in arbore ficus cauliculi, & gemma erumpit in florem, cortexque folia parturit, intelligitur ætatis aduentum, & fauonij, ac veris introitum. Ita cum hæc omnia quæ scripta sunt videritis, nolite putare iam adesse cōsummationem mun- di, sed quasi procœmia, & præcursores quosdam venire, vt ostendant quod propè sit, & in ianuis. *Amen dico vobis: quia non præteribit.* Supra diximus generationes bonorū, & econtrario malorum esse singulas. Igitur aut omne genus hominum signifi- cat, aut specialiter Iudæorum. *Cælum, & terra transibunt.* Cælum & terra transibunt immutatio- ne, non abolitione sui: alioquin quomodo sol ob- scurabitur, & luna non dabit lumen suum: & stellæ cadent: si cælum in quo ista sunt, terræque non fuerit.

## S. IO. CHRYSOSTOMI Constantin. in superius Euang. Homil. 1.

**C**um autem videritis abominationem desolationis, quæ dicta est per Danielem prophetam, stantem in loco sancto, qui legit, intelligat. Ad Danielem eos remi- sit, abominationem autem statnam appellat eius, qui urbem expugnauit, quam desolata vrbe, atque subuerso templo, intus statuit: quocirca & desolationis ipsam appellauit. Verum, vt disce- rent hæc futura, nonnullis eorum adhuc viuenti- bus, idcirco dicebat: *Cum videritis abominationem desolationis: vnde maximè & Christi virtus, & apo- stolorum fortitudo mirabilis, videlicet qui tem- poribus illis prædicabant, quando maximè Iudæi omnes pellebantur, quando quasi seditiosi, ac improbi obseruabantur, quando vndique illos exterminandos esse Cæsar iam iusserat: neque aliter fiebat, quàm si qui, cum maria vndique in- surgant, cum tenebris aër obductus sit, cum crebro atque alia super aliam naufragio naui submer- garur, cum inter se nauæ, qui supersunt, omnes dissideant, cum bellæ de profundo emergant,*

vnaque cum fluctibus nauigantes arripiant, cum fulmina iaciuntur, piratæ insidiantur, nulla fides inter nautas sit, ignarique nauigandi gubernacula teneant, & nauali bello cõtendant: cum classis maxima, simul & instructissima ex aduerso aggrediatur vnâ habentibus nauiculam, & eam ita, vt diximus, miserè apparatam, in aduersam, & maximam classem insurgere iuberet, ac ei victoriam pollicitaretur. Nam & à gentibus quasi Iudæi odio habebantur, & à Iudæis acriter impugnabantur, quasi legem suam soluente: ita nulli bi quiescere poterant, cum vbique præcipitia essent, acuti scopuli starent, cautes, ac saxa subessent læticia in ciuitatibus, in regionibus, in domibus, omnes vna, & singuli eos aggrediebatur, imperatores, principes, qui priuati, & qui cum potestate erant, vniuersæ gentes, ac omnes populi. Sic tanta turbatio erat, vt nullus oratione asssequi posset. Valde nanque Romanorum principatus Iudæos persequebatur, quoniam mille aduersus eos excogitabant insidias, nec tamen hinc vel minimam iacturam prædicatio habuit: sed, capta vrbe, atque cremata, & habitantibus miserimè afflictis, qui inde fuerunt apostoli, nouas leges, & noua præcepta viuendi Romanis vel inuitis imponebant. O rem nouam, atque inauditam in natura! Iudæorum innumera milia Romani tunc vicerunt, atque ceperunt, & à duodecim viris nudis, atque inermibus superati sunt. Quæ oratio exponere poterit tanti miraculi magnitudinem? Duo enim hæc docentibus ineffe oportet, vt auctoritate polleant, & ad audientibus diligantur, & ad hæc tertium, vt ea dicantur, quæ audienti placeant, & in tempore quietis prædicentur: quæ omnia tunc omnino contraria erant. Nec enim per auctoritatem fide digni putabantur, & qui fide digni credebantur, seducentes, decipientesque multos, faciebant, ne apostoli diligerentur solum, verum etiam vt cum dilectis conuersari non possent. Ita vndique à gente, à patria, à legibusque suis depellebantur. Ac rursus magna in ipsis apostolorum præceptis videbatur esse durities: è regione verò magna in priore vita, vnde homines abducebant, voluptas: præterea tam ipsi, quam sequentes eos multis subiecti periculis, variisque mortis generibus crudeliter trucidabantur: & ad hæc omnia tumultus, & turbationes bellorum adeò difficilem rem faciebant, vt, etsi nihil aliud resisteret, omnia tamè hinc dissolui facile possent. Quare opportunum est exclamare; Quis loquitur potentias domini, auditas faciet omnes laudes eius? Nam, si Ægyptij Moyfi facienti signa, vt lutum solummodo, ac lateres haberent, non auctularunt: quis persuasit Apostolorum discipulis pro quæta, voluptuosaque vita, pericula, effusionem sanguinis, quotidianamque mortem eligere, præsertim quum alienigenæ, capitalisque hostes, qui prædicabant, crederentur? Quod vt videas, quantum sit, quantumque vires excedat humanas, finge non in gentes, non in ciuitates, ac populos, sed in domum vnâ quampiam, qui odio habeatur, introite, vt cohabitantes ibi diuidat, atque dirimat, abducaturque patrem à liberis, liberos à matre, ab amantissima vxore maritum, & videbis, antequam aperite os, mutirque possit, discerptum, atque dilaniatum. Quod si etiam de contemptis hominibus esse videatur, & onerosa imperans, philosophari delitiis deditos iubeat, &

Psalm. 105. Exod. 11.

ignoratione detineri, quam falsa opinione mancipari. Nam, qui nescit, facile ratione ducitur: qui verò scire credit, cum nesciat, non potest facile veritatem suscipere, sed maiori sudore opus est, vt, antequam vera inculcentur, falsa ex animo eius eiciantur. Nam & in charta, vbi nihil scriptum est, facillimè scribitur: literis verò plena, nõ similliter certè: necesse est enim priora delere: & medicus qui nihil offert, eo, qui nocentia obtulit, melior est: & qui edificat illicò ruitura, peior est eo, qui nunquã edificauit. Et terra facilius aratro proscinditur, quæ nihil habet, quæ vepribus referatissima. Nequaquã igitur cũcta scire velimus, sed patientiam etiam nõnulla ignorare, vt, si magistrũ inueniremus, duplicè ei laborem non præbeamus: imò verò ne vt multi semper ægrotamus, qui falsis opinionibus occupati, emendari, ac corrigi nunquam potuerunt. Non autem æqualis labor est feminare, postea quàm radicitus priora euulseris, & in agro nudo serere. Illic enim euertere multa prius necesse est, & tunc alia inculcare: hic verò præparatum rus præbet auditus. Vnde igitur locupletatus est ille, iam dicam. Alius, Deo tribuente, alius permittente, diuitias possidet: hæc enim ratio & breuis, & syncera est. Quid igitur fornicatores, adulteros, molles, & eos, qui malè rebus vtuntur, ipse locupletes facit? Ipse quidem diuites non facit, sed locupletari permittit. Permultum autem interest facere, & permittere. Cuius autem rei gratia ita permittit? Quia nondum tempus adest iudicij, vt vnicique secundum opera sua tribuat. Quid enim illo diuite nequius, qui Lazaro neque de micis quidem dari sustinebat? Qui, quoniam, cum esset locuples, crudelitatem exercuit, miserabilior cæteris factus, nec stillam aque consecui poterat. Nam, si duo quidem improbi fuerint, quorum alter diues sit, alter pauperie prematur, quoniam non æquali fortuna hi vtuntur, non eodem ibi, sed qui melioris conditionis hic fuerat, maiori supplicio affligitur. Videmus ergo istum grauius vexatum, qui secundis, dum viueret, rebus abusus est. Quare, cum videris iniquè ditatum, felicitate vti non parua, ingemisce, atque lachryma. Nam hæc prosperitas maiores ei præparat penas. Quemadmodum enim multa peccantes quotidie, si ad penitentiam redire contemnunt, thesaurum iræ sibi thesaurizat: sic, qui non modò vexationes huius seculi effugiunt, verum etiam bonis fruuntur, ibi cruciabitur. Cuius rei non à futuris solummodo rebus, verum etiam à præsentis vita exemplum tibi præstabo. Beatus enim ille Dauid, quando cum Bersabee delictum illud commisit, & per Prophetam arguebatur: idcirco vehementius accusabatur, quoniam nimium honoratus à Deo, ita spurcè labebatur: exprobrationem ipsius à Deo audias. Nonne, inquit, in regem te vnxi, & de manu Saulis erui te, & quæ fuerant domini tui, tibi concessi, & vniuersum Iudæ, ac Israhel domum? Et, si hæc pauca tibi essent, alia quoque tibi adiecissent: cur flagitium hoc fecisti coram me? Non sunt quippe eadem in omnibus peccatis, sed multa, variæque supplicia. Nam & ætate, & educatione, & dignitate, & ingenio, & vsu rerum, atque prudentia aliisque compluribus variantur: verum, vt clarius id fiat, in fornicationis delicto examine tur. Pende igitur quantum dineritatem punitionis, non à me, sed à diuinis scripturis compe-

Alu. di. Manichæi.

Rom. 2.

1. Reg. 11.

rio. Fornicatus quispiã ante legem fuit, alio quodam modo illum puniri Paulus ostendit, dicens: Quicumque sine lege peccarunt, sine lege quoque peribunt. Idem alius post legem deliquit, grauiora sustinebit. Quicumque enim in lege peccarunt, inquit, per legem iudicabuntur: lapsus similiter antistes, non parua pœna propter dignitatem afficietur: propterea aliæ quidem fornicatrices necabantur, sacerdotum verò filiarum igne cremabantur. Quæ ex re quàm magnus pœnatum cumulus pontificem expectet peccantem, legis conditor voluit significare. Nam, si filiam eius atrocius puniri iussit, quid erit de ipso? Passa mulier vim est, nullam punitionem meretur: lapsa est similiter diues, & pauperima, quantum interfit ab his patet, quæ modò de Dauid exposuimus. Post aduentum Christi quidam peccauit, si non initiatus, nec catechumini, moriatur, grauiores, omnibus illis pœnas daturus est. Post lauacrum delictum admisit, hic iam nullum erit peccatori solamen: quod Paulus significat, dicens; Legem Moyfi aliquis cõtēpluit, absq; misericordia duobus, vel tribus testibus moritur: quanto existimatis grauiore dignum supplicio, qui filium Dei conculcauit, & sanguinem testamenti communem putauit, & spiritus gratiam vituperauit? Fornicatus verò quidam vir facer est, verticem quippe fornicationis hæc improbitas tenet. Vides quam multa, variæque discrimina in vno peccato considerantur. Aliud ante legem, aliud post legem; aliud sacerdotis, aliud ditissimi, aliud pauperimæ, aliud catechumenæ, aliud fidelis, filiarumque pontificis. Cæterum magna etiam à cognitione differentia nascitur. Qui nouit voluntatem domini sui, & non facit, vapulabit plagis multis; & post exempla peccare, grauioris pœnæ causa est, ideo dicit; Vos verò neque scientes penitentiam postea egistis, quamuis magno cultu sitis honorati. Ideo & Hierusalem impropere dicit, Quoties volui congregare filios vestros, & nolulistis? Grauius etiam est delictis abundantem peccare, vt in diuite illo, & Lazaro videmus. Locus etiam differentiam facit, quod ipse dominus significauit: dicens; Inter templum, & altare. Ipla quoque delicta modos quosdam habent, quibus diuersificuntur. Non est mirum, inquit, si apprehenditur quidam furans. Et rursus; Occidisti filios tuos, & filias tuas, hoc super omnem fornicationem, & abominationes tuas grauius est. Et à personis rursus; Si peccauerit aliquis in hominem, orabit pro ipso: si in Deum peccauerit, quis orabit pro ipso? Et quando eos, qui multò cæteris peiores sunt, nequitia superamus, quod apud Ezechielem criminatur, dicens; Nec secundum quidem iustitiam gentium fecistis. Et quando nec exemplo quidem aliorum corrigimur. Vidit sororem suam, ait, & iustificauit eam. Et quando maiore quis patrocínio diuino vsus. Si enim in Tyro, & Sidone hæc virtutes factæ fuissent, penitentiam egissent: verum tamen tolerabilis erit Tyro, & Sidoni, quam ciuitati huic. Perspicis exactam diligentiam, perspicis eorundem peccatorum non idem esse supplicium: Nam quando ex indulgentia diuina nihil lucri retinere volumus, peiora merito patiemur, quod Paulus adaperuit, dicens, Secundum dicitur tuam, & impeditens eor, iram tibi thesaurizas: Hæc intelligentes non offendamur, nec perturbemur propter varium

Rom. 2.

Heb. 12.

Luc. 12.

Luc. 16.

Prover. 6.

1. Reg. 2.

Ezech. 16.

Rom. 2.

rum humanarum rerum defluxum, nec rationem humanam tempestatibus fluctuamus: sed incomprehensibilitati diuinæ providentiæ cedentes, virtutes insequamur, & vitia fugiamus, ut futuris bonis potiamur, gratia, & misericordia, & cætera.

## EIVSDEM IN IDEM

### Homilia 2.

Homil. 77. in  
Matth.

**T**unc qui in Iudæa sunt, fugiant in montes, &c. Cum de futuris Hierosolymæ urbis ærumnis, & de apostolorum certationibus dixerit, ac inuictos fore, & per vniuersum orbem prædicaturos asseruit, ad Iudaicas rursus redit calamitates: ut ostendat tunc Iudæos cladibus maximis implicandos, quomodo discipulorum splendor, & prædicatio vniuersum fuerit orbem complexa. Tu autem perpende, quomodo ab iis, quæ minima videntur, inauditam atrocitatem belli exponat. *Tunc enim qui in Iudæa sunt, ad montes fugiant, inquit, tunc, istud quando significat? quædo hæc scilicet fiet, quando desolationis abominatio in loco sancto constituetur: tunc ergo, inquit, cum armati hostium exercitus omnia repleuerint, quoniam nulla vobis spes salutis relinquitur; ad montes festini fugiatis. Nam, quoniam sepe alias è grauioribus se bellis receperunt: ut tempore Sennacherib & Antiochi, quando, irruente hoste, & templo capto constantia, & virtus Machabæorum cuncta reparauit, ne cogitare queant, simile quid etiam tunc futurum, omnem murationem in melius abstulit, fatisque, inquit, est, si quis omnino nudus saluabitur. Idcirco nec eos, qui in tectis inueniantur, domum, ad tollendum inde aliquid, descendere permittit: ut inuitabilem, & summam calamitatem ostendat, in quam qui incidit, necessario deperibit. Præterea, si quis in agro erit, nec iste, inquit, ad accipiendam vestem suam redeat. Nam si fugiendum est iis, qui intus erunt, multò minus, qui extra fuerit, intus refugere debet. *Væ autem prægnantibus, & nutrientibus.* Alterum, quia quum, tardiores sint, non possunt facillè fugere, ouere ventris retentæ: alterum, quando affectus infantium vinculo retinentur, quumque nequeunt se simul & lactantes conseruare, vna depereunt, Nam pecuniam quidem, & vestimenta contemnere facile est, sicut recuperare non arduum: quæ verò, natura dæce, comparantur, quomodo effugere poterit? quomodo ventre grauis, leuior fiet? quomodo lactans mulier lactantem infantem, quem peperit, negliget? Sed rursus magnitudinè ærumnarum significat, ait, *Orate, ne fiat fuga vestra in hyeme, nec in sabbato, &c.* Perispicis de Iudæis factum hunc sermonem fuisse, & de afflictionibus, quæ illis incumbant: Nec enim Apostoli diem sabbati obseruabant, sed nec in Iudæa erant, quæ hæc à Romanis fiebant: multi enim eorū iam decesserant, & si quis viuebat, in aliis partibus conuersabatur. Cur autem nec hyeme, nec sabbato? Hyeme quidem propter ipsius temporis importunitatem, sabbato autem propter auctoritatem legis. Nam, quoniam velocissima quadam fuga indigebitis, nec sabbato audetis hoc facere propter legem, nec hyeme potestis propter difficultatem temporum, idcirco vobis orandum est. *Talis enim futura tunc est tribulatio, qualis nec**

*fuit nec erit vnquam.* Ne putes exaggerationis cumulo id dictum esse. Quanta enim tunc Iudæos mala vexarunt, historia Iosephi demonstrat: nec potest certè dici fidelem illum non fuisse, nec ideo rem oratione amplificasse. Nam & Iudæus, erat, & feruentissimus ferè omnium Iudæorum qui post Christi aduentum fuerunt. Quid igitur scribit? Quia omnem orationem tragicam clades illa facillè superauerunt, nec tali vnquam bello gens Iudæorum laborauit. Quippe tanta fames in eo inualuit, ut ipsis matribus filiorum deuoratio studio fuerit, ac ea pro re bella inter se ciceret, multosque iam mortuos per medios ventres discinderent. Quare libenter interrogare Iudæos, quomobrem tam intolerabilis ira diuinitus in eos fuit effusa, ut omnes ærumnas præteritas, non dico in Iudæa solum, sed vbique terrarū factas excesserit? Nonne patet propter temerariam audaciam, & prolutam à se de crucifixione Christo sententiam? Omnes certè ita exclamabant, sed cum omnibus, & pro omnibus ipse rerum eventus. Tu verò ingentem malorum cumulum considera. Nam non ad transacta solummodo tempora, verum etiam ad futura collata, grauiora omnibus videntur: nec enim in vniuerso orbe vnquam fuit tanta malorum exaggeratio: nec id iniuria. Neque enim aliquis vnquam hominū ausus fuit, ne quispiam tantum potuit vnquam scelus aude-re. *Erit enim tribulatio talis, inquit, qualis nec fuit, nec erit, &c.* Hic ostendit grauioribus illos suppliciiis dignos: dies autem nunc tempus belli, atque oblidionis illius significat. Tale namque est, quod dicitur: Si diutius Romanorum in Hierosolyma bellum durauerit, nemo Iudæorum omnino euadet: omnem enim carnem modo Iudaicam appellauit. Sic autem dixit, ut tam præsentem, quam ab-sentes his verbis includeret. Non enim, qui in Iudæa fuerunt, solum impugnabantur: sed vbique dispersos Iudæos mirabili odio, & inaudita indignatione Romanos pellebāt, persequebantur, trucidabant. Electos autem hic fideles nominauit, qui in medio Iudæorum intercepti erant. Nam, ne dicat Iudæi hæc mala propter prædicationem & adorationem Christi sibi accidisse, non solum non fuisse causam malorum fideles ostendit, verum etiam, nisi fideles fuissent, interemptione vniuersos necandos fuisse asserit. Nam, si dilatio belli permissione diuina facta fuisset, nullæ Iudæorum extarent reliquæ, sed ne cum infidelibus Iudæis fideles interimerentur, citius ei bello finem imposuit: præterea ut in medio illorum intercepti fideles conseruarentur, respirandi potestatem eis concedens, ne tanquam simul perituri timeant. Quod si in hac vita de fidelibus est prouidentia, ut propter eos alij quoque saluentur, & Iudæorū reliquæ propter Christianos super sint, quantus coronæ, atque retributionis tempore honor erit? hinc etiam hortatur, ne periculis propriis contristentur, præsertim cum videant similibus nullo luero, sed detrimento sui capitis alios vexari. Nec hortatur solum, atque consolatur, verum etiam occultius, atque sensim à Iudaicis moribus abducit. Nam, si nulla postea mutatio in melius futura est, nec rursus templum vnquam condetur: patet, quia lex etiam omnino cessabit. Id apertius dictum non est, ne pro tempore doleant. Præterea nec principaliter, & à seipso ad hunc sermonem deuenit, sed conuersando in vrbe, ad demonstra-tionem

Iosephus lib. 7. de bell. Iud. c. 10. Cap. 8.

tionem ædificiorum, & interrogandi necessitatem eos compulit, ut quasi ad interrogata respondens, futura prænunciet. Tu autem dispensationē spiritus diligenter considera. Nihil enim horū Ioannes scripsit ne, quoniam post Iudæorum illas ærumnas longo tempore superuixit, ab euentu rerum, non à prædicatione Christi scribere videatur: qui autem ante illud bellum ad dominū decesserunt, quique nihil horum viderunt: ipsi, ut vndique prædicationis veritas resplenderet, ista scripserunt. *Tunc si quis vobis dixerit; Ecce hic est Christus, &c.* Quum ea, quæ ad Hierosolymam pertinent, absoluisset, ad aduentum transitu facto, signa eius eis prædicit, non illis tantummodo, verum etiam nobis, & posteris omnibus vtilissima. *Tunc, inquit, quando videlicet. Hic, quem admodum sæpenumero in aliis dixi, non consequentiæ temporum, neque præcedentium connexionis istud, tunc, est: vbi enim consequentiam voluit significare, statim post tribulationem illorū dierum subiunxit: hoc verò in loco, tunc dicit, non statim post antecedentia significans, sed tempus, quo affirmata sunt, breuiter designans. Sic etiam quando dicitur; In diebus illis venit Ioannes Baptista: non immediatè consequens tempus, sed quæ facta sunt, quæ dicitur erat, denotare voluit: postquam enim de natiuitate Iesu, & de magorū aduentu, & de Herodis interitu disseruit: statim, in illis diebus subiunxit: at qui triginta ferè annorum spatia interfuerunt. Mos igitur est scripturæ hoc pacto loqui, quare hic etiam vniuerso modico tempore prætermisso, quod à captiuitate Hierosolymæ vsque ad cōsummationem extenditur; *Tunc, intulit, si quis vobis dixerit, hic est Christus, aut hic, ne credatis.* A loco prius ipsos cautiore facit, signa quædam secundi aduentus sui, & multorum opinionones exponendo. Non enim quemadmodū primus apud Bethlehem fuit, in angulo videlicet orbis minimo, nec vllò id hominum sciente, sic & secundus: sed manifestè adeo, ut nuncio res nō indigeat. Non est paruum profectò signum ita venire, ut latere non possit. Considera autè quomodo nihil hic de bello disputat, sed cum de aduentu disserat suo, de seductoribus verba facit: multi quippe Apostolorum etiam tempore seductores fuerunt. *Venient enim, inquit, & decipient multos: qui verò ante secundum aduentum seducant, multò illis erunt deteriores.* Ea enim signa, atque prodigia dabunt, ut, si possibile sit, electos quoque seducant. Antichristus autem significatur, cui nonnullos etiam ministraturos ostendit: quem Paulus hominem peccari, filium perditionis appellauit. Deinde adiecit; Cuius aduentus est secundum operationem satanæ, in omni virtute, & prodigijs mendacij, in omni deceptione iustitiæ: in iis, qui perduntur. Perspice autè quomodo cautiore facit. Non exeat, inquit, in eremum, non introcatis in penetralia: non dixit, Ite, & non credite: sed, *non exeat neque catis: magna enim stans propter signa futura est.* Quum ergo dixerit, quomodo venturus est antichristus, quia in loco aliquo futurus, tunc de seipso demum exposuit. Quomodo igitur ipse venturus est? *Et fulgur ab oriente ad occasum vsque rutilat, sic erit aduentus filij hominis.* Quomodo igitur fulgur videtur? Non indiget certè præcone, aut nicio, sed in momento temporum omnibus apparet, sic igitur aduentus ille vbique semper splendere statim vide-*

bitur. Aliud deinde signum adiecit, dicens; *Ubi corpus, ibi congregabuntur, & aquila.* Angelorū, martyrum, cæterorumque multitudinem sanctorum ita significans, signa postea terroris plena percenset. Quæ autem hæc signa sunt? *Statim post tribulationem illorum dierum sol obtenebrabitur.* Quorum dierum? Antichristi videlicet, & falsorū prophetarum. Magna enim tunc tribulatio futura est, quum ita multi futuri sint seductores, quantus non longis temporum spatiis perdurabit. Nam, si bellum illud aduersus Iudæos propter electos breuiori tempore fuit dissolutum, quædo magis proter ipsos contrahetur illa tentatio? Præterea non dixit, post tribulationem, sed addidit, *statim post tribulationem*, ita simul omnia peraguntur, & pseudoprophetas, & pseudochristis perturbantibus confestim ipse aderit. Non enim parua tunc vexatio vniuersum orbem continebit. Quomodo autem adueniet? Ita scilicet, ut creaturæ trans-formentur, sol enim obtenebrabitur, non quia destruetur, sed quia luce illius aduentus superabitur, & stellæ cadent. Quis enim vsus, nulla existente nocte, ipsarum erit? *Et virtutes caelorum commouebuntur, & meritò quidem, quum tantam mutationem rerum fieri perspiciant.* Nam, si quando facta sunt astra, ita miracula exhorruerunt, ut ea de re dictum sit: quando natæ sunt stellæ, magna voce me omnes angeli mei laudauerunt: multò magis tunc mirabuntur, videntes vniuersa commutari, conseruos rationem vitæ referre, orbem omnem terribili assistentem tribunali, ac omnes, qui ab Adam ad aduentum vsque illum facti sunt, operum rationes reddentes. *Tunc apparebit signum filij hominis in celo.* Crux enim sole fulgentior videbitur, obscuratur enim sol, crux autè apparet: quod fieri non posset, nisi solares radios splendore superaret. Cuius autem rei gratia istud signum apparet? Ut magno cumulo Iudæorum impudentia opprimatur, crucem in suam iustificationem secum habens, in iudicium veniet. Non vulnera enim solum, sed & acerbum, ac ignominiosum mortis suæ genus ostendens. *Tunc plangent tribus.* Non enim accusantibus opus erit, quum crucem viderint. Plangent igitur, quia ex morte ipsius nihil profecerunt, quia crucifixum, quem adorare oportebat, contempserunt. Vides quomodo terribiliter aduentū suum describit: quomodo animos discipulorum suscitauit? idcirco prius tristitia posuit, deinde iucunda commemorat, ut vel hoc modo eos consolaretur. Cæterum passionis rursus, atque resurrectionis ex præstantiore habitu crucis meminit, ut non iam pudeat eos, nec dolor inuadat, quum in signum tunc peruentura sit. Alius autem, videbunt, inquit, in quem pupugerant: verum quoniam crucis mentionem fecit, ideo subiecit; *quia videbunt filium hominis, non in cruce, sed, venientem in nubibus cali cum virtute, & gloria multa.* Noli enim credere, quia crucem audisti, tristem, aut amarū futurū, sed cum virtute, atque gloria magna venturum non dubita. Crucem autem secū habet, ut peccatum ipsorum sine accusatione condemnetur, veluti, si quis lapide percussus, ipsum lapidem, vel cruentas vestes in testimonium ostendat. Veniet autem in nube sicut assumptus est: hæc omnia tribus videtes, flebunt, sed mala ipsarum non in solo fletu terminabuntur. Et fletus quidem erit, ut à seipsis proferte sententiam, & seipsos condemnare aspiciantur.

Thy. 2.

Luc. 21.  
Exch. 32.

Iob 38.

Apoel. 1.



claustrum. *De arboribus*, inquit, *mittet angelos suos cum tuba magna, &c.* Hæc tu audies, futuram punitionem quanta sit, per te ipsum excogita: non enim his solum, verum etiam illis peccatis vexabuntur: & sicut in nouis Domini: ita hic dicit, quia plangent. Nam, quoniam de bellis expositum grauissimum est, ut dicant, quoniam ad has afflictiones æterna quoque supplicia eos expectant, & ab electis separati, & lugentes, gehennæque uaditos inducit. Deinde rursus discipulos confirmat, ostendens à quantis liberabuntur malis, & quam ingentibus bonis percipientur. Quum autem sic liquido, atque aperte ueniret, per angelos uocat. Hoc etiam uocationis modo illos honorauit. Paulus uero de resurrectione mortuorum uerba faciens: in nubibus apientur, dixit: Ipse namque Dominus descendet de celo, ait, in illu in uoce archangeli. Itaque, quum resurrexerint, angeli omnes congregabunt, congregatos uero nubes rapiunt, & hæc omnia in momento temporis fient: non enim uocat eos sursum, sed ipse in tuba descendit. Quid autem tubarum sonus sibi uult? Ad exultationem, ad gaudium, aut exprimentum rerum stuporem, ad dolorem eorum, qui relinquuntur. Væ mihi de die illo terribili, qui, quum oporteret nos expositione istarum rerum gaudere, dolemus, & merore conficimur: sed fortasse solus ego hæc patior, uos autem hæc audientes, letamini. Nam me quidem, quum hæc in mentem ueniunt, horror inuadit terribilis, & amarissime perficis, ex profundo corde ingemisco. Nam, quamuis nihil horum ad me spectet: illa tamen, que mox ad uirgines, & ad seruanes nequam, qui quod accepit ualentum, suffodit, que dicuntur, uehementius me perturbant: propterea lachrymis confundor, quoniam à tanta gloria casuros nos uideo, à tantorumque fructione honorum expellendos, & hoc non tempore aliquo terminato, sed semper, atque perpetuè solammodo, quia parum laboris suffere nolumus. Nam, si magnus esset labor, & hæc lex onerosa, quamuis etiam si cuncta essent toleranda, causa tantum desidia frivola quidem, sed nihilominus propter præceptorum difficultatem, diuturnitatem temporis, laboris duritiam, intolerabile onus non potuisset suffere uideremur: nunc uero nihil huiusmodi dicere possumus, quia non minus tunc quam gehenna nos exagrabat, quia, quando breuissimo spacio temporis non insudauimus celo, & ineffabilibus bonis priuari nos intelligimus: Brene quidem tempus hoc est, & labor minimus, & tamen oscitamus, & tota mente torpemus. Terrestris certamen est tibi propositum, cuius corona in celo reddetur: ab hominibus exagraris, & Deus tibi honores retribuet: paucis diebus curris, & æterna præmia consequeris: corruptibili corpore luctaris, & incorruptibili laudaris. Sed præter illud apprimè tenendum est, quia, & si propter Christum nihil triste pati uoluerimus, necesse tamen est multa tristitia sustinere. Non enim, quia propter Christum mori non vis, idcirco immortalis futurus es: nec, quoniam propter Christum diuitias tuas non distribuis, idcirco tecum eas auferes. Hæc à te Christus petit, quæ si ei non dabis, omnino tamen propter conditionem naturæ relicturus es. Hæc te sua sponte facere hortatur, quæ omnino, inuito te, fient. Unum solum petit, ut propter eum uictor, & non coactus facias. Vides

quam facile est hoc certamen? Næ, quæ necessariò patieris, inquit, ea si propter me pati uolueris, idque unicuique tibi propositum fuerit, sufficere mihi obtemperasti. Quod alij mutuaturus autem es, illud mihi & ad maiora feruora, & cautione tutiori mutuato. Si alterius gratia militares labores suscipis, mihi etiam milita, quoniam cumulo retributionum ingenti labores tuos omnino exceeda. Tu uero alios quidem, qui uel mutuo, uel in uendendo, uel militando maiora tibi offerunt, antepone: Christum uero solum præstantiora sine cõparatione præbentem asperraris, atque repellis. Cur tibi tam magnum cum eo bellum est? Cur tantò es inflammatus odio? Unde igitur ueniam, ac satisfactionem impetrabis, cum nec illis eum rationibus, quibus homines hominibus ante ponere uelis? Cui certè thesaurum tuum tradis? Cui certè mea recondas, inquit. Non uidetur tibi dominus terræ tutor esse, quam terra? Illa, quod reposuisti solum reddit, imò uero nõnunquam etiam amittit, & redonare non potest: ipse autem etiam mercedem, quam in manu sua reposuisti, redditurus est. Magna profectò nos charitate prosequitur. Deo si mutuo dare uolueris, paratus semper ut accipiat est: si serere tibi placuerit, libenter semina suscipit: si magnificas ædes condere constitueris, allicit te ad seipsum, & hortatur ut in regione sua ædifices. Quare ad inopes curris? ad homines dico inopes, qui aut tibi tuum non reddent, aut certè malè, & illiberaliter reddent. Sed non mouemur his uerbis: ac ideo ubi pugna, iudicia, calumnia, illud festinamus. An igitur iniuria punit nos, atque euerit, cum in rebus omnibus seipsum nobis præbeat, & nos ipsi studiosè resistamus? Nequaquam. Nam, siue meo uolueris expoliri ornatu, siue armis meis armari, siue mea indui uestimenta, siue dapibus meis deliciari, siue iter meum peragere, siue in ciuitatem peruenire, cuius artifex, & conditor ipse sum, siue in regione mea domum ædificare: ita hæc omnia facere potes, ut non modò nullam abs te harem rerum omnium mercedem exigam, sed ipse tibi magnæ uelim esse mercedis debitor, dummodo uti rebus meis non abomineris. Quid huic liberalitati æquale unquam inueniri potest? Ego ipse sum pater, ego frater, ego Dominus, ego sponsus, ego nutritor, ego uelutis, ego radix, ego fundamentum. Quicquid uolueris, ipse sum: nulla re indigebis, ego tuus ero minister. Veni enim non ut mihi ministraret, sed ut ego aliis ministrarem. Ipse amicus sum, membrum, caput, frater, soror, mater, uniuersa ipse sum, dummodo mihi, ut decet, afficiaris. Ego pauper propter te, in sepulchro propter te, patrem in excelsis pro te interpellor, qui ad inferiora pro te à patre missus descendi. Omnia tu mihi es, frater, coheres, amicus, membrum. Quid vis amplius? quid aueris à me mentem? Quid caduco huic mundo laboras? Cur perforato aquam dolio ingeris? Nihil enim aliud est pro presentibus istis laborare, quam flammam discerpere, quam pugnis aëra cadere. Cur frustra curris? Nonne uniuersiusque artis finis quidam est? Ita profectò. Ostende igitur mihi huius secularis studij finem: sed non potes. Vanitas enim uanitatum, & cuncta uanitas sunt. Proficiscamur ad sepulchra, ostende mihi patrem, ostende uxorem tuam. Vbi est qui purpuram induebatur, qui uiculo ferebatur, qui exercitus ductabat, qui corona militum cingebatur,

batur, qui licetoribus manebatur, qui alios cedebat, alios in carcerem detrahebatur, qui quos uolebat, irriterimebat, & liberabat similiter quos uolebat? Nihil uideo nisi putrida ossa, & uermes, & ataneam: omnia illis puluis, omnia fabula, omnia somnium, umbra, narratio nuda, & imago: imò uero nec imago: imaginis quippe effigiem uideamus; hic autè nullam effigiem perpicere possumus, atque utinam hic omnia mala terminaretur. Nunc uero honores quidem, & uoluptas, & maiestas omnis ad umbram, & ad uerba rebus nuda exitum habent. Quæ uero ab illis sequuntur, non ut umbra, & somnium euanescant, sed permanent, & eò nobiscum ita transeunt, ut omnibus fient æperitissima. Rapinae nanque uolentia, fornicationes, adulteria, cæteraque huiusmodi non uentur in cinerem, sed tam res, quam uerba ibi conscribuntur. Quibus igitur oculis tunc Deum cernemus? Nam, si patrem, qui te genuit, peccati aduersus eum conscius, aspiciere non posses: quomodo ad Deum omni certe patre mitiorem oculos tunc eleuabimus; quomodo sustinebimus, quado Christi terribili assistemus tribunali, cum exquisitissima peccatorum omnium persecutio fiet? Si uero quispiam futuro non credit iudicio, ea consideret, quæ hic sunt. Videat eos, qui in carceribus sunt, qui in metallis, qui in stercore, qui dæmonio agitantur, qui insanunt, qui incurabili morbo laborant, qui continua pauperie premuntur, qui uexantur inedia, qui luctu intolerabili affliguntur, qui captiui degunt. Nemo enim istorum omnium hæc pateret, nisi cæteris omnibus, qui similiter peccant, supplicia post mortem imminerent. Nam, quia nihil nonnulli malè uiuentes hic patiuntur, hoc ipsum argumentum est, quia post exitum è uita omnino punientur. Non est enim credibile, cum vnus sit omnibus Deus, alios hic puniri, alios euadere impune eorum, qui similiter deliquerunt, nisi pœna ibi certa referuaretur. His igitur rationibus, & exemplis persuasi humiliter uiuamus, & qui iudicium non credunt futurum, credant iam, & meliores fieri studeant, ut ælorum regno dignè vitam peragentes, futura supplicia euitemus, & æterna bona nanciscamur, gratia, & misericordia domini nostri, &c.

EIVSDEM IN IDEM  
Homilia 3.

Ex Hom. 78. in Matth.

**A** B arbore autem fici discite parabolam, quando iam ramus eius effretus fuerit, &c. Quoniam post tribulationem illorum dierum, dictum est, ipsi uero certum, definitumque tempus quærebant, & diem ipsum discere cupiebant: idcirco similitudine uitæ ficus, ostendens non magna spacia temporum inter futura, sed consequenter, atque deinceps illum diem uenturum: quod non similitudine solum, uerum etiam sequentibus uerbis expressit, dicens; *Scitote quoniam propè est in uanis.* Hinc etiam prædicit ætatem tunc spiritalem, tranquillitatemque à fluctibus huius uitæ iustis hominibus futuram, inuictis autem à contrariis, hyemem, ac terribiles tempestates post æstiuam tranquillitatem uenturas, quod paulo post significauit dicens; *lasciue illis uiuentibus, diem illum esse uenturum.* Non autem ea ratione tantum-

modo, ut spaciū temporis designet, ficus similitudine usus est, cum & aliter illud significare potuisset: sed ut omnino futuram rem confirmaret. Nam, sicut hoc esse necesse est, sic illud quoque necessario erit. Nam, ubi rem omnino futuram demõstrare uult, in medium aliquid profert, quod naturali quadam necessitate euenire solet: nec ipse solum, sed & ipsius imitator Paulus. Propterea etiam de resurrectione differens, ait; *Gratum tritici cadens in terram, nisi mortuū fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Similiter etiam B. Paulus ad Corinth. Inspiciens, ait, quod tu feminas, non uiuificatur, nisi inortuum fuerit. Verum, ne rursus interrogent, quando igitur hæc erunt, in memoriam prædicta reducens, ait; *Amen dico uobis, non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant.* Quæ omnia, dic quaeso: *Bella in Hierusalem, fames inoleuabilis, pestis inaudita, terræ motus, pseudochristi, pseudopropheta, prædicatio Euangelij in uniuerso terrarum orbe, seditiones, turbationes, cætera omnia, quæ ad aduentum usque futura sunt.* Quomodo igitur hæc generatio dictum est? Non de uiuentibus tunc, sed de fidelibus dixit, ut solet loqui scriptura: ut quando dicitur: *Hæc est generatio querentium dominum.* Quod igitur in superioribus dicebat; quia oportet hæc omnia fieri, & rursus; *Ubi que prædicabitur hoc euangelium, id in hoc quoque loco, quia scilicet hæc omnia euenient, & fidelium generatio nullo incommodo dissipata permanebit.* Ita Hierusalem euersa Iudæisque in nihilum penè redactis, à nulla re fides superabitur. Non enim fames, non furor, non pestis, non terræ motus, non bellorum impetus, non pseudochristi, non pseudopropheta, non seductores, non qui tandem perturbabunt omnia, non falsi fratres, non alia huiusmodi tentatio aduersus fideles præualebit: in maiorem deinde fidem ipsos compellens, ait; *Calum, & terra transibunt, uerba autem mea non præteribunt.* Facilius enim, inquit, hæc firma, & immobilia destruetur, quam uerba mea possint decidere. Examine, oro, si quis repugnet, & si uera inueniet iam transacta antè, omnino ab illis ad credenda futura animum inducat: examine, inquam, exquisitissimè, & uidebit exitum rerum huius prophetiæ ueritati attestantem. Elementa uero hæc in medium produxit, partim ut celo, ac terra præstantior ecclesia significetur, partim ut uniuersum creatorem ipsum esse ostendat. Et, quoniam de consummatione differuit, de re scilicet, quæ à multis non creditur, celum, & terram in medio posuit, ut ineffabilem uirtutem suam ostenderet, & magna cum potestate uniuersum se dominum significaret, ex quibus omnibus uel nimium ambigentes ad fidem præpararet.

AVTHORIS DICTI IMPERF. in Matth. in idem Euang.

**Q**UUM ergo uideritis abominationem desolationis, qua dicta est à Daniele propheta stante in loco sancto, qui legit intelligat, &c. Quidam dicunt abominationem desolationis esse imaginem Cæsaris, quam Pilatus posuit in templo. Verius autè quid sit abominatio desolationis Lucas euangelista interpretatur. Nam in quo loco Marcus, & præfens Marthæus ponunt, *Quum uideritis abominationem* Homil. 49. in Matth.

1. Cor. 12.

1. Cor. 15.

1. Cor. 15.

Luc. 21.

Marc. 13.

Luc. 21.

Marc. 13.

nem desolationis in ipso loco Lucas sic ponit, Quum videritis circundari ab exercitu Hierusalem, tunc scitote, quia propinquavit desolatio eius. Et sic dicit, qui in Iudæa sunt: videlicet ut per alteram similitudinem expositionis eiusdem loci ostendat, quid sit abominatio desolationis stans in loco sancto. Fuit enim exercitus alienigenarum, & Romani imperatoris stans circa Hierusalem, quæ usque tunc fuerat sancta. Hoc & Petrus apud Clementem exponit. Denique hanc esse abominationem desolationis & ipse textus ostendit. Quasi enim replicans illa omnia, quæ superius dixit, breviter comprehendit, & dicit: *Quum ergo videritis abominationem desolationis stantem. Hoc est, quum videritis ea ipsa prælia iam stantia circa Hierusalem, quæ antea audiebatis. Similiter & in fine mundi, & in Antichristo intelligendum est spiritualiter, quando & hæreses, & fames, & pestilentia, & illa omnia ante præcesserunt: novissimè autè abominatio desolationis stetit in loco sancto, id est, exercitus Antichristi. Exercitus autem Antichristi sunt omnes hæreses, præcipuè ista, quæ obtinuit ecclesiæ locum, & stetit in loco sancto, ita ut videatur quasi verbū veritatis stetitisse: quum non sit verbum veritatis, sed abominatio desolationis, id est, exercitus Antichristi, qui multorum animas reddidit desolatas à Deo. Et hoc est forte, quod Apostolus dixit: Qui aduersatur, & extollitur supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei quasi Deus sedeat, ostendens se quasi sit Deus. Et sic omnia illa mala hæresum diuersarum, quæ ante audiebantur tantum, postea steterunt in loco sancto, desolantia ecclesiæ Christi. Ex quo data sibi licentia ceperunt omnes publicè habere ecclesias, Et nos quidem exposuimus hic auditiones præliorum, & fames, & terræmotus, & pestilentias, & auditiones hæresum, & inopias verbi, & concussiones Christianorum, & corruptiones morum, quæ antè præcesserunt à tempore Constantini, usque ad tempus Theodosij. Abominationem autem desolationis diximus esse hanc ipsam hæresum, quæ occupavit sanctæ ecclesiæ loca, & multos desolauit à fide, & ipsum exercitum Antichristi, & ceteras hæreses, quæ ceperunt publicè habere ecclesias, locum obtinentes ecclesiæ sanctum. Si quis autem auditiones quidem præliorum, fames, & tumultus, & pestilentias intelligat esse omnia hæc mala spiritualia, quæ facta sunt tempore Constantini simul & Theodosij usque nunc, abominationem autem desolationis intelligat ipse ipsum Antichristum, qui postmodum venire speratur, & obtinere loca ecclesiarum sancta sub specie Christi, & multos fidelium desolare, non irrationabiliter dicit. Nā siue ista hæresis, quæ iam tenuit, siue populus ille, qui postmodum cū ipso Antichristo est futurus, rectè exercitus intelligitur esse Antichristi. Et sic prophætæ verba significat magis de cōsummatione mūdi: prophætia tamē, sicut docet Christus, ad vtrunq; est dicta. Sunt autè verba illa sic: In dimidio septimi anni auferetur iuge sacrificium, & abominatio desolationis stabit in loco sancto usque ad consummationem temporis, & consummatio dabitur super solitudinem. Illic exercitus Romanus dictus est abominatio desolationis, quia ad desolationem redacturus fuerat Iudaicum cultum: hic autem Antichristus dicitur abominatio desolationis, quia multorum Chri-*

Forse in libris Recognitionū.

De ecclesiæ Catholica loquitur.

2. Thess. 2.

Daniel 9.

stianorum animas facturus est desolatas à Deo. Nam antequam caperent Romani Hierusalem, in dimidio hebdomadis Christus per suam doctrinam talitè de medio iuge sacrificium Iudaicorum. Nam dicitur tribus annis, & sex mensibus docuisse, qui numerus facit dimidium septem annorum, ut illud sacrificium quod ingerat fuerat in usu, tolleretur de medio, & offerretur sacrificium laudis in voce, & sacrificium iustitiæ in operibus & sacrificium pacis per eucharistiam. Usque ad finem autem seculi tumultus est, quia Iudaica consuetudo de sacrificiis offerendis nunquam est reparanda. Item in dimidio hebdomadis, hoc tribus annis, & sex mensibus, hoc sacrificium Christianorum tollendum est ab Antichristo, confugientibus Christianis ante eum per loca deserta, non erit qui aut in ecclesiam intret, aut oblationem offerat Deo. Quoniam autem tribus annis, & sex mensibus protendendum est Antichristi regnum, multæ scripturæ significant, maximè tamen in reuelatione sua Ioannes. Et solitudinē illam consummatio occupauit. Nam vsque in finem tenebit Antichristus, quem dominus Iesus interficiet spiritu oris sui. De hoc enim & Apostolus ait, dicens: Nemo vos conturbet, quia nisi venerit discessio primum, & reuelata fuerit homo peccati, filius interitus, qui aduersatur, & extollitur supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei quasi Deus sedeat, & addidit: Iam enim mysterium iniquitatis operatur. Legi quendam sic exponentem. Quoniam omnia, inquit, quæcunque exposuit supra, signa fuerunt præcedentiā diruptionem ciuitatis illius, & templi. Hoc autem quod dicit: *Quum videritis abominationem desolationis stantem in loco sancto, & omnia quæ dicuntur deinceps, signa consummationis futuræ, & venturi filij Dei, qui & in abominationem desolationis ipsum tradidit Antichristum. Quod autem staturus sit in loco sancto, dicit hoc modo: Re edificaturus est (inquit) sanctuarium, quod fuit in Hierosolymis quondam, & ibi staturus, ut videntes Iudæi credant in eum, non solum propter signa eius, sed etiam propter reparationem templi ipsius, æstimantes prophetas in tempore illo esse impletos, qui de reparatione Hierusalem prophetauerunt non intelligentes quomodo Propheta de reparatione templi spiritualis locutus est, quam Christus impleuit; non de corporali, quam Antichristus est impleturus. Et tunc, inquit, implebitur ibi, quod prophetauit Hieremias in Iuda. Quando nō crediderint, inquit, veritati, in tempore illo loquetur populo huic & Hierusalem in spiritu seductionis. Hic excitabit tribulationem super sanctos, pro eo quod non glorificabunt eum, & multos occidet. Sed hoc de hac interpretatione dubitabile mihi videtur, si locus templi illius, ex quo dirutum est iam à Deo, post modum sanctus vocatur, secundum quod & hic dicit: *Quum videritis abominationem desolationis stantem in loco sancto, tunc qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes: & qui in tecto, non descendant tollere aliquid de domo sua & qui in agro, non uertentur retro tollere tunicam suam.* Tunc quando viderimus abominationem desolationis stantem in loco sancto, quibus mandat fugere? non solum illis qui tunc fuerunt ante captiuitatem Hierusalem, sed etiam nobis qui videmus abominationem desolationis iam stantem in loco sancto, id est*

Eucharistia sacrificiū in genua Domini melis prophetiam.

1. Thess. 2.

est populum Antichristi in locis ecclesiæ. Illi autem visibilem hostem fugerunt pedibus: nos autem inuisibilem hostem fugiamus actibus bonis. **Quoniam enim diabolus sit spiritus, & homo corpus, tamen nunquam illos diabolus potest comprehendere, qui fugiunt eum per opera bona. Siue causa autem fugit ante eum pedibus, qui sequitur eum peccatis. Sed ut sapienter intelligamus hæc, quæ propheticè sunt dicta à Christo, breuiter cognoscendum est, qualis est consuetudo prophetarum. Frequenter ex occasione carnali incipiebant, & sic miscebant prophetiam: ut puta, David quum fugeret à facie Absalon, ex occasione suæ tribulationis incipiens, dixit: Domine, quid multiplicati sunt, qui tribulant me? Et introducens prophetiam dominicè passionis, addidit ita: Ego dormiui, & soporatus sum, & exurrexi, quoniam dominus suscepit me. Illa ergo quæ dixit: Domine, quid multiplicati sunt, qui tribulant me, & cetera quæ præcedunt, secundum historiam intelligamus. Hæc autem quæ dixi: Ego dormiui, & soporatus sum, si secundum historiam velis intelligere, nullum habent saporem, ut dicamus: David quum pateretur à filio, dormiuit, & surrexit. Quomodo enim ut dormiuit, surgeret? Quid ergo? Necessè habemus relinquere ordinem historiarum, & spiritualiter intelligere de Christo. Tale est quod Petrus dicit in Actibus, interpretans: Et non dabis sanctum tuum videre corruptionem: quia non poterat hoc intelligere de David, sed de Christo: quia David vidit corruptionem, Christus autem tertia die resurgens, non vidit corruptionem. Sic intelligenda est, & hæc Christi prophætia. Cæpit ex occasione corporalis fugæ, & quæ facta est tempore illo in Hierusalem, & prophætia magis de spirituali. Ecce enim hoc quod dicit: *qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes: Corporaliter secundum historiam: & si vis intelligere, possibile est in tempore Romanorum: in tempore autem Antichristi, de Iudæa ad montes fugere corporaliter, non proderit. Primum, quia nec erit Antichristus tantummodo in terra Iudæa, nec Iudæi futuri sunt ante illum, sed vbicunq; fuerint Christiani, ab illo, aut à ministris eius persecutionem passuri sunt: nec ciuitas alia tunc est circuncidenda, sed vbique Christianus populus indagandus. Hoc autem quod dicit: *Qui super tectum est, non descendant tollere aliquid de domo, siue in tempore Romanorum, siue in tempore Antichristi, non potest habere corporalem intellectum: quia in tempore captiuitatis, aut persecutionis quid prodest homini si sedeat super tectum, & non descendat deorsum? Sine dubio enim, aut quando non vult, deponitur, aut cum ipsa domo succenditur. Quid ergo? Spiritualiter hæc omnia magis sunt intelligenda hoc modo. *Tunc qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes. Tunc, quum videritis abominationem desolationis stantem in loco sancto.* Id est, quum videritis hæresum impiam, quæ est exercitus Antichristi, stantem in locis sanctis ecclesiæ, in illo tempore qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes: id est, qui sunt in Christianitate, conferant se ad scripturas. Sicut enim verus Iudæus est Christianus, dicente Apostolo, non qui in manifesto Iudæus est, sed qui in occulto: sic vera Iudæa Christianitas est, cuius nomen intelligitur confessio. Montes autem sunt scripturæ Apostolorum, aut Prophetarū, de qui-****

Psalm. 3.

Act. 3.

Rom. 2.

Psalm. 75.

Psalm. 86.

bus dictum est: Illuminas tu mirabiliter à montibus æternis. Et iterum de ecclesiæ dicit. Fundamenta eius in montibus sanctis. *Et qui super tectum est, in tempore illo non descendat tollere aliquid de domo sua.* Domus nostra, est corpus nostrum: Superiora eius sunt cor, aut caput, quæ intelliguntur domus tecta. Inferiora autem sunt venter, aut cætera occultabilia membra. Tamen ut melius intelligamus, quæ sunt tecta domus, historiā de Raab proferamus. Hæc suscepit legatos Iesu Naue, & in superiori parte domus abscondit, ne inueniret rex Hiericho. Hæc est ecclesiā, quæ aliquādo meretrix fuit, quæ legatos Iesu Christi, id est, Apostolos, & prophetas, hoc est, scripta eorum suscepit: & in superiori parte corporis sui abscondit, id est, in sensu, in memoria, & in corde, ut non inueniat eos rex mundi diabolus, ut confidenter dicere possit: In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi. **Quid ergo? Quicumque in tempore illo fuerit super tectum, id est, in rebus spiritualibus viuens, quæ sunt aut in capite, aut in corde: quæ tecta dicuntur corporis nostri, & fastigia prima, non descendat ad inferioris corporis sui partes, vnde aliquid tollat: id est, nō descendat ad aliquas res carnales, ut desideret aliquid quod est corporale. Alioqui comprehendet eum abominatio desolationis. Et vide quia quor quor pereunt de Christianis, propter aliquā corporalem causam pereunt constitutam deorsum. Alij propter auaritiā, ut ne perdant quod habent, aut inueniant quod non habent. Alij pereunt propter gulam, paupertate coacti. Alij propter vxores, aut propter maritos. Alij propter alias causas carnales: quæ omnia pertinent ad inferiores corporis partes. Sicut enim viuentes in carne, relinquere videmur carnem, relinquentes opera carnis, & transimus ad spiritū, faciētes opera spiritus, ut rectè dicatur de nobis. Vos autē non estis in carne, sed in spiritu: sic relinquere videmur inferiora corporis nostri, opera relinquentes carnis, & ascendimus ad cor & caput viuentes secundum illas virtutes, quæ sunt in capite aut in corde, aut in spiritu: quæ omnia tecta domus nostræ dicuntur. Mandat ergo fidelibus viuētib; in sanctitate, ne aliquid concupiscant carnale, quod est descendere, ne forte per occasionem desiderij illius, diabolus inueniat locum, & trahat ad abominationem desolationis, & pereant. Item, *qui est in agro, id est, aut in scripturis, aut in ecclesiis, aut in Christo, non reuertatur retro tollere tunicam suam, id est, aut conuersationem, aut cultum priorem.* Vrputa, Iudæus facti, & factus es Christianus: in agro es, ne ad Iudaicum reuertaris cultum. Gētilis fuisti, & factus es Christianus, ne aliquid (quod est Gētilitatis) resumas, ne per illas occasiones incidas in errores abominationis illius: quoniam hæreses illæ, si vis, Iudaicum, habet in se, si vis, Gētilitatem inuenies apud eos. Propterea facili cadūt in illas, qui non fuerint cauti secundum mādāta Domini hæc præmonentis. *Va autem prægnantibus & nutriendis in illis diebus.* Quia aut ventris, aut gremij pondere prægnantari nō possunt expediti esse ad fugam. Si enim dimiserint infantes suos, viuētium viscerum suorum patientur separationem: si autem bainlauerint, suscipent vitæ periculum. Puto hoc melius intelligi posse spiritualiter, ad tempus Antichristi, quæ sunt spirituales prægnantes, & nutriendes**

1. Cor. 2.

Psalm. 118.

Rom. 8.

Bibl. Hom. rom. 3. O o o 2 eccle

ecclesiaz Christi, in singulis quibusque Gentibus constituta ecclesia, quando predicant verbum veritatis, credentes in fide concipiunt, & habet eos in gremio suo, quasi in vtero, donec formentur catechizati per singula membra pietatis & fidei. Quum autem formati fuerint sic, pariunt eos in baptismo: postquam autem pepererint, necesse eos habet lactare doctrinis assiduis. Sed primum videamus, quomodo Deo formantur in vtero ecclesiaz hominem conceptum in fide. Vtputa, legis iustitia est abstinere a malis operibus tantum, non etiam facere bona opera: Christi autem iustitia non est abstinere a malis operibus tantum, sed etiam facere bona opera. Item legis iustitia prima, & salutatis, decem habet mandata, quasi decem menses. Primum, cognoscere unum Deum: secundum, abstinere ab idolis: tertium, non perjurare: quartum, colere sabbatum spirituale: quintum, honorare patrem, & matrem: sextum, non occidere: septimum, non adulterare: octavum, non furtum facere: nonum, non falsum testimonium dicere: decimum, nullam rem proximi concupiscere: videlicet secundum mysterium nominis Iesu Christi, quod est in litera iota, id est perfectionis iudicio. Omnis ergo ecclesia, quae concipit hominem in vtero suo per verbum in fide, prius debet eum formare omnibus his mandatis, quasi mensibus decem, ut discat prius abstinere ab omnibus malis, & sic eum maturum in baptismum parere Deo. Alioquin antequam discat ab his omnibus abstinere, si baptizaverit eum, non parit, sed immaturum projicit: sicut mulier, nisi completis novem mensibus & decimum tagens peperit, abortum facit. Propter quod nec est homo ille vitalis. Sicut & modo pene omnes non parit ecclesia secundum ea quae diximus, sed abortos facit. Propter quod nec baptizantur in veritate a spiritu sancto. Difert enim Deus dare eis baptismum spiritus sancti, donec dignos se praeberint illo tali baptisate. Sed & eum formatum in decem illis supradictis mandatis, & abstinere baptizans bene peperit, tamen adhuc parvulus est ille, qui baptizatus natus est ecclesiae filius, & tenerè adhuc duorum testamentorum, quasi duarum mammillarum modica iustitia est nutriendus, quasi tenero lacte, secundum angustias faucium fidei suae, quam ipse capit carnis natura, quam etiam Gentes volentes laudabiliter vincere servant. Quum autem sic nutritur, paulatim incipit posse suscipere fortiora, & spiritualia Christi mandata, quasi nutritorios, & vituos panes: id est, in lege scriptum est. Non occides, ego autem dico, Nec irascaris. In lege scriptum est, Non adulteres: ego autem dico, Nec usque ad oculum concupiscas. In lege scriptum est, Non periures: ego autem dico, Non iures omnino. In lege scriptum est, Oculum pro oculo: ego autem dico, Non resistere malo omnino. In lege scriptum est, Amabis amicum, & odies inimicum, ego autem dico, Diligite inimicos vestros. Item, Beati pauperes, beati mansueti, beati qui lugent, beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, beati misericordes, beati mundo corde, beati pacifici, beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. Nam adolescenti cuidam interroganti. Quid faciam, ut vivam? Sic primum ei secundum legem mandavit, non occides, non adulterabis, &c. Quum autem ille dixisset, Haec omnia servavi a iuventute mea, secundum aetatem carnalem, quam nos

Math. 5.

Math. 19.

verum dicimus: sic ei supermandatur. Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia tua, & da pauperibus, & habebis thesaurum in caelo, & veni, sequere me. Qui ergo talis est, neque mori potest quasi abortivus, nec seduci quasi insipiens, nec vinci quasi infirmus, nec perire quasi parvulus: sed est vir perfectus, & adversus omnia invincibilis filius Dei. Qui autem parvuli sunt, scandalizabiles sunt, De quibus dicit Dominus in Evangelio. Amen dico vobis, quicumque scandalizaverit unum de pusillis istis credentibus in me, expedit ei, ut mola asinaria suspendatur in collo eius, & demergatur in profundum maris. Et si parvuli in ecclesia scandalizabiles sunt, quanto magis abortivi non sunt vitales? Si ergo haec ita se habent, quare non dixit, Vae his, qui in vtero habentur, & vae his, qui nutriuntur adhuc: sed, *vae praegnantibus & nutriendis in illis diebus*? quia quando huiusmodi abortivi abstrahi ab vtero ecclesiae, aut parvuli tales, nesciunt quid pariuntur: quando enim non sentiunt, sic pereunt. Adhuc autem ut de proprietate loquar parvulorum, gaudent se ducti, ad interitum ducuntur, & rident illehti. Ideo dicit: *Vae praegnantibus ecclesiae, & nutriendis*, quando ipsae de perditione illorum talium lamentabuntur, & plangent. Ecce quando videmus de ecclesia huiusmodi abortivos, & parvulos ductos ad praevicationis interitum. Nunquid aliquis eorum lacrymavit? Nunquid aliquis tristatus est? sed adhuc ex diversis abierunt gaudentes. Sed ecclesiae dolorem perditionis eorum ipsae lamentantur & plangunt. Ideo dicit: *Vae ecclesiae praegnantibus, & nutriendis in illis diebus*. Et si quidem negligentia ecclesiarum aut immaturum fuerint nati, aut parvuli, non habentes qui aut informaret eos, aut postmodum consummaret in virum perfectum in mensuram aetatis plenitudinis Christi: dupliciter vae ecclesiae praegnantibus, & nutriendis in illis diebus: quia & in hoc seculo dolorem patientur perditionis eorum, & in die iudicii damnabuntur propter negligentiam, & eruditionem eorum. Si autem ecclesiae quidem competenter circa eos diligentiam impenderint, illi autem nec audierunt, nec ante baptismum informati acquieverunt, elongantes se a commentu & ab omni auditu scripturarum, & ab omni verbo doctrinae eloquentium sacerdotum, neque post baptismum proficere voluerunt: ecclesiae quidem vae, quia siue hoc, siue illo modo patientur dolorem perditionis eorum: illis autem multipliciter vae, quia omnis causa perditionis eorum ab illis solis requiretur in die iudicii. Quoniam corporis quidem profectus non est in potestate hominis, sed Dei: animae autem profectus, voluntarius est. Videamus ergo, ne nos in perfectos inveniat, aut nunc haereticorum dominatio, aut tunc ipsius Antichristi. Quoniam sicut opera bona in die tenerationis praestant spei virtutem: sic opera mala desperationis operantur infirmitatem. *Orate autem, ut non fiat fuga vestra hyeme, vel sabbato*. Et carnaliter, & spiritualiter legitur. Fugientibus enim & in via manere necesse est, & in sylvis latere, & per desertum vagari. Fuga autem vestem portare non sinit, domum intrare non permittit, ignem accendere non concedit. In hyeme autem quid faciat fugiens? Necesse est ergo aut fugiens frigore pereat, aut manens gladio moriatur. Similiter in sabbato non licebat amplius ambulare, nisi certum spacium

Marco 9.

cium vix. Vnde dictum est in Actibus Apostolorum, sabbati habent iter. Quid ergo faciet fugiens Iudaeus in sabbato? necesse est ut aut legem praetereat fugiens, aut mortem suscipiat manens. Spiritualiter autem de Christianis talem habent interpretationem. Hyeme dicunt frigus infidelitatis spirituale. Qui enim non habet in corde suo ignem, de quo Dominus dicit: *ignem veni mittere in terram, id est, verbum divinum, de quo calefiant in fide: ille semper in hyeme est, & si fuerit in media estate, quia dubitationum incurfus, quasi quasdam tempestates de fide Christi patitur animae eius, & alget. A ut in hyeme est, in persecutione est, & tempestatem patitur impiorum. Et ideo frigida fit fides omnium, & ad plenum gelat, nisi iterum calefecerit eos spiritus sanctus. Item est corporale sabbatum secundum literas legis, quod Iudaei intelligebant, & observabant, dum a corporali opere abstinere, non a corporalius malis. Et est spirituale, secundum quod gratia Christi manifestavit: quod intelligunt Christiani & observant, abstinere se non ab opere corporali, sed a corporalibus malis. Qui ergo vacat ab opere malo faciens opera bona, laudabiliter sabbatizat, & sanctè secundum spiritum, & Dei consilium: qui autem recedit ab opere boni, faciens opera mala, culpabitur, & impie sabbatizat. De hoc itaque non bono sabbato loquitur Dominus in hoc loco, admonens, ut ne dies ille inveniat eos in peccatis. Ideo ergo dicit, *Ne fuga vestra hyeme, vel sabbato fiat*: quia quicumque in hyeme infidelitatis inventus fuerit, aut in delicijs huius mundi sabbatizans, & ocians ab opere bono, necesse est ut tribulationum tempore superatus, pereat credendo Antichristo: quoniam sicut diximus, opera bona in persecutionibus ad fidem spei praestant virtutem. Quoniam autem de delicijs, & peccatis loquitur locus iste, *non infidelitatis aperit Evangelista Lucas*. Quum enim locum istum exponeret, ita subiunxit: *Videte ne grauentur corda vestra in crapula, & ebrietate*. Ex duabus ergo parabolis superioribus prior quidem docet, ut festinemus perfecti esse in fide Christi: quod possumus adimplere, si scripturis, & doctrinae sacerdotum assidui fuerimus. Quoniam qui in fide Christi, & operibus bonis sunt imperfecti, ipsi sunt, qui adhuc in vtero habentur, aut adhuc parvuli sunt, qui facile periclitantur in tempore persecutionis, & pereunt, quia dubij sunt de fide Christi, sequens autem docet, ut ne vacui inveniamur ab operibus bonis, & ab exercitatione virtutum, quia qui sic inveni fuerint, ipsi sunt parvuli, qui in die persecutionis cito periclitantur a fide Christi: quia non habent opera bona confortantia eos in spe, nec exercitationem virtutum in sufferentia adversorum. Similiter & ex duabus parabolis sequentibus. Prior quidem admonet, ne imperfecti inveniamur in fide. Ipsi sunt quidem, qui dubitationis hyeme patiuntur. Sequens autem, ut ne sine bonis operibus inveniamur in tempore illo, sabbatizantes ab opere bono. *Erit enim tribulatio magna, qualis non fuit ab initio seculi usque modo*. Quoniam dixit, *Vae praegnantibus & nutriendis, & videte ne fuga vestra hyeme aut sabbato fiat*, nunc exponit quare, id est, quia erit tribulatio magna. Usque ad Christum enim Iudaei, & si peccatores fuerunt, tamen filij erant, non hostes: & ideo omnis illa, quae veniebat super eos, castigatio erat de*

Luc. 21.

miseriordia veniens, non condemnatio, de ira descendens. Crucifixio autem domino, desierunt esse filij, & sunt facti hostes. Propterea iam non castigatio venit corrigens, sed condemnatio eradicans. Capta est enim Hierusalem ab Assyriis, & iterum reparata est. Destrueta est ab Antiocho, & iterum reaedificata est. Invasa est tertio a Pompeio, & iterum reparata est. Sicut enim homo priusquam dies mortis eius adveniat, laegere quidem potest, moti autem non potest: Sic & Iudaea ante Christum vexata est quidem, perdita autem non est. Postquam vero horrendum patricidium commiserunt, crucifigentes filij patrem, mortem inferentes, a quo acceperunt vitam: & quod maius est, occidentes servi domini, homines Deum, tali eos plaga percussit, ut nunquam sanentur. Sicut illi tale facinus commiserunt, quale nunquam commissum est, nec est committendum: sic & super illos talis sententia venit, qualis nunquam venit, nec veniet. Haec aptius est de consummatione mundi suscipere, cuius figura fuit tribulatio illa. Tunc verè talis erit tribulatio, qualis nunquam fuit. *Tunc dicit dominus: Aperiat se terra, & glutiat nos*. Usque tunc enim omnis ira quae fit a Deo, ideo fit, ut fideles quidem tentet, infideles autem emendet: quum autem Antichristus venerit, talis veniet ira, ut & infideles omnino pereant, & fideles plenius coronentur. Quum enim multi Christianorum credentes Antichristo, signum nominis eius in manu dextera, & in fronte susceperint: tunc exhibent angeli cum igneis curribus volantes per aera, & invisibili manu signabunt omnes fideles, in quibus tamen inventum non fuerit signum Antichristi. Ex illo iam plaga, quae venturae sunt super terram, in quibus & finis est mundus, iam non tangent fideles, qui signati sunt, sed illos percutient, super quos Antichristi inventum fuerit signum. *Erit enim tribulatio magna, qualis nunquam fuit*. Nonne maior fuit tribulatio in diluvio, quando ab omni creatura nihil remansit, nisi solus Noè cum familia sua? Hic autem etiam multi occiduntur, tamen multi evadent. Sed in hoc peior erit tribulatio ista, quia illic corporalis fuit perditio, hic autem spiritualis. Quis autem illic tormentis astrictus est, quia coluit Deum? Sed è contrario puniti sunt, quia noluerunt colere Deum. Hic autem tormentis afficiendi sunt, qui non transeunt ad diabolum, relinquentes Deum. Nonne maior fuit tribulatio in Sodomis, ubi nullus evasit ab igne, nisi solus Loth? Sed illic fuit adversus peccatores iusta Dei vindicta, hic autem erit aduersus sanctos crudelis diaboli violentia. Quato ergo preciosior anima, quam corpus, tanto miserabilior perditio animarum, quam corporum: illic perditis iniquis, evaserunt iusti: hic autem punitis, aut fugatis iustis, iniqui gaudebunt. Sed & si qui prudentes sunt, quum considerant non corporalem huius mundi statum, qui adhuc quodammodo stare videtur, quamvis & ipse sit minoratus, sed spiritualement totius Christianitatis statum subuersum intelligunt, quia nunquam talis fuit tribulatio spiritualis, qualis facta est nunc ex tempore haeresum contrumpentium vniuersa. Perierunt, sicut diximus, omnes in diluvio, sed corporaliter perierunt. Perierunt omnes spiritualiter ante Christum, praeter Iudaeos, sed ignoraverunt perierunt: nunc autem in scientia perierunt, & pe-

Gen. 7.

Gen. 19.



reunt. Multum enim interest inter illos, qui in ignorantia sunt, & in ignorantia perierunt: & inter istos, qui in veritate quidem nati sunt, propter aliquid autem mundiale, scientes ad mendacia transferunt, & perierunt in eis, & pereunt. Illi enim forsitan aliquo modo habebunt remissionem, isti autem nullam remissionem habebunt, neque in hoc seculo, neque in futuro: quoniam ipsi sunt qui blasphemauerunt, & blasphemant in spiritum sanctum. Illi enim indicandi sunt, quia veritatem non quaesierunt: isti autem condemnandi, quia spreuerunt. Leuior enim culpa est veritatem non apprehendere, quam contemnere apprehensam. *Et nisi Deus breuiaffet dies illos, non fieret salua omnis caro.* Abbreuiabuntur dies, ut atrocitas tribulationum breuiata compendio temperetur. Breuiatos autem dies intelligimus non mensura, sed numero. Sicut enim longitudinem dierum, quam dicit Propheta: Domum tuam decet sanctitas in longitudinem dierum, non per longos dies intelligimus, sed multos: sic & breuiati dies, non breues dies sunt intelligendi, sed pauci. *Omnis caro.* Frequenter enim scripturae pro hominibus animas ponunt: sicut ibi, Septuaginta animae intrauerunt in Aegyptum. Frequenter pro hominibus dicitur caro: sicut ibi, Orationem meam exaudi, ad te omnis caro veniet. Quando ergo & animas appellat, spirituales & perfectos homines vult ostendere, ubique autem carnem, carnales homines, & infirmos. Ergo dicendo, *non fieret salua omnis caro:* vult nobis ostendere, quia non solum spirituales homines, & perfecti, sed etiam mediocres homines, & infirmi de illo persecutionis periculo sunt liberandi, non virtute fidei: aut merito operum suorum, sed velociter subueniente Christi aduentu. Non enim propter peccatores dimittit diuitius, ut etiam electi periclitentur, sed propter electos festinaturus est, ut neque mediocres deficiant: quia promptior est Deus ad liberandos bonos, quam ad perdendos malos. Nam & aurifex, si inuenit aurum sordibus mixtum, non propter sordes etiam aurum contemnit, sed propter modicum aurum contentus est etiam sordes accipere. Sed & semper dies mali sanctorum abbreviantur. De iniquis scriptum est: *Viri sanguinum, & dolosi non dimidiabunt dies suos.* De iustis autem: *Non dabit in aeternum fluctuationem iusto.* Accipe autem mihi ad documentum ipsa tempora anni: ab aequinoctio vernali duodecimi mensis incipiunt paulatim tepescere aeres per singulos dies, vsque ad mensum tertium, & dies fieri noctibus longiores. Item ab aequinoctio autumnali mensis septimi incipiunt paulatim iterum frigescere aeres per singulos dies, & noctes fieri longiores diebus, vsque ad mensum nonum, quando celebratur Christi natalis: & sic inueniuntur nouem quidem mensibus aeres quidem temperati, & dies prolixiores, tribus autem mensibus aeres glaciales, & dies breues. Vides quomodo Deus misericorditer dispensauit, ut dies quidem mali inueniantur, & pauci: boni autem plures, & longi? Si ergo statum mundi huius, qui ad vsum omnium hominum communis habetur, sic Deus misericorditer dispensauit, quanto magis statum vitae eorum, cum maiori dispensat misericordia, ut & voluntas eorum in malis tentata clarescat, & virtus voluntatis eorum velociter Deo subueniente, non patiatur defectum, secundum quod

*Psal. 92.*

*Genes. 46. Dent. 10. Psal. 64.*

*Psal. 54. Ibidem.*

*\* forte, decimum.*

& Apostolus dicit: Tentatio vos non apprehendat, nisi humana. Fidelis autem Deus, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis sustinere, sed faciet cum tentatione etiam prouentum, ut possitis euadere. *Tunc si quis vobis dixerit: Ecce hic est Christus, ecce illic, nolite credere.* Quia ratione supra quidem priusquam de abominatione desolationis exponeret, sic dicit: Videte ne quis vos seducat: multi enim venient in nomine meo dicentes, quia ego sum Christus. Hic autem postquam de abominatione desolationis statuta in loco sancto locutus est, ita dicit: *Tunc si quis vobis dixerit: Ecce hic est Christus, ecce illic, nolite credere.* Si memor es quia abominationem desolationis interpretati sumus statutam in loco sancto, hanc impiam haereseum occupaturam loca Christianorum intelligis, quoniam elegantem est dictam. Per hanc enim significabat quomodo & priusquam haereticus ista abominationis loca sancta obtineret, & priusquam diuersarum haereseum constituerentur ecclesiae, seductio quorundam erat futura, sicut & facta est. Et postquam obtinisset, & haereseum diuersarum ecclesiae constituta fuissent, eo amplius seductio quorundam erat futura, sicut & fit. Nam prius nudi dogmatum sermones faciebant errorem, nunc autem multarum haereseum ipsae ecclesiae constituta. Ideo tunc vniuersiusque dogmatis nudum verbum dicebant: Ego sum verbum veritatis, Ego sum Christus. Nunc autem singularim professores haereseum diuersarum dicunt: Ecce hic est Christus, id est, ecclesia: & illic, id est, ecclesia. Quia iam non audiendo dogmatum verba, sed videndo eorum ecclesias, Christiani scandalizantur infirmi. Adhuc autem de Antichristo ostendit per haec verba: Quia in illo tempore sancti in multis tribulationibus constituti fortiter desiderabunt Christi aduentum, iam non sustinente carnis natura. Aliquodies diximus, quod diabolus non ingerat genus tentationis in homine, sed desiderium vniuersiusque considerat. Et secundum quod viderit hominem desiderantem aliquid, ex eo accipit occasionem tentandi. Vnde & Christum quem esurientem sensisset, tentauit in fame: & Adam, & Eua quum vidisset diuinitatis amorem habentes, diuinitatis promissione seduxit. Et Iudam quum inuenisset auarum, pecuniae cupiditate ad proditorem saluatoris attraxit. Sampsonem, quum inuenisset amatorem feminarum, per mulierem praecipitavit. Sic ergo & tunc diabolus videns sanctos in angustiis constitutos, & fortiter desiderantes Christi aduentum. Primum quidem propter intolerabiles persecutiones, deinde propter repromissionem temporis illius de aduentu Christi, quae facta fuerat in scripturis: ideo sub nomine Christi, & prophetarum tentabat seducere sanctos. Et quos diuersis cruciatibus non potuit superare, victus in sua crudelitate armabat se fraude, dicens per suos ministros: Ecce hic est Christus, ecce illic. Nam quando aliqua rerum conturbatio fit, tunc abundant mendacia. Vniuersusque enim dum aut timer aduersa, aut desiderat prospera, ipse sibi nouas generat famas. Et ita diabolus suspensas animas hominum inuenta occasione deludit, hoc nunciando in auribus hominum, hoc ostentans ante oculos eorum quod vnumquaque aut timere, aut desiderare cognouerit. Sicut enim aegrotus in doloribus positus omni homini ostendenti sibi aliquid ad remedium facile

*Math. 4. Genes. 3. Math. 26. Iudic. 16.*

facile credit, non diiudicans personas medicamentum, neque discutens artem eorum: ipsa enim doloris anxietas omnia omnibus credere cogit, sic & tunc sancti in necessitate persecutionum positi, & quasi aegroti desiderantes refrigerium Christi, omnibus reuertentibus aliquid de Christo, facile credent. Ipsa enim pressurae necessitas credere cogit. *Exurgat enim Pseudochristi, & Pseudoprophetae, & dabunt signa magna.* Non inutilia, neque vana, quae ministri diaboli facere solent: sed magna, id est, vtilia & plena, quae sancti facere solebant. Nam in tempore quidem Apostolorum, & postmodum ministrum quidem Christi vtilia, & plena signa faciebant ex parte dextra: qualia sunt caecos illuminare, & alia huiusmodi facere: ministri autem diaboli inutilia faciebant, & vana ex parte sinistra, quae admirationem quidem videntibus excitarent, ad vtilitatem autem nullius proficerent. Et erat inter ministros Christi, & ministros diaboli ex hoc indicare qui inutilia, & qui vtilia facerent signa. In fine autem temporis concedenda est potestas diabolo (sicut in historia Clementis Petrus exponit) ut faciat signa vtilia, & ex ea parte qua prius facere consueuerant sancti, ut iam ministri Christi non per hoc cognoscamus, quia vtilia faciunt signa, sed quia omnino non haec faciunt signa. Quia autem ratione hoc ordinauit Deus, attende: quia non semper tempus vocationis est, sicut ait Sapientia: Tempus congregandi lapides, tempus dispergendi. Tempus ergo fuit congregandorum lapidum, quando lapides viui, id est, fideles ab infidelitate vocabantur ad fidem. Tempus autem erit dispergendi lapides, quando Ecclesia tradetur ad tentationem, ut lapides: id est, Christiani, qui non proficiunt in aedificationem corporis Christi, foras proiciantur. Donec ergo fuit vocatio ad fidem ex infidelitate, fecerunt signa & serui Christi: quia signa diuinae vocationis testimonia sunt, ut praedicationis veritas miraculis commendetur: cessante autem vocatione, incipit seductio reuocans homines a fide ad infidelitatem. Incipiente ergo seductione, tradenda sunt seductionis adiutoria diabolo: id est, potestas faciendorum signorum, ut signis & prodigiis mendacia sua pro veritate commendent. Sed forte dicis: Si Deus concessit diabolo virtutem faciendorum signorum, quomodo ipse mandat, ne seducantur sancti? Si ergo non vult ut seducantur, ut quid diabolo dat seducendi virtutem? Si autem vult ut seducantur aliqui, quare omnibus mandat ne seducantur? Audi. Concedit diabolo seducendi virtutem, ut ne mali inter bonos remaneant apud Christum: mandat autem, ut ne boni inter malos transcant ad diabolum. Nam sicut crudele est fideles cum infidelibus perire, sic indignum est fideles cum infidelibus glorificari. Ita ut in errorem mittant, si fieri potest etiam electos: sed, in errorem mittant. Frequenter enim sancti videntes aliquas operationes diaboli absconditas sub specie pietatis, dum non possunt intelligere profundas insidias inimici, conturbantur in corde suo, ac scandalizantur, & dicunt: Quid sit hoc, quod ita fit non tamen cito flectuntur, ut credant. Et si sensu vincuntur quasi homines, fide aurem stant quasi inuicti. Magnitudinem autem signorum ostendere volens, ideo dicit, *ut si fieri potest:* quoniam quantum ad magnitudinem

*Intelligit li- bros recogni- tum.*

*Eccles. 3.*

signorum illorum potest fieri, ut seducatur etiam electi: sed ideo non seducuntur, quia perire non possunt, quos Deus praedestinavit ad vitam. Dum ergo signorum magnitudinem praedicit in conseruandis fidelibus, Dei potentia demonstratur. Et de tempore haereseum nihilominus conuenienter intelligi haec. Falsi enim Christiani, sunt falsae veritates haereseum: falsi autem prophetae, praedicatorum veritatum falsarum. Dant autem signa, eadem facientes in simulatione, quae faciunt fideles in veritate. Nam & castitati student, & ieiunia celebrant, & elemosinas faciunt, & omnem ecclesiasticum canonem suppleant. Aut non tibi videntur magna esse signa seductionis, quum videas diabolum facientem opera Dei? *Ecce praedixi vobis.* Contestationis verba sunt haec, ut ne aliquis dicat. Vidi eum talia facientem signa, qualia ipse Christus fecit, & ideo credidi, existimans illum esse Christum. Propterea dicit: *Ecce praedixi vobis,* ut excusationem ignorantiae tollat ab hominibus, & praecedens contestatio iustam faciat poenam sequentem. Misericordia enim est, mandatis praevenerit periculum. Non enim vult quempiam perire, qui omnibus monstrat perditionis aduentum. *Si autem dixerint vobis: Ecce in solitudine est, nolite exire: ecce in domibus nolite credere.* Hoc nunc tertium de cauendis seductionibus dat mandatum. Primum est: *videte ne seducamini, multi enim venient in nomine meo, dicentes; Ego sum Christus;* Secundum. *Tunc dicent vobis: Ecce hic est Christus; ecce illic, nolite credere;* Tertium, praesens, dicens: *Si dixerint vobis: Ecce in solitudine est, nolite exire: ecce in domibus, nolite credere:* ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum, ut trina denunciatio inexcusabilem faciat negligentem. Primum ergo mandatum dedit de seductionibus futuris, priusquam abominatio desolationis constitueretur in loco, & priusquam haereseum aedificarentur ecclesiae. Secundum autem de seductionibus post futuris, sicut iam diximus supra. Tertium vero manifestissime de tempore futuri antichristi, dicens: *Si quis vobis dixerit: Ecce in solitudine est, nolite exire.* Seducere enim vos volunt. Sed dicat aliquis: Quid enim? Si fideles tunc non exierint in desertum, aut non intrauerint in domos, nunquid per hoc ipsum poterunt declinare periculum, maxime quum tunc antichristus vniuersa vbique contineat, & intus, & foris, & in ciuitate, & in deserto? Sed vide quoniam haec dicens ostendit, quia tunc fideles latentes erunt in locis quibusdam secretioribus, Deo eos abscondente, potius quam loco, sicut scriptum est: *Abscondes in abscondito* *Psal. 30.* *vultus tui a conturbatione hominum. Proteges ergo eos in tabernaculo tuo, a contradictione linguarum. Praemonet eos, ne forte tunc audito Christi aduentu, per homines seductores procedant ad palam, & aut in deserto comprehendantur egressi, aut domibus concludantur ingressi. Quid enim faciat in solitudine Christi aduentus? Nunquid magis amat solitudines locorum quam congregationes hominum? Aut nunquid homines timet, ut in solitudine lateat? Si enim quando passurus aduenit, non timuit reges, aut iudices, sed inter impios populos praedicauit pietatis sermonem: quomodo tunc timebit, quum venerit iudicare peccatores? *Si quis vobis dixerit: Ecce in domibus, nolite credere.* Iniuriam enim facitis diuinitati, si in domibus illam quaeritis, quae implet caelum, lum,*

lum, & terram: aut si latere putatis, qui venit superbis resistere, & humiles exaltare. In primo enim aduentu ideo celatus venit corpore, ut probaret fideles: in secundo autem aduentu venit manifestus in gloria, ut remuneret fidem eorum. Ideo tunc necessarium erat, ut quæreretur: nunc autem non est quærendus ut credatur, sed quærat ipse, à quibus creditus est. Spiritualiter autem de nouissimis temporibus hæc ita sunt exponenda. Sunt hæreses, quæ mendacia sua quodammodo scripturarum colorant autoritatibus: quædam autem quæ omnino ita contra scripturas habentur, ne colorate valeant mendacia sua de scripturis diuinis. Solitudines ergo appellat hæreses illas, quarum dogmata omnino deserta sunt à scripturis. Dominus autem hæreses, quæ scripturarum colorantur exemplis, quomuis non sint domus verè, tamen vel videntur. Aut ita: Domus dicit hæreses, solitudinem autem Iudæam, secundum quod scriptum est de illa: Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Aut ita: Solitudines dicit omnes hæreses desolatas à veritate, domus autem ecclesias Christi: ac si dicat: Non dico, si dixerint vobis Christum apparuisse, nolite eis credere, dicentibus ista de me, quia non est digna diuinitatis meæ notitia hæc. Ostendens per hæc, quomodo ex ipsis ecclesiis veris frequenter exeunt seductores, propterea nec ipsi omnino credendū est, nisi ea dicant vel faciant, quæ conuenientia sunt scripturis. Vos ergo nolite exire, nolite credere. Non mandat illis, ut ne exeant de domibus, vel ciuitatibus. Nec in domo enim, aut in ciuitate sedentibus sanctis, ista dicenda sunt: sed nolite exire de regula veritatis, quæ tradidit vobis: nolite credere. Quia sicut fumus ante ignem præcedit, ante victoriam pugna: sic & ante gloriam Christi tentatio antichristi. Sicut enim fulgur exit ab Oriente, & parit usque ad Occidentem, ita erit aduentus filij hominis. Manifestum, & velocem aduentum Christi ostendere volens, fulguris similitudinem introduxit. Sicut enim cum exierit fulgur, non solum videtur ab hominibus, sed adhuc secundū qualitatem fulguris sui non dignè aspiciunt: sic & quum venerit Christus, non solum eum omnes aspiciēt, sed secundum mensuram gloriæ eius, neque poterunt eū sufficienter aspiciere. Et non solum magnitudo eius omnem locum implebit, sed adhuc magnitudine eius deficiet omnis locus, sicut scriptum est. Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius. Alluxerunt fulgura eius orbi terræ, vidit, & commota est terra. Quem ergo peccatores videbant, etiam nolentes, quomodo non videbunt eum sancti desiderantes? Et sicut in ictu oculi fulgur vniuersa pertransit, sic & filius Dei, non veniens adhuc, sed etiam venisse videbitur. Si enim sol, qui ad ministerium nostrum creatus est, tantam habet splendoris virtutem, ut in quacunque parte cæli fuerit, vbi que appareat quasi præsens: quanto magis sol spiritualis Christus, quum venerit in toto videbitur mundo, magis autem mundus in eo videbitur? Apostolus autem ait: Quæ suis temporibus ostendet beatus, & solus, & potens. Non dixit: Quem mittet. Christus enim quum sit vbi que, non venit de loco ad locum, sed vbi que ostenditur, qui erat

celatus vbi que. Vbi fuerit corpus: illic congregabuntur aquile. De vulturibus enim dicit scriptura in Iob, quoniam vbi que fuerit corpus, illic inueniuntur vulturum pulli. Hoc enim naturale est vulturum, sicut dicit quidam, ut etiam transmarina cadauera sentiant. Quoniam ergo turpes aues sunt vultures, ideo vulturis quidem moribus aptauit nomina aquilarum, ut in moribus quidem vulturum, sanctorum congregatio ostendatur ad Christi aduentum. In aquilis autem regalibus, regalis sanctorum dignitas ostendatur. Ideo enim sancti aquilis assimilantur, quia sicut filij aquilarum ad solem probantur, ut si quidem recto aspectu intendere poterint contra radios solis, intelligantur esse legitimi: si autem non poterint, cognoscantur adulterini. Sic & filij Dei ad Christi iustitiam comprobantur: si enim poterint pleno corde iustitiæ verba suscipere, intelligantur esse legitimi, si autem non poterint, cognoscantur de diabolo esse nati. Statim autem post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, & stelle cadent de celo. Patrefamilias moriente, tota domus eius turbatur, omnis familia plangit, & confisissis tunicis suis nigris se cooperiunt vestimentis: sic & humano genere, propter quod fuerant omnia creata, circa exitum constituto, totus contristatur mundus, vniuersa cæli ministeria lugent, & candore deposito, pro vestibus luctuosis tenebris vestientur. Nam sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum: Aut propter indignam persecutionem sanctorum dolentes, aut super impiorum pessima opera indignantes, aut nouissimam in eis Dei iracundiam demonstrantes, ut adhuc viuentibus impiis super terrā, iam gustus detur infernalium tenebrarum. Sicut hoc, siue illo modo, merito nox interueniens inter diem, & diem, prædicet, quia post modicum nona dies resurrectionis est nascitura. Diuidetur enim, ne istius seculi, & illius vna videatur esse natura. Sicut enim omnes carnales morimur, ut spirituales surgamus: sic & illa dies tenebris interciditur, quasi quadam morte, ut noua iterum renascatur. Aut certe quia spiritualiter iniquitas nox intelligitur, iustitia autem dies. Ex natiuitate autem Christi lux orta est, dicente Propheta: Ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lactitia. Mane Christi tempus vocatur. Hæc dies iustitiæ in exitu mundi finitur, iniquitatum, & errorum tenebris obscurata. De qua & dominus ad Apostolos dicit: Ambulate dum lumen habetis, ne vos tenebræ comprehendant. Sol obscurabitur, id est, nox, luna non dabit lumen suum, id est, ecclesia sanctitatis suæ charitatem non demonstrabit. Stellæ cadent de celo, id est, qui videntur sancti, transgredientur, & cadent de dignitate cælesti. Nam quod de diabolo dictū est, quomodo cecidit lucifer de celo, qui mane oriebatur: sic interpretantur apostoli, vel sancti non de altitudine cæli ad terrā, sed de angelica dignitate ad ignominiam tenebrarum. Quomodo autem multi transgredientur Christianorum, significat Daniel. Et de eruditis, inquit, cadent multi. Sicut ergo tempestas suscitatur nubi, nubi autem cooperiunt solem: sic impiorum persecutio suscitabit transgressionem, transgressio autem Christianitatis obscurabit candorem. Vnde propheta dicit in alio loco: Sol conuertetur in tenebras, & luna

in sanguinē, id est ecclesia, aut propter assiduam occisionem sanctorum: aut quia ipsi Christiani contra iustitiam Christianitatis inter seipos furentes bellabunt. Hoc & si de tempore hæresis huius scriptum intelligatur, expositionem habet conuenientem. Quomodo? Ex quo obtinuit hæresis ista sanctum ecclesiæ locum quasi abominatio desolationis, & Antichristi exercitus constituta, Christi solis veritas est obscurata, ecclesia fidei suæ splendorem non potuit dare clatum, & Christiani multi, qui erant stellæ rationabiles, ceciderunt à firmamento scripturarum sanctorum. Tunc apparebit signum filij hominis in celo. Quidam putant crucem Christi ostendendam esse in celo: verius autem est ipsum Christum, in corpore suo habentem testimonia passionis, id est, vulnera lanceæ, & clauorum, ut impleatur illud quod dictum est: Et videbunt in quem pupugerunt. Denique in quo loco præsens Euangelista ponit, dicens: Apparebit signum filij hominis. Alij Euangelistæ hoc solum dixerunt: Et videbunt filium hominis venientem. Videlicet ostendentes signum Christi esse ipsum corpus Christi, qui in signo corporis sui cognoscendus est, à quibus crucifixus est. Vnde de in Actibus ad apostolos angelus sic dicit: Hic Iesus, qui receptus est à vobis: sic veniet iterum quemadmodum vidistis eum euntem in celum. Non sic portatus in tali nube: nec enim cum tali gloria ascendit, cum quali venturus est iudicare: sed sic veniet, hoc est similiter cum hoc corpore, cum quo ascendit. Vides ergo, quia quasi signum datur apostolis corpus eius, dicens: Sic veniet. Vis autem scire quia ad signum passionis suæ vulnera corporis sui seruaui: audi post resurrectionem dicentem ad Thomam: Infer digitum tuum huc, & vide manus meas: & affer manum tuā, & mitte in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis. Qui mortuum corpus suum suscitauit, qui tulit coltam de latere Adæ, & suppleuit carnem: nunquid etiam non potuit corpus suum sanare, & integrum suscitare? Sed corpus quidem suscitauit, vulnera autem eius seruaui, ut in die iudicij proficerent ad testimonium passionis contra Iudæos, & omnes qui denegantes filium Dei crucifixum fuisse in corpore, iudicarent. Propterea quasi manifesto signo conuenienter subiungit, dicens: Tunc plangent se omnes tribus terræ. Plangent enim se Iudæi videntes viuem eum, & viuificantem quem quasi hominem mortuum æstimabant, & conuincentes se corpore vulnerato, scelus suum denegare non poterunt. Plangent se & Gentiles, qui vanis philosophorum disputationibus decepti, irrationabilem stultitiam putauerunt esse, Deum colere crucifixum, & detulerūt creaturæ gloriā creatoris. Lugent & Christiani peccatores, qui magis dilexerunt mundum, quam Christum, quum audierint eum hæc verba dicentem ad se: Ego propter vos homo factus sum. Propter vos alligatus, & delusus, & casus, & crucifixus sum. Vbi est tantarum mearum iniuriarum fructus? Ecce precium sanguinis mei, quem dedi pro redemptione animarum vestrarum. Vbi est seruitus vestra, quam mihi pro precio sanguinis mei debetis? Ego super gloriam meam vos habui, quum essem Deus apparens homo, & vilior me omnibus rebus vestris fecistis. Nam omnem rem viliissimam terræ amplius dilexistis, quam iustitiam meam & fidem. Plangent se hæretici, qui purum

hominem crucifixum dixerunt, quum viderint ipsum esse iudicem in quem compunxerunt Iudæi. Quomodo enim arguat Iudæos quasi interfectores filij Dei, si non filius Dei, sed purus homo est crucifixus? Et tunc plangent se omnes tribus terræ, quia nec resistendi virtus est contra eum, & fugiendi nulla facultas ante faciem eius, nec penitentia locus: ex angustia omnium rerum nihil eis remanet præter luctum. Merito plangent se, quia tunc neque pecuniæ diuitibus prolunt ad elemosynam faciendam, neque parentes iusti pro parentibus intercedunt, neque ipsi angeli pro hominibus sicut solebant, faciunt verbum: quia non recipit natura iudicij misericordiam, sicut nec tempus misericordiæ iudicium, dicente propheta: Misericordiam, & iudicium cantabo tibi, domine. Misericordiam in priori aduentu, iudicium in secundo. In priori aduentu volentibus Apostolis ignem de celo deponere, dixit: Nescitis cuius spiritus estis. Filius enim hominis non venit iudicare mundum, sed saluare. De secundo autem sic dicit: Nam filius hominis veniet in maiestate patris sui, & tunc reddet vnicuique secundum opera eius. Et videbunt filium hominis venientem in nubibus cæli, cum virtute & gloria multa, & mittet angelos suos cum tuba, & voce magna, & congregabunt electos eius à quatuor ventis. Si quando rex terrenus processum aliquem, aut expeditionem mandat in populo, dignitates omnes mouentur, & exercitus exercitatur, tota ciuitas seruet: quanto magis rege cælesti exurgente iudicare viuos, & mortuos, virtutes angelicæ commouentur? Terribiles ministri terribiliorem dominum præcedentes: Cherubin, & Seraphin præparentur ad sedem vnus, & rationabilis thronus viam sapientiam portaturus. Nec enim potest esse res mortua, quæ banulat vitam, Ante ipsum pro candelabris fulgura viua præcedent, & pro tubis horrenda tonitrua. Qualis rex, talis & præparatio regis. Verè magna vox tubæ terribilis, cui omnia obaudiunt elementa, quæ petras scindit, inferos aperit, clausuras tenebrarum pertransit, portas æreas conuertit, veles adamatiuos, & ferreos confringet, vincula mortis dirumpet, & de profundo abyssi anima liberatas, corporibus suis assignat. Hæc omnia citius consumet in opere, quam sagitta transit in aère, dicente Apostolo, in momento, in ictu oculi, in nouissima tuba. Tuba enim canet, & mortui resurgent incorrupti. In illa voce puluis iam dissolutus corporum mortuorum in noua membra constringitur. In illa voce quasi vna persona obnoxia totum mare discutitur, ut, si quid apud se retinet de humanis ossibus, sine contradictione restituat. In illa voce à quatuor partibus mundi spiritus congregatur, qui resuscitet populum dormientem. A se autem discite parabolam. Quare non ex aliis arboribus, sed potius de ficu sumit similitudinem ætatis? Quia, postquam alia arbores vernare ceperint, frequenter euenit, ut accedens frigus præcidat ætatem, & iterum arbores indurescunt: ficus autem, quia penè post omnes arbores vernat, difficilè post sicum frigus interuenit. Ideo ergo sic comparata est ecclesia illi tempori, propter indubitabilem seculi noui aduentum. Sed quæ est ista assimilatio rei, videamus. Ficus bono verni temporis temperamento mollescit ad folia, ecclesia autem miserabili persecutione afflicta compellitur ad mortem. Sed dominus hanc

S. AVGVST. EPISCOPI

Hippon. in superius Euang.

Homilia.

2. Th. 3. f.

assimilationem iocunditatis ex sicu, non ad afflictionem corporalem retalit, sed ad spiritualem profectum animarum. Nam quando carnalia hominis affliguntur, tunc spiritualia eius florent, sic ait Apostolus: Et vos suscepistis verbum Dei in tribulatione multa, cum gaudijs spiritus sancti. Sicut enim vernali flatu arbores laxantur in folia, & fructus: sic persecutionibus excitantur animae ad virtutem. Ideo autem semper ficus ecclesiae similatur: quia sicut ficus sub vno cortice plurima grana intra viscera dulcedinis inclusa cōstringit: sic ecclesia sub vno corpore multos Christianos intra viscera suae charitatis congregatos complectitur. Deinde & alia ratione: Omnis arbor penē in vno tempore fructum preberet. Nam infra paucos dies, & maturescunt, & cadunt: ficus autem ex quo cœperit fructus afferre, vsque ad hyemen fructificare non cessat. Nam alij colliguntur maturi, & alij hinc procedunt. Sic ecclesia ex quo cœperit sanctos offerre, vsque ad finem seculi non cessabit. Nam per singula tempora alij dormiunt, alij autem nascuntur. De hac autem sic sub alia specie interpretationem fecimus apud Marcum, æstimantes vbi que quod verum est, non affirmantes: vt secundum quod visum fuerit vnicuique, hoc probetur. Amen dico vobis, non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant. Res dubia semper facit hominem negligentem. Nam quod sine dubio venturum nobis esse cognoscimus, ad id nosmetipsos magnanimiter cōfortamus. Ne ergo audientes Apostoli certum periculum pro incerto suscipiant, & dubitantes de eius aduentu semetipsos in negligentia ponant, ideo sermonem suum iuramento confirmans dicit: Amen dico vobis, non transibit generatio hæc, donec omnia fiant. Quia contra magnum periculum magna præparatio est necessaria, magna autem præparatio assiduum admonitionem requirit, & cautam. Et sciendū est, quia non illud vult Christus Apostolis suis ostendere: quia iam incōtinenti futura est tentatio illa, sed quia omnino futura est. Ergo non illos homines dicit, qui in illo tempore fuerant nati, sed familiam gentis ipsius. Generatio ista. Id est, aut facientiu hanc tentationem, aut patientium, aut peccatorum hominū, aut dæmonum, qui operantur in eis: Nam vtrique non cessabunt esse in seculo, donec consummatio fiat, vt dicat illis: Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui præparatus est diabolo, & angelis eius. Necessè est enim, vt quandiu fides tentatur, tentatio referuetur. Aut certe Christianorum generationem dicit, id est, generatio ista mortalis non transibit ad immortalitatem, donec, id est, nisi hæc fuerint consummata, vt postea immortalis, & impassibilis fiat. Cælum & terra transibunt verba autem mea non præteribunt. Quia cælum & terra ad ministerium vestrum creata sunt, verba autem mea ad gubernationem vestram disposita. Cælum, & terra vanitati subiecta sunt, dicente Apostolo: vanitati enim creatura subiecta est. Naturaliter autem veritas nescit mentiri, nec potest aliquando peccare.

Videtur hic author, & in Marcu scribitur.

2. Math. 25.

2. Cor. 13.

Sicere & intelligere debemus, fratres charissimi, quia Christianis, dum in hoc corpore viuunt, tribulatio deesse non poterit. Sic enim nos, sicut audistis, cōtestatur Apostolus, dicens, Omnes, qui volunt pie viuere in Christo, persecutionem patientur: & iterum, Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnū cælorum. Venturi sunt dies tribulationum, & malarum tribulationum venturi sunt, sicut dicit scriptura. Et quantum accedunt dies, augentur tribulationes. Nemo sibi promittat, quod Euangelium non promittit. Quomodo enim appropinquante fine mundi, sicut dicit dominus in Euangelio. Abundauit iniquitates, refrigescet charitas: sic propter ipsas iniquitates nunquā deerit aduersitas. Opus est, vt animum nostrum non solum ad poenitentiam, sed etiam ad patientiam præparemus. Fratres mei, obsecro vos, attendite scripturas sanctas, si aliquid fecerunt, si aliquid dixerunt, & aliter accidit quàm dixerunt: necessè est vt vsque ad finem sic fiat quemadmodum dixerunt. Non nobis promittunt scripturæ sanctæ in hoc seculo, nisi tribulationes, pressuras, angustias, augmenta dolorum, abundantiam tationum. Sicut & ipse dominus in Euangelio dicit, In mundo pressuram habebitis. Eternum, Mundus gaudebit, & vos tristes eritis, sed tristitia vestra vertetur in gaudium. Ad ista præcipuē non paremus, ne imparati deficiamus. De ipsis enim tribulationibus cum euangelium legeretur audistis. *Vt prægnantibus & nutriendibus.* Prægnantes sunt, qui in spe inrumescunt. Nutricies autem, id est, lactantes, qui iam adepti sunt, quod concupierant. Etenim mulier prægnans in spe tumet filij, nondam videt filium: quæ autem iam lactat amplectitur, quod sperabat. Prægnans est, qui res alienas concupiscit: nutricies est, qui iam rapuit, quod cōcupierat. Et vt hoc apertius etiam simplices intelligere possint, aliquam similitudinem proponamus. Concupiscit aliquis villam alienam & dicit, Bona est ista villa vicini mei, si mea esset, si adiungerem illam, & facerem de isto fundo, & de illo vnitatem. Amat & auaritia vnitatem. Quod amat bonum est, sed vbi amandum sit nescit. Forte diues est vicinus ille, qui habet villam bonam, & respiciatur quòd illam non possit tollere quia potens homo est, & præualet se contra illum defendere, nec cōcupiscit, nec imprægnatur, nihil sperans non concepit, non est prægnas animo. Si vero iuxta aliquis vicinus sit pauper, qui vel in necessitate positus est, vt possit vendere, vel potest opprimi, vt cogatur vendere: inicitur oculus, sperat se posse tollere aut villam, aut coloniam vicini pauperis, & immitit illi aliquas tribulationes. Verbi gratia, Agit secretis apud eos, qui possunt, vt illum exactores aut afflictum, aut in aliqua publica administratione constringant, ex quibus contractis debitis multis necessè habeat infelix vendere casellā, vnde aut ipse aut filij sui sustentabantur. Necessitate ergo compulsus venit ad illum, per cuius nequitiam premitur & affligitur, & nesciens quod ipius immisione hoc patitur, dicit ad eum, Da mihi, Domine, rogo te, paucos solidos,

Serm. 26. de verb. domini.

2. Tim. 3.

Act. 14.

Math. 24.

Math. 25.

1. Cor. 16.

Math. 24.

1. Gal. 7.

1. Cor. 26.

Math. 25.

Luc. 16.

solidos, patior necessitatem, vrgeor à creditore. Et ille, Nō habeo in manibus. Ideo se dicit in manibus nō habere, vt ille oppressus calumnia, necessè habeat vendere. Denique cū ei dixerit, quòd pro nimia afflictione sua compellatur distrahere, statim ille respondet, Et si non habeo pecuniam propriam, vndeunque studeo mutuare, vt tibi amico meo subueniam, & si ita necessè est etiam argentulum meum distraho, ne tu iniuriam patiaris. Quando beneficium petebat, professus est se penitus non habere: at vbi dixit quòd possessionem suam venderet, quasi amico se subuenire dixit, & cum eum ad hanc necessitatē adduxerit, dicit illi, vt venditionem facere debeat, & casellam, pro qua prius, verbi gratia, forte centum solidos offerebat, vt eum opprimi viderit, nec medietatem precij dare acquiescit. Istis enim talibus sicut iam supra dictum est, Euangelista proclamat, *Vt prægnantibus, & nutriendibus.* Istis enim vtrique in die iudicij, & ab auditu malo non poterunt liberari, sed audituri sunt, Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius, quia esuristi, & nō dedistis mihi manducare: sitiisti, & nō dedistis mihi bibere. Hoc loco diligenter attendat charitas vestra. Si in ignē mittitur, qui non dedit rem propriam, putas vbi mittendus est, qui inuasi alienam? Si cum diabolo ardere habet, qui nudum non vestiuit, putas vbi arsurus est, qui expoliavit? Et ideo quoriscunque vobis euangelica lectio recitata fuerit, in qua dicit, *Vt prægnantibus & nutriendibus:* non hoc de mulieribus legitimos viros habentibus credite. Quid enim mali fecit mulier, quæ de proprio marito concepit? Quare illi in die iudicij male erit, quæ hoc fecit quod Deus iussit? Non ergo de mulieribus, quæ iuste concipiunt, & pariunt, hoc credendum est, sed de illis, quos supra diximus, qui iniuste concupiscendo rem alienam, imprægnati esse videntur. De quibus scriptum legimus, Conceptit dolorem, & peperit iniquitatem. Omnis enim homo concipit, nec vllus potest esse sine conceptu. Sed alij concipiunt de Christo, alij de diabolo. Sicut enim de illis, qui à diabolo concipiunt, dicitur, Conceptit dolorem, & peperit iniquitatem: Ita & de illis, qui à spiritu sancto concipiunt, scriptum est, A timore tuo in vtero concepimus, & peperimus spiritum salutis tuæ. Hæc enim quæ diximus, fratres charissimi, qui diligenter attendit, & supradicta mala aut fuisse in se, aut forsitan adhuc esse cognoscit, cito se corrigat. Non enim nocent mala præterita, si non placent, adhuc enim est poenitendi & corrigendi locus. Nondum facta est illa disiunctio aliorum ad dexteram, aliorum ad sinistram. Nondum apud inferos sumus, vbi est diues ille stitens, & stillam desiderans. Audiamus, dum viuimus corrigamur. Non concupiscamus res alienas, & imprægnati tumeamus, nec velimus peruenire ad illas, & eas adipiscendo tanquam filios osculemur. Quando enim cōcupiscit aliquis rem alienam, sicut iam dictum est, anima sua quasi concepisse videtur. Si verò quod concupiscit per aliquam calliditatem, aut nequitia potuerit obtinere, quasi natum filium osculari, ac nutrire cognoscitur. Non ergo sic amemus ista terrena, fratres, vt perdamus cælestia. Mutandum est cor, leuandum est cor, non hic habitemus iam corde. Mala religio est amor mundi, sufficiat quòd hic

adhuc in carne esse videmur. Audiamus Apostolum dicentem, Si resurrexistis cum Christo, quæ Coloss. sursum sunt, sapite, quæ sursum sunt, quærite, non quæ super terram. Non apparet quod nobis promissum est. Iam enim paratum est, sed non videtur. Concupiscendo imprægnari vis, hinc imprægnare. Concupisce vitam æternam, ad quam vitam te inuitat Deus, ipsa sit spes tua. Certus erit partus tuus, non erit abortus. Non temporaliter amplecteris quod pepereris, sed in æternum possidebis. Quod enim promissum est, sine dubio dandum est, sed adhuc retro est. Non dabitur modo, sed dabitur postea. Videre iam quanta data sint, fratres. Quis illa vel enumerare præualet? De omnibus enim rebus quæ nobis in scripturis diuinis promissa sunt, vnum tantummodo remansit. Deus enim qui nobis in tantis rebus verum dixit, in vna nos fallit: Scriptum est de Ecclesia, quia erit, & videtur quia est. Scriptum est de idolis, quia non erunt, & videtur quia non sunt. Scriptum est, quia perdituri erant Iudæi regnum, & videtur. Scriptum est de hæreticis, quia futuri erant, & videtur. Scriptum est & de die iudicij: scriptum est & de præmijs bonorum, & de pœna malorum: nemo se circumueniat, fratres. Quomodo illa omnia venerunt quæ promissa sunt, sic & dies iudicij, & malorum pœna, & iustorum præmia sine vlla dubitatione ventura sunt. Et ideo vnusquisque nostrum dum licet, & cum Dei adiutorio in potestate nostra consistit, & peccata vitare, & quod bonum est, exercere contendat: vt cum ille dies terribilis & metuendus aduenit, non cum impijs & peccatoribus perenni incendio concremetur, sed cum iustis & Deum timentibus peruenire ad æternum præmium mereatur, quod ipse præstare dignetur, cui est honor, & imperium in secula seculorum, Amen.

In nostra potestate est cum Dei adiutorio peccata vitare, & bona scilicet.

CHRISTIANI DVTH- mari eiusdem Euang. expositio.

Cum ergo videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele propheta stante in loco sancto. Abominatio desolationis, idolum vocatur in Danielis libro, de qua ipse prophetauit: sicut & nunc Deus: cum ipsam vidisset in templo, cognoscerent prope esse desolationem templi, & prouinciæ. Quæ & de imagine Cæsaris potest intellegi: quia Pilatus posuit in templo, ante viginti quinq; annos subuersionis vrbs: siue de equestri statua Adriani, quam Romani ei fecerant: quia ad bellum pergens in via reclamante quadam vidua stetit cum equo, donec ei iustitiam de oppressore faceret. Quam consules pro pio facto, per vniuersas ciuitates poni iusserunt: & ipsa stetit in templo Hierosolymorum ante destructionem ciuitatis, quam ipse Adrianus fecit, quod secundo rebelles Iudæos vltima cæde perdomuit: & in alio loco ipsam ciuitatem ædificari præcepit, & Eliam vocauit, & prohibuit ibi Iudæos ingredi. Et ad antichristi tempora potest referri: quia iubebit se adorare pro Deo omnipotenti, etiam mundo, vt ait Apostolus: Sedebit in templo ostendens tanquam ipse sit Deus, quem dominus Iesus interficiet spiritu oris sui & destruet illustratione aduentus eius. Tunc qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes. Tunc



Tunc ad hoc respicit, cū venerint ea, quę prædico. Quia sic Lucas narrat. Cum videritis ab exercitu circumdari Hierusalem: tunc qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes: videlicet ne includantur in illa obsidione. Nam si illi qui inclusi fuerint, scire pro certo potuissent exitum rei, nullo modo se inibi clausissent. Hoc verò euangelio multi Christianorum edocti: cum viderunt appropinquare hostem Romanorum, decesserunt trans Iordanem in regnum Agrippæ, & nihil læsionis habuerunt: etiam apostoli iam prope adhuc viuebant. Si spiritualiter velis scire, potes omnia illa ad hæreses referre, & peccata. Quæ cum videris regnate super eos, qui magistri ecclesiæ esse debent, Tunc qui in Iudæa sunt, hoc est in confessione veræ fidei: festinent ascendere ad montes virtutum. Et illi qui supra rectum. Id est, qui transferunt animo carnalia, non descendant ad pristinos actus mundanæ conuersationis. Et qui operatur in agro, qui intelligitur ecclesiæ. Non respiciat retro. Ad ea, quæ propter Deum reliquit: sed tendat semper ad propositam fidem. *Væ autem pregnantibus, & nutriendibus*, quia fugere non valebunt, sicut legimus de nutrice Miphiboseth, quæ cum audisset quod mortuus esset Saul, & Ionatas festinabat fugere cū infante ceciditque cū ipso, & claudus effectus est. Legimus etiã quia in ipsa obsidione Maria nobilis & prædices quondam femina, quæ ante vix valebat incidere super terram præ nimia teneritudine, in ipsa obsidione filium suum quinque dies habentem comederit. *Orate autem, ne fuga vestra in hyeme vel sabbato fiat*, quia in hyeme fugere malum esset ob frigus; In sabbato si fugerit, transgredereetur legem, si stare, moreretur: vt Machabæi fecerunt: tamen quando Vespasianus in prouinciam venit, ætas inerat: quia ipso die Paschæ Titus ad Hierusalem accessit. Sed obsidio Hierusalem per duos annos continua fuit. *Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio in mundo vsque modo, neque fiet*: Et de obsidione Iudæorum potest intelligi, quia nunquam apud illos tribulatio fuit, sicut apud ipsos qui in ipsa obsidione fuerunt. Non enim remansit canis, neque pars corij in ostio, aut in aliquo iacens loco: viui abibant homines in sepulchris, & ibi expectabant mortem. Troia decem annis obsessã est, sed non ibi tanta mala sustinere. Et ad antichristi tempus recte potest aptari, in quo tribulatio inenarrabilis erit: quia non solum tormenta ingeret acerbiora sanctis, sed & signa multa faciet: & dona plurima dabit, ad seducendos Christianos. *Et nisi abbreviati essent dies illi, non fieret salua omnis caro*. Abbreviatus dicit, non mensura sed numero. Hæc enim tribulatio, quanto cæteris grauior, tãto temporis breuitate moderatior est futura: Quantum namque ex prophetia Danielis, & Apocalypsi intelligi datur, tribus annis & dimidio ipsa sic grassabitur: Nam dies equali mensura semper erunt: vt Psalmista dicit. Ordinatione tua perseuerant dies. Sed in numero pauci constituti sunt, in quibus electi probabuntur, & mali manifestabuntur. *Tunc si quis dixerit: ecce illic Christus, aut illic, nolite credere*. Christus non solum Dominus noster hic intelligendus, sed & rex Iudæorum: quia Iudæi sic appellabant reges. Et fuerunt multi tunc, qui se Christos dixerunt: qui voluerunt esse reges, si tunc potuissent victoriam capere. Et in ipsa ciuitate Hierusalem

tres erant, qui se reges dicebant. *Surgent enim pseudoprophetae, & pseudochristi: & dabunt signa magna, & prodigia: ita vt in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi*. De vtriusque temporibus possunt hæc dicta accipi: sed melius ad antichristi tempus referimus, in quo nõ solum ipse faciet multa signa: sed & ministri eius. Cuius enim fides tunc non vitubabit, quãdo videbit crudellem persecutorem signa facere: *Ita vt in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi*. Dubitantis affectu loquitur Dominus: vt & tribulationis magnitudinem designet, & liberum inesse homini mōstrat affectum. Nam fidelis & si ad horam seductus fuerit, tamen cito resurget: vt beatus Petrus. *Ecce prædixi vobis*, tribus vicibus in ista maledictione replicatum habet, vt non auscultent malorum suasionem. *Si ergo dixerint vobis: ecce in deserto est, nolite exire*. Ibi adduxit Theodas populum, ille pseudopropheta. *Ecce in penetralibus*, id est in secretis aliquibus: *nolite credere*. Spiritualiter ecclesiæ catholica, id est vniuersalis, nõ solummodo in Africa, aut in alio speciali loco, vel in penetralibus hæreticorum, sed per vniuersum mūdum: quia ideo catholica, id est vniuersalis, dicitur. *Sicut enim fulgur exit ab oriente, & apparet vsque ad occidentem, ita erit aduentus filij hominis*. Nõ enim veniet absconditus, qui in primo aduentu maiestate celata nube carnis apparuit. Per figuram, quæ idea dicitur, describit suum aduentum. Non erit necesse in secreto quærere, qui manifestus omnibus, & terribilis vt fulgur apparebit. Fulgur neutrius generis nomē est: nec habet, o. in nominatio: sed correptū, u. Est autem aliud nomen quod dicitur fulgor fulgoris, per o. productum: & accipitur pro splendore. *Vbi cumque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquila*. Dat exemplum de re inferiori ad inferiorem per speciem parabolæ: quod sicut aquilæ trans mare dicuntur sentire cadauera, & illuc se cōgregare: similiter in illa die omnes electos cum domino esse coadunandos, significas se casurum pro suis in mortem: quia cadauer à casu nomen accipit: seipsum corpus, siue cadauer volens intelligi. Aquilam sanctos suos, quorum inuentus renouabitur vt aquilæ: & qui assument pennas, vt aduolent ad dominum. *Statim autem post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum*. Vel in comparatione claritatis Dei videbuntur obscurari, vel veraciter obscurabuntur, sicut obscurata fuerunt tempore mortis eius. Nam necdum impletum est, quod Iohel dicit. Sol conuertetur in tenebras & luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus, & manifestus. Cum vero peractum fuerit iudicium, & fuerit cælum nouum & terra noua: erit quod Esaias loquitur. *Erit lux lunæ sicut lux solis: & lux solis erit sempiternitatem, sicut lux septem dierum*. *Et virtutes cælorum mouebuntur*. Quid nos miseri faciemus, si virtutes cælorum in illo tremendo die tremiscent? Virtutes cælorum, angelos, archangelos, & nouem ordines angelorum. *Et tunc apparebit signum filij hominis in celo*. Ipse videbitur & à iustis, & ab impijs: sic in apocalypsi Ioannes dicit. Videbit eum omnis oculus: & qui eum pupugerunt. Et sicut in actibus apostolorum legimus dictum quando ascendit. *Quemadmodum vidistis eum euntem, ita veniet*. Vel signum filij hominis, crucis vexillū possumus intelligere: vexillum victorię triumphantis. *Et tunc plangent se omnes tribus terræ*. Omnes tribus terræ

terræ, omnes gentes dicit. Plagentes autem dicet. Beatę steriles, quę nõ genuerūt, & vbera, quæ non lactauerūt. *Dicent montibus, cadite super nos: & collibus, operite nos*. *Et videbunt filium hominis venientem in nubibus cæli cum virtute multa & maiestate*. Cum virtute & maiestate visuri sunt, quem in humilitate positum audire noluerunt. Cū virtute & maiestate: quia omnes angeli & sancti cum illo. Ignis in conspectu eius: & in circuitu eius tempestas valida. Si solummodo figuram visionis eius populus Israel à monte Synai, qui auduit, timore perterritus sustinere nõ potuit, quid putamus tūc erit. *Et mittet angelos suos cum tuba, & vocet magna*. De hac tuba apostolus Paulus dicit. *Caner enim tuba, & mortui qui in Christo sunt, primi resurget*. *Et congregabunt electos eius à quatuor ventis*. A quatuor climatibus cæli, scilicet oriente, occidente, aquilone, & austro. Et ne putaret aliquis à quatuor plagis terræ: & non potius à cunctis finibus eius simul: & mediterraneis regionibus electos esse congregandos: subiunxit. *A summis cælorum vsque ad terminos eorū*. Quia nullus in die illa electus remanebit, qui nõ occurrat Domino. Veniet in aere ad iudicium siue viui inuētī, gustabūt tamen mortē: siue mortui resuscitādi. In momento: in istu oculi. Momentum est quadragesima pars horæ. Ictus oculi, cum clauditur & aperitur. Quicūque bestijs comesti sunt, vel in cæcis: nulla erit mora, neque differentia. Veniet autem & reprobi ad iudicium: siue viui inuētī, moriendi, & resuscitādi cum aliis mortuis. Interposita tamen differentia, quod iusti cum gaudio in domino: impij vt videat quam beatum amittent dominum: vt peractō iudicio dispereant cum diabolo: & decidat in infernum cum corporibus & animabus: sicut descendit Dathā & Abiton in infernum. *Ab arbore autem scilicet dissite parabolam*. *Cum iam ramus eius tener fuerit, & folia nata: scitis quoniam prope est æstas*. Quomodo inquit cum teneri fuerint erumpentes ramusculi, iam prope adest æstas: quia non potest erumpere, antequam sol appropinquet. *Ita & vos, cum videritis hæc fieri*. Id est hæc signa præcedere, quę prædixi: cognoscite appropinquasse & meum aduentum, & consummationem seculi, & futuri regni iocunditatem: quia talis erit comparatio ad delectationem delectationis huius seculi, qualis est æstas ad comparationem hyemis: quia tunc metris nostri nubila transibūt: & vitæ dies æterni solis claritate fulgebit. *Ita & vos cum videritis hæc fieri: scitote quia prope est inianis*. Sicut illi seculares sciūt cognoscere per erumpentes ramusculos arborum venientia desiderata temporaria, ita & vos scitote per prædicta signa prope esse desiderata vestra gaudia. Et in ianuis, in terminis nouissimis. Sicut enim ianua finis est domus: & qui extra ianuam exit apparet multis, sic & ego diesque iudicij in ianuis erit tūc: quia tunc exinde incipiam apparere multis. Potest etiam spiritualiter intelligi synagoga, cum ipsa per Enoch credere in Deum ceperit & Heliam, quasi folia, & fructus facere per bona opera: prope erit finis: quia cum plenitudo gentium introierit, tunc omnis Israel saluus erit. *Amen dico vobis, non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant*. Amen, si dici fas est: quasi iuramentum domini est. Et multum commendat vbiunquam hoc adiungit. Generationem hanc, & Iudæorum genus & omnium genus hominum possumus sentire. *Cælum & terra transibunt*. Cælum hoc

in loco aerium spatium appellat, vbi aues volant. Vnde & volucres cæli dicuntur. Tantum enim spatium ignis assumet & ad delendum, quātum aqua tenuit in diluio. Nam cælum in quo sidera sunt, in nouabitur in meliorem figuram: vt Ioannes dicit, *Erit cælum nouū, & terra noua*. De terra quoque tantum ardebit, quantum maculatum fuit ab humanis laboribus: reliqua mirabitur in meliorem figuram. *Verba autem mea non præteribunt*. Subaudiatur, vt nõ sint sicut dixi. Vel alio modo in hac terra nihil cælo & terra durabilius, acti diceret. Ante potest cælum, & terra transire: vt non sint, quam non fiat, quod dixi, quia veritas sum, & impossibile est veritatem posse mēiri: siue, *Cælum & terra transibunt*, id est, ab ea specie, quam nunc habent, in aliam.

## INCERTI AVTHORIS

*Sub nomine Eusebij Episcopi Emissemi superioris Euang. expositio.*

Videamus modò quid Daniel propheta de hac abominatione desolationis viderit, audierit, & dixerit. Scito (inquit angelus qui ei loquebatur) & animaduerte ab exitu sermonis, vt iterum ædificetur Ierusalem, vsque ad Christum duces hebdomades septem, & sexaginta duæ erunt, & rursus ædificabitur platea, & muri in angustia temporū: & post hebdomadas sexaginta duas occidet Christus, & non erit eius populus, qui negaturus est eum. Et ciuitas, & sanctuarium dissipabitur cum duce venturo, & finis eius vastitas, & post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum cum multis hebdomada vna. Et in dimidio hebdomadis deficiet hostia, & sacrificium, & in templo erit abominatio desolationis, & vsque ad consummationem, & finem perseuerabit desolatio. Videamus igitur quid ista significant, & rogemus Deum omnipotentem vt hæc sua mysteria tam occulta nobis reuelare dignetur. Temporibus Artaxerxis regis, Neemias pincerna eius erat, sicut ipse testatur. Qui quum ei ad mensam ministraret, dixit ei rex, Cur facies tua tristior solito esse videtur? At ille, Rex, inquit, in æternum viue, quia ciuitas patrum meorum destructa est. Cui ille, Vade, inquit, & reedificam eam. Et hoc est, quod dicitur: Scito (inquit Daniel) & animaduerte quia ab exitu illius sermonis qui Neemias à rege dicitur, & iterum ædificetur Ierusalem, vsque ad Christum duces hebdomades sexaginta, & duæ erunt. Si quis enim diligenter computare voluerit annos, menses, & dies regum, qui ab eo tempore fuerunt, inueniet sexaginta, & duas hebdomadas esse completas ab eo die quo hic sermo ad Neemiam factus est, vsque ad Christi passionem. Quinque autem plus hoc numero in chronica esse videntur, quod quidem scriptorum ignorantia factum esse puto. Illi enim facile in numero falli potuerunt, Daniel verò falli non potuit. Quod autem ait hebdomades septem, sic est intelligere, ac si diceret, ab exitu sermonis, quo præcipitur, vt iterum ædificetur Ierusalem, erunt hebdomades septem vsque ad integram murorum restaurationem. Quæ videlicet hebdomades septē vsque ad diem quinquagesimum perueniūt. Vnde & Neemias ipse ait, *Quia completus est murus vicequingenta die mensis*

Eius, quinquaginta duobus diebus. Hæ namque hebdomadæ dierum sunt. Illæ autem sexaginta duæ, quæ à Neemia vsque ad Christi passionem perueniunt, annorum hebdomadæ vocantur. Sic enim septem dies, ita & septem anni vnam hebdomadam faciunt. Complentur igitur sexaginta & duæ hebdomadæ in annis quadringentis octoginta tribus. Et tot quidem computantur à Neemia vsque ad Christum. Sic igitur se habet ordo. Scito (inquit Daniel) & animaduerte, quia ab initio sermonis, qui factus est Neemia, vt iterum ædificetur Ierusalem, erunt hebdomades dierum septem vsque ad muri completionem. Similiter autem ab initio eiusdem sermonis vsq; ad Christum ducem, erunt hebdomades annorum sexaginta duæ. Et quia in paucis diebus, id est, in quinquaginta duobus, muri ciuitatis ædificati sunt, ideo subinferens, ait, Et rursus ædificabitur plarea, & muri in angustia temporum. Sequitur: Et post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus, & non erit eius populus qui eum negaturus est. Miseri Iudæi, qui ista non intelligunt, qui quoniam Christum negauerunt, & non habemus regem nisi Cæsarem, dixerunt, non Dei, sed diaboli populus facti sunt. Videamus quod sequitur. Et ciuitas, & sanctuarium dissipabitur, cum duce venturo, & finis eius vastitas, & post finem belli statuta desolatio. Post quadraginta namque, & duos annos, & ciuitas, & templum dissipatum est. Dux autem eorum, qui venturus est, Antichristus intelligitur, qui quamuis multo post tempore veniat, tamen quasi de presenti loquitur, quia semper eum colunt, & venerantur. Finis autem ciuitatis vastitas erit, & post finem desolatio sempiterna. Confirmabit autem dux ille malignus patetum cum multis hebdomada vna, quia se omni tempore viuere, & regnare promittit. Quid est enim hebdomada vna, nisi diebus septem? quid est autem diebus septem, nisi diebus omnibus? Non enim sunt dies nisi septem. Si igitur esset cum eis hebdomada vna, esset vtique cum eis diebus omnibus. Sed non erit ita. Vnde hoc? In dimidio enim hebdomadis deficiet hostia, & sacrificium. Dimidium enim hebdomadis (si de annorum hebdomada intelligitur) tres annos facit & dimidium. Et tunc quidem eo petente deficiet hostia, & sacrificium. Sacrificium vtique Iudæorum, quod ipse prædicabit, quia ad veteris legis cetermonias, & consuetudines vniuersa transferre conabitur. Vnde & subditur: Et in templo erit abominatio desolationis. In templo quidem erit, quia quasi rex, & sacerdos in templo sedebit. De quo apostolus ait, Qui exaltabitur supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita vt in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus. Meritò autem abominatio vocatur, quia ab omnibus abominandus est, per quem tanta vbique gentium desolatio fiet. Quæ videlicet desolatio vsque ad eius consummationem, & vsque ad finem illius turpissimum, & indignissimum perseverabit. Cum autem videritis hanc abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele propheta, stantem in loco sancto, qui legit, intelligat. Quum (inquit) videritis abominationem desolationis, quum videritis abominandum, & desolandum Antichristum, qui multas in populo Dei abominationes, & desolationes faciet, in tantum eleuatum, & exaltatum, vt in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam

sit Deus, tunc qui hæc & alia legit, intelligat iam finem rebus adesse. Regnabit enim (vt in Daniele scriptum est) per tempus, & tempora, & dimidiū temporis, id est, per vnum, & duos, & dimidium annum, in quibus tanta persecutio fiet, vt omnis præterita persecutio, & si magna fuerit, oblivioni tradatur. Tunc qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes: & qui in tecto, non descendat tollere aliquid de domo sua: & qui in agro, non reuertatur tollere tunicam suam. Magni terroris hæc verba indicatiua videntur, in quibus omnium oblitis omnibus, sola fuga placere narratur. Allegoricè autem à Iudæa ad montes fugiunt, qui relicto Iudaismo, siue litera, in qua Iudæi condebant, ad spirituales intelligentiam, vel ad ecclesiam se transferunt. Qui vero in tecto sunt, & in fidei sublimitate siue etiam qui maiores sunt, & ecclesiis præfunt, nõ descendunt ad fugitiua bona, & ad vilem substantiam se inclinent, sed potius omnibus relictis, iam Christo appropinquanti obuiam pergant. At verò qui in agro sunt, & nouum euangelij semen in populo seminant, nec reuertantur, nec prioris tunicæ recordentur, sed cutrant, quia prope est, vt veteribus exuti, nouam immortalitatis tunicam induantur. *Va autem prægnantibus & nutriendis in illis diebus.* Prægnantes enim sunt illæ animæ, quæ per hypocrisis peccata sua abscondere volunt, sed tamen per superbiam inflationem abscondere nequeunt. Et intus igitur peccata latent, & foris quodammodo parent. Nutrientes autem sunt, quæ iam quidem mala opera pepererunt, & in eis persistentes ea facere non erubescunt. Atque vtinam adhuc prægnantes essent, aliisque peccandi occasionem suo exemplo non dedissent. Malum est, igitur peccata celare, sed peius est hoc modo peccatum reuelare. Alter enim sibi, alter & sibi, & aliis nocet. *Orate autem ne fiat fuga vestra hyeme, vel sabbatho, ne forte tunc fugere incipiatis, quando fugere non potestis.* Temporis enim asperitate fuga in hyeme impeditur. In sabbatho verò fugere non licet, quia lex fieri interdicit. *Erit enim tunc tribulatio magna qualis nõ fuit ab initio mundi vsq; modò, neque fiet.* Erit (inquit) tunc tribulatio magna. Quando? Vis audire quando? Cum abominatio desolationis stabit in loco sancto. *Et nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro: sed propter electos breuiabuntur dies illi.* Non enim breuiabuntur dies illi quantum ad Dei dispositionem, breuiabuntur tamen quantum ad spem, & votum iniquorum: quia non tantum regnabit Antichristus, quantum ipse seipsum, & sui eum regnare sperabant: Hoc autem fiet propter electos. Si enim tantum viueret, quantum ei infideles viuere sperabant, valde pauci saluari potuissent. Quid enim si semper viueret, faceret, qui in tribus annis tantas strages faciet? *Tunc, si quis vobis dixerit, ecce hic est Christus, aut illic, nolite credere.* His enim verbis non solum Antichristum, sed & multos alios tunc fore significat, quos propter varias simulationes miseri homines Christum esse putabunt. Vnde & subditur, *Surgent enim pseudochristi, & pseudo-propheta, & dabunt signa magna, & prodigia, ita vt in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi, ecce prædixi vobis.* Sed quare prædixi vobis? Vt cauti sitis, & non ab eis decipiaini. *Si ergo dixerint vobis. Ecce in deserto est, nolite exire: ecce in penetralibus, nolite credere.* Alij enim in deserto, vt Elias, & Ioannes Baptista: alij in Synagoga,

gogis, & in domibus, sicut Christus, prædicabant. Omnia enim simulabunt, quæ hos fecisse audient. *Sicut enim fulgur exit ab oriente, & pareret vsque in occidentem: ita erit & aduentus filij hominis.* Hoc est enim quod Psalmista ait, Deus manifeste veniet, Deus noster, & non flebit. Non vt prius veniet occultus, sed quasi sol in sua maiestate præfulgens vbique apparebit, vbique lucebit, cunctis etiam nolentibus reuelabitur. *Vbiqueque fuerit corpus, illuc congregabuntur aquilæ.* Aquilæ enim sanctorum animæ sunt, quæ altius volant, & clarius vident. Hæc autem tunc ad corpora propria venientes, vbiqueque, & quomodo cumque dispersa sint, ea iterum induentur, vt totus integer & immortalis homo resurgat. Potest autem & sic intelligi, vt vbiqueque Christi corpus fuerit, illuc & animæ conueniant, paratæ eius obedire præceptis. *Statim autem post tribulationem dierum illorum, sol obscurabitur, &c.* Quia enim tunc sol iustitiæ Christus Deus noster omni luce splendidior de cælo descendet, sol iste quem videmus obscurabitur, & hæc luna non dabit lumen suum, obscurate immenso splendore maioris lucis. Sicut enim luna & stellæ solis huius splendore pallentur: ita illius inenarrabili fulgore ipse sol in tenebras conuertetur. Quod autem stellæ cadere dicit, vel sanctorum animas ad corpora descendere, vel ipsas iuxta literam quasi decedentes, & obeuntes, lumen solitum amittere significat. Cadent præterea stellæ, quia sancti (qui per stellæ significantur) ab iniquis occidetur. Luna verò nõ dabit lumen suum, quia sancta ecclesia solitum splendorem in signis, & virtutibus non ostendet. Sol autem obscurabitur, quia heretici, qui tunc erunt, solem iustitiæ Christum dominum eiusque fidem damnare & reprehendere non timebunt. Virtutes autem cælorum commouebuntur: quia omnes illi angelorum exercitus Christum dominum nostrum ad iudicium sequentur. *Et tunc apparebit signum filij hominis in cælo.* Per quod vel eius crucem, vel aliquod victoriæ signum intelligere possumus. *Et tunc plangent omnes tribus terræ.* Vnde & in Zacharia propheta scriptum est, Et plangent eum planctu quasi super vnigenitum, & dolentur super eum vt dolere solent in morte primogeniti, in die illa magnus erit planctus in Hierusalem, sicut planctus ad Remon in campo Maieidon, & plangent terræ familiæ, & familiæ scorsum. Quomodo enim super eum non plangent, quum cum in tanta gloria videbunt, quem cum tanto opprobrio crucifixerunt? Sequitur: *Et mittet angelos suos cum tuba & voce magna, & congregabunt electos eius à quatuor ventis, à summis cælorum vsque ad terminos eorum.* Angelorum enim ministerio ex omnibus mundi partibus sancti Dei colligentur, & resurgent, à summis cælorum animabus descendentes, & vsque ad eorum terminos venientibus. Sed quoniam cæli sancti vocatur, possumus per summos cælorum, patriarchas, & prophetas, & apostolos: per eorum verò terminos, quoscumque alios fideles intelligere. Colligentur igitur electi Dei à summis cælorum vsque ad terminos eorum, quoniam & maiores, & minores, & primi, & nouissimi, omnes simul in vnū conuenient. Quod enim ait, cum tuba, ipse exposuit, dicens, *Et voce magna.* Magna enim vox erit quæ mortuos suscitabit, & mundum vniuersum replebit. *Ab arbore autem ficis discite parabolam, quum*

*iam ramus eius tener fuerit, & folia nata, scitis quia prope est æstas: ita & vos quum videritis hæc omnia, scitote quia prope est in ianua.* Sicut enim ficus nouis ramis & foliis orientibus ætatem proximam adesse annuntiat: ita & hæc omnia tam magna tamque iniustata Christi aduentum manifestissimè annuntiabunt. *Amen dico vobis quia non preteribit generatio hæc donec omnia stant.* Hoc enim de Scribarum, & pharisæorum generatione intelligitur, super quam omnem sanguinem iustum venire superius dixerat. Non prius illa generatio præteribit, non prius deficiet, nec tota à sua iniquitate cessabit, quàm ista omnia compleantur. *Cælum & terra transibunt, verba autem mea non preteribunt.* Quod enim veritas dicit, immutabile est, & præterire non potest, alioquin veritas non esset. Cælum igitur & terra transibunt, quia secundum hoc quod modo sunt in melius commutabuntur: sed verba veritatis à statu suo mutari non poterunt.

### THEOPHYLACTI EPI- scopi Bulg. superioris Euang. expositio.

**Q**uoniam ergo videritis abominationem desolationis, &c. Abominationem desolationis dicit statuum eius, qui ciuitati imperauit, quam erexit in adytis templi. Desolationis autem dicitur, eo quod expugnata esset ciuitas. Abominatio vero, eo quod statua, & imagines hominum. Hebræi abominationes vocabant, odio idololatriæ. *Tunc ij, qui in Iudæa sunt, fugiant in montes, &c.* Insinuans summa pericula, quæ euadi nõ possunt, inquit, quod oporteat fugere, non respiciendo, neque curando quid in domo sit, vel vestes, vel alia vasa. Quidam autem abominationem desolationis Antichristum existimant, eo quod vastaturus mundum, & subuersurus sit ecclesias, ac seffurus in templo. Et hæc sic, quod qui in tecto est, id est excelsis virtutibus præditus, non descendat à summis virtutibus vt tollat ea, quæ sunt corporis. Domus enim animæ, corpus. Oportet autem & ab agro secedere, hoc est terrenis, & neque vestem tollere malitiæ, quæ verus est vestis, quam exuimus. *Va autem prægnantibus, & lactantibus in illis diebus.* Prægnantes quidem non poterunt fugere, onere ventris grauatæ: lactantes autem propter compassionem erga pueros. Illos enim relinquere nequeat, neque secum portare, & simul saluare possunt. Fortassis Christus insinuat, quod & comederint pueros. Dicit enim Iosephus, quod, quum esset fames propter obsidionem, mulier coxerit filium suum, & comederit. *Orate autem, ne fuga vestra fiat hyeme, neque sabbatho.* In persona apostolorum ad Iudæos hæc dicit. Apostoli enim prius egressi erant ex Hierusalem. Iudæis igitur dicit, vt precentur, ne in hyeme fiat fuga sua, eo quod incommodum sit illis temporibus fugere, neque in sabbatho: tunc enim iuxta legem ociosi sunt, & fugere non audent. Tu autem & sic intelligi, quod oporteat precari, ne fiat fuga nostra ex hac vita, hoc est mors, in sabbatho, ociosis nobis à bonis operibus, neque hyeme, in sterilitate bonorum: sed in serenitate animæ, quæ non turbetur. *Erit enim tunc afflictio magna, qualis non fuit ab initio mundi, &c.* Afflictio intolerabilis tunc erit. Iusserunt enim Romanorum milites, ne cui parteretur. Bibl. Hom. tom. 3. Ppp 2 ceterur:

eretur: sed Deus propter credituros ex illis, & eos, qui iam crediderant, non permisit simul omnes occidi. Decurrauit autem afflictiones, & bella; nam, si bellum crudelius fuisset, omnes, qui intus erant, fame periissent. Quidam autem de Antichristi diebus hæc intelligunt: sed non sunt intelligenda hæc de Antichristo, sed captiuitate vrbis Hierusalem, quæ ad antichristum pertinent, hoc loco incipiunt. *Tunc, si quis vobis dixerit, Ecce hic Christus, aut illic, &c.* Quoniam discipuli duas questiones introduxerant, vnam de captiuitate Hierusalem, & alteram de aduentu Domini: postquam de captiuitate dixit, inde & de suo aduentu dicere incipit, ac consummatione seculi. Quum autem dicit, *Tunc, non hoc sibi vult, quod statim post captam Hierusalem si quis vobis dicat, &c.* sed tempus illud declarat, quo futurus est, vt id, quod dicitur, hunc sensum habeat. *Tunc, id est quo tempore venturus est Antichristus, erunt pseudochristi, & pseudoprophetae multi, & in apparitione demonum, qui dispergunt videntium oculos, vt quosdam decipiant: atque adeo, nisi valde sobrii sint, & iusti seducantur. Sed ecce prædixi, vobis.* Non habetis exultationem, potestis enim non decipi. *Si ergo dixerint vobis, ecce in deserto est, nolite exire, &c.* Si venerint, inquit, impostores dicentes, Christus venit, sed in solitudine est occultus, vel in domo quadam, vel in promptuariis, & interioribus locis eius, ne decipiamini. Aduentus enim Christi non opus habebit quopiam, qui illum demonstret, sed manifestus erit omnibus sicut & fulgur. Nam sicut illud repentinum est, & omnibus clarum, ita & ipse omnibus in mundo manifestus erit. Non enim sicut in primo aduentu de loco in locum transfuit: ita & in secundo, sed in momento oculi aderit. Et sicut apud mortuum cadaver congregantur statim aquilæ, quæ vultures sunt, sic & omnes sancti venient eo, vbi Christus fuerit. Hi enim in summa volant, & in nubes rapiuntur, sicut aquilæ. Cadaver autem dicitur Christus, quia pro nobis cecidit, & mortuus est, sicut & Simeon dicit, *Hic erit in caelum, & resurrectionem multorum. Statim autem post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur, &c.* Post aduentum Antichristi, qui breui soluetur: hoc enim declarauit per hoc quod dicit, *statim sol obtenebrabitur, hoc est obscurabitur, non disparens, sed superatus lumine aduentus Christi, quum non erit nox, sed apparebit sol iustitiæ. Quin & virtutes colorum commonebuntur, hoc est, oblituscēt, & horrescēt, videntes creaturam immutari, & oēs ab Adam vsque ad illud tempus homines rationem duros. Et tunc apparebit signum filij hominis in caelo, &c.* Crux tunc apparebit in caelo supra solem fulgēs, ad arguendos Iudæos. Veniet enim Christus contra Iudæos habens crucem, vt magnam iustificandi materiam, & testimonium: veluti si quis lapide percussus, ostendat lapidem. Signum autem dicitur crucem, tanquam trophæum, & insigne regium. Tunc igitur plangent omnes tribus terræ Iudaica, lugentes, suorum inobedientiam, & incredulitatem, & omnes qui terrena sapiūt, etiam si Christiani sint. Tribus enim terræ dicuntur ij, qui terrena sapiunt. Quamuis autem cum cruce veniat dominus, veniet tamen cum gloria, & virtute. *Et emittet angelos suos cum tuba voce magna, &c.* Emittere angelos suos cum tuba vocis magnæ, vt congregent sanctos, & eos, qui ex mortuis resur-

Luc. 2.

1. Cor. 15.

Crucis insigne est trophæum Christi.

rexerunt, ita vt occurrant illi in nubibus. Venerunt igitur eos etiam per angelorum vocationem. Quamuis autem Paulus dicat per nubes rapi, non est his aduersum. Collectos enim per angelos, rapiunt nubes. Tuba autem dicitur ad maiorem terrorem. *A fco autem discite parabolam, &c.* Quando, inquit, omnia hæc sunt, non procul erit inter meum aduentum, & mundi consummationem. Et statem autem dicit futurum seculum, & serenitatem, quæ erit iustis. Impiis enim peccatoribus hyems, & turbatio maior erit, Dicit igitur, Sicut videntes ramos, & folia ficus, æstatem speramus: ita & signa illa videntes, vt dixi, solem, & lunam immutari, meum expectate aduentum. *Amen dico vobis, non præteribit hæc generatio, donec omnia illa fiant.* Generationem hoc loco dicit non eam, quæ tunc erat, sed fidelium: quasi hoc dicens, Nō præteribit generatio fidelium, donec omnia hæc fiat. Non enim, quia auditis famem, & pestilentiam, credatis quod generatio fidelium his malis intereat, sed permanebit, & nihil illi præualebit. Sunt qui hæc omnia de sola captiuitate Hierusalem intellexerunt, & non de secundo aduentu: vnde & sic interpretantur: *Non præteribit generatio hæc, hoc est, vestra Apostolorum generatio videbit Hierosolymorum calamitates.* Confirmans autem dicit, inquit, Facilius est transire cælum, & terram aboleri, ac illa firma, & immobilia, quæ vt quoddam ex meis dictis mendax sit.

EVTHYMI ZIGABONI superioris Euang. expositio.

Quum ergo videritis abominationem desolationis, &c. Abominationem dicit Titi statuum, quam, capta ciuitate, statuit in adytis templi. Siquidem abominationes appellabat lex huiusmodi imagines. Desolationis verò dixit, quia illa, deserto templo, ac ciuitate, erecta est: aut quia eius erat imago, qui hæc deserta fecit. Quod autem ait, *Quum videritis, videtur quidem dictum esse ad Apostolos, sed tamen fertur ad Iudæos, vt sciatis, quod non longe post, sed eis adhuc viuētibus, ab omni natione stabit.* Plures siquidem Apostolorum ante id tempus mortui sunt: ceteri verò, qui remanserāt, in alijs tunc orbis partibus versabantur, Misit autem eos ad Danielelem, qui de huiusmodi abominatione, & strage prophetauerat. Tunc, inquit, qui legit Danielis librum, intelligat, ac considere erectam abominationem: Lucas vero aliud dicit signum; Quum videritis circundari ab exercitibus Hierusalem, tunc scitote, quod imminet desolatio eius. Apparet ergo, quod vtrumque dixerit Christus. *Tunc qui in Iudæa sunt fugiant ad montes.* Postquam de malis dixit, quæ comprehensa erāt Hierosolyma: de multis præterea, ac varijs Apostolorum tentationibus: insuper & de prospero prædicationis successu, quod absque villo impedimento vniuersum percurreret orbem: loquitur iterum de Iudæorum calamitatibus, ostēdens quod, postquam ipse, & discipuli sui vbique in opinione celebri habiti fuerint, tunc hi vndique perdentur. Per ea vero, quæ parua videntur, demonstrat plagarū illarū intolerabilitatem. Considera enim, *Tunc, inquit, qui in Iudæa sunt, vbi Hierosolyma sita sunt, fugiant ad montes:* nullam salutis spem in remanēdo habētes, neque enim erit omnino renouatio

Omnibus de bib. libris. Ioseph. de bel. Iud. lib. 7. cap. 7. &c.

catio, aut maius mutatio: ideo id amplectendum erit, vt nudo etiam corpore, nec versa retrosum facie fugiant. *Qui in testro non descendat vt tollat quicquam de domo sua.* Propter incuitabile periculum, ne incidat in perditionem. *Et qui in agro, non reuertatur, vt tollat vestimenta sua.* Si enim qui in ciuitate sunt, fugiunt eam, quæ intus est, stragem, multo magis, qui in agris. Apud Lucam vero dicit etiam causam vehementer plagarum: quia dies vltionis hi sunt: vt compleantur omnia, quæ scripta sunt, in libris videlicet Danielis, & aliorum prophetarum de huiusmodi expugnatione. Dies autem vltionis cædis dominicæ erunt. Sed hæc quidem iuxta historiam. Iuxta anagogen vero, qui in Iudæa sunt, hoc est in diuino cultu: nam id significat Iudææ nomen: *fugiant ad montes, id est ad excelsum Dei auxilium:* aut ad excelsa virtutum. *Qui vero in testro, siue, qui conuersatione eleuatus, & excelsum per vitam effectus fuerit, non descendat, vt tollat mundi affectus, quos reliquerat.* *Et qui in agro siue in solitaria vita: non reuertatur vt tollat vestimenta sua, quæ sunt operimenta peccatorum, ab eo iam dudum relicta. Vt autem prægnantibus, & lactantibus in illis diebus.* illis quidem propter onus interioris, his vero propter exterioris: ille enim pondere embriionum grauatus, hæc autem onere lactentium. Siquidem facile est pro salute pecunias, & vestimenta cōtemere: fieri autem leuem, & fugam expeditam eam, quæ in vtero habet, aut abjicere infantem eam, quæ lactat, prorsus impossibile est propter naturæ vinculum. Vt ergo illis, quia facile comprehenduntur: & similiter embriionibus, ac lactentibus, vt qui simul peribunt. Iuxta anagogen vero prægnantes dicimus animas, quæ virtutem nondum pepererunt: lactantes autem, quæ pepererunt quidem, verum puerilis est factus & admodum pusillanimitas. *Orate autem, ne fiat fuga vestra hyeme, aut sabbato.* Manifestum & hinc, quod, quanquam ad Apostolos protendebant huiusmodi sermones, attamen vel isti ad Iudæos respiciebant: neque enim amplius observabant Apostoli sabbatum, quando capta sunt Hierosolyma. Quare autem non hyeme, neque sabbato? Hyeme quidem propter temporis difficultatem: sabbato vero propter legem, quæ non permittebat sabbato iter facere ultra statutos lege passus. Anagogice autem fugam intelligimus exitum animæ à corpore: hyemem vero commotionem, ac turbationem cogitationum: sabbatum autem ocium à virtute. Iubet itaque sermo, vt oremus, ne fiat exitus animæ nostræ in commotione, aut turbatione cogitationum, neque in ocio à virtutibus, sed in tranquillitate cogitationum, & operatione virtutum. *Erit enim tunc afflictio magna, &c.* Si quis in Iosephi scripta incidat, certior omnino de his efficietur. Siquidem, quum etiam Iudæus esset, affirmat de huiusmodi Dei ira, quod omnem excellerit calamitatem, omnemque supergressa sit tragædiam. Nam præter tremendam illam obsidionem, tanta erat fames, vt ipsi quoque matribus pugna fuerit pro esu filiorum. Ob quam ergo causam, miserabiliorum, ac horribiliorum passi sunt afflictionem omnibus, quæ fuerunt à seculo? Quia magis execrandum, ac horribilius perpetrarunt flagitium omnibus, quæ fuerunt à seculo. Dei filium occidentes. Lucas autem planius dicit: *Erit enim afflictio magna super terram, & ira in populo hoc:* cadent-

que acie gladij, & captiui ducentur in omnes gentes: & Hierusalem calcabitur à gentibus, donec impleantur tempora gentium. Itam quidem Dei dicens: tempora vero gentium ea, quæ durabunt vsque ad consummationem eorum, totiusque mundi. *Et nisi breuiter fuissent dies illi, non fuisset salua omnis caro: propter electos autem breuiabuntur dies illi.* Dies autem belli, & obsidionis, dicens, quod nisi diminuti fuissent dies illi dispensatione diuina, nequaquam salua fuisset, nequaquam mortem euitallet omnis caro, id est, nulla remaneret caro, Iudaica videlicet: Omnes enim mortui fuissent homines, & qui intus, & qui extra erant: quidam fame, quidam vero peste, aut gladio, omnibusque mortis generibus. Aduersus omnes siquidem Iudæos Romani furor accensus erant, etiam aduersus eos, qui vbique terrarum dispersi ferebantur. Electos autem vocat fideles, qui ex Iudæis erāt, propter quos citius quærit bellum, ne perirent vna cum infidelibus, sed potius incrudeli aliqui per hos seruarentur: ne posset, qui ipsi dicere, quod propter eos, qui crediderāt, hæc à Deo immissa vltio superuenisset: sed qui relictī erant, videntes omnes, qui inter ipsos crediderant permansisse, intelligerent causam, ac certiores redderentur, quod non solum non perierant propter illos, qui mortui erant, sed potius & ipsi propter eos seruati erant. Quod autem non omnis caro, pro Nulla caro sumatur, manifestum est quodque à dicto Dauidico quo dicitur. Non domine- tur mei omnis iniustitia, id est, nulla. Nam & hoc, idioma est veteris scripturæ. Tu vero considera mihi diuini spiritus dispensationem, quomodo Ioannes, qui in viuīs adhuc erat, dum hæc facta sunt, & multo adhuc tempore post expugnationem vixit, nihil horum scripsit, ne quasi olim prædicta scribere videretur, quæ iam facta erant. Qui vero, priusquam hæc fierent, mortui sunt, manifeste omnia scriperunt, vt suspicione carere videretur Christi de his vaticinium. Postquam ergo hæc ad plenum prædixit, quæ de captiuitate Hierosolymorum futura erant, trāsit etiam ad reliquam quæstionem, puta de secundo aduentu suo, & huius signa prædicit, quæ Christianis futura sunt vtilia.

Decurrauit autem Deus afflictiones, & omnino bellum: si enim bellum amplius durasset, omnes, qui intus erant, penitus fame periissent. *Tunc, si quis vobis dixerit: Ecce hic est Christus, &c.* Dicitio *101. tunc, interdum non significat consequentiam prædictorum, sed initium tantum eorū, quæ dicenda sunt:* sicut etiā, In diebus illis: Et ita hoc in loco dictio *Tunc* ordinem temporis non significat, sed quando fi- ent, quæ dicenda sunt. Similiter & hæc ad Apostolos dici videntur: ad eos tamen dirigitur Christianos, qui tunc futuri erant. *Surgent, enim pseudochristi & pseudoprophetae.* Surgent, hoc est, venient. Sunt autem pseudochristi, qui se Christum esse fingunt: pseudoprophetae vero, qui se fingunt esse prophetas. *Et edēt signa magna, & prodigia, &c.* Et iā ante expugnationem Hierosolymorum dixit futuros esse pseudochristos, & pseudopphetas. Multi enim, inquit, venient in nomine meo dicētes: Ego sum Christus. Et rursus: Et multi pseudopphetæ surgent. Sed qui ante secundū suum aduentum venient, hi longe grauiores erunt illis, qui fuerunt ante captiuitatem Hierosolymorum. Nam hi signa quoque magna, ac prodigia fa- Bibl. Hom. tom. 3. Ppp 3 cient,



cient : pseudochristi quidem miracula edentes : pseudo prophetæ vero quadam futura prædicentes . Ita ut in errorem inducantur si fieri potest , etiam electi . Si fieri potest eis dicitur . Inter pseudochristos autem vnus est Antichristus , postremus eorum venturus , cuius prophetæ qui dicuntur , hi sunt pseudoprophetæ : de quo etiam Paulus scripsit . Postquam enim vocauit eum hominem peccati , filiumque perditionis , addidit , Cuius est aduentus secundum operationem Satanæ , in omni virtute , & signis , ac prodigiis falsis . Hi ergo signum sunt secundi aduentus . Ecce prædixi vobis . Testatur , quod manifeste prædicædo munierit . Apud Marcum vero ait ; Vos autem videte : Ecce prædixi vobis omnia , quæ videlicet contingent , de seductoribus . Per Apostolos vero hæc etiam dicit ad posteros , vt prius significatum est . Obserua enim quod etiam ad Apostolos prædixerit ea , quæ de Hierosolymorum captiuitate dicta sunt , quæque de secundo suo aduentu , tanquam ad præceptores noui populi : sciens quod etiam hæc docturi essent ac scripturi : & ad demonstrationem eorum , quæ prophetauit de captiuitate , & ad munitionem fidelium , qui futuri sunt ante secundum eius aduentum . Si ergo dixerint vobis ; Ecce in deserto est , &c . Qui tunc hæc dicent , prænuncij erunt , ac ministri Antichristi . Penetralia autem nunc intelligit loca in domibus magis recondita . Sicut enim fulgur exit à partibus Orientis , &c . Sicut , inquit , fulgur egreditur , & omnibus in conspicuo est , nullo egens præcone , aut prænunciante : sed excessiuo suo splendore minimo temporis momento , vniuerso apparet orbis : ita quoque erit aduentus ille , propter magnitudinem sui splendoris , omnibus simul apparens , & factus hominibus ipse sui nuncijs . Neque enim quemadmodum primus aduentus in paupertate , & nominis obscuritate factus est , ita erit & secundus , sed è diuerso hic cum potestate , & gloria magna fiet , stipante omni cælesti exercitu : ideo nullus hunc ignorare tunc poterit . Vbiunque enim fuerit cadauer : ibi congregabitur & aquila . Hoc dicit propter satellitium , quo tunc circundabitur . Et stipantes quidem assimilauit aquilis , tanquam alatos , ac regios : seipsum vero cadaueri , tanquam cengregantem huiusmodi aquilas , & quasi cibum spiritualem eorum , vitamque sempiternam . Lucas autem pro cadauere posuit corpus , hoc est pro σώμα , σώμα . Statim autem post afflictionem dierum illorum , &c . De his dixit & Lucas ; Et erunt signa in sole , & luna , & stellis . Vide autem quomodo dixerit , Statim , demonstrans quod simul fere omnia , & quæ dicta sunt , & hæc , & quæ dicentur , fient . Breniabit siquidem & hanc tentationem Deus propter electos suos . Afflictionem autem dicit eam , quæ ab Antichristo mouebitur , eiusque seductoribus : & pios affliget . Sol vero obscurabitur : non è medio sublatus , sed Christi venientis luce superatus : luna autem non dabit splendorem suum : & stellæ cadent , tãquam nulli amplius vsui futuræ : nulla enim tunc erit nox . Lucas vero scripsit ; Et super terram anxietas gentium , per defluxum & resonante mari , ac fluctu : arefcentibus hominibus præ timore , & expectatione , quæ superuenient orbi terrarum . Anxietatem gentium , appellauit turbationem : Defluxum autem , tranquillitatem ventorum . Nam absque ventis resonabit præter naturam mare , ac fluctus eius . Arefcen-

tiam vero dicit mortem ,  
 † Quoniam omnia , quæ hæcenus viderim exemplaria habent à noxijs , apud Lucam , hoc est , desperatione , aut consilij inopia : & sic iungi videatur precedentibus ; autor hic legisse videtur à noxijs , hoc est , defluxu , & iungit sequentibus .  
 Et virtutes calororum commouebuntur . Et cælestes exercitus horrebunt videntes huiusmodi creaturæ mutationem : Deum in terram descendentem , homines autem vniuersos qui ab initio fuerunt , à mortuis suscitari , vt rationem reddant cū eorum , quæ in vita operati sunt . Et tunc apparebit signum filij hominis in cælo . Signum eius dicit crucem , quæ tunc longe clarius sole fulgebit : nam ille obscurabitur , hæc autem apparebit . Ob quam autem causam apparebit ? Vt exterreat præcipue quidem Iudæos , deinde etiam gentes , qui Christo improperabant crucem , & vt sciant , quod hic ipse tanquam Deus descendit . Et tunc plangent omnes tribus terræ . Tunc lugebit omne genus , infideliam videlicet . Hi quidem , quod Deum crucifixum , illi autem , quod Christianos punierint : rursus isti , quod non crediderint . Neque enim alia est eis opus accusatione præter crucem . Tunc autem planctus erit eis inutilis . Et videbunt filium hominis venientem in nubibus cæli , &c . Præcedet quidem eum crux , tanquam iustificatio aduersus illos , qui eum crucifixum erant . Descendet autem in nubibus sicut assumptus est . Et mittet angelos suos cum voce magna tubæ , &c . Priusquã appareat crux mittet illos : neque enim vsus est ordine narrationis , sed simpliciter dicit , quod futurum est . Per quatuor autè vêtos , quatuor orbis extremitates significauit , Orientem , Occidentem , Septentrionem , & Meridiem : ab vnaqueque enim extremitate proprius spirat vêtus : & hi quatuor dicuntur proprie venti . Per extrema vero , etiam media significauit . Quod autè dicit , A summis calororum vsque ad terminos eorum , declaratiuū est eius , quod dixit ; A quatuor ventis : significans idem importare terminos , Ventos , & Extrema . Apud Marcum vero ait ; Ab extremo terræ , vsque ad extremum cæli : docens eadem esse extrema terræ & cæli . Et nota , quod tuba mortuos excitabit : excitatos autem congregabunt angeli : congregatos vero rapiunt nubes , sicut dixit Paulus , in occursum domini in aera . Quod autem etiam peccatores congregabunt angeli , docuit Christus interpretatus parabolam : Dixit enim , Mittet filius hominis angelos suos , & colligent de regno eius omnia offendicula , & eos , qui operantur iniquitatem . A sic autem discite parabolam . Parabolam vocat exemplum , quod dicturus est , ad demonstrandum , quod non sit magnum discrimen inter hoc signum significatiuum secundi aduentus & ipsum aduentum . Quoniam iam ramus eius tener fuerit , &c . Apud Lucam autem manifestius dixit , His autem fieri incipientibus , puta , quæ de pseudochristis , & pseudo prophetis dixi : suspicite , & leuate capita vestra , quoniam appropinquat redemptio vestra . Deinde ait ; Et dixit illis similitudinem . Videte ficulneam , & omnes arbores , quoniam protrudunt iam gemmas , cernentes ex vobis ipsi scitis , quod iam prope sit æstas : sic & vos , quoniam videritis hæc fieri , scitote quod instet regnum Dei . Quoniam videritis , inquit , hæc fieri , quæ videlicet dicta sunt de manifestatis seductoribus , scitote quod prope sit secundus Christi aduentus : Hunc enim dicit nunc regnum Dei , ac redemptionem iusto

ustorum : regnum quidem , quia tanquam rex appropinquat , redemptionem vero eorum , quia seruat eos . Sumpsit autem à sic exemplum : ostendens , quod , sicut quando hæc protraherit iam gemmas : siue quom enata fuerint folia , necesse est , vt instet tempus æstatis : ita etiã , quãdo signum secundi aduentus factum fuerit , necesse est ipsum in proximo esse . Solum siquidem naturalia sumere exempla ad ea , quæ vere ventura sunt . Amen dico vobis ; nequaquam præteribit generatio hæc , &c . Omnia ista , quæ videlicet prædixit de captiuitate Hierosolymorum , & de iis , quæ circa secundum suum aduentum erunt vsque ad ipsam . Quomodo ergo dixit , Generatio hæc ? Generationem vocauit religionem ipsorum , qui crediderant . Ne enim suspicarentur Apostoli , quod prædicta pericula

penitus delerent prædicationem , ac fideles : certiores eos facit , quod non sit delenda religio fidelium vsque ad secundum aduentum , sed vsque ad consummationem seculi permansura , nec vlllo periculo intercedenda . De hoc autem etiam prius diuersimode eis prædixit , & confirmauit : sed , quia tunc facile à corde excidebant , amplius adhuc facit certiores . Cælum , & terra præteribunt , verba autem mea non præteribunt . Fide digna astruens esse ea , quæ dixit , ait : Hæc adeo compacta , & immobilia potius demolientur , quàm excidant sermones mei , quos de iis , quæ interrogastis , respondi . Alibi quoque hoc confirmationis modo vsus est dicens ; Facilius est cælum , & terram præterire , quàm à lege vnum iota excide re .

IN ANNIVERSARIO DEDICATIONIS ECCLESIAE.

L V C . 19 .

**I**N illo tempore : Et ingressus Iesus perambulabat Iericho . Et ecce vir nomine Zachæus , & hic princeps erat publicanorum , & ipse diues . Et quærebat videre Iesum , quis esset , & non poterat præ turba : quia statura <sup>a</sup> pusillus erat . Et præcurrens ascendit in arborem ficomorum vt videret eum : quia inde erat transiturus .

Et cum venisset ad locum , suspiciens Iesus vidit illum , & dixit ad eum : <sup>b</sup> Zachæe , festinans descende , quia hodie in domo tua oportet me manere . Et festinans descendit , & excepit illum gaudens . Et cum viderent omnes murmabant , dicentes , quia ad hominem peccatorem diuertisset . Stans autem Zachæus , dixit ad Iesum : Ecce dimidium bonorum meorum domine , do pauperibus , & si quid aliquem defraudauit , reddo quadruplum . Ait Iesus ad eum : Quia hodie <sup>c</sup> salus domui huic facta est , eò quod & ipse filius sit Abraham . <sup>d</sup> Venit enim filius hominis quærere & saluum facere quod perierat .

GLOSSA ORDINARIA in superius Euang. elium .

**I**ngressus . Ecce camelus deposita sarcina Gibbi per foramen acus transit , dum contempto censu fraudium , angustam portam quæ ducit ad vitam salutarem , quod natura minus habebat , ascensu arboris supplet : iuste quod rogare non audebat , dominicæ susceptionis benedictionem accipit quam desiderabat . Mysticè Zachæus qui interpretatur iustificatus , significat credentes ex gentibus qui per occupationem temporalium depressi erant , & minimi , sed à domino sanctificati . Qui intrantem Iericho salutarem videre voluit , dum fidei quam in mundo attulit participare quæruunt . Sed turba , id est , vitiorum consuetudo , quæ cæcum clamantem increpabat , etiam hunc suspicientem tardat . Sed sicut amplius clamando cæcus turbam vicit , ita pusillus terrona relinquendo , arborem crucis ascendendo , turbam oblitantem transcendit , clamans cum Apostolo : Mihi absit gloriari , nisi in cruce , &c . Et ipse dicit . Quis de se desperet , cum venit iste ad Deum cui census ex fraude ? Per hunc apparet , quia non omnis diues auarus . Præ turba . Quæ turba , nisi imperitæ consuetudo .

CATENA AVREA

in idem Euang.

fusio multitudinis, quæ verticem sapientiæ videre nequit? Zachæus ergo non in turba, sed plebem transgressus, Messiam quem desiderat aspicit. *Sycomoro.* Sycomorus arbor est, moro foliis similis, sed altitudine præstans, & interpretatur ficus fatua, id est, Crux. Quæ credentes vt ficus pascit, ab infidelibus irridetur vt fatua. Quam pusillus ascendit, dum quilibet humilis & propriæ infirmitatis conscius, in virtute crucis gloriatur: & per hanc laudabilem fatuitatem transeuntem prope dominum cernit, quia si nõdum ita solidè vt est iam, tamen raptim, & quia si in transitu luci sapientiæ cælestis intendit. *Quia inde erat.* Isido. Illa parte vbi Sycomorus, vel vbi crediturus: vt & mysterium seruaret, & gratiam seminaret. Sic enim venerat, vt per Iudæos transiret ad Gentes. Vidit itaque Zachæum sursum. Iam enim sublimitate fidei inter fructus nouorum operum, velut in fecunda altitudine operis eminebat. *Et cum venisset.* Per præmissos præcones verbi sui, in quibus erat Iesus & loquebatur, venit ad populū nationū, qui passionis eius fide iam sublimis, etiā diuinitatem eius agnoscere ardet, suspiciens videt quia per fidem à terrenis eleuati eligent se, & amar amātem se. *Descendit.* Quod descendere de Sycomoro, & sic in domo parare mansionem iubetur: hoc est quod Apostolus ait: *Et si cognouimus secundum carnem Christum, sed iam non nouimus.* Si enim mortuus est ex infirmitate, sed iam viuit ex virtute Dei. *Manere.* Manere aliquando dominus in domo principis Pharisæorum, id est, in Iudæorum synagoga docebat. Sed quia sabbato curantem, peccatores recipientem, cõtra auaros disputantem, & cætera digna Deo gerentem lingua venenata carpebant: perosus facinora eorum discessit dicens. *Relinquetur vobis do. ve. de.* Hodie tamen in domo pusilli Zachæi oportet illum manere, id est, nouæ lucis gratia coruscante, in humili credentium nationum corde quiescere. *Mur.* Manifestum est Iudæos semper gentium odisse, vel non intellexisse salutem. Vnde & aduersus Petrum dicitur: *Quare introisti ad gentes præputium habentes?* *Stans aut.* Aliis calumniantibus hominem peccatorem, ipse & Zachæus stans, id est, in ea quam carperat fidei veritate persistens, non solum se ex peccatore conuersum, sed etiam inter innocentes probat conuersum: cum etiam ante conuersionem innocenter vixit: & qui ante conuersionem dimidium, post conuersionem potest dare & totum. *Si quid aliquem defraudauit.* Primum est secundum legem reddere, deinde quod remanet pauperibus erogare. Hunc fructum vitæ, publicanus de Sycomoro per sapientem stultitiam legit quod rapta reddit, propinqua relinquit, visibilia contemnit, eius quem nondum videt sequi vestigia concupiscit. *Filius.* Non carne, sed fide: quia sicut Abraham iussu Dei patriam ob spem futuræ hereditatis deseruit, sic & iste qui thesaurum in cælis acquirit spe. *Ed quod est ipse filius Abrahæ.* Non solū qui iusti perseuerant, sed etiam qui de iniustitia conuertuntur, ad filios promissionis pertinent. *Venit enim fil. ho. quæ.* Etiam murmurantibus sua mysteria non dedignant exponere, quod propter penitentiam peccatorum suscipiendam maximè ipse in terram venerit: vbi & se appellat filium hominis, vt insinuet nobis dispensationem suæ pietatis.

1. Cor. 5. 2bid. 13.

Sup. 33.

Act. 11.

Gene. 12.

Ambros. Zachæus in Sycomoro, cæcus in via, quorum alterum dominus miseratus expectat, alterum suæ mansionis claritate nobilitat: de quo dicitur: *Et ingressus Iesus perambulabat Hierico, &c.* Et bene princeps inducitur publicanorum. Quis enim de se desperet, quando iste peruenit ad gratiam, cui census ex fraude? & ipse quidem diues, vt scias omnes diuites auaros. Cyril. Sed Zachæus in his moram non traxit, sed factus est dignus propitiatione Dei qui cæcos illuminat, & loginuos vocat. Titus pullulauerat autem in eo semen salutis, quia cupiebat Iesum videre. vnde sequitur, *Et quære. vid. Ie. quis esset.* vtpote qui nõquam eum viderat, quia si vidisset dudum iam recessisset à nequitia publicana. Si quis enim Iesum videt, non potest nequitias immorari. Duo autem erant impedimenta visioni: nam retardabat eum populus, non tam virorum quàm peccatorum: erat autem paruus statura. vnde sequitur: *Et non pot. præ tur. quia sta. pusill. cr.* Ambros. Quid sibi vult quod nullius alterius staturā quàm eius expressit? vide ne forte malitia pusillus, aut adhuc pusillus fide: nondū enim pronus erat cum ascenderet, nondum viderat Christum. Titus, Sed ille bonum adinuenit ingenium, nam præcurrens iam arborem Sycomorum ascendit, & transeuntem Iesum desideratū videbat. vnde sequitur, *Et præcur. ascen. in arbo. syco. vt. vil. quia inde erat transiurus.* Hic ergo solam visionem desiderauit, sed qui nouit plus facere quàm querimus, dedit ei supra id quod expectabat. vnde sequitur: *Et cum ve. ad lo. sus. Ie. vil.* Cyril. Vidit quidem hominis animam promptissimè nitentem ad sanctè viuendum, & eum ad pietatem conuertit. Ambros. Caput eum: se non inuitatus inuitat. Vnde sequitur: *Et di. ad eum, Zachæe, se. def. quia, &c.* Sciebat enim vberem hospitis sui esse mercedem, sed tamen & si non vocem inuitantis audierat affectum. Bed. Ecce autè camelus deposita gibbi farsina per foramen acus transit, hoc est diues & publicanus relicto amore diuitiarum, cõtempso censu fraudum, benedictionem dominicæ susceptionis accepit. Sequitur: *Et fest. descen. & acce. il. gan.* Ambros. Discant diuites non in facultatibus crimen habere, sed in his qui vt nesciunt facultatibus. Nam diuitia: sicut impedimenta sunt improbis, ita bonis sunt adiumenta virtutis. Chryl. Sed considera nimiam saluatoris bonitatem. Infans cum fontibus conuersatur, fons iustitiæ cum auaritia, quæ est materia paruitatis: ingressus domum publicani nullam ex auaritiæ nebula iniuriā patitur, sed fulgore iustitiæ auaritiā delet: sed mordaces & criminationis amatores inuēhi tentant in his quæ ab eo fiebant. Sequitur enim: *Et cum vi. omnes mur. di. quia, &c.* Ipse verò inuicatus vt epulo & publicanorū amicus, spernebat hæc vt consummaret propositum: quia & medicus nisi patiatur sanieum ægrotorum, non liberat à morbo, quod & tunc contigit: quoniam conuersus est publicanus, & factus est melior. Sequitur: *Stans autem Zachæus di. ad Ie. ecce di. bono. meo. domine, do pauperibus, &c.* Audā mirabile, Nondum dicit, & obedit. Et sicut sol per radios infusus in domum non illustrat verbo sed opere, ita saluator, radiis iustitiæ, nequitia fugauit caliginem: nam lux in tenebris lucet. Quodlibet

bet autem vnitum est vallidum, diuisum autem debile, & ideo bipartit substantiam. Est autem diligentius attendendum; quod opes Zachæi non solum erant iniuste, sed etiam ex patrimonio fuerunt congregatae, alioquin quomodo poterat extorta iniquè restituere in quadruplum? Sciebat enim legem iubentem restituere in quadruplum malè ablata, vt si lex non terreat, damna mitigent: non ergo expectat Zachæus legis censuram, ipse sibi index effectus. Theoph. Sed si subtilius indagare velimus, nihil de propriis restabat facultatibus. Data enim medietate bonorum pauperibus, ex residuo reddebat læsis in quadruplo, nec solum hoc promittebat, sed faciebat. Non enim ait: Dabo medietatē, & restituā quadruplum: sed, *do. & reddo.* At Christus illi salutē annūciat. Sequitur: *Ait Iesus ad eum: quia bo. fa. huic do. facta est.* ipsum Zachæum significans affectum fuisse salutem, per domum habitorem significans. Subditur: *Eo quod ipse filius sit Abrahæ.* Non enim vocasset Abrahæ filium inaninam fabricam. Beda, Filius autem Abrahæ Zachæus dicitur, non quia de eius stirpe genitus, sed quia eius est fidem imitatus: vt sicut ille terram domūque paternam deseruit, ita iste bona sua partiendo pauperibus relinqueret. Pulchrè autem dicit: *Et ipse,* vt non solum eos qui iuste vixerant, sed & eos qui ab iniustitia respiscunt, ad filios promissionis pertinere declaret. Theoph. Non autem dixit quod filius erat Abrahæ, sed quoniam nunc est: nam prius quando erat publicanorum princeps, nullam similitudinem habens ad Abraham iustum, non erat Abrahæ filius. Sed quia murmurabant quidam eo quod moraretur cum viro peccatore: ad compescendos illos subdit, *Venit enim filius hominis quætere & saluum facere, &c.* Chrysol. quasi dicat. Quid me criminamini si rectifico peccatores, tam enim procul est à me odium peccatorū, quod eorum causa aduenerim: nam medicus veni, non index ob hoc conuina si languentium, patiōrque fecerem, vt præstem remedia. Quæret autem aliquis quomodo Paulus iubet si quis frater fuerit procax aut auarus, eum huiusmodi nec cibum esse sumendum? Christus autem erat publicanorum conuina, sed nondum prouecti erant isti vt fierent fratres: sed & tunc vitare præcepit Paulus fratres, cum perstant in malo, hi verò erant mutari. Beda, Mysticè autem Zachæus qui interpretatur iustificatus, credentem ex gentibus populum significat, qui per occupationem temporalium depreffus erat & minimus, sed à Deo sanctificatus: qui intrantem Hierico saluatorem videre voluit, dum fidem quam mundo attulit, percipere quæsiuit. Cyril. Turba autem est imperitæ confusio multitudinis, quæ verticem nequiuit videre sapientiæ, ergo Zachæus quādiu in turba est non vidit Christum, sed plebeiam transgressus insciam, mernit quem desiderabat aspiciere. Beda, Vel turba, id est, vitiorum consuetudo quæ cæcum clamantem increpabat, etiam hunc suspicientem tardat: sed sicut amplius clamando cæcus turbam vicit, ita pusillus terrena relinquendo, & arborem crucis ascendendo turbam obstantem transcendit. Sycomorus namque, quæ est arbor foliis moro similis, sed altitudine præstans, vnde & à Latinis celsa nuncupatur, ficus fatua dicitur: & eadem dominica crux credentes alit vt ficus, ab incredulis irridetur vt fatua. Quam arborem pu-

illus statura Zachæus vt coexaltari possit, ascendit, cum quilibet humilis & propriæ conficius infirmitatis clamat: *Mihi absit gloriari, nisi in cruce domini nostri Iesu Christi.* Ambros. Pulchrè autem addidit, quia illa parte erat transiurus dominus, vel vbi Sycomorus, vel vbi crediturus: vt mysterium seruaret, & gratiam seminaret: sic enim venerat, vt per Iudæos veniret ad gentes. Vidit itaque Zachæum sursum, iam enim sublimitas fidei inter fructus bonorum operum, inter sæcundæ altitudinem arboris eminebat. Zachæus autem supra arbore est, quia est supra legem. Beda, Perambulans autem dominus venit ad locum vbi Zachæus Sycomorum ascendit, quia missis per mundum prædicatoribus, in quibus ipse loquebatur & ibat, venit ad populum nationum qui passionis eius fide iam sublimis erat: quem suspiciens vidit, quia per gratiam elegit. Manebat autem aliquando dominus in domo principis Pharisæorum, sed eum opera digna Deo facientem lingua venenata carpebant: vnde eorum perosus facinora discessit, dicens: *Relinquetur domus vestra deserta.* Hodie autem in domo pusilli Zachæi oportet illum manere, id est nouæ legis gratia coruscantem in humilium nationum corde quiescere. Quod autem descenderet de sycomoro & sic mansionem in domo parare iubetur, hoc est quod ait Apostolus: *Et si cognouimus secundum carnem Christum, sed iam nunc non nouimus.* Et si enim mortuus est ex infirmitate, sed viuit ex virtute Dei. Manifestum est autem Iudæos gentium semper odisse salutem: sed salus quæ olim Iudæorum domos implebat, hodie populum nationum illuxit: eo quod & ipse populus filius sit Abrahæ credendo in Deum. Theo. Sed facile est hoc ad moralem vilitatem retorquere. Quisquis enim in malitia pluribus præest, paruus est statura spiritali, & non potest videre Iesum præ turba. Nam perplexus à passionibus & secularibus rebus nõ aspiciet Iesum ambulantem, id est in nobis operātem nullum opus eius cognoscens. Ascendit autem super sycomorum, id est voluptatis dulcedinem quæ significatur per ficum deprimens eam, & si sublimior factus videt & videtur à Christo. Greg. 27. mora. Vel quia sycomorus ficus fatua dicitur, pusillus Zachæus sycomorū subdit & dominum vidit, quia qui mundi stultitiam humiliter eligūt ipsi de his sapientiam subtiliter contemplantur. Quid enim in hoc mundo stultius quam amissa non quærere, possessa rapiētibus relaxare, nullam pro acceptis iniuriam reddere? Per hanc autem sapientem stultitiam & si nondum solidè vt est, iam tamen per contemplationis lumen Dei sapientia videtur. Theo. Dicit autem ei dominus: *Festinas descende:* hoc est, Ascendisti per penitentiam ad altiorum locum, descende per humilitatem ne te supplantet elatio, oportet enim me in humilis domo manere. Geminis autem bonis in nobis existentibus, corporalibus scilicet, & spiritalibus: cuncta corporalia derelinquit iustus pauperibus, sed spiritalia non deserit bona, sed si quid exegit ab aliquo reddit in quadruplum, significans per hoc quod si quis per penitentiam pergi in contrario tramite priscæ prauitatis, per multiplices virtutes sanat omnia pristina delicta, ac sic promeretur salutem, vocaturque filius Abrahæ, eo quod à propria cognatione exierit, scilicet ab antiqua nequitia.

S. AMBROSII MEDIO-  
lanensis Episcopi superioris Euang.  
expositio.

**E**T ingressus perambulabat Hierico, &c. Cum diuitibus quoque in gratiam reuertamur; nolimus enim offendere diuites, qui volumus, si fieri potest, sanare omnes: ne in cameli comparatione praestriam, in Zachæo citius, quam oportuit, derelicti, iustæ habeant commotionis offensam. Discat non in facultatibus crimen hæerere, sed in iis, qui uti nesciant facultatibus. Nam diuitiæ ut impedimenta improbis, ita bonis sunt adiumenta virtutis. Diues certe Zachæus electus à Christo, sed dimidium bonorum suorum pauperibus largiendo, reddendo etiam in quadruplum, quæ fraude sustulerat (Alterum enim non sat est; nec habet gratiam liberalitas, si iniuria perseuerat: quia nõ spolia, sed dona quaeruntur) ubi mercedem, quam cõferebat, accepit. Et bene princeps inducitur publicanorum. Quis enim de se desperet quando & iste peruenit ad salutem, cui census ex fraude? *Et ipse* (inquit) *diues*. Ut scias non omnes diuites auaros. Quid sibi vult, quod nullius alterius statutam scriptura nisi huius expressit? *Quia statura pusillus erat*. Vide, ne forte malitia pusillus, aut adhuc pusillus fide. Nondum enim promiserat, cum ascenderet; nondum viderat Christum: merito adhuc pusillus. Denique Ioannes magnus, quia & Christum vidit, & spiritum sicut columbam super Christum manentem, sicut ipse ait: *Vidi spiritum descendentem sicut columbam, & manentem super eum*. Quæ autem turba, nisi impeditæ confusio multitudinis, quæ verticem nequit videre sapientiæ? Ergo Zachæus, quando in turba est, non videt Christum: supra turbam ascendit, & vidit: hoc est, plebem iam transgressus, in scientiam meruit, quam desiderabat, aspiceret. Pulchre autem addidit; *Quia illa parte erat transiturus dominus*. Vel ubi sycomorus, vel ubi crediturus: ut & mysterium seruaret, & gratiam seminaret. Sic enim venerat, ut per Iudæos transiret ad gentes. *Vidit itaque Zachæum sursum*. Iam enim sublimitate fidei inter fructus nouorum operam velut fecundæ altitudine arboris eminebat. Et quoniam de typo ad moralia defleximus, inter tot credentium voluptates dominica die relaxare animum, festiuitatem admiscere delectat. Zachæus in sycomoro nouum videlicet noui tēporis pomum; ut in hoc quoque compleretur illud; Arbor fici produxit: grossus suos. Ad hoc enim Christus aduenit, ut ex lignis non poma, sed homines nascerentur. Legimus alibi; Cum esset sub arbore fici, vidit te. Ergo Nathanael sub arbore, hoc est, supra radicem; quia iustus. Radix enim sancta. Sub arbore tamen Nathanael; quia sub lege: Zachæus supra arborem, quia supra legem. Ille domini occultus defensor; hic publicus prædicator. Ille adhuc Christum ex lege quaerebat: iste iam supra legem relinquebat suas, & dominum sequebatur.

EIVSDEM DE DEDICATIONE  
basilicæ, Sermo.

**L**egimus in sancto euangelio, cum centurionis Ierusalem seruus, qui erat illi preciosior, gra-

ui paralyticus ægritudine laboraret: & per seniores Iudæorum ille centurio rogaret saluatorem, ut eius doloribus mederetur. Rogat enim, ut ait scriptura, moriturus: Inter cætera ad maiorem commendationis gratiam seniores dixisse domino: quia dignum est, ut hoc illi præstes: Diligit enim gentem nostram, & synagogam ipse edificauit nobis. Si ego commendatur domino, qui edificauit synagogam, quanto est commendator, qui edificauit ecclesiam? Et si is meretur gratiam, qui impietatis receptaculum præstitit: quanto maiorem meretur gratiam, qui religioni domicilium præparauit? Et si ille cælesti misericordia visitatur, qui construxit locum, ubi Christus semper negatur, quanto magis visitandus est, qui fabricare fecit tabernaculum, ubi Christus quotidie prædicatur? In centurione enim dominus non quid operis fecit, sed qua mente operatus sit, comprobauit. Nam qui tempore, quo nondum Christiani erant, sollicitè synagogam fecit, si fuissent utique Christiani, intelligitur quod multo sollicitius fecisset ecclesiam: sed tamen licet synagogam edificet, Christum prædicat in ipso enim opere commonet Pharisæos debere illos suscipere saluatorem: & demonstrat propterea se tabernaculum amplius edidisse: ut multipliciter domini gloriam loqueretur. Si enim credit in Christum conditor synagogæ, multo magis credere debet habitator ipsius synagogæ. Centurio ergo iustificatus est propter opus fragile, vel terrenum: iustificandus plane est vir clarissimus, & providentissimus comes noster propter opus tam perpetuum, vel cælestè: qui comes sicut est centurione dignitate potior: ita & fide debet esse deuotior. Sapiens vir, & religiosus comes, qui quantum in bello imperatori militat, tantum & in pace militat saluatori: & quantum festinat de hostium manibus captiuos eruere, tanto magis festinat à diaboli se sacrilegio liberare. Ibi inimicos terreni regis interfecit: hic aduersarios domini cælestis insequitur: ubi barbaros vincit, hic demones. Sapiens inquam, qui sicut comes imperatoris est: ita & comes Christi esse desiderat. Nam bene utique & religiose agendo, dignitatem suam cupit esse perpetuam: secundum quod scriptum est in propheta; Et vos, o boni reges, bonas facite vias vestras, & studia vestra: & audite vocem domini Dei vestri: & pœnitebit dominum mali, quod locutus est aduersus vos. Ergo cum centurio rogaret dominum, ut de morte erueret ægotantem, & veller dominus ad domum centurionis pergere: in qua seruulus decumbebat: Ait centurio; Domine non suum dignus, ut intres sub tectum meum. Excusat igitur centurio: & ne sub tectum eius ingrediatur dominus, indignum se dicit. Ecce dignus est comes noster: sub cuius tectum hodie saluator ingreditur. Videamus ipsa centurionis excusatio quam habeat gratiã. Ait enim hodie; Non suum dignus, ut intres sub tectum meum: sed dic tantum verbo, & sanabitur. O fides Christiana, quæ cum humilitate totum impetrare consuevit? Ecce religiosus centurio ad accipiendam salutem dignior fit: dum se profiteretur indignum, & dum ædes suas iniurias putat: magis eas honorificas fecit, & gratas. Magnæ enim, & perfectæ fidei vir, qui intelligeret Christum cælorum esse: dum verbebatur, ne hospitij sui eum angusta non acciperent. Ergo contradicente centurione, non pergit ad domum

domum dominus: Non pergit dominus: sed pergit domini medicina: non visitat egrum saluator, sed visitat sanitas saluatoris. De fratribus vero nostris sanctis viris Vitaliano, & Maiano quid dicam? Scio illos gloriam ab hominibus non quaerere nisi à solo Deo: sed tamen laudem eorum etiam ego taceam, ipsa opera loquuntur. Ad ipsorum enim laudem pertinet quicquid in aliis paulo antea laudauimus. Nam hoc tabernaculum & si plurimi cõstruxerunt, hi tamen sumptu operati sunt vno assensu. Et quo tandem sumptu: cum sint in sæculo mediocres & tenues? Illo scilicet de quo ait apostolus: Abundantia fidei & diuitiis simplicitatis. Est enim sanctis viris semper dijes ipsa paupertas. Vnde credo hos beatos hanc ecclesiam non minus orationibus quam impendiis fabricasse. Sic enim oportebat ut opus Christi precibus magis cresceret, quam cements. Totam enim substantiam in huius facturam operis expenderunt: & ipsis certe nihil deest. Ipsa plane est, sicut diximus, diues locuplèxque paupertas quæ expendit omnia. Sed hæc à Deo benedicta est sicut illa vidua, de qua dicit dominus in euangelio: Mulier hæc vidua pauper plus quam omnes misit: nam omnes hi ex abundantia sibi miserunt in munera Dei: hæc autem totum victum suum quem habuit misit.

EVSEBII EPISCO.

Cæsar. Palest. Oratio Panegyrica pro  
Ecclesiarum exedificatione recitata, &  
Paulino Tyriorum Episcopo dedicata.

Habatur ad  
Eusebii  
libro histor.  
Eusebii.

**A**MICI Dei, & sacerdotes, qui sacrosancto pœdeta indumento, cælesti gloriae corona, diuina vnctione & sacrata sancti spiritus stola circumuestiti, tunc venerandum noui, ac sancti Dei templi decus, Pauline, qui eximia prudentiæ insignibus à Deo exornatus egregia florentis, & integræ virtutis opera, actioneque edidisti, cui ipse Deus, qui vniuersum mundum suo complexu continet, sui in terra domicilij, ac templi exedificationem, renouationemque ad Christi vnici, & primogeniti, ipsius verbi, sanctæque, & decoræ eius sponsæ Ecclesiæ honorem concessit: siue quis te nouum Beseleel diuini tabernaculi architectum velit appellare, siue Salomonem nouæ Hierusalem veteri illa longè præstantioris regem, siue etiam nouum Zorobabel, qui templo Dei multo maiorem splendorem, quam quo antea nitebat, adiecit: quin etiam vos compello, o sacri gregis Christi oues, diuini verbi familia, schola modestiæ, augustum & diuinum pietatis adiutoriū: quem admodum nos iam olim admirabilia Dei prodigia, & miracula à Domino edita, cuiusque in illis beneficia in homines declarata, per diuinæ sacre scripturæ lectiones auditione accipere poteramus, & ita diuinitus instituti cum Dauide hymnos, & pias cantiones in Deum resonare hoc pacto (Deus, auribus nostris audiuius, patres nostri annunciauerunt nobis: opus quod operatus es in diebus eorum, in diebus antiquis) sic iam deinceps non auribus, & verborum sono brachium excelsum, & dextram cælestem Dei omnium bonorum authoris, summi nostri regis percipere, sed re, & factis (verè dicam) & oculis coram, rerum

gestarum, quæ quondam erant memoriæ prodigia, fidem, & veritatem intueri, & propterea hunc secundum victoriæ hymnum merito canere possumus, & ita perspicuè eloqui, ac dicere cum Propheta: sicut audiuius, sic & vidimus in ciuitate Domini virtutū, in ciuitate Dei nostri. At in qua tandem ciuitate? nunquid in hac, quæ nuper à Deo extructa, & fabricata est, quæ est Ecclesia Dei viuentis, columna & firmamentum veritatis: de qua sic etiam aliud diuinum oraculū annunciat; Gloriosa dicta sunt de te, ciuitas Dei. In quam, cum Deus omnis boni largitor nos per gratiam vnigeniti filij sui congregauerit, quisque eò accessurus sic voce, & sermone decæter, lætatur sum in his, quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus. Et iterum; Domine, dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ. Ac non singuli solum, sed simul vniuersi vno spiritu, vnoque animo Deum venerantes personemus; Magnus Dominus, & laudabilis nimis, in ciuitate Dei nostri, in monte sancto eius. Etenim, reuera ipse magnus est, & magna domus eius, excelsa, ampla, & pulchritudine speciosa præ filiis hominum. Magnus Dominus, qui facit mirabilia solus: magnus qui facit magna, & inscrutabilia, gloriosa, & eximia, quorum non est numerus. Magnus, qui occasionum, & temporū vicissitudines commutat, qui deponit reges, & constituit: suscitans à terra inopem, & de stercore erigens pauperem. Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles à terra. Exurientes impleuit bonis, & brachia superborum contriuit. Vnde non fidelibus solum, sed infidelibus etiam res olim à se gestas in factis literis memoriæ proditas veras esse confirmauit ille ipse, qui est rerum admirabilium opifex, qui magnatum architectus, qui vniuersarum Dominus, qui totius mundi fabricator, qui omnipotens, totus bonus, vnus & solus Deus. Cuius spiritui obsequentes nouum canticum cantemus ei, qui facit mirabilia solus, quoniam in seculum misericordia eius: ei qui percussit reges magnos, & occidit reges fortes: quoniam in seculum misericordia eius: quia in humilitate nostra recordat est nostri Dominus, & redemit nos ab inimicis nostris. Atque hisce præconiis primum omnium rerum parentem, & procreatorem celebrare nõ aliquando desistamus. Secundum etiam bonorum auctorem, diuinæ cognitionis explicatorem, magistrū veræ pietatis, impiorū euerforem, interfectorem tyrannorum, rectum vitæ moderatorem, nostri omnium, cum essemus reprobati, & reiecti, seruatorem Iesum ore concinentes veneremur. Nam solus ille benignissimi patris benignissimus, & vnigenitus filius, paternæ clementiæ desiderio morem gerens nostri naturæ, qui in peccatorum corruptione, & eluue volutati iacebamus, libenter induit: & tanquā medicus longè præstantissimus, tristis, & arummosos ægotantium morbos, quo illis largiatur salutem intuerit, horrida, & tetra vlcera contrectat & propter alienas calamitates, proprio, ac suo corpore dolores exhaurit. Qui nos non modo morbo vexatos, grauibus vlceribus, & sanie tabescētibz vulneribus oppreffos, sed iam in numerum mortuorum relatos, ex ipso opaco mortis recessu ad suam gloriam participandam recuperauit. Quippe nemini alij eorū, qui in cælo fuerunt, tantum suppetebat roboris, qui in cælo fuerunt, tantum suppetebat roboris, ut tot perditos homines re quidem ipsa posset ad salutem

Cante leges  
nam filij pa-  
tre inferiorum  
facere vide-  
tur.



salutem reducere. Solus igitur Christus, graue onus nostræ afflictæ, & calamitosæ corruptionis in se suscepit: solus nostros exantiauit labores: solus multam pro impietatibus nostris subiit: solus non semineces, verum omnino in monumentis, in sepulchris factidos, & iam graue olentes restituit: solus, & olim, & iam studio suo, & cura beneuola, præter cuiusque nostri ipsorum spem, & expectationem seruauit: solus denique magnam paternorum bonorum affluentiam nobis impertit: qui est vitæ auctor, lucis largitor, magnus & eximius noster medicus, rex Dominus, & Christus Dei. Et sicut quondam, cum humanum genus vniuersum, dæmonum impiorum fraude, & malignorum spirituum conatu esset quasi nocte quadam obscura, & densa caligine obiectum, obrutumque, semel ipse solus apparet ardentibus luminis sui radiis, multiplices, & tortuosas scelerum nostrorum catenas tanquã ceram igne liquefactam dissoluit: ita iam eum propter tantam gratiam, propter tantum beneficium, inuidia omnis virtutis inimica, & scelestus dæmon totius probitatis hostis, prope præ iraenidia disruptus esset, & omnes suas letales, ac mortiferas copias aduersus nos instruxisset, & primum instar rabidi canis dentes in lapides contra ipsum proiectos illisisset, & furorem suum, qui contra pios viros, aduersarios suos incendi solet (dum immanem suam, ac plusquam belluinam rabiem in lapides templorum, & inaniam sacrarum ædium materiam robuertebat, & ecclesiarum vastitatem ac ruinam sicut ipse secum pertraxerat, edebat) in tela inanima expulisset, cumque deinceps horrida sibila & serpentinæ ipsius ac pestiferas voces, nonnunquam per impiorum tyrannorum minas, & terrores: interdum per nefanda & contumeliosa perditorum principum decreta profudisset, exitialeque mortis virus ex faucibus euomisset, & letalibus, ac perniciosissimis venenis, animas à se insecutas infecisset, & mortiferis mortuorum simulacrorum victimis eas ferè ad æternam mortem traxisset, & homines belluina immanitate efferatos contra nos incitasset, eosque omne crudelitatis genus in nos exercere coegisset: natus quasi de integro ille magni consilij angelus, potentissimus omnium Rex, summus Dei dux, postquam fortissimi regni ipsius milites erant, omni tormentorum genere, quæ patienter, & constanti animo perulerant, satis, superque exercitati, ex inopinato sese ostendit, omnemque hostes, & inimicos suos ita penitus deleuit, & redexit in nihilum ut ne nominari quidem aliquando videantur: & quos sibi charos, quos amicos habebat, apud omnes, non homines modo, sed cælestes etiam potestates solem, lunam, sidera, cælum, ac mundum vniuersum præter omnium opinionem ad tantam gloriam euexit, ut iam (quod quidem non alias summi imperatores honorem, quem sunt ab eo consecuti, plane sentientes, in detestabiles mortuorum idolorum vultus, ac effigies expiant, profanos dæmonum cultus proterant, veterem errorem à patribus ductum irrideant, vnum solum Deum communem cum omnium, tum ipsorum patronum agnoscant, Christum Dei filium summum vniuersorum regem fateantur, cum seruatore in scripturis, in columnis incisis pronuntiant, & præ clara eius facinora, victoriisque contra impios partas literis maiusculis ad perpetuam memoriam in tabulis media in vrbe, quæ

totius orbis terrarum regina est, collocatis, scite describendas curarint: adeo ut ex omnibus, qui à primo æuo extiterint, solus Iesus Christus seruator noster ab imperatoribus, qui summum in terris principatum obtinent, non tanquam rex ab hominibus de more constitutus esse concedatur, sed ut ingenius Dei omnipotentis filius, & Deus ipse vniuersitatis moderator summa veneratione dignetur, idque plane meritisimo. Nam quis vnamquam regum tantum virtutis, ac potentie nactus est, ut nomen suum ita posset propagare, vni omnium hominum aures percelleret, inque omnium ore, ac sermone verteretur? Quis princeps leges tam pias, tanquam modestas instituit, easque tam firme constabiliuit, ut omnes homines ab vltimis terræ oris ad extremos vsque totius mundi terminos cum illas approbarent, tum ipsam sua sponte morem gererent? Quis gentes indomitas, moribus barbaras, ac immanes legibus quantumuis mansueris & benignis repressit? Quis tot integris seculis ab omnibus oppugnatus, virtutem, & potentiam, quæ supra hominem putanda est, ostendit, ita ut in dies singulos magis, magisque floreret, & per omnes hominum aetates reuileretur? Quis gentem, de qua non aliquando ab omni seculorum ætate auditum fuerat, non dico in aliquem terræ angulum clanculè abdedit, sed passim in vniuersum terræ orbem, qui sub sole est, diffudit? Quis pietatis armis milites suos adeo muniuit, ut animos adamante duriores, robustioresque in certaminibus, preliisque contra aduersarios susceptis declararet? Quis vnquam regum post mortem tantum viribus, ac potentia valuit, tot bella gessit, tot trophæa contra inimicos statuit? Quis denique tam regalibus, tamque magnificis palatiis, tam præclaris templis auguste consecratis omnem locum, regionem & ciuitatem tam Græcorum, quam barbarorum illustrauit? Egregia autem huius templi ornamenta, monumentaque, quæ sunt tam augusta reuera, tam magnifica, tanta admiratione digna, & velut illustres imagines, regnum seruatoris ob oculos nostros statuentes (quoniam etiam ipse iam dixit, & facta sunt, ipse mandauit & creata sunt: etenim potentie ipsius verbi Dei summi omnium regis, & moderatoris à nemine resisti poterat) accurate considerare, & quid singula eorum significant, disquirere, proprio quodam otio, & separato egeste ac studio, eorum, qui in hoc templo edificando laborem suum, & operam posuerunt, quale sit, & quanti æstimetur ab ipso Iesu Christo, quem diuinis laudibus efferimus, qui viuum animorum nostrorum templum intuetur, qui domum ex viuuis, incedentibusque in terra lapidibus constructam, benèque, & firmiter super fundamentum Apostolorum, & prophetarum locatam contemplatur: cuius lapis angularis ille ipse est: quem tamen non solum veteris illius ædificij, quod iam dirutum est, sed huius etiam, quod nunc ex multis hominibus constat, architecti mali ex malis edocti penitus reprobauerunt, tamè pater & olim, & iam approbans in caput anguli Ecclesiæ, quæ est omnium nostri communis, collocauit. Hoc igitur ex nobis ipsis extructum viuum viuuentis Dei templum, maximum, & maxime vero Dei verbo decorum sacrarium, cuius intima adita, quæ sub vulgi aspectum cadere non possunt, quæ

quæ reuera sancta sunt, & sancta sanctorum, quis aliquando introspexisse se audeat affirmare? Quis oculos suos intra sacros eius ambitus iniicere potest nisi solus magnus ille, & summus omnium opifex, cui soli fas est cuiusque anima rationalis arcana perscrutari? Verum forsitan etiã vni alteri (duci nimirum, qui isti exercitui, & gregi Christi præfideat) proximè secundum eum similiter huius muneris potestas datur obeundi: cui ipse primus, & magnus Pontifex Christus secundas in templo, quod hic apud nos est, impertit: quem pastorem vestro sancto gregi præfecit: quem consensu, & iudicio patris vestri populi moderatorem designauit: quem tanquam ministrum, & interpretem nouum Aaron, aut Melchisedech effigiem filij Dei representatam, manentem, & communibus vestri omnium precibus ab ipso Domino ad immortalem gloriam seruatum constituit. Deferantur igitur huic soli post primū illum, & maximum Pontificem, & si non primæ, ac secundæ partes intimam animorum vestrorum cogitationem contemplandi, inspiciendique. Qui iam cum multâ experientia, tum prolixo temporis spatio in vnumquemque vestrum accurate inquisit: quique magno studio, & diligenti cura omnes vos modestia, & vero pietatis verbo instruit, qui denique potest præ cæteris earum rerum quas ipse diuina ope adiutus peregerit rationem reuera exquisitam reddere. Quomodo autem summus, & magnus noster Pontifex Christus, quæ patrem facientem videt, eadem (ita de se ipse loquitur) similiter & ipse facit: sic iste Pontifex in summum pontificem Christum, tanquam in magistrum sinceris mentis oculis intuens, quæ eum facere animaduertit, illorum quasi archetypis vsus exemplaribus effigies, quoad eius fieri potest, tanquã probus artifex similime ad ea ipsa exprimit: nihilo plane inferior ipso Besileel, quæ Deus diuino spiritu sapientiæ, intelligentiæ, & reliquæ artificiosæ, solertiisque peritiæ imbuit, & ad tabernaculum suæ templum ex edificandum (quod cælestia mysteria per symbola quædam, & notas adumbraret) accersit. Eodem modo igitur iste viam Christi totius Dei verbi, sapientiæ, luminis imaginem suo ipsius animo figurans, ne dici quidem potest, quanta cum magnificentia, quam liberali, & immensa animi alacritate, quanta cum omnium vestrum ad eam rem propensione ac studio (qui liberali sumptuum, & munerum collatorum amplitudine tam enixe, tamque benèfice prospexit, ne quicquam eius proposito villo modo decesset) magnificentum & egregium Dei altissimi templum, quod oculis cerni potest, simile plane natura sua exemplari præstantioris templi, quod sub sensum humanum non cadit, fabricatus sit. Hunc autem locum (par est enim primum omnium de eo verba facere) quem hostes præ malevolentia omni spurca, & impura materia, ac fordibus exaggerauerunt, iste minime neglexit, neque eorum, qui eius nequitie erant auctores, cessit improbitati, idque cum licuisset ad alium locum (alij namque ferè infiniti erant in ciuitate) perrexisse, sicque permagna laboris reperisse leuationem, & multis molestijs se penitus expedituisse. Iste tamè primū se applicauit ad opus: deinde vniuersum populum propensa animi intentione ad illud excitauit: & simul atque ingentem manum, turbamque ex omnibus coegerat,

primum laboris certamen ille ipse obijt: confectum sanè ratus, ut ista cum primis ecclesiæ, quæ fuisset ab hostibus expugnata, quæ graues ruinas passa, quæ persecutionis impetus cum ante nos, tum vna nobiscum sustinisset, quæ instar matris liberis suis orbata esset, singularis beneficentiæ beneficentissimi Domini nostri, ac seruatoris particeps nobiscum fieret. Postquã enim visum fuit magno nostro Pastori Christo, feris, lupis, & omnium immani, agrestique belluarum genere abacta, & dentibus leonum (ut diuina oracula loquuntur) contritis, filios suos in vnum de integro conuocare, gregi suo ouile quoddam egregium meritissimo quidem erexit, quo inimicum confunderet, & vltorem, & detestabiles impiorum conatus profus recunderet. Atque hi quidem Dei ocores iam non sunt, quoniam non omnino erant, qui ad exiguum tempus non solum alijs exhibere molestias, verum etiam ipsi ipsidem conturbati fuere: suppliciumque deinde equum debitumque subeuntes, seipsos, amicos, domos & familias suas funditus euerterunt: adeo ut vetera vaticinia in Sacris literis perscripta, rata reuera, & fidelia comprobentur: in quibus diuinus sermo cum alia verè asseuerat, tum ista etiam de his impijs: euidenter pronunciat: Gladium extraxerunt peccatores, intenderunt arcum suum, ut percuciant pauperem & inopem, & trucident rectos corde. Gladius eorum intret in corda ipsorum, & arcus eorum constingatur. Et iterum: Perijt memoria eorum cum sonitu, & nomen eorum delesti in eternum, & in seculum seculi. Quoniam cum in malis erant, clamauerunt, & non erat, qui saluos faceret, ad Dominum, & non exaudivit eos: quin etiam ipsi obligati sunt & ceciderunt, nos autem surreximus, & erecti sumus. Atque illud, quod his verbis elatū erat, (Domine in ciuitate tua imaginem eorum ad nihilū rediges) iam oculis cuiusque verum apparet. Ceterum ut hi Gigantum more bellare cum Deo neutiquam veriti, talē sunt vitæ exitum cōsecuti: sic ecclesiā Christi, quæ opinione hominum deserta & desperata erat, propter singularem patientiam tormentorum ob Dei amorem susceptorum, talem exitum habuit, qualis iam perspicue cernitur: vsque adeo, ut Eiaj propheta pulchre illi consentiat. Lætare, deserta solitudo, quæ exiccata es, exultet solitudo, & floreat vt lilium. Et florebunt, & exultabunt loca deserta: roboramini, manus languentes, & genua debilia: consolationem capite pusillanimi mente: confortamini, ne timeatis: ecce Deus noster iudicium reddidit, & reddet: ipse veniet, & seruabit nos: quoniam, inquit, erupit in deserto aqua, & vallis in terra sitiente, & arida erit in paludes, & in terram sitientem fons aquæ erit. Atque ut ista olim verbis diuinitus prædicta, sacris literis comendata sunt: sic euentus eorum non amplius auditione, sed re ipsa nobis traduntur. Solitudo hæc, quæ est in aquosa, quæ vidua, cōsolatione destituta, cuius in sylua lignorum securibus exciderunt ianuas eius in idipsum, quam in securi, & ascia contruerunt, cuius libros corrumpendo, incenderunt igne sanctuarium Dei, in terra polluerunt tabernaculum nominis eius, quam vindemiarunt omnes transeuntes per viam, dirueruntque eius sepes, quam exterminauit aper de sylua, & singularis ferus depastus est, admirabili Christi potentia iam, cum ei visum sit, iterū floret vt lilium. Quip-

pe sicut id temporis etiam ipsius nutu, & virtute tanquã a patre diligẽtem curam de ea suscipiente castigabatur (quem enim diligit Dominus, castigat: flagellat omnem filium, quem recipit) sic ubi iam satis castigata est, rursus de integro cælitus exultare præcipitur. Efflorescit, ut lilium, & diuinum suum odorem in omnes homines efflat. Quoniam inquit, errupit aqua in deserto: hoc est, vnus salutaris lauacri, in quo diuinitus regenerati sumus. Et iam solitudo, quæ ante arida erat, in stagna dissoluta est, & in siccantem terrã ebullit fons aquæ viuẽtis. Manus, quæ prius languidæ erant, sunt reuera roboratæ. Atque hæc præclara, & illustria monumenta, exemplaque, quæ oculis cernimus, sunt manuum roboratarũ opera, quin etiam genua, quæ iam pridem debilitata erant, & dissoluta proprio gressu fruuntur, rectam diuinæ cognitionis semitam insistant, & maturè ad proprium & familiarem gregem summi, & benignissimi pastoris Christi festinant. Quod si qui minus tyrannorum perterriti, animis obtrorperunt, ne istos quidem salutaris Dei sermo curationis patitur expertes esse, sed eos benigne admodum sanat, & ad verũ Diuini numinis solatium percipiendum incitat, dicens; Consolationẽ capite, pusillanimitate. Confortamini ne timeatis. Iste nouus noster, & præclarus Zorobabel, quoniam solerti & perspicaci mētis intelligentia percipiebat diuinum sermonem, prædicentem solitudinem illam, ecclesiam dico, propter Dei amorem vastatam, post acerbam captiuitatem, & abominationem desolationis, his cõmodis, quæ supra posui, potiturã, ob eam causam non mortuum istud Ecclesiæ cadauer aspernatus est, sed primo omnium obsecrationibus ac precibus, communi omnium vestri consensu, patrem placarum, & propitiũ effecit: & solum eum, qui mortuus vitam tribuit, auxiliatorem, & adiutorem sibi asciscens Ecclesiam hanc prolapsam, simulac eam purgauerat, & sordes inde penitus exemerat, erexit: deinde non veteri ornatu, quem olim habuerat, decorauit, sed qualem à Diuinis eloquiis didicerat, manifestò ita referentibus: Erit gloria domus huius posterior, longe supra priorẽ. Ob quam causam vniuersum locum multo amplioribus terminis circumscribens, exteriorẽ ambitum muro vndique muniuit, ut firmissimum totius operis propugnaculum existeret. Ingens vestibulum in sublime erectum versus orientis solis radios protendit, ut iam qui longè extra sacros illius ambitus cõstant, ex eius aspectu perspicillam cõiecturam facere possint eorum, quæ sunt intus tam artificiosè fabricata. Quin etiam gentiles ipsi non parum ad primos eius introitus contemplandos alliciuntur, vnde nemo ipsum templum præterit, qui non sicut prioris vastitatis recordatione renouata non exiguum doloret, sic ex hoc eius admirabili, & diuino opificio permagnam lætitiã animo capit. Cuius quidem opificij aspectu eum, qui superiorem eius euerisionem deploraret, hic noster sperabat ita prolecatum iri, ut in ipsum templum libenter ingredi velleret. Ei autem, qui portas iam ingressus fuerit, non sit potestas, impuris, & illotis pedibus statim in sancta sanctorum ascendendũ: sed immanẽ quædam inter intimum sanctuarium, & primos introitus intercedit intercedo, quæ quatuor obliquis porticibus tanquã in gyrum deco-

rata est: locus autem sanctuarij in speciem quadrati columnis sublimibus est vndique circumseptus: quarũ media interualla sunt interstitiis ligno, instar retis, aut trasennæ cancellatis, in medio cretæ, & æquabilem lógitudinem portectis circumclusa, medium sanctuariũ desuper apertum & patens relictum, quo cælum suspiciatur, & subtilis aer lucis radiis collustratus intronittatur. Deinceps fontes ex aduersa fronte templi profluẽtia aqua redundantes positi, quibus omnes, qui in sacros templi ambitus introeunt, sordes corporum abluant, qui fontes sacrosancta Baptismatis lauacra repræsentant. Atque hic locus, in quo singuli introeuntium primum ut se lauent, morantur, sicut cuique ornatum, & splendorem affert, sic illis, qui primis fidei principiis instituti sunt, mansio percommoda est ad acquiescendum. Quin etiam quo istas res ad oculos capiẽdos magna operum varietate concinnè illustraret, aditus ad templum patentes, pluribus porticibus intrinsecus fabricatis cõfecit. Rursus ex vno templi latere, quod ad solis radios vergit, tres portas construxit: quarum mediam duabus aliis vtrinque collocatis magnitudine, & laxitate ad maiorem amplitudinẽ lóge prestare cupiens, repagulis æneis, & ferro obductis colligatisq; variis calaturis artificiosè expolitis, eam exornauit, eique tanquam decumanæ portæ custodes præfecit. Eodem modo porticibus ex vtraque parte templi positis, parẽ vestibulorum numerum adiecit, & in his desuper varias fenestras ad templum maiore luce collustrandam excogitauit, easque subtili & arguto opere ex ligno confecto perpulchrè variavit. Sanctuarium autem locupletiore, splendidioreque materia vestiuit vndique, inque ea extruenda affluentium sumptuum magnificentia vsus est. Verũ templi longitudinem latitudinẽque describere, & insignie eius decus, amplam magnitudinem, quæ omnem facillè orationem superat, splendidum operum aspectum, fastigij altitudinem propè ad cælum pertingentem, eximias denique cedros Libani superieccas, hoc loco dicendo prosequi supernacaneum arbitror: quorum mentionem diuina eloquia minime silentio prætereunt: sic locuta: Latibuntur ligna Domini, & cedri Libani, quas plantauit. Quid attinet iam solertis & perpolitæ fabricæ descriptionem, summamque pulchritudinẽ, quæ in quaque parte mirè relucet, exquisitè explicare? præsertim cum oculis melius perspicere possit, quàm verbis exprimi. Porro Sanctuario hoc modo absoluto & perfecto, sellisque quibusdam in altissimo loco ad præsidium ecclesiæ honorem collocatis, & subsellis præterea vndique ordine dispensatis decorè eximieque exornato, altarique denique tanquam sancto sanctorum in medio sanctuarij sito, ista rursus, ut à plebè & multitudine eò non posset accedi, cancellis ex ligno fabricatis circumdedit: qui ad eò artificiosa solertia ad summum elaborati sunt, ut mirabile spectaculum intuentibus exhibeant. Imò ne solum quidem templi ab eo iacebat neglectum: nam marmore summo cum ornatu stratum illustrauit. Iam de cætero exteriores sanctuarij partes aggressus, exedras & ædiculas vtrinque, maximas illas quidem perpolicè extruxit, eaque ad latera eius affabrè coagmentauit, atque ad eò ad fenestras inferioris templi affixit. Quæ eorum causa, qui purgatione & aspersione

per

per aquam & Spiritum sanctum egerent, hic noster placidissimus Salomò huius templi Dei ædificator effecit, ut non amplius verbo, sed re ipsa & veritate prophetia cælitus edita, expleta cerneretur: facta est enim verè gloria domus huius posterior, supra priorẽ. Pari ratione ecclesia catholica, quæ antehac tyrannorum insidiis obruta erat, & diaboli, hostis probitatis, tanquam apri de sylua incurfionibus vastata: iam per gratiam Seruatoris, omni impura & scelestã tyrannidis stirpe purgata est: & post abominationem desolationis ad maiorem splendorem, quam qui prius in ea lucebat, restituta, præter omnium opinionem mirificè enitit, ad eò vt gloria eius posterior priorẽ excellat plurimum. Nam, quoniam pastor illius, & dominus Iesus semel pro ipsa mortem optulit, & post passionem corpus mortale, & caducum quod eius gratia induerat, in gloriosum, & immortale commutauit, & carnem morti obnoxiam ex corruptione ad immortalitatem traduxit, idcirco par erat, & rationi consentaneum, ut illa non aliter atque seruator mira ratione commutaretur. Et quamquam promissionem rerum, hisce quibus iam fruitur longe præstabiliorem accepit, & propterea maiorẽ regenerationis gloria in resurrectione corporis incorruptibilis cum choro angelorum lucis æternæ in ipsa Dei regia supra cælos sita cum Christo Iesu eius patrono, & seruatore ad secula deinceps sempiterna percipere desiderat: tamen interea loci in hoc præsentis seculo ea ipsa, quæ pridem vidua, & deserta solitudo fuit, his per Dei gratiam circumuestita floribus, facta est (vt prophetia loquitur) reuera ut lilium. Atque quo pacto veste nuptiali accepta, & corona decoris ornata, velut choreas ducere, ad gratias Deo regi agendas, & ad eum lætis vocibus honorandum per Esaiam doceatur, eam ipsam loquentem audiamus: Exultet anima mea in domino. Induit enim me veste salutis, & tunica lætitiæ circumdedit me: tanquam sponsum mitra, & tanquam sponsum decorauit me ornamento: & sicut terra augens florem suum, & vt hortus semina sua oriri faciet, sic Dominus Deus oriri fecit iustitiam, & exultationem coram vniuersis gentibus. His igitur ipsa gessit & tripudiat. Sed quibus sponsum, sermo cælestis, ipse Iesus Christus ex aduerso illi resp. ideat, audi Dominum dicentem: Ne timeas, quod confusa fuisti, neque reuerentis quod exprobrata. Quin ignominie perpetuè obliuisceris, & probri videntis tuæ non recordaberis. Non vt mulierem desertam & pusillam animo vocauit te Dominus, neque vt mulierem ex iuuenture odio habitam, dixit Deus tuus: Tempore exiguo dereliqui te, & in misericordia magna miserebor tui. In ira exigua auerti faciem meam abs te, & in misericordia æterna miserebor tui, dixit, qui liberavit te Dominus. Surge surge, quæ bibisti ex manu Domini poculum furoris sui. Poculum enim ruinæ, calicem iræ meæ ebibisti, & exinanuisti: & non erat qui consolaretur te ex omnibus liberis tuis, quos peperisti, & non erat qui prehenderet manum tuam. Ecce accepi de manu tua poculum ruinæ, calicem iræ meæ, & non adjicies vt amplius bibas illum: & dabo illum in manus eorum qui iniuria affecerant te, & qui humiliauerunt te. Surge, surge, indue robur, indue gloriam tuam: excute puluerem, & surge. Assidue, solue vinculum colli tui.

Eleua vndique oculos tuos, & vide congregatos filios tuos. Ecce congregati sunt, & venerunt ad te. Viuo ego, dicit Dominus, quia omnes illos vt ornatum indues, & circumpones eos tanquam sponsa decorẽ. Quia loca deserta tua & diruta & ruinosã iam angusta reddentur ab inhabitatoribus tuis: & elongabuntur abs te, qui absorberunt te. Dicent enim in aures tuas filij tui, quos perdidisti: Augustus est mihi locus factus mihi locum vt inhabitem. Et dices in corde tuo: Quis genuit mihi istos? Ego orba sum liberis, & vidua: istos quis educavit mihi? Ego relicta sum sola: isti mihi vbi erant? Hæc Esaias antea vaticinatus est, Hęc olim in Sacris literis de nobis tradita. Par autem erat istorum verborum veritatem iam tandem ipsa completam fore. Porro eiusmodi voces sponsi verbi Dei ad suam sponfam sacram, & sanctam ecclesiam loquẽtis, merito ista sponse exornator Paulinus, domum desolatam, ruina iacentem, ab hominibus desperatã, communibus omnium vestri precibus, manuumque vestrarum opera adiuncta adiutus, Dei omnium gubernatoris ope, & Iesu Christi virtutis præsidio ei erexit, excitauitque: talique ratione eam construxit, qualem ex sacrorum oraculorum descriptione didicisset. Atque vt hoc certè miraculum maximum est, & supra omnem admirationem, his in primis qui soli externarum rerum visu & contemplatione animum attendunt: sic illa archetypa & exemplaria, quæ primam harum rerum speciem repræsentant, mentèque sola percipiuntur, quæ decora eximieque sunt, renouationes dico diuini & rationalis in animis nostris edificij, omnia miracula longè superant. Quod quidem edificium ipse Dei filius ad suam ipsius effigiem fabricatus, omnino in omnibus partibus Dei speciem illi largitus est: & naturam immortalem, corporis expertem, rationis participem, ab omni terrestri & concreta materia alienam, substantiam sola mentis intelligentia cognitam ei tribuens, semelque in initio ex eo quod non erat, in id vt esset, efficiens, sponfam sanctam & templum sacrum sibi ipsi & patri suo architectatus est. Idemque ipsum ille ipse perspicuè suis verbis ostendit: sic enim loquitur: Inhabitabo in illis, & inambulabo & ero eorum Deus, & ipsi erunt mihi populus. Ac talis ad eò in principio anima fuit, perfecta scilicet ac sincera, vt pote quæ cælestis Dei verbi imaginẽ verè repræsentauit. Verũ vt primum dæmonis nefaria inuidia & æmulatione suo ipsius libero arbitrio, perturbationibus nequitie se dediderat, Deus ab ea recessit: & propterea tanquam patrono ac defensore suo destituta, facillè capi, facillè in eorum insidias venire poterat, qui tam diu in eam ad eò graui inuidia flagrasset. Itaque testudinibus & machinis inimicorum, hostiumque qui non oculis cerni illi quidem, sed mentis acie solum percipi possunt, obiecta notabili ruina cõcidit: vsque eo, vt lapis virtutis super lapidem cõsistens, non omnino permaneret in ea, sed tota penitus humi prostrata tanquam mortua iaceret, naturalibus. Dei notionibus omnibus orbata. Eam igitur quæ erat ad Dei imaginem fabricata, delapsam vastauit non aper hic de sylua, qui sub aspectu nostro subiicitur: sed perniciosus dæmò, & agrestes bellæ, quæ cogitatione solum intelliguntur: quæ quidem prauis affectionibus quasi ardentibus suæ improbitatis telis illam incendunt.

Bibl. Hom. tom. 3. Q 99 2 runt

runt itaque igne factum reuera Dei concremarunt sanctuarium, in terræque polluerunt tabernaculum nominis eius. Deinde eam miseram magno aggere obruētēs, in desperationē omnis salutis profus coniecerūt. Verū hic curator eius salutaris Dei sermo, splendor patris, illam, ubi debita pro peccatis suis lisset supplicia, iterum de in regro incredibili patris optimi erga humanum genus clementiæ obsecutus, in pristinum statum restituit. Rursus, cum postea à diaboli ministris oppugnata esset, seruauit incolūmē: ac primū Imperatoribus ac principibus summis sanctissimisque sibi ascitis, eorum opera vniuersum mundum omnibus, impijs ac pestiferis hominibus atque adeo crudelibus & Deo infestis tyrannis, tanquam labe pernicioſa perpurgauit. Deinde verò viros sibi cognitos, hoc est iam pridem ipsi per vitæ sanctimoniam consecratos, clam & occultè tanquam in tristi & aspera persecutionis procella, ipsius protectione quasi integumento quodam opertos obductōſque in lucem educens, & præclatis sacri Spiritus donis perpulchrè adornans, rursus animas paulò antè velut sordibus involutas, omni colluuiè & ingenti impiorum detortorum acerno oppressas, per istos palis & lignibus, hoc est acribus ad animum ferendum salutaris doctrinæ monitis effodit, expurgauit, absterſit: & ubi locum ac sedem mentis omnium vestrum splendidam & claram effecerat, de reliquo huic sapienti & pio præſidi concredidit: qui vt in alijs rebus tum ad iudicandum acutus, tum ad orationem, quid in quaque re agendum sit, in eūdam perspicax exiſtit: sic in interiore animarum tanquam sortitō illi commissarum cogitatione rectè discernenda, & benignè disquirenda prudens & grans: & à primo serè die hucusque, in animo cuiusque, sicut cuique accommodatum censuit, & edificare non aliquando cessauit. Interdum aurum fulgens, nonnunquam probatum & purum argentum, eximios non rarè ac præciosos lapides, vt sacram denuò ac mysticā suis erga vos officijs completeret prophetiam, per quam dictum est: Ecce ego præparo tibi carbunculum lapidem tuum, & fundamenta tua saphyrum, & propugnacula tua iaspidem, & portas tuas lapides crystalli, & murum tuum lapides electos, & omnes filios tuos doctos à Deo, & in multa pace liberos tuos, & in iustitia edificaberis. Iustitia igitur edificans, pro ratione totius populi suas distribuit facultates. Nonnullos exteriore ambitu ceu muro circumſepit, hoc est, fide nō ficta vndique munit: cuius generis infinita est multitudo, quæ structuram magnificentiorē ferre non valet. Quosdam ad introitus versus templum inferius patentēs admittit, illōſque ianitores constituit, vt homines in templum intromittant: qui sanè tanquam templi vestibula non immeritò putantur. Alios primis columnis aulam templi ad quadrati speciem extrinsecus ambientibus suffulcit: id est intra prima literæ quatuor Euangeliorū quasi repagula introducit. Alios ad sanctuarij septa collocat, nempe cathecumenos, & eos qui in incremento ac progressu fidei versantur, quique ab intimis arcanisque mysterijs, quibus perfectè fideles fruuntur non longè separantur. Ex istorum numero, eos quorum animæ diuino lauacro instar auri purgatæ sunt, omnique macula vacuæ, assumit: atque ex illis deinde alios columnis in-

terioris, ac mysticæ sacrarum literarū intelligentiæ, quæ sunt exterioribus illis columnis multo splendidiores, sustentat: alios fenestris, per quas lumen sancti Spiritus in corda infunditur, mire collustrat. Porro vestibulo vno maximo, ad summi regis, & solius Dei gloriam, templum vniuersum decorat: duas etiam secundas fenestras ad gloriam Christi, & Spiritus sancti eiusdem cum patre authoritatis, ac potentæ, vtrinque construit. In cæteris totius templi partibus illustra veritatis cuiusque sigillatim in fide nostra contentæ indicia, & quasi notas ante oculos omnium statuit. Præterea iste Paulinus vndique viuos in terra gradientes, ac solidos animum lapides diligens, amplam, & regalem domum, splendidam, & plenā luminis ex omnibus fabricauit. Ac tum interiores, tum exteriores eius partes (quia non ex anima solum, & mente sed etiam ex corpore constant) florido, & insigni castitatis, modestiæque ornatu illustrauit. Insunt porro in hoc templo throni, sellæ infinite, & subellia quæ sunt anime illæ, in quibus diuini spiritus dona penitus insident: qualia quondā inter sacros Apostolos cernebantur: quibus linguæ igneæ diuisæ, & disparitate apparuerunt, & singulæ in singulos resederunt. Sed sicut in omnium vestri præſide ipse Christus totus reuera considerat: sic in illis, qui secundas virtutis post eum obtinent, singuli secundum proportionem illius, quod capere possunt, discretas Christi virtutis, & Spiritus sancti portiones assequuntur. Animæ item quorundam sunt sedes angelorum, qui ad quemque ipsorum tum instituendum tum custodiendum assignantur. Augustus porro, ingens, & vnum altare quid aliud significat, quam purum sanctum sanctorum animi, qui est communis omnium sacerdos: cui ad dexteram assistens magnus ipse totius orbis Pontifex Iesus vnigenitus Dei filius, & flagrans incensum, & precum sacrificia, sanguinis, & concreatæ materiæ expertia, ab omnibus læto aspectu, & supinis ac erectis manibus excipiens, cælesti patri Deo omnipotenti offert, ipseque primus patrem adorat & solus dignum decus tribuit, ac venerationem: deinde ab eo sine intermissione flagitat, vt nobis omnibus benignus, & propitius esse perseueret. Eiusmodi est immensum illud templum, quod per vniuersum orbem sub sole situm, magnus omnium rerum opifex Dei sermo fabricauit. In quæ eodem effigiem gloriosi templi supra cæli globos positi, sola mente comprehensam inter homines accuratè expressit, vt omnis creatura, animaliaque in terra rationis capacia, patrem ipsius vero honore & vultu afficeret: Qui etiam ipsam regionem supercælestem, & loca ibi sita (quæ sunt exemplaria horum, quæ hic apud nos sunt) Superiorēque Hierusalem, cælestem montem Syon, & ciuitatem excelſam Dei viuentis construxit: in qua innumerabiles angelorum turmæ, & Ecclesia primogenitorum, qui ciues in cælum ascipiti sunt, laudibus, & præconijs, quæ nec dicendo exprimi, nec cogitatione comprehendendi possunt, suum Creatorem, & omnium ducem, ac moderatorem venerantur. Quem pro dignitate quis mortalis valet satis prædicatione celebrare? Nam nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt ea, quæ præparauit Deus diligentibus se. Quorum quidem rerum, quoniam Deus in hac etiam vita nos aliqua

Certe & non videtur fuisse patre maioris dignitatis esse jho.

ex parte effecit participes, omnes pariter viri, vna cum pueris, & mulieribus, obscuro pariter & nobilibus vno spiritu, vna anima eius nomen confite-ri, tantorum bonorum auctorem laude prædicare non desistamus: Qui propitiatur omnibus iniquitatibus nostris, qui sanat omnes infirmitates nostras. Qui redimit de interitu vitam nostram, qui coronat nos in misericordia, & miserationibus. Qui replet in bonis desiderium nostrū. Quia non secundum peccata nostra fecit nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis. Quia quantum distat ortus ab occidente, longe fecit à nobis iniquitates nostras. Quomodo miseretur pater filiorum miseris est Dominus timentium se. Hæc igitur, & nunc, & in vniuersum tempus posterū, memoria renouātes, quin etiam causam huius celebritatis & splendida, ac præclaræ diei, eiusdemque veluti Corypheum, & ducem Deum noctes, diēſque omni hora, omni denique vitæ cursu, quo spiritū ducimus, ante oculos mentis nostræ præponentes, totis animæ viribus diligamus, veneremurque. Et iam conſurgens magna interioris cogitationis, ac desiderij nostri tanquā voce ei supplicemus, vt sub suo ouili nos perpetuo protegat, conseruet, & æternam denique pacem, quæ nec robore frangi, nec tempestate conuulsari potest, nobis clemēs impertiat, in Christo Iesu seruatore nostro, cui gloria in omnem æternitatem, Amen.

S. IO. CHRYSOSTOMI  
Episcopi Constantinop. in idem  
Euang. de Zacchæo. Serm.

Homil. 10. in Lucam. Subis ipse clamat non esse Chrysostomi, sed Latini alii tunc.

SI per Christum gesta, atque in exemplum cunctis credentibus demonstrata momentis omnibus tractaremus: quantum in nobis cresceret fides, auergetur deuotio, incrementa salutaria promouerent! Nec quisquam cessando torpesceret, sed se exercendo auerget, vt homines toties suos profectus conspicerēt, quoties ista aut mente conciperent, aut sermonibus indicarent. Nec se pararentur minores exemplis, sed semet compararent potioribus meritis: vt, dum sublimia factis & potiora operibus exaquaſſent: sic se imitandos cæteris exhiberent, dum potiores imitari ipsi voluissent. Vnde de multis vnum Zacchæi gestum vobiscum volumus tractare, vt ex ipso, & eius meritum, & Christi domini liberale profertur exemplum. Ascendit in arborem Zacchæus, vt dominum Christum ex alto conspiceret: quem in humili per breuitatem staturæ, videre non poterat. Cupit nosse aspectu, quem intuitus fuerat sensu: videre facie, quem viderat mente: contemplari presentem, quem nunquam viderat operantem: vt amor Christi Zacchæi corde conceptus, etiam oculorum fuisset visibus saginatus. Quem cum in arbore Christi diuina maiestas conspiceret. Festina (inquit) Zacchæe: hodie enim in domo tua mansurus sum. Promittit se Christus ad eius domum venturum, cuius desiderantis iam possederat animum. Venit ad Zacchæum hospitem dominus, spiritales epulas præparantem: vt, cuius fidem solus iam nouerat, eius meritum cunctis præsentibus demonstraret. Denique, adueniente domino, munus gratissimum offert: donum misericordiæ exhibet, de suo dominum promereri conuenit. Ecce dimidium (inquit) de substantia mea do-

pauperibus: & si uni quid fraudauit, quadruplum reddo. Totum quod habuit Zacchæus, obtulisset: nisi fraudis damna multiplici dispendio penſate voluisset. O mira Zacchæi deuotio. Substantiam suam in duas diuidit partes, separat ab extraneo proprio, diuidit à fratribus suam. Discernit à bonis suis, quod fuerat alienum. Pars proficit in misericordiam, pars impenditur in rapinam redimendam. Tribuit pauperibus proprium, & fraudibus tribuit alienum. Recipiūt, qui perdidierant, quadruplum: & residuum pauperibus proficit in subsidium. Non vult enim ex fraudibus reddi multiplicata, quæ tulerat: constituitur fraudes. Ipse se iudicat, ipse se condemnat. Non vult apud se rapinarum quippiam residere, vt posset iudici Christo placere. Denique reddendo, redimit crimen, condemnat factum, vt, dum malè quæſita restitueret, & sua propria pauperibus offerret: sic ex fraudibus veniam, & ex misericordia perciperet gloriam. Vnde dominus Christus eius persequitur laudem, probat fidem, honorat eius in munere deuotionem. Amen (inquit) dico vobis: quoniam hodie salus domui huic facta est, quoniam & hic verè filius est Abraham. Hodie, inquit, domui huic salus facta est: Accepit domus Zacchæi salutem ex fide, quam perdidit aliquando ex fraude. Misericordia reddidit, quod rapina abstulerat: conserunt dona, quod fraudes ademerant. Dona enim pauperum, lucra sunt animarum: vt probabile cunctis existeret, malis quæſibus damna, at misericordiæ operibus lucra maxima aggregari. Quoniam & hic, inquit, verè filius est Abraham. Fit Zacchæus Abraham filius, fide, non genere; merito, non sobole; deuotione, non stirpe. Primò, Zacchæus videre dominum concupiuit, sicut de Abraham sanctissimo ipse dominus dixit; Abraham pater vester concupiuit diem meum videre: vidit, & gaudius est. Secundò, quia Zacchæus hospitio dominum meretur excipere, vt exceperit & pater. Sed Abraham dominum exceperit cum angelis: Zacchæus cum apostolis: ille pergeret ad Sodomam, hic transeuntem per Iudæam. Sed Abraham benedictio meruit filium: Zacchæum verò in filiorum dominus tranſtulit numerum. Tertio, vt omnem substantiam suam fideliter pauperibus obtulisset. Nam totum quod habuit, obtulit: qui patrimonij partem reddendis fraudibus seruauit. Sed Abraham domino, filium: Zacchæus substantiam obtulit. Ille hæredem, hic hæreditatem donauit. Ille immolandum solum, quod habuit, pignus exhibuit: hic patrimonij substantiam domino immolauit. Vnde rectè Abraham filius Zacchæus nūcupatur, dum ordinem gloriæ paternæ exequitur. Vnde Zacchæi exemplo, ab Abraham cunctis aditus aperitur: dum, quibus officiis ad eum perueniri poterat, demonstratur: quare imitare fratrem, si vis pertinere ad patrem: fac quod Zacchæus fecit, vt merearis quod meruit. Similitudo enim officiorum similitudinem exhibet meritorum. Fides Zacchæum exhibet filium, quem fuisse legitimus alienum, Fides, inquam, Zacchæum filium exhibet, quæ Abraham patrem constituit sublimatum. Extranei per fidem admittuntur: & proprij perfidia repelluntur. Si filij Abraham, inquit, essetis, facta patris vestri faceretis, Non potest esse filius, quem diuersi separant actus. Non potest patris cenſeri nomine, qui fuerit diuersus in opere. Si Abraham es filius, imple paternos affectus. Quæ

Ioan. 8.

Gen. 18.

Ioan. 8.



fecit. comple; que docuit, exerce; que docuit, imitare. Unde ubi filij nomen imponis, quem nec actus, nec natura commendat; quem nec fides, nec genus probat; quem nec mores, nec profapia indicat; quem paterna monita factis dissidentibus separant; in te est, ut possis, quia in te est, ut velis. Quia Zachæus idcirco potuit, quia voluit: quum & alius idcirco non potuit quia noluit. Ita enim velle efficit posse, ut efficit nolle non posse. Magna enim vis est voluntatis, quæ nos efficit posse, quod volumus: & non posse illa, quæ nos volumus. Et ex voluntate nostra diuinitus celebratur iudiciu, ut homo quicquid nunc voluerit, eligat: & quod elegerit, ex eo ipso, iudicio cælesti subiaceat. Nec enim quisquam poterit excusari, quasi voluerit, & non poterit: cum constet eum idcirco non potuisse, quia noluit ut nolens, volentis exemplo, damnetur: & volens voluntate propria, quia impleuit, quæ voluit, munereatur.

Non excluditur hic diuinitas, sed ostenditur liberu arbitriu, quo omnis passus in eos qui nos confortat.

**S. TITI BOSTRORVM**  
Episcopi superioris Euangel.  
expositio.

**E**Tece vir nomine Zachæus, & hic princeps erat publicanorum. Zachæus hic inter publicanos principatum tenebat: siquidem ad summum avaritiæ, sicut que pecuniariæ fastigium peruenerat; Enim verò præcipuum publicanorum studium, in vnam hanc rem de industria incumbit. At non perstitit Zachæus in illis sordibus; consecutus est namque à Christo peccatorum veniam. Ipse est enim, qui eos ad se vocat, qui procul absunt, quique illos illuminat, qui in tenebris & obscuritate desident. Cum ergo Zachæus dominum Iesum videre desideraret, eaque de causa in arborem ficomorum ascendisset; atque ideo aliquod iam salutis semine in illo germinasset, statim Christus dominus, qui omnes homines vult saluos fieri, diuinitus oculum in eum defixit, blandaque & amica voce eundem compellauit. Zachæe, inquitens, festinus descende. Nam, ut Deus, omnium præsciens iam tum, quod futurum erat cernebat. Animaduerteat enim hominis animam ad capefendam vitam sanctis dignam vndequeque paratam, nec non ad pietatem amplectendam, modis omnibus propensam. Quare ut primum Christum dominum non citra gaudium in domum exceperit, statim effectus est misericors, statim studiosus pauperum curator, eoque mox iustitiæ ardore inaruit, ut in quadruplum ea se refarturum sponderet, quæ per iniustitiam forsitan sustulerat. Atque hoc legi consentaneè: mandabat enim ea, ut pro vna onie furto ablata, redderentur quatuor. Rectè proinde Christus Deus noster, ait: Hodie salus domui huic facta est, eò quod & ipse sit filius Abrahamæ. Vbiunque enim Christus ingreditur, ibi salus præstò est. Oportebat autem, ut ipsi etiam Iudei, de Zachæo admirabiliter seruato, gauderent, nam & ille quoque inter filios Abrahamæ, quibus Deus per prophetas sanctos redemptionem per Christum promiserat celebratur.

Exod. 22. 3. Reg. 12.

**S. AVGVST. EPISCOPI**  
Hippon. in eodem festo  
Homilia.

**B**ona opera fideliam de sua temporali terraque substantia cum in thesauris cælestibus reconduntur, fides hoc videt, quæ pietatis oculum habet in corde. Unde & ista ædificia, quæ congregandis religiosis cœteribus extruuntur, cum oculo carnis inspexerit, laudat interius quod cernit exterius, & visibili accipit lumine ad quod gaudeat inuisibili veritate. Neque enim occupata est fides inspicere quam pulchra sunt membra huius habitationis, sed de quanta interioris hominis pulchritudine procedant hæc opera dilectionis. Retribuet ergo dominus fidelibus suis tam piæ, tam hilariter, tam deuote ista operantibus, ut eos quoque ipsos in suæ fabricæ constructione componat, quod currunt lapides vini fide formati, spe solidati, charitate compacti. Vbi sapiens ille architectus, Apostolus scilicet fundamentum posuit Christum Iesum, summum ipsum lapidem angularem, sicut & Petrus de prophetica scriptura comemorat, ab hominibus quidem reprobatum, à Deo autem electum, & honorificatum. Huic adherendo pacamur, huic incumbendo firmamur. Simul enim est & fundamentum, quia ipse nos regit. Et angularis, quia ipse coniungit. Ipse est petra, super quam vir sapiens, ædificans domum suam, contra omnes huius seculi tædationes tutissimus perseuerat. Nec pluuia irruente, illabitur, nec flumine inundate, subvertitur, nec ventis flantibus, commouetur. Ipse est & pax nostra, qui fecit vtraque vnū: in ipso enim neque circumcisio quidquam valet, neque præputium, sed noua creatura. Hi enim duo itaquam parietes ex diuerso venientes, longe abinuicem fuerant, donec ad illum itaquam ad angulum ducti etiam in illum sibimet copulati sunt. Itaque sicut hoc ædificium visibile factum est nobis corporaliter congregandis, ita illud ædificium, quod nos ipsi sumus, Deo spiritaliter habitato constructum. Templum enim sanctum est, inquit Apostolus, quod estis vos, si hoc non terrenis molibus erigamus. Hoc enim nunc visitantibus nobis, illud in hunc seculi domino veniente dedicabitur, quando corruptibile hoc nostrum induet incorruptionem, & mortale hoc nostrum induet immortalitatem. Quia corpus humilitatis nostræ conformabit corpori gloriæ suæ. Videte enim quid dicat in Psalmo dedicationis: Convertisti luctum meum in gaudium mihi, conscidisti sacrum meum & accinxisti me læticia, ut canter tibi gloria mea & non compungar. Quum enim ædificamur, gemit ei humilitas nostra. Quum autem dedicabimur, cantabit ei gloria nostra. Quia in ædificatione labor est, in dedicatione læticia. Dū cæduntur de montibus lapides, & ligna de syluis, dum formantur, dolantur, coaptantur, labor, & cura est. Quum autem perfecti ædificij dedicatio celebratur, gaudium, & securitas laboribus curisque succedunt. Sic etiam ædificatio spiritualis, cuius habitator Deus non ad tempus, sed in æternum erit. Dum ex infideli vita homines segregantur ad fidem. Dum quicquid non bonum atque peruersum est amputatur & cæditur, dum sunt apta, pacifica, pia que iuncturæ, quantæ tæ-

Serm. 16. lib. 17. Homil.

1. Cor. 3. 1. Pet. 2.

Matth. 7. Ephes. 1. Gal. 6.

2. Cor. 3.

1. Cor. 15. Philip. 3. 1. Gal. 2. 9.

Matth. 25.

Ephes. 5.

1. Cor. 15.

Psal. 4.

Psal. 26.

Colos. 3.

2. Cor. 5.

1. Cor. 3.

Opus exterioris h. sili. 1. s. s. vite æterna merito.

tationes timentur, quantæ tribulationes sustinentur? Quum vero aduenit dies dedicationis domus æternæ, cum dicitur nobis, venite benedicti patris mei percipite regnum, quod vobis paratum est ab initio mundi: quæ illa exultatio, quæ securitas erit? Cantabit claritas, nec cõpungetur infirmitas. Quum ostendet seipsum nobis, qui nos dilexit, & tradidit semetipsum pro nobis. Quum apparuerit hominibus, quod est factus in matre, apparebit eis Deus factor quod erat in patre. Quum ingreditur perfectam, & ornata, vnitate stabilitam, immortalitate vestitam æternus ipse habitator domum suam, implebit omnia, fulgebit in omnibus, ut sit Deus omnia in omnibus. Hanc vnam visionem petiuit domino quidam. Et ipse quidam si volumus, nos sumus. Huius desiderio laborauit in gemitu suo, hinc lauit per singulas noctes lectum suum, & lachrymis stratum suum rigauit. Propter hæc enim fuerunt ei lachrymæ suæ panes die, ac nocte, dum diceretur ei per singulos dies, vbi est Deus tuus? Ipse quippe ait. Vnam petij à domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo domini per omnes dies vitæ meæ, ut contempler delectationem domini & protegar in templo suo. Ipse habitator, ipse habitatio. Qui enim habitant in domo, Dei ipsi sunt etiam domus Dei, quæ contemplatur delectationem eius, & protegitur in templo eius, & absconditur in abscondito vultus eius. Hanc spem tenemus, rem nondum videmus: si autem quod non videmus speramus, per patientiam expectamus & per patientiam ædificamur. Eia ergo fratres si resurrexistis cum Christo quæ sursum sunt querite, vbi Christus est in dextera Dei sedens. Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Ideo enim & Christus fundamentum nostrum ibi positus est, ut sursum verius ædificemur. Sicut enim terrenis molibus constructendis, quarum graua corpora non vtique nisi ad ima demergant, in imo ponitur fundamentum: sic nobis econtrario sursum est positus lapis ille fundamentum tale, ut sursum nos rapiat etiam pondere charitatis. Alacriter ergo cum timore & tremore vestram ipsorum salutem operamini. Deus enim est, qui operatur in vobis volentibus operari per bonam voluntatem. Omnia facite sine mutatione, & tanquam lapides viui coædificamini in templum Dei, & tanquam ligna imputribilia de vobis ipsi facite domum Dei, Conquadrantini, dolamini in laboribus, in necessitatibus, in vigiliis, in negociis, ad omne opus bonum parati, ut in æterna vita velut compage in societate angelorum requiescere mereamini: iste enim locus temporaliter ædificatus, propter quorum-dam necessitatem, per opera misericordiæ factus est, nec durabit in æternum, sicut & ipsa nostra corpora non sunt vtique sempiterna, sed temporalia, atque mortalia. Habitationem autem habemus ex Deo, domum non manufactam, æternam in cælis, vbi & ipsa nostra corpora cõuersione resurrectionis cælestia & sempiterna futura sunt. Et nunc quannus nondum per speciem, sicut erit facie ad faciem, tamen per fidem habitat in nobis Deus, & ei sic habitanti habitaculum per bona opera effacimur, quæ opera æterna non sunt, sed ad æternam vitam perducunt. Ex quibus est & hoc opus, quo ista basilica fabricata est, non enim tales fabricas ibi operabimur. Nullus ibi

locus ruiturus ædificatur, quod nullus habitator moritatus ingreditur. Nunc tamen sit bonum temporale opus vestrum, ut æterna sit merces vestra. Nunc inquam, fidei & spei domum spiritali dilectione construite in omni opere bono, quod tunc non erit, quia indigentia nulla erit. Fundamenta ergo in cordibus vestris apostolica, & prophetica monita iacite: humilitatem vestram sicut pavementum sine offensione profernite: salutarem in corde vestro doctrinam orationibus, & sermonibus tanquam firmis parietibus communitate, diuinis eos testimoniis tanquam luminaribus illustrate, infirmos sicut columnas susterte, inopes sicut testam protegere, ut dominus Deus noster pro temporalibus bonis æterna restituar, & vos in æternum perfectos, dedicatõsque possideat.

**EIVSDEM IN EODEM**  
festo, Homil.

**Q**uando bona opera, etiã quæ propter Deum fiunt, hominibus ostenduntur, quum ea faciunt boni, & religiosi, non laudes humane appetuntur, sed imitanda proponuntur. Duplex est enim misericordia, quæ fit in bono opere, Corporalis est, & spiritalis. Esurientibus, sitientibus, nudis, peregrinis corporali misericordia subuenitur. Eadem tamen ista cum ostendantur, & ad imitationem cæteros prouocant, etiam spiritus mentesque pascuntur. Alius pascitur opere bono, alius exemplo bono, ambo enim esuriunt. Ille vult accipere vnde alatur, iste vult videre quod imitetur. Monet nos de hac veritate etiã sancti Euangelij lectio, Christianis enim dicitur in Deum credentibus, bene operantibus, spem vitæ æternæ pro bonis operibus expectantibus, Vos estis lux mundi: & vniuersa vbique Ecclesiæ diffusæ dicitur, Non potest ciuitas abscondi supra montem constituta. Erat, inquit, in nouissimis temporibus manifestus mons domus domini, paratus in cacumine montium. Ipse est mons, qui ex paruo lapide creuit, & totum orbem crescendo impleuit. In illo ædificatur Ecclesia, quæ abscondi non potest: neque accendunt lucernam & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum ut luceat cranibus qui in domo sunt. Bene occurrit lectio, quando candelabra dedicantur, ut sit qui operatur lucerna posita in candelabro. Lucerna est enim homo qui bene operatur. Quod autem candelabrum? Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce domini mei Iesu Christi. Qui ergo secundum Christum facit, & propter Christum facit, ut non gloriatur nisi in Christo, candelabrum est. Luceat omnibus, videant quod imitentur, non sint pigri, non auari, prosit quod vident. Non sint oculis videntes, & cordibus cæci: sed ne forte occurrat alicui quod dominus bona opera velut tubet abscondi, vbi dicit, Cauete facere iustitiam vestram coram hominibus ut videamini ab eis, alioquin mercedem non habebitis apud patrem vestrum, qui in cælis est. Debet questio ista dissolui ut nouerimus quemadmodum domino obtemperemus, ne obtemperate illi non possimus cum eum contra iubere audimus. Hac dicit, Luceant opera vestra coram hominibus, ut videant bona facta vestra. Hac dicit, Cauete facere iustitiam vestram coram

Serm. 17. lib. 17. Homil.

Serm. 17. lib. 17. Homil.

Matth. 5. Esai. 2.

Matth. 5. Esai. 2.

Matth. 5. Esai. 2.

Matth. 6.

Matth. 5. Matth. 6.

hominibus, ut videamini ab eis. Vultis nosse quā sit ista quaestio dissoluenda? Et nisi dissolatur, moleste erit, si remaneat insoluta. Quidam homines faciunt bene, & timent videri, & omni studio, quantum possunt, cooperiunt bona opera sua. Captant, quando neminem videant, Tūc aliquid porrigunt, timentes ne offendant in illud praecceptum vbi dictum est, *Cauete facere iustitiam vestram coram hominibus ut videamini ab eis.* Non autem Deus iustitiam bona opera abscondi, sed in bonis operibus laudem humanam non cogitare. Denique cum dixit, *Cauete facere iustitiam vestram coram hominibus: vbi finiuit ut videamini ab eis.* Ut ideo faciant ut videantur ab hominibus, hunc fructum boni operis quaerant, hunc ferant, nihil aliud expectent, nihil superioris & caelestis commodi concupiscant. Si ideo solum faciat ut laudetur, hoc prohibuit Deus, *Cauete facere.* Quo modo? Ut videamini ab eis, *Cauete hūc facere fructum, id est, visionem hominum.* Iubet autem videri opera nostra, & dicit, *Nemo accendit lucernam, & ponit eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt.* Et sic luceant opera vestra coram hominibus, ut videant, inquit, bona facta vestra. Et non ibi remansit, sed glorioscent, subiunxit patrem vestrum qui in caelis est. Aliud est in bono opere quaerere laudem Dei. Quando quaeris laudem Dei, aeternam gloriam acquisisti. Sic ergo faciamus ut non videamur ab hominibus: hoc est, sic faciamus ut visionem hominum pro mercede non quaeramus, sed sic faciamus ut videntibus & imitantibus gloriam Dei cognoscamus. Quod si nos tales non faceret, nihil essemus.

Luce. 8. & 11.

**EIVSDEM IN EODEM festo, Homilia.**

Serm. 232. de temp.

2. Cor. 3. & 6.

Conscientia mundatur a peccatis orationibus, ieiunijs, & elemosinis.

**Q**uotiescunque, fratres charissimi, altaris, vel templi festiuitatem colimus, si fideliter, ac diligenter attendimus, & sancte, ac iuste viuimus, quicquid in templis manufactis agitur, totum in in nobis spiritali aedificatione completur. Non enim meritis est ille, qui dixit, *Templum enim Dei sanctum est quod estis vos.* Et iterum, *Nescitis quia corpora vestra templum sunt spiritus sancti qui in vobis est?* Et ideo, fratres charissimi, quia nullis praecedentibus meritis, per gratiam Dei meruimus fieri templum Dei, quantum possumus eam ipsius adiutorio laboremus, ne dominus noster in templo suo, hoc est, in nobis ipsis inueniat quod oculos suae maiestatis offendat: sed habitaculum cordis nostri euacuetur vitijs, & virtutibus repleatur, claudatur diabolo, & aperiatur Christo, & ita laboremus, ut nobis bonorum operum clauibus ianuam regni caelestis aperire possimus. Sicut enim malis operibus quasi quibusdam ferris, ac vestibis vitae nobis ianna clauditur, ita absque dubio bonis operibus aperitur. Et ideo, fratres charissimi, vnusquisque consideret conscientiam suam, & quando se aliquo crimine vulneratum esse cognouerit, prius orationibus, ieiunijs, vel elemosinis studeat mundare conscientiam suam, & sic Euchariis praesumat accipere. Si enim agnoscens reatum suum, ipse se a diuino altari subtraxerit, cito ad indulgentiam diuinam misericordiae

perueniet. Quia sicut qui se exaltat, humiliabitur, ita e contrario, qui se humiliat exaltabitur. Qui enim sicut dixi, agnoscens reatum suum, ipse se humiliter ab altari Ecclesiae pro emendatione vitae remouere voluerit, ab aeterno illo, & caelesti conuiuio excommunicari penitus non timebit. Rogo vos, fratres, diligenter attendite, si ad mensam cuiuscunque potentis hominis nemo praesumat cum vestibus confectis, & inquinatis accedere, quanto magis a conuiuio aeterni regis, id est, ab altari domini debet se vnusquisque inuidiae, vel odij veneno percussus, iracundiae furore repletus, cum reuerentia, & humilitate subtrahere, propter illud, quod scriptum est, *Vade prius reconciliare fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.* Et iterum, *Amice, quomodo huc intraisti non habens vestem nuptialem?* Sic enim habet textus Evangelicae lectionis, quod quidam fecerit nuptias filio suo, & intrauerit ut videret simul recumbentes, & videns ibi hominem non habentem vestem nuptialem, dixit ad eum, *Amice, quomodo huc intraisti non habens vestem nuptialem?* Et illo obmutescēte, dixit ministris, *Ligate illi manus, & pedes, & projicite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium.* Ecce qualem sententiam meretur audire, qui ad conuiuium nuptiale, id est, ad altare domini, aut ebriosus, aut adulter, aut odium in corde retinēs, praesumat accedere? Avertat hoc Deus a nobis, fratres charissimi, & concedat ut mala ista, aut nunquam velimus admittere, aut, si admissa fuerint, sine vlla mora poenitentia, vel pace studeamus sanare, & largioribus elemosinis festinemus abluere, ne forte si cum peccatorum vulneribus ante tribunal aeterni iudicis venerimus, ab illa aeterna Ecclesia, & ab illa caelesti Hierusalem perpetua excommunicatione separemur. Considerate, fratres, rogo vos, si hodie aliquis a conuētu Ecclesiae huius pro aliquo crimine projiciatur foras, in quanto dolore, vel tribulatione erit anima sua? Et, si intolerabilis dolor est de illa ecclesia foras projici, vbi ille, qui proiecit, & manducare, & bibere, & cum hominibus loqui potest, & habet spem, ut iterum mereatur ad ecclesiam reuocari: quantus putatis dolor ille erit, si aliquis pro criminibus suis ab illa ecclesia, quae in caelis est, a conuētu angelorum, vel sanctorum omnium congregatione fuerit separatus, cui nec hoc solum sufficit ad poenam, quod foras projicitur, sed insuper in tenebras exteriores aeterno incendio concremandus excluditur? Qui enim in illa caelesti Hierusalem excommunicari meruerit, non solum hoc poenae habebit, quod nec manducare, vel bibere poterit, sed etiam flammam infernales sustinebit, vbi est fletus, & stridor dentium, vbi ululatus, lamentatio, & poenitentia sine villo remedio, vbi est vermis ille, qui non moritur, & ignis, qui nunquam extinguitur, vbi mors quaeritur, & non inuenitur. Quare in inferno mors quaeritur, & non inuenitur? Quia quibus in hoc seculo vita offertur, & nolunt accipere, in inferno quaerunt mortem, & non poterunt inuenire. Vbi erit nox sine die, amaritudo sine dulcedine, obscuritas sine lumine, vbi nec diuitiae, nec parentes, nec coniuges, nec filij, nec vicini poterunt subuenire, vbi nihil peccator inueniet, nisi quod de hoc seculo castē, & iuste viuendo per elemosynarum largitatem transierit. Hae ergo cogitantes,

Luce. 14. & 18.

Math. 5. & 22.

Elemosinis peccata abluuntur.

Esa. 66.

rantes, fratres charissimi, tam casti, & tam sobrij, & tam pacifici ad istud altare, Deo auxiliante studeamus accedere, ut ab illo aeterno altari non mereamur excludi. Qui enim ad istud altare casto corpore, & mundo corde cum munda, & secuta conscientia venit, ad illud altare quod in caelis est felici transmigratione perueniet. Ad extremum, fratres charissimi, non est graue, nec laboriosum, quod suggero, hoc dico quod vos frequenter facere aspicio. Omnes viri quando communicare desiderant, lauant manus suas, & omnes mulieres nitida exhibent linteamina, vbi corpus Christi accipiant. Non est graue quod dico, fratres, quo modo viri lauant aqua manus suas, sic elemosynis lauent conscientias suas. Similiter & mulieres, quo modo nitidum exhibent linteolum, vbi corpus Christi accipiant: sic corpus castum, & cor mundum exhibeant, ut cum bona conscientia Christi sacramenta suscipiant. Rogo vos, fratres, nunquid est aliquis, qui in arca sordibus plena velit mittere vestem suam? Et si in arca sordibus plena vestis non mittitur pretiosa, quae fronte in anima, quae peccatorum sordibus inquinatur, Christi eucharistia suscipitur? Et quia istis verissimis exemplis loqui coepimus, etiam & hoc quod non notis insinuo. Non puto esse aliquem hominem, qui in arca sua, vbi pretiosas vestes habet repositas, acquiescat, aut carbonem viuum, aut qualemcunque scintillam includere. Quare hoc, fratres? Quia timet ne comburantur vestimenta, quibus in festiuitate induitur. Rogo vos, fratres, qui in arca sua non vult scintillam ignis includere, quare in anima sua flammam iracundiae non timet accendere? Sed quare hoc fiat, manifeste, & euidenter cognoscimus. Ideo enim in arcam ignem non mittimus, quia non solum non diligimus, sed etiam odio habemus animam nostram, secundum id quod scriptum est, *Qui diligit iniquitatem, odit animam suam.* Et ideo, fratres charissimi, exempla ista attentius cogitantes, arcillas interiores, id est, conscientias nostras quantum possumus cum Dei adiutorio custodire diligentius studeamus, ut, cum dies iudicij aduenerit, in illa aeterna, & beata Ecclesia, vbi nunquam habitare poterit malus, vnde nunquam exiturus est bonus, non cum pannis veteribus foras in tenebras exteriores exclusi appareamus, sed stola immortalitatis induti, castitatis, vel iustitiae gemmis ornati, elemosynarum luce vestiti audire mereamur. Venite benedicti patris mei, percipite regnum. Et illud, *Serue bone, & fidelis, intra in gaudium domini tui.* Ad quod gaudium nos dominus sua protectione perducat, *Qui viuunt, & regnant in secula seculorum, Amen.*

Psal. 10.

Math. 25.

**EIVSDEM IN EODEM die Homilia.**

Sermo 233. de temp.

**R**egē festa ecclesiae colunt, qui se Ecclesiae filios esse recognoscunt. Hae enim omnium credentium mater est, quae natos a morte regenerat ad salutem. Hae est post synagogam quidem vocata, sed ante synagogam promissa. Hae enim iam in primo homine praefigurata est. Nam sicut ex Adae latere fabricata est Eua, ita ex Christi cor-

Genes. 2.

pore, & vulnere redempta creuit ecclesia. Haec intra arcam diluuii exundante seruata, crucis beneficium, & baptismatis mysterium praefignauit. Hanc Sara sterilis, & desperata in senectute uicino pignore fecundata praecinit, quod ecclesia vnicum, id est, dilectissimum Deo populum seculo iam senescente progenuit. Hae est regina illa, de qua ad dominum dicitur, *Assitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato circumamicta varietate: id est, diuersarum circumdata precioso decore virtutum.* Hae est illa regina, quae venit a partibus Aethiopiae audire sapientiam Salomonis, Sed haec non tam ex vna regione, quam ex vniuersis mundi partibus reges paritura conuenit, sicut etiam Euangelista commemorat: *Regina Austria venit a finibus terrae audire sapientiam Salomonis.* Venit ecclesia ad redemptorem & eruditorem suum, ut de stulticia erroris doctrinam perciperet veritatis. De qua plenius, sicut audiuimus: regnum scribit historia ita dicens, *Et ingressa regina Hierusalem cum multo comitatu, & diuitiis, cum camelis portantibus aromata, & aurum infinitum nimis, & gemmas preciosas, venit ad Salomonem, & locuta est ei vniuersa, quae habebat in corde suo.* Ergo in figura reginae huius ecclesia venit ex gentibus, & a finibus terrae, imponens finem cupiditatibus vitijque terrenis, ut audiret sapientiam Salomonis, id est, veri pacifici domini nostri Iesu Christi, qui fecit vtraque vnū, soluens inimicitias inter Deum, & hominem in carne sua. Venit post veteres & profanas superstitiones audire, & discere de fidei illuminatione, & iudicio futuro, de animae immortalitate, de spe resurrectionis, & gloriae. Venit ergo in Hierusalem cum multo comitatu, id est, non iam cum vna tantum gente Iudaeorum, sicut prius synagoga solos habuit Hebraeos, sed totius mundi gentibus diuersisque nationibus. Venit ergo exhibens munera digna Christo, aurum & gemmas pretiosas, & hoc camelis portantibus, id est, ex gentili populo venientibus, qui prius fuerant vitiorum foeditate distorti, & malorum onere curui, ac peccatorum prauitate deformes. Cum his tanquam muneribus regina haec ingreditur ad pacificum regem Christum, exhibens fidei aurum, puritatis incensa preciosa, splendorisque gemmarum, morum scilicet insignia & ornamenta virtutum & locuta est ei vniuersa quae habebat in corde suo: id est, aperuit ei cor suum, manifestauit ei occulta conscientiae suae in confessione & poenitudine praecedentium delictorum. Videamus quid agat haec regina. Videns, inquam, regina Saba omnem sapientiam Salomonis, & domum, quam aedificauerat, & cibos mensae eius, & holocausta quae offerebat in domo domini non habebat vltra spiritum. Quid erat rationis, ut praetens regina domus expensas, & cibos regio tantopere miraretur? Ergo hoc loco aliqua maiora nos oportet inquirere. Vidit ergo ecclesia ex gentibus congregata sapientiam Christi, id est, post carnalia instituta gentilium, post humanam & animaleam doctrinam philosophorum, accepit intellectum salutis & vitae, inspexit spiritalium membra bonorum, agnouit verum fabricatorem caeli, & terrae, & potentissimum humani generis conditorem, de cuius sapientia dicitur, *Omnia in mensura, & pondere & numero constituit.* Vidit & domum, quam aedificauerat, id est, incarnationem hominis assumpti, in quo

Genes. 31.

Psal. 44.

3. Reg. 10.

Math. 12.

3. Reg. 1.

Ephes. 2.

3. Reg. 10.

Sap. 17.

Colos. 2.

habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Vidit & cibos mensæ Salomonis, id est, illos, de quibus dominus dicebat, Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius, qui me misit patris. Cibus enim Christi est salus nostra, reficitur cælestibus epulis profectibus nostris. Cibus eius sumus, dum acquisiti ecclesiæ in membra eius corpusque transimus. Vel cibus eius altaris sacramenta cælestia sunt, de quibus dicitur, Panem cæli dedit eis, panem angelorum manducauit homo. Vidit & holocausta eius, orationum sine dubio supplicationumque mysteria, & obstupuit, vbi vidit inestimabiles diuitias domini sui, dixitque ad regem, Verus sermo est, quem audieram in terra mea super sermonibus tuis, & super sapientia tua, & non credebam narrantibus, donec ipsa veni, & vidi oculis meis, & probaui quoddam pars nuntiata mihi non fuisset. Maiora sunt sapientia, & opera tua, quam rumor, quem audiui. Cùm ergo peruenerit regina hæc, siue ecclesia, siue quæcunque anima sancta in æternam Hierusalem, id est, visionem pacis, & ingressa fuerit beatam requiem, & gloriam cælestium promissorum, multo plura, & magnificentiora perspiciet, quam ei sunt in hac terra per sacra eloquia, per Prophetas, atque Apostolos nuntiata. Nunc enim tanquam in speculo, & in enigmate, tunc autem oculis suis videbit, id est, facie ad faciem. Tunc beata, & illustris anima inter stupendas remuneratoris sui constituta diuitias, & ineffabilibus reginæ huius verbis vti ad Deum poterit dicens; Verus est sermo, quem audiui in terra mea super sermonibus tuis, maiora sunt opera tua, quam rumor, quem audiui. Et reuera id, quod parat Deus diligentibus se fide non comprehenditur, spe non tangitur, charitate nõ capitur, desideria & vota transfreditur. Acquiri potest, estimari non potest. Habet de perceptione fructum, non habet de fatigante fastidium. Ad quæ vos bona perducatur, qui uuit, & regnat in secula seculorum, Amen.

**EIVSDEM IN EODEM**  
*die, in regione tertia, in Basilica sancti Petri Carthaginiensis, Homilia.*

**D**ecorem domus Dei, & locum tabernaculi claritatis eius diligimus, si & nos ipsi sumus. Quis ergo decor est domus Dei & locus tabernaculi claritatis eius, nisi templum eius, de quo Apostolus dicit, Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos? Sicut ergo in fabricis manufactis cùm eleganter, & magnificè construuntur, corporalis noster mulcet aspectus: ita cùm lapides viui, id est, corda fidelium charitatis vinculo continentur, decor est domus Dei, & locus tabernaculi claritatis eius. Discite ergo, quod amare debetis, vt amare possitis. Qui enim diligit decorem domus Dei, non est dubium, quia Ecclesiam diligit, non in fabrefactis parietibus, & rectoris, non in nitore marmorum & laquearibus aureis, sed in hominibus fidelibus, sanctis, Deum diligentibus ex toto corde suo, & ex tota anima sua, & ex tota mente sua, & proximum suum tanquam seipsum. Sed in congregatione Christiana quantum pertinet ad participationem, & communionem sacramentorum,

multiplicati sunt super numerum. Alius est ergo numerus, alij super numerum. Numerus est, de quibus dicit Apostolus. Nouit dominus, qui sunt eius. Super numerum autem, Quoniam in magna domo non solum vasa sunt aurea, & argentea, sed & lignea, & scilicet, alia quidem in honorem, alia in contumeliam. Numerus ergo vasorum in honorem: super numerum autem vasa in contumeliam. Cùm ergo sint ista duo genera vasorum, nunquid dubitamus vbi sit decor domus Dei? Si ergo vis diligere, agis quod cantasti decorem domus Dei, & locum tabernaculi claritatis eius. Quære vasa in honorem, & nolo dicas, Quæsiui & non inueni. Ideo enim quæsiisti & non inuenisti, quia quod quæsiisti tu non fuisti. Similis simili coheret, dissimilis dissimiles refugit. Si fuerit vas in contumeliam, proculdubio vas in honorem graue tibi erit ad videndum. Non audis quo modo quidam de quodam dicant. Grauis est nobis etiam ad videndum? Quod tibi graue est ad videndum, quando erit apertum ad inueniendum. Vasa enim ista interiorum hominum sunt. Non vti que cum visus fuerit iustus, iam agnoscitur iustus. Eundem aspectum habet iustus & iniustus. Vterque homo, sed non vterque; domus Dei. Et, si ambo Christiani appellantur, vtrunque vas, sed non vtrunque in honorem, sed aliud in honorem, aliud in contumeliam. Nunquid propter mala vasa deservenda est domus magna? Nouit vti Deus, id est, dominus magnæ domus & vasis in honorem & vasis in contumeliam. Sicuti est malorum male vti etiam bonis: sic econtra Dei, bene vti etiam malis. Quantis bonis vtuntur mali? Omnis enim creatura Dei bona est, quo modo ea male vtuntur mali? Quo modo eos increpat scriptura dicens, Petiitis & non accipitis, ed quoddam malè petatis, vt in concupiscentiis vestris infumatis. Quod nomen acceperunt isti male vtentes bonis Dei? Sequitur & dicit, Adulteri. Vnde adulteri? Nescitis quia amicus huius mundi inimicus Deo constituitur? Adulteri, inquit, sunt animæ adultere, sunt fornicariæ. Discutiamus eas. Fornicariæ animæ sunt, multis diis falsis quodam modo prostituta. Adulteræ autem tanquam legitimo iam coniugio copulata, & ipsi legitimo coniugio non seruantes animæ castitatem. Vt hoc dicam expressius, pagani anima fornicaria est, Christiani mali adultera. Pagani anima fornicaria, legitimum virum non habet, sed per diuersa dæmonia prostituta corrumpitur. Christiani autem aliqua re adultera est, quia nec castitatem diligit, nec virum deserit. Non ergo dicas, Quare sunt isti in domo Dei? Respondetur tibi, Vasa sunt in contumeliam. Nouit eis vti Deus. Non errat qui creauit, quoniam, qui poruit creare, nouit ordinare. Habent in domo magna locum suum. Si autem quæris à me, quo modo bene eis vtatur Deus? Fateor, Dei consilium sicut homo explicare non possum. Noui enim cum Paulo Apostolo expauescere, quod etiam ille cum consideraret expauit, & expauescens clamauit, O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quam inscrutabilia sunt iudicia eius: & inuestigabiles viæ eius! Quis enim cognouit sensum domini, aut quis consiliarius eius fuit, aut quis prior dedit illi, & retribuetur illi? Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia, ipsi gloria in secula seculorum. Nobis consideratio, admiratio, tremor, exclamatio, quia nulla

nulla penetratio. Ipsi autem quid? Gloria in secula seculorum. Siue de vasis in honorem, siue de vasis in contumeliam, ipsi gloria in secula seculorum. Alios coronat, alios damnat, nusquam errat. Alios probat, de aliis probat, omnes ordinat. Quid faciunt, inquit, in hoc mundo homines mali? Responde mihi, in fornace aurificis, palea quid facit? Puto non ibi esse sine causa paleam, vbi aurum purgatur. Videamus quæ ibi sint omnia. Fornax est, palea est, aurum est, ignis est, artifex est. Sed illa tria, aurum, palea, ignis in fornace, artifex ad fornacem. Attende etiam istum mundum. Mundus fornax est: palea, homines mali: aurum, homines boni: ignis, tribulatio: artifex, Deus. Attende & vide, aurum non purgatur si palea non vtatur. Vide autem in hoc ipso Psalmo, vbi diligimus decorem domus Dei, & locum tabernaculi claritatis eius. Vide ibi aurum, vide vocem auri, purgari cupit, Proba me domine & tenta me. Proba me, inquit, domine, & tenta me, & vide si non ignem quærit. Proba me, & tenta me, vte renes meos & cor meum. Non times ne in igne deficias? Non inquit. Quare? Quia misericordia tua ante oculos meos est. Ecce, inquit, quare securus dico, Proba me, domine & tenta me, vte renes meos, & cor meum: non quia idoneus sum viribus meis ignem sustinere tentationis, sed quia misericordia tua ante oculos meos est. Qui mihi, inquit, donasti vt aurum probatum essem, in fornace perire permittis? Proforus mittis purgandum, eiicis purgatum. Custodiat dominus introitum tuum & exitum tuum. Vide ipsum exitum, vide ingressum in fornace. Omne gaudium existimate, fratres mei, cùm in tentationes varias incideritis. Ecce audisti ingressum, quære exitum. Facile enim est intrare, exire magnum est. Sed noli timere. Fidelis Deus. Nempe quia ingressus fueras, de exitu cogitabas. Fidelis Deus, qui non vos permittit tentari supra id, quod potestis, sed faciet cum tentatione etiam exitum. Quid est exitum? Vt possitis sustinere. Intraisti, incidisti, sustinisti, existi. Magna materies est purgationis bonorum, abundantia malorum. Nam in multitudine malorum quamuis permitti lateant boni, nouit dominus qui sunt eius. Sub manu tanti artificis, auri amica in magna palea perire non potest. Quanta ibi palea quam modicum aurum? Sed noli timere, tantus est artifex vt purgare possit perdere non possit. Vide aurum beatum Apostolum in ista fornace mundi huius quemadmodum periculis probatur, vt veniamus ad vasa in honore quæ intus sunt, quibus nouit bene vti dominus magnæ domus. Apostolus ergo cùm periculis probaretur, quid dicebat? Periculis in mari, periculis in deserto, periculis ex genere, periculis ex gentibus. Ista omnia foris sunt. Intus intendite. Periculis in falsis fratribus. Alloquor ego aurum Dei, alloquor vasa facta in honorem, alloquor grana in tritura areæ, inter paleam laborantia. Tibi dico, quisquis audis, non me, sed per me: Esto bonus, tolera malum. Nolo dicas quis est bonus, imò hoc volo dicas, quoniam quantumcunq; fueris bonus, nõ eris sine aliquo malo. Vnde rectissime dicitur. Nemo bonus, nisi solus Deus. Sed bonus ille qui facit bona, Deus est. Si ergo bonus Deus qui facit bona, & solus ille bonus effectus bonorum, quomodo est effectus bonorum, si nullus est hominum bonus? Secundum

modulum ergo proximum, est & homo bonus. Qui si non esset, Deus ipse non diceret, Homo bonus de bono thesauro cordis sui profert bona. Esto ergo bonus, & tolera malum. Esto simpliciter bonus, & dupliciter tolera malum. Bonus, non nisi intus. Nam si non intus, nusquam bonus. Esto ergo bonus intus, malum tolera, & foris, & intus. Foris tolera hæreticum, tolera paganum, tolera Iudæum, tolera & intus malum Christianum, Quia inimici hominis domestici eius. Patiens molestos multos intus malos stomacharis, indignaris, quasi iam venerit tempus ventilationis. In tritura positus es, in tritura es adhuc, area trituratur adhuc, adhuc grana, & manipuli cum getes credunt ad aream colliguntur. Paras esse te posse in area triticum solum? Erras: Geme in area, vt gaudeas in horreo. Fiant multa mala à Christianis malis. Illi qui foris sunt & nolunt esse Christiani, inueniunt occasiones ad excusationes. Hortatori suo vt credant, ista respondent, Vis me esse quod est ille? Et nominat illum, & illum, aliquando & verum dicit. Cum autem non potest inueniri, quid magnum est calumniari? Cùm ille non trepidat calumniari, facit alium, quod non videt, suspicari. Tu cum hominem audieris ista dicentem, Fortè quia nostri fratres: tuos malos, dicis apud te ipsum: Verum dicit, Periculum in falsis fratribus. Sed noli deficere, quod ille quærit, tu esto. Esto bonus Christianus, vt conuincas calumniosum paganum. Sed ille calumniatur, & de bonis dicit falsa, plerumque illi creditur. Quid facit aurum? Vndique palea est. Ignis sordes purgit, non fidem. Esto mundior ipsa exercitatione, esto mundior, valeat tibi ille, qui auferat quo fordior es, nõ qui opprimat, quod aurum es. Etenim si defeceris, peris in palea: & si peris in palea, aurum non eras, sed aurum esse te fingebas, Nouit dominus, qui sunt eius. Illi autem qui sunt mali, de quibus erubescis quando es inter malos, qui sunt foris: memento, quod non sint in domo magna, vbi es vas in honorem, sed in contumeliam. Intrauit te Apostolus, regat te Deus. Si mali non essent, pro quibus oraremus, quando nobis diceretur, Orate pro inimicis vestris: an fortè vellemus bonos habere inimicos? Vnde fieri potest? Nõ habebis bonum inimicum, nisi fueris malus. Si autem fueris bonus, inimicus tuus non erit nisi malus. Orate pro inimicis vestris. Ergo boni orate pro malis. Redi ad cor tuum. O tu, qui in ista fornace purgaris, si potuit esse vox tua: Proba me, domine, & tenta me, vte renes meos & cor meum, quoniam misericordia tua ante oculos meos est, & ecce redi ad cor tuum. Sub Deo es, orationem susurus es. Occurrit tibi qui te læsit, occurrit tibi qui te pressit, occurrit tibi qui te spolauit, occurrit tibi qui te in carcerem misit. Eia attende cor tuum, respice dominum tuum. Ecce malus inimicus tuus, ecce bonus dominus tuus. Nocet tibi inimicus tuus malus, ora pro inimico tuo dicit tibi dominus tuus bonus. Inter inimicum tuum malum, & dominum bonum, quid tu facturus es? Contra hunc oraturus, aut huic obtemperaturus? Suscipis ex præcepto domini tui orare pro maligno inimico tuo illo: quid facturus es? Dominus iussit, dura iussit, sed magna promisit. Quæ dura iussit? Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus vos. Dura sunt, sed propter verba labio

Serm. 234. de temp.  
 Psal. 25.  
 1. Cor. 3.  
 Math. 22.

Psal. 93.  
 2. Tim. 2.  
 Psal. 25.  
 Sap. 2.  
 1. Tim. 4.  
 Iacob. 4.  
 1. Tim. 4.  
 1. Cor. 10.  
 1. Tim. 2.  
 1. Cor. 11.  
 Rom. 11.  
 Luc. 18.

Math. 22.  
 Mich. 7.  
 1. Cor. 11.  
 1. Tim. 2.  
 Math. 5.  
 Psal. 25.  
 Math. 5.  
 Psal. 16.



laborum tuorum ego custodiri vias duras. Vnde tibi viribus tuis custodire vias duras, nisi quia misericordia tua ante oculos meos est? Ecce dura iussit, amara iussit, vide quæ promisit. Orate pro persequentibus vos, ut sitis filij patris vestri qui in cælis est. Si tibi diceret, Ora pro inimico tuo, ut sis filius patris tui, ne exhereditet te pater carnalis, quia hoc tibi relicturus est, quod hinc non est ablaturus, timeres & faceres: promittitur tibi pro his duris, ut sis filius altissimi, cogita patrem, & agnosce hæreditatem. Dic ergo, Incipe ergo orare pro inimico tuo illo magno, qui tibi multa mala fecit, & vide cor tuum litigare tecum. Quod ergo vis, quod tibi placet, quo delectaris secundum interiorem hominem, quod obtemperas domino tuo & oras pro inimico tuo, aurum est. Quod vero cum orare cœperis, incipit tecum carnalis infirmitas litigare, ipse sunt sordes, à quibus te vult Deus in fornace purgare. Exercere ergo in mediis malis, ò bone, si quis es bonus, non de tuo bono, quia fuisti malus, sed de Dei bonis, qui nūquam est malus. Exercere in mediis malis. Nec mihi volo dicas, saltem si necesse esset propter exercitationem nostram ut essent mali, pauci essent mali, & boni multi essent. Nō attendis, quia si pauci essent, multis non nocerent. Vtique considerā vir prudens, quia si multi boni essent, & pauci mali essent, pauci mali multis bonis nocere nō auderent. Si non auderent, non exercerēt. Nunc vero quia multi sunt mali, laboratur à paucis bonis inter multos malos. Et cū laboratur, sudatur: & cum sudatur, aurū purgatur. Esto ergo in decorem domus Dei. Iam tecum in corde tuo litigavit infirmitas, inuoca ut vincas, assiste tibi Deus, adiuuet qui iubet. Iam factus es victor infirmitatis tuæ, iam suscepisti animo & fructum orandi pro inimico tuo, vide quid boni est. Compara illum tibi. Ille meditatur tentationes, tu fundis orationes. Ille si nocet, palam nocet. Tu quod pro illo oras, Deus nouit. Ille non credit, quia cor tuum non discutit. Cum ergo palam nocet, tu occulte oras. In isto torculari Ecclesia comparata est. Vide si non ille qui palam nocet amurca est, curres per publicum. Amurca per publicum currit, oleum autem ad sedem suam occultos transitus habet. Ut occulte trāseat, in magnitudine apparet. Quam multi enim, ò fratres mei, quā multi in ista conflictatione rerum, in huius mundi malitia, in ista malorum abundantia subtraxerunt se, & cōuersi sunt ad Deum, & vale fecerūt mundo, & cœperunt pauperibus res suas donare, qui paulo ante rapiebant alienas. Sed multi raptores, inuales, spoliatores, publicè apparent, amurca illa est per plateam currens. Illi autem, vnus hinc, vnus inde corde coniuncto mala faciens, mala permanere erubescens, Dei monita cogitās, spem seculi irridens, spem cælestem expectans, mutans amores, & mores, oleum sanctitatis est, vas in honorem est in domo magna, aurum est in fornace, granum est in horreo. Ibi est decor domus Dei, Qui viuuit, & regnat in secula seculorum, Amen.

\*\*\*

### EIVSDEM IN EODEM die, Homil.

Sicut optimè nouit sanctitas vestra, fratres, consecratione altaris hodie celebramus, & iuste, ac meritò gaudentes celebramus festiuitatem, in qua benedictus vel vnctus est lapis, in quo nobis diuina sacrificia consecrantur. Sed quando festiuitates istas colimus, fratres charissimi, diligenter debemus attendere, & totis viribus laborare, ut quod in templis, vel altaribus visibiliter colitur: in nobis inuisibiliter compleatur. Quia quamuis sancta sint templa, quæ videmus de lignis, & lapidibus fabricari, tamen plus apud Deum pretiosa sunt templa cordis, & corporis nostri, quia illa sunt ab homine carnali, ista ab artifice mundi. Templa de lignis, & lapidibus humano ingenio componuntur, templa corporum ipsius cælestis artificis manu fabricantur, sicut scriptum est, Manus tuæ fecerunt me, & plasmauerunt me. Et iterum, Prius quàm te formarem in vtero, noui te. Nam quod templa succenduntur, ita è contrario qui charitatis luce repletus est, si negligens fuerit, citò refrigerat charitas, & cupiditas inardescit. Ergo nec ille desperet, qui malus est, quia citò potest resurgere: nec ille, qui bonus est, aut negligens remaneat, aut aliquid de sua virtute præsumat, ne gaudium suum conuertatur ad lætium. Et ideo, dilectissimi fratres, castitatem corporis, puritatem cordis cum Dei adiutorio seruare quantum possumus studeamus. His enim rebus ignis in nobis charitatis vel compunctionis semper accenditur & nutritur. Qui enim nec castitatem custodit in corpore, nec puritatem tenet in mente, quoties sanctæ solennitates adueniunt, in corpore videtur habere gaudium, in corde non celebrat nisi lætium. Quale enim gaudium conscientia illa potest habere, in cuius anima multis vitis occupata magis diabolus probatur habitare quàm Christus? Quale gaudium potest habere anima, quæ iracundiæ furore succenditur, cupiditatis nigredine obscuratur, superbiæ amarissimo felle repletur, inuidiæ veneno percutitur, luxuriæ sordibus inquinatur? Nos vero, fratres charissimi, etiam si nobis aliqua, ut solet fieri, peccata surrepint, quantum possumus cum Dei adiutorio laboremus, ieiuniis, vigiliis, orationibus, elemosynis mundare sordida, lapsa construere, templum Dei viuui reedificare, ut veniens dominus in nobis nihil inueniat, quod oculos sue maiestatis offendat, quia de ipso scriptum est, Ecce sto ad ostium, & pulso, si quis surrexerit & aperuerit mihi, intrabo & cœnabo cum illo, & ille merum. Et iterum, Ego & pater veniemus, & mansionē apud eum faciemus. Quam beata est illa anima, in qua pater, & filius venientes, non solum habitare, vel manere, sed etiam cœnare dignantur. Quod autem dixit, Cœnabo cum illo & ille mecum: scimus euidenter, quia Apostolus Paulus ostendit dicens, Templum Dei sanctum est, quod estis vos. Et per Prophetam dominus dicit, Et habitabo, inquit, in eis, & inambulabo. Et quia, sicut ipsi vidistis, fratres, habitare, & inambulare desiderat in nobis Deus, cum ipsius adiutorio ita cor nostrum studeamus bonis semper cogitationibus occupare, & corpora nostra ab omni sorde luxuriæ munda, vel casta iugiter custodire, ut Deum in nobis dele-

Sermon 255 de temp.

Nota bene. Hinc & notandum lapidis altaris.

Psalm. 118. Hier. 1.

Ieiuniis, vigiliis, orationibus, elemosynis peccata mundantur. Apoc. 3.

Ioan. 14.

1. Cor. 3.

Leuis. 26. 2. Cor. 6.

delectet habitare. In templo enim à Solomone ædificato legimus duo altaria fuisse constituta, vnum foris, aliud intus. In illo, quod foris erat, animalium cœdebatur sacrificium. In illo vero altari, quod intus erat, thymiamatis offerebatur incensum. Videamus ergo, fratres, ne fortè in nobis duo sint altaria cōstituta, corporis scilicet, & cordis nostri. Denique, duplex à nobis sacrificium querit Deus, vnum ut simus casto corpore, aliud ut mundo corde esse debeamus. Ergo in exteriori altari, id est, in corpore nostro offerantur opera bona, in corde odorem suauitatis redoleat cogitatio sancta. In altari cordis nostri iugiter quod est Deo placitum operemur. Tunc enim ordinem legitimum consecrationis altaris cum gaudio celebramus, quando altaria cordis, vel corporis nostri munda, & pura in conspectu diuinæ maiestatis offerimus. Nam nescio, qua fronte, aut qua conscientia optat in altaris consecratione gaudere, qui in cordis sui altari non studet munditiam custodire. Nos vero, fratres charissimi, ita agere studeamus, ut semper festiuitatem duplicem celebrare mereamur, & quomodo de templi, vel altaris consecratione gaudeamus, sic inuisibiliter de corporis castitate, vel animæ puritate spiritale gaudium habere mereamur. Et hoc considerate, fratres, quod in illo altari, quod à Solomone legitimus dedicatum, iugiter quotidianus ignis ardebat, quod vitinam & in nobis pietas diuina perficiat. Vnde non solum orationibus, sed etiam bonis operibus placendus est Deus, ut in altari cordis nostri ignem suum semper accendat, illum de quo ipse dixit, Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi ut accedatur: Quia duo sunt ignes, cupiditatis scilicet, & charitatis, & vnus de parte Dei, alter de parte diaboli: vnus deuorans omnia mala, alter vniuersa bona consumens: consideret vnusquisque conscientiam suam, & si in se videt ignem cupiditatis ardere, cum Dei adiutorio festinet extinguere, quia nihil in illo boni remanere poterit, quem ignis cupiditatis accenderit: sicut e contrario nihil in eo mali remanebit, in quo ignis arserit charitatis. Flāma enim cupiditatis in corde peccatorum velut in altari deuorans omnia bona, diabolo ardorem suauitatis exhalat, in anima vero sancta, velut in sacrosancto altari flamma charitatis quæcunque superuenient mala consumens, Deo odorem suauitatis exhibet. Et quia vnus cuiusque cor altare est, aut Dei, aut aduersarij, sicut iam dixi, attendat vnusquisque conscientiam suam, & si cupiditatis igne consumitur, elemosynarum refrigerio mitigetur, quia scriptum est, Sicut aqua extinguit ignem, ita elemosyna extinguit peccatum. Qui ergo cupiditate consumitur, subtrahat à se opera mala, & quod bonum est, exercere conetur. Qui vero flamma charitatis accenditur, semper bonis operibus augeatur, & nutriat in se ignem, quem in eo Christus dignetur accendere.

1. Reg. 6.

1. Cor. 12.

Eccl. 3.

Sermon 256 de temp.

### EIVSDEM IN EODEM die, Homilia.

Elebritas huius cōgregationis, dedicatio est domus orationis. Domus ergo nostrarum orationum ista, domus autem Dei nostri ipsi. Si domus Dei nostri ipsi, nos in hoc seculo ædificamur, ut

in fine seculi deducemur. Edificium, imò ædificatio habet laborem, dedicatio exultationem. Quod hic fiebat quando ista surgebant, hoc sic modo cum congregantur credentes in Christum. Credendo enim quasi de syluis, & montibus ligna, & lapides præceduntur, cum vero catechizantur, baptizantur, formantur, tanquam inter manus fabricorum, & opificum dolantur, collineantur, complanantur. Veruntamen domum domini non faciunt, nisi quando charitate compaginantur. Ligna ista, & lapides si non sibi certo ordine cohererent, si non se pacifice innocterent, si non se inuicem cohærendo sibi quodammodo amarent, nemo huc intraret. Denique quando vides in aliqua fabrica lapides & ligna benè sibi coherere, securus intras, ruinam non times. Volens ergo dominus Christus intrare, & in nobis habitare, tanquam ædificando dicebat, Mandatum nouum do vobis, ut vos inuicem diligatis. Mandatum, inquit, nouum do vobis. Veteres enim cratis, domum mihi nondum faciebatis, in vestra ruina iacebatis. Ergo ut ernamini à vestræ ruinæ vetustate, vos inuicem amate. Consideret ergo charitas vestra, ædificari adhuc istam domum toto sicut prædictum est & promissum orbe terrarum. Cum enim ædificatur domus post captiuitatem, sicut habet alius Psalmus, dicitur, Cantate domino canticum nouum, cantate, domino omnis terra. Quod ibi dixit, canticum nouum: hoc dominus dixit, mandatum nouum. Quid enim habet canticum nouum, nisi amor nouum: Cantare amantis est. Vox huius cantoris, feruor est sancti amoris. Amemus, gratis amemus. Dominum enim amamus, quo nihil melius inuenimus. Ipsum amemus propter ipsum, & nos in ipso, tamen propter ipsum. Ille enim veraciter amat amicum, qui Deum amat in amico, aut quia est in illo, aut ut sit in illo. Hæc est vera dilectio, propter aliud si nos diligimus, oderimus potius quàm diligimus. Quid enim amat: Iniquitatem. Quid odit: Fortè vicinū suum, fortè vicinā suā. Expauescat, odit animā suā. O diu anime, amor nequitia. Ergo cōtra odiū nequitia, amor animæ. Qui diligitis dominum, odio habete quod malum est. Bonus est Deus, malum est quod amas, & te ipsum malum amas. Quomodo amas Deum, cum adhuc amas quod odit Deus? Audiisti enim, quia Deus dilexit nos, & verum est. Dilexit nos, & quales dilexerit, si attendamus, erubescimus. Sed ideo non erubescimus, quia diligendo tales fecit esse non tales. Erubescimus recordatione præteritorum, gaudeamus spe futurorum. Quare enim erubescamus, quod sumus, & non potius confidamus, quia spe salui facti sumus? Denique audiimus, Accedite ad eum, & illuminamini, & vultus vestri non erubescunt. Si recedat lumen, redis ad confusionem. Accedite ad eum, & illuminamini. Ergo ille lumen, nos sine illo tenebræ. Si recesseris, in tuis tenebris remanebis: si accesseris, non de tuo lucebis. Fuiſtis enim aliquando tenebræ, ait Apostolus fidelibus, & infidelibus. Fuiſtis aliquando tenebræ, nunc autem lux in domino. Si ergo lux in domino, tenebræ sine domino. Porro si lux in domino, & tenebræ sine domino. Accedite ad eum, & illuminamini. Attendite in Psalmo dedicationis, quem modo cantauimus ex ruina ædificiorum. Conscidisti faccum meum: hoc pertinet ad ruinam. Quid ergo ad ædificium? Et accinxisti me Bibl. Hom. tom. 3. R r r lætitia.

Ioan. 13.

Psalm. 95.

Psalm. 10.

Rom. 8. Esai. 33.

Ephes. 5.

Psalm. 29.

*Vbi supra.* Iactitia. Vox dedicationis, Vt canter tibi gloria mea, & non compungar. Quis est qui loquitur? In verbis eius agnoscite. Si expono, obscurum est. Ergo verba eius dicam, continuè agnoscetis loquentem, vt ametis alloquentem. Quis est, qui *Psal. 29.* dicere poruit, Eruiisti, domine, ab inferis animam meam? Cuius anima iam ab inferis eruta est, nisi *Psal. 15.* de qua dictum est alio loco, Non derelinquas animam meam in inferno? Proponitur dedicatio & cantatur liberatio canticum dedicationis domus, & dicitur, Exaltabo te, domine, quoniam suscepisti me, & non iocundasti inimicos meos super me. Attendite Iudæos inimicos, qui se putabant occidisse Christum, vicisse tanquam inimicum, perdidisse quasi hominem cæteris similem atq; mortalem. Resurrexit tertia die, & eius *Psal. 19.* vox est, Exaltabo te, domine, quoniam suscepisti me. Attendite Apostolum dicentē, Propter quod eum exaltauit, Et non iocundasti inimicos meos super me. Ipsi quidem in Christi morte iocundabantur, sed in eius resurrectione, ascensione, prædicatione aliqui compungebantur. In eius ergo prædicatione & per Apostolorum constantiæ diffamationem aliqui compungebantur & conuertebantur, aliqui obdurabantur & confundebantur, nulli tamen iocundabantur. Modo quando implentur Ecclesiæ, putamus iocundari Iudæos? Ecclesiæ ædificantur, dedicantur, impletur, quomodo illi iocundantur? Non solum non iocundantur, sed etiam confunduntur, & impletur vox exultatis, Exaltabo te, domine, quoniam suscepisti me, & non iocundasti inimicos meos super me. Non iocundasti super me, si mihi credant, iocundabis in me. Ne multa dicamus, ad illa, quæ cantauimus, aliquando veniamus. Quomodo dicit Christus, Conscidisti saccum meum, & accinxisti me lætitiā? Saccus eius erat similitudo carnis peccati. Non tibi vilescat, quod ait, saccum meum, ibi erat inclusum pretium tuū. Conscidisti saccum meum. Euasimus ad saccum istum. Conscidisti saccum meum. In passione conscisus est. Quomodo ergo Deo patri dicitur, Conscidisti saccum meum? Quomodo patri dicitur, vis audite, Conscidisti saccum meum? Quia proprio filio non peperit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Fecit enim per Iudæos nescientes, vnde redimerentur scientes, & confunderentur negantes. Nesciunt enim quid boni nobis operati sunt malo suo. Suspensus est saccus, & quasi lætatus est impius. Conscidit saccum lancea persecutor & fudit pretium nostrum redemptor. Canter Christus redemptor, gemat Iudas venditor, erubescat Iudæus emptor. Ecce Iudas vendidit, Iudæus emit, malam negotium egerunt, ambo damnati sunt, seipsos perdidit venditor & emptor. Dicat ergo caput nostrum, dicat pro corpore occiso, pro corpore dedicato. Dicat, audiamus, Conscidisti saccum meū, & accinxisti me lætitiā: id est, conscidisti mortalitatem meam, & accinxisti me immortalitate & incorruptione. Vt canter tibi gloria mea, & non compungar. Quid est, non compungar? Iam contra me non ferat lanceam persecutor. Vt nō compungar, Christus enim surgens à mortuis, iam nō moritur, & mors illi vltra non dominabitur. Quod autem mortuus est, peccato mortuus est semel: quod autem vivit, vivit Deo. Ita & nos, inquit, existimemus nos mortuos esse peccato, vivete autem Deo in Christi

lesu domino nostro. Ergo dum novam constructionem sanctæ huius ecclesiæ libenter attendimus, quam diuino nomini hodie dedicamus, inuenimus à nobis deberi, & Deo nostro maximam laudem, & sanctitati vestræ congruum de diuinæ domus ædificatione sermonem. Tunc autem sermo noster congruus erit, si in se aliquid ædificationis habeat, quod vilitati animarū vestrarum Deo vos interius ædificante proficiat. Quod hic factum corporaliter videmus in parietibus, spiritaliter fiat in mentibus: & quod hic perfectum cernimus in lapidibus, & lignis, hoc ædificante gratia Dei perficiatur in corporibus vestris. Principaliter ergo gratias agamus domino Deo nostro, à quo est omne datum optimum, & omne donum perfectum, & eius bonitatem tota cordis alacritate laudamus, quoniam ad construendam istam domum orationis fidelium suorum visitauit animum, excitauit affectum, surrogauit auxilium, inspirauit necdum volentibus vt vellet, adiunxit bonæ voluntatis conatus vt facerent, ac per hoc Deus, qui operatur in suis, & velle, & perficere pro bona voluntate, hæc omnia ipse cepit, ipse perfecit. Et quia opera bona in conspectu suo nunquam esse permittit inania, fidelibus suis, quibus operantibus præbuit virtutis sue fauorem, tribuet cōdignam pro tanta operatione mercedem. Adhuc amplius agendū est gratiæ Deo nostro. Hanc enim Ecclesiam, quam fecit nomini suo construi, fecit etiam sanctorum martyrum reliquiis amplius honorari.

*† Hic Sermo in veteribus fuit hoc modo.*

Ita & nos, inquit, existimemus nos mortuos esse peccato, vivete autem Deo, in Christo Iesu domino nostro. Ergo in illo cantamus, in illo dedicati sumus. Quo enim caput præcessit, & membra secutura speramus. Spe enim salui facti sumus. Spes autem, quæ videtur, non est spes. Si autem quod non videmus speramus, per patientiā spectamus, per patientiā ædificamur. Fortè autè est illic & vox nostra, si benè attendamus, si diligenter intueamur, si oculi acuti geramus: non quemadmodū solent corporum cæci amatores. Si ergo spiritale oculum intēdamus, in istis vocibus domini nostri Iesu Christi & nos ipsos inueniemus. Nō enim frustra dixit Apostolus, Sciētes quia vetus homo noster simul crucifixus est cū illo, vt euacuetur corpus peccati, & vltra non seruiamus peccato. Agnosce ibi vocem tuam, vt canter tibi gloria mea, & non compungar. Modo enim cum istas corporis mortales sarcinas baiulamus, non deest vnde compungamur. Nam, si cor non compungitur, quare peccus tunditur? Cum ergo venerit etiam nostri corporis dedicatio, quæ præcessit in domini exemplo, tunc non compunge-mur. Compunctionem enim, quam habemus de peccato, significauit lancea percussoris: denique quoniam scriptum est, A muliere initium factum est peccati, & per illam omnes moriuntur: recolite de quo membro facta est, & videte, vbi Dominus lancea compunctus est. Recolite, inquam, recolite primam conditionem nostram. Non enim frustra, vt dixi, vetus homo noster simul crucifixus est, vt euacuetur corpus peccati, & vltra non seruiamus peccato. Nempè Eua, à qua factum est initium peccati, sumpta est vt formaretur de latere viri. Dormiēs iacebat ille cū factū est, mortuus pendebat iste cū factum est, Cognata duo sunt,

sunt, somnus & mors, latus, & latus. Cōpūctus est dominus in loco peccatorum, Sed de illo latere facta est Eua, quæ nos peccando mortificaret. De isto autem latere facta est Ecclesia, quæ nos pariendo viuificaret.

S. GAUDENTII EPISCOPI Brixiani, in dedicatione Basilicæ sanctorum, Sermo.

**D**iuinis muneribus & cælestibus beneficiis condignas referre gratias, pusillitas nostra non præualeat, fratres charissimi. Nam vt venerandas sanctorum reliquias haberemus, Deus noster tribuit. Deinde, vt hanc honori eorum fundare basilicam valeremus, ipse largitus est & hodie, vt adepti summorum sacerdotum presentia, dedicationem celebrare mereamur, ipse concessit, conuenerunt enim sancti antistites & Apostolici viri, ad persoluendum beatissimis patribus, & præceptoribus suis debita deuotionis obsequiū, vt vbertate plenissima deuotionum spirituum ditaretur, licet importunitas Barbarorum maximam partem celebratis diei hodierno subtraxerit, nec cæteri sancti antistites, quos interuertos credidimus, aduenirent. Iam qui sunt isti, quorum beatis reliquiis illustramur, hinc incipiā numerare. Primo in loco Ioannes Baptista est, vltimus quidem, sed maximus Prophetarum: nouissimus tempore, quia omnis lex & Prophetæ vsque ad Ioannem: sed meritò prior & dignitate præstantior, quia ita de illo Christus loquitur ad Iudæos. Quod existis in deserto videre: Prophetam? dico vobis, & plusquam Prophetam. Hic est enim, de quo scriptum est: Ecce mitto Angelum meum, qui præparabit viam tuam. Vno testimonio saluatoris, beatissimus Ioannes Baptista, & Angelus, & Apostolus, & Propheta, præcipuus declaratur. Verus enim Dei est Angelus, qui præcursor & nuncius Christi est: verè Apostolus est, qui missus à Deo est, destinatus enim nuncupatur Apostolus. Fuit, inquit, homo missus à Deo, cui nomen erat Ioannes. Ideo autem sanctus ipse, Propheta dicitur, & plusquam Propheta, qui Christum & sua & omnium Prophetarum voce prædictum digito meruit demonstrare, dicens: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Post hunc habemus Andream beatissimum, primum Ioannis ipsius discipulum, deinde saluatoris, quem priorem Christus Apostolum scribitur elegisse. Erat, inquit, Andreas frater Simonis Petri, vnus ex duobus, qui audierant ab Ioanne: Ecce agnus Dei, & secuti erant eum. Inuenit hic primum fratrem suum Simonem, & dixit ei; Inuenimus Messiam, quod est interpretatum Christus. Et adduxit eum ad Iesum. Tertius beatus Thomas, qui post resurrectionem Christi solus desiderauit, solusque obtinuit, vt membra Christi curiosis quidem sed vtiq; dignis manibus contrectaret. Ardētis siquidē desiderij fuit illud, non incredulitatis, quod condiscipulis suis qui ipso absente Dominum viderant, ait: Nisi videro & contrectauero, nō credam, erat enim valde anxius, ne non & oculis frueretur, quod corde credebat, ne priuaretur aspectu illius lucis, quæ se cæteri Apostoli illuminatos gloriabantur. Sa-

tiauit ergo eum Dominus, cuius manet illa promissio: Beati qui uerum & situnt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Apparuit secundo Apostolis vt Thomæ desiderium adimpleret, profuit cupiditas eius & cæteris, nec ipse minus aliquid habet, quia posterior Christum videt. Nam detrimenta prioris aspectus visu pariter & tactu cōpensat, Qui vtiq; si iuxta opinionem quorundam infidelis fuisset, Christus illi post resurrectionem suam non fuerat apparere dignatus. Scripsit enim: Quoniam inuenitur ab his qui non tentant eum. Apparere vero his qui fidem habent in ipsum. Quod autem dixit illi saluator: Noli esse incredulus, sed credens, & quia vidisti & credidisti, beati qui non viderunt & crediderunt: informare in eo voluit omnes postea credituros, vt populus noster Thomæ similis, qui absens erat, quando apparuit Christus Apostolis, relationi eorum, indubitatam fidem cōmōderet, nec exigat in carne conspiceret, quem testimonio Apostolorum post passionem crucis resurrexisse, & viuere fuisse didicerit. Neque enim postquam regressus ad cælos solis in hoc mundo virtutibus præsens, debet quotidie pro cuiuscunque voluntate in singulis vniuersisque credentibus corporibus apparere, sufficere nobis, quoniam sancti Thomæ curiositas & ambiguitas futuræ scrupulositatis finē fecit. Quod enim absens fuit, quod auidius & videret, & attrectare Dominum perquisiuit, totum nostræ procurabatur salutem, vt euentus nosceremus resurrectionis dominicæ veritatem, quam beatus Thomas ob necessariam curiositatem prouidenter reprehensus affirmat, dicens: eis Dominus meus & Deus meus. Quatuor Lucas est Euangelista, qui beatos Apostolos pari merito subsequitur, & Euangelij librum, & actus Apostolorum imitanda examinatione conscripsit. Horum quatuor beatos habemus in præstanti reliquias, qui regnum Dei & iustitiam prædicantes ab incredulis, & iniquis occisi, Deo semper viuere operationum suarum virtutibus demonstrantur; Ioannes in Sebastea vrbe proamiciæ Palestinæ, Thomas apud Indos, Andreas & Lucas apud Parras Achaicæ ciuitatem consummati referuntur. Post istos habemus Gernasium, Prothasium atque Nazarium beatissimos martyres, qui se ante paucos annos apud urbem Mediolanensem sancto sacerdoti Ambrosio reuelare dignati sunt, quorum sanguinem tenemus gypso collectum, nihil amplius requirentes. Tenemus etiam sanguinem, qui testis est passionis. Recepiamus etiam sanctos cineres Sisinnij martyris & Alexandri, quos nuper in ara Agatini vni venerandæ religionis cultui attentius inherentes, Gens interfecit sacrilega, flammisque adhibitis concremauit, vt holocaustum Deo ipsi fierent, qui Christianos suos victimas demonis ministrare inreparatione iustissima vetuissent. Iam quid post istos decem de quadraginta martyribus dignum loquar, qui se itineri meo cum per vrbes Cappadociæ Hierusalem pergerem, fideles comites præbere dignati sunt. In ipsa enim maxima Cappadociæ ciuitate quæ appellatur Cæsarea: vbi habent iidem beatissimi insignis martyrium, reperimus quasdam Dei famulas monasterij sanctarum virginū dignissimas matres, prorsus Mariæ & Matrhæ consimiles, quas meritò diligit Iesus: naturæ fide, & studio, & castitatis integritate germanas. Bibl. Hom. tom. 3. Rrr 2 Qui

Iact.

Philip. 2.

Ecclesia sanctorum Martyrum reliquiis honoratur.

Ioan. 1. Math. 11.

Rom. 3.

Ioan. 1.

Rom. 6.

Psal. 29.

Eccles. 25.

Quibus ab auunculo suo sacerdote, ac confesso-  
re Basilio, olim traditis fuerunt horum martyrum  
veneranda reliquia, quas desiderio nostro in-  
uenerunt ac fideliter tribuerunt, ad eos vene-  
ratores tanti nos esse muneris approbantes, si-  
mulque sub testificatione Domini confiterentes, se  
semper orasse Deum, nostrumque hanc tam pretio-  
sa possessio in tales transferretur heredes, qui  
eam consimili fide diligentiaque imitarentur, qui  
studij ac venerationis ipsorum & successores, &  
augmentatores existerent, & transmigratio nem  
de hoc mundo suam quotidie expectarent. Ex-  
audita est: Ecce fidelis oratio, venerabiles ipsas  
martyrum quadraginta reliquias populis creden-  
tibus hodie proponimus perpendendas, licet eis  
ex illo tantum tempore celebritas debita nunquam  
defuisse nostri cogitauerunt officij preclaris eo-  
rum beneficis salutariter mancipata. Sed iam  
quo ordine ad martyrij gloriam peruenierint ipsi  
beatissimi, breuiter enarrabo. Quamuis ad pro-  
sequendas eorum laudes imparem me esse con-  
fiteor. Plane habent idoneum suis meritis digni-  
simamque preconem beate recordationis viri,  
confessoris Basilii hęclesię Cęsariensis anti-  
stitem, cuius eloquentia singularis & sermo apo-  
stolico sale conditus, paupertatem meę terundit  
ingenij. Quid enim a me inferti nouum potest,  
quod non ille in eorum laudibus ubertate elo-  
quij sui opulenter effuderit, copiose ornauerit, si-  
gnanter expresserit? Ingenis quippe difficultatis  
est, easdem virtutes diuersis sermonibus prædi-  
care. Aggrediar tamen intencendę dilectionis  
vestrę causę vel historiam replicare gestorū. Mi-  
lites etiam isti in partibus minoris Armenię con-  
stituti, florentes etatibus, corporum proceritate  
sublimes, experientia belli gerendi laudabiles, sti-  
pendijs militaribus virtutem suarum merito ho-  
norati, & quod hæc omnia supergreditur Chris-  
tiani, atque ad omnem probitatem morum bo-  
no venerandę religionis ornati, & spiritualibus  
armis doctrinę celestis instructi. Statim denique  
ubi tuba persecutionis increpuit, fortissimos Chri-  
sti milites amor fide præcinxit ad bellum. Nam  
cum per alia edicta sacrilegi regis propomi a iu-  
dicante cępissent, quibus præcipiebatur, ne quis-  
quam vel priuatus, vel miles Christianum pro-  
ferre nomen auderet, sed vt omnis populus sacri-  
ficare demonijs cogere, sponte protimpunt  
in medium, Christianos se esse clarissima voce  
testantur, seque ab hoc salutari cultu nullis ter-  
roribus diuelli posse pronunciant. Intuitus con-  
stantiam iuuenum terribilis persecutor, seposita  
authoritate, blandis eos hortatur alloquiis, ne  
vellent hac pertinacia vti, ne erga Imperatorem  
suum contumeliosus existerent, ne eius præcepta  
contempnerent, ne alias deuotissimi in hoc facto  
offensam regis maximam prouocarent. A quo ma-  
gis beneficia & honores pro hac specialiter obe-  
dientia sperare deberent. Indecorū certę bellato-  
rijbus vitis esse, vt inter ignauos & noxios morte  
surpissima deperirent. Cogitandum illis esse iu-  
uentutis suę florem, & iocunditatem lucis hu-  
ius ac vitę, quam sine respectu vllius rationis  
impudentes amittere suaderentur. Talibus au-  
ditis Christiani viti meritorę mirabiles, vene-  
natas perniciosi hortatoris blandias, non solum  
constantibus animis respuerunt, verum etiam  
responsione acerrima confutarunt. Quid tu,

Basilij sermo  
de 40. mar-  
tyribus.

aitunt, omnium nequissime, contra Deum rebel-  
lare ausus famulos eius verbis fallacibus sup-  
plantare conaris? Quid nos a cultu Dei veri & vi-  
ti ad mortuę demonij simulachra inclinare  
contendis? Quid honorum terrestrium, eaducis  
promissionibus & inanij & rerum præstigijs  
animos nostros e vigore fidei celestis deprauare  
pertentas? Hęc tam munera, quę detrimetum  
salutis important. Repudiamus honores, quę au-  
ferunt illam gloriam sempiternam. Reprobamus  
amicitias regis, quę nos a charitate Dei separare  
desiderant. Respuimus & hanc temporalem no-  
stri corporis vitam: quę cum periculo fidei serua-  
ta, animę ad quiritur interitum. Postremo nec sup-  
plicij præsentibus detremur. Tradimus ear-  
nem pœnis, quascunquę irrogare volueris, ne ab-  
negantes Christum Deum ad tormenta perpetua  
demergamur, quę diabolo & vobis ministris eius  
sunt ab initio præparata. Tunc ille iudex iniqui-  
tatis huiusmodi, dicitis accensus, furorem suum,  
quem paulo antę subtilius explere voluerat, ex-  
cogitata supplicij nouitate geminabat. Perspicis  
enim regionis naturam nimis rigentem, frigidis  
bus, tempus etiam quo maxima hyemis asperi-  
tas. Aquilone stante violentius incumbebat, mons  
tes niuibus, pruinis arua tegebantur, liqores  
agnoscere suam naturam solis ignibus cogeban-  
tur, stupebant ingenti glacie torrentium flumi-  
num cursus. Stagnum quoque vrbis, in qua ista ge-  
rebantur, subiacens longę latęque diffusum, vali-  
dissimo gelu durante iter solidum, plaustris ge-  
mentibus commodabat. Hęc ergo viloci vrbis im-  
poris immunitate perspecta, sacrilegij gentilia  
exactor istud supplicij genus sanctis adhibere im-  
petat, vt nudatis corporibus religati in aperci-  
aëris primo duritie pernoctarent, balneis longę  
sub conspectu eorum fumantibus, vbi velox re-  
medium viciis, calidius persecutor animas eorum  
magis interficere gestiens promittebat. Sed bea-  
tissimi martyres spiritu sancto feruentis, vestibus  
suis procul abiectis festini ad stadium properant,  
coronam tanto certaminis propositam cęlitus in-  
tuentes, deinde horribantibus muribus partentię vi-  
res accendunt, gloriam regni celestis pœnis præ-  
sentibus præferunt, & hoc inter cetera replican-  
tes, quod qui pro salute regis terreni hostiles gla-  
dios formidare contempsimus, cui non pro fide  
Dei, ac Domini nostri Iesu Christi Regis æterni,  
omnes irrogatos nostro corpori cruciatus, æquo  
animo patiamur, ocyus ad æternę lucis beatitudi-  
nem vitamque perpetuam gloriosę mortis com-  
pendio transiti. Inter pruinas ardebat fides, &  
celestes animi desiderio Christi feruebant, vreb-  
bat acritudo nimij frigoris lucentes rigentiū cor-  
porum cutes. At occupatę erga Dei amorem reli-  
giosę mentes amœnitatem Paradisi cogitabant.  
Terebrabantur penetralia viscerum gelu, ita vt  
medullas ossium grauissimis cruciatibus inter-  
nus quidam glacialis torror vrgeret, & animo-  
rum virtus immobilis cursus sui metas aspiciens,  
de proxima consummatione gaudebat fidelitō-  
lerantia promissum Dei munus expectans. Sed  
vnus ex eorum numero breuissimi adhuc & etiam  
supremi doloris impatiens, rogat miser cępuit,  
vt ad balnea duceretur. Miles interea cui sollicitu-  
do iniuncta fuerat, vt illud mortis lauacrum vi-  
ctis quibusque referret, dum curiosis oculis de  
loco sublimi agonem virorum spectat insignium,  
rei

rei exitum captans, videt ducem cęlestis malitię  
descendentem cum multitudine Angelorum &  
fortissimis bellatoribus claras vestes atque opti-  
ma sigillatim præmia erogantem, quę solus ille  
miserabilis, cuius fidem diabolus frigerat, non  
accepit. Ducitur infelix ad balneum, ibique con-  
festim caloris afflatu, quo se animandum credide-  
rat, exanimatus & vitam perdidit & coronam lu-  
ctuosum facinus gratulatio inopinata subsequi-  
tur. Repente eius locum supradictę visionis ad-  
mirator inuadit, nudat membra optato suppli-  
cio, se esse Christianum clamore ingenti conge-  
minat, quem spectaculi illius admirabilis virtus  
subito ex Gentili verum fecerat Christianum, Te-  
netur continuo professionis suę reus, ligatur vo-  
lens, & secantibus vinculis crudeliter innotatur,  
perseuerat adstrictus, gloriatur in pœna, spe diui-  
nię remunerationis effertur. Crescit inter suppli-  
cia fides Christi, augetur inter tormenta dilectio.  
Nam sensu Apostolico testatur: Me nulla sup-  
pliciorum vis, nulla immanitas tormentorum po-  
rerit separare a charitate Dei, quę est in Christo  
Iesu Domino nostro. In medijs cruciatibus no-  
uus martyr instruitur. Spiritu sancto eruditur &  
proficit, moritur & triumphat, Trinitas adoranda  
testem suum inter pœna fideliter permanentem  
martyrio ipso ad vicem Baptisti gloriosius &  
abluit & emendat, & ad cęlorum regna perdu-  
cit. Commoritur denique quadagesimus sanctus,  
cum sanctis, vt facer numerus, quem Saluator ie-  
iunius honorauerat, completur: sicut ipsi beati  
martyres orasse memorantur. Post hæc iussit car-  
nifices defunctorum corpora longius transporta-  
ta ignibus concremare. Relinquebant vnus, qui  
adhuc viuere putabatur, si forte mutaret in peius  
ipsa solitudine voluntatem. Ibi eius venerabilis  
mater, quę talem filium bono sapientię celestis  
lacte nutruerat, cucurrit ad cadauer spirantis fi-  
lij, & propriis cum manibus vehiculo, quo cor-  
pora aliorum congesta ad pyram trahebantur,  
imposuit. Vade, inquit, nate istam bonam viam,  
saluus cum coætaneis tuis, & gloriosus ad Do-  
minum. O admirabilis & verę digna mater mar-  
tyris, qui immo & ipsa iam martyr propriis visce-  
ribus non peperit, dum sua membra pro Christi  
nomine puniri lætatur in filio. Iam verõ nec illud  
in postrema parte reticemus. Quod cum cineres  
exustorum corporum mandato persecutoris in  
fluuium iacerentur, non defuerunt religiosę ma-  
nus quę partem cineris vel furto eriperent, vel  
pretio compararent. Hinc & Ecclesię Cęsariensis  
exultat, & nostra fraternitas non immerito glo-  
riatur, referuatam sibi prouidentia Dei salutare  
munus intelligens. Portionem reliquiarum sum-  
psimus, & nihil nos minus possidere confidimus:  
dum totos quadraginta in suis fauillis honoran-  
tes amplectimur: sicut illa in Euangelio fidelis  
mulier, quę per simbriam Christi saluata est.  
Oram tenuit vestimenti, & virtutem diuinitatis  
exegit: attactu simbrię medelam credenti fides  
traxit, & salutem quam præsumperat, acquisiuit.  
Itaque pars ipsa quam meruimus, plenitudo est,  
diuidi enim quadraginta isti martyres abinu-  
icem nullo modo possunt, quorum sunt insepara-  
biles & indifcretę reliquię. Nam sicut animas  
eorum igneus ille Spiritus Dei salutaris fidei vni-  
tate coniunxit, (Erat enim omnium credentium,  
cor vnus, & anima vna) ita etiam membra co-

Rom. 8.

rum concremans ignis in vnus fauillę corpus  
redegit. Habemus ergo & hos quadraginta, &  
prædictos decem sanctos, ex diuersis terrarum  
partibus congregatos, vnde hanc ipsam Basili-  
cam eorum meritis dedicatam: consilium sancto-  
rum nuncupari oportere decernimus. Dignum  
est enim vt ad tantorum martyrum venerandas  
reliquias processuri, ad consilium sanctorum nos  
procedere fateamur. Tot igitur iustorum patro-  
cinio adiuuandi tota fide, omnique desiderio sup-  
plices secundum eorum vestigia curramus vt ipsis  
intercedentibus vniuersa, quę poscimus, adipisci  
mereamur. Magnificantes Christum Dominum  
tanti muneris largitorem, cui omnis honor, vir-  
tus & gloria cum Patre & cum spiritu sancto, an-  
te omnia & nunc & semper & in sæcula sæculo-  
rum, Amen.

S. MAXIMI EPISCOPI  
Taurinensis in idem Euang.  
Homilia.

SI diligenter audistis euangelicam lectionem,  
Sintelligere potestis, quę ministris ac sacerdo-  
tibus Dei reuerentia debeat, vel qua ipsos cle-  
ricos inuicem humilitatis sedulitate se oporteat  
præuenire. Ait enim dominus percunctantibus  
discipulis quis eorum in regno cęlorum maior es-  
set futurus, staturo coram omnibus puerulo, Qui-  
cunque humiliauerit se sicut puer iste, hic maior erit in  
regno cęlorum. Vnde intelligimus quod humilitate  
peruenitur ad regnum, implicitate penetratur  
ad cælum: Quisquis ergo cupit diuinitatis tene-  
re fastigia, humilitatis ima se detur; Quicunque  
vult fratrem præuenire regnando, prius illum  
præueniat obsequendo, sicut ait apostolus: ho-  
nore inuicem præuenientes vincat eum officiis,  
vt possit vincere sanctitate. Si enim te non læsit  
frater obsequium, meretur vt diligas; quod si for-  
sitan læsit magis obsequium, meretur vt vincas.  
Hęc enim nostrę Christianitatis summa est, vt  
amantibus vicissitudinem, ledentibus patientiam  
rependamus. Qui ergo fuerit patientior ad iniu-  
riam, potentior constituetur in regno. Non enim  
ad imperium cęlorum peruenitur superbia, diui-  
tiis, præfectura, sed humilitate, paupertate, lenitate.  
Arcta enim, & angusta est via, quę ducit ad re-  
gnum. Quisquis ergo honoribus inflatus fuerit,  
& auri thesauris dilatatus, tanquam onustum, &  
impeditum animal per angustum regni iter tran-  
sire non poterit. Simul etiam vt se existimat per-  
uenisse, sarcinam eius exigua porta non capiens,  
reperculo limine retrosum redire cogetur. Tam  
enim angusta est diuiti porta cęlestis, quàm est  
camelo acus foramen exiguum. Vnde ait domi-  
nus, facilius est camelum per foramen acus tran-  
sire, quàm diuitem intrare in regnum cęlorum.  
Sicut enim camelum animal tortuosum, atque  
deforme, exigua cauerna præterire non patitur:  
ita & diuitem auarum, atque mendacem arcta cę-  
li ianua minime intrare permittit. Nam ideo nu-  
di in sæculo nascimur, nudi & iam accedimus ad  
lauacrum, vt nudi quoque, & expediti ad cęli  
ianuam properemus. Quam autem incongruum  
& absurdum est, vt quem nudum mater genuit,  
nudum suspicit ecclesię, diues intrare velit in cę-  
lum? Propterea adolecenti illi diuiti in euangelio  
Bibl. Hom. tom. 3. Rrr 3. a salua

Matth. 7.

Matth. 9.

Alludit ad au-  
tignu bapti-  
zandi morem,  
cũ toti immer-  
geretur in ba-  
ptisterium.



saluatore dicitur, qui iustus sibi videbatur, & sanctus, & omnia mandata legis compleisse, si vis perfectus esse, vede omnia tua, & da pauperibus. Vique adeo enim nuda virtus apta celo est, vt quamuis iustus, quamuis sanctus aurum, vel diuitias possidens, non possit esse perfectus. Talem enim voluit adolefcentem illum dominus ad paradysum redire, qualis Adam fuerat de paradisi sublimitate deiectus. Nudus enim Adam incolata paradisi fuit, denique post peccatum, nuditatem suam peruidens, folio pudenda contexit. Prius enim quam peccaret honestatis erat colore vestitus, atque ideo nuditatem inhonestam non natura instituit, sed delicti reatus inuenit. Nam & sancti angeli in splendidissimo habitu constituti, nunquid tunicis operiuntur, & pallis? Sed quum sit in illis natiuitatis suae nuda substantia, vestiti videntur esse quod sancti sunt. Sic igitur & Adam custodiens honestatis angelicæ dignitatem, erat quidem nudus mundanis vestibus, sed immortalitatis erat splendore vestitus. Nihil prauum respiciebant eius oculi, non cor eius turpe aliquid cogitabat, erat apud honestas mentes nuditas ipsa vestita. Sicut enim apud nequam hominem turpis cogitatio à concupiscentia vestibus non ardetur, ita apud sanctos viros honesta simplicitas, ad concupiscentium nuditate non trahitur. Sed sicut vitiosis ad corruptelam nuda sunt omnia, ita religiosis ad castimoniam operata sunt vniuersa. Quid autem ait euangelica lectio? *Qui scandalizauerit vnum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & mergatur in profundum maris.* Pusillus hic non aetate pueros, sed malitia paruulos dicit, sicut apostolus ait: *Malitia paruuli efflore, vt sensibus perfecti sitis: Qui sunt isti, nisi clerici idonei, monachi religiosi, vel laici? Quisquis igitur his irreueres, au cotumeliosus extiterit; hac belluina poena plectetur, vt informi saxo religato illi ad collum, praecipitetur in mare. Sed videamus cur scandalizantibus Christianis ista poena decreta sit, aut quid sibi velit ipsa sententia. Puto enim illam aliquod mysterium continere. Quasi vero non sufficeret, & in mare homini demergendo saxum qualecunque non magnum, aut enorme, sed molæ asinariae lapis ei religetur ad collum, vt cum perituro homine pereat res vsui necessaria. Sed puto hoc magis esse quod in scripturis asini figura populus gentilitium nuncupatur, qui clausis oculis circa ignorantiae molam erroris sui gyro pertrahitur, & sine vlla cursus directione vestigiis in se saepe redeuntibus inuitus vsui laborat alieno. Nonne enim tibi videtur molam asinariam voluere gentilis populus, quamdiu in imperitiae suae labore versatur? Naturæ quidem vinculis alligatus, vt verbum Dei molat, dominum cæli quaerat, sed operæ mentis cæcitate subsusus vultum animi erigere ad Deum, cordis oculos leuare non possit ad cælum. Sed quoniam mola asinaria saxum esse constat, videamus si & paganorum talis est mola. Talis est plane, Saxea enim mola est paganorum Iuppiter, Herculesque lapideus, circa quos cæcis oculis frequenter errore circumeunt. Cæcos (inquam) dixerim eorum oculos, qui putant se videre, quod non vident. Aspicientes enim saxum Deum se videre \* confidunt. A tramen qui molam voluit, consummandi aliquado finem operis habet, exeundi spem gerit laboris. Cui vero molæ*

Genes. 3.

1. Cor. 14.

\* Alias confundunt.

asinaria ad collum suspenditur, portat lapidem, qui portare debuerat iugum domini. Asinus ergo ad molam, cæcus ad lapidem, gentilis ad saxum, qui adorat eum, quem non videt, nec agnoscit. Deus enim non in manufactis habitat, nec in metallo aut saxo cognoscitur. Hic ergo gentilis populus, cum perfectionem Christianam intulerit, hac poena plectitur, vt cum sua sacrilega mola iudicandi seculi fluctibus demergatur.

Act. 17.

PETRI CHRYSOLOGI

Episcopi Rauenn. in superius Euang.

Sermo.

Beatus Evangelista, proximè dum diuitis inhumani vitam descripsit, & finem, humanos mouit, & inefficauit affectus: sed hodie; Zachari diuitis humanitatem, fidemque referendo, caeleste nos extulit, & prouocit ad gaudium. *Et ingressus, inquit, Iesus, perambulabat Hiericho. Quare perambulabat, non ambulat? Quis, quod Moses ambulauerat, perambulabat Christus; & populum, quem Moyses induxit in via, Iesus ad quietem promissæ mansionis adduxit. Perambulabat Hiericho. Hiericho ciuitas ipsa est, quam Iesus Nabe septeno tubarum clangore subuertit. Sed, quia Christus venit saluare, quod perierat: ingreditur Hiericho, vt, quod lex terribili uociferatione deiecerat, Iesus clamore piæ prædicationis attollat. Et ecce vir nomine Zachæus, & hic erat princeps Publicanorum. & ipse diues. Vt princeps publicanorum in ciuitate perdit, perdit operis Zachæus egisse scribitur principatum: ex loco, persona, officio, reatus magnitudo monstratur, vt ex magnitudine criminis remittentis eluceat magnitudo. Et quaerebat Iesum videre. Qui Christum videre quaerit, cælum, vnde Christus est, non terram, de qua aurum est, intueatur. Diues ergo, qui sursum respicit, non portat diuitias, sed proculcat; nec incuruatur diuitiis, sed leuatur; atque agit diuitias ad largientis obsequium, non ad diuitiarum auaritiæ seruitutem: diuitiarum seruus, non dominus est auarus; at misericors tot seruos se probat habere, quot nummos. Et non poterat præ turba, quia statura pusillus erat. Satis hic animo magnus erat qui pusillus videbatur in corpore: nam mente rangebat cælos, qui corpore homines non æquabat. Nemo ergo de breuitate corporis, cui addere nil potest, curat: sed, vt fide emineat, hoc procuret. Et præcurrens, ascendit in arborem. Quibus putas iste gradibus altissime arboris peruenit ad ramos? Iste calcavit terram, superascendit auram, transcendit auaritiam, & totam diuitiarum supergressus est molem, vt profiliens in arborem veniæ, misericordiae apprehenderet fructum; & de specula confessionis, indulgentiæ eerneret largitorem. Ascendit in arborem Sycomorum. Mysterio, vobis causa ascendit in arborem Sycomorum: vt, vnde Adam terebat nuditatem corporis, Zachæus inde velaret fecditatem auaritiæ. Vt videret Iesum, quia inde erat transiturus. Verè dixit transiturus: quia Christus per terrenas vias, & humanos labores non mansurus venerat, sed venerat transiturus. Cùm autem Iesus venisset ad locum, suspiciens, vidit eum. Quasi, si illuc non vertisset oculos, non videret, qui Nathanaël, cùm absens esset, sub eadem arbore longè vidit: sed vidit eum, vidit ad veniam, respexit ad*

Serm. 54.

Iohe 6.

Psal. 50. Iob. 37.

\* forte, quis. Math. 9.

Gen. 1.

gra

gratiam, intendit ad vitam, contemplatus est salutem. Deus, quem videt, non vt ignorans, agnoscere cupit, sed vt sciens ad gloriam vult videre. Vidit eum, & ait ad illum; Zachæe, festinans descende, quia hodie oportet me in domo tua manere. Si bene ascendit, quare ei dicitur, descende? Superius dixit; præcurrens, ascendit arborem, præcurrens seruus dominum; & ante Zachæus ascendit arborem, quam cracem dominator ascenderet: hinc est, quod dicitur ei, Festinans descende, si lapis, festinans descende; descende ante dominum de Adamitica arbore; vt post crucem dominicæ passionis ascendat. Nisi quis tulerit crucem suam, & secutus me fuerit: non dicit, præcesserit me. Descende ergo, vt deponas tantæ fraudis onera; pondera cupiditatis, vltimarum molem, magistrum publicani, exactionis crudelissimæ principatum, expditus intres pauperis scholam, discipulatum misericordiae, pietatis vltim, patientiæ disciplinam; studia virtutum; scientiam diuinitatis, tolerantiam passionum, philosophiam mortis, atque inter vitalis ligni ardua iam perfectus ascendas. Descende, quia hodie in domo tua oportet me manere. Cuius domum non intrauerit Christus, ille ad diuitiam non perueniet mansionem: & cuius hic ad mensam non sederit Christus, ille caelestem non accumber ad mensam. Et festinans descendit, & suscepit eum gaudens. Gaudet, quia suscepit susceptorem suum, quia pastorem suum pascit, quia reus iudicem suffragio humanitatis inclinat, quia cibi, & potus fenore debitorem suum sibi facit, & acquirit: & sic fit, vt quaestum non perdat publicanus iste, sed mutet. Et cùm viderent, inquit, omnes murmurabant, dicentes, quod ad hominem peccatorem diuertisset. Et quis sine peccato? Et, si nemo; ipse sibi veniam negat, qui Deum, quod ad peccatores ingreditur, accusat. Deus, quando peccatores quaerit, non peccata; sed hominem quaerit: vt peccatum, quod est opus hominis, despiciat; vt opus suum, quod homo est, non amittat. Audi Prophetam dicentem; Auerte faciem tuam a peccatis meis: hoc est, ab operibus meis: de se autem? Opera manuum tuarum ne despicias. Iudex, cum vult ignoscere, hominem respicit, non culpam; pater, cùm misereri vult filio, affectum cogitat, non delictum: sic in homine Deus sui memoret operis, vt operis obliuiscatur humani. Tu ergo, qui reprehendis, qui murmuras, cur ad peccatorem diuertit Christus, viam salutis, exemplum veniæ, misericordiae spem de tali ingressu cape, & caue, ne hoc tibi sit blasphemandi materia, quod tibi occasio est salutis. Quo medicus, nisi ad ægrum? Non est opus, inquit, sanis medicus, sed malè habentibus, vbi anhelus pastor, nisi ad ouem perditam? Quando se \* ex hostibus immiscet, nisi cùm vult liberare captiuum? Et qui preciosam perdit margaritam, loca squallida non dedignatur intrare, & eam inter stercore ipsa perquirere non abhorret. In quod præceps post filium non se dat mater? Et arguitur Deus, qui creauit hominem ad imaginem, & similitudinem suam, quare hominem inter peccata charitate conditoris inquirat? Murmuras, homo, quare hominem Deus inter peccata quaerat: quid facies, cùm videris eum propter hominem ipsas tenebras tarrati penetrare? Audi tamen ad quid ingressus ad peccatorem fecerit Christus: Stans, inquit, Zachæus dixit. Videtis quomodo erectus est, qui iacebat. Iacemus in vitijs; & iacemus oppref-

si stamus, cùm bonis operibus, erigimur ad profectum. Stans, inquit, Zachæus dixit, dimidium bonorum meorum do pauperibus. Ite post mortem se credit esse victurum, qui dimidium bonorum iam futuram transmittit ad vitam. Sit licet ille perfectus, qui totum, quod habet, illuc, vbi victurus est, semper hinc præmittit: est iste tamen virtutum socius, confors prudentiæ, fidei particeps, qui ad Deum vel dimidium miserit: quia homo, quod hinc reliquerit, hoc amittit. Et re vera, fratres, sicut se iste ibi credit vincere, qui illuc transmittit sua; ita ille se sibi non credit esse victurum, qui sibi illic, quod habere debeat, nihil paratit. Nam, si paupertatem vix ferre possumus temporalem, in æternum mendicus fieri quis durabit? Quis militans non ad patriam mittit, quicquid bellico sudore conquirat, vt adolefcentiæ labores senectus deliciosa compenseret. Et Christianus, cui militare est id, quod viuunt in seculo; quomodo non cogitat, vt pericula terrena otijs caelestibus consoleretur? Qualiter hæc faciat Christianus, Zachæus ipse & verbo docet, & monstrat exemplo. Dimidium bonorum meorum do pauperibus, &c. Qui aliena prorogat, plus dando diripit, quam furando: nec compefcit inde dolentem gemitus, sed producit. Audio, dicere, qui de fraude Deo offert, cumulat crimina, non emudat: quia Deus in tali munere exuias suorum pauperum, non misericordias intuetur. Sine causa Deo plorat, contra quem iuste causa pauperis plorauerit Deo. Dei vox est; Si pignus tuleris fratri tuo tunicam, ante solis occasum reddes illi. Sicut furem lucerna prodidit, ita sol eos, qui fraudantur; accusat. Si volumus Deo offerre nostra, si apud Deum, quæ nostra sunt, possidere volumus, mereamur & nos audire talia, qualia Zachæus audiuit; Hodie domui huic salus aduenit: quia hic filius est Abrahamæ. Inhumanus diues; cùm esset filius Abrahamæ, factus est gehennæ filius iste, cùm esset rapinæ filius, dando sua, aliena reddendo; Abrahamæ adoptatur in filium. Ne quis tamen putet Zachæum offerendo dimidium bonorum, perfectionis non tenuisse fastigium, qui post omnia sua, & seipsum sic dedit Domino; vt episcopus parus honore fultus, à mensa publicani quaestus ad mensam dominici corporis perueniret: & fraudulenter seculi diuitias derelinquens, in paupertate Christi veras seculi diuitias inueniret.

Exod. 12.

Sumpsit hoc ex libro recognitionis Clementis.

S. BERNARDI ABBATIS Clareuallensis in Dedicatione Ecclesiae, Sermo 1.

Festinitas hodierna, fratres, tanto nobis debet esse deuotior, quanto familiarior est. Nam careras quidem sanctorum solemnitates cum ecclesiis aliis habemus communes: hæc verò sic nobis est propria, vt necesse sit vel à nobis eam, vel à nemine celebrari. Nostra est, quia de ecclesia nostra magis autem nostra, quia de nobis ipsius. Miramini forsitan & erubescitis celebrari festa de vobis, sed nolite fieri sicut equus & mulus, qui non est intellectus. Quid enim lapides isti potuerant sanctitatis habere, vt eorum solemnitas celebremus? Habent vtique sanctitatem, sed propter corpora vestra. An verò corpora vestra sancta esse quis dubitet, quæ templum sancti spiritus sunt, vt sciat vnusquisque possidere vas suum

Psal. 37.

R r r 4 in

in sanctificatione? Itaque sancta sunt anima propter inhabitantem spiritum Dei in vobis. Sancta sunt corpora propter animas, sancta est etiam propter corpora domus. Adhuc certe corruptibili tenebatur in carne, & in corpore peccati, in quo & graue adulterij crimen admisit illius anima, qui dicebat: Custodi animam meam, quoniam sanctus sum. Mirabilis planè Deus in sanctis suis, non modo in caelestibus, sed etiam in terrenis. Vtrobique sanctos habet, & in vtrisque mirabilis est: illos quidem beatificans, istos sanctificans. An experimentum quaeritis eius de qua loquimur sanctitatis, & sanctorum vobis istorum miracula desideratis ostendi? Multi certe ex vobis à peccatis & vitiis in quibus computruerunt, tanquam iumenta in stercore suo, exiere viriliter: & quotidie impugnantibus eis potenter resistunt, iuxta Apostolum qui de sanctis loquens vtiq: conualuerunt, inquit, de infirmitate, forres facti sunt in bello. Quid mirabilius, quando is qui prius vix per biduum poterat à luxuria, crapula, & comestationibus & ebrietatibus, à cubilibus & impudicitis ceterisque similibus & dissimilibus vitiis continere, nunc ab eis continet multis annis, tota vtiq: vita sua? Quod maius miraculum, quando tot iuvenes, tot adolescentes, tot nobiles, vniuersi denique quos hic video, velut in carcere aperto tenentur sine vinculis, solo Dei timore confixi, quòd in tanta perseverant afflictione penitentia: ultra virtutem humanam, supra naturam, contra consuetudinem? Ipsi credo videtis quanta iam possemus inuenire miracula, si persecutati sigillatim liceret singulorum exitum de Aegypto, & deserti viam, id est, abrenunciationem seculi, introitu monasterij, in monasterio conuersationem. Quid verò sunt hæc, nisi manifesta inhabitantis in vobis spiritus sancti argumenta? Nam habitare in corpore animam probant vitales motus corporis: habitare in anima spiritum probat vita spiritualis. Illud ex visu & auditu dignoscitur: istud ex charitate & humilitate, ceterisque virtutibus. Vestra est igitur, fratres charissimi, vestra est hodierna festiuitas. Vos dedicati estis domino, vos elegit & assumpsit in proprios. Tibi (inquit propheta) derelictus est pauper, orphano tu eris adiutor. Quam benè commutastis, dilectissimi, quicquid habere potuistis in seculo, quando nunc relinquendo ea, proprij esse meruistis auctoris seculi, & eum habere propriam possessionem, qui sine dubio portio & hereditas est suorum. Neque enim, sicut dixerunt filij iniquitatis: beatus populus cui hæc sunt, & temporalia scilicet quæ præmiserat, promptuarie eructantia ex hoc in illud, oues ferosæ, & similia: non inquam beatus populus cui hæc sunt, sed beatus populus cuius Dominus Deus eius. Vide-te ergo si non dignum sit vt festum agamus diem quo nos assumpsit in proprios, & inuestiuit se per ministeriales & vicarios suos: vt fiat sicut iam olim promiserat: Ego, inquit, in medio eorum ero eorum Deus: nos autè populus eius, & oues pascuæ eius. Quando enim domus ista per manus pontificum dedicata est Domino, propter nos sine dubio factum est: non solum qui presentes sumus, sed & quicunque vsque in finem seculi Domino sunt in hoc loco militaturi. In nobis proinde spiritualiter impleri necesse est, quæ in parietibus visibiliter præcesserunt. Et si vultis sci-

*Psal. 9.*

*Psal. 143.*

*Zach. 2.*

re, hæc vtiq: sunt, aspersio, inscriptio, inunctio, illuminatio, benedictio. Hæc vtiq: in hac visibili domo facere pontifices, hæc & Christus assistens pontifex futurorum bonorum inuisibiliter quotidie operatur in nobis. Primò siquidem aspergit nos hyssopo, vt mundemur, lauemur, dealbemur, dicaturque de nobis: *Quæ est ista quæ ascendit dealbata? Lauat inquam nos in confessione, lauat nos lachrymarum imbore, lauat sudore penitentia: magis autem lauat nos aqua illa preciosa quæ de fonte pietatis, id est ab eius latere emanauit.* Aspergit nos hyssopo, quæ humilis herba est, & pectoris purgatiua: aqua sapientia salutaris, quæ est timor Domini initium sapientia, & fons vite: etiam condimentum salis admiscens, ne sit in spiritibus timor sine spe, sine deuotione. Non solum autem, sed inscribit digito Dei in quo eiciebat demonia, haud dubium quin in spiritu sancto. Inscribit inquam legem suam non iam in lapide, sed in tabulis cordis carnalibus, prophetiam implens promissionem qua se pollicitus est ablaturum cor lapideum, & carneum cor esse daturum, id est, non durum, non obstinatum, non Iudaicum: sed piuum, sed mansuetum, sed tractabile, sed deuotum. Beatus quem tu erudieris domine, & de lege tua docueris eum. Beati inquam qui docti & memores sunt mandatorum eius, sed ad faciendum ea. Alioquin scienti bonum & nõ facienti, peccatum est illi: & seruus sciens voluntatem domini sui & non faciens, plagis vapulabit multis. Vnde necesse est vt vnctio spiritualis gratia adiuuet infirmitatem nostram, obseruantiarum & multimoda penitentia: cruce, deuotionis suæ gratia liniens: quia nec sine cruce sequi Christum, & sine vnctione crucis asperitate ferre quis possit? Hinc est quòd multi abominantur & fugiunt penitentiam, crucem quidem videntes, sed non etiam vnctionem. Vos qui experti estis, ecce scitis quia verè crux nostra inuncta est, & per gratiam spiritus adiuuantis suavis & delectabilis est penitentia nostra, & vt ita dicam, amaritudo nostra dulcissima. At postquam vnctio gratia huic præcellerit, iam lucernam suam Christus non ponit sub modio, sed super candelabrum: quia tempus est vt luceat lux nostra coram hominibus, & videant opera nostra bona, & glorificent patrem nostrum qui in caelis est. Iam verò benedictionem quidem expectemus in fine, quando aperiet manum suam, & implebit omne animal benedictione. Nã in quatuor præmissis merita constant, in benedictione sunt præmia. In benedictione tota cõplebitur gratia sanctificationis, quando iam in domum transibimus non manu factam, æternam in caelis. Ipsa est quæ construitur viuus ex lapidibus, angelis scilicet & hominibus. Simul enim ædificatio & dedicatio ipsa complebitur. Diligenda nimirum ligna & lapides domum non faciunt, nec in eis habitare quis potest: sola verò cõiunctio domum facit. Sic caelestium spirituum perfecta vnitas, sine vlla sibi diuisione connexa, integram & congruam Deo reddit habitationem, quam ineffabiliter beatificat inhabitans gloria maiestatis. Quis enim sic sciret vniuersa regum consilia, aut quis eorum omnia dicta vel facta sic nosset, quomodo palatij ligna & lapides, si non adesset illis intelligentia sensus? Itaque caelestis illius curia: lapides viuus ac rationabiles diuinis intersunt consilijs, & trinitatis

*Psal. 50. Cant. 8.*

*Psal. 110.*

*Exech. 11.*

*Psal. 93.*

*Ibid. 102.*

*Iaco. 4. Luc. 12.*

*Matth. 5.*

tis mysteria norunt, audiuntque verba ineffabilia quæ non licet homini loqui. Beati qui habitant in domo tua domine: in secula seculorum laudabunt te. Quantò enim plus vident, plus intelligunt, plus agnoscunt: tantò plus diligunt, tantò magis laudant, tanto amplius admirantur. Verum quia coherere quidem sibi domum illam & perfecte connexam esse iam diximus, superest vt iuncturam & connexionem ipsam aliquatenus exprimamus. Legimus in Esaia: Glutino bonum est. Duplici sibi igitur coherent lapides illi glutino: cognitionis plenæ, & perfectæ dilectionis. Tanto siquidem maiori ad se inuicem dilectione copulantur, quanto ipsi charitati quæ Deus est, viciniores assistunt: sed nec vlla separare eos ab inuicem suspicio potest, vbi nihil omnino quod in altero sit, alterum latere patitur penetrans omnia radius veritatis. Quoniam enim qui adhæret Deo, vnus spiritus est cum eo: nihil dubium est quin perfecte adherentes ei beati spiritus, cum eo pariter & in eo penetrent vnuerfa. Ad hanc domum si peruenire desideras, sic concupiscat & deficiat anima tua in atria domini, sicut propheta clamat: Vnam petij à domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo domini omnibus diebus vite meæ. Ipsum nihilo minus imitate prophetæ, qui sicut intrauit domino, vocu' vouit Deo Iacob, si introiero in tabernaculum domus meæ, &c. Sed hinc alio sermone nobis tractandum erit, quod dominus ipse donauerit.

*Psal. 83.*

*Esai. 41.*

*1. Cor. 6.*

*Psal. 126.*

*Psal. 131.*

*2. Reg. 7.*

*1. Para. 17.*

*Psal. 147.*

*2. Cor. 5.*

*Psal. 137.*

**EIVSDEM IN EADEM  
solennitate Sermo 2.**

**O**lim rex gloriosus & propheta domini David sanctus religiosa quadam cõpõit cogitatione moueri, indignum iudicans quòd nullam adhuc Dominus sabaoth domum haberet in terris: ipse verò domum inhabitaret regis dignitatis. Hoc ipsum, fratres, nos quoque decet cogitare, fideliter & vtiliter effectui mancipare. Nam quòd licet Deo placuerit cogitatio illa prophete, opus tamen reseruum est Salomoni: alia ratio est, forte prolixiore indigens disputatione. Iam verò ò anima tu quidem sublimi in domo habitas, quæ à Deo tibi fabricata est, corpus hoc dico: quod sic compegit, quòd sic aptauit, quòd sic ornauit & ordinauit, vt gloriosè in eo & delectabiliter habitares. Sed & ipsi corpori domum fecit excelsum, aptissimam & decoram, dico autè sensibilem huc & inhabitabilem mundum. Nonne ergo indignum reputas, vt tibi ipse fecerit domum, vt verò ei templum ædificare distimules? Adhuc domum quidè habes, sed certa esto quoniã in breui casura est domus tua: & tu nisi prius prouideris aliam eris pluuiæ, vento & frigori exponenda. Heu à facie frigoris eius quis sustinebit? Felix proinde & multum felix anima quæ dicere potest: Scimus quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quòd ædificationem habemus ex Deo, domum nõ manu factam, æternã in caelis. Propterea ita ne dederis ò anima somnum oculis tuis, & palpebris tuis dormitationem, donec inuenias locum domino, tabernaculum Deo Iacob. Sed quid putamus fratres? Vbi inuenitur huius ædificij locus, aut quis poterit esse architectus? Nã visibile istud templum vtiq: propter nos factum

est ad nostram habitationem. Neque enim altissimus in manufactis inhabitat. Quod ergo ædificabimus templum ei qui dicit, & verè dicit: Cælum & terram ego impleo? Tribularer valdè, & anxietur super me spiritus meus, nisi quòd audio eum de quodam dicentem, Quia ego & pater ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Ita iam scio vbi præparanda sit domus ei, quoniam non capit eum nisi imago sua. Anima capax illius est, quæ nimirum ad eius imaginem est creata: Propter quod iam festina, adorna thalamum tuum Sion: quoniam cõplacuit Domino in te, & terra tua inhabitabitur. Exulta satis filia Sion, habitabit in te Deus tuus. Dic cum Maria tua, Ecce ancilla domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Dic iuxta beatæ Elizabeth verbum: Et vnde hoc mihi; vt veniat manifestas Domini mei ad me? Quanta enim Dei benignitas, quanta dignatio, quanta dignitas, quanta gloria animarum, quòd Dominus vnuerforum, & qui nullam habet indigentiam, templum sibi fieri iubet in illis? Itaque fratres toto cum desiderio, & digna gratiarum actione studeamus ei templum ædificare in nobis: primò quidem solliciti vt in singulis, deinde vt in omnibus simul inhabitet: quia nec singulos dedignatur, nec vnuerfos. Primo igitur loco studeat vnusquisque ne dissideat ipse à semetipso, quoniam omne regnum in seipsum diuisum desolabitur, & domus supra domum cadet: nec intrabit Christus vbi fuerint parietes declinati, & maceria depulsa. Nonne enim corporis sui domum integram anima vult habere, & exire illam necesse est, si fuerint à se inuicem membra dispersa? Videat ergo & ipsa si desiderat habitare Christum per fidem in corde suo, id est in seipsa: sollicitè caueat ne à se inuicem membra eius dissideant, id est ratio, voluntas, atque memoria. Sit ergo sine errore ratio, vt benè congruat voluntati. Talem enim voluntas amat. Sit & voluntas sine iniquitate, quoniam ratio talem approbat. Alioqui si sese iudicat anima propter voluntatis prauitatem in eo quod per rationem probat, bellum intestinum est, & discordia periculosa: quoniam voluntatem huiusmodi ratio semper suggillat, sed accusat, sed diiudicat, sed condemnat. Propter quod ait dominus in euangelio: Esto consentiens aduersario tuo dum es in via cum illo, ne forte aduersarius tradat te iudici, & iudex tradat te tortoribus, &c. Sit etiam memoria sine sorde, vt nullum in ea peccatum maneat, quod non pura confessione & dignis fructibus penitentia: deleatur. Alioquin conscientiam in qua peccatum lateret, & voluntas odit, & ratio excratur. Bonum proinde parat habitaculum Deo, cuius nec ratio decepta, nec voluntas peruersa, nec memoria fuerit inquinata. Iam verò sic se habentibus singulis, etiam omnes nos connecti & conglutinari necesse est, mutua vtiq: charitate quæ est vinculum perfectionis. Nam cognitio quidem perfecta in hac vita haberi non potest, forsitan nec oportet. In caelesti siquidè domo cognitio dilectionis est nutrimentum, hic vero esse poterat detrimentum. Quis enim gloriabitur castum se habere cor? Propterea facile erat & confundi cognitum, & conoscentem offendi, Ibi iucunda erit cognitio, vbi macula iam non erit. Illa ergo domus connexa firmius est tãquam in æternum mansura, hæc tanquam tabernaculum bel-

*Hier. 23.*

*Ioan. 14.*

*Luc. 1. Ibidem.*

*Matth. 12. Luc. 11.*

*Matth. 5.*

latorum





res cum propheta: In domum domini latentes  
 ibimus. O admirabilis domus, & dilectis taber-  
 naculis & atriis concupiscibilibus preferenda.  
 Quam dilecta tabernacula tua domine virtutum:  
 concupiscit & deficit anima mea in atria domi-  
 ni. Verum multo magis beati qui habitant in do-  
 mo tua domine, in secula seculorum laudabunt  
 te. Siquidem gloriosa dicta sunt de te, domus Dei.  
 In tabernaculis enim gemitus est penitentiae, in  
 atriis gustus lætitiæ, in te fatietas gloriæ. Hæc qui-  
 dem est infima domus orationis, media expecta-  
 tionis, tu gratiarum actionis & laudis. Felix pro-  
 inde qui hic declinauerit à malo quod est culpa,  
 & fecerit bonum: ut illic à malo quod est pœna,  
 liberetur, & in te recipiat bonum. Hic nimirum  
 primitiæ spiritus, illic diuitiæ, in te plenitudo: ubi  
 bona illa mensura conferta & coagitata & super-  
 effluens detur in sinus vestros. Hic denique sunt  
 sancti, illic securi, in te beati. Hæc siquidem primi-  
 tiæ spiritus, quæ militantibus interim prærogan-  
 tur: sanctitas in conuersatione, pietas in intentio-  
 ne, virtus in colluctatione. In sanctitate conuer-  
 sationis penitentiae fructus intelligit, & corporalia  
 quæque diuinorum exercitia mandatorum. At  
 quoniam hæc, nisi simplex fuerit oculus, simpli-  
 cia esse non possunt, necessarium pietas intentionis  
 & puritas cordis exigitur, ne vel honoris ambi-  
 tus, vel laudis surrepat appetitus: sed solus ille de-  
 sideretur qui solus desiderium replet, & ad pro-  
 prii fontis originem omnis quam accepimus gra-  
 tia tenentur. Memento tamen solam ex omni-  
 bus perseverantiam coronari, nec eam facile posse  
 inter tot discrimina vendicari, nisi multiplicem  
 obtineas in tam multiplici colluctatione virtu-  
 tem. Hæc in tabernaculis. Porro in atriis quæ post  
 molestos consuetas antea iucunditate fouen-  
 dos excipiunt exeuntes, iam diuitiæ spiritus ero-  
 gantur: requies à laboribus, securitas à sollicitudi-  
 nibus, pax ab hostibus. Ipse enim amodo iam di-  
 cit spiritus ut requiescant à laboribus suis, qui  
 tanto seruore ocium hædentes interdiceret, labo-  
 res indicere consuevit. Ipse scorsum à curis faci-  
 et, & ab omni sollicitudine sequestrabit, qui mo-  
 do consilia ponit in anima sua, & sollicitam facit  
 erga multa turbati. Ipse iam parta victoria in pa-  
 ce in idipsum suauiter dormire præstabit, qui dum  
 adhuc leo rugiens fremit, & ad vigilias excitar, &  
 accingit ad pugnam. Verum in his, ut supra teci-  
 gimus, liberatio magis à malo quam boni mune-  
 ratio est: nisi quod dura nos nostræ necessitatis  
 experientia cogit, absentiam mali, boni cumulos  
 æstimare: quemadmodum conscientia grauiorum  
 immunitatem criminum, plenitudinem reputat  
 sanctitatis. Hinc aduertere est, quam longè agi-  
 mus à summo bono, qui carere culpa iustitiam,  
 carere miseria beatitudinem iudicamus. Absit  
 autem ut talem quis putet vbertatem domus il-  
 lius, & torrentem voluptatis, & si qua sunt alia  
 quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in  
 cor hominis ascendit quæ præparauit Deus dili-  
 gentibus se. Nec ergo audite velis o homo quod  
 auris hominis non audiuit, nec ab homine quæ-  
 ras quod humanus nec oculus videt, nec animus  
 capit. Nec tamen hinc penitus taceamus: nostram  
 hanc patriam à longè salutantes, triplicem quan-  
 dam odorari videmur, potentiæ scilicet, & ma-  
 gnificentiæ & gloriæ præmissionem. Siquidem  
 homo erat, & filius captiuitatis huius, qui dice-

Psal. 137.  
 Psal. 137.  
 Psal. 86.  
 Apoc. 4.  
 Psal. 4.  
 1. Cor. 2.

bat: Introibo in potentias domini. Cæterum nos  
 scire possumus quid sit infirmitate carere, tan-  
 quam infirmitate circumdati. Quid verò sit virtu-  
 te iudici, & potentiam introire, nec modo poten-  
 tiam, sed & multam potentiam, fortè & omnipo-  
 tentiam, interim scire non possumus. Clamat  
 etiam relictis fidelis, quia quos iustificauit, illos &  
 magnificauit. At magnificentiam eam præsertim  
 quam procedere deceat à magnitudine cuius nec  
 finis nec numerus est, vti nam nostræ interim exi-  
 guitati liceat expectare: nam æstimare non licet.  
 Jam verò ne ipsius quidem vereri necesse est aut  
 habere suspectam gloriæ promissionem, feliciter  
 tunc & fiducialiter hauitit gloriæ, à cuius in-  
 terim appetitu tantis comminationibus deterre-  
 ris. Erat enim tunc vnicuique laus à Deo, secuta  
 certe & sempiterna, finis pariter & discriminis  
 expertis, & ut scriptum est: iucunda decoraque lau-  
 datio. Et ergo fratres, viriliter interim in taber-  
 naculis militemus, ut suauiter deinde in atriis re-  
 quiescamus: ut nonissimè in domo sublimiter  
 gloriemur, cum momentaneum hoc & leue tribu-  
 lationis nostræ supra modum in sublime æter-  
 num pondus gloriæ operabitur in nobis, cum in  
 domino laudabimur tota die, in veritate vti que,  
 non in vanitate.

Psal. 70.  
 Rom. 8.  
 Psal. 146.  
 1. Cor. 4.

**EIVSDEM IN DEDICA-  
 tione ecclesie, de gemina consi-  
 deratione sui, Sermo 5.**

Etiam hodie, fratres, solennitatem agimus, &  
 præclaram. Atque id quidem facile dixerim:  
 sed si pergitis querere cuius sancti, illud forte iam  
 non ita. Quotiens enim Apostoli seu martyris vel  
 confessoris alicuius memoria celebratur, haud  
 difficile est dicere cuius, vti puta sancti Petri, &  
 Stephani gloriosi, aut scilicet patris nostri Bene-  
 dicti, vel alicuius cæterorum magnorum princi-  
 pum magne curiæ cæli. Nunc verò nullus eorum  
 solennitas agitur, agitur tamen nonnulla solenni-  
 tas. Nec modò nonnulla, sed non parua. Et si iam  
 vultis audire, festiuitas est domus domini, templi  
 Dei, ciuitatis regis æterni, sponsæ Christi. Nemo  
 sanè ambigit sanctam esse sponsam sancti sancto-  
 rum, & omni celebritatis honore dignissimam.  
 An verò domum Dei sanctam esse quis dubitet,  
 de qua legitur: Domum tuam decet sanctitudo.  
 Sic & sanctum est templum eius, mirabile in æqui-  
 tate: sed & ciuitatem sanctam Ioannes sese vidisse  
 restatur: Vidi, inquit, sanctam ciuitatem Hierusa-  
 lem nouam descendem de cælo, à Deo paratam  
 tanquam sponsam ornatam viro suo. In quibus  
 sanè verbis aperire iam cœpi, quod adhuc (fateor)  
 dissimulare volebã. Dico autè quod eadè sponsa,  
 quæ ciuitas est, sed & templum quoque; & domus ni-  
 hilominus sit. Neque id mirum, præsertim cum  
 similiter vnus sit qui se ei sponsum dignatur &  
 regem & Deum & patrem familias exhibere. Nec-  
 dum tamè vobis arbitror satisfactum, donec eni-  
 dentiùs quæ domus huius patris familias, quod  
 hoc templum Dei, quæ ciuitas regis istius, quæ-  
 nam denique huius gloriosi sponsi sponsa dici &  
 esse meruerit, audiamus. At ego super hoc quidem  
 non parum vereor loqui quid sentiam, ne quem  
 vestrum (quod absit) aut minus fideliter, aut mi-  
 nus humiliter audire contingat: ne quis forsitan  
 ab

Idem 32.  
 64.  
 Apoc. 21.

ab hoc auditorio aut elatus præ magnitudine  
 gloriæ, aut incredulus exeat præ pusillanimitate  
 spiritus sui. Opto enim semper vos & fideles &  
 humiles inueniri, quod vtrumque summpere sit  
 necessarium ad salutem. Solis namque humilibus  
 ipse dat gratiam, cui etiam sine fide placere im-  
 possibile est. Opto igitur & omnibus modis cu-  
 pio vt & paruulos & magnos, imò ( vt plus mi-  
 remini) & nihil & aliquid, etiam grande aliquid ei  
 vos exhibere curetis. Neque enim sine magno  
 animo bona illa tam magna capere, aut vim face-  
 re poteritis regno calorum, non plus quàm idem  
 cælorum regnum intrare, nisi conuersi fueritis, &  
 efficiamini sicut paruuli. Non sum homo profun-  
 di sensus, non possum vobis quod non gustauerim  
 errare. Dicam tamen quid interdum in me  
 sentiam agitari, vt si quis forte sibi vile iudica-  
 uerit, imitetur. Quia enim olim persuasum est  
 mihi vt miseret animæ meæ placituras exinde  
 Deo meo, frequenter de ea re cogito: vti nam au-  
 tem magis semper liceret. Erat quando id agitari  
 minime libebat, nempe quod minus (si tamè mi-  
 nus, & non magis minime) diligerem eam. Quo-  
 modo enim amat quis, cuius mortè amat? Quod  
 si, vt verum est & indubitabile, mors animæ ini-  
 quitas est, absolutam proinde liquet esse senten-  
 tiam, quod iniquitatem qui diligit, odit animam  
 suam. Oderam ergo eam, & odissem adhuc, nisi  
 hoc mihi quodcumque amoris eius initium, is qui  
 prior eam dilexerat, contulisset. Ipsius proinde  
 beneficio nonnunquam de ea cogitans, videor  
 mihi in ea (fateor) velut duo quædam contraria  
 inuenire. Si ipsam prout in se est & ex se iuxta rei  
 veritatem intueor, nihil de ea verius sentire pos-  
 sum, quàm ad nihilum esse redactam. Quid modò  
 necesse est singulas eius miseras numerare, quàm  
 sit onerata peccatis, obfusa tenebris, irretita ille-  
 cebris, pruriens concupiscentijs, obnoxia passio-  
 nibus, impleta illusionibus, prona semper ad ma-  
 lum, in vitium omne proclius, postremò totius  
 confusionis & ignominie impleta? Nimirum si  
 ipsæ quoque iustitiæ nostræ omnes ad lumen ve-  
 ritatis inspectæ, velut pannus menstruata inue-  
 niuntur, iniustitiæ deinceps quales reputabun-  
 tur? Si lumen quod in nobis est, tenebræ sunt, ipse  
 tenebræ quantè erunt? Facile est cuique nostrum,  
 si sua melius vniuersa & sine dissimulatione ve-  
 stiget, & iudicet sine acceptione personæ, attesta-  
 ri per omnia apostolica veritati, & liberè procla-  
 mare: Qui se putat aliquid esse, cum nihil sit: ipse  
 se seducit. Quid est homo quia magnificas eum  
 cor tuum? Quid? Sine dubio vanitati similis factus  
 est homo, ad nihilum redactus est homo, nihil est  
 homo. Quomodo tamè penitus nihil est, què ma-  
 gnificat Deus? Quomodo nihil, erga quem appo-  
 situm est cor diuinum? Respiremus fratres, & si  
 nihil sumus in cordibus nostris, fortè in corde  
 Dei potest aliud latere de nobis. O pater miseri-  
 cordiarum, o pater miserorum, quid apponis erga  
 eos cor tuum: Scio, scio: ubi est thesaurus tuus, ibi  
 est & cor tuum. Quomodo ergo nihil sumus, si  
 thesaurus tuus sumus? Omnes gentes quasi non  
 sint, sic sunt ante te, & tanquam nihilum & inane  
 reputabuntur. Siquidem ante te, sed non sic intra  
 te. Sic in iudicio veritatis tuæ, sed non sic in affe-  
 ctu pietatis tuæ. Nimirum vocas ea quæ non sunt,  
 tanquam ea quæ sunt. Et non sunt ergo, quia quæ

Hebr. 11.  
 Math. 18.  
 Esai. 30.  
 Psal. 10.  
 Esa. 64.  
 Math. 6.  
 Gal. 6.  
 Iob. 7.  
 Math. 5.

non sunt, vocas: & sunt, quia vocas. Licet enim  
 non sint quantum ad se, apud te tamen sunt, vti-  
 que iuxta Apostolum non ex operibus iustitiæ,  
 sed ex vocante. Sic nimirum sic consolaris in  
 tua pietate, què in veritate tua humiliasti: vt ma-  
 gnifice dilatetur in tuis, qui meritò angustiat in  
 viceribus suis. Siquidem vniuersa viæ tuæ mise-  
 ricordia & veritas, requirentibus testamentum  
 tuum, & testimonia tua. Testamentum vti que  
 pietatis, & testimonia veritatis. Lege homo in  
 corde tuo, lege intra te ipsum de te ipso testimonia  
 veritatis, etiam hac cõmuni luce iudicabis te in-  
 dignum. Lege in corde Dei testamentum quod  
 firmatum est in sanguine mediatoris, & inuenies  
 quam longe aliud spe possidere quàm re tenere  
 videris. Quid est, inquit, homo quia magnificas  
 eum? Magnus vti que, sed in illo: siquidem ma-  
 gnificatus est ab illo. Aut quomodo non magnus  
 apud illum, cui tam magna cura est de eo? Ipse  
 enim cura est de nobis, ait Apostolus Petrus. Et  
 Propheta: Ego autem mendicus sum & pauper,  
 Dominus sollicitus est mei, Planè artificiosa con-  
 nexio vtriusque considerationis, qua velut vno  
 momento descendens pariter & ascendens, & se  
 pauperem & mendicum, & Deum pro se solici-  
 tum vidit. Angelicum est istud ascendere & de-  
 scendere simul. Videbitis, ait, angelos ascen-  
 dentes & descendentes super filium hominis. Ne-  
 que enim talis aliqua vicissitudo in eorum ascen-  
 sionibus & descensionibus est: simul & mittun-  
 tur in ministerium propter eos qui hereditatem  
 capiunt salutis, & assistunt vultui misericorditer  
 providente, vt & nobis sit conso-  
 latio, & eis tribulatio nulla. Alioquin quando æ-  
 quamiter paterentur ab illo vultu gloriæ in  
 quem semper prospicere desiderant, propter nos  
 vel ad modicum separari? Denique ipsam audi  
 in Euangelio veritatem. Angeli eorum, ait (haud  
 dubium quin paruulorum) in cælis semper videt  
 faciem patris: sic videlicet paruulorum custodia  
 deputati, vt non priuati vno modo beatitudine  
 sua. Hinc est quod Ioannes sanctus ciuitatè Hieru-  
 salem descendem vidit, stantem non potuit  
 intueri. Et aduerte quod descendem dixit,  
 non cadentem. Cecidit enim quondam non mi-  
 nima pars ciuitatis illius, sed ea quidem minimè  
 sancta, quippe cui grauissimus casus fuit quod  
 totius inimica facta est sanctitatis. Verum hanc  
 quidem ruinam & terribilem casum Ioannes vi-  
 dere non potuit, quia necdum erat: sed vidit ver-  
 bum quod in principio erat, vidit principium,  
 quod Apostolis loquebatur: Videbam satanam  
 ranquam fulgur cadentem de cælo. Itaque pars  
 illa quæ cecidit, à Deo reparanda est, cum imple-  
 bit ruinas, & reedificabit muros Hierusalem: nõ  
 tamen ex his qui ceciderunt. Hæc quædam quæ de-  
 scendens apparuit, iam parata erat, sicut secutus  
 adiunxit: A Deo paratã. Siquidem quod descen-  
 dunt non cadunt angeli sancti, diuina preparatio  
 facit: à quo nimirum hæc ipsa eis & voluntas  
 præparata est, & facultas. Vnde non solum ad-  
 ministratorios, sed & missos in ministerium quo-  
 que Apostolus testatur. Quidam mittat angelos,  
 pro quibus & ipse à patre voluit mitti: Quidam  
 pro eis inclinet cælos, pro quibus ipse quoque  
 cælorum rex inclinauit se, ita vt digito in terram  
 scriberet: Domine inclina cælos tuos. Parum est:  
 Et descende. Quid vltra? Vt quibus condescen-  
 dit,

2. Tim. 1.  
 1. Pet. 5.  
 1. Iob. 30.  
 Iob. 7.  
 Hebr. 1.  
 Math. 18.  
 Apoc. 17.  
 Luc. 10.  
 T. Psal. 43.  
 Iob. 8.

dit, faciat etiam coascendere sibi. Cæterum, ut iam dixi, angelicus ascensus & descensus caret vicissitudine, nos autem modò hæc, modò illac versari necesse est: quòd nec supra diuitius stare liceat, nec expediat infra longius demorari. Ascendunt, ait, vsque ad cælos, & descendunt vsque ad abyssos: anima eorum in malis tabescebat. Ut quid hoc? Propterea sanè anima eorum in malis interim plus tabescit, quam delectetur in bonis, quòd hæc in re, illa verò tantùm in spe videantur haberi. *Quis poterit saluus esse?* dicunt discipuli saluatoris. Et ille: Apud homines hoc impossibile est, sed non apud Deum. Hæc tota fiducia nostra, hæc vnica consolatio nostra, hæc tota ratio spei nostræ. Sed de possibilitate iam certi, de voluntate quid agimus? *Quis scit si est dignus amore, an odio?* *Quis nouit sensum domini,* aut quis consiliarius eius fuit? Hæc iam planè fidem nobis subuenire necesse est, hæc oportet succurrere veritatem: ut quòd de nobis latet in corde patris, nobis per ipsius spiritum reueletur, & spiritus eius testificans persuadeat spiritui nostro quòd filij Dei sumus. Persuadeat autem vocando & iustificando gratis per fidem, in quibus nimirum velut medius quidam transitus est ab æterna prædestinatione ad futuram magnificationem. Propterea sanè geminam illam considerationem, alteram quidem iudicij & veritatis, alteram verò non incongruè vocari credimus fidei & pietatis. Nec mirabere in humanis qualitatibus tam dissimilia reperiri, si solet adueras quanta & in ipsa eius substantia conuenisse videtur diuersitas naturarum. Quid enim spiritus vitæ sublimius? Quid verò humilior limo terræ? Quam profectò tam discorantem in homine coherentiam rerum, ipsos quoque sapientes seculi huius arbiter non latuisse, cum hominem diffinirent animal rationale mortale. Mirabilis siquidem copula rationis & mortis, mira societas discretionis & corruptionis. Sic nimirum sic in moribus, sic in affectibus, sic in studiis hominum non minor, forte & amplior contrarietas inuenitur: ut si totam prauitatem seorsum intuearis, ac rursum quicquid boni videtur inesse, consideres sigillatim, plenum censeras esse miraculo quòd tam aduersa conuenerint. Inde homo nunc quidem Bariona, nunc verò fatana meretur audire. Nolite mirari hoc. Recolite ex Euangelio cui dictum sit (& vtrunque in veritate: nam vtrunque ab ipsa veritate dictum) prius quidem: Beatus es Simon Bariona: nec multò post, Vade retro fatana. Vnus ergo vtrunque, etsi non vtrunque ex vno. Illud enim ex patre, illud ex homine, ipse tamen vtrunque erat. Vnde Bariona: Quia non caro nec sanguis, sed pater ei quod locutus est reuelauit. Vnde fatanas: Quia sapuit quæ erant hominũ, non quæ Dei. Iam si vtraque consideratione diligenter inspexerimus nos quid sumus, imò in vna quã nihil, in altera quã magnificati, quippe pro quibus etiam sollicitudinem gerat tanta maiestas, & cor suum apposuerit erga nos: puto temperata videtur gloriatio nostra, sed forsitan magis aucta est, solidata tamen, ut non in nobis, sed in domino gloriemur, quibus nimirum in hoc solo respirare est, ut dicamus: Si decreuerit saluare nos, cõtinuò liberabimur. Ex hoc iam in illa superiori specula vel paululum immorantes, quæramus domum Dei, quæramus templum, quæramus ci-

*Ipsal. 106.*

*Math. 19.*

*Rom. 11.*

*Math. 16.*

*Hebr. 13.*

uitatẽ, quæramus & sponsam. Neque enim oblitus sum, sed cum metu & reuerentia dico; Nos sumus. Nos inquam sumus, sed in corde Dei. Nos sumus, sed ipsius dignatione, non dignitate nostra. Non vsurpet quòd Dei est, ut non apponat homo magnificare seipsum, alioquin quòd illius erat faciens Deus, exaltantẽ se humiliabit. Quòd & si nos puerili animositate gratis saluari volumus, merito non saluamur. Excludit miseriam dissimulatio miserationem, nec dignatio locum habet vbi fuerit præsumptio dignitatis: pronocat verò compassionem humilis confessio passionis. Sanè hæc sola facit ut nos ipse tanquam diues paterfamilias alat in fame, & sub eo paucibus abundantes inueniamur proinde domus eius, cui nunquam deest alimonia vitæ. Et memẽto quòd domum suam domũ orationis esse diffiniat: quia & hoc propheticò satis videtur testimonio conuenire: qui ab ipso nos in orationibus vtrique cibandos pane lachrymarum, & in lachrymis potum asserit accepturos. Cæterum iuxta eundem prophetam, sicut supra quoque meminimus, domum istam decet sanctitudo, ut videlicet penitentia lachrymas puritas cõtinentiæ comitetor, & quæ iam domus est, fiat subinde etiam templum Dei. Sancti estote, inquit, quia sanctus sum dominus Deus vester. Et Apostolus: Nescitis quia corpora vestra templum sunt spiritus sancti, & spiritus sanctus habitat in vobis? Si quis templum Dei violauerit, disperdet eum Deus. Nunquid tamen vel ipsa iam sanctimonia sufficit? Pax quoque necessaria est, Apostolo teste, qui ait: Pacem sectamini cum omnibus, & sanctimonia, sine qua nemo videbit Deum. Hæc est quæ facit vnus moris habitare fratres in vno, vnam vtrique regi nostro vero pacifico ædificans ciuitatem, quæ & ipsa Hierusalem nominetur, quòd est vltio pacis. Vbi enim sine sedere pacis, sine obseruantia legis, sine disciplina & regimine acephala multitudo congregata fuerit, non populus, sed turba vocatur: non est ciuitas, sed confusio. Babylonem exhibet, de Hierusalem habet nihil. Sed quemadmodum fieri posse videbitur, ut rex tantus in sponsam transeat, ciuitas promoueat in sponsam? Sola hoc potest, quæ nihil non potest, charitas fortis ut mors. Quomodo non facile istam leuet, quæ illum iam inclinauit? Verùm hinc tibi nullatenus consulenda prior illa quam diximus consideratio tui, hæc quàm potissimum fidei magnanimitas exercetur. Denique & ipse ait: Desponsauit te mihi in fide, desponsauit te in iudicio & iustitia: eius, non tuam intellige: desponsauit te in misericordia & miserationibus. Si non fecit ille quod sponsus, si non tanquam sponsus amauit, si non zelatus est tanquam sponsus, noli acquiescere sponsam te arbitrari. Itaque fratres mei, si per abundantem refectionem magni patrisfamilias domus esse probamur, si templũ Dei per sanctificationem, si ciuitas summi regis per socialis vitæ cõmunione, si sponsa immortalis sponsi per dilectionem, puto iam non esse quòd dicere verear nostram esse solennitatem. Nec miremini quòd in terris agitur hæc celebritas, siquidem agitur & in cælis. Nempe si (ut veritas ait, & non potest non esse verum) super vno peccatore penitentiam agente gaudium est in cælis etiam angelis Dei, non est dubium multiplex esse super tam multorum penitentia peccatorum. Adhuc

*Math. 21.*

*Ipsal. 79.*

*Ilud. 92.*

*1. Cor. 6.*

*Hebr. 12.*

*Luc. 15.*

amplius vultis audire? Etiam gaudium domini, fortitudo nostra. Collatetur ergo angelis Dei, congaudeamus Deo, & in gratiarũ actione præfens solennitas agatur: quia quanto nobis domestica, tanto amplius debet esse deuota.

EIVSDEM VNDE

supra, Sermo 6.

**D**omestica nobis celebritas dedicatio domus nostræ, magis autem domestica nostra ipsorum dedicatio. Nostra siquidem illa asperio, nostra illa benedictio, nostra consecratio fuit: quæ per manus sanctorum celebrata pontificum, etiã hodie anniversario reditu votiuus laudibus ad memoriam reuocatur. Nunquid de lapidibus cura est Deo? Non parietes dicunt, sed homines: Ipsi enim cura est de nobis. Vnus homo erat Iacob, & dormiens vidit descendentes angelos & ascendentes. Parum est hoc, etiam dominum angelorum adesse testatus est, dicens: Vere Dominus est in loco isto, & ego nesciebam. Miratur enim gratiam, & dignationis magnitudinem expauescit. Quàm terribilior est iste locus, quàm euidentius certiusque dominus est in loco isto: vbi nimirum non modò duo aut tres, sed tam multi in ipsius congregati nomine perseverant. Nemo iam nesciat, nemo vestrũ ignoret. Si quidem non accepimus spiritum mundi huius, sed spiritum qui ex Deo est: ut sciamus quæ à Deo data sunt nobis. Terribilis planè locus, & dignus omni reuerentia, quem fideles viti inhabitant, quem angeli sancti frequentant, quem sua quoque presentia Dominus ipse dignatur. Quomodo enim tantus patriarcha nescire potuerat quòd non esset locus vbi non esset Deus? Sed fortè aliud esse miratus est vbi ait: Vere Dominus est in loco isto. Ibi verè est, & verè Dominus est, vbi in eius nomine angeli simul & homines congregantur. Licet enim in omni loco sit qui nullo clauditur loco, signanter tamen dicimus: Pater noster qui es in cælis: quòd aliter illic & proprio quodã modo præsentem se exhibeat, non quidem ipse diuersus, sed diuersa distinguens. Est ergo in omni loco omnia vniuersaliter continens, omniaque disponens, sed longè tamè aliter atque aliter. Apud homines malus est præstans atque dissimulans, apud electos homines operans & seruans, apud superos pascens & cubans, apud inferos arguens & damnans. Facit solem suum oriri etiam super malos: sed vbi malorum interim dissimulatio est, quodammodo veritas non est. Itaque si dicere licet, apud impios est in dissimulatione, apud iustos in veritate, apud angelos in felicitate, apud inferos in seritate sua. Durum vobis sonat quòd seritate dixi: ego verò & itam vereor & furorem. Domine ne in furore tuo arguas me, &c. Vere, inquit, dominus est in loco isto. Vbi enim pluit super iustos & iniustos, pater est, pater misericordiarum, expectans homines ad penitentiam. Vbi damnat obstinatos, iudex est, & horrendum incidere in manus Dei viuentis. Vbi cubat, sponsus est: & beata anima, quam introduxerit in cubiculum suum. Cæterum in loco isto verè Dominus est, si tamen seruauimus ei in spiritu & veritate. Non enim verè Dominus erat apud eos quibus dicebat: Quid vocatis me Domine domi-

*1. Petr. 5.*

*Genes. 28.*

*Math. 18.*

*2. Cor. 2.*

*Math. 6.*

*Ipsal. 6.*

*Hebr. 10.*

*Luc. 6.*

ne, & non facitis quæ dico? Testantur sacræ literæ in paradiso olim positum primum Adam ut operaretur & custodiret illũ. Sic secũdus Adam in ecclesia sanctorum, in congregatione suorum, in horto deliciarum (si quidem deliciae suæ sunt esse cum filiis hominum) ita inquam & ipse Dominus est in loco isto ut operetur atque custodiat. Alioquin sicut nisi quia Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt qui ædificauerunt eam: sic nihilominus nisi ipse custodierit ciuitatem, frustra vigilar qui custodit eam. Porro angelos ascendentes & descendentes esse in loco isto, patriarchalis ipsa visio manifestat. Ascendentes ut videant faciem patris, descendentes ut prouideant nobis. Quid ergo nos quomodo hic esse debemus, in quanta reuerentia stare in loco isto, vbi Deus est operans, & seruans ascendentes & descendentes? Nimirum penitentes & expectantes esse nos conuenit. Hoc est enim obliuisci quæ retro sunt, ignorare, reprobare, recogitare annos illos in amaritudine animæ nostræ, ac deinceps cogitatione simul & aueritate extendere nos in anteriora. Ad hoc venimus, in hoc positi sumus. Hæc sunt quæ exiguntur à nobis, præteritorum penitudo peccatorum, & futurorum expectatio premiorum.

*Ipsal. 126.*

BEDAE VENERABILIS

presbyteri in idem Euang. expositio.

**E**t ingressus perambulabat Hiericho, &c. Quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum. Ecce enim camelus deposita gibbi sarcina, per foramen acus transit, hoc est diues, & publicanus, relicto onere diuitiarum, contempto sensu fraudium, angustam portam, arctamque viam, quæ ad vitam ducit, ascendit. Qui mira deuotione fidei ad videndum saluatorem, quod natura minus habuerat, ascensu supplet arboris, atque ideo iuste quamuis ipse rogare non audeat, benedictionem dominicæ susceptionis: quam desiderabat, accipit. Mystice autem Zachæus, qui interpretatur iustificatus, credentem ex gentibus populum significat. Qui quanto curis secularibus occupatior, tanto flagitiis deprimentibus erat factus humilior. Sed ablutus est, sed sanctificatus, sed iustificatus in nomine domini nostri Iesu Christi, & in spiritu Dei nostri, qui intrantem Hiericho saluatorem videre quærebat, sed præ turba non poterat. Quia gratia fidei, quam mundo saluator adtulit, participare cupiebat, sed inoblita vitiorum consuetudo, ne ad votum perueniret, obstiterat. Eandem nanque turba noxiæ consuetudinis, quæ supra cæcum clamantem, ne lumen peteret, increpabat, etiam suspicientem publicanum, ne Iesum videat, tardat. Sed sicut cæcus barbarum voces magis, ac magis clamando deuicit, ita pusillus necesse est turbæ nocentis obstaculum altiora petendo transcendat, terrena relinquat, arborem crucis ascendat. Sycomorus nanque quæ est arbor folijs moro similis, sed altitudine præstans, vnde & à Latinis celsa nuncupatur, sicut fatua dicitur. Et eadẽ dominica crux, quæ credentes alit ut ficus, ab incredulis irridetur ut fatua. Non enim prædicamus Christum crucifixum, iudeis quidem scandalum, gentibus

*Ex comment. in Luc.*

autem stultitiam. Ipsis vero vocatis Iudæis, atque gentibus Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam. Quam videlicet arborem pusillus statura Zachæus, quo exaltari posse, ascendit, dum quilibet humilis, & propriè conscientis infirmitatis, confidens in domino proclamatur; Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce domini nostri Iesu Christi. Ascensa autem sycomoro transeuntem prope dominum cernit, quia per hanc laudabilem fatuitatem, & si necdum, ut est, solide, iam tamen rapit, & quasi in transitu luci sapientiæ cælestis intendit. *Et cum venisset ad locum suspiciens Iesus vidit illum.* Perambulans Hiericho Saluator, venit ad locum, ubi præcurrens Zachæus sycomorum conscenderat, quia missis per mundum sui verbi præconibus, in quibus ipse nimirum & loquebatur, & ibat, venit ad populum nationum, qui passionis eius fide iam sublimis existit, etiam diuinitatis eius ardebat agnita facie beati. Suspicans vidit illum, quia per gratiam fidei à terrenis cupiditatibus eleuatum, turbisq; infidelibus præminentem elegit. Videre enim Dei, eligere, vel amare est. Vnde est illud; Oculi domini super iustos. Nam & nos, quæ amamus videre, ab iis, quæ execramur, intuitum festinamus auertere. Vidit ergo Iesus videntem se, quia elegit eligentem se, & amauit amantem. Hunc sane ordinem proficiendi, hoc est per fidem dominicæ incarnationis ad cognitionem diuinitatis perueniendi, quasi sycomoro Iesu faciem speculandi doctor egregius ostendit, cum ait; *Non enim iudicauit scire me aliquid inter vos, nisi Christum Iesum, & hunc crucifixum.* Itemque aliis exprobrans; *Facti estis (inquit) quibus lacte opus sit non solido cibo. Lac infirma temporariæ dispensationis, solidum cibum ardua perpetuæ maiestatis appellans. Et dixit ad eum, Zachæe, festinans descende, &c.* Manebat aliquando dominus in domo principis Phariseorum, hoc est, in Iudæorum synagoga docebat; sed, quia non baptizatum ante prædium, sabbato curantem, publicanos, & peccatores recipientem, contra auaritiam disputantem, & cætera digna Deo gerentem lingua venenata carpebant, perquisitum eorum facinora, discessit, & aufugit, dicens; *Relinquetur vobis domus vestra deserta.* Hodie autem in domo pusilli Zachæi oportet illum manere, hoc est, nouæ lucis gratia coruscante, in humili credentium nationum corde quiescere. Quod autem descendere de sycomoro Zachæus, & sic in domo sua Christo mansionem præparare iubetur, hoc est, quod Apostolus ait; *Quia & si cognouimus secundum carnem Christum, sed iam nunc non nouimus. Et si enim mortuus est ex infirmitate, sed vixit ex virtute Dei.* *Et cum viderent omnes murmurabant, &c.* Manifestum est, Iudæos semper gremium odisse salutem, scriptum est enim; *Sequenti vero sabbato pene vniuersa ciuitas conuenit audire verbum domini. Videntes autem turbas Iudæi, repleti sunt zelo. Et contradicebant iis, quæ à Paulo dicebantur. Et alibi, fideles etiam fratres aduersus Apostolorum principem disceptabant, dicentes; Quare introisti ad viros præputium habentes, & manducaisti cum illis? Stans autem Zachæus dixit ad dominum, &c.* Aliis calumniantibus hominem peccatorem; ipse Zachæus stans, id est, in ea, quam cœperat, fidei veritate persistens, non solum se ex peccatore conuersum, sed etiam inter perfectos probat esse cōuersatum,

Dicente enim domino; Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, quisquis ante conuersionem innocenter vixit, omnia conuersus potest dare pauperibus. At qui aliqua fraude sustulit, primo hæc iuxta legem reddere, deinde quod sibi remanserit, debet dare pauperibus. Ac sic & ipse, quia sibi nihil retinet, omnia sua dispergit, dat pauperibus, iustitia eius manet in sæculum sæculi. Et hæc est sapiens illa stultitia, quam de sycomoro publicanus, quasi fructum vitæ legerat, rapta videlicet reddere, propria relinquere, visibilia contemnere, pro inuisibilibus etiam mori desiderare, seipsum abnegare, & eius, qui necdum videatur domini vestigia sequi, concupiscere. *Ait Iesus ad eum. Quia hodie salus, &c.* Filius Abraham dicitur Zachæus, non quia de eius stirpe generatus, sed quia eius est fidem imitatus. Ut sicut Abraham terræ, cognationem, domumq; paternam ob spem futuræ hereditatis, domino iubente deseruit: ita & ille quo thesaurum in cælis adquiret, bona sua pauperibus partienda relinquere. Et pulchre dicit; Et ipse, ut non solum eos, qui iusti perseverant, sed & eos, qui ab iniustitia respiscunt, ad filios promissionis pertinere declarat. Aliter. Salus, quæ olim Iudæorum domum implebat, hodie populo nationum illuxit, eo quod & ipse populus filius sit Abraham, credendo in eum. De quo dicit Apostolus; Si autem vos Christi, ergo Abraham semen estis. Et sicut alibi dicit, ipse Abraham sit pater circumcisionis non iis tantum, qui sunt ex circumcisione, sed & iis, qui sectantur vestigia, quæ est in præputio fidei patris nostri Abraham. *Veni enim filius hominis quætere, &c.* Hoc est, quod alibi dicit; *Non veni vocare iustos, sed peccatores. Pius sane magister, qui mutuantibus turbis sua mysteria nō dedignetur exponere, adeo scilicet peccatorum penitentiam non esse respuendam, ut ipse Dei filius ob hanc maxime quærendam sit destinatus ad terras. Qui ut pietatis suæ nobis dispensationem inculcet, sapissime se filium hominis appellat commendans sollicitè nobis, quod factus est benigne pro nobis.*

*Verbum debet, iuxta confessionem exponendum, potest.*

EIVSDEM IN EODEM festo, Homilia 1.

Quia propicia diuinitate, fratres charissimi, solennia dedicationis ecclesiæ celebramus, debemus ipsi congruere solennitati, quam colimus: ut sicut ornatis studiosus eiusdem ecclesiæ parietibus, pluribus accensis luminaribus, amplificato numero lectionum, addita psalmodiarum melodiam, lætis noctem vigiliis ex more transigimus, ita etiam penetrabilia cordium nostrorum semper necessariis bonorum operum decoramus ornantibus. Semper in nobis flamma diuinæ pariter & fraternæ charitatis augetur, semper in sanctuario pectoris nostri cælestium memoria præceptorum, & angelicæ modulationis dulcedo sancta resonet. Hi sunt enim fructus bonæ arboris, hic boni thesauri cordis, hæc fundamenta sapientis architecti, quæ nobis hodierna sancti euangelij lectio commendat, nos non formam solummodo, sed virtutem potius habere pietatis. Quod etiam mystica veteris instrumenti nobis historia diligenter insinuat, quando vel Moyses tabernacu-

*Luminarium vultus in ecclesia.*

lum, vel templum domino Salomon, in sanctæ ecclesiæ typum condidit. Vtraque enim domus firmiter fundata esse refertur, tabernaculum quidem, quia compactis de tabulis habebat parietes, super bases argenteas: templum autem super lapides quadros suppositos. Ligna quoque erant imputribilia, è quibus & tabernaculum omne factum, & templum intus ornatum, ac desuper reatum fulgebat. Aurum etiam de thesauro bono optimum proferebatur, de quo & tabernaculi parietes intus & foris vestiti, & templi non tantum parietes verum etiam laquearia, trabes, ostia, postes, & pauimenta erant cooperta. Sed & vasa vel utensilia domus vtriusque cuncta pene aurea, neque hæc nisi de auro purissimo fieri licebat. Fructus etiam arborum qui in domum domini offerebantur, purissimi & exquisiti esse iubebantur, hoc est vitis, oliuæ, iheris, vel stactis, & cæterarum huiusmodi. Quæ videlicet cuncta spiritaliter intellecta, veram nostræ fidei & operationis sinceritatem denunciant. Domus namque vtraque, vt diximus, vniuersalis ecclesiæ figuram præmonstrat. Neque incongruum quis arbitretur, quod duæ sunt domus domini in mysterio factæ, cum vnam Christi domum esse ecclesiam, nullas fidelis ambigat. Duæ etenim sunt conditæ domus ob significationem vtriusque populi, in eandem fidem venturi, Iudæi scilicet & gentilis. Vnde bene tabernaculum sola plebs Hebræa condidit in eremo, templi autem structuram profecti, id est, aduenæ de gentibus quorquor in populo Israel tunc inueniri poterant, deuota fide compleuerunt. Sed & rex potentissimus Tyri conditæ à Salomone, & commodatis artificibus, & lignis gratantissime iuuuit, quia nimirum ante incarnationem dominicam notus tantum in Iudæa erat Deus. At postquam ille in ea, qua natus & passus est carne resuscitatus à mortuis, & exaltatus est super cælos Deus continuo super omnem terram nominis eius gloria resulsi, orbisque vniuersus ad adificationem domus illius, accepta ab eo promissione donorum cælestium gaudens accurrat. Quid ergo ipse conditor & redemptor noster de constructione suæ domus, quæ nos sumus, in ea, quæ nobis modo recitata est lectione sancti euangelij dicat, audiamus. *Non est arbor bona quæ facit fructus malos, neque arbor mala faciens fructum bonum.* Bonas ergo arbores, & bonos harum fructus in constructionem sui templi rex sapiens quærit. At vero malæ arboris quis sit finis, idem alibi docet, dicens: *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur.* Arbores namque homines, fructus autem dicit opera ipsorum. Vultis etenim nosse qui sint arbores malæ, qui mali fructus? Apostolus docet, dicens: *Manifesta autem sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, luxuria, idolorum seruitus, veneficia, inimicitia, contentiones, emulationes, iræ, rixæ, dissensiones, hereses, inuidiæ, homicidia, ebrietates, comestiones, & his similia. Vultis audire an arbores quæ tales fructus faciunt, ad æterni regis templum cæleste pertineant? Subiungit Apostolus, dicens: *Quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt regnum Dei non consequentur.* Bonæ quoque arboris fructus subtiliter est charitas, gaudium, pax, patientia, bonitas, benignitas, fides, mansuetudo, continentia, de*

Exod. 16. 3. Reg. 67. Num. 8. s. Reg. 5. Isai. 75. Math. 3. Galat. 5.

quibus & alias admonens, ait: *Vt filij lucis ambulare. Fructus enim lucis est in omni bonitate, & iustitia, & veritate. Qui nimirum fructus cum arboribus è quibus prodeunt, & hic ad domum fidei, & illic ad habitationem supernæ beatitudinis veraciter pertinent. Audiamus denique arborem bonam de bonorum fructuum prouentu lætantes. Ego autem sicut oliua fructifera in domo Dei, speravi in misericordia Dei mei in æternum, & in seculum seculi. Fructus quippe oliuæ lucidum est opus misericordiæ, & ideo iure in misericordia Dei sperat in templo eternitatis, qui in domo Dei presenti misericordiæ gratia respundet. Iure se talis ad templum magni regis pertinere confidens, alibi dicit: *Et misericordia tua subsecuetur me omnibus diebus vite mee, vt inhabitem in domo domini in longitudine dierum.* At contra mala arbor videamus quales fructus ferat, & tales ferre ipsi vitemus. Dicit Propheta Hieremias: *Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & à domino recedit cor eius. Erit enim quasi myrica in deserto. Myrica namque est instructuosa arbor & humilis, gustu nimis amara, omniq; humana cultura prorsus indigna, ac propterea fructificans in deserto. Cui merito comparatur is, qui à diuino timore & amore recedens, ab hominibus regnum vel diuitias sperat. Qui quantum à decore domus Dei sit exorris iudicandus, propheta subdendo manifestat: *Et non videbit cum venerit bonum, sed habitabit in deserto in siccitate, in terra saluginis & inhabitabili. Nemo ergo sibi, fratres mei, in occulto male viuens, de fauore vulgi quasi bonus sit blandiatur: quia & si folia verborum perpulchra, si florem fame gignit odoriferum, non est arbor bona quæ facit fructus malos. Nemo cum recto corde bona quæ valet operatur, de sua salute desperet: quia non est arbor mala, quæ facit fructum bonum. Vnaquæque enim arbor de fructu suo cognoscitur.* Hæc cognitio de apertis solummodo virtutibus accipienda est, qualia superius ex Apostoli sententia commemorauimus. Namque sunt nonnulla quæ quo animo gerantur, ignoratur à proximis, vnde & in vtramque partem possunt interpretari. Sed ambigua quæque iustius ab his, qui diligenter interpretantur in bonum, vt impleatur illud Apostoli: *Nolite ante tempus iudicare. Neque enim de spinis colligunt ficus, neque de rubis vindemiant vnam.* Spina & rubus plerumque aculeis arbores, illorum corda designant, qui vel luxuria, inuidiæ, concupiscentiæ stimulis ipsi scedantur, vel certe iracundiæ, detractionis, odij, superbiæ, & amaritudinis asperitatibus insuauis proximis & quasi intractabiles existunt. Ficus autem dulcem regni cælestis memoriam, vna flagrantiam dominicæ dilectionis significat. Non ergo de spinis colligunt ficus, neque de rubo vindemiant vnam: quia quicumque adhuc vitiorum aculeis sordent, exempla vel doctrinam virtutum ministrare proximis nequaquam digne proualent. *Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum, & malus homo de malo thesauro cordis sui profert malum.* Thesaurus cordis intèrio est cogitationis, ex qua prouentum operis internus arbiter indicat. Vnde sit plerumque, vt minor bona nonnulli maiori cælestis gratiæ mercede operentur, videlicet propter intentionem cordis qua maiora voluerant patrare bona si possent, & alij maiora virtutum**

Ibidem. Ephus. 5. Psal. 51. Psal. 22. Hierem. 17. Ibidem. 1. Cor. 4.



ditoribus promissit, qui æternus ante secula Deus existens, homo factus est in fine seculorum, vt quasi flos lilij interius colorem aurosum, exterius haberet candidum. Quid namque auri rubor in candore, nisi fulgor est diuinitatis in homine? Quem videlicet hominem & prius virtutibus clarum ostendit, & post mortem niveo incorruptionis splendore vestiuit. Hæc nos, fratres charissimi, in præsentis festi nostri gaudium de structura templi pauca ex pluribus fraternitati vestræ exposuisse libuit, quatenus & miranda terrestris domus domini fabrica delectaret auditum, & hæc spiritualiter intellecta mentes nostras ardentius ad amorem superne habitationis erigeret. Diligamus ergo, fratres mei, toto corde decorem domus æternæ, quam ex Deo habemus in cælis, & de loco tabernaculi gloriæ eius sedulo cogitare, ac nos alterutrum admonere curemus. Vnum ante omnia petamus ab eo, & hoc infatigabili intentione quæramus, vt in habitate mereamur in domo eius omnibus diebus vitæ nostræ, hoc est, perenni vita ac luce felices. Non autem spernit neque despicit preces pauperum, quando hoc, quod diligit ipse, precamur, sed clementer exaudiens donabit nos videre bona sua in terra viuientium Christus Iesus dominus noster, qui viuuit & regnat in æuū.

**EIVSDEM DE EODEM festo, Homilia 2.**

**A**udiuius ex lectione euangelica, fratres charissimi, quia facta sunt encænia in Hierosolymis. Encænia autem vocabantur solennia dedicationis templi, quæ populus Dei ex antiqua patrum traditione per annos singulos celebrare consueuerat. Quorum vestigia nos hodie iuxta morem Christiani orbis sequentes, annuam dedicationis ecclesiæ nostræ diem diuinis laudibus & vigiliis studiuimus agere solennem. Et hanc nos festiuitatem eo maiore deuotione celebrare oportet, quo eam redemptori nostro gratissimam esse cognouimus, adeo vt in illa ipse templum ingredi, & sermonem facere ad populum ac diuinitatis suæ sacramenta pandere dignatus sit. Facta sunt, inquit, encænia in Hierosolymis, & hyems erat, & ambulabat Iesus in templo in porticu Salomonis. Si ergo voluit in templo ambulare, in quo caro & sanguis brutorum animalium offerebatur, multo magis nostram orationis domum, vbi carnis ipsius ac sanguinis sacramenta celebrantur, visitare gaudebit. Si perambulare non despexit porticum, in qua rex quondam mortalis, ac terrenus quamuis potentissimus & sapientissimus, ad orandum stare solebat, quanto magis penetrabilia cordium nostrorum inuisere atque illustrare desiderat, si tamen ea porticum esse Salomonis, hoc est, si ea timorem suum quod est initium sapientiæ habere perspexerit? Neque enim putandum est, quia domus solummodo ad quam ad orandum, vel ad mysteria celebranda conuenimus, templum sit domini, & nõ ipsi qui in nomine domini conuenimus multo amplius templum eius & appellemur, & simus: cū manifeste dicat Apostolus: Vos enim estis templum Dei viuui, sicut dicit Deus, Inhabitabo in eis, & inter illos ambulabo. Si ergo templum Dei sumus, curemus solerter, & bonis actibus satagamus, vt in eodem suo templo sæpius ipse & veni-

*Psal. 110. Eccl. 1.*

*2. Cor. 6. Lanis. 26.*

re, & mansionem facere dignetur. Caueamus hyemis exemplum, ne videlicet corda nostra dominus adueniens a charitatis ardore torpentia reperiatur, & ideo ea citius auersatus relinquatur. Quid enim pertinuit ad euangelistam hyemis tempus commemorare, nisi quia duritia perfidiæ Iudæorum per asperitatem aurarum voluit designare brumalium, & quia plurimis eorum quos tunc in templo inuenit, congruebat sermo quem dixit, Quoniam abundauit iniquitas, refrigeret charitas multorum? Sicut etiam subsequenter aperte denuntiat, dicens: Circumdederunt ergo eum Iudæi, & dicebant: Quousque animam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palam. Non enim hæc veritatem fidei quærendo, sed illi quem interrogabant insidiando, & calumniam struendo dicebant. Christum namque quem fides orthodoxa verum Deum, verum confitetur & hominem, illi purum tantummodo hominem futurum, non autem & Deum esse credebant: memores videlicet, quia de humanitate illius iurauit Dominus David de fructu ventris eius, sedere super sedem suam, sed oblitum quod ipse de diuinitate sua per eundem David cecinit dicens, Dominus dixit ad me, filius meus es tu. Credebant ergo Christum de stirpe David nasciturum, & regem cæteris omnibus excellentiorem esse venturum: qua etiam dementia posterorum vsque in præsens tempus, & donec Antichristum pro Christo suscipiant, errare non cessant. Et si se Dominus Iesus Christum esse responderet, cogitabant eum tradere potestati præsidis puniendum, quasi contra Augustum repugnans, illicitum sibi usurpare imperium. Sed ipse nostræ saluti consulens, propter quos hæc scribenda erant, ita responsum temperauit suum, vt & calumniatorum ora concluderet: & quia Christus est fidelibus aperta voce proderet. Illi enim de homine Christo quærebant, ipse autem diuinitatis suæ qua æqualis est patri, palam mysteria narrat: Circundemus ergo & nos eum, charissimi, non sicut Iudæi insidijs appetendo, sed vt fidelissima domus eius placidam illi in nobis sedem parando, de quibus merito dicitur: Sanctificauit tabernaculum suum altissimus, Deus in medio eius non commouebitur. Petamus eum non vt illi insidiando, quousque animam nostram tollis, si tu es Christus, dic nobis palam, (Quid enim vesanius, quam vt magistrum veritatis ideo sibi animam tollerent quærent, quia non eis incredulis & contradicentibus aperte suæ maiestatis arcana referant) sed vt scriptura admonet, sentiendo de illo in bonitate, & simplicitate cordis quærendo illum: quoniam inuenitur ab his, qui non tentant eum, apparet autem illis qui fidem habent in illum. Dicamus ei supplices, quia tu es Christus, te filium vnigenitum Dei patri & spiritui sancto coæternum esse, & consubstantialium in diuinitate nostræ substantiæ participem, ex tempore factum esse cognouimus. Da vt quod interim pia fide veneramus, plena in futuro visione speculemur. Hæc est etenim vnica animæ nostræ salus & vita, tuum perpetuum vultum, tuam cernere lucem. Nec dubitandum, quia rogantes exaudiet nos, quando quod ipse præcepit, rogamus, quod dare ipse desiderat, intenta mente poscimus. Quomodo enim pie supplicantibus famulis negare credendus est bona, quæ etiam rebellibus vltra quam petebant aperire non renuit? Qui cum illum

*Matth. 24.*

*Psal. 131.*

*Psal. 109.*

*Psal. 45.*

*Sap. 1.*

illum an homo, an Christus esset interrogarent, ipse non hominem tantum, sed etiam Deum Christum & Dei filium se esse non tacuit. Respondit enim eis, dicens: Loquor vobis, & non creditis. Opera quæ ego facio in nomine patris mei, hæc testimonium perhibent de me. Sed vos non creditis, quia non estis ex omnibus meis. Qui ergo se in nomine patris opera sua facere testatur, profecto quia filius Dei sit, credendus insinuat. Sed illi duplici reatu tenentur obnoxij, qui nec verbis quæ locutus est, nec factis quibus veritatem verborum astruebat, ad fidem poterant inuitari. Meritoque ex omnibus eius non esse dicantur, quia non ouina simplicitate pastorem bonum sequi, sed ferina potius rabie satagebant persequi. Verum quia vult nonnulli, qui fidem verbotenus seruauit, & habitu outium belluina corda prætexunt, subsequenter ipse pastor quæ ouium suarum vita, quæ sit merces edocet: Oues meæ vocem meam audiunt, & ego agnosco eas, & sequuntur me, & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum. Quicumque ergo æternum declinare interitum, ac vitam desiderat videre perpetuam, vocem Christi necesse est non solum audiendo & credendo, sed & bene viuendo sequatur. Quod autem se oues suas cognoscere dicit, eligere vtiq; & ad regnum cælestis prædestinare significat. Vnde Salomon ait: Vias quæ a dextris sunt, nouit dominus. Et e contrario de reprobis 1. Cor. 14. Apostolus: Qui autem ignorat, inquit, ignorabitur. Pulchre autem de his qui audirent vocem eius & sequerentur, ait: Et ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum. Nisi sunt namque martyres oculis insipientiam mori, visi sunt perire, cum mortalem vitam diuinitatis pænarum generibus subacti amitterent: sed non peribant in æternum, non videbant mortem in æternum, qui mox soluti carcere carnis debita suo certamine præmia fortiuntur, de quibus adhuc aperte subditur: Non rapiet eas quisquam de manu mea. Nitebantur quippe persecutores impij rapere pios Christi confessores de manu eius, quando vel eos ad negandam fidem tormentis cogeant, vt animas eorum alienas redderent a Christo, vel a morientibus victi, nihilominus exanima eorum corpora aut in aquas dissoluenda, aut in ignem comburenda iactabant, vt quasi Christo resuscitandi ea facultatem tollerent. Sed nemo rapiebat eas de manu eius, cui sicut ipse alibi ait, Omnia tradita sunt a patre, quia & certantes vt viuanc adiuuat, & victores vt perpetuo regnent coronat, & eisdem etiam carnem in qua certauerunt, immortalem suo tempore reddet. Quibus verbis eorum quoque temeritatem qui sibi laqueos mortis parabant redarguit: manifeste insinuans, quia stultissime de eius perditione dolis agerent, qui vitam dare posset immortalem, cui nemo raperet aliquem de his quos suos esse ante secula prænosset. Sed ne hæc loquendo suam videretur gloriam quærere, totam suam potestatem ad patris gloriam referat, cum subiungit: Pater meus quod dedit mihi, maius omnibus est. Maius autem omnibus quod mediatori Dei & hominum Iesu Christo pater dedit, hoc est, vt sit vnigenitus eius filius in nullo gignenti, vel natura dissimilis, vel virtute inferior, vel tempore posterior. Quam videlicet æqualitatem ipse dominus in diuinitate habuit, priusquam mundus esset apud patrem, nec in humanitate ex tempore incarnationis accepit. Et nemo potest rapere de manu patris mei. Sopra de omnibus suis dicit, Non rapiet eas quisquam de manu mea, & nunc subiungit, Et nemo potest rapere de manu patris mei: aperte dans intelligi, vnam atque indissimilem esse manum, hoc est, virtutem suam & patris, atque ideo Christum se fore credendum, qui non sicut cæteri sanctificatus per gratiam ex tempore, sed verus semper extiterit Dei filius. Quod etiam sequenti sententia luce clarius aperit, dicens: Ego & pater vnum sumus. Vnum, inquit, sumus, vna nobis substantia, vna diuinitas, vna æternitas, perfecta æqualitas, dissimilitudo nulla. Quibus profecto verbis non præsentem solummodo Iudæorum quæstionem, quia an ipse esset Christus interrogabant explicauit, sed etiam hæreticorum perfidiam, quam futuram prætidit, quantum sit excedenda monstrauit. Photinus enim dicit, Christus homo est tantum, Deus non est. At cum ipse dicat, Ego & pater vnum sumus, & ego agnosco eas, & sequuntur me, & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum. Quis enim non facile viderit, quia nulla creatura vnum cum illo qui omnia creauit, naturaliter existere possit? Et quia naturaliter Christus vnum cum patre est, damnanda est Arrii pernicacia, qui illum creaturam affirmat. Porro Sabellius, Non sunt, inquit, duæ personæ patris & filij confitendæ, sed ipse pater quando vult pater est, quando vult filius est, quando vult spiritus sanctus est, ipse tamen vnus est. Quem memorata sententia filius ipse condemnat. Constat enim quia ego & pater de vna persona dici non possunt, sumus de vno dici non congruit. Quapropter etiam Sabellij errore cum cæteris abiecto, sequenda nobis est apostolica beati Petri fides, qua dominum confessus, ait: Tu es Christus filius Dei viuui. Hæc de lectione euangelica prout dominus donauit, explanando transcurramus, sed libet adhuc de encæniorum solennitate, quam & tunc Hierosolymitæ, & nos hodie celebramus, fraternitati vestræ latius differere. Hoc autem in primis notandum est, quod encænia quæ in lectione euangelica facta cognouimus, non ad primam dedicationem templi, sed ad vltimam pertinet: quod ex eo facile colligitur, quia hyeme facta referuntur. Prima siquidem eius dedicatio à Salomone tempore autumnij, media à Zorobabel, & à Iesu sacerdote tempore veris, vltima à Iuda Machabæo tempore hyemis est facta, quando specialiter cõstitutum esse legitur, vt eadem dedicatio per omnes annos in memoriam solennibus renouaretur officijs, iuxta quod ad tempus dominicæ incarnationis obseruatum fuisse, modo cum legeretur euangelium audiui-mus. Hæc autem fuit causa secundæ & tertie dedicationis, quia Salomon quidem templi opus quod domino Deo condidit, septem annis perfecit: octauo autem anno, hoc est, decima die mensis septimi, qui à nobis October appellatur, in magna regni gloria dedicauit. Quæ videlicet dies & antea per legem erat statuta solennis, ita vt in ea tabernaculum omne per singulos annos maioriibus hostijs expiari deberet. Denique Zacharias pater beati Ioannis Baptistæ, eisdem expiationibus

*Prover. 4.*

*1. Cor. 14.*

*Sapient. 3.*

*Matth. 16.*

*2. Par. 7. 1. Esdr. 6. 1. Mach. 4.*

*Leu. 16. & 23. Luc. 1.*

qui dedit pignus spiritus in cordibus nostris, & in odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco in iis qui salui sunt, & in iis qui pereunt. Aliis enim fumus odor vitæ ad vitam, aliis odor mortis ad mortem. Tunc autem in tenuissimum puluerem vniuersa contundimus, quando Evangeliorum sententias subtiliter indagantes & frequentem ruminatiōem frangentes ad spiritualem intelligentiam redigimus. Sicut enim aromata, quando teruntur, suauis reddentur: ita sacra scriptura, quanto plus ruminatur & frangitur, tanto suauiorē parit odorem. Ponimus autem ex hoc thimiamate corā tabernaculo testimonij, quando Evangeliorum verba ecclesiæ nunciamus. Panem itaque frangimus, & in tenuissimum puluerem aromata contundimus, quando sacras scripturas diligenter exponimus. In tali igitur fractione cognoscitur Iesus. Sicut enim discipuli cognouerunt in fractione panis. Propter quod & Abraham in hospitium eum suscepit, & cibos ei apposuit, quatenus in commestione & ciborum fractione plenius eum cognoscere posset. Angeli enim quando volunt ex aëre corpus assumunt, quo videri & tangi & loqui & manducare & bibere possunt. Sicut enim verum corpus est aër, ita & corpora quæ sumunt ex aëre. His autem ad tempus induuntur, quæ cum se expoliauerunt, mox in eundem aërem resoluuntur. Angelus tamen Raphaël ad Tobiam loquens ait: Pax vobis, nolite timere. Etenim cum essem vobiscum videbar manducare & bibere, sed ego cibo inuisibili & potu, qui ab hominibus videri nō potest, vtor. Secundum igitur hanc sententiam, & cæteros angelos manducare & bibere intelligant, quibuscunque impossibile esse videtur, vt angeli manducent & bibant. Moyses tamen eos comedisse restatur. Sequitur: Venit enim filius hominis querere & saluum facere quod perierat. Non enim venit vocare iustos sed peccatores ad penitentiam. Quia non indigent qui sani sunt medico, sed malè habentes.

**THEOPHYL. EPISCOPI**  
*Bulgar. superioris Euangel. expositio.*

*Non intelligitur, nostram alacritatem, & promptum animi esse eorum causam vocatiōis, & saluti, sed esse tantum dispositionē quādam: licet & illa à Deo nobis tribuantur, nō absque eorum nostrā cooperatione.*

**I**ngressus perambulabat Hierico, &c. Hæc fortissima diaboli vasa rapit Dominus, & ciuitates eius destruit. Vide enim, quomodo non solum publicanos discipulos fecit, sed & Zachæum principem publicanorum captiuum ad salutem recipit. Quod publicanus quidem res abominabilis, princeps autem publicanorum multo magis, vt pote in malitia princeps, nullus dubitat. Victum enim publicani non aliunde quàm ex pauperum lachrymis habent. At neque publicanorum ille princeps despicitur, sed solum dat alacritatem, & recipit mercedem. Desiderabat enim videre Iesum. Et quū ascendisset in caprificum, priusquam videret, prius ipse spectatur à Iesu. Sicut igitur omnibus in locis præuenit nos Dominus, tantum vt nos alacres, & promptos videat. Vt autem eum vidit Iesus festinat descendens, eo quod in domo eius mansurus erat. Et ille non erat segnus, vnde & nos paratos esse oportet, quādo Christus quippiam imperat. Sed & descendit, suscipit gaudens, etiamsi multi obmurmurent, Videamus autem, quantū etiam vtilitatis accipiat in ingressu Chri-

sti. *Dimidium bonorum meorum*, inquit, *do pauperibus.* Vides alacritatem? Non parce seminate cæpit, neque pauca quædam dedit, sed totam vitam, & illa ipsa, quæ iuste possidebat, eo quod habebat, quæ dare poterat ijs, quos iniuria affecerat. Docet enim nos nullum esse lucrum, siquidem ex iniustitia pecunias habens, alijs misereatur, relictis illis, quos iniuria affecerat. Et vide quomodo in hoc se gerat. Quadruplum reddit, si quem defraudauit, vt illius, cui iniuria facta, damnum refarciatur. Hæc enim vera elemosyna est, vt non reddatur solum damnum simplex, sed & cum augmento, iuxta legem. Lex enim furem quadruplum reddere iubebat. Quamuis, si diligenter consideremus, nullè profus pecuniæ ei relictæ sunt. Dedit enim dimidium bonorum pauperibus. Relictæ autem sunt dimidiatæ, & ex his relictis dedit quadruplum iis, qui à se iniuria erant affecti: & ita, si vita principis publicanorum ex iniustitia, ipse autem omnia quæcunque iniuste abstulit, quadrifariam reddidit, considera quomodo omnino fuerit nudatus. Et hinc cõperitur, quod sublimius sapuerit quā lex præcipiebat, nunc eruditus ex Euangelio: quia dilexit proximum plus quàm se, talia promittens, immo faciens. Nō enim dixit: Dabo dimidium, & reddam quadruplum: sed, *ecce do, & reddo.* Audierat enim Salomonis admonitionem; Ne dicas, rediens redi, & cras dabo. Christus euangelizat ei salutem. Hodie enim, inquit, das, hodie tibi & salus. Dicendo enim, *domini huic*, omnino Zachæum significat, qui salutem accepit. Zachæus enim per domum significatur. Etenim inanimatam domum non dicebat filiam Abraham, sed manifestum, quod animatum patremfamilias filium Abraham nominat: fortassis & quod crederat, iustificatusque erat ex fide: fortassis & quod in dispensandis opibus magnanimus, & pauperum amator, qualis erat patriarcha iacob: Vide insuper, quod & nunc dicit filium Abraham Zachæum, quum morum similitudinem in se ostendit. Neque enim dixit, quod & ipse Abraham filius fuerit, sed quod nūc sit. Pius enim quum princeps publicanorum, & exactor esset, nihilque ei in iustitia cum Abraham commune esset, non erat filius. Quoniam autem & obmurmurabant quidam, quod apud peccatorem hominem diuertisset, ad confutandos eos inquit, *Venit enim filius hominis querere, & saluare, quod perierat.* Et hoc quidè in xta historiā. Facile autem & aliter hæc exponere licet in vtilitatē moralē. Omnis enim princeps multorum in malitia, parus est spirituali malitia: contraria enim sunt caro, & spiritus: & propterea nō potest videre Iesum præteritum. Qui enim à secularibus negotijs, & affectionibus turbatur, non videt Iesum operantem, & mouentem, & ambulatē. Nam qui talis est, nullam experitur operationem Christiano dignam. Hoc est enim ambulare Iesum, operari Christum aliquid in nobis. At talis homo, qui nunquam vidit Iesum ambulatē, neque sensit vllam operationem Christo congruam, sæpe per penitentiam venit in conscientiam, & ascendit in caprificum, omnem voluptatem, ac dulcedinem, quæ per sicum insinuat, insatians, & mortificans. Et

*Exod. 22.*

*Proverb. 3.*

*Psal. 82.*

de per humilitatem. Non te supplantet superbus sensus, festina, humiliare. Si enim humiliatus fueris, in domo tua oportet me manere. Necessè enim, inquit, vt ego maneam in domo humilis. Ad quem enim respiciam quàm super mansuetum, & quietum? Etenim qui talis est, dimidium bonorum suorum dar pauperibus demonibus. Duplicia enim sunt bona nostra, corporis dico, & animæ. Omnia corporalia concedit iustus verè pauperibus, omnique bono delictis demonibus. Animæ autem bona non dispendit, id quod & de Iob Dominum dicentem audiuius: Veruntamen fraudauit eis ne tetigeris. Sed, & si quem defraudauit, reddit quadruplum. Insinuat igitur per hoc, quod omnis, qui per penitentiam viam vadit, contritiā priori malitiæ, per quatuor virtutes, omnia quæ prius peccata sunt, sanat: & sic accipit salutem, filiusque nominatur Abraham est, eo quod & ipse egressus sit à terra sua, & à cognatione prioris malitiæ, & de domo patris sui; hoc est, extra seipsum factus, & negans seipsum (Doms enim patris sui diaboli illa erat) igitur extra seipsum factus, & alienatus, salutem sicut Abraham consequitur.

*Exod. 22.*

*Iob 2.*

**EVTHYMI ZIGABONI**  
*superioris Euang. expositio.*

**E**t præcurrens ascendit in caprificum, vt videret illum: Caprificus arbor erat in via sita. Nam, quum ille dominum Iesum conspiceret optaret, & ob id in caprificum ascendisset, salutis fructum in eo germinauit. Et quum venisset ad locum. Vbi sita erat caprificus. Suspicans Iesus vidit illum. Oculis humanitatis: nam prius viderat eum oculis diuinitatis. Et ait illi, Zachæe, festinans descende, &c. Cognouit enim eum ad obedientiam esse paratum, & seruientem ad fidem, facileque à vitio mutabilem esse ad virtutem: ideo etiam vocat, & accedit vt illum iustificat. Et festinans descendit, ac suscepit eum gaudens. Gaudens non solum, quod eum vidisset, vt optauerat, sed quod etiam ab illo vocatus esset, quodque ipsum suscepisset, quod nunquam fore sperauerat. Vnde & statim misericors factus est, & pauperum ac pietatis amator. Quod intrasset, apud hominem peccatorem diuersaturus. Mansurus, ac recubiturus. Publicani enim apud omnes habebantur peccatores propter suam auariciam, ac iniustitiā. Indignabantur ergo Christo, quemadmodum etiam propter Matthæum Publicanum, & alios huiusmodi variis in locis. Ignorabant autem modum, & causam, ob quam Christus cum illis conuersaretur: ideo etiam hos ipse despiciebat, quum propter huiusmodi res offenderentur. Oportet enim modicum offendiculum parui ducere, vbi cuiquam magna salus accedit, nec propter rem modicam magnum perdere emolumentum. Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus, &c. O velocem mutationem! auarus factus est liberalis: iniustissimus, iustissimus. O salutem, quam sese ipse docuerat! neque enim adhuc à Christo didicerat: dimidium bonorum dedit pauperibus in beneficium: dimidium verò retinuit, non vt possideret, sed quod per id exolueret in quadruplum lucra fraude quaesita.

Quod enim hoc in loco habetur *ἰσχυροῦς*, non significat vanè, aut stultè calumniatus sum, sed, Ex iniustitia, & calumnia acquisiui. Quadruplum autem reddit secundum legem, quæ quatuor oues ob vnam sublatam exolui iubebat. Audiamus, qui iniuriam facimus, vt vel ea, quæ iniuste parata sunt affectis iniuria restituamus: vel similem medelam illis, qui iniuriam irrogauerunt offeramus. Hodie salus domui huic contigit. Domum dicit eos, qui in domo erant. Hodie, inquit, salus contigit, eiecta iam perditione, quæ in ea morabatur propter auariciam, & iniustitiam. Eo quod & ipse filius sit Abraham. Hoc propter eos dixit, qui murmurabant, quod intrasset, apud peccatorem virum diuersaturus. Ait ergo; Hodie salus domui huic contigit: oportebat siquidem saluum fieri Zachæum, quia & ipse ex genere est Abraham. Significat autem inductus hic sermo, quod propter eos potissimum humanitatem assumpsit, qui ab Abraham descendebant. Venit enim filius hominis vt quaereret, ac saluum faceret quod perierat. Quod perierat ex genere Abraham. Ait enim; Non sum missus nisi ad oues perditas domus Israel. Ego vero, vt Zachæus sum statura spiritali pusillus: adhuc enim humi circa terrena trahor: cupio autem Christum intueri manifestè, & sicut expedit: verum ita ipsum intueri non possum, nisi ea, quæ mihi ad hoc impedimento sunt, fugiam, & ascendam in arborem, id est, supra terrena eleuer, attollāque ad cælestia: tunc enim & ipse me ingenuè aspiciet, vocabitque ad se, & mansionem apud me faciet: talis siquidem efficitur domus Dei.

*Math. 15.*

**PETRI DAMIANI**  
*de eodem festo, Serm. 1.*

**P**ost Crucem, post virginem, post Angelos, quid est maius in terris, quid in cælis sublimius: illa vtiq; quæ acceptavit Altissimus, quæ vulneravit cor sponsi sui, cui sponsus idem in Canticis dicit: Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, in vno crine colli tui, & in vno oculorum tuorum. Quam speciosa sponsa ista, quæ in vno capitulo, & ocelluli scintillatione vulnerat cælorum Regem, Angelorum Dominum, Filium Dei Patris. De illa nobis est sermo, licet non sit sermo in lingua nostra. Hæc est illa, quæ posita est in superbiam seculorum, cuius gloria à mari vsque ad mare, cui Reges, & Principes famulantur, quam circumuolat cælestium legionum multitudo, in qua fons sapientiæ repositus est, hortus cælestis, fons signatus; hortus vbi clara rosaria pulchriori colore resurgunt, & felices virgæ florū, & fructuum gloria cumulantes, hortus, quem ventorum non tangit alternitas, vbi mollioris auræ gratia frequenter aspirat, & vernans amœnitas allicit inuentus: conclusus, non murali machina, nec cementatorum lapidum glutinosa tenacitate, sed Angelica statione vallatus; fons, de quo fontes Israël deriuantur, qui irrigat vniuersam superficiem terræ, & inebrians, & emundans; signatus sigillo vtiq; rotius Trinitatis, quod ille malignans effractorius, non dico confringere, sed nec contingere audeat. In hac mortua germina regerminant, & aridiora ligna facile resyluiscunt. In hac contegitur multiplex varietas sacramentorum, & congeritur antiquitas misericordiarū domini.

*Bibl. Rom. tom. 3. T r t mini*

\* Cum dicit hic Auctor, Duodecim esse in Ecclesia sacramenta, accipit largam vocem sacramenti, non autem strictam. Nam hoc modo septem tantum Ecclesie sunt sacramenta, ut habes ex Consilio Florentino, & Tridentino.

a Nota Confirmationem esse Ecclesie sacramentum.

b Nota etiam potestatem a solo Episcopo, & solo Episcopo potestatem dignitatem esse super ordinem sacramentalium.

c in illo infirmum in Ecclesia est sacramentum.

mini Dei nostri. Et ut breuiter intelligentior nostrar propalemus indaginem, duo decim sacramenta sunt in Ecclesia, quae vnus fidei pictas conregit; circa quorum instantiam reflectitur Christianae religionis auctoritas. Primum est Baptismatis sacramentum. Hoc pretiosius est cunctis opibus, & omnia, quae desiderantur, huic non valent comparari. Quis enim cogitatione cordis, vel voluntate sermonis impleat, quanta sint in aquarum substantia sacramenta completa? Antequam mundus parturiretur, & ex informi materia multiformium specierum diuersitas exlirer, Spiritus Dei in anrige modum ferebatur super aquas, & elementum hoc figurali praemulcebat obsequio. Caelum ipsum ex aquis compactum Hebraeorum tradit auctoritas, & per aquas vniuersalis illa purgatio celebratur. Patriarchae ad aquas sunt vxorij, & per aquas terribile Iudaorum murmur extinguitur. Omnis illa series veteris instrumenti diligentius introspecta, maiorem sacramentorum altitudinem in aquarum materia consignauit. Saluator ipse legem sequens, itinerarij sui principium aquis indixit, cum in flumine sublimis illa potestas ab illo magno homine voluit baptizari. Primum miraculum ex aquis fecit. Samaritanae iuxta puteum aquarum fontem aquae salientis in vitam aeternam repromittit. Denique, qui ab aquis coeperat, finiuit in aquis: vulnerato enim latere Crucifixi, manauit aqua, quae terrarum orbem purgatorio lanamine candidauit. Ad extremum inclusua sententia choru Apostolicum imbuens; Euntes, inquit, baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Nonne igitur liquidd colligis, quia legis vtriusque sublimitas vim rerum sacramentalium in huius elementi liquore refudit? Non te moueat paucitas exemplorum, cum plurima praemanibus haberentur, nisi prolixitatem euitallet oratio. Secundum est sacramentum Confirmationis. In baptismo Spiritus datur ad veniam, hic ad pugnam; ibi mandamur ab iniquitatibus, hic virtutibus praemunitur. Nonne in superliminari fronte domus nostrae terrestris consecrata manus facti christifanij, imprimunt vnctionem? Nec quilibet tanti mysterij legitur executor, sed solus Episcopus, super cuius caput fufum est vnctionis oleum, & cuius diuini sacerdotalis subditur multitudo. Baptismi gratiam omni homini, vel omni sexui tradidit auctoritas antiquorum: confirmationis autem insignem, sola pontificalis persona suae vendicat dignitati. Inde est quoddam decretales paginae, & Sanctorum Patrum instituta decernunt, non esse differendam post baptismum sacramenti huius virtutem, ne nos inermes inueniat fraudolentus ille contortor, a quo nemo vnquam nocendi inducias extorsit. Delibuti igitur vtriusque rotis vnguento, illo sanati, confortati isto, securius descedamus ad singulare certamen. Nec nos deterreant arma Goliae, vel magnitudo moueat statuae: quia nobiscum est magnus Dominus Deus noster, & magna virtus eius, apprehendens arma, & sentum, vt exurgat in adiutorium nobis. Tertium est vnctio infirmorum: Infirmum vnctum nobis, & vsque ad mortem mortali peccatorum febre languentibus, Spiritus pietatis afflirit, & recordatus est quoniam pulvis sumus. Ait enim Diuus Iacobus: Infirmum quis in vobis? Inducat pater hyteros Ecclesiae; & orent super eum,

vingentes eum oleo in nomine Domini. Et oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & si in peccatis est, dimittit eum. Solennis vnctio, liquor excellens, quo sanitas redditur, peccatum dimittitur, immittitur timor Domini. Vides ne qualiter sacerdotalis manus infirmum corpus alleuiet, & illecebrofam sensuum mortuorum sacratissima mitiget vnctio? Vnde & sancti Patres hanc vnctionem sacramentum esse sanxerunt. Quartum est Consecratio Pontificis. Hec quanto sublimior, tanto dignior approbatur. Cum enim Canonice sanctionibus eligitur persona, quae tantae dignitatis debeat subire fastidium, clarior Pontifex cum caeteris Pontificibus euocatur. Praeparatur Ecclesia patrem susceptura de filio. Vngitur illius caput oleo lactitiae praeferturque suis, in illius figuram qui thalamo virginali, spiritali balsamo profusus irroratus, oleum benedictionis super filios hominum distillauit. Liniuntur & manus, vt quicquid benedixerint benedicatur, & acceptum sit diuinae maiestatis aspectui. Ponitur & Evangelica pagina super caput ipsius recumbentis, vt & verba vitae suae sentiat excedere rationem, & oculi eius deficient in eloquium Domini. Imponitur tarris capiti consecrato, & aurea lamina frontis gloria praefignitur, in qua contextitur nomen diuinitatis. Traditur annulus secretorum in manu eius, vt dicat cum Propheta: In corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi. Calceantur & pedes in praeparatione Evangelij pacis, vt sit de quibus dicitur: Quam speciosi pedes euangelizantium pacem. Accipit & baculum pastorem, vt ex ipsa virgae qualitate signetur, qualiter mansuetos colligat, corripiat inquietos. Sic sic solenni vestimentorum glorificatione praefulgidus, & ad altate Dei familiaris intrans, & exiens, iram Iudicis in misericordiam Patris felici commutatione deuoluit. Hic habet gladium spiritus, quod est verbum Dei. Hic potest tradere satana in interitum carnis. Quintum est Inunctio Regis. Sublimis ista delibutio, quia sublimem efficit potestatem. Cum enim tantae nobilitatis sanguis, vel genere, vel electione consecratur in Regem, religio cum nobilitate totis regni viribus conuocatur. Astat hinc Primatum, Metropolitanorum, & Episcoporum gloriosa societas, illinc Ducum, Comitum, Castellanos non spernenda nobilitas. Proccedit medius homo super homines regnaturus, constipatus agmine personali. Ducitur denique ad aram excelsum principis, principium regni sortiturus ab illo, per quem Reges regnant. Prius autem quam imperatoris cultibus vestitur, requiritur super eo cleri voluntas, & populi, & manu propria iurat libertatem Ecclesiarum. Ex tunc exiit vestimentis suis, & oleo sanctificationis aspergitur, vt typico rore perfusus, caelestis vnguenti plenitudine gloriatur. Induitur denique purpura, quod est regiae maiestatis insignem, gestans regni sceptrum in manibus ad regendum populum sanctum Dei. Ponitur & corona aurea super caput eius expressa signo sanctitatis, gloria honoris, & ope fortitudinis. Praefertur & gladius in oculis eius, vt cognoscat, quia vindex est irae Dei, in hoc ipsum constitutus. Tantis igitur, ac talibus mysterijs initiatus, reportatur ad palatium, a die illa, & deinceps timendus, pariter & amandus. Felix autem, si gladium regni cum gladio iungat

e Extrema vnctio conferatur infirmis, peccata dimittit, & timorem Domini immittit.

f Vides, maiorem esse vnctionem Episcopi, & sacro christi mate in unguento de caeteris ritibus, qui nunc exhibentur, etiam prius patribus fuisse in vsu?

g Hec quoque doctissimi Reges olim, vt nunc sit, imgebantur.

facer

facierdotij, vt & gladius sacerdotis mitiget gladium Regis, & gladius Regis gladium acuat sacerdotis. Isti sunt duo gladij, de quibus in Domini passione legitur: Ecce duo gladij hic: & respondetur a Domino, Sufficit tunc enim regnum pronchitur, sacerdotium dilatatur, honoratur virtusque, cum Domino praetaxata felici consideratione iunguntur. Sextum est sacramentum Dedicatiois Ecclesiae. Dicitur vix potest, quanta sit in hoc loco sacramentorum varietas, & institutionum alternatio. Primum enim Ecclesia intus, & deforis dealbatur, cruces duodecim in interiori circuitu Ecclesiae imprimuntur, cerei totidem accenduntur, emundatur Ecclesia, Pontifex Ecclesiam exterius circuit cum aqua benedicta, & in superliminari portae tertijs virga pastoralis percussus dicit: Attollite portas principes vestras, & eleuamini portae aeternales, & introibit Rex gloriae illis de intus respondentibus: Quis est iste Rex gloriae? Tunc benedicit aquam sale, cinere, vino, hyssopoque conspersam; alphabetaum ex transfuerso quadrangula ratione conscribit; altare septies ex eadem aqua respergit; cruces christifanate, altate vero mixtura christifanate, oleique perungit; ad quatuor altaris cornua incensum incendit; altare tertium nois velaminibus operit; aliisque multa, quae sermonis breuitas non permittit inferere. Post haec omni vestimentorum gloria cumulatim ingreditur ad altare; sacrificium singulare celebraturus, & sic sanctificationi finem impositurus. Quis huius abyssi caliginem sermonis claritate possit illuminare? Attingissemus tamen quantumaliquidque, nisi nostris temporibus quidam, qui Carnotensi praefedit Ecclesiae, viuacissimo mentis igne lucidius omnia declarasset. Ad illum igitur plenissimum fontem sitientem mitimus, vbi plenissimam hauriat veritatem. Notandum tamen, quia praecedentia sacramenta sine visibili vnctione non fiunt, cum subsequencia nihil huiusmodi merito continere legantur. Septimum est sacramentum Confessionis. Confessionis bonum quantum, vel quale sit, non est nostrae tenuitatis laudibus effertendum, cum praecleara patrum ingenia multis eam insigniterint documentis. Hec est via communis ad Deum, fons tam iustus, quam peccatoribus patens, qui criminum abundantiam abundantiori hignore detergit. Primum reddit innocentiae stolam, & fugitiuum filium in paternos reducit amplexus. Ex hoc fonte felices Apostoli lachrymae profluxerunt; in hoc peccatrici feminae demonia sunt submersa; per hunc adulter, & homicida David spiritu principali legitur confirmatus; in hoc felix ille volutatus est latro, qui breui portae crucis de patibulo ad regnum, de supplicio in paradysum translatus est. Consummatus in breui, expleuit tempora multa. In hac virtute caligant oculi plurimorum, qui vel discretionem priuati, vel assentatione seducti, aut nesciunt quid iniungant, vel si sciunt, priuata gratiam praefertunt veritati. Verum non susceperimus hic aperite quid sentiamus ex ea, sed sermone proprio proprietatem illius referuamus. Hoc tam leuori taediosum non sit intelligere, quia confitens pastor suo, puritatem cordis, veritatem oris, macerationem carnis debeat exhibere. Ille verò, cui confitetur, poenitentiam dignam, orationem continuam, taciturnitatem perpetuam confitenti suo curet administrare. Octauum est Canonicorum. Isti sunt in Ec-

h Nota hic totum ritum consecrationis Ecclesiae, qui etiam hodie in multis obseruatur, multo praetermissus.

i Penitentia est Ecclesiae sacramentum, cuius una pars sacerdotalis confisio est.

clesiae solio sublimati, qui in Episcopali sede veste candida resurgentes, innocentiam cordium colore vestium reponunt. Ij de communi, & in commune viuentes, vel viuere debentes, perpetua, si peccauerint, sunt poenitentia castigandi; habitus enim eorum non poenitentiae, sed innocentiae esse monstratur. Videant ipsi amici sponsi, quid respondeant ante faciem sponsi, qui indicat orbem terrae in aequitate, cum de sponsa coeperit exigere rationem. Nolumus inuehi super illos, sed hoc solum caueant, ne de patrimonio crucifixi laurioribus epulis infundantur, vel vestimentis ornentur nitidioribus; ne audiant a Propheta: Non compatiebantur super contritionem Ioseph. Nonum est Monachorum. Hi sunt, qui a forentium causarum tumultibus kelongati, ludificatorias incantationes daemonum patienter eludunt. In scripturis assidui, in obedientia praecipui, feruidi charitate, beatae Urbis gaudia de vestibulo contemplantur. Circumspiciant tamen semetipsos, ne in amphioris coronae, vel laxioris calceamenti vilitate confidant, cum homo videat in facie, Deus autem in corde. Decimum est Eremitarum, qui per caernas montium, & vallium concaua latitantes, Angelicis sociati spiritibus, in diuitias gloriae contemplatiuis oculis rapiuntur, & in carne carnis obliui, naturam suam indefessa meditatione fatigant. Vndecimum est Sanctimonialium. Ista sexum, & seculum iustu validiore vincentes, spectabilem victoriam ab hostis antiqui feritate reuertant. Gloriosa res, vbi tenera membra longiori martyrio confringuntur, & illius enervant fortitudinem, qui similitudinem Altissimi concipiunt. Ad huius spectaculum pugnae citò conuertitur ille misericors iuuuatus, & tali potissimum victoria delectatur. Duodecimum est Nuptiarum sacramentum. Hoc magnum est, ait Apostolus, & Dominus in Evangelio: Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & adheret vxori suae, & erunt duo in carne vna. Quid enim magis vnum, quam illi, quibus est vna caro, vna mensa, vnus torus, haereditas vna? Honorabile coniugium (dicit vas electionis) torus immaculatus. Hoc destruantur incestuosa coniugia, & legitimorum haeredum digna progenies propagatur. Haec sunt duodecim sacramenta, quae (nisi fallor) illa duodecim cruces significant, quas in circuitu Ecclesiae videmus impressas. Sed iam dimittendus est stylus, quia & ingenij paupertas, & infirmitas carnis, quae solito durius inundauit, vetat me aliquid longius scriptitare. Si conualere potuero, exequar quod ceppi, ad honorem illius, qui est benedictus in secula, Amen.

k Fidei hinc monachorum praedicti contemplatiuam vitam, quae iusta sine omni, quae de illis geruntur haereticis.

l Hec quoque doctissimi inter sacramenta.

EIVSDEM DE EODEM Sermo 2.

Mmola Deo sacrificium laudis, & redde Altissimo vota tua. Tria sunt principalia, & perfecta sacrificia, quae reddere tenemur Domino. Sacrificium pie contritionis, sacrificium iustae operationis, sacrificium laudis, vel iubilationis. Horum duo in presenti sunt necessaria, tertium hic inchoat, & in futuro consummabitur. De primo dicitur: Sacrificium Deo spiritus contribulatus. De secundo: Sacrificate sacrificium iustitiae: & alibi: Tunc acceptabis sacrificium iustitiae. De tertio: Bibl. Rom. tom. 3. Trt 2. Beatus



Beatus populus, qui scit iubilationem: item, sacrificium laudis honorificabit me. Primum sacrificium placat Deum, secundum delectat, tertium honorat. Non curat Deus de his sacrificiis, nisi medullata sint, & faginata. Vnde ait Psalmographus: Sicut adipe, & pinguedine repleatur anima mea. In lege omnis adeps offerri iubetur, & holocaustum pingue laudatur. Caro enim macra, & sine pinguedine, neque quando assatur reddit odorem, neque quando comeditur præstat saporem. Hæc autem pinguedo non corporis, sed spiritus, non carnis, sed mentis intelligi debet. Pinguedo animæ, virtutes sunt. Hæc suaviter redolent, hæc in Dei sacrificio Domino placent, & sine his nullum sacrificium est acceptabile. Hoc adipe pingues erant illi, de quibus dicitur: Manducauerunt, & adorauerunt omnes pingues terræ: irémque tres pueri in Daniele: Sicut in holocausto arietum, & taurorum, & sicut in millibus agnorum pinguium, sic fiat sacrificium nostrum. Vt ergo placeant hæc sacrificia nostra Deo, pingua sint, & medullata. Sacrificium piæ contritionis exigit butyrum humilitatis, quæ in tribus consistit, scilicet ut consideret homo, quàm imperfectum sit quod habet, & hoc respectu superiorum; vnde illud: Vt sciam, quid desit mihi. Deinde ut consideret, quia nihil habet proprium; vnde Apostolus: Quid habes, quod non accepisti? Consideret etiam, quod nihil habet in hac vita, quod perdere non possit, iuxta illud. Memento vnde excideris, & prima opera fac. Sacrificium iustæ operationis, exigit oleum discretionis. Sacrificium laudis requirit balsamum deuotionis. Habent autem hæc sacrificia opposita sibi vitia, quasi ex latere venientia. Sacrificio contritionis opponitur absinthium indignationis; sacrificio iustæ operationis, acetum confusionis, sacrificio laudis, venenum adulationis, siue detractionis. Offeramus igitur, dilectissimi, domino piam contritionem in amaritudine interiori, & penitentia exteriori, ut sobriè, iuste, ac piè viuamus in hoc seculo; sobriè nobis, iuste proximo, piè Deo; sobriè in duobus, in cauenda voluptate, & curis huius vitæ; iuste in duobus, ut nemini noceamus, & cunctis prodesse studeamus, iuxta illud: Declina à malo, & fac bonum: piè in duobus, ut scilicet in præfenti viuat iustus ex fide, & in futuro æternam expectet beatitudinem. Vnde Apostolus: Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus, cum autem venerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est. Offeramus dignam laudem in confessione oris, & deuotione cordis. Pia quippe cordis contritio nascitur ex recordatione peccatorum, & timore futuri iudicii; iusta operatio, ex amore virtutis, & fiducia spei; laus, & iubilatio, ex affectu charitatis, & recordatione beneficiorum Dei. Sunt autem tres recordationes peccati, prima afficiens, & delectans, quæ mala est, secunda exasperans, & pungitans, quæ utilis est, tertia gloriosa, quæ perfectior est. Afficiens est, qua afficitur homo recogitans ad ollas carniû Egyptiorum, quàm deliciosè, & suaviter vixerit, & quàm arduum sit iter, quod aggressurus est. Recogitatio pungitans est, quando reminiscitur, quàm sordidè, & flagitiosè vixerit, non ut ad priora redeat, sed ut dignè desinat, & coram se ea statuat; vnde Dauid: Peccatum meum coram me est semper. Tertia recordatio, quæ dicitur gloriosa, est, quan-

*u Vides ad piæ contritionis requiri amaritudinem interioris pro peccatis commissis, & penitentiam exterioris? Nihil ergo vana penitentia, nona vana dilata, ut quidam modo negantur.*

do homo remeditans quis fuerit, & qua gratia de lacu miseriæ, & de luto fœcis liberatus sit, gratias agit dicens: Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam: & cum Israelitis de Aegypria seruitute liberatus, gratulabundè decantant dicens: Cantemus Domino, gloriosè enim honorificatus est, equum, & ascensorem deiecit in mare, & cum Zacharia: Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitauit, & fecit redemptionem plebis suæ. Hæc sunt, quæ Deo offerre debemus. Tenemur etiam ei reddere quæ fecimus vota, iuxta Prophetæ admonitionem: Vouete, & reddite Domino Deo vestro. Qui non reddit quod vouet, quasi Deum prouocat, & irridet. Reddendum est votum integrum, & perfectum, quia aliter non satisfaceret Deo, qui votum nostrum, tanquam proprium exigit debitum. Vnde & in lege dicitur quod bouem, & ouem, aure, & cauda amputatis, voluntariè offerre possumus. Votum autem ex his solui non potest, quibus aliquid perfectionis deest. Recogitatur igitur vnusquisque nostrum quid Domino vouerit, & satagat illud reddere. Abrenunciamus seculo, monachi nomen suscepimus, & habitum. <sup>e</sup> Vouimus Domino continentiam, obedientiam, humilitatem, patientiam, secularium morum mutationem. Prædicta tria vouerunt <sup>d</sup> specialiter sancti, & reddiderunt. Audite quid dixerit, & quid fecerit Apostolus: Non sum, inquit, dignus vocari Apostolus, quia persecutus sum Ecclesiam Dei. Ecce pia contritio de recordatione peccati. Item: Bonum, inquit, certamen certauimus, cursum consummaui, fidem seruauimus, de reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex. Ecce iusta operatio de fiducia spei. Item, benedictus Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra. Ecce laus de beneficiis Dei. Vouit Dauid, & reddidit. Vota, inquit, mea Domino reddam in conspectu omnis populi eius. Votum vouit Iacob, & reddidit. Si <sup>e</sup> fuerit, inquit, Dominus mecum, & custodierit me in via, per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum, reuersusque fuero prosperè domum patris mei, erit mihi Dominus in Deum, & lapis iste, quem erexi in titulum, vocabitur domus Dei, cunctorumque, quæ dederis mihi, decimas offeram tibi. Iephte Galaadites votum vouit, & reddidit. Domine, inquit, si tradideris filios Ammon in manus meas, quicunq; primus egressus fuerit de foribus domus meæ, mihiq; occurrerit reuertenti cum pace à filiis Ammon, eum in holocaustum offeram Domino. Transiitque Iephte ad filios Ammon, ut pugnaret contra eos, quos tradidit Dominus in manus eius. Reuertenti autem in Maspha domum suam, occurrit vnigenita filia sua cum tympanis, & choris, non enim habebat alios liberos. Qua visa, scidit vestimenta sua, & ait: Heu me, filia mi, decepisti me, & ipsa decepta es. Aperui enim os meum ad Dominum, & aliud facere non potero. Et fecit de ea, sicut vouerat. Ipsam vnigenitum Dei filium iurasse Patri, ac vouisse scimus, attestante Psalmista, qui ait: Sicut iurauit Domino, votum vouit Deo Iacob, scilicet ut sacramentum religionis in passione suæ carnis pro salute generis humani expleret. Faciamus & nos similiter, & vota, quæ vouimus integrè

*b Nota pro consuetudine, & redditione votorum, contra nostri temporis hereticos.*

*c Vnde hic monachorum vota, quæ exaltes reddenda sunt.*

*d Ecce quomodo sancti vouerunt tria vota, & reddiderunt.*

*e Vides vota sub conditione, aut antiquis patribus fuisse in usu.*

grè persoluamus. Quod ipse præstare dignetur, qui cum Patre, & Spiritu sancto viuic, & regnat Deus per omnia secula seculorum, Amen.


EIVSDEM DE EODEM

Ser. mo 3.

**F**ecit Deus duo magna luminaria, luminare maius, ut præfesset diei, & luminare minus, ut præfesset nocti. Non omnia, fratres charissimi, quæ sunt in cithara, sonant, sed omnia iauant. Sic non omnia, quæ sunt in diuina scriptura, spiritualem intelligentiam generant, sed omnia iuuant. Vnde si in aliquo legis capitulo fas est, sensum spiritu s aliqua rimula intueri, non in inquisitione dormire debemus, sed thesaurum iacentem in litera vigote alacris ingenij perscrutari. Quod satis egregiè vit sapiens adumbravit, cum dixit: Ne dormias in sinu mulieris. Mulier nempe sacri eloquij literam exprimit, ex qua fidelis expositor fructum gignit. Quæ litera, cum ei Catholicæ rationis diligentia adhibetur, virilis intellectus robori maritatur. Cum verò eam seductæ mentis ingenium deprauat, quasi castitatem feminæ adulterino coitu violat. Rectè ergo dicitur: Ne dormias in sinu mulieris, ac si aperire diceretur: Ne in secreto literæ sensu torpeas, sed latentem animæ profectum pudica excute vigilantia. Fecit, inquit, Deus duo magna luminaria. Verum quidem est, quod Deus in mundi creatione calum clarum Solis, & Lunæ distinctis ornatus, ut alterum diei, alterum noctis vicissitudinem gubernaret. Porro si interius perscrutemur, inueniemus nobis allegoriæ respondere secretum. Ecclesia enim, mundi figuram gerit: quia sicut mundus ex quatuor elementis subsistit, ita Ecclesia ex quaternaria doctrina Euangelij coalescit. Habet autem Ecclesia suum diem, habet & noctem suam; habet & Solem in die, habet & Lunam in nocte. Dies Ecclesiæ, est tempus pacis; nox Ecclesiæ, est tempestas persecutionis. Sol verò in Ecclesiæ die, est sapientia: Luna autem in Ecclesiæ nocte, est patientia. His luminibus Deus Ecclesiam suam pinxit, quatenus & in pace non sit improvida, & in bello non inueniatur mollis, & fracta. Per sapientiam Ecclesia se protegit in pace à demonibus, per patientiam se tuetur in bello à persecutoribus. Non claudicat Ecclesia, non est incrimis, argumenta diuina sapienter eludit, tormenta hominum sustinet patienter. Rectè propterea comparatio est Solis ad sapientiam, Lunæ ad patientiam: quia sicut Sol Lunæ, ita sapientia præ pollet patientiæ. Sapientia itaque Sol, quia illuminat: patientia Luna, quia confortat. His geminis brachiis Ecclesia pugnat, altero prosternens demones, al-

tero vincens homines. Fecit itaque Deus hæc duo magna luminaria, quibus ornatur Ecclesia, quibus quasi duobus oculis mundus Christi columba. Dissolutus nebulis allegoriæ, hunc etiam mundum scripturæ ad irrigandos mores nostros possumus trahere. Nam sicut Deus in hoc mundo duo magna luminaria ordinauit. Ne tibi videatur durum quod dicimus: homo enim alter est mundus. Vnde ipsa Græca lingua vocatur *κακοποιος*, id est, minor mundus, quia ad similitudinem maioris mundi factus. Nam sicut Deus maiori mundo præfedit, ita quod ubique est totus, sic anima corpori dominatur, ita quod ubique tota est in corpore. Homo itaque habet diem, habet & noctem: habet Solem in die, habet Lunam in nocte. Dies hominis, est vita iustitiæ: nox hominis, est vita nequitiae. Sol autem in vita iustitiæ, est charitas, quæ præest vitæ iustitiæ; Luna verò in vita peccatoris, est penitentia. O quàm clarus Sol est charitas, cuius quindecim radios enumerat filius Saulis Paulus Apostolus in Epistola ad Corinth. ubi ait: Charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, &c. O quàm clarum penitentiae iubar, quod noctem peccati remouet, quod conscientiam nubilum tergit. Lunæ huius, scilicet penitentiae, quatuor sunt radij, cognitio peccati, dolor pro peccatis, confessio peccati, fructus elemosynæ. Prius oportet cognoscere peccatum, sed non sufficit; oportet dolere pro peccato; addenda est etiam confessio, quia frustra dolet, qui non confitetur; his verò adiungendus est fructus elemosynæ, qui est pretium peccati. Vnde Propheta de impio dicit: Nō eredit frustra errore deceptus, quod aliquo pretio redimendus sit. Pretium certè peccati est elemosyna. Sed qui semper elemosynam erogat, & semper peccat, frustra credit, quod elemosyna ei proficiat. Interpretandum est igitur elemosynæ vocabulum. El, Hebraicè, Deus, Moys, Aegyptiaca lingua dicitur aqua, inde elemosyna, id est, aqua Dei. E contrariò videre possumus, quod peccatum est ignis diaboli. Igitur contra ignem diaboli opponatur aqua Dei. Perpende, Christiane, dignitate matrem, & redemptionem culpæ tuæ. Noli beluina mente contemnere. Deus elemosynam fecit tibi, corpus proprium morti tradendo, tu elemosynam fac illi, bucellam panis portigendo pauperi. Esto prius in te misericors, deinde tu proximum elementum riuum effunde, ut sic pariter cum proximo ad fontem misericordiae valeas peruenire, Iesum Christum Dominum nostrum, qui cum Patre, & Spiritu sancto viuic, & regnat Deus per omnia secula seculorum, Amen.

FINIS TERTII TOMI.



# INDEX EORVM QVÆ

## HOC TERTIO TOMO

### CONTINENTVR:

In quo prior numerus paginam, secundus verò columnam demonstrat.

<i>A</i>	
<b>A</b> B A, pater, quis nos liberè Deum clamare doceat. 84.1	<i>Aduentus Christi primus quàm à secūdo diuersus.</i> 717.2
<i>Ab illo, quomodo exponatur.</i> 445.2.	<i>Aduentus Domini trinus.</i> 572.2.573.1
447.1.2	<i>Aduentus Christi finis quīs fuerit.</i> 429.2
<i>Abitus Christi in caelum discipulis expediens.</i> 84.2	<i>Aduentus Domini signa.</i> 682.1.683.1
<i>Ablatio spiritus ob peccatum, quid efficiat.</i> 191.1	<i>Aduentus Spiritus sancti commodissimus.</i> 84.1
<i>Abominatio quid sit.</i> 682.2.683.1.2.702.2	<i>Aduentus Christi in iudicio extremo.</i> 22.2
<i>Abominatio desolationis quid sit.</i> 690.1.2.692.2	<i>Aduersarius quis sibi sit.</i> 552.1
<i>Abraham diuitiæ multæ.</i> 509.2	<i>Aduersarius quibus armis vincatur.</i> 120.2
<i>Abraham &amp; Zachari hospitium.</i> 767.1	<i>Aduersarij machinæ quibus medijs euitandæ.</i> 173.2
<i>Abrenuntio dierum quid sit.</i> 690.1	<i>Adulatio quid sit.</i> 13.1
<i>Abrenuntiare diabolo quid sit.</i> 159.1	<i>Adulatorum reprehensio notatur.</i> 305.1
<i>Abrenuntari dies quomodo intelligantur.</i> 703.1	<i>Æthiopes serpentem comedunt.</i> 115.2
<i>Absentes Apostoli an Spiritum sanctum acceperint.</i> 16.2	<i>Affectioes nostræ vnde nascuntur.</i> 31.2
<i>Absolutio præsupponit confessionem.</i> 25.1	<i>Affectus &amp; officia quæ Iesus Christus suscepit.</i> 301.2.
<i>Absinentia cur quatuor temporibus assignata.</i> 559.1	302.1
<i>Absinentia mōnāchicūm.</i> 606.1	<i>Agere penitentiam quid sit.</i> 350.2
<i>Absinentia aliquorum ciborum olim indicta.</i> 488.2	<i>Agnitio quid à fide differat.</i> 22.1
<i>Absinentiæ comoda.</i> 284.2	<i>Agnus qualiter manducandus.</i> 322.1.2
<i>Absinentiæ felicitas.</i> 122.1	<i>Agricolæ miseræ &amp; intolerabilia onera.</i> 643.2
<i>Absinendum etiam à quibusdam licitis.</i> 9.1	<i>Agriculturæ laus.</i> 609.1
<i>Abstrahi à congregatione ouium quid sit.</i> 261.1	<i>Albæ vestes quid designent.</i> 156.2
<i>Acceptio personarum apud Deum non est.</i> 619.2	<i>Alleluia quando cantatur.</i> 173.1.2
<i>Accerrimè examinandi qui post susceperunt fidem peccarunt.</i> 620.2	<i>Alia nautica piscibus repleta quid denotat.</i> 354.2
<i>Achab seductio per quem facta sit.</i> 610.2	<i>Aliena rapicinis vitia.</i> 166.1
<i>Achioris consilium Holoferni datum.</i> 398.2	<i>Aliud est sacramentum, aliud virtus sacramenti.</i> 279.1
<i>Actio nostra in quo perficiatur.</i> 129.1	<i>Alium paraclitum cur Saluator dicat.</i> 182.1.184.1
<i>Actio indumentum est viuētis.</i> 604.2	<i>Alius quid constituat.</i> 207.1
<i>Actus omnis hominum in hoc seculo duplex est.</i> 609.1	<i>Altare vniuscuiusque quid sit.</i> 745.1
<i>Actus nostri boni quò referendi.</i> 243.2	<i>Alterum qui odit, sibi prius nocet.</i> 307.1
<i>Ad gratiam qui accedere non possit.</i> 559.2	<i>Altilia vnde dicta.</i> 595.2.597.1.611.1.2
<i>Adam recuperationem meruit, non diabolus.</i> 94.1	<i>Altum quod est hominibus, quale sit apud Deum.</i> 630.2.
<i>Adæ peccatum vnde processit.</i> 88.2	631.1
<i>Adam &amp; Christi collatio.</i> 746.2	<i>Altum quid significet.</i> 360.1
<i>À dæmonis dominatione quis liberetur.</i> 563.2	<i>Alia quid significet.</i> 675.2
<i>Adoptionis filiorum spiritum qui habeant.</i> 532.2	<i>À magna cæna quot hominū genera excludantur.</i> 327.2.
<i>Adhörtatio ad pietatem.</i> 108.1	329.1
<i>Adhuc multahab. vob. &amp;c. interpretatio.</i> 74.2	<i>Auari non potest quod ignoratur.</i> 333.1
<i>Adriani statua equestris in templo Dei.</i> 681.1.682.2	<i>Amen dictionis significatio.</i> 108.2
<i>Adriano Imperat. cur statua equestris à Romanis facta.</i> 719.2	<i>Amicitia commendatio.</i> 69.2
	<i>Amici vnde parandi.</i> 425.2
<i>Admonitiones ad mundi contemptum.</i> 165.1.2	<i>Amicos pauperes quibus medijs faciamus.</i> 415.1
<i>Aducæ &amp; peregrini sumus in hoc seculo.</i> 415.2	<i>Amicos fieri de mammona iniquitatis quid sit.</i> 424.1
<i>Adveniat regnum tuum, quid sit.</i> 556.1	<i>Amicum nullum habere quid sit.</i> 69.2
<i>Aduentus Christi duo.</i> 258.2	<i>Amicus in Deo, inimicus verò propter Deum diligitur.</i> 613.2
	<i>Amicus verus hominis Deus.</i> 114.2
	<i>Amor Dei nunquam otiosus.</i> 234.2
	<i>Amor cordis quid ab amore animæ differat.</i> 530.2





Charitas pro veste nuptiali.	612.2	Christus cur perditionis aduentum monstrat.	715.2
Charitas veritatis quid sit.	692.2	Christus cur ad calos ascendit.	218.2
Charitas patrona ad Deum cur dicatur.	367.2	Christus cur sero discipulis apparuit.	2.2.4.2
Charitas omnia credit, quid sit.	160.2	Christus aduocatus noster.	109.2
Charitatis verus effectus.	129.2	Christus loculos cur habere dignatus est.	506.2
Charitatis filia que sit.	13.1	Christus quoties apparuit in die resurrectionis.	2.1
Charitatis argumentum vnde.	195.1 & seq.	Christus gaudium sanctorum.	60.2
Charitatis argumentum de morte Christi non dolere.	195.1.196.1	Christus cur xi.apost. apparuit.	136.1
Charitatis precepta quot sint.	24.2	Christus queri maluit quam vindicare.	302.1
Charitatis extinctio, omnium malorum causa.	704.2	Christus loculos habebat.	293.2
Charitatis perfecta effectus.	170.2	Christus quam mitissime nos vocet.	338.2
Charitatis effectus.	554.1	Christus cum paraclete vnus substantia & doctrina.	216.2
Charitatis qualitates.	223.2	Christus magni consilij angelus.	222.2
Cherubim quid significet.	351.1	Christus quomodo mundum relinquere dicatur.	111.1
Chori mensura.	412.1	Christus via est ad Patrem.	5.1
Christus Dominus & filius David quomodo dicatur.	546.1	Christus preceptum diligendi inimicos temperat.	312.1.2 & seq.
Christus verus Samaritanus.	465.2	Christus cur interrogat apostolos de panibus.	387.2
Christus cur crucifixus est.	75.2	Christus aries consummationis.	15.2
Christus cui filius hominis dicatur.	592.1.2	Christus iudicaturus in extremo iudicio, qua appariturus forma.	77.2
Christus cur primogenitus ex mortuis dicatur.	12.2	Christus cur sanctificare seipsum dixit.	282.1
Christus cur mulieribus gaudium tribuerit, apostolis vero pacem.	29.1	Christus duobus modis panis diuitur.	288.2
Christus quomodo filius David, & Dominus dicatur.	531.2	Christus cordium cognitor.	661.1
Christus cur ta frequenter parabola sci adfert.	569.1	Christus homo ad quid factus.	190.2
Christus quid per somnum intelligat.	671.1	Christus que non rapuit exoluit.	213.2
Christus voluntatibus quandoque non verbis respondet.	658.2	Christus quibus vigilet vel dormiat.	356.2
Christus quomodo in calum ascendit.	138.2	Christus Iudaeorum index.	227.2
Christus porta & via ad patrem.	103.2	& Christianorum aduocatus.	ibidem
Christus ore & pectore sumendus.	323.1	Christus a magi piscatur existentes in terra.	355.1
Christus cur paupertatem subierit.	522.2	Christus ad quid in carnem descendit.	118.2
Christus ad scripturas semper relegat.	315.1	Christus moriendo mortem soluit.	275.2
Christus a quibus plagatus.	18.1	Christus cur obscure loquebatur.	272.1
Christus omnes beatitudines suo sumat exemplo.	430.2	Christus quid sit Christianus.	544.2
Christus via ad patrem.	5.1	Christus sponte ad passionem accedit.	50.2
Christus sub quo Imperatore passus.	654.1	Christus voluntarie crucifixus est.	275.1
Christus cur sero discipulis apparuit.	2.2	Christus splendor gloria patris, &c.	215.2
Christus cur didrachma soluerit.	661.2	Christus vbi pro regno Dei ponitur in sacris.	512.1
Christus cur post tertiam diem Lazarum suscitauit.	670.2	Christus cur sciens interrogat.	549.1
Christus quibus manifestatur.	210.1	Christus cur sub speciebus panis & vini sacramenta corporis & sanguinis sui offerenda instituit.	323.1
Christus simoniam cur habuit.	667.2	Christus cur noluit suos apostolos aliquid pro viatico ferre.	290.1
Christus cur in Lazari suscitatione fleuit & fremuit.	666.2	Christus quos vocet.	738.1
Christus vbi preterito tempore pro futuro.	2.1.4.2.7.1	Christi & hospitii collatio.	291.1
Christus cur ad crucem iturus flet.	645.2	Christi in suis liberalitas mira.	708.2
Christus cur adiecentur dixerit, non dabuntur.	514.2	Christi iustitia & iustitia Pharisaeorum quid differant.	378.1
Christus pastor & ostium.	34.2.36.2	Christi & medici collatio.	563.1.728.2
Christus quibus debitor dicatur.	553.2	Christi & Adae collatio.	88.2
Christus fons spiritus sancti.	16.1	Christi passionis tempus.	721.2
Christus resurrectio & vita.	ibidem	Christi verba, quia vado ad Pat. exposita.	143.2
Christus cur transfiguratus coram discipulis.	ibidem	Christi mirabilis vis in panis augmento.	387.2
Christus anima legis est.	322.1	Christi visus qualis erat.	354.2
Christus cur ad filium reguli ire noluit, ad seruum autem centurionis iuit.	623.2.630.2	Christi humanitas adoranda.	216.1
Christus qualem se exhibuerit apostolis post resur.	14.2	Christi Apostoli vndique depulsi.	704.1
Christus via & patria.	142.2	Christi animus ad passionem tolerandam.	245.2
Christus quid a nobis exquiret in iudicio extremo.	38.1	Christi in nobis formatio.	16.1
Christus cur tertio Petrum interrogat.	38.1.2	Christi habitatio in nobis que sit.	55.2
Christus ostium & pastor.	263.2	Christi potentia ac humilitatis descriptio.	49.2
Christus de pane efficit proprium corpus.	322.1	Christi admonitio ad precauenda futura mala.	684.2
Christus quos ad ouile proprium deducit.	46.1	Christi & apostolorum missionis collatio.	20.2
Christus mediator & collargitor donorum Dei.	103.2	Christi duplex substantia credenda.	143.1
Christus suos apostolos Sacerdotes instituit.	323.1	Christi aduersarij in quo concordent.	529.1
		Christi diuinitas.	419.1
		Christi gemina substantia.	198.2
		Christi cura suorum discip.	50.2
		Christo	

Christo non credere quale peccatum.	87.1	Communio Trinitatis eterna.	229.2
Christum qui nescit, nescit legem.	462.1	Communio sacramentum.	326.1
Christum secundum carnem cognoscere.	70.2	Comparatio inter res eiusdem speciei.	225.2
Christum qui ratione factum ientauerit.	714.2	Compelli intrare qui dicantur.	128.1
Christum qui in seipsis videre non possunt.	188.2	Comprimere Christum qui dicantur.	677.2
Christum vbi induimus.	619.2	Κόμ. & Κου. & Κορ. quid designent.	636.2
Christum arguere mundum de peccato, &c. quid sit.	65.2	Conceptio hominis in ecclesia.	712.1
Christum à Deo exiisse cur apostoli credant.	101.2	Concessa, immoderate non appetenda sunt, & quare.	9.1
Christum	278.1.280.1	Concio S. Io. Chris. de publicano & Pharisaeo.	441.2
Christum ire ad patrem quid sit.	197.1	Concipere & parturire spiritum salutis quid sit.	8.2
Christum omnia trahere ad seipsum, quid sit.	161.1	Concordia quid efficiat.	69.2
Christum vere diligere.	241.1	Conditio vitioforum.	32.2
Christum à patre venisse, & à Deo exiisse, quid differat.	100.1	Condonandarum offensionum proximis adhortationes.	468.2.645.2
Christiana conuersio vera.	488.2	Conferre rationem quid sit.	652.1
Christianus de resurrectione non ambigit.	671.2	Confessio publicani.	443.1
Christianus quomodo fiat hereticus.	219.2	Confessio & opera satisfactoria pro peccatis delendis.	108.1
Christiani nomen sine operibus fidei quid sit.	398.2	Confessio & satisfactio necessaria ad peccatorum remissionem.	485.2
Christiani & mercatoris collatio.	165.1	Confessio quando serua.	139.1
Christiani qui lupi dicantur.	402.2	Confessio facta sacerdoti.	649.2
Christiani nomine, opere vani, qui sint.	13.2	Confessio Petri de Christo vnde inspirata.	280.2
Christianorum discordia effectus.	10.2	Constituti mosi priscorum, & imponendi penitentiam.	378.2
Christianorum fuga in Agrippa regnum.	681.1.682.2	Constituentibus peccata remissa promissa.	128.1
Christianorum sabbatum.	713.1	Constituti non verendum quod facere non timemus.	673.1
Christianorum plangens in die iudicij extremi.	717.1	Constituti quid sit.	277.2
Christianorum inuileus.	179.1	Confirmatio vsus veterum.	233.1
Christianismus que dogmata & vitam exigit.	259.1	Conscientia quibus operibus mundetur.	740.1.2
Christianitatis summa.	749.2	Conscidisti saccum meum, interpretatio.	746.1
Christianitatis sibi emata habere quid sit.	403.1	Confessus cui offertur.	227.1
Christianum quid faciat.	404.1	Consideratio in molestijs.	165.1
Chronica Pbleguntis.	689.1	Consolatio martyrum pro Christi nomine.	180.2
Cibus Christi.	754.2	Conspiratio Iudaeorum in Pauli cadem.	169.2
Cibus anime quid sit.	617.1	Consortem nature imare, quid sit.	460.2.464.1
Cypriani sententia in palpones.	305.1	Constantia Iob super amissione rerum suarum.	498.2
Circumcisionis effectus.	667.1	Constantia mirabilis 50. martyrum.	748.2
Cito discitur vbi Deus magister est.	229.1	Constantinopolis a quo condita sit.	119.1
Ciuitas suprema que sit.	605.2	Contestationis verba seductorum ab anticristo.	715.2
Ciuitas Christi cur Capernaum dicta.	588.2	Contenti sumus ijs quibus indigemus.	393.2
Ciuitates refugij tres.	380.2	Continentia & olim Deo voueri solita.	316.2
Clarificare Christum quomodo Sp. sanctus dicatur.	89.2	Contractus seculares a templo absint.	431.1
Clarificatio Christi quid sit.	91.1.2.95.1	Contraria in eodem subiecto an simul reperiantur.	222.1
Clauis scientiae Pharisaeorum.	310.1	Contritio cordis quid efficiat.	488.2
Clauorum typum Christus ostendit.	3.2.17.2.18.1	Conuentio nulla Christi ad Belial.	512.2
	24.1	Conuersatio fidelium vbi sit.	228.2
Clementis historia de Antichristo futuro.	715.1	Coniunia hominum adire Christus non dedignatus.	522.2
Clericus catholicus quibus contentus esse debeat.	659.2	Cor mundum, hospitium est recti spiritus.	91.2
Climata orbis quatuor.	632.2	Cor sursum habere ad dominum.	142.2
Coemeteria quid sint.	675.2	Cor quibus medijs mundetur.	543.2
Caena Christi quales sint.	528.1	Cordis amor, & anime.	540.2
Cogitationes hominum deo cognite.	59.2	Cordis index solus Deus.	543.1
Cogitationum nequam triplex modus.	108.1	Corpora mortuorum qua etate resurgent.	494.1
Cognatio proximum non facit.	464.1	Corpora fidelium cur sancta dicantur.	752.1
Cognitio patris sine filij cognitione an haberi possit.	178.1	Corporalis seruitus a Deo non contemnitur.	609.2
	301.1	Corporis Christi veritas in sacramento.	557.1
Cognitio de Deo futura.	55.1	Correctio fraterna quomodo fieri debeat.	309.2
Cognoscere Dei quid sit.	48.2.50.1	Corporis Christi veri argumenta.	18.2.20.2
Cognoscere Deum, & diligere Deum, quorum sit.	541.1	Correctio fraternalis fructus.	310.2
Collatio peccati diaboli & hominis.	94.1	Corripere aliquem de peccato suo, quam piuum sit.	572.2
Collatio hominis vulnerati & peccatoris.	648.1	Corui quamdiu pullos negligere dicantur.	309.1
Colloquia mala quid mali afferant.	28.1.398.2	Corus mensura est seruum.	423.2
Colloquiorum malorum effectus.	28.1	Cras quid in scripturis sacris significet.	491.1.498.1
Columba descriptio.	430.2		Κράσπεδον
Columba & serpentis exemplum.	235.2		
Comendatio templi Hieru. per Titum.	438.1		
Comitio cuiusdam obitus admirandus.	336.2		
Communicandum sacrae mensae quomodo sit.	557.1		
Communio vnus linguae quando perditur.	235.1		

Dei liberalitas in dando.	115.1	Dei liberalitas in dando.	115.1
Dei opera omnem mentem excedunt.	14.1	Dei opera omnem mentem excedunt.	14.1
Dei & agricolae collatio.	345.1	Dei & agricolae collatio.	345.1
Dei approxinatio qui sit.	131.2	Dei approxinatio qui sit.	131.2
Dei conspectum que offendant.	674.1	Dei conspectum que offendant.	674.1
Dei misericordia in nostris miseris.	442.2	Dei misericordia in nostris miseris.	442.2
Dei domus nosse sumus.	745.1.2	Dei domus nosse sumus.	745.1.2
Deitatis Christi excellentia vnde dignoscatur.	293.1	Deitatis Christi excellentia vnde dignoscatur.	293.1
Deo facile est dicere & operari.	592.1	Deo facile est dicere & operari.	592.1
Deo peccata confiteri non verendum.	442.1	Deo peccata confiteri non verendum.	442.1
Deo animus sit reparare quod fuit, quam creare quod non fuit.	23.1	Deo animus sit reparare quod fuit, quam creare quod non fuit.	23.1
Deo accepta sunt, que indigenti proximo dantur.	543.2	Deo accepta sunt, que indigenti proximo dantur.	543.2
Deo sine fide placere non possumus.	757.1	Deo sine fide placere non possumus.	757.1
Deo & proximo que debeamus.	423.1	Deo & proximo que debeamus.	423.1
Deo que reddere debeamus.	654.2	Deo que reddere debeamus.	654.2
Deum flare in synagoga deorum quid sit.	620.1	Deum flare in synagoga deorum quid sit.	620.1
Deum pro reis qui maxime deprecari possint.	539.2	Deum pro reis qui maxime deprecari possint.	539.2
Deum qui vidisse dicantur.	470.2.471.1	Deum qui vidisse dicantur.	470.2.471.1
Deum ex toto corde diligere quid sit.	530.2	Deum ex toto corde diligere quid sit.	530.2
Deum quid habitare facit in nobis.	196.1	Deum quid habitare facit in nobis.	196.1
Detractio quid sit.	13.1	Detractio quid sit.	13.1
Devotio quando efficacior.	555.1	Devotio quando efficacior.	555.1
Dextera Dei quid significet.	137.1	Dextera Dei quid significet.	137.1
Diabolus quorum dicatur dominus.	497.1.512.2	Diabolus quorum dicatur dominus.	497.1.512.2
Diabolus quomodo a fidelibus vincatur.	83.1	Diabolus quomodo a fidelibus vincatur.	83.1
Diabolus avaritia auctor.	497.1.2	Diabolus avaritia auctor.	497.1.2
Diabolus igni aeterno destinatus.	65.2	Diabolus igni aeterno destinatus.	65.2
Diabolus auingerat tentationis genus in homine.	714.2	Diabolus auingerat tentationis genus in homine.	714.2
Diabolus via ad mortem.	609.2	Diabolus via ad mortem.	609.2
Diabolus quatenus possit nocere.	577.1	Diabolus quatenus possit nocere.	577.1
Diabolus quorum sit princeps.	199.1.209.2	Diabolus quorum sit princeps.	199.1.209.2
Diaboli adulterium principatus.	85.1	Diaboli adulterium principatus.	85.1
Diaboli circumventio.	416.2	Diaboli circumventio.	416.2
Diaboli doli quibus armis vincantur.	151.1	Diaboli doli quibus armis vincantur.	151.1
Diaboli nulla in Christum potentia.	226.2	Diaboli nulla in Christum potentia.	226.2
Diaboli inscipula, crux Christi.	142.1	Diaboli inscipula, crux Christi.	142.1
Diaboli tributum quod sit.	657.2	Diaboli tributum quod sit.	657.2
Diaboli doli innumerabiles.	124.2	Diaboli doli innumerabiles.	124.2
Diabolo quid a Deo permittitur ad nostram exercitatio-	65.2	Diabolo quid a Deo permittitur ad nostram exercitatio-	65.2
nem.	65.2	nem.	65.2
Diabolum sugere pedibus, & peccatis sequi quid sit.	711.1	Diabolum sugere pedibus, & peccatis sequi quid sit.	711.1
Dialecticorum tendicula super Trinitatis mysterium re-	67.2	Dialecticorum tendicula super Trinitatis mysterium re-	67.2
ijcienda.	67.2	ijcienda.	67.2
Dicere, vbi sit, significatio.	407.1	Dicere, vbi sit, significatio.	407.1
Dicere & facere quid differant.	410.1	Dicere & facere quid differant.	410.1
Dicere & facere idem est Deo.	592.1	Dicere & facere idem est Deo.	592.1
Dicere in Trinitate quid sit.	66.2	Dicere in Trinitate quid sit.	66.2
Dicta pro factis, in scripturis accipi moris est.	399.1	Dicta pro factis, in scripturis accipi moris est.	399.1
Didymsus quid sit.	2.1.3.1.27.1	Didymsus quid sit.	2.1.3.1.27.1
Diabachma nostrum Christus est.	357.1	Diabachma nostrum Christus est.	357.1
Dies ante iudicium, & dies post iudicium.	111.1	Dies ante iudicium, & dies post iudicium.	111.1
Dies quomodo breuiari dicantur.	714.1	Dies quomodo breuiari dicantur.	714.1
Dies que maledicta dicatur.	519.2.528.1	Dies que maledicta dicatur.	519.2.528.1
Dies mali cur dicantur.	683.1	Dies mali cur dicantur.	683.1
Dies affectionis quid sit.	610.1	Dies affectionis quid sit.	610.1
Dies Domini propheticæ.	695.1	Dies Domini propheticæ.	695.1
Dies iudicij vera argumenta.	682.1	Dies iudicij vera argumenta.	682.1
Dies dominici celebratio vnde deriuatur.	17.2	Dies dominici celebratio vnde deriuatur.	17.2
Diem Christi que precedent.	683.1	Diem Christi que precedent.	683.1
Dies prolongatio oratione Iosue.	717.2	Dies prolongatio oratione Iosue.	717.2
Differentia inuicem duas illas mirabiles populi resurrectiones.	609.2	Differentia inuicem duas illas mirabiles populi resurrectiones.	609.2
389.2.390.1		389.2.390.1	
Differentia leibadium, & renialium peccatorum.	255.2	Differentia leibadium, & renialium peccatorum.	255.2
Difinitio glorie.	89.2	Difinitio glorie.	89.2
Difinitio pacis vera.	198.2	Difinitio pacis vera.	198.2

Dei liberalitas in dando.	115.1	Dij cur homines dicantur.	194.2
Dei opera omnem mentem excedunt.	14.1	Digitus Dei quid sit.	200.1
Dei & agricolae collatio.	345.1	Digitus Dei pro S. Spiritu.	453.1.456.1
Dei approxinatio qui sit.	131.2	Digne sumere corpus Christi qui dicantur.	315.2
Dei conspectum que offendant.	674.1	Dignitatis gradus non est, vbi est plenitudo diuinitatis.	227.1
Dei misericordia in nostris miseris.	442.2	Dilectio perfecta quid pariat.	355.2
Dei domus nosse sumus.	745.1.2	Dilectio quomodo monstratur.	183.2
Deitatis Christi excellentia vnde dignoscatur.	293.1	Dilectio vnde dicatur.	545.2
Deo facile est dicere & operari.	592.1	Dilectio in libertate, est timor sub necessitate.	530.2
Deo peccata confiteri non verendum.	442.1	Dilectio Dei in quo consistat.	512.2
Deo animus sit reparare quod fuit, quam creare quod non fuit.	23.1	Dilectio omne bonum suggerit.	541.1
Deo accepta sunt, que indigenti proximo dantur.	543.2	Dilectio temptationem non admittit.	548.1
Deo sine fide placere non possumus.	757.1	Dilectio Dei & proximi non separantur.	237.1
Deo & proximo que debeamus.	423.1	Dilectio Dei sine Christo, aut Christi sine Deo, inutilis est.	531.1
Deo que reddere debeamus.	654.2	Dilectio vera vnde probetur.	469.1
Deum flare in synagoga deorum quid sit.	620.1	Dilectionis commendatio.	69.2
Deum pro reis qui maxime deprecari possint.	539.2	Dilectionis Dei commoda.	114.1
Deum qui vidisse dicantur.	470.2.471.1	Dilectionis perfecta effectus.	540.1
Deum ex toto corde diligere quid sit.	530.2	Dilectionis probatio, exhibitio est operis.	234.1
Deum quid habitare facit in nobis.	196.1	Diligens Deum cui debeat toto studio placere.	557.2
Detractio quid sit.	13.1	Diligentia Deum prarogatiua.	183.2
Devotio quando efficacior.	555.1	Diligentes cur eligantur.	210.2
Dextera Dei quid significet.	137.1	Diligentia nostra ad gratiam vocatorum cooperatur.	604.2
Diabolus quorum dicatur dominus.	497.1.512.2	Diligere Deum in tota anima.	530.2
Diabolus quomodo a fidelibus vincatur.	83.1	Diligere filiorum, timere seruorum est.	530.2
Diabolus avaritia auctor.	497.1.2	Diligere Deum quid sit.	194.1.195.1
Diabolus igni aeterno destinatus.	65.2	Diligere Deum, donum Dei est.	103.1
Diabolus auingerat tentationis genus in homine.	714.2	Diligi an possit quod ignoratur.	73.1
Diabolus via ad mortem.	609.2	Diligi generalis causa.	713.2
Diabolus quatenus possit nocere.	577.1	Dimittenda cur delicta proximi.	12.1
Diabolus quorum sit princeps.	199.1.209.2	Dimittendum proximo in corde.	648.1.649.1
Diaboli adulterium principatus.	85.1	Dimittendum peccantibus in nos, & qua ratione.	309.2.
Diaboli circumventio.	416.2	310.1.528.2.645.1	
Diaboli doli quibus armis vincantur.	151.1	Dimittere de cordibus fratribus, quid sit.	639.1
Diaboli nulla in Christum potentia.	226.2	Discere a patre, & audire a patre quid sit.	279.1
Diaboli inscipula, crux Christi.	142.1	Disciplina Christi descriptio.	222.1
Diaboli tributum quod sit.	657.2	Discipuli an dubitent de morte Christi.	59.2
Diaboli doli innumerabiles.	124.2	Discipulorum vita ante resurrectionem Christi, &c.	85.1
Diabolo quid a Deo permittitur ad nostram exercitatio-	65.2	Discipulorum transformatio vnde.	84.2
nem.	65.2	Discordia cum proximo effectus.	198.2
Diabolum sugere pedibus, & peccatis sequi quid sit.	711.1	Disparitas in Trinitate nulla est.	78.2
Dialecticorum tendicula super Trinitatis mysterium re-	67.2	Disputandi modus cum hereticis.	208.1
ijcienda.	67.2	Distantia an sit in natura creationis hominum.	609.2
Dicere, vbi sit, significatio.	407.1	Diuina qui non possunt persuadere.	188.1
Dicere & facere quid differant.	410.1	Diuinitas honorificentiæ gradum nescit.	204.1.228.1
Dicere & facere idem est Deo.	592.1	Diuinitas nullo loco continetur.	214.1
Dicere in Trinitate quid sit.	66.2	Diuinitatis & humanitatis Christi operatio.	388.1
Dicta pro factis, in scripturis accipi moris est.	399.1	& seq.	
Didymsus quid sit.	2.1.3.1.27.1	Diuinitatis admiratio vnde colligatur.	23.2
Diabachma nostrum Christus est.	357.1	Diuinitatis apertum iudicium.	108.1
Dies ante iudicium, & dies post iudicium.	111.1	Diuisi cur Pharisæi dicti.	545.2
Dies quomodo breuiari dicantur.	714.1	Diues omnis aut iniquus, aut heres iniqui.	425.2
Dies que maledicta dicatur.	519.2.528.1	Diues sine amicis quid sit.	69.2
Dies mali cur dicantur.	683.1	Diuites secundum Deum qui fuerint.	498.2.507.2.509.2
Dies affectionis quid sit.	610.1	Diuites quomodo peccata abluere possint.	166.1.2
Dies Domini propheticæ.	695.1	Diuitie quomodo iniqua fiant.	426.1.2
Dies iudicij vera argumenta.	682.1	Diuitie quomodo amanda.	40.1
Dies dominici celebratio vnde deriuatur.	17.2	Diuitie que precipue comparanda.	69.2.70.1
Diem Christi que precedent.	683.1	Diuitie si non diuidantur, & que non sunt.	426.2
Dies prolongatio oratione Iosue.	717.2	Diuitie in sinu pauperis.	126.2
Differentia inuicem duas illas mirabiles populi resurrectiones.	609.2	Diuitie iniuste que dicuntur.	424.2
389.2.390.1		Diuitie quando nocua.	165.2
Differentia leibadium, & renialium peccatorum.	255.2	Diuitie quibus non suere inpedimenta ad virtutem.	644.1
Difinitio glorie.	89.2	Diuitiarum dominus quomodo Iob fuerit.	513.1
Difinitio pacis vera.	198.2	Diuitiarum duplex damnus.	498.1

D.

Amnatorum horrenda supplicia.	139.1	Deus ubi querendus.	681.2
Dandum ex bonis nostris quatenus sit.	426.2	Deus que necessario a nobis requiratur.	645.1
Danielis hebdomadae an completæ sint.	683.1	Deus qualiter recipiendus.	234.1
Danielis prophetiæ explicatio.	689.2.721.2.	Deus a timore dicitur.	512.2
722.1		Deus quos exaudiat.	187.1
Data nobis a Deo quomodo distribuenda.	427.1	Deus per sacerdotes peccata dimittit.	297.1
Datoris libertas vbi reperitur.	553.2.554.1	Deus cur locupletari malos permittat.	705.1
David cur a Natban arguitur.	608.2	Deus in quem veniat.	234.2
David sanctus cur dicitur.	752.1	Deus cur dissent dare petenti.	114.1
Davidis peccata.	398.2	Deus dura iubens, magna promittit.	743.2
Davidis peccatum per prophetam exprobratum.	705.1	Deus qualis remunerator.	309.2
Davidis cura de omnibus.	49.2	Deus quibus sit propitius.	441.2
Debitates corporum plerasque propter peccata contin-	582.584.1	Deus per quos vocet nos.	335.2
gere.	582.584.1	Deus plura quam petamus dat.	651.2.652.1
Debita & debitores quid sint.	649.2	Deus si quem trahat, vel non trahat, iudicandum non est.	273.2
Debiti impletio, quo ad Deum.	165.2	Deus non iudicat bis in idipsum.	122.2
Debiti nomine peccatum intelligitur.	646.2	Deus amara dulcibus miscet.	118.1
Debitorum exactio moderata non improbanda.	644.2	Deus quomodo peruersos visitat.	429.1
Debitorum nodos soluere, lucrosum.	420.1	Deus hominem liberum creatur.	609.2
Decapolis quid sit.	459.1	Deus cur dicatur ignis.	235.1
Decimi numeri perfectio.	61.2.650.2.651.1	Deus quomodo malis utatur.	742.2
Dedicatio ecclesiarum olim celebrata.	46.1	Deus quam misericors sit in nos.	337.1
Defectiuo sermone vbi vitium.	438.2	Deus vltionem nimie sollicitudinis exigit a nobis.	502.2
Defuncti cur non plorandi.	671.1.2.672.2	Deus quomodo querendus.	214.1
Delectatio peccandi quomodo pellenda.	108.1.2	Deus iustitia & æquitas est, & ideo ipse sibi lex est.	17.2
Delirare in scripturis quid sit.	195.1	Deus in quibus habitat.	84.2
Delitia mentis maiores quam carnis.	284.2	Deus quando non miserebitur.	139.1
Demonos Christum esse credunt.	65.2	Deus ut pater diligendus.	530.2
Demonos vitijs prepositi ad seducendos homines.	507.2	Deus cur diabolo seducendi virtutem concedit.	715.1
Demones vnitatem Dei fatentur.	187.1	Deus cur temptationem mittat.	403.2
Denarius quid sit.	660.1.661.1	Deus quomodo homines attrahat.	362.2
Denarius numerus in sacris quomodo accipitur.	283.1	Deus supplicari cur a nobis velit.	644.2
Denarij duo quid significent.	463.2	Deus iustum fame non affligit.	514.1
Denarij duobus quid significetur.	467.2	Deus cur se peri a nobis vult quod scit.	511.2
Deprecatio iusti assidua valida est.	108.2	Deus quod vocet.	442.2
Desperare quid faciat homines in necessitatibus.	503.2	Deus ad quid nos desideret.	138.1
Desperatio solitudinem generat.	500.1	Deus quo pacto diligendus.	461.1
Desperatorum hominum professio.	160.2	Dei manifestatio interior que sit.	197.1
Desiderata difficile creduntur.	106.2	Dei & hominis collatio.	113.2. & seq.
Desideria deuotionis vbi dilatione crescunt.	106.2	Dei & hominis duplex substantia, & vna persona.	153.1
Desiderio vituperium quale sit.	602.2	Dei substantiam diuidentes.	337.2
Despectio quid operetur in nobis.	337.2	Dei gaudium vnde sit.	350.1.2
Deus pax est omnium.	14.2	Dei	

Dimitiarum usus.	728.2.730.1	E.
Dimitiarum seruis quis sit.	593.1	<b>E</b> cclesia hortus Christi cur dicatur.
Dimitijs abutenibus que mala minetur Deus.	513.1	Ecclesia omnibus fidelibus patet.
Dimitijs seruire quid sit.	491.1	Ecclesia quando pro regno Dei sumatur.
Dimitijs vti, & seruire dimitijs quid differant.	512.2.	Ecclesia quando demonia eicit.
514.2		Ecclesia cur pandochium dicatur.
Dimitijs quomodo usus sit Iob.	498.2	Ecclesia in primo homine prefigurata fuit.
Dimitias habere licitum an sit.	497.2	re synagogam promissa.
Dimiti cur celestis angusta porta.	749.2	Ecclesia cur stata ieiunia obseruet.
Dimitis supplicium in flamma.	397.2	Ecclesia arca collata cur sit.
Dimitis veri opera.	750.2	Ecclesia Catholica oule Christi est.
Dimitibus cur regni celorum additus difficilis.	415.2	Ecclesia in quinquagesima non ieiunat.
Docere sine doctore spiritus sancto quid sit.	15.1	Ecclesia reliquis sanctorum honoratur martyri.
Docibilia Deo quis sit.	286.1	Ecclesia ciuitas Dei.
Doctior hypocrita quis sit.	304.1	Ecclesiastica traditionis autoritas.
Doctoria officium.	551.2	Ecclesiasticum munus quando non dimittendum.
Doctoria sermo quando otiosus.	198.1.234.2.235.2	Ecclesie conceptus, partus & nutritio Christianorum.
Doctores quomodo populum Deo offerant.	581.1	712.1
Doctorem lingue ignea.	235.2	Ecclesia primitiua actus imitandi.
Doctoribus que inesse debeant.	704.1	Ecclesia descriptio.
Doctrina Phariseorum super cibis, &c.	655.2	Ecclesia charitas quid in nobis operetur.
Doctrina a Christo gratiarum actio.	387.2.389.1	Ecclesia corpus Christi est.
Doctrina Christi quid sit.	222.1	Ecclesia pretiositas.
Doctrina Christi finis.	ibidem.	Ecclesia sancta pastus.
Documenta simenda ab irrationalibus suadet scripturae.	499.2	Ecclesie potestas remittendorum peccatorum.
Dogma sanctorum patrum de Spiritu sancto.	169.1	Ecclesia fundamentum quid sit.
Dogmata impia quo medio fugiamus.	547.2	Ecclesie virtus salutandi plebem.
Dolus quid sit.	13.1	Ecclesie afflictiones ab antichristo, &c.
Doli inimici quo vincantur modo.	151.1	Ecclesie dogma de libero arbitrio, &c.
Doli hypocritarum.	658.1	Ecclesie charitatis effectus.
Dolores Christi quibus ante mortem & in morte afflicti sunt.	672.1	Edictum descriptionis orbis a quo Imper. exierit.
Dominatus diaboli vbi sit.	93.2	Effectus vere fidei.
Dominica dies cur venerabilis.	228.2	Effectus miri spiritus sancti.
Dominicum diem quis consecrauerit.	324.1	Effectus spiritus sancti in nobis.
Dominus ante legem venit, in lege, & post legem.	572.2	Efficacia confirmationis.
Dominus cur Deus dicatur.	512.2	Efficacius quid sit ad exorandum Deum.
Domus & corporis nostri collatio.	234.1	Elatius quid a conuittatore differat.
Domus orationum.	745.1	Electio diuina frustrari non potest.
Dona Dei in ingratum hominem.	643.1	Electi cur vestimentum Christi dicantur.
Dona antichristi.	720.1	Electi Dei in Hierusalem euerfione.
Dona linguarum ad quid profint.	155.2	Electos fieri ad quos spectet.
Dona spiritus sancti varia.	236.1	Electorum spes que sit.
Donatum Dei quale sit.	659.2	Electorum corpora qualia erunt post resurrectionem.
Donatus taxatur.	37.2.40.2.41.2	24.1
Donce quomodo accipiat.	545.1	Electorum petitiones.
Dono spiritus sancti qui priuentur.	220.1	Electorum & reproborum exempla.
Donum possibilitatis liberi arbitrij an perditum sit.	462.2	Electus an quis sit ignoratur.
Dormitionis nomine quid Christus intelligat.	671.1	Eleemosyna & ieiunio peccata purgantur.
Δούλευσις cui debetur.	507.2	Eleemosyna cur mysterium dicatur.
Δουλεύσατι quid significet.	507.2	Eleemosyna quomodo fieri debeat.
Δύσα quid sit.	80.1	Eleemosyna cur ars artium, &c. dicatur.
Δύσα, verbi varia significatio.	89.2.95.1	Eleemosyna quid inuenit.
Draconis cauda quid sit.	62.1	Eleemosyna efficacia.
Duabus tunicis quid Christus prohibeat.	289.1	Eleemosyna fructus.
Dubitatio Thomae.	2.1.1.2.2	Eleemosynarum commendatio.
Duae tabule legis quid contineant.	529.2	Eleemosynas facere, thesaurizare in celo est.
Dux ecclesie in vnam redacta.	39.1	Elementa mundi quatuor.
Ducere in altum quid sit.	355.2	Elias ciuitas a quo edificata, & vbi.
Duobus testamentis an quicquam possit addi.	466.1	Elias in quem raptus.
Duodenarius numerus qualis sit.	632.2	Emerere in templo quid sit.
Duorum fratrum historia.	611.2.612.1	Encania que sint.
Duplex vestimentum quid sit.	289.1	Epiphania quid sit.
		Episcopi apostolorum successores.
		Episcopi qualitates.
		Episcopi cuiusdam caci exemplum.
		Episcoporum potestas quanta sit.

Episco

Episcoporum annus quale.	3.1	Factiones tres in ciuitate Hierusalem obfessa à Romanis.
Επισκοπία quid significet.	489.2	685.1
Epithalamium ecclesie qui liber sit.	473.2	Facilia que pro Christo patitur.
Epule diuini sermonis quid efficiant.	412.1	Facilitas ad indulgendum proximo requisita.
Epule monachorum.	606.1	Facultates Dei genus humanum.
Εργα & ταπεινα quid differant.	609.1	Falsa doctrina semper aliquid veri intermixtum est.
Error fidei vnde ab initio.	403.1	483.1.485.1
Error Manichei de humanitate Christi.	544.2	Falsorum prophetarum signa.
Erroris operatio vnde proueniat.	692.2	Fames audire verbum Dei.
Erroris quorundam de apparitione Christi consultatio.	17.1	Fames fidelium.
Errone vinciti quomodo possint diaboli vincula rumpere.	85.1	Fames Hierusalem obfesse.
Esaiæ prophetia de die domini.	695.1	Fami obuiandum imminenti.
Esaiæ adhortatio ad pacem.	14.2	Febri vnde dicatur.
Esaiæ prophete martyrium.	608.2	Fenerator euangelicus quis sit.
Esurires spiritualis cibi semper habenda nobis.	508.2	Ferula cænae magne qualia sint.
Etymon paracliti.	182.1	Ferriandi modus Christianorum.
Ethnicorum studium.	502.2.504.1	Ferendum in sabbato à quibus operibus.
Euangelium omni creaturae predicandum.	161.1	Ferre non posse, quid sit.
Euangelium quid sit.	159.1.301.2	Ferre bonum fructum quando dicamur.
Euangelij predicatoribus victus suppeditandus.	505.2	Ferri igniti similitudo cum sacramento.
Euangelice lectionis commoda.	673.1	Festa ecclesie recte colere quomodo oporteat.
Eucharistia, sacrificium institutum à Christo.	323.1	Festi dies quomodo celebrandi.
Eucharistia quomodo sumenda.	322.2	Festiu. diei celebratio.
Eucharistia animam fortioem reddit.	276.1	Festiuitates sanctorum dierum sanctè agi debent.
Eius encomia & vis.	277.1.2	Festiuitates quomodo colenda.
Eucharistia fructus.	315.1	Festorum celebratio spiritualis.
Eucharistia efficacia.	319.1.2	Festuca & trabs quid significant.
Eucharistia sacramentum quanta veneratione habendum.	539.2	Festum ascensionis Domini qualiter celebrandum.
539.2		Ficum & sterili qui similes sint.
Eucharistia sacramentum qua munditie suscipiendum.	741.1	Ficus & ecclesie collaris.
Eumonianorum error.	212.2	Ficus fatua sycomorus dicitur.
Eusebij Cas. Episcopi responsa in Porphyrij blasphemias.	702.2	Ficus que signa habeat.
702.2		Fides saluati, infidelitas perdit.
Eusebius statuae Christi mentionem facit.	679.2	Fides aliena an inuenit apud Deum.
Eutychetis Error confutatur.	4.1.19.1.143.1.385.1.	Fides aliena quantum apud Christum valeat.
492.2.557.1		588.2.589.1
Exactio quando intolerabilis.	659.1	Fides quomodo crescat.
Exauditus quis vere dicatur.	110.2	Fides vera que sit.
Ex aduerso ascendere pastores quid sit.	45.2	Fides in exordio ecclesie miraculis nutrienda.
Excusatio nulla infidelibus de Christo rectat.	678.2	ibidem.
Exempla quid in sacris inuenit.	224.1	Fides nostra quibus nitatur.
Exemplum penitentiae.	120.2	Fides sine operibus otiosa.
Exemplum superbie anglorum.	72.1	Fides nos filios Dei facit.
Exemplum Christi in dimittendis proximorum delictis.	645.2.646.1.1	Fides humilitate augetur.
645.2.646.1.1		Fides ubique virtutem consequitur.
Exercitia Christiana ad quid nobis tradita sint.	555.1	Fides in Christum antiquis eadem que nobis fuit.
Exire de ecclesia, malum est.	264.1	265.1.2.
Exisse verbi significatio.	101.2	Fides vbi modica, turbatio est.
Exorofini usus in ecclesia.	135.1.155.2	Fides spiritualium parentum.
Expositio parabola Christi de vinea.	565.1.566.2	Fides quorum sit.
sequent.		Fides populorum vnde proueniat.
Extra ecclesiam catholicam nihil integrum.	284.1	Fides bonis operibus exornanda.
Extra ecclesiam non est salus.	200.1	Fides origo virtutum.
Extra ecclesiam non datur spir. sanctus.	160.2	Fides rationis humane non querat experimentum.
Extra ecclesiam Christi degentibus quanta mala accidant.	465.2	Fidei bonum in vniuersam terram effusum est.
465.2		Fidei commendatio.
Exultandum cum tremore.	318.1	Fidei probatio.
		Fidei veritas vbi dignoscatur.
		Fidei & piscis collatio.
		Fidei incrementa.
		Fidei perfectio Christi.
		Fidem bonis operibus qui adornent.
		Fideles qui vere sint.
		Fidelium spes.
		Fiducia maxima penitentibus sub publicani exemplo.
		445.2
		Fiducia apostolorum in predic. Euangelio.
		Figura quid sit.
		Figmenta

V r r 2





Imaginis & similitudinis distinctio.	662.1	Iordanis fluvius ubi desinit.	359.1
Immunitas spiritus effectus exentiis ab homine.	562.1	Ioseph & aliorum patientia imitanda.	645.2
Imponi iumento quid sit.	463.2.476.2	Iosephi venditionis figura.	156.1
Impostorum cavende inventiones.	73.2.74.1.2	Iosephi historia de exidio Hierusalem.	429.2.706.2
Improbis origo.	222.1	Ira quid sit.	364.1.2
Improbiorum à vultu Dei deiectio.	689.1	Ira in Deo quomodo esse dicatur.	597.2
Improbos quid inveniunt diuitia.	728.2.730.1	Ira qua & quando necessaria.	371.1
In nomine Christi petere quid sit.	105.1.111.1	Ira quomodo ad odium perducitur.	306.2
In tota anima quis Deum diligat.	540.2	Ira quanti mali causa sit.	645.1
Incarinatio Christi diabolo celata.	140.2	Ira Dei quomodo placetur.	562.2
Incarinatio Christi, missio est eius.	24.2	Ira fieri quando Deus dicatur.	650.2
Incarinatio Christi & recessus ad patrem causae.	84.1	Ira fieri fratri suo quid sit.	366.1
Incredulitas Apostolorum.	136.2	Irrationalia corpore & anima moriuntur.	510.2
Incredulitatis peccatum.	90.2	Israel omnis quando saluus fiet.	668.2.669.2
Incredulitatis crimina.	256.2	Iter Domini quid sit.	484.1
Indicium Christianitatis.	404.1	Iubilaeus annus.	179.1
Indigentia nulla in regno caelesti.	105.2	Iubilei anni solemnitas Israelitis.	242.2.243.1
Indigni ad sacerdotium non assumendi.	5.2	Iudas loculorum Christi custos.	506.2
Indigni an ad sacerdotium assumendi.	ibidem	Iudee hypocrisis.	265.2
Indumentorum superfluitas.	33.1	Iudaica plebs ficti sterili comparata.	566.1
Infernales poenae.	740.2	Iudee locum qui tenuit.	172.1.177.2
Infidelem esse, vel non credere Christo.	65.1.2	Iudee Galilaei doctrina.	655.1
Infidelitatis peccatum.	88.1	Iudee Machabaei genus.	766.1
Infirmittates quot modis contingant.	581.2.582.1.587.2.589.2	Iudea sub quo principe facta sit tributaria.	662.2
Ingressi & egressi qui dicantur.	262.2.267.1	Iudea quae verè dicebatur.	632.1
Ingressus & egressus bonus per ostium bonum.	267.1	Iudea sub Octaviano descripta.	660.1
	270.1	Iudea confesso dicitur.	711.1
Inimicorum testimonium an in iudicio valeat.	658.1.	Iudea perfidia & invidia.	676.2
	660.2	Iudei cur Samaritanos odirent.	473.2
Inimicus manifestus cur melior ficto.	658.1	Iudei unde dies suos computabant.	444.2
Inimici hominis qui sint.	743.2	Iudei spiritus comparati.	397.1
Inimici filij Dei qui sint.	546.1.548.2	Iudei ubique dispersi, à Romanis trucidabantur.	706.2
Iniquitatis mammon cur dicatur.	424.1	Iudei cur Christum vexabant.	104.1.222.1
Initium iudicij Dei unde aspicandum.	638.1	Iudei post veritatem vmbra sequuntur.	321.2
Initium bonorum operum.	255.1	Iudei per ostium non intrant.	261.2.264.1.267.2
Innotanda quae sunt in extremo iudicio.	721.2	Iudei Christum purum hominem putabant esse.	531.2
Insidiae demonum quomodo superandae sint.	704.2	Iudei quomodo Christum adhuc sperent veterum.	544.1
Insufflatio Christi in apostolos.	24.2.29.1	Iudei cur serui Romanorum facti.	665.2
Intelligentia diuini sermonis.	127.1	Iudei cur populus diaboli dicantur.	722.1
Intercessionis sanctorum efficacia.	283.2	Iudeorum dementia.	764.2
Interitum quae nobis afferant.	547.2	Iudeorum consuetudo de signis petendis.	632.1
Interrogatio Christi quò tendebat.	661.1.2	Iudeorum perditionis argumenta.	713.2.714.1
Interpretatio parabola nuptiarum.	602.2.	Iudeorum mos sabbata celebrandi.	681.2
	603.1.2. & seq.	Iudeorum sabbatum superstitiosum.	713.1
Interpretatio aliorum rerum quibus referuntur.	81.1	Iudeorum perfecta conuersio quando implenda sit.	633.1
Intra ecclesiae fines degentes quantum felices sint.	465.2	Iudeorum calamitas à Christo predicta.	682.2.683.1
Intrare qui compellantur.	335.2	Iudeorum tribulatio qualis fuerit, & qua ratione.	690.1
Intrās in Onile Christi qualem se prestare debeat.	264.2	Iudeorum eiectio.	160.2
Intrans per ostium quis sit.	261.2	Iudeorum seuitia in praedicatores Christi.	164.2
Intrare qui compelli dicantur.	329.2.337.2	Iudeorum diuisio propter tributum à Romanis impostum.	656.1
Invidia virtutum comes.	589.1	Iudeorum frivola multa de Abrahamo.	531.2.537.1
Invidia diaboli.	232.1	Iudeorum plantus in extremo die.	717.1
Invidia diuinitatis.	13.1	Iudeorum tres gubernationes.	580.2
Inuidiae partus.	ibidem	Iudeorum auaritia & libido.	523.1
Inuidere mortuis quis dicatur.	672.2	Iudeorum in gentiles odium.	728.1
Inuocare Deum in veritate.	128.2	Iudicare alium quam periculosum.	5.2
Inuocatio sanctorum olim in vsu erat.	121.2	Iudicari quae non possint sine peccato.	304.2
Ioannis Bapt. commendatio.	747.1	Iudicandum quomodo & quando sit.	310.2
Ioannes Euangelista propheta fuit.	94.2	Iudicati iam sunt non credentes Christo.	90.2
Ioannes post excidium Hierosolymitanum multo tempore paxit.	683.1	Iudicia sinistra de linguis varijs apostolorum.	219.1
Job opera & eius probatio.	543.2	Iudicij futuri signa.	721.1
Job cur proprias referat virtutes.	441.1	Iudicium qui sibi manducant.	279.1
Job quo pacto diues erat.	498.2.509.2	Iudicium quid significet.	250.1
Job hospitalitas.	767.2	Iudicium temerarium cauendum.	307.2
Joëlis propheta de die Domini.	695.1	Iudicium Dei quale sit.	302.2
		Iudicium mundi quid sit.	95.2
		Iudicis	

Iudicia boni officium.	302.1
Iuga boum quinque qui significant.	327.2
Iuliani error taxatur.	561.2
Iumentum etymon.	470.2
Iure qui iustificatur.	84.2
Iusti ante aduentum Christi in carne, quam fidem haberint.	265.1.270.1
Iusti quomodo Christum visuri in iudicio.	241.1
Iusti quomodo diuitijs vii debeant.	425.2
Iusti vita qua sit.	64.1
Iustificari qui non possit.	559.2
Iustificatio ex fide quando nulla est.	496.1
Iustificatio nostra vnde procedat.	251.1
Iustificatio per gratiam.	667.1
Iustitia Pharisaei cum superbia qualis.	441.1
Iustitia fidelium in quo consistat.	90.2
Iustitia pro omni virtute ponitur.	369.1
Iustitia quid sit.	712.1
Iustitia Pharisaeorum quid sit.	364.1.366.2
Iustitia legis imperfecta.	104.1
Iustitia quam à nobis exigit Christus.	81.2
Iustitia quid sit.	504.1
Iustitiae nostrae quales apud Deum.	757.1
Iustitiam qui vendant.	429.1
Iustitiam Dei qui querat.	512.1
Iustorum praemia, malorum verò punitio.	280.1
Iustorum congregatio, regnum caelorum dicitur.	611.1
Iustus ad tempus tacet, sed non obmutescit.	532.1
Iustus à Pilato Christus dicitur.	226.2
Iuuenalis Satyr. sententia de amore pecuniarum.	525.2

L.

Laborandum sine solitudine.	513.1
Laborantis spes.	45.1
Labor pro presentibus quid sit.	708.2
Labor iubetur, solitudo vetatur.	503.2
Labor quietem parit.	402.2
Laboris nostri finis qualis esse debet.	508.1
Lachrymae pro defunctis quid designent.	672.2
Laci Genesareth longitudo & latitudo.	359.1
Lacum Genesareth intersluit Iordanis.	358.1.359.1
Lamech scelus.	205.1
Lamech quomodo temperanda.	554.2
Lamech cui debeatur.	507.2
Latroes olim qui dicebantur.	472.2
Lauare retia quid sit praedicatoribus.	359.2
Laudari ab alio non à nobis oportet.	442.1.449.1
Laudat hypocrita vt perdat.	654.1
Laus peccatoris in quo consistit.	80.1
Laus fidei quid sit.	213.1
Laus fidei in quo consistit.	239.1
Lazari vocati à Christo, & soluti ab apostolis exemplum.	21.2
Lazari paupertatis fructus.	252.2
lectio diuina sobrium intellectum querit.	304.2
Letificatio Spir. sancti.	163.2
Leta tristibus mixta.	178.2
Lepra quid significet.	482.2
Lepra vitium coloris.	482.1
Lepra quatuor significationum differentia.	485.2
Leprosi cur ad sacerdotes à Christo missi.	483.1.484.2
Leprosi Samaritani humilitas & gratitudo in Christum.	481.2
Leprosi cur in itinere mundati sint.	485.2.487.2
Leprosorum Israelitarum ingrattitudo.	482.1
Lex impleta est per gratiam, non sublata.	373.2

M.

Macedonij error conuincitur.	97.1.194.1
Machabaeorum virtus.	706.1
Magi	

I N D E X.	
<i>Magdalena cur à Christi tactu prohibita.</i>	17.2
<i>Magi quomodo vocati.</i>	362.2
<i>Magister quis verè dicendus.</i>	310.1
<i>Magisterium perfectæ vitæ quid sit.</i>	175.1
<i>Magnitudo stellarum.</i>	695.2
<i>Magnitudo virtutis Christi.</i>	661.2
<i>Magorum signa quo sine fiebant.</i>	684.1.2
<i>Manifestationem Dei qui valeant intueri.</i>	128.1
<i>Mala per malos spiritus reddit Deus.</i>	610.2
<i>Malè credere &amp; malè agere.</i>	405.2
<i>Malè vivere qui dicantur.</i>	261.2
<i>Malè perere qui dicantur.</i>	128.2.129.1
<i>Maledictio mulieris à Deo.</i>	2.2
<i>Malevolentia impudentiam nutrit.</i>	529.1
<i>Mali quomodo Christum in iudicio visuri.</i>	241.2
<i>Mali hominis in bonum conuersio.</i>	300.1
<i>Mali cur tolerandi.</i>	612.1
<i>Mali qui dicantur.</i>	113.2
<i>Malignari &amp; negligere quid differant.</i>	609.2
<i>Malitia que corrigatur, &amp; que non.</i>	657.2
<i>Malitia dici quid significet.</i>	504.2
<i>Malitia quid sit.</i>	13.1
<i>Malitia parvuli qui sunt.</i>	750.1
<i>Malitie arma.</i>	462.1.465.2
<i>Malo proposito peccantes.</i>	657.2
<i>Malorum pax polluta.</i>	245.1
<i>Malorum abundantia, purgationis materia est.</i>	743.1
<i>Malorum angelorum pena.</i>	90.2
<i>Malum sub specie boni celatum quid efficiat.</i>	402.2
<i>Malus in Ecclesia cur tolerandus.</i>	39.2
<i>Mammona dicitur Dominus cur dicatur.</i>	493.1
<i>Mammona quid sit.</i>	412.1.413.2.415.1
<i>Mammone Punicum nomen quid significet.</i>	504.2
<i>Manasses penitentia.</i>	408.1
<i>Mandatum Christi legem in se tenet inclusam.</i>	373.2.378.1
<i>Mandatum novum Christi quod sit.</i>	368.2
<i>Manducantes qui non saturantur.</i>	389.1.391.2
<i>Manducare vbi abstinendum est, &amp;c.</i>	121.1
<i>Manducare carnem, &amp; bibere sanguinem Christi, quid sit.</i>	313.1
<i>Manducare corporaliter, &amp; non spiritualiter qui dicantur.</i>	315.2
<i>Manducare corpus Christi quid sit.</i>	313.1.314.1
<i>Manducare in corde, non premere dente, quid sit.</i>	279.1
<i>Manere in una domo cur iussi apostoli.</i>	289.1.290.1.2
<i>Manere in Christo quid sit.</i>	313.1.314.1.315.2
<i>Manna umbra panis veri fuit.</i>	281.1
<i>Manna manducantes cur mortui sunt.</i>	279.1
<i>Manna quid sit.</i>	607.2
<i>Manna mira efficacia.</i>	324.1
<i>Manichæorum error notatus.</i>	321.1.51.1.76.1.231.2.395.2.504.2.550.1.502.1.704.2
<i>Mansio Dei in aliquo.</i>	234.2
<i>Mansiones æternæ quorum sunt.</i>	424.2
<i>Manuetudinis fundamentum.</i>	70.1
<i>Manuum impositio super neophytos.</i>	233.1
<i>Marci Evangelium in longiora tempora porrigitur.</i>	135.2.137.2
<i>Mare vnde dicatur.</i>	359.1
<i>Mare quid Hebræis sit.</i>	355.1.359.1
<i>Mare mortuum, vbi olim fuit Sodoma &amp; Gomorrha.</i>	359.1
<i>Maris rubri, &amp;c. significatio.</i>	265.2
<i>Martius legitimus anime quis sit.</i>	31.1
<i>Martyres quomodo Deum dilexerunt.</i>	547.1
<i>Martyres Sancti an Prophetæ.</i>	94.2
<i>Martyri monachi historia.</i>	434.2
<i>Martyrum cicatrices quæ signa.</i>	4.1
<i>Mater filium comedit Hierosolymis.</i>	720.1.723.2
<i>Mater cum pullis, aut ouis non capienda.</i>	619.1
<i>Mattheus Apostolus publicanus erat.</i>	447.2
<i>Matthias in vicem Iudæ successit.</i>	177.2
<i>Matrimonium verus usus.</i>	334.2.337.1
<i>Maximianus hæretici.</i>	44.1
<i>Medica nox ad orandum efficacis cur sit.</i>	126.1
<i>Medica noctis nomine quid significetur.</i>	114.2
<i>Mel de petra sugere.</i>	21.1
<i>Melchisedech cui panem &amp; vinum protulit.</i>	324.1
<i>Membrum à corpore præcisum vitam amittit.</i>	219.2
<i>Memoria futuri iudicii semper habenda.</i>	432.2.433.2.
<i>Mendacia quando abundant.</i>	714.2
<i>Mendacis argumentum.</i>	155.1
<i>Mendicare non est necesse prædicatoribus.</i>	291.2
<i>Mendicare an melius quam rapere.</i>	606.2
<i>Mendicitas vnde pigro accidat.</i>	422.1
<i>Mensa sine pane inops.</i>	115.2
<i>Mens Christi quid sit.</i>	191.2
<i>Mens pro memoria vbi sumatur.</i>	530.2
<i>Mentis præparanda ratio.</i>	234.1
<i>Mentis crassa signum.</i>	32.6.1
<i>Mentis pestes quo remedio sanentur.</i>	549.1
<i>Merceres fidelium qui secundum Deum contristantur.</i>	59.1
<i>Merceres ex aquæ calice pauperi dato.</i>	421.2
<i>Merceres vera quando capiatur.</i>	11.1
<i>Mercedem hospitii qui perdat.</i>	126.2
<i>Mercenarius an tolerandus in Ecclesia.</i>	39.1
<i>Mercenarij vbi necessestarij.</i>	48.1
<i>Mercenarij &amp; veri pastoris differentia.</i>	45.2
<i>Mercenarij descriptio.</i>	30.1.31.1.2.32.1.35.1
<i>Mercenariorum &amp; pastorum merces.</i>	40.2
<i>Mercenariorum scopus.</i>	45.1
<i>Mergi homines quid sit.</i>	354.2
<i>Migrans ex hac vita, nasci cur dicatur.</i>	58.2
<i>Miles cur in castris mercaturam non agit.</i>	605.2
<i>Militantes Deo qui sunt, &amp; eorum munus.</i>	659.2. Eorum stipendium. ibid.
<i>Milites pecunia à Phariseis corrumpuntur.</i>	60.1
<i>Milites à D. Ioanne instruntur.</i>	659.2
<i>Militia &amp; Christiani comparatio.</i>	233.1
<i>Militia Christianæ tyrocinium.</i>	283.1
<i>Militia est vita hominis.</i>	751.2
<i>Militia quando bona &amp; quando mala.</i>	659.1
<i>Militia honestatis.</i>	ibid.
<i>Militum præritates.</i>	643.1
<i>Minima fidei qui dicantur.</i>	614.1
<i>Ministri altaris &amp; in nouo Testamento.</i>	15.2
<i>Miphiboeth quomodo claudus sit factus.</i>	720.1
<i>Mirabilis conuersio ritioforum.</i>	752.1
<i>Missarum celebratio gratum minus Deo.</i>	380.1
<i>Misericordia quomodo à Græcis dicatur.</i>	311.1
<i>Misericordiam facere quid sit.</i>	505.2
<i>Misericordia Læi abutentes.</i>	253.1
<i>Misericordia duplex.</i>	308.2
<i>Misericordia Dei quæ sit.</i>	302.2
<i>Misericordiæ &amp; charitatis inimica.</i>	151.1
<i>Misericordiæ etymon.</i>	308.1.2
<i>Misericordiæ Dei acceptio pro Salvatore.</i>	479.2
<i>Misericordiæ efficacia in Deo &amp; in nobis.</i>	311.1
<i>Misericordiæ laudes &amp; necessitas.</i>	305.2
<i>Misericordiæ duo opera.</i>	306.1
<i>Misericordiæ excellentia super alias virtutes.</i>	651.1
<i>Misso Christi &amp; Spiritus Sancti discrimen.</i>	21.1
<i>Misso</i>	Misso

I N D E X.	
<i>Misso Spiritus Sancti lingua igneis.</i>	235.1
<i>Misso Christi à Patre.</i>	19.2
<i>Mira duo in corpore Christi resuscitato.</i>	20.2
<i>Miracula cur ab Apostolis facta.</i>	715.1
<i>Miracula cur ab Apostolis fiebant.</i>	135.1.136.2
<i>Miracula vbi cessauerunt.</i>	159.2
<i>Miracula Dei quotidiana quibus vilescant.</i>	23.1
<i>Miracula per demones facta.</i>	293.1
<i>Miraculorum necessitas quando fuerit.</i>	404.2
<i>Myrica quid sit.</i>	761.2
<i>Myteria Dei qualia hominibus.</i>	180.2
<i>Myteria quibus non reuelanda.</i>	666.2
<i>Mittendi qui sint ad Ecclesiam Catholicam.</i>	481.1.483.1
<i>Modicum &amp; non videbitis me, &amp;c. explicatio.</i>	53.2.54.2.57.2.59.2
<i>Modi quibus quotidie Deum offendimus.</i>	648.2
<i>Momentum quid sit.</i>	721.1
<i>Monachi cur solitudinem querunt.</i>	70.1
<i>Monachorum institutum commendatur.</i>	605.1.2.606.1
<i>Monachorum abstinentia quorundam.</i>	500.1
<i>Monastichorum orationes.</i>	70.1
<i>Monastichorum error.</i>	388.1
<i>Moneta Dei qui dicantur.</i>	662.1
<i>Moria mons vbi sita Hierusalem.</i>	444.1
<i>Mori in peccato suo quis dicatur.</i>	526.1
<i>Moriens in discordia proximi, an pro illo orandum.</i>	649.1
<i>Mors Christi facta ad vitam.</i>	194.2
<i>Mors &amp; vita brutorum animalium nostris visibus subdita.</i>	565.2
<i>Mors quibus ianuis intrat in hominem.</i>	28.1
<i>Mors Sanctorum pretiosa Deo.</i>	36.2
<i>Mors quod suscepit refundit.</i>	8.1
<i>Mors Christi, causa resurrectionis omnium hominum fuit.</i>	287.2
<i>Mors morte Christi superata est.</i>	671.2
<i>Mors Christianorum qualis sit.</i>	549.1
<i>Mors &amp; vita in manu lingue.</i>	634.2
<i>Mors cur non timenda.</i>	671.1
<i>Mors Christi, mortem occidit.</i>	141.2
<i>Mors Christi, mors mortis.</i>	146.2
<i>Mortis Christi stipendia.</i>	139.1
<i>Mortem absorberi in victoria quid sit.</i>	12.2
<i>Mortua fides quibus.</i>	187.1
<i>Mortuus an peccata remittantur.</i>	298.2
<i>Mortuorum dormitio quid sit.</i>	8.1
<i>Mortuum sepelire, misericordia est opus.</i>	543.2
<i>Mos tangendi linguam baptizantium à priscis seruatum.</i>	457.2
<i>Mos antiquus recitandi exorcismos super emergentes.</i>	160.1
<i>Mosaicæ legis descriptio.</i>	222.1
<i>Moyses quid per decem cortinas significauerit.</i>	50.1
<i>Moyses quo pacto peccauerit.</i>	398.2
<i>Moyses cur rationem Iosue reiecit.</i>	16.2
<i>Moyses velamen quid significabat.</i>	39.2
<i>Moyses de Christo venturo prædictio.</i>	676.2
<i>Mulier quo medio saluetur.</i>	691.2
<i>Mulier sanguine fluens ab vrbe excludatur.</i>	667.2.669.2
<i>Mulieres &amp; infantes in refectione facta à Christo, cur non numerentur.</i>	392.1.393.1
<i>Mulieris hæmorrhoidis fides admiranda.</i>	674.2
<i>Mulieris nomine quid significetur.</i>	58.1
<i>Multitudo quando non attendenda ex Salvatore exemplo.</i>	655.2
<i>Mundari qui non possit.</i>	569.2.578.3
<i>Mundata domus quid sit.</i>	13.2
<i>Mundi dilectores quo nomine vocantur.</i>	82.2
<i>Mundi varia acceptio.</i>	87.2
<i>Mundi triplex acceptio.</i>	59.2
<i>Mundi nomine quid Christus significet.</i>	166.1
<i>Mundus quid sit.</i>	194.2
<i>Mundus à qua iustificatione excidit.</i>	84.2
<i>Mundus in bonam partem.</i>	245.2
<i>Mundus cur de peccato arguitur.</i>	65.2
<i>Mundum iudicari de iudicio quid sit.</i>	ibid.
<i>Mundi vocabulum quid denotet.</i>	84.2
<i>Mundi gaudium quale sit.</i>	58.1
<i>Mundis quale præmium erit.</i>	191.2
<i>Murmuratio Deo maxime displicet.</i>	274.2.279.2
<i>Murus Ecclesiæ quid sit.</i>	50.1
<i>Muscipula diaboli.</i>	142.1
<i>Musica ars, &amp; in tristitia, &amp; in letitia querebatur.</i>	678.1
<i>Mustum quo fideles quotidie inebriantur.</i>	218.1
N	
<i>Namam Syrus quid à Propheta expetebat.</i>	667.1.670.1
<i>Nabuchodonosoris duplex mutatio à Deo facta.</i>	609.2
<i>Nabuchodonosoris conuersio.</i>	397.2
<i>Natales martyrum dies qui sint.</i>	58.2.60.2
<i>Natiuitas filij quid à processione Spiritus Sancti differat.</i>	177.2
<i>Natiuitates hominis quot sint.</i>	11.2
<i>Natiuitatis Christi festum.</i>	139.2
<i>Nati, dictionis, &amp; filij concordia.</i>	180.2
<i>Natura nostræ proprium quid sit.</i>	461.2
<i>Nauis Petri quid sit.</i>	360.1
<i>Naves morgi quid sit.</i>	356.1
<i>Nauicula duæ quid significant.</i>	355.1
<i>Nazaræus cur Christus dicitur.</i>	584.1
<i>Necessitatis causa diuitiæ seruandæ.</i>	426.2
<i>Necessitatem pater non ponit vocando.</i>	278.2
<i>Nefuriorum doctorum venena.</i>	74.2
<i>Negotiatio quid dicatur.</i>	597.2
<i>Nemo ad peccandum cogitur.</i>	472.2
<i>Nemo in tentatione desperet.</i>	121.1
<i>Nemo in hac vita immunis à peccato.</i>	130.1
<i>Nemo à petenda venia peccatorum mentem reuocet.</i>	128.1
<i>Nemo asc. in calum, &amp;c. intelligemia.</i>	142.1
<i>Neophytus non eligendus in Episcopatum.</i>	176.1
<i>Nequitia quid sit.</i>	663.1
<i>Neronis crudelitas.</i>	60.2
<i>Nesciens facile ratione ducitur.</i>	705.1
<i>Nestorij error de Christi diuinitate.</i>	275.1
<i>Nestorius confunditur.</i>	557.1
<i>Nicodemus suis bonis expoliatus à Iudæis.</i>	176.1.178.1
<i>Nihil sine causa fit.</i>	405.1
<i>Niuitarum iciumium.</i>	131.2
<i>Niuitarum penitentia.</i>	93.1.120.1.2.124.1
<i>Noe nomen quid importet.</i>	692.2
<i>Nomina Christo attributa.</i>	47.2
<i>Nomina in celo scribe quid sit.</i>	471.1.2
<i>Nomina Deo attributa.</i>	632.2
<i>Nomen Christianum quid inuenit hæreticis.</i>	398.1
<i>Nominis Iesu inuocatio quid efficiat.</i>	481.1
<i>Non quod videtur, sed quod creditur patitur.</i>	332.1
<i>Norma viuendi ex sacris scripturis omnibus officijs præscribitur.</i>	659.1
<i>Novatianus error super penitentia.</i>	122.1.2
<i>Notas passionis suæ cur Christus retinuerit.</i>	18.1
<i>Notæ</i>	Notæ



Novae famae vnde generentur. 714.2
Nouenarius numerus. 482.2
Novi Testamenti excellentia. 287.1
Novissima hora quid sit. 338.2
Novissime quid Marco sit. 135.1
Novitas vocabulorum in Ecclesia. 75.1
Novitates quae vitanda. ibid.
Nouum hominem vestire quid sit. 610.1
Novum & vetus Testamentum per duos denarios intel- liguntur. 480.2
Nubis protectio quid sit. 228.2.229.1
Nuda virtus apta caelo. 750.1
Nullus ad patrem accedit nisi per filium. 103.2
Nuditatis inbonefta cognitio vnde. 750.1
Numa primus nummum fieri praecepit. 660.1
Numerum esse, vt super numerum quid sit. 742.2
Nummi etymon. 660.1.661.1
Numisma quid sit. 660.1.663.1
Numisma Dei homo cur dicatur. 654.2
Nuptiae Christi & ecclesiae quales sint. 603.2

O.

Obediendum Deo magis quam hominibus. 236.1
Oblatio maculata cuius sit. 424.1
Obsequium quid significet. 176.2
Observare verbi, triplex acceptio. 525.2
Obstipus quis dicatur. 580.1
Occiso centum millium ex gentibus per tria millia Iu- daeorum. 617.2
Occisorum numerus in excidio Hierosolymitano. 456.2
Octaviani principatus. 513.2
Octavus dies an dominicus dicatur. 17.2
Oculorum desiderium. 203.1
Occupare terram qui dicantur. 572.2
Olei proprietates leniendi plagas. 474.1.476.2
Olei & misericordiae collatio. 311.1
Olei qualitates. ibidem
Oleum spiritus sancti. 21.1
Omnis quando pro mellis ponatur. 272.2
Omnis caro pro nulla caro. 725.2. & omnis inhu- sitia, pro nulla. ibid.
Omnis creaturae aliquid homo habet. 136.2
Opera fidei congruentia. 187.1
Opera bona quomodo facienda. 456.2
Opera licita in sabbato. 528.2.508.1
Opera quae bono & malo animo fieri possunt. 309.1
Opera bona & mala quo fiant animo, solus Deus novit. 640.1
Opera bona in tentationibus quid praesentent. 712.2
Opera bona quando fieri incipiant. 257.1.258.1
Opera misericordiae duplicita. 308.2
Opera charitatis. 43.1
Opera servorum diaboli qualia sint. 404.2
Operari cibum qui non perit quid sit. 387.2
Operatio divina vnde comprehendatur a nobis. 20.2
Operatio negotiationis quid designet. 609.1
Operatio criminis vt credatur mendacio, vnde proveniat. 610.2
Opera bona merita quid apud Deum efficiant. 357.1
Operum supererogationis retributio. 463.2
Operibus suis factoris peccata purgantur. 589.2
Opificum varia crimina. 643.2
Opiniones varia de Christo. 85.2
Oportet, verbi, acceptio. 32.1.51.1
Opus iustitiae & opus terrenum. 609.1
Opus sermone, & sermo operibus comprobatur. 399.1

Opus bonum, aut malum quid dicatur. 405.1
Orandi antiquorum modus. 446.1.2
Orandi modus mancus apud priscos. 104.1
Orandem quo nomine sit. 103.2.104.1
Orandum die ac nocte. 113.1.114.1
Orandum quomodo sit. 402.2
Orandum in nomine Christi. 187.2
Orantes cur non exaultantur. 115.1
Oratio inimico nostro gravis. 754.1
Oratio generalis quid sit. 550.2
Oratio quando acceptior Deo dicatur. 9.1
Oratio D. Bedae. 446.1
Oratio execrabilis Deo. 128.2
Oratio cuius sit execrabilis. 421.2
Oratio dominica & symbolum Apostolorum qualis do-ctrina sit. 76.2
Oratio quomodo perficiatur. 550.1
Oratio nostra quomodo Deo accepta. 306.1
Orationis vis. 120.2
Orationes quae in eucharistia dicuntur. 539.1
Orationes pro peccantibus an careant fructu. 106.2
Orationis purae modi. 128.2
Orbis quatuor partes quae sint. 8.2
Orbis quatuor partes. ibid.
Ore solo peccata dimittere, nihil prodest. 649.1.650.2
Oremus quando sine intermissione. 562.2
Orientalis error de filio Dei. 153.1
Origenistarum error. 18.2
Orientis & occidentis nomine quid Christus significet. 681.2.685.2
Originalis culpa in omnibus. 563.1
Ornatus superfluus taxatur. 252.2
Orphani qui sint. 181.1
Orvus solis in India. 160.1
Oscula mutua in mysteriis. 70.1
Ossa agni quae sint. 322.1
Ostentationis effectus. 539.2
Ostium clausis Christus intrat. 2.1.3.2.11.1
Ostium verbi claudi quid sit. 114.1.127.1
Ostium dictionis acceptio. 564.2
Ostrum non querendum in hoc seculo. 165.2
Ostiofitatis mala. 513.1
Ostioforum arguita coertio. 493.1
Oves qui sint. 395.1
Oves emittere quid sit. 262.1
Ovile unum vnde fieri Christus intellexerit. 32.1
Ovile quid sit ex ore Christi. 49.1
Ovile unum ex duobus gregibus. 47.2
Ovis fructus quid sit. 395.1
Ovis & spei comparatio. 113.2
Ovium dispersio vnde fiat. 45.2

P.

Pax vera vbi non sit. 198.2
Pax scilicet Deo odiosa. 650.2
Pax futuri seculi qualis erit. 197.1
Pax exterior quibus noceat. 198.2
Pax pro spiritu sancto. 223.2
Pax quae in nobis sit. 211.2
Pacis Christi fructus. 14.2
Pacis encomium. ibid.
Pacis iteratio Christi quid significet. 2.2
Pacis Christi effiacia. 244.2
Pacem habere quid sit. 14.2
Pacem habere cum odientibus pacem. 246.2
Pagani per ostium non intrant. 261.2.264.1.267.2

Paga

Paganorum vana ieiunia. 284.1
Palae & malorum collatio. 612.2
Palae usus in auri purgatione. 743.1
Palae in mos parabolice loqui. 637.2
Panem caelestem spiritualement manducare, quid sit. 275.1
Panem nobis quotidianum dari cur missi a Deo petere. 518.2
Panem tres quid significet. 133.1
Panis pro toto cibo sumitur. 525.2
Panis & vini conversio in corpus & sanguinem Christi quomodo fiat. 323.2.775.2
Panis in sacramento non figura tantum, sed caro Domini est. 287.2. Et quomodo transformetur in carnem. ibidem.
Panis quomodo acquirendus. 503.2
Panis vivus quid sit. 288.1.2
Panis monachorum ex iustis laboribus. 606.1
Panis & charitatis collatio. 113.2
Panum multiplicatio vtraque vbi fuerit facta. 388.1.390.1.392.1
Parabola quid sit Latine. 616.2
Parabole scopus. 414.1.415.1.2
Parabola quis usus. 426.2.427.1
Parabole mens & expositio de regno caelorum. 651.2
Parabole Samaritani explicatio. 459.1.2.460.2 & seq.
Parabola coenae explicatio. 327.1.2. & seq.
Parabola de nuptijs expositio. 595.2 & seq.
Parabolarum usus affidus Palaestinis & Syrijs. 649.1
Paranesis pie ad misericordiam. 311.1
Paracletus quid docuerit. 216.2
Paracletus spiritus qualis mundanis. 181.1.182.1.2
Paracletus an Paracletus dicit debeat spiritu sanctus. 92.2
Paradigma mulieris parturientis. 58.2
Paradigma de ove perdita & eius explicatio. 349.2.350.1
Paralyticis morbo gravati passiones. 587.1.2.588.1.2.593.1
Paralyticus vnde generetur. 587.1.1
Paralyticum portantes qui sint. 593.1
Paralyticis fructus. 284.2
Paranoia quid sit. 111.1
Pareres duo per Christum conveniunt. 50.1
Parvus marmor. 702.2
Participatio corporis Christi mysterialement quid sit. 17.2
Participes qui fiant doctrinae Christi. 288.2
Parturire & parere quid sint. 60.1
Parturitione Ecclesiae ex partu. 57.1
Parturitionis & partus collatio. 56.2
Parvuli scandalizabiles sint. 712.2
Parvulorum baptisimus. 251.1
Pascere extra Christum quid sit. 42.2
Paschalia solemnia quomodo celebranda. 22.2
Pascha die Titus Hierusalem obsedit. 720.1
Pascha ovium Christi quae sint. 46.1.263.1
Passio Christi vltrae fuit. 288.2
Passionum animi duae Philosophorum sententiae. 365.2
Pastoris & mercenarij differentia. 33.2.36.1
Pastoris veri munus. 50.2
Pastoris, mercenarij, & furis collatio, & descriptio. 39.1
Pastoris incuria de animarum perditione. 45.2
Pastoris sententia, etiam iniusta, timenda. 22.1
Pastoribus in pasuis manendum. 32.2
Pastorum tres in Ecclesia ordines. 48.1
Pater a nullo procedit. 179.1
Pater sine filio non est. 215.2

Pater cur nos amet. 99.2.100.1
Pater quorum Deus sit. 645.1
Pater, filij, & spiritus sancti, unum donum. 5.1
Pateris eruditio ferenda. 155.2
Patres sancti, Abraham, &c. an habuerint S. spiritum. 92.2
Patria Christi quae fuerit. 629.1
Patriarcha, Prophetae, Abraham, &c. spiritus sanctum habuerunt. 24.2
Patriarcharum Prophetarumque sanctificatio. 230.2
Patientum est si quaedam ignoremus. 705.1
Patientia penitentiae comes esse debet. 718.2
Patientia in orationibus utilis. 113.2
Patientiae exemplum Christus. 165.1
Paucitas sancta quid sit. 399.2
Paulus mentem Dei habuit. 188.2
Paulus Apostolus an Propheta fuerit. 94.2
Paulus per mirum in sporta saluatur. 36.1
Paulus quanta pro Christo passus. 507.1
Paulus cur non exaultius ter Dominum orando. 108.2.133.2
Paulus cur ad Ananiam a Christo missus sit. 485.2
Pauli Apostoli corporalis labor. 492.2
Pauli conversio ex mala in bonam arborem. 399.1
Pauli ira quid Corinthijs profuit. 371.1
Pauli testimonium de sua in Christum contradictione. 172.1
Pauli zelus. 505.2.291.1
Pauli probatio varijs modis. 743.1
Pauli praedictio de pseudopropheta. 356.1
Pauli victus vnde. 292.2
Pauli zelus in Ecclesiam. 291.1
Pauli desiderium. 223.2
Paulo stimulus carnis a Deo datus. 106.2
Pauperes cur Deus permittat esse. 166.1
Pauperis repulsi animus. 165.2
Pauperibus data, Christo quantum placeant. 38.1
Pauperibus data quid fructus afferant. 33.1
Paupertas dives in sanctis. 731.1
Paupertatis fructus. 165.2
Pauperum arcae quid efficiant. 166.1
Pauperum contemptus quid efficiat. 252.2
Peccans inobediens sit. 637.1
Peccans cur publice arguendus & quando. 309.2
Peccanti dare veniam, elemosyna est. 306.1
Peccata elemosynis abluuntur. 740.2
Peccata an ablui possint in futuro seculo. 620.2
Peccata cur stercora dicantur. 566.1
Peccata quibus dimittantur. 2.1.3.1
Peccata vitare an in nostra sit potestate. 719.2
Peccata per confessionem remittuntur. 28.2
Peccata dimittere, maius est quam corpus sanare. 582.1
Peccatores quomodo vocandi. 351.2
Peccatorum venialium & lethaliu discrimen. 255.2
Peccatorum confessio asseritur. 21.2
Peccatorum plenissima abolitio quando obtinetur. 544.1
Peccatorum remissio quomodo per sacerdotes fiat. 592.1
Peccatorum qualitates. 310.2
Peccatum malus fructus est. 409.2
Peccatum in spiritum sanctum. 96.1
Peccatum publicani cum humilitate. 441.1
Peccatum quomodo committitur, eo modo & poenitetur. 375.1
Peccatum qualiter in consuetudinem ducatur. 646.2
Peccatum, vel verbum in spiritum sanctum irremissibile. 230.1.231.1
Peccatum, opus hominis est. 751.1

Peccatum

Peccatum secundum agentis personam indicatur.	304.2	Pbarisaeorum simbria quales.	667.2
Peccatum quod praeter ceteris Deus imputat.	82.1	Pbarisaeorum etymon.	441.1.2
Peccati fomitem qui subministrat.	305.1	Pbarisaeorum munus.	349.2
Peccati serpens quis sit.	497.1	Pbarisaeorum praepostera doctrina.	310.1.2
Peccati effectus.	571.1	Pbarisaeorum doctrina.	654.2
Peccati initium unde venerit.	746.2	Pbarisaeus quo animo Christum vocet magistrum.	532.2
Pecunia imperare Christiani debent non seruire.	415.2	Philargyria effectus.	307.2
Pecunia quae mala foueant.	420.2	Philautie germina multa.	448.1
Pecuniarum cur sarcina grauis.	415.2.420.2	Philosophi non intrant per ostium.	264.1.269.2
Pecuniarum despectus vtilis cur dicatur.	499.1	Philosophorum doctrina quo scendebat.	675.1
Pectusculum cur olim sacerdotibus dabatur e sacrificijs.	447.2	Photini error.	216.1.264.2.278.1
Pedes Domini quid significant.	545.1	Pia admonitiones ad misericordiam.	645.2.468.2
Pella ciuitas refugium Christianorum.	682.2	Pietatis expense quales sint.	553.2
Pelagianorum error taxatur.	84.1	Pigritia unde generetur.	495.1
Pelagij error taxatur.	324.2	Pigritia nosira quae attribucenda.	210.1
Penarum gradus in homicidio.	364.1	Pilatus Christum iustum palam fatetur.	226.2
Penitens homo quid sit.	418.1	Pilati audacia in Indaeos.	655.1
Penitentes libenter Deus suscipit.	155.1	Pilati hypocrisis quot modis notanda.	302.1
Penitentia quando inutiliter fiat.	620.2	Pingues esse ieiunij.	121.1
Penitentia publica olim in vsu.	297.1	Pythagoraeorum quaternarius numerus.	204.2
Penitentia peragenda mos vetustus.	350.1	Piscis cum fide collatio.	115.2
Penitentiae robur.	651.2.652.1	Platoniorum subtilitas in quibus caeca.	200.1
Penitentiae locus in extremo iudicio non erit.	603.2	Plenum gaudium petere quid sit.	107.1
Penitentiae vbi non erit locus.	139.1	Pluris estis quomodo capiatur.	510.2
Penitentiae tempus ineptum.	423.1	Populus Dei quando potentissimus dicatur.	554.1
Penitentiae remedia ex Christo.	128.2	Populum docere desiderans, seipsum prius doceat.	304.1
Penitentis supplicium.	251.1	Porphyry blasphemiae.	702.2
Penitere Dei quid sit.	730.2	Portare Deum in corpore suo quid sit.	347.2
Pentecostes festi descriptio.	201.1	Portae inferi quae sint.	762.1
Pentecostes solemitas qualis sit.	173.2	Posse pro propria fidelium vbi sit.	415.2
Pera quid significet.	190.1.293.2	Potentia Dei necessaria ad mandatorum executionem.	461.2
Perennis fluminis.	219.1	Potestas Ecclesiae.	482.2
Perfeci qui dicantur.	76.1	Potestas mala que sit.	302.1
Perfectio fidei Christianae in quo consistat.	28.2	Potestas tenebrarum quid sit.	249.2
Perfectissimus fidei terminus.	187.1	Potestatibus subditoribus obediendum.	357.1
Perfektam scientiam qui habeant.	103.2	Praeceptum quid sit.	703.1
Peripateticorum sententia de animi passionibus.	365.2	Praedictum quid antiquis erat.	338.1.611.1
Permittere et scire quid apud Deum differant.	705.1	Prauitate malorum boni probantur.	612.2
Persecutiones quid animabus fructus adferant.	718.1	Procedere et nasci quid differant in diuinis.	66.2
Perseuerantia in oratione.	127.1	Procepti, Non concupisces, difficilis impletio.	9.1
Perseuerare in doctrina Sanctorum.	175.1	Praeconem despicere timet indicem.	125.2
Perseuerantia etiam in bene petentibus est necessaria.	113.1	Praedestinatorum nomina nouit Deus.	262.1
Personarum acceptio in Deo non est.	84.2	Praedicare Euangelium omni creaturae quid sit.	135.1.136.2
Peruersos quomodo Deus visitet.	430.1	Praedicare de cathedra Christi quid sit.	35.2
Petenda quae sint in Christi nomine.	117.1	Praedicatio quando contemnatur et cur.	310.2
Petentes a Deo cur non accipiant.	113.1	Praedicatio Euangelij quibus tradenda est.	85.1
Petere et querere quid differant.	124.1	Praedicationis D. Petri effectus.	360.2.387.2
Petere qui dicantur in sono nominis Christi.	105.2	Praedicator non praedicator qui sit.	270.1
Petitiones nostrae cur non exaudiantur a Deo.	106.2	Praedicatoris Euangelici munus.	290.1
Petri fides in laxatione retis iussu Christi.	357.1	Praedicatoris Euangelici finis et merces.	506.1
Petri consolatio in tentationibus.	91.2	Praedicatoribus quid debeatur.	289.1.290.1
Petri constantia ante magistratum.	236.1	Praedictiones ascensionis Christi.	156.2
Petri peccata.	398.2	Praefectura qui abutantur populi.	651.2
Petri confessio constantissima de Christo.	280.2	Praelatio Ecclesiae.	33.2
Petri paupertas et suorum.	355.1	Praelatorum peruersa exempla quid efficiant.	572.2
In Petro est typus totius Ecclesiae.	354.2	Praelium quotidianum fidelibus.	244.2
Pharaonis iactantia.	532.1	Praeordinati ad vitam perire non possunt.	715.2
Pharisaica anima.	313.2	Preparatio habitaculi Dei.	218.2
Phariseorum infidiae in Christum.	525.2	Preparatio magna in periculis magnis.	718.1
Phariseorum ieiunium.	440.2	Praescientia Christi admiranda.	661.2
Phariseorum et Sadduceorum concordia et discordia.	330.1	Praesentia Christi sanctis desiderabilis.	323.2
Phariseorum hypocrisis.	519.1	Presbyterorum potestas ad peccata remittenda.	592.1
Phariseorum mores cur spine dicantur.	35.2	Praeuire periculum mandatis misericordia est.	715.2
		Praeuisa mala quid inueniunt.	169.1.2.172.1
		Preces quomodo ad Deum dirigenda.	440.1
		Preces pro defunctis.	649.1

Primum

Primum vis quanta sit.	442.1	Quadragesima delitiosam qui ducunt.	101.2
Princeps huius mundi cur diabolus dicatur.	85.1	Quadragesima dies qui ieiunant.	90.1
Prisus quid erat inaudium.	187.2	Quibus esse debeat qui euangelizat.	290.1.2
Probatum sine tentatione vix est.	402.2	Quarta et sexta serie ieiunium.	555.2
Proborum et improborum resurrectio.	191.2	Quae propter Christum facimus, vltro fieri debent.	708.1
Procedere cui conuenit.	180.2	Quaerere aliquid a Deo praeter Deum quid sit.	40.1
Processionum antiquus vsus.	123.2	Quaerendus vbi sit Deus.	703.1
Procesus spiritus sancti.	163.2	Quaerentibus regnum Dei promissa.	512.1
Procurator et supplicatio in leproso quid denotent.	482.1	Quibus data potestas ligandi et soluendi peccata.	25.1
Procul stare quid significet.	489.2	Quibus praecipue opera charitatis exerceri debeant.	555.2
Prodigium quid sit.	622.2.635.2	Quinquagenarius numerus quid ostendit.	174.1
Propastio quid sit.	364.1	Quinquagesima feria, dies latitiae.	228.2
Prophetare quid sit.	696.2	Quisque sensuum effectus.	331.2
Propheta cur in patria sua honorem non habet.	629.1.2	Quis est iste qui venit de Edon, etc. exponitur.	18.1
Propheta cur videntes dicit.	469.1.470.2	Quosque, dictionis, acceptio.	650.2.639.1
Propheta qui fuerunt ante Christum, et qui sunt nunc.	394.2		
Propheta veraces cum Christo an venerint.	265.1		
Prophetia sancti a Deo missi.	271.2		
Prophetarum oracula et imitationes ad Christum.	617.1		
Proprietates verborum ac locorum in scripturis scrutandae.	701.2		
Prorogare aliena quid sit.	751.2		
Proposita diaboli.	140.2		
Prosperitas inique ditati quas penas sibi praeparat.	705.1		
Prosperorum fugienda blandities.	118.2		
Proverbium quid sit.	109.1.110.2		
Proverbi nomina quid Christus intellexerit.	104.1		
Providentiae caelestis scopus.	125.2		
Prudentiam Dei nostra labori cooperari oportet.	500.1		
Prudentiam Dei peruersi fortunam existimant.	495.1		
Proximitatis indicij futuri signa.	721.1		
Proximi qui sint.	462.1		
Proximis delicta remittenda.	12.1		
Proximus quis verus sit.	475.1		
Proximus qualiter corrigendus.	311.1		
Proximus quis nobis sit.	531.1		
Psalmorum propheta quis sit.	227.1		
Publicani et Pharisei differentia.	439.2.440.2		
Publicani a D. Ioanne instructi.	659.1		
Publicani qui sint.	344.2.349.1.2		
Publicani oratio qualis.	445.1.2		
Publicanorum munus.	444.2.446.1. et seq.		
Puer citharodus Psalmista factus.	236.2		
Pueri qui dicantur.	114.1.2		
Pugna marium pro esu filiorum Hierosol.	725.1		
Pugna Christianorum cum diabolo.	605.2		
Pulli coruorum cur a parentibus negligantur.	309.1		
Puluerem excutere pedum, quid sit.	289.1.290.2		
Purgationis materia quid sit.	743.1		
Purgatorius ignis.	379.2		
Pusillanimitas in oratione fugienda.	113.2		
Pusillorum scandalum vitandum.	712.2		

Q.

Quadragesima cur instituta.	8.2	Resurrectio Domini spes nostra.	142.1
Quadragesime auctoritas unde orta.	173.2	Resurrectio futura in momento.	640.2
		Resurrectionis Christi fructus.	227.2
		Resurrectionis et Pentecostes collatio.	202.1

XXX

Resur

Resurrectionis Domini efficacia.	140.1	pacis per Eucharistiam.	710.2
Resurrectionis signum.	19.2	Sacrificium ex pauperis substantia quale sit.	424.1
Resurrectionis gloria scopus nostrae fidei est.	12.2	Sacrosanctis diebus quibus epulis vacandum sit.	174.1
Resurrectionis assertio.	189.1	Sal in solo Hierosolymense dispersum est.	616.1
Resurrectionis veritas probatur.	603.2	Salc verba condiri quid sit.	368.1
Retē cur rumpitur, & piscis non labitur.	358.2	Sale quomodo utendum.	419.1
Retia vnde dicta, & quid designent.	354.1	Salomonis interpretatio.	766.1
Retis & verbi divini collatio.	359.2	Salomonis sapientia.	513.2
Retributio Christi fidelibus.	708.1	Saluatoris bonitas admirabilis.	718.2
Reverentia diabolica.	440.2	Saluatoris mentem habere quid sit.	85.3
Resolutio rerum omnium quotidiana.	672.2	Salus animarum.	109.1
Rogabo patrem, cur Christus dixerit.	194.1	Salus quibus acquiratur.	666.1.668.1
Rogare verbi significatio.	55.1.56.2	Salus à quo accipienda.	39.1
Rogationum festi institutio.	123.1.2	Salus in solo nomine Christi.	251.1
Rogationum haresis.	44.1	Salutem Gentium odium Iudaei.	729.2
Romani Antistitis primatus.	635.1	Scandalum diligentibus legem Dei nullam.	170.2
Romani censum ponderabant, non numerabant.	662.1	Scandalum insipientium quando non curandum.	528.1
Romanus exercitus, exercitus Dei.	609.2	Samarita caput decem tribuum erat.	473.1.2
Rudiores in fide quibus egeant.	670.1	Samaritae descriptio.	484.2.487.1
Ruina populi vnde maxime oritur.	432.1	Samaritana verbo multitudo fidem adhibuit.	634.1
Ruina Hierosolymitana causa.	713.2	Samaritanus pro custode.	468.1.473.2.476.1
Ruina Hierosolymitana propheta.	436.2.	Samaritanorum genus.	473.1
Et quorum culpa acciderit.	ibid.	Samson an exulandus scipsum occidens cum hostibus.	365.2
Ruminantia animalia munda.	607.2	Samsonis ruina vnde causata.	714.2
Rumpi rete prae piscium multitudine quid sit.	354.1	Sanna cur Saulera lugeret.	578.2
		Sancti cur Reges dicantur.	471.1
		Sancti etiam ante iudicii diem beatitudine fruuntur.	663.2
		Sancti pro quibus exaudiantur in eorum petitionibus.	98.1.105.1
		Sancti quid pro nobis petant à Deo.	209.2
		Sancti cur amibus comparentur.	491.1
		Sancti Mamerti precibus conflagratio extincta.	123.2
		Sanctorum post mortem preces pro vivis.	107.1
		Sanctorum martyrum constantia.	60.2
		Sanctorum signa quo sine fierent.	684.1.2
		Sanctorum gloria qualis.	139.1
		Sanctorum patrum exempla.	210.1
		Sanctorum innotatio quomodo fiat.	682.1
		Sanctorum merita & orationes.	554.2
		Sanctum in lege quid dicitur.	282.1
		Sanguis quorum pretiosus sit Christo.	36.2
		Sanguis pro lacte emunctus.	138.2
		Sanguis Christi quem nos sumimus non est figura, sed veritas.	277.1
		Sanguinem fundere pro quibus qui verè dicantur.	93.1
		Sanitas à Christo data, quid à medicorum curatione differat.	592.2
		Sanitas animae vnde fiat.	593.1
		Sanitas festiva velocem obedientiam leprosozum sequuta est.	485.1
		Sapientia malignam animam abhorret.	221.2
		Sapientia huius mundi doctrina.	233.2
		Saxo qd̄ quid sit.	410.2
		Satanæ varia nomina.	51.1
		Satan quo pacto condemnatus sit.	84.2.173.2
		Satellites diaboli qui sint.	50.1
		Satietas effectus.	284.2
		Satisfactio pro peccatis.	122.2
		Satisfactionis oblatio accepta Deo.	122.1
		Satisfactiones pro peccatis quae sint.	676.1
		Scandalizantium poena.	750.1
		Scenopegia dies.	608.1
		Scire cuncta cur non curandum.	705.1
		Scire & nescire Dei quid sit.	483.2.487.2
		Scientia perfecta quae sit.	193.2
			Scythae

S.

Sabaoth quid sit.	611.2
Sabbatazarc laudabiliter quid sit.	713.1
Sabbatizare quid sit Christiano.	692.2
Sabbati ier.	712.2.713.1
Sabbati nomini quid intelligatur.	444.2.446.2
Sabbatum terrae.	201.1
Sabbatum vnde dicitur.	448.1.2
Sabbato quae opera fieri vetita.	558.1
Sabelliani error.	184.1.194.1.225.1.264.2.765.2
Sacus Christi quid sit.	746.1
Sacerdotes quales esse debent.	447.2
Sacerdotis notii Testamenti cur digniores quam veteris.	484.2
Sacerdotes ex Levi genere quales sint.	658.2
Sacerdotis & natus collatio.	5.2
Sacerdotis consilio peccator vti debet.	651.1
Sacerdotis potestas in his quae à Deo data sunt.	5.1.
	5.2
Sacerdotium Christi secundum ordinem Melchisedech.	324.2
Sacerdotium verum in Ecclesia Christi.	25.1
Sacerdotum ministerium ad peccatorum purgationem necessarium.	485.2
Sacerdotum dignitas.	27.1
Sacerdotum iudicium in leprosis.	25.1
Sacerdotum munus in leprosozum curatione.	488.2.
Sacerdotum cura.	31.5.1
Sacerdotum malorum culpa quid fiat.	430.1
Sacerdotibus quae cathedra ascendenda.	5.2
Sacerdotum ritus apud antiquos.	539.1
Sacramentum Eucharistiae sumptum prae paratio.	279.1
Sacramentum corporis Christi ad quid institutum fidelibus.	323.2
Sacramenti corporis Christi & mannae collatio.	324.1
Sacramenti corporis Christi effectus.	314.2
Sacrificia Christianorum.	745.1
Sacrificium Ecclesiae minus sacrificijs Iudaeorum.	487.2
Sacrificium placabile quis offerat.	505.2
Sacrificium laudis, sacrificium iustitiae, & sacrificium	

Scytharum vivendi modus.	605.2	Signum crucis cur in die iudicii apparebit.	707.2
Scribarum officium.	349.2	Signum filij hominis quid sit.	686.2
Scribarum praepostera doctrina.	270.2	Signum dilectionis quale sit.	183.2
Scriptura sacra quando pro regno Dei accipitur.	512.1	Similitudinum usus in scripturis.	34.2.37.2
Scriptura sacra vnde generationem designet.	688.1	Similitudinibus ad quid scriptura utatur.	224.1
Scriptura sacra & pro otio.	261.1.270.2	Simons magi impostura.	690.1
Scripturae sacrae fructus.	608.2	Simoniaca haeresis damnatur.	437.2.438.1.2
Scripturae sacrae sunt scrutandae.	687.1	Similitudo non recta.	235.2
Scripturarum promissio in hoc seculo.	718.2	Simulata opera quae sint.	402.2
Scripturis continetur quicquid ad salutem queritur.	597.1	Similitudo fugienda.	214.1
Scrutator maiestatem divinae arguitur.	138.2	Synagoga quid sit.	176.1
Scorpionis aculeus timendus.	113.2	Synagoga & Ecclesiae collatio.	176.1
Scutum bonae voluntatis quid sit.	188.2	Synagoga & fidei comparatio.	569.1
Secessio monachorum.	70.1	Syri quid per rhaba intelligant.	366.1
Secreta cordium scire quale signum sit.	670.2	Syrorum mos eras loqui per parabolas.	637.1.642.1
Secreta scripturae cur solitudines dicantur.	693.2	Si sufficit tu Deo sufficit tibi Deus.	138.1
Seculi huius filij cur dicantur.	422.1.425.2	Situs Hierosolym.	444.1
Sedere super cathedram Christi.	5.2	Societas Christi quid proficiat.	228.2
Sedere à dextris Dei quid sit.	531.2	Sodales vnde diffi.	43.1
Seditio Christi in deserto.	606.1	Sola fide an solvantur fideles.	604.2
Seditio inter Iudaeos pro tributo Romanis dando.	653.1	Sol in qua regione occidat.	160.1
Seductio signa.	715.2	Sol sine splendore non est.	215.2
Seductores multi tempore Apostolorum fuerunt.	707.1	Solis defectus & tenebrae in morte Christi.	686.1
Seductores non doctores qui sint.	270.1	Solis & Luna signa ante iudicium.	ibid.
Semen verbi Dei quibus suffocatur.	513.1	Solem observari quid sit.	686.2
Senario numero quid designetur.	763.1.776.2	Solemnitas vnde dicitur.	219.1
Sensus visus cur generalis dicatur.	4.1.7.1.23.1	Sollicitudo vnde nascitur.	503.1
Sententiam negligere navis.	252.1.255.2	Sollicitudo ubi necessaria.	504.1
Septima dies quid sit.	635.1	Sollicitudinis diffinitio.	510.1
Septimi anni sabbatum Iudaeorum.	204.2	Sollicitudinis nimia mala.	491.1
Septimi numeri commendatio.	201.1.205.1	Solidamentum vitiorum.	90.2
Septenarius numerus symbolum est Spiritus sancti.	393.2	Solitudo an damnanda.	70.1
Septenarius numerus qualis Hebraeis.	204.2	Solvendi qui sint pastoralis auctoritate.	21.2
Septenarii numeri sanctificatio.	631.2	Somni conditionem mors soluta est.	671.2
Sermo doctoris otiosus.	234.2. & seq.	Sordes peccatorum quomodo mundentur.	744.2
Sermo quibus confirmetur.	161.2	Spiritum Domini quid sit.	450.1.453.1
Sermo de villico Gaudentij Episcopi Brixiani.	414.2	Species quatuor tumoris arrogantium.	443.2.444.2
Sermo Dei quid sit.	243.1.2	Specio verbum antiquum.	456.2
Sermonis Evangelici effectus.	235.2	Speculatoris officium.	41.2
Sermones haeticorum perisforij sunt.	694.1	Speluncam latronum qui faciant domum Dei.	429.1
Serpentium pulli licet minores statura, veneno tamen aequales sunt.	658.1	Spes metendi ubi sit.	555.1
Servare mandata diligere est.	221.2	Spes futurorum clara & incunda est.	672.2
Servientium duo genera.	492.1	Spes sempiterna vita Christus.	261.2
Servi diaboli quid Christianitati officiant.	402.2	Spes in Deum habenda in necessarijs rebus.	503.2
Servi vitiorum quales sint.	310.2	Spes verae vitae ubi sit.	264.1
Servile opus quid sit.	519.1	Spes Christianorum ubi.	12.2
Servitium cupiditatis.	32.2	Spei quid sit contrarium.	113.2
Servitium duorum dominorum cur infidele sit.	496.1	Spinae quid sint.	41.1
Servitum humanam quis introduxit.	609.2	Spiritualium delictorum effectus.	328.1
Servitus diuitiarum.	497.2	Spiritualia quaerentibus adduntur corporalia.	516.1
Servorum libertas.	179.1		517.2
Seq̄ui Christum quid sit.	677.1	Spiritus Christi efficacia.	14.2
Sessio Christi ad dexteram patris quid sit.	137.1.160.	Spiritus Christi cur pax dicatur.	223.2
& seq̄.		Spiritus quo vivimus quid sit.	219.2
Severitas quid sit.	468.2	Spiritus dario duplex.	213.1
Sic veniet, quid sit.	147.1	Spiritus huius mundi, & Spiritus Dei, discrimen.	102.2
Sycomoros quid sit.	728.1.759.2	Spiritus recti sedes.	91.2
Signa quae quotidie sunt in Ecclesia.	161.1.2	Spiritus veritatis.	85.2
Signa & prodigia quid differant.	632.1.635.2	Spiritus sancti processio.	85.2.86.1
Signa missionis Spiritus sancti.	220.1	Spiritus sancti vis.	183.1
Signa Christi qualia.	404.2	Spiritus sanctus cur bis datus Apostolis.	24.2.25.1
Signa divinae vocationis sunt testimonia.	715.1	Spiritus sanctus etiam a filio procedit.	79.1
Signo crucis se munire.	615.1	Spiritus sanctus cur non venerit ante Christi discessum.	69.1
		Spiritus sanctus non contristandus.	218.2
		Spiritus sancti opus in nobis.	95.1
		Spiritus sanctus plenitudo omnium bonorum est.	113.2



<i>Spiritus sanctus cur in lingua ignis apparuit.</i>	207.1	<i>Theophania festum.</i>	139.2
<i>Spiritus sanctus quid operetur.</i>	187.2	<i>Theophanij Comitibus mirabilis mors.</i>	336.2
<i>Spiritus sanctus an hoc tempore detur.</i>	219.1	<i>Theudas &amp; Iudas cur occisi.</i>	664.2
<i>Spiritus sancti docendi modus.</i>	198.1	<i>Theudas impostori similes qui sint.</i>	33.2
<i>Spiritus sanctus à Christo paracletus dicitur.</i>	90.1	<i>Tepor in fide.</i>	632.1
<i>Spiritus sancti varia nomina.</i>	632.2	<i>Terra cur à Deo maledicatur.</i>	504.2
<i>Spiritus sancti officium.</i>	96.1	<i>Terra spinosa qui dicantur.</i>	609.2
<i>Spiritus sancti postulatio pro nobis.</i>	244.1	<i>Terræ fossio quid sit.</i>	425.1
<i>Spiritus sancti gratia septiformis.</i>	174.2	<i>Terram qui occupare dicantur.</i>	566.1
<i>Spiritus sanctus in specie columbæ.</i>	235.1	<i>Terram quid Christus appellet.</i>	235.1
<i>Spiritum Domini in quempiam insilire quid sit.</i>	15.1	<i>Terrena quatenus à Deo petenda.</i>	129.1
<i>Spiritum sanctum quis habeat.</i>	192.1	<i>Terrenorum omnium usus qualis esse nobis debet.</i>	336.1
<i>Spiritu fornicationis seduci, quid sit.</i>	507.2	<i>Testamenti veteris &amp; novi collatio.</i>	194.1
<i>Spirito perfundendi baptizandos, mos antiquus.</i>	454.2.	<i>Testem Deum in se vocare quid sit.</i>	398.2
	456.2	<i>Testimonia de duplici Christi substantia.</i>	143.1
<i>Stabulum pro Ecclesia.</i>	467.2.474.1.476.2	<i>Theophrastus sibi in celo quid sit.</i>	503.1
<i>Stagnum Genezareth cur variè appellatum sit.</i>	358.1.	<i>Tetigit mulier pro credidit.</i>	227.2
	359.1	<i>Ti, apud Græcos pro quid &amp; quod.</i>	480.1
<i>Stare quando dicatur.</i>	751.2	<i>Tibia olim de quibus ossibus animalium fierent.</i>	675.2
<i>Stare &amp; sedere ad dexteram Patris.</i>	160.1. & seq.	<i>Tibicines olim carmen lugubre cantantes.</i>	666.2.668.2.
<i>Statua Christi per hemorrhoidiam facta.</i>	670.2. &		671.1
<i>Statua equestris Adriani in templo Hierosolymitano posita.</i>	719.2	<i>Timor quid sit.</i>	301.2
<i>Statue &amp; imagines, abominatio Iudæis erant.</i>	723.2	<i>Timoris diminutio.</i>	169.1.2
<i>Stellarum magnitudo.</i>	686.1	<i>Toleranda potius præsentia quam diligenda.</i>	118.2
<i>Stellas de celo decidere quid sit.</i>	689.1	<i>Thomas solus an dubitavit de veritate corporis Christi post resurrectionem.</i>	18.2
<i>Stephanus à quibus lapidatus.</i>	609.2	<i>Thomæ tangendi Christi corporis copia data non Magdalene.</i>	17.2
<i>Stercoris vis quantitas sit.</i>	570.1	<i>Thomæ ardens in Christum desiderium.</i>	747.2
<i>Stipendia cur militibus constituta sint.</i>	659.1	<i>Thomæ prompta confessio de Christo.</i>	18.1
<i>Stipendium unde dicitur.</i>	662.1	<i>Thomæ infidelitatis fructus.</i>	7.1.2.17.1.20.1.25.2
<i>Stoici in sententia de passionibus animi.</i>	365.2	<i>Tormentorum differentia in malis.</i>	610.1
<i>Stola in error curanda.</i>	622.1	<i>Torpentes quid homines faciat.</i>	491.1
<i>Stole albæ quid significant.</i>	107.2	<i>Torquati simulatio.</i>	407.2
<i>Stulti est seipsum admirari.</i>	443.1	<i>Tota mente diligere Deum quid sit.</i>	530.2
<i>Stulto quomodo respondendum.</i>	660.1	<i>træ dictionis significatio.</i>	725.2
<i>Tacere &amp; fugere quando pastor dicatur.</i>	36.1	<i>Trabem ex oculis eicere quid sit.</i>	310.2
		<i>Trabis &amp; festucæ nomine quid Christus intelligat.</i>	301.1
		<i>Tractus divinus quomodo intelligendus.</i>	280.1
		<i>Traditio prima &amp; ecclesiastica non elinquenda.</i>	693.2
		<i>Traditionis Apostolicæ auctoritas.</i>	283.2
		<i>Traditor sui quis fiat.</i>	115.1
		<i>Trabi à patre quid sit.</i>	278.1
		<i>Trabit sua quemque voluptas quomodo intelligendum.</i>	278.1.2
		<i>Transformatio nostra in novam vitam per quem fiat.</i>	84.1.2
		<i>Transsubstantiatio asseritur.</i>	325.1
		<i>Tribuli &amp; hæretici collatio.</i>	404.2
		<i>Tribus terræ quid sit.</i>	686.2
		<i>Tributa à quibus colligebantur tempore Christi.</i>	663.2
		<i>Tributa Iudæorum quis erat præpositus.</i>	653.1
		<i>Tributum diaboli quid dicatur.</i>	654.2
		<i>Trinitas divina describitur.</i>	68. 69. per totas pag.
			86.1.2
		<i>Trinitatis opera inseparabilia.</i>	71.1
		<i>Trinitatis mysterium cui tradendum.</i>	85.1
		<i>Tristitia spiritualium hominum quid sit.</i>	210.1
		<i>Tristitia affeci quid sit.</i>	194.1.395.1
		<i>Tristitia ubi inutilis sit.</i>	67.2
		<i>Tristitia electorum unde proveniat.</i>	60.2
		<i>Trium sororum virginum historia.</i>	614.1.2
		<i>Triumphus satanæ unde.</i>	10.2
		<i>Trois decem annis obfessa.</i>	820.1
		<i>Tropheum Christi quid sit.</i>	724.1
		<i>Tuguria monachorum castri militum collata.</i>	605.2
		<i>Tumoris quatuor species.</i>	439.1
			Tumultus

<i>Tumultus unde dicatur.</i>	678.1	<i>Vita ad persolvendum debita nostra, quæ sit à Deo data.</i>	
<i>Tunc dictionis acceptio.</i>	660.1.724.1		644.1
<i>Tunica duplex quid significet.</i>	290.1.2.391.2	<i>Vias duras custodire, quid sit.</i>	744.1
<i>Turba diversa semper voluntatis.</i>	676.1	<i>Viaticum quærentium regnum Dei in hac vita.</i>	512.1
<i>Turris post diluivium cur edificata.</i>	220.1	<i>Viaticum nostri itineris quid sit.</i>	323.1
		<i>Viatoris stulti descriptio.</i>	46.2
		<i>Victoris insigne quid sit.</i>	204.1
		<i>Victoris Christi insigne.</i>	228.1
		<i>Vicinus ratio ex Christi doctrina.</i>	654.2
		<i>Vidua pauperis liberalitas commendatur.</i>	731.1
		<i>Villa emptæ quid designet.</i>	327.1
		<i>Villæ cultura quale opus.</i>	609.1
		<i>Villæ operationes quid significent.</i>	ibidem.
		<i>Villici, &amp;c. expositio.</i>	422.1
		<i>Villicus quis dicatur.</i>	411.2
		<i>Villicus qua de re laudatur.</i>	426.1
		<i>Vincere proximum officij.</i>	749.2
		<i>Vindicta cupiditas quantum malum sit.</i>	652.1
		<i>Vindictam quærens quantum sibi officiat.</i>	645.1
		<i>Vinea domini quid sit.</i>	565.2
		<i>Vino quando &amp; quomodo utendum.</i>	691.2
		<i>Vinum quid vulnera inuict.</i>	474.1
		<i>Vinum novum in vitis veteres mittere.</i>	220.2
		<i>Vinum aquæ miscendum in Eucharistie sacramento.</i>	
			324.2
		<i>Violentia quando bona dicatur.</i>	133.1
		<i>Virga duplex.</i>	291.1
		<i>Virgæ portandæ nomine quid significetur.</i>	291.2.
			292.2
		<i>Virgam tantum ferræ, &amp;c.</i>	289.1. & seq.
		<i>Virginem sacratam nubere quantum facinus sit.</i>	614.2
		<i>Virtus ligari non potest.</i>	210.1
		<i>Virtus probata quid efficiat.</i>	90.2
		<i>Virtutis laus.</i>	165.1
		<i>Virtutis perficiendæ modus.</i>	106.2
		<i>Virtutes calorum quæ dicantur.</i>	686.1
		<i>Virtutum concordia.</i>	446.2
		<i>Visibilia ad invisibilia quid inuent.</i>	213.1
		<i>Visio Dei quàm tremenda.</i>	721.1
		<i>Visionem quid Christus vocet.</i>	182.1.184.1
		<i>Visitacionis tempus quid sit.</i>	432.1
		<i>Visus apertior sensus.</i>	182.1.184.1
		<i>Vitandi in ecclesia qui sint.</i>	482.1.2.483.1
		<i>Vita æterna quæ sit.</i>	26.2
		<i>Vita cuius abominabilis esse dicitur.</i>	383.2
		<i>Vita assumpsit mortem, ut vita mortem occideret.</i>	
			274.2.279.1
		<i>Vita humana tentatio dicta.</i>	9.2.10.1
		<i>Vita vivere quid sit.</i>	314.1
		<i>Vita à Christo promissa quæ sit.</i>	314.2.315.1
		<i>Vita piorum tribulationibus semper agitur.</i>	718.2
		<i>Vita pro fide quæ per dilectionem operatur.</i>	267.1
		<i>Vita præsens quo numero figuratur.</i>	174.1
		<i>Vita peruersa quo remedio caueatur.</i>	547.2
		<i>Vitæ duæ.</i>	253.1
		<i>Vitæ frugalitatis encomium.</i>	293.1.2
		<i>Vitæ præsentis &amp; futuræ collatio.</i>	673.1
		<i>Vitæ nostræ ratio reddenda ante tribunal Christi.</i>	638.1
		<i>Vitæ cur semper meminit Christus.</i>	315.1
		<i>Vitia cupiditatis varia.</i>	32.2
		<i>Vitium curiositatis quàm graue sit.</i>	334.1
		<i>Vitium quomodo ostendatur.</i>	669.2
		<i>Vituli laborum quid sint.</i>	619.1
		<i>Vivere de spiritu sancto quo pacto possimus.</i>	219.2
		<i>Vivens sine fide mortuus est.</i>	154.1
		<i>Vocatio Petri &amp; Andreæ à Christo.</i>	361.2
		<i>Vocatio duplex.</i>	620.1
			X. xx 3
			Volun

I N D E X.

<i>Voluntas Dei quomodo efficitur.</i>	398.1	<i>Vxor Loth cur in salem conversa.</i>	117.2
<i>Voluntas patris, filij præcepta sunt.</i>	411.2	<i>Vxoris in virum suum affectus.</i>	540.1.2
<i>Voluntas ad Christum confluentium varia fuit.</i>	389.2		
<i>Voluntatis vis pro posse &amp; non posse.</i>	738.1	Z.	
<i>Voluntatem non verba respicit Deus.</i>	654.1		
<i>Voluptas cordis quæ sit.</i>	278.1	<b>Z</b> <i>Zacharia propheta prædictio iudicij ultimi diei.</i>	
<i>Vox veri pastoris.</i>	262.1	695.1	
<i>Vox quando instruat.</i>	234.2	<i>Zachæus dives.</i>	730.1
<i>Vnam carpere relicta spina.</i>	35.2	<i>Zachæus quid significet.</i>	727.1
<i>Vna quo pacto ex spinis colligenda.</i>	41.1	<i>Zachæi conversio. 728.2. &amp; cur filius Abrahæ dicitur.</i>	
<i>Vnicestitarum error.</i>	50.1	<i>ibidem.</i>	
<i>Vulnerum Christi vestigia quousque mansura.</i>	24.1.2.	<i>Zachæi satisfactio.</i>	580.2
26.1		<i>Zelus non secundum scientiam.</i>	171.1
<i>Vulturum sensus mirabilis.</i>	681.1.686.1	<i>Zizania qui dicantur.</i>	551.1

F I N I S.

